

CATENA AUREA IN MATTHAEUM

MATTHAEUS PROLOGO 1

1 (Mt PROLOGO 1)

Sanctissimo ac reverendissimo patri domino Urbano, divina providentia papae quarto, frater Thomas de Aquino, ordinis fratrum praedicatorum, cum devota reverentia, pedum osculo beatorum. Fons sapientiae unigenitum Dei verbum praesidens in excelsis, per quod pater sapienter fecerat et suaviter disposuerat universa, in fine temporum carnem sumere voluit, ut sub tegumento naturae corporeae, splendorem eius humanus intuitus posset inspicere, quem in celsitudine maiestatis divinae attingere non valebat.

Diffuderat siquidem radios suos, sapientiae videlicet suae indicia, super omnia opera quae creavit; quodam vero ampliori privilegio imaginem propriam hominum animabus impresserat, quam tamen diligentius expresserat in cordibus ipsum amantium secundum sui muneris largitatem. Sed quid est hominis anima in tam immensa creatura, ut divinae sapientiae vestigia possit comprehendere ad perfectionem? quinimmo et sapientiae lux infusa hominibus per peccati tenebras et occupationum temporalium caligines fuerat obumbrata; et intantum est quorundam cor insipiens obscuratum, ut Dei gloriam in idola vana converterent, et quae non conveniunt facerent, in sensum reprobum incidentes.

Divina vero sapientia, quae ad sui fruitionem hominem fecerat eum sui inexpertem esse non sinens, totum se in humanam naturam contulit, eam modo sibi assumendo mirabili, ut errantem hominem ad se totaliter revocaret. Huius igitur sapientiae claritatem nube mortalitatis velatam, primus apostolorum princeps fide conspiceret meruit, et eam constanter absque errore et plenarie confiteri, dicens tu es Christus filius Dei vivi. O beata confessio, quam non caro et sanguis, sed pater caelestis revelat. Haec in terris fundat ecclesiam, aditum praebet in caelum, peccata meretur solvere, et contra eam portae non praevalent inferorum.

Huius igitur fidei ac confessionis heres legitime, sanctissime pater, pio studio mens vestra invigilat, ut tantae sapientiae lux fidelium corda perfundat et haereticorum confutet insanias, quae portae inferorum merito designantur. Sane si, secundum Platonis sententiam, beata censetur respublica cuius rectores operam sapientiae dare contigerit, illi siquidem sapientiae quam imbecillitas intellectus humani erroribus plerumque commaculat, quanto magis sub vestro regimine beatus censeret potest populus christianus, ubi tanta diligentia excellentissimae illi sapientiae curam impenditis, quam Dei sapientia carnalibus membris induta et verbis docuit et operibus demonstravit? et huius siquidem diligentiae studio vestrae sanctitati complacuit mihi committere Matthaei evangelium exponendum, quod iuxta propriam facultatem executus, sollicitate ex diversis doctorum libris praedicti evangelii expositionem continuam compilavi, pauca quidem certorum auctorum verbis, ut plurimum ex glossis adiiciens, quae, ut ab eorum dictis possent discerni, sub **Glossae** titulo praenotavi.

Sed et in sanctorum doctorum dictis hoc adhibui studium, ut singulorum auctorum nomina, nec non in quibus habeantur libri assumpta testimonia describantur, hoc excepto quod libros et expositionem supra loca quae exponebantur, non oportebat specialiter designari: puta, sicubi nomen inveniat hieronymi, de libro mentione non facta, datur intelligi quod hoc dicat super Matthaeum, et in aliis ratio similis observetur, nisi in his quae de commentario chrysostomi super Matthaeum sumuntur, oportuit inscribi in titulo super Matthaeum, ut per hoc ab aliis quae sumuntur de ipsius homiliario distinguantur.

In assumendis autem sanctorum testimoniis, plerumque oportuit aliqua rescindi de medio ad prolixitatem vitandam, nec non ad manifestiorem sensum vel, secundum congruentiam expositionis, litterae ordinem commutari; interdum etiam sensum posui, verba dimisi, praecipue in homiliario chrysostomi, propter hoc quod est translatio vitiosa. Fuit autem mea intentio in hoc opere non solum sensum prosequi litteralem, sed etiam mysticum ponere; interdum etiam errores destruere, nec non confirmare catholicam veritatem.

Quod quidem necessarium fuisse videtur, quia in evangelio praecipue forma fidei catholicae traditur et totius vitae regula christiana. Prolixum igitur praesens opus non videatur alicui. Fieri enim non potuit ut

haec omnia sine diminutione prosequer, et tot sanctorum sententias explicarem, omnimoda brevitate servata. Suscipiat itaque vestra sanctitas praesens opus, vestro discutiendum corrigendumque iudicio, vestrae sollicitudinis et obedientiae meae fructum, ut dum a vobis emanavit praeceptum et vobis reservetur finale iudicium, ad locum unde exeunt flumina revertantur.

MATTHAEUS PROLOGO 2

2 (Mt PROLOGO 2)

Super montem excelsum ascende, tu qui evangelizas sion; exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas ierusalem; exalta, noli timere. Dic civitatibus iudae: ecce Deus vester; ecce dominus Deus in fortitudine veniet, et brachium eius dominabitur, ecce merces eius cum eo (*Is 40,9-10*). Evangelii praenuntiator apertus isaias propheta, evangelicae doctrinae sublimitatem, nomen et materiam breviter comprehendens, evangelicum doctorem ex persona domini alloquitur, dicens super montem excelsum ascende tu, etc. Ut autem ab ipso evangelii nomine sumamus exordium.

Augustinus contra faustum. Evangelii nomen latine interpretatur bonum nuntium vel bona annuntiatio; quod quidem cum aliquod bonum annuntiat, semper dici potest, proprie tamen hoc vocabulum obtinuit annuntiatio salvatoris. Narratores quippe originis, factorum, dicatorum, passionum domini iesu christi proprie dicti sunt evangelistae.

Chrysostomus super Matth. Quid enim his bonis nuntiatis fiat aequale? Deus in terra, homo in caelo, amicitia Dei ad nostram facta naturam, prolixum solum praelium, diabolus confusus, mors soluta, paradus apertus. Et haec omnia super dignitatem nostram, et cum facilitate nobis data sunt, non quia laboravimus, sed quia dilecti sumus a Deo.

Augustinus de vera religione. Cum enim omnibus modis medeatur animis Deus, pro temporum opportunitatibus, quae mira sapientia eius ordinantur, nullo modo beneficentius consulit generi humano, quam cum unicus filius consubstantialis patri et coaeternus, totum hominem suscipere dignatus est, et verbum caro factum est, et habitavit in nobis, ita enim demonstravit quam excelsum locum inter creaturas habeat humana natura, in hoc quod hominibus in vero homine apparuit.

Augustinus in sermone 9 de nativitate. Demum factus est Deus homo, ut homo fieret Deus. Hoc igitur bonum evangelizandum praenuntiat propheta dicens ecce Deus vester. **Leo** ad flavianum. Exinanitio autem illa, qua se invisibilem praebuit, et creator ac dominus omnium rerum unus voluit esse mortali, inclinatio fuit miserationis, non desertio potestatis.

Glossa. Ne ergo sic Deus adesse credatur ut fieret aliqua diminutio potestatis, subiungit propheta ecce dominus in fortitudine veniet.

Augustinus de doctrina christiana. Non per locorum spatia veniendo, sed in carne mortali mortalibus apparendo. **Leo** in serm. 19 de passione domini. De ineffabili autem Dei potentia factum est ut dum Deus verus est in carne passibili, conferatur homini gloria per contumeliam, incorruptio per supplicium, vita per mortem.

Augustinus de peccatorum meritis. Fuso enim sanguine sine culpa, omnium culparum chirographa deleta sunt, quibus homines a diabolo antea tenebantur.

Glossa. Quia ergo per virtutem christi patientis homines a peccato liberati servi facti sunt Dei, sequitur et brachium eius dominabitur.

Leo papa in serm. 10 de passione. Affuit autem nobis in Christo singulare praesidium, ut in natura passibili mortis conditio non maneret, quam impassibilis essentia recepisset; et per id quod non poterat mori, possit id quod mortuum fuerat, suscitari.

Glossa. Et sic per Christum nobis immortalis gloriae aditus aperitur, unde sequitur ecce merces eius cum eo; de qua scilicet ipse dicit: merces vestra copiosa est in caelis.

Augustinus contra faustum. Aeternae enim vitae promissio, regnumque caelorum ad novum pertinet testamentum, temporalium vero promissiones testamento veteri continentur.

Glossa. Sic ergo quatuor nobis de Christo evangelica doctrina tradit: divinitatem assumptam, humanitatem assumptam, mortem per quam a servitute eripimur, resurrectionem per quam nobis aditus gloriae vitae aperitur; et propter hoc in Ezechiele sub figura quatuor animalium demonstratur.

Gregorius super Ezech. Ipse enim unigenitus Dei filius veraciter factus est homo; ipse in sacrificio nostrae redemptionis dignatus est mori, ut vitulus; ipse per virtutem suae fortitudinis surrexit, ut leo; ipse etiam ascendens ad caelos est elevatus, ut aquila.

Glossa. In qua ascensione manifeste ostendit suam divinitatem. Matthaeus ergo in homine intelligitur, quia circa humanitatem christi principaliter immoratur; Marcus in leone, quia agit de resurrectione; Lucas in vitulo, quia agit de sacerdotio; Ioannes in aquila, scribens sacramenta divinitatis.

Ambrosius super lucam (in praefatione in lucam, parum ante finem). Et bene accidit, ut quoniam evangelii huius librum secundum Matthaem dicimus esse moralem, opinio huius praemitteretur: mores enim proprie dicuntur humani. Figura autem leonis ascribitur marco, quia a potentiae coepit expressione divinae, cum dixit: initium evangelii iesu christi filii Dei. Ioanni autem figura aquilae, eo quod divinae miracula resurrectionis expressit.

Gregorius super Ezech. Haec autem ipsa uniuscuiusque libri evangelica exordia testantur: nam quia ab humana generatione coepit, iure per hominem Matthaem; quia per clamorem in deserto, recte per leonem Marcus; quia a sacrificio exorsus est, bene per vitulum Lucas; quia vero a divinitate verbi coepit, digne per aquilam significatur Ioannes.

Augustinus de cons. Evang. Vel Matthaem, qui regiam christi personam maxime commendavit, per leonem significatur; Lucas autem per vitulum, propter victimam sacerdotis; Marcus autem, qui neque stirpem regiam, neque sacerdotalem narrare voluit, et tamen in humanis versatus ostenditur, hominis figura significatur. Haec autem tria animalia: leo, homo, vitulus in terra gradiuntur, unde isti tres evangelistae in istis maxime occupati sunt quae Christus in carne operatus est. At vero Ioannes velut aquila volat, et lucem incommutabilis veritatis acutissimis cordis oculis intuetur. Ex quo datur intelligi tres evangelistas circa activam vitam fuisse versatos, ioannem vero circa contemplativam. Doctores autem graecorum per hominem intelligunt Matthaem, quia genealogiam domini secundum carnem descripsit; per leonem vero ioannem, quia sicut leo suo rugitu cunctis bestiis timorem incutit, sic et Ioannes cunctis haereticis timorem incussit; per vitulum intellexerunt lucam, quia vitulus sacerdotalis est hostia, et ipse semper circa templum et sacerdotium versatus est; et per aquilam marcum intellexerunt, quia aquila in scripturis divinis solet significare spiritum sanctum, qui locutus fuit per ora prophetarum, et ipse a prophetico testimonio exorsus est.

Hieronymus super Matth. Circa numerum vero evangelistarum sciendum est plures fuisse qui evangelia scripserunt, sicut et Lucas evangelista testatur dicens: quoniam quidem multi conati sunt ordinare etc., et sicut perseverantia usque ad praesens tempus monumenta declarant, quae a diversis auctoribus edita, diversarum haeresum fuere principia, ut est illud iuxta aegyptios, et thomam et Matthiam et bartholomaeum, duodecim quoque apostolorum, et basilidis, atque apellis, et reliquorum, quos enumerare longissimum est. Ecclesia autem, quae supra petram domini voce fundata est, quatuor fluminum paradisi instar eructans, quatuor annulos et angulos habet, per quos quasi arca testamenti et custos legis domini lignis mobilibus vehitur.

Augustinus de cons. Evang. Vel quoniam quatuor sunt partes orbis terrae, per cuius universitatem christi ecclesia dilatatur. Alius autem fuit eis ordo cognoscendi atque praedicandi, alius autem scribendi. Ad cognoscendum quippe atque praedicandum primi fuerunt qui secuti sunt dominum in carne praesentem, docentem audierunt, facientemque viderunt, atque ex eius ore ad evangelizandum sunt missi; sed in conscribendo evangelio, quod divinitus ordinatum esse credendum est, ex numero eorum, quos ante passionem dominus elegit, primum ultimumque locum duo tenuerunt: primum Matthaem, ultimum Ioannes, ut reliqui duo, qui ex illo numero non erant, sed tamen Christum in illis loquentem secuti erant tanquam filii amplectendi, ac per hoc in loco medio constituti, utroque ab eis latere munirentur.

Remigius. Matthaem quidem scripsit in iudaea sub tempore caii caligulae imperatoris; Marcus in italia, romae, sub tempore neronis vel claudii, secundum rabanum; Lucas vero in achaiae baeotiaeque partibus, rogatus a theophilo; et Ioannes ephesi in asia minori sub tempore nervae principis.

Beda. Sed tamen cum sint quatuor evangelistae, non tam quatuor evangelia quam unum quatuor librorum veritati consonum ediderunt. Sicut enim duo versus eandem prorsus habentes materiam, pro diversitate metri et verborum duo sunt, et tamen non nisi unam continent sententiam, sic evangelistarum libri, cum sint

quatuor, unum continent evangelium, quia unam doctrinam faciunt de fide catholica.

Chrysostomus super Matth. Sufficiebat autem ut unus evangelista omnia diceret, sed cum quatuor ab uno ore omnia loquantur, non secundum eadem tempora, neque in eisdem locis convenientes, et ad invicem colloquentes, maxima fit demonstratio veritatis. Et hoc ipsum quod in aliquibus modicis dissonare videntur, maximum signum veritatis est; si enim omnia consonarent, crederent inimici, quod ex placito quodam humano convenientes scripserint quae scripserunt. In principalibus quidem, quae pertinent ad informationem vitae et praedicationem fidei, nequaquam dissonant nec in parvo. Si autem in miraculis hic quidem haec, ille vero illa dixit, hoc te non conturbet; si enim unus omnia dixisset, superfluum esset numerus reliquorum; si omnes diversa, nequaquam consonantiae demonstratio appareret; si autem aliquid de temporibus vel modis differenter annuntiant, hoc nihil impedit eorum quae dicta sunt veritatem, ut infra ostendetur.

Augustinus de cons. Evang. Quamvis autem singuli eorum suum quemdam narrandi ordinem tenuisse videantur, non tamen unusquisque eorum velut alterius praecedentis ignarus voluisse scribere reperitur, vel ignorata praetermississe, quae scripsisse alius invenitur; sed sicut unicuique inspiratum est, non superfluum cooperationem sui laboris adiunxit.

Glossa. Sublimitas autem evangelicae doctrinae consistit quidem primo in eius excellentissima auctoritate.

Augustinus de cons. Evang. Inter omnes enim divinas auctoritates, quae sanctis litteris continentur, evangelium merito excellit, cuius primi praedicatores apostoli fuerunt, qui dominum iesum salvatorem nostrum Christum etiam in carne praesentem viderunt; quorum quidam, hoc est Matthaeus et Ioannes, etiam scripta de illo, quae scribenda visa sunt, libris singulis ediderunt. Ac ne putaretur, quod attinet ad percipiendum ac praedicandum evangelium, interesse aliquid utrum illi annuntiant qui eundem dominum hic in carne apparentem secuti sunt, an alii qui ex illis comperta fideliter crediderunt, divina providentia procuratum est per spiritum sanctum ut quibusdam etiam ex illis qui primos apostolos sequebantur non solum annunciandi, verum etiam scribendi evangelium tribueretur auctoritas.

Glossa. Et sic patet quod sublimitas evangelicae auctoritatis a Christo dependet, et hoc designatur in verbis prophetae praemissis, cum dicitur super montem excelsum ascende tu. Mons enim excelsus Christus est, de quo idem isaias dicit: erit in novissimis diebus praeparatus mons domus domini in vertice montium, idest super omnes sanctos, qui a monte Christo montes dicuntur, quia de plenitudine eius omnes accepimus. Recte autem ad Matthaeum dicitur supra montem excelsum ascende tu, quia, sicut praedictum est, ipse in propria persona facta christi vidit et eius doctrinam audivit.

Augustinus de quaest. Evang. Illud autem discutiendum est quod solet nonnullos movere, cur ipse dominus nihil scripserit ut aliis de ipso scribentibus necesse sit credere. Sed nequaquam dicendum est quod ipse non scripserit, quandoquidem membra eius id operata sunt quod dictante capite cognoverunt. Quicquid enim de suis factis et dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis tamquam suis manibus imperavit.

Glossa. Secundo etiam habet evangelica doctrina sublimitatem virtutis, unde apostolus dicit quod evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti. Et hoc ostendit propheta in praemissis verbis, cum dicit exalta in fortitudine vocem tuam, in quo etiam modum evangelicae doctrinae designat in exaltatione vocis, per quam doctrinae claritas datur.

Augustinus ad volusianum. Modus enim ipse quo sancta scriptura contextitur, est omnibus accessibilis, paucissimis penetrabilis; ea quae aperte continet quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum atque doctorum; ea vero quae in mysteriis occultat, nec ipsa eloquio superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula et inerudita, quasi pauper ad divitem; sed invitat omnes humili sermone, quos non solum manifesta pascit, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc tam in promptis quam in reconditis habens. Sed ne aperta fastidirentur, eadem rursus aperta desiderantur, desiderata quodammodo renovantur, renovata suaviter intimantur. His salubriter et prava corriguntur et parva nutriuntur et magna oblectantur ingenia.

Glossa. Sed quia vox exaltata longius auditur, potuit in exaltatione vocis, evangelicae doctrinae publicatio designari: quia non ad unam tantum gentem, sed ad universas nationes praedicanda mandatur. Praedicate, inquit dominus, evangelium omni creaturae.

Gregorius in Evang. Potest enim omnis creaturae nomine natio gentium designari.

Glossa. Tertio autem habet evangelica doctrina altitudinem libertatis.

Augustinus contra adversarium legis et proph. In veteri enim testamento, propter temporalium bonorum promissionem, malorumque comminationem, servos parit temporalis ierusalem, in novo autem, ubi fides impetrat caritatem, qua lex possit impleri, non magis timore poenae quam dilectione iustitiae, liberos parit ierusalem aeterna.

Glossa. Unde et hanc sublimitatem doctrinae evangelicae propheta designat dicens exalta, noli timere. Restat autem videre quibus et qua de causa hoc evangelium sit scriptum.

Hieronymus super Matth. Matthaeus enim evangelium in iudaea hebraeo sermone edidit, ob eorum maxime causam qui in ierusalem crediderant ex iudaeis. Cum enim primo praedicasset evangelium in iudaea, volens transire ad gentes, primus evangelium scripsit hebraice, quod fratribus a quibus ibat, in memoria dereliquit. Sicut enim necesse fuit ad confirmationem fidei evangelium praedicari, sic et contra haereticos scribi.

Chrysostomus super Matth. Corpus autem suae narrationis ordinavit Matthaeus: primum ergo nativitatem, deinde baptismum, tertio tentationem, quarto doctrinam, quinto miracula, sexto passionem, septimo resurrectionem et ascensionem ipsius; non solum historiam de Christo exponere volens per hoc, verum etiam evangelicae vitae statum docere, quoniam nihil est quod ex parentibus nascimur, nisi iterum per aquam et spiritum renati fuerimus ex Deo. Post baptismum autem necesse est contra diabolum stare. Post hoc quasi omni superata tentatione factus idoneus ad docendum, si quidem sacerdos est, doceat, et doctrinam suam bonae vitae quasi miraculis factis commendet; si laicus est, operibus doceat fidem. Deinde necesse est exire nos de hoc stadio mundi et tunc restat ut tentationum victoriam resurrectionis merces sequatur, et gloria.

Glossa. Patet igitur ex praemissis evangelii nomen, evangelicae doctrinae materia, scriptorum evangelii figura, numerus, tempus, lingua, differentia et ordo, evangelicae doctrinae sublimitas, et quibus hoc evangelium sit conscriptum et ordo processus ipsius.

MATTHAEUS 1,1

3101 (Mt 1,1)

Hieronymus. Quia faciem hominis Matthaeus significat, quasi de homine exorsus est scribere, dicens liber generationis.

Rabanus. Quo exordio satis ostendit generationem christi secundum carnem suscepisse narrandam.

Chrysostomus, super Matth. Iudaeis enim evangelium scripsit, quibus superfluum erat exponere divinitatis naturam, quam cognoscebant; necessarium autem fuit eis mysterium incarnationis ostendere. Ioannes autem cum gentibus evangelium scripsit, quae non cognoscebant si Deus filium habet; ideo necessarium fuit primum illis ostendere quia est filius Dei Deus, deinde quia carnem suscepit.

Rabanus. Cum autem parvam libri particulam teneat generatio, dixit liber generationis. Consuetudo enim haebraeorum est ut voluminibus ex eorum principiis imponant nomina, ut est genesis.

Glossa. Planior autem sensus esset: hic est liber generationis, sed hic est mos in multis, ut visio isaiae, subaudis: haec est: generationis autem singulariter dicitur, quamvis multae per ordinem replicentur, quia propter christi generationem ceterae hic indicuntur.

Chrysostomus in Matth. Vel ideo librum hunc generationis nominat, quia haec est totius dispensationis summa, et radix bonorum omnium, Deum hominem factum esse: hoc enim facto alia secundum rationem sequebantur.

Remigius. Dicit autem liber generationis iesu christi quia noverat scriptum esse: liber generationis adae; et ideo sic exorsus est, ut opponeret librum libro. Adam novum adae veteri, quia omnia per istum sunt restaurata quae per illum sunt corrupta.

Hieronymus in Matth. In isaia autem legimus: generationem eius quis enarrabit? non ergo putemus evangelistam prophetae esse contrarium, ut quod ille impossibile dixit esse effatu, hic narrare incipiat, quia

ibi de generatione divinitatis, hic de incarnatione dictum est.

Chrysostomus in Matth. Nec tamen parva aestimes te audire, hanc audiens generationem. Est enim valde auditu mirabile quod ineffabilis Deus ex muliere nasci dignatus est, et habere progenitores David et abraham.

Remigius. Si autem aliquis dixerit quia propheta de nativitate humanitatis dixit, non est respondendum ad interrogationem prophetae. Nullus generationem domini narravit, sed perrarus, quia Matthaeus et Lucas.

Rabanus. In hoc autem quod dicit iesu christi, regalem et sacerdotalem in eo exprimit dignitatem; nam iesus, qui nominis huius praesagium praetulit, primus post moysen in populo israel ducatum tenuit; aaron vero mystico consecratus unguento, primus in lege sacerdos fuit.

Augustinus de quaest. Novi et veteris testamenti. Quod autem per olei unctionem praestabat Deus illis qui in reges vel sacerdotes ungebantur, hoc praestitit spiritus sanctus homini Christo, addita expiatione: spiritus enim sanctus purificavit quod de maria virgine in corpus salvatoris profecit; et haec est unctio corporis salvatoris, quare Christus est appellatus.

Chrysostomus super Matth. Quia vero impia prudentia iudaeorum negabat iesum de David semine esse natum, subdit filii David, filii abraham. Quare autem non sufficebat dicere illum filium abrahamae solius, aut David solius? quia ad ambos de Christo nascituro ex eis promissio fuerat facta: ad abraham quidem sic: et in semine tuo benedicentur omnes gentes terrae; ad David autem ita: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Ideo ergo utriusque filium dixit, ut utriusque promissiones in Christo adimpletas ostenderet. Deinde, quia Christus tres dignitates fuerat habiturus: rex, propheta, sacerdos. Abraham propheta fuit et sacerdos, sicut Deus ad illum dicit in genesi: accipe mihi vaccam triennem; propheta autem, sicut ait dominus ad abimelech de illo: propheta est, et orabit pro te. David rex fuit et propheta; sacerdos autem non fuit. Ideo ergo amborum filius nominatus est, ut utriusque patris triplex dignitas originali iure recognosceretur in Christo.

Ambrosius super lucam. Ideo etiam duos generis auctores elegit: unum qui de cognatione populorum promissum accepit, alterum qui de generatione christi oraculum consecutus est. Et ideo, licet sit ordine successionis posterior, prior tamen describitur quia plus est, promissum accepisse de Christo, quam de ecclesia, quae est per Christum potior est enim qui salvat eo quod salvatur.

Hieronymus in Matth. Ordo etiam praeposterus, sed necessario commutatus. Si enim primum posuisset abraham, et postea David, rursus ei repetendus fuisset abraham, ut generationis series texeretur.

Chrysostomus super Matth. Altera autem ratio est, quia regni dignitas maior est quam naturae, nam etsi abraham praecedat in tempore, David praecedebat in dignitate.

Glossa. Quia vero ex hoc titulo apparet totum hunc librum conscribi de iesu Christo, necessarium est praecognoscere quid sit sentiendum de ipso, sic enim melius exponi poterunt quae in hoc libro de eo dicuntur.

Augustinus de quaest. Evang. Error autem haereticorum de Christo tribus generibus terminatur: aut de divinitate, aut de humanitate, aut de utroque falluntur.

Augustinus de haeres. Cerinthus ergo et ebion iesum Christum hominem tantum fuisse dixerunt, quos secutus paulus samosatenus, Christum non semper fuisse, sed eius initium, ex quo de maria natus est, asseverat, nec enim aliquid amplius quam hominem putat; et haec haeresis postea a photino confirmata est. Athanasius contra haeret. Ioannes autem apostolus istius insaniam longe ante spiritu sancto conspiciens, eum alto imperitiae sopore demersum suae vocis praeconio excitat, dicens: in principio erat verbum. Ei ergo quod in principio erat apud Deum non relinquatur in novissimo tempore ut originis suae ab homine principium sumpserit. Item inquit: pater, clarifica me illa gloria quam habui apud te priusquam mundus fieret. Audiat photinus eum gloriam ante principium possedissee.

Augustinus de haeres. Nestorii autem perversitas fuit ut hominem tantummodo ex beata maria virgine genitum praedicaret, quem verbum Dei non in unitatem personae, et in societatem inseparabilem recepisset; quod catholicorum aures nequaquam ferre potuerunt.

Cyrellus alex. Ad monachos aegypti. Ait enim apostolus de unigenito quod cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo. Quis est ergo ille qui est in forma Dei? aut quomodo exinanitus est, et descendit ad humilitatem secundum hominis formam? et quidem si praedicti haeretici in

duo dividentes Christum, idest in hominem et verbum, hominem dicunt sustinuisse exinanitionem, separantes ab eo Dei verbum, praeostendendum est quia in forma et in aequalitate intelligitur et fuit patris sui, ut exinanitionis sustineret modum. Sed nihil creaturarum est, si secundum propriam intelligatur naturam, in patris aequalitate quomodo ergo exinanitus dicitur, et ex qua eminentia ut esset homo descendit? aut quomodo intelligitur assumpsisse tamquam non habens in principio servi formam? sed aiunt quod verbum patri aequale existens habitavit in homine nato per mulierem: et haec exinanitio. Certe audio filium dicentem sanctis apostolis: si quis diligit me, verbum meum custodiet, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Audis quomodo in eis qui se diligunt, se et sibi cohabitare dixit Deum patrem? putas ergo, ipsum exinanitum et vacuatum dabimus et servi formam accepisse, quia in diligentium se animabus facit mansionem? quid autem spiritus habitans in nobis, putatis, et ipse humanationis dispensationem adimplet? abbas isidorus ad atributionem presbyterum. Verum ne universa annumeremus, unum, ad quod universa intendunt, dicemus quia illum qui Deus erat, humilia loqui, et dispensativum simul et utile est, et nihil inviolabili naturae praeiudicat. Eum vero qui homo est, divina et supernaturalia quaedam loqui summae praesumptionis est malum; nam regi quidem licet etiam et humiliter agere, militi vero non licet imperiales voces emittere. Si igitur Deus erat humanatus, etiam humilia locum habent; si vero homo tantum erat, excelsa non habent locum.

Augustinus de haeres. Sabellium discipulum noeti quidam perhibent, qui dicebat Christum eundem et patrem et spiritum sanctum. Athanasius contra haeret. Huius autem insanissimi furoris audaciam caelestium testimoniorum auctoritate frenabo ad demonstrandum propriae substantiae filii personam, non illa quae homini suscepto congruere cavillatur, assumens, sed illa in medium proferens testimonia, quae sine ullo ancipitis intelligentiae scrupulo divinitati eius competere omnes pariter confitentur. In genesi enim Deum dixisse legimus: faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram. Ecce pluraliter dicit faciamus, alium videlicet indicans ad quem loquentis factus est sermo. Si unus est, ad imaginem suam fecisse diceretur; nunc autem alius et alterius imaginem apertius fecisse describitur.

Glossa. Alii vero veram christi humanitatem negaverunt. Valentinus enim dixit Christum a patre missum spiritale vel caeleste corpus attulisse, nihilque assumpsisse de maria virgine, sed per illam tamquam per rivum aut fistulam sine assumpta carne transisse. Nos autem non ideo credimus natum ex maria virgine, quod aliter in vera carne existere atque hominibus apparere non posset, sed quia sic scriptum est in ea scriptura, cui nisi crediderimus, nec christiani nec salvi esse poterimus. Si autem de caelesti, vel aerea, vel humida creatura corpus assumptum vellet commutare in humanae carnis verissimam qualitatem, hoc eum potuisse facere quis negaret? .

Augustinus de haeres. Manichaei vero dixerunt, phantasma esse dominum iesum Christum, nec femineo posse nasci ex utero.

Augustinus, lib. 83 quaest. sed si phantasma fuit corpus christi, fefellit Christus; et si fallit, veritas non est. Est autem veritas Christus; non ergo phantasma fuit corpus eius.

Glossa. Et quia principium huius evangelii, et etiam evangelii secundum lucam, manifeste ostendit Christum natum ex femina, ex quo apparet vera christi humanitas, ergo utriusque evangelii principia negant.

Augustinus contra faustum. Unde faustus dicit: evangelium quidem a praedicatione christi et esse coepit et nominari, in quo ipse nusquam se natum ex hominibus dicit. At vero genealogia adeo non est evangelium, ut nec eius scriptor ausus fuerit eam evangelium nominare. Quid enim scribit? liber generationis iesu christi filii David; non ergo liber evangelii iesu christi, sed liber generationis. At vero Marcus, quia generationem scribere non curavit, sed tantum praedicationem filii Dei, quod est evangelium, vide quam competenter sit exorsus: evangelium, inquit, iesu christi filii Dei, ut hinc satis appareat genealogiam non esse evangelium; namque et in ipso Matthaeo, post inclusum ioannem in carcere, tunc legitur iesum coepisse praedicare evangelium regni. Ergo quicquid ante hoc narratur, genealogiam esse constat, non evangelium. Ad ioannem ergo et marcum me contuli, quorum mihi principia non immerito placuerunt, quia nec David nec mariam inducunt, nec ioseph. Contra quem .

Augustinus: quid ergo respondebit apostolo dicenti: memor esto iesum Christum resurrexisse a mortuis, ex semine David, secundum evangelium meum? quod autem erat apostoli pauli evangelium, hoc etiam ceterorum apostolorum et omnium fidelium; hoc enim alibi dicit: sive ego, sive illi evangelium praedicaverunt.

Augustinus de haeres. Ariani autem patrem et filium et spiritum sanctum nolunt esse unius eiusdemque substantiae, naturae, aut existentiae; sed esse filium creaturam patris, spiritum vero sanctum creaturam creaturae, hoc est, ab ipso filio creatum volunt. Christum etiam sine anima carnem suscepisse arbitrantur.

Augustinus de trinit. Sed ioannes in eo declarat filium non tantum Deum esse, sed etiam eiusdem cum

patre substantiae, quia cum dixisset: et Deus erat verbum, addidit: omnia per ipsum facta sunt. Unde apparet ipsum factum non esse, per quem facta sunt omnia; et si factus non est, creatus non est; et sic eiusdem cum patre substantiae est; omnis enim substantia quae Deus non est, creatura est.

Augustinus contra felicianum. Nescio enim quid nobis mediatoris persona contulerit, qui melius nostrum non redimens, carnem, quae sine anima nec beneficium possit sentire, suscepit. Si enim venit Christus salvum facere quod perierat, quia totus homo periit, totus beneficio salvatoris indiget; et ideo Christus veniendo, totum salvat, corpus et animam assumendo.

Augustinus lib. 83 quaest. quomodo etiam ipsi respondent tam manifestis obiectionibus ex evangelica scriptura, in qua contra eos dominus tam multa commemorat? ut est illud: tristis est anima mea usque ad mortem; et: potestatem habeo ponendi animam meam; et multa huiusmodi. Qui si dicant in parabolis eum locutum esse, habemus evangelistarum rationes, qui res gestas narrantes, sicut eum corpus habuisse testantur, sic eum indicant habere animam per affectiones quae non possunt esse nisi in anima. Eis enim narrantibus legimus: et miratus est iesus, et iratus, et multa huiusmodi.

Augustinus de haeres. Apollinaristae autem sicut ariani, Christum dixerunt carnem solam sine anima suscepisse. In qua quaestione testimoniis evangelicis victi, mentem, quae rationalis est anima hominis, defuisse animae christi, sed pro hac ipsum verbum in ea fuisse dixerunt.

Augustinus lib. 83 quaest. Sed si ita est, belluam quamdam cum figura humani corporis Dei verbum suscepisse crederetur.

Augustinus de haeres. De ipsa vero eius carne sic a recta fide dissensisse perhibentur ut dicerent carnem illam et verbum unius eiusdemque substantiae esse, contentiosissime asseverantes verbum carnem factum, hoc est; verbi aliquid in carnem fuisse mutatum atque conversum, non autem carnem de mariae carne suscepisse.

Cyrillus ad iohannem antiochenum. Furere autem arbitramur eos qui suspicati sunt, quod mutationis obumbratio circa divinam verbi naturam potest contingere: manet enim quod est semper, et non mutatur, nec conversionis est capax. **Leo** ad constantinopolitanos. Nos autem non ita dicimus Christum hominem ut aliquid ei desit quod ad humanam certum est pertinere naturam, sive animam sive mentem rationabilem, sive carnem, quae non de femina sumpta sit, sed facta de verbo in carnem converso atque mutato. Quae ter falsa apollinaristarum haeresis tres varias protulit partes. **Leo** ad palaestinos. Eutyches quoque tertium apollinaris dogma delegit, ut, negata humanae carnis atque animae veritate, totum dominum nostrum iesum Christum unius assereret esse naturae, tamquam verbi divinitas ipsa se in carnem animamque verteret, et concipi, nasci aut nutrir, et cetera huiusmodi, eius tantum essentiae fuerit, scilicet divinae, quae nihil horum in se sine carnis recepit veritate, quoniam natura unigeniti, natura est patris, natura est spiritus sancti, simul impassibilis et sempiterna. Verum si ab apollinaris perversitate haereticus iste decesserit, ne convinceretur deitatem passibilem sentire atque mortalem, et tamen verbi incarnati, id est verbi et carnis, unam audet pronuntiare naturam; non dubie in manichaei et marcionis transit insaniam, et dominum iesum Christum simultorie omnia credit egisse, nec humanum ipsum corpus, sed phantasticam corporis speciem oculis apparuisse cernentium. Idem ad iulianum. In eo vero quod eutyches in episcopali iudicio ausus est dicere ante incarnationem duas fuisse in Christo naturas, post incarnationem autem unam, necessarium fuit ut ad reddendam rationem professionis suae sollicitis interrogationibus urgeretur. Arbitror enim eum talia loquentem hoc habere persuasum quod anima quam salvator assumpsit, prius in caelis sit commorata quam de maria virgine nasceretur. Sed hoc catholicae mentes auresque non tolerant, quia nil secum dominus de caelo veniens nostrae conditionis exhibuit, nec animam eius, quae anterior extitisset, nec carnem, quae non materni corporis esset, accepit. Unde quod in origine merito damnatum est, qui animarum antequam corporibus insererentur non solum miras, sed et diversas fuisse asseruit actiones, necesse est quod in isto plectatur.

Remigius. Has igitur haereses in principio evangelii sui evangelistae destruunt, nam Matthaeus cum narrat eum duxisse originem per reges iudaeorum, verum hominem eum ostendit, et veram carnem habuisse. Similiter et Lucas, qui sacerdotalem stirpem et personam describit. Marcus autem, cum ait: initium evangelii iesu christi filii Dei, et iohannes cum ait: in principio erat verbum manifestant eum ante omnia saecula semper fuisse Deum apud Deum patrem.

MATTHAEUS 1,2

Augustinus de cons. Evang. Matthaëus evangelista ostendit generationem christi secundum carnem se suscepisse narrandam, quia genealogiam christi exorsus est. Lucas autem tamquam sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans, non ab initio evangelii sui, sed a baptismo christi generationes enarrat, ubi testimonium iohannes perhibuit dicens: ecce qui tollit peccata mundi. In generationibus etiam Matthaëi significatur nostrorum susceptio peccatorum a domino Christo. In generationibus autem lucae significatur abolitio nostrorum peccatorum ab ipso, ideo generationes christi Matthaëus descendens enarrat, Lucas autem ascendens. Humanam autem christi generationem Matthaëus descendendo describens, ab abraham generationes commemorat.

Ambrosius super lucam. Prior enim abraham meruit fidei testimonium, quia credit Deo, et reputatum est ei ad iustitiam. Ideo etiam auctor generis debuit significari, quia instaurandae ecclesiae sponsonem primus emeruit, cum dicitur: benedicentur in te omnes tribus terrae. Et iterum David delatum est quod iesus filius eius diceretur, unde huic praerogativa servatur ut ab eo generationis dominicae manaret exordium.

Chrysostomus in Matth. Evangelista igitur Matthaëus generationem dominicae carnis per seriem parentum volens commendare memoriae, ordiens a patre abraham, dicit abraham genuit isaac. Cur non dixit: ismael, quem primitus genuit? sequitur isaac autem genuit iacob. Cur non dixit: esau, qui eius primogenitus fuit? quia scilicet per illos ad David pervenire non posset.

Glossa. Omnes tamen fratres iudae, cum ipso in generatione computat, quod etiam ideo factum est, quia ismael et esau non remanserunt in cultu unius Dei; fratres vero iudae in populo sunt computati.

Chrysostomus in Matth. Vel propterea duodecim patriarcharum meminit, ut eam quae ex progenitorum nobilitate est, elationem auferret. Etenim multi horum ex ancillis nati fuerunt, sed omnes similiter erant patriarchae et tribuum principes.

Glossa. Ideo autem iudam nominatim posuit, quia de illo tantum dominus descendit. In singulis autem patribus non solum debet notari historia, sed allegoria et moralitas: allegoria quidem in quo unusquisque patrum Christum praefigurat; moralitas in hoc notatur quod ex singulis patribus in nobis aliqua virtus per significationem nominis vel exemplum aedificetur. Abraham ergo in multis locis figuram christi portat, et praeterea in nomine: abraham enim pater multarum gentium interpretatur, et Christus est pater multorum fidelium. Abraham etiam de cognatione sua exiit, et in terra aliena demoratus est, et Christus, derelicto iudaico populo, ad gentes per praedicatores suos exivit.

Chrysostomus super Matth. Isaac autem interpretatur risus. Risus autem sanctorum est, non stulta cachinnatio laborum, sed rationabile gaudium cordis, quod fuit mysterium christi. Sicut enim ille parentibus in ultima senectute donatus est laetitia suis, ut cognoscat quia non erat filius naturae, sed gratiae, sic et Christus in novissimo fine productus est a matre iudaea gaudium cunctis; sed iste per virginem, ille de anu, ambo contra spem naturae.

Remigius. Iacob supplantator interpretatur, et de Christo dicitur: supplantasti insurgentes in me subtus me. Iacob genuit iudas et fratres eius.

Chrysostomus super Matth. Et noster iacob genuit duodecim apostolos in spiritu, non in carne; verbo, non in sanguine. Iudas autem interpretatur confessor, quoniam christi erat imago, qui confessor patris erat futurus, dicens: confiteor tibi, pater, domine caeli et terrae.

Glossa. Moraliter autem abraham nobis virtutem fidei per exempla christi significat, cum de eo legatur: abraham credit Deo, et reputatum est ei ad iustitiam. Isaac significat spem, quia interpretatur risus, fuit enim gaudium parentum; spes vero similiter est gaudium nostrum, dum aeterna bona sperare facit et de eis gaudere. Abraham ergo genuit isaac quia fides generat spem. Iacob autem significat caritatem. Caritas enim amplectitur duas vitas: activam per dilectionem proximi, contemplativam per dilectionem Dei; activa per liam, contemplativa per rachel significatur. Lia enim laborans interpretatur, quia activa in labore est; rachel visum principium, quia per contemplativam principium, id est Deus, videtur. Nascitur ergo iacob de duobus parentibus, quia caritas nascitur de fide et spe; quod enim credimus et speramus, diligimus.

MATTHAEUS 1,3-5

Glossa. Praetermissis aliis filiis iacob, evangelista iudae prosequitur generationem dicens iudas autem genuit phares et zaram de thamar.

Augustinus de civit. Dei. Nec iudas primogenitus, nec istorum geminorum aliquis fuit primogenitus iudae; sed ante illos iam tres genuerat. Eos itaque tenuit in ordine generationum per quos ad David, atque inde quo intenderet, perveniret.

Hieronymus. Notandum autem in genealogia salvatoris nullam sanctarum assumi mulierum, sed eas quas scriptura reprehendit, ut qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret, unde et in sequentibus ruth moabitum ponitur.

Ambrosius super lucam. Lucas autem has declinavit, ut immaculatam sacerdotalis generis seriem declararet. Sed sancti Matthaevi consilium a rationis iustitia non abhorret, nam cum evangelizaret secundum carnem generatum esse qui omnium peccata susciperet, subiectum iniuriis, subditum passioni. Nec hoc quidem putavit exortem asserendum esse pietatis, ut maculatae quoque originis non recusaret iniuriam; simul ne puderet ecclesiam de peccatoribus congregari, cum dominus de peccatoribus nasceretur; postremo ut beneficium redemptionis etiam a suis maioribus inchoaret, ne quis putaret originis maculam impedimento posse esse virtuti, nec se insolens de sui nobilitate iactaret.

Chrysostomus in Matth. Post hoc monstratur omnes obnoxios fuisse peccatis: instat enim thamar fornicatio iudam accusans, et David a fornicaria muliere genuit salomonem. Si autem a magnis lex non est impleta, nec a minoribus; et sic omnes peccaverunt, et necessaria facta est christi praesentia.

Ambrosius super lucam. Vide autem quia non otiose Matthaeus utrumque significavit, cum phares tantummodo commemorationem causa deposceret, quia hic in utroque mysterium est. Per geminos enim gemina describitur vita populorum: una secundum legem, altera secundum fidem.

Chrysostomus super Matth. Per zaram enim significatur iudaicus populus, qui primus apparuit in luce fidei, quasi de vulva tenebrosa mundi procedens. Et ideo significatus est cocco circumcisionis, putantibus omnibus, quia ipse populus Dei erat futurus, sed posita est ante faciem eius lex, quasi sepes vel maceria. Sic ergo impeditus est populus iudaicus per legem, sed temporibus christi rupta est sepes legis, quae erat inter iudaeos et gentes, sicut ait apostolus: medium parietem maceriae solvens. Sic factum est ut gentilis per phares significatus, postquam rupta est lex per christi mandata, primus ad fidem procedat; et postea sequitur iudaicus populus. Sequitur phares autem genuit esron.

Glossa. Iudas genuit phares et zaram antequam intraret aegyptum, in quam ambo postea cum patre transierunt. In aegypto vero phares genuit esron. Esron autem genuit aram. Aram autem genuit aminadab, aminadab autem genuit naasson; et tunc moyses eduxit eos de aegypto. Naasson autem fuit dux sub moyse in tribu iuda per desertum, in quo genuit salmon. Iste salmon fuit princeps de tribu iuda, qui cum iosue terram promissionis intravit.

Chrysostomus super Matth. Quoniam autem ex aliqua causa, secundum providentiam Dei, posita horum patrum nomina credimus. Sequitur naasson autem genuit salmon. Iste salmon mortuo patre fuit princeps in tribu iuda, qui cum iosue terram promissionis intravit.

Chrysostomus super Matth. Accepit autem uxorem nomine rahab. Haec autem rahab dicitur fuisse rahab meretrix de iericho, quae suscepit exploratores filiorum israel, abscondit eos, et servavit incolumes. Cum autem salmon nobilis esset inter filios israel, quia de tribu erat iuda et quia filius principis erat, vidit rahab sic fidelem quasi magnam aliquam constitutam, meruit accipere in uxorem. Forsitan autem et ideo interpretatur salmon, quasi per ipsum nomen invitaretur a providentia Dei ut acciperet vas electionis rahab. Interpretatur enim salmon accipe vas. Sequitur salmon autem genuit booz de rahab.

Glossa. Iste salmon in terra promissionis genuit de illa rahab booz. Booz autem genuit obed ex ruth.

Chrysostomus super Matth. Quomodo autem booz accepit uxorem moabitidem nomine ruth, exponere aestimavi superfluum, cum de his scriptura sit omnibus manifesta. Hoc autem dicimus solum, quoniam ruth, pro merito fidei suae nupsit booz, quia deos patrum suorum repulit et Deum viventem elegit. Et booz pro merito fidei suae illam accepit uxorem, ut ex coniugio tali sanctificato genus nasceretur regale.

Ambrosius super luc. Quomodo autem ruth, cum esset alienigena, iudaeo nupsit, et qua ratione in christi generatione eius putaverit evangelista copulae commemorationem esse faciendam, quae legis serie moechabatur? quia ergo non de legitima salvator generatione manavit, videtur esse deforme, nisi ad

apostolicam sententiam revertatis, quia non est lex posita iustis, sed iniustis. Haec enim cum esset alienigena et moabitis, praesertim cum lex moysi prohiberet has nuptias, moabitasque excluderet ab ecclesia, quomodo introivit in ecclesiam nisi quia sancta et immaculata moribus supra legem facta est? destinationem ergo legis excessit et meruit inter maiores dominici generis computari, propter cognationem mentis electam, non corporis. Magnum autem nobis exemplum est quod in illa nostrum omnium, qui ex gentibus collecti sumus, ingrediendi in ecclesiam domini figura praecessit.

Hieronymus in epistola ad paulinum. Ruth etiam moabitis isaiiae explet vaticinium dicentis: emitte agnum, domine, dominatorem terrae, de petra deserti ad montem filiae sion. Sequitur obed autem genuit iesse.

Glossa. Iesse pater David binomius est, quia frequentius vocatus est isai. Sed quia propheta vocat eum non isai, sed iesse, dicens: egredietur virga de radice iesse ut ostenderet illam prophetiam completam in maria et in Christo, evangelista posuit iesse. Sequitur iesse autem genuit David regem.

Remigius. Sed quaerendum est quare sanctus evangelista solum David nominaverit regem, quod ideo dixit ut ostenderet eum primum fuisse regem in tribu iuda. Ipse autem Christus est phares divisor, ut est illud: dividet agnos ab haedis. Est et zaram oriens, ut est illud: ecce vir, oriens nomen eius. Est esron sagitta, ut est illud: posuit me sicut sagittam electam.

Rabanus. Vel atrium, propter abundantiam gratiae et latitudinem caritatis. Aram electus, secundum illud: ecce puer meus electus: vel excelsus, secundum illud: excelsus super omnes gentes dominus. Ipse est aminadab, id est voluntarius, qui dicit: voluntarie sacrificabo tibi. Idem est et naasson, id est augurium, qui novit praeterita, praesentia et futura. Vel serpentinus, secundum illud: moyses exaltavit serpentem in deserto: est et salmon, id est sensibilis, qui dicit: ego sensi de me virtutem exisse.

Glossa. Ipse accipit rahab, id est ecclesiam de gentibus. Rahab enim fames, vel latitudo, vel impetus, quia ecclesia gentium esurit et sitit iustitiam et impetu doctrinae philosophos et reges convertit. Ruth etiam interpretatur videns vel festinans, et significat ecclesiam, quae puro corde videt Deum et festinat ad bravium supernae vocationis.

Remigius. Est et booz in quo robur, ut est illud: cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me. Est et obed serviens, ut est illud. Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Est et iesse incensum, secundum illud: ignem veni mittere in terram. Ipse est David manu fortis, secundum illud: dominus fortis et potens; desiderabilis, secundum illud: veniet desideratus cunctis gentibus; pulcher aspectu, secundum illud: speciosus forma prae filiis hominum.

Glossa. Interim videamus quas virtutes isti patres in nobis aedificent, quia fides, spes et caritas omnium virtutum sunt fundamentum. Sequentes virtutes sunt quasi superadditiones. Iudas interpretatur confessio. Duplex est autem confessio: est altera fidei, altera peccatorum. Si ergo post tres supradictas virtutes peccatur, necessaria est non solum fidei, sed peccatorum confessio. Post iudam sequitur phares et zaram. Phares divisio, zaram oriens interpretatur, et thamar amaritudo. Confessio enim generat divisionem a vitiis, et ortum virtutum, et amaritudinem poenitentiae. Post phares sequitur esron, qui sagitta interpretatur, postquam enim aliquis divisus est a vitiis et saecularibus debet fieri sagitta, ut in aliis vitia praedicando perimat. Sequitur aram, qui interpretatur electus, vel excelsus, quia postquam aliquis a mundo remotus est, et aliis proficit, necesse est ut Deo electus, hominibus celebris, excelsus in virtutibus habeatur. Naasson interpretatur augurium, hoc autem augurium non est saeculare, sed caeleste. De hoc gloriabatur ioseph, fratribus mandans: vos detulistis scyphum domini mei, in quo augurari solebat. Scyphus est divina scriptura, ubi est potus sapientiae, in hac auguratur sapiens, quia ibi videt futura, id est caelestia. Sequitur salmon, id est sensibilis. Postquam enim aliquis studet in divina scriptura, fit sensibilis, id est discernens gustu rationis, quid bonum, quid malum, quid dulce, quid amarum. Sequitur booz, id est fortis. Instructus enim in scripturis, fit ad omnia adversa toleranda fortis.

Chrysostomus super Matth. Iste autem fortis est filius rahab, id est ecclesiae. Rahab enim interpretatur latitudo vel dilatata, quia enim ex omnibus finibus terrae vocata est ecclesia gentium, latitudo appellatur.

Rabanus. Sequitur obed, id est servitus. Non enim idoneus est ad servitutem nisi qui fortis est; quae servitus generatur ex ruth, id est festinantia. Oportet enim promptum esse servum, non pigrum.

Chrysostomus super Matth. Nunc autem qui divitias et non mores, pulchritudinem et non fidem, et quod in meretricibus quaeri solet, hoc in coniugibus optant, non generant subditos filios vel sibi vel Deo, sed contumaces et contra se et contra Deum, ut filii eorum sint poena irreligiositatis eorum. Iste obed genuit iesse, id est refrigerium, nam quicumque est subditus Deo et parentibus suis, tales filios generat, Deo praestante, a quibus refrigeratur.

Glossa. Vel iesse, id est incensum. Si enim servimus ex amore et timore, erit devotio in corde, quae ex igne et desiderio cordis suavissimum incensum offert Deo. Postquam autem aliquis idoneus est servus et sacrificium Deo factus, sequitur ut sit David, id est manu fortis qui contra hostes fortiter dimicavit et idumaeos tributarios fecit. Similiter ipse debet carnales, id est homines, verbo et exemplo Deo subiugare.

MATTHAEUS 1,6-7

3106 (Mt 1,6-7)

Glossa. Secundi quaterdenarii generationis seriem evangelista decurrit, quae a regibus continetur; et ideo a David incipit qui primus in tribu iudae regnavit, dicens David rex genuit salomonem ex ea quae fuit uriae.

Augustinus de cons. Evang. Quia enim in generationibus Matthaei significatur nostrorum susceptio peccatorum, ideo ipse a David per salomonem descendit, in cuius matre ille peccavit. Lucas vero ad David per nathan ascendit, per quem prophetam Deus peccatum illius expiavit, quia in generationibus lucae significatur abolitio peccatorum.

Augustinus in libro retract. Dicendum tamen fuit per cuius nominis prophetam, ne putaretur idem fuisse homo, cum alter fuerit, quamvis et ipse hoc nomine vocaretur.

Remigius. Quaerendum est autem quare evangelista bersabee proprio nomine non nominavit sicut ceteras mulieres. Quod ideo est quia ceterae mulieres quamvis reprehensibiles fuissent, tamen laudabiles erant virtutibus. Bersabee vero non solum fuit conscia adulterii, sed etiam homicidii mariti sui, et ideo proprio nomine eam non nominavit in genealogia domini.

Glossa. Tacet etiam nomen bersabee, ut nominando uriam, reducat ad memoriam illud maximum scelus quod in eum fecit.

Ambrosius super lucam. At vero sanctus David in eo est praecellentior quod hominem se ipse cognovit, et commissum super arrepta uriae uxore peccatum poenitentiae curavit lacrymis abluendum, ostendens nobis neminem propriae virtuti debere confidere; habemus enim adversarium magnum, qui vinci a nobis sine Dei adiutorio non possit. Et plerumque in illustribus viris gravia peccata reperies, ut quasi homines tentationi potuisse succumbere cognoscas, ne virtutibus egregiis plusquam homines crederentur.

Chrysostomus super Matth. Salomon autem interpretatur pacificus, quoniam omnibus in circuitu gentibus pacificatis et tributa reddentibus pacificum habuit regnum. Salomon autem genuit roboam. Roboam interpretatur a multitudine populi. Multitudo enim mater est seditionis, quia quod a pluribus peccatur, plerumque manet invindicabile. Paucitas autem magistra est disciplinae.

MATTHAEUS 1,8-11

3108 (Mt 1,8-11)

Hieronymus. In quarto autem regum volumine legimus de ioram ochoziam fuisse generatum. Quo mortuo, iosabeth filia ioram regis, soror ochoziae, tulit ioas filium fratris sui, et eum interneconi, quae exercebatur ab athalia, subtraxit. Cui successit in regnum filius eius amasias. Post quem regnavit filius eius azarias, qui appellatur ozias, cui successit ioatham filius eius. Cernis ergo quod, secundum fidem historiae, tres reges in medio fuerunt, quos evangelista praetermisit. Ioram quoque non genuit oziam, sed ochoziam et reliquos quos numeravimus. Verum quia evangelistae propositum erat tessaradecades in diverso temporis statu ponere, et quia ioram generi se miscuerat impiissimae iezabelis, idcirco usque ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in sanctae nativitate ordine poneretur.

Hilarius in Matth. Purgata vero labe familiae gentilis, iam regalis in quarta generationum consequentium origo numeratur.

Chrysostomus super Matth. Quod spiritus sanctus per prophetam contestatus est, dicens ut dispergeret omnem masculinum de domo achab et iezabel, implevit iehu filius nansi, et accepit promissionem, ut usque ad quartam generationem sedeant filii eius in sede regni supra israel. Quanta ergo benedictio facta est super domum achab, tanta maledictio facta est super domum ioram propter filiam iniqui achab et iezabel, ut

usque ad quartam generationem praecedantur filii eius de regum numero, et sic peccatum eius descendit in filios eius, sicut fuerat scriptum: reddam peccata patrum in filios, usque ad tertiam et quartam generationem. Videte ergo quam periculosum est inire coniugia ex genere impiorum.

Augustinus de quaest. Novi et vet. Testamenti. Vel non immerito sublatis sunt de numero ceterorum ochozias, ioas et amasias. Sic enim eorum continuavit impietas, ut nullum intervallum haberet. Salomon autem merito patris dimissus in regno est; roboam autem merito filii; illi autem tres maligne agentes erasi sunt. Ad perditionem enim generis exemplum est quando iugiter malignitas panditur. Sequitur ozias autem genuit ioatham. Ioatham autem genuit achaz. Achaz autem genuit Ezechiam.

Glossa. Cui, cum esset sine liberis, dictum est: dispone domui tuae, quia morieris. Ideo fleuit non propter longiorem vitam, cum sciret inde salomonem placuisse Deo, quod non petisset ampliores annos, sed quia dubitabat ne promissio Dei impleretur, cum se sciret esse de David, per quem oportebat venire Christum, et ipse erat sine liberis. Sequitur Ezechias autem genuit manassen. Manasses autem genuit amon. Amon autem genuit iosiam. Iosias autem genuit iechoniam et fratres eius in transmigratioe babylonis.

Chrysostomus super Matth. Sed non sic positum est in libro regum, ubi talis est ordo: iosias genuit eliacim, postea vocatum loakim; loakim autem genuit iechoniam. Sed loakim sublatus est de numero regum, quia non populus Dei constituerat eum in regnum, sed pharao per potentatum. Si enim iustum fuit ut propter solam commixtionem generis achab tollerentur tres reges de numero regum, quare non erat iustum ut similiter tolleretur loakim, quem pharao vi hostili fecerat regem? et sic iechonias, qui est filius loakim, nepos autem iosiae, sublato patre de numero regum, ipse est positus pro eo, quasi filius iosiae.

Hieronymus. Vel aliter. Sciamus iechoniam priorem ipsum esse qui loakim, secundum autem filium, non patrem: quorum primus per k et m, secundus per ch et n scribitur. Quod scriptorum vitio et longitudine temporum apud graecos latinosque confusum est.

Ambrosius super lucam. Duos enim fuisse loakim regnorum libri indicant, sic enim scriptum est: dormivit loakim cum patribus eius, et regnavit ioachin filius eius pro eo. Filius autem est cui ieremias nomen imposuit iechoniam. Et bene s. Matthaeus a propheta voluit discrepare, ut non ioachin et iechoniam vocaret simul, quia maiorem fructum dominicae pietatis astruxit. Generis enim nobilitatem dominus in hominibus non requisivit, sed de captivis et peccatoribus congrue nasci voluit qui remissionem veniebat praedicare captivis. Non igitur suppressit alterum evangelista, sed utrumque significavit quod uterque iechonias dictus sit.

Remigius. Sed quaeri potest quare dicat evangelista eos natos in transmigratioe, cum nati fuissent antequam transmigratio fuerit facta. Ideo autem dicit hoc quia ad hoc nati sunt ut de regno totius populi pro suis et aliorum peccatis captivi ducerentur. Et quia praescius erat Deus eos esse ducendos captivos, idcirco dixit eos natos in transmigratioe. De his autem quos sanctus evangelista in genealogia domini simul ponit, sciendum quia aut similes fuerunt fama aut infamia: iudas et fratres eius laudabiles fuerunt fama; similiter phares et zara, iechonias et fratres eius notabiles fuerunt infamia.

Glossa. Mystice autem David est Christus, qui goliam, id est diabolum, superavit. Urias autem, id est lux mea Deus, est diabolus, qui dicit. Similis ero altissimo; cui ecclesiam coniugatam Christus de solaro paterna maiestatis adamavit, et pulchram factam sibi matrimonio copulavit. Vel urias, id est iudaicus populus, qui per legem de luce gloriatur. Sed huic Christus legem abstulit, quam de se loqui docuit. Bersabee autem est puteus satietatis, id est abundantia gratiae spiritualis.

Remigius. Vel bersabee interpretatur puteus septimus, sive puteus iuramenti, per quod significatur fons baptismatis, in quo datur donum spiritus septiformis et fit ibi adiuratio contra diabolum. Est et Christus salomon pacificus, secundum illud apostoli: ipse est pax nostra. Est roboam latitudo populi, secundum illud: multi venient ab oriente et ab occidente.

Rabanus. Vel impetus populi, quia velociter populus convertit ad fidem.

Remigius. Ipse est abias, id est pater dominus, secundum illud: unus est pater vester qui in caelis est; et iterum: vos vocatis me magister et domine. Est et asa, id est attollens, secundum illud: qui tollit peccata mundi. Est et iosaphat, id est iudicans, secundum illud: pater omne iudicium dedit filio. Est et ioram, id est excelsus, secundum illud: nemo ascendit in caelum, nisi qui de caelo descendit. Est et ozias, id est robustus domini, secundum illud: fortitudo mea et laus mea dominus. Est et ioatham consummatus vel perfectus, secundum illud apostoli: finis legis, Christus. Est et achaz convertens, secundum illud: convertimini ad me.

Rabanus. Vel comprehendens, quia nemo novit patrem nisi filius.

Remigius. Est et Ezechias fortis dominus vel dominus confortavit, secundum illud: confidite, ego vici mundum. Ipse est manasses obliviosus sive oblitus, secundum illud: peccatorum vestrorum non recordabor amplius. Est et amon fidelis, secundum illud: fidelis dominus in omnibus verbis suis. Est et iosias, ubi est incensum domini, secundum illud: factus in agonia, prolixius orabat.

Rabanus. Quod vero incensum orationem significat, psalmista testatur dicens: dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Vel domini salus, secundum illud: salus autem mea in sempiternum erit.

Remigius. Ipse iechonias praeparans, vel domini praeparatio, secundum illud: si abiero, et praeparavero locum.

Glossa. Moraliter autem post David sequitur salomon, qui interpretatur pacificus. Tunc enim aliquis fit pacificus, motibus sedatis illicitis, et quasi iam in aeterna tranquillitate positus, cum Deo servit et alios ad eum convertit. Sequitur roboam, id est populi latitudo: postquam enim non habet quod in se vincat, amplecti alios debet et late populum Dei ad superna trahere secum. Sequitur abias, id est pater dominus: his enim praemissis potest se profiteri filium Dei, et tunc esse asa, id est attollens, ut de virtute in virtutem ad patrem suum ascendat; et tunc erit iosaphat, id est iudicans, ut alios iudicet et a nemine iudicetur. Ita fit ioram, id est excelsus, quasi in caelestibus habitans; unde efficitur ozias, id est robustus domini, quasi robur suum Deo attribuens et in suo proposito perseverans. Et sequitur ioathan, id est perfectus, quia quotidie in maius proficit. Et sic fit achaz, id est comprehendens: ex operatione enim augmentatur agnitio, secundum illud: annuntiaverunt opera Dei, et facta eius intellexerunt. Sequitur Ezechias, id est fortis dominus, quia Deum fortem esse intelligit; et ideo in amorem eius conversus fit manasses, id est obliviosus, temporalia tradens oblivioni; et ex hoc fit amon, id est fidelis: qui enim temporalia contemnit, neminem in re sua defraudat. Et fit iosias, id est salutem domini secure expectans: iosias enim salus domini interpretatur.

MATTHAEUS 1,12-15

3112 (Mt 1,12-15)

Chrysostomus super Matth. Post transmigrationem inter privatas personas primo ponit iechoniam quasi privatum et ipsum.

Ambrosius super lucam. De quo ieremias dicit: scribe virum istum abdicatum: quia non exsurget ex semine eius sedens in throno David. Quomodo autem ex semine iechoniae nullus regnaturus dicitur per prophetam? si enim Christus regnavit, ex semine autem iechoniae Christus est, propheta mentitus est. Sed illic futuros ex semine iechoniae non negatur; et ideo de semine eius Christus est; et quod regnaverit Christus, non contra prophetam est: non enim saeculari honore regnavit; ipse enim dixit: regnum meum non est de hoc mundo. Iechonias autem genuit salathiel.

Chrysostomus super Matth. De salathiel quidem nihil legimus vel boni vel mali; tamen putamus sanctum eum fuisse, et in captivitate assidue Deum petiisse pro ipsa calamitate quae contigerat israel: ideo petitionem Dei eum appellatum fuisse; interpretatur enim petitio Dei. Salathiel autem genuit zorobabel, qui interpretatur fluitio postposita, vel ex commixtione, vel hic doctor babylooniae. Legi (si verum est nescio). Quia sacerdotale et regale genus mixtum est in zorobabel. Propter istum autem reversi sunt filii israel in terram propriam quia cum contenderent tres pro sua sententia, vicit zorobabel, et pronuntiata est omnibus fortior veritas esse; propter quod darius concessit ei filios israel redire in sua; et ideo recte secundum providentiam Dei nominatus est zorobabel, id est doctor babylooniae. Quae enim maior doctrina quam ostendere veritatem dominatricem esse omnium rerum? **Glossa.** Sed hoc videtur esse contrarium generationi quae legitur in paralipomenon. Dicitur enim ibi iechonias genuisse salathiel et phadaia, et phadaia zorobabel, et zorobabel mosollam, ananiam et salamith sororem eorum. Sed scimus multa in paralipomenon vitio scriptorum depravata. Unde multae et indeterminatae genealogiarum veniunt quaestiones, quas iubet apostolus evitari. Vel potest dici salathiel et phadaia eundem esse, quasi binomium. Vel salathiel et phadaia fratres esse, et filios eiusdem nominis habuisse; et historiographum secutum fuisse generationem zorobabel filii salathiel. De abiud usque ad ioseph nulla historia invenitur in paralipomenon; sed alii multi annales leguntur fuisse apud hebraeos, qui dicebantur verba dierum, de quibus herodes rex alienigena dicitur multos combussisse ut ordo regiae stirpis confunderetur. Et forsitan ioseph nomina parentum ibi legerat, vel alio quoquo modo retinuerat. Unde evangelista seriem istius generationis poterat scire. Notandum tamen, quod prior iechonias domini resurrectio, sequens domini praeparatio dicitur. Utrumque autem convenit domino Christo, qui dicit: ego sum resurrectio et vita; et: vado parare vobis locum. Salathiel, id est petitio mea Deus, illi convenit qui dicit: pater sancte, serva illos quos

dedisti mihi.

Remigius. Est et zorobabel, idest magister confusionis, secundum illud: magister vester cum publicanis et peccatoribus manducat. Ipse est abiud, idest pater meus iste, secundum illud: ego et pater unum sumus. Est et eliacim, idest Deus resuscitans, secundum illud: resuscitabo eum in novissimo die. Est et azor, idest adiutus, secundum illud: qui me misit, mecum est. Ipse est et sadoch iustus, sive iustificatus, secundum illud: traditus iustus pro iniustis. Est et achim, idest frater meus iste, secundum illud: qui fecerit voluntatem patris mei, hic meus frater est. Est etiam eliud, idest Deus meus iste, secundum illud: Deus meus et dominus meus.

Glossa. Est et eleazar, idest Deus meus adiutor, secundum illud: Deus meus adiutor meus. Est et mathan, idest donans vel donatus, secundum illud: dedit dona hominibus et: sic Deus dilexit mundum ut filium suum daret unigenitum.

Remigius. Est et iacob supplantans, quia non solum ipse supplantavit diabolum, sed et huius potestatem suis fidelibus dedit, secundum illud: ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes. Est et ioseph, idest apponens, secundum illud: ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant.

Rabanus. Sed videamus quid moraliter isti patres significant: quia post iechoniam, qui dicitur praeparatio domini, sequitur salathiel, idest petitio mea Deus; qui enim praeparatus est non petit nisi solum Deum. Sed iterum fit zorobabel, idest magister babylonis, scilicet terrenorum hominum, quos facit cognoscere de Deo quod pater est, quod sonat abiud; et tunc ille populus resurgit a vitis: unde sequitur eliacim, qui resurrectio interpretatur. Et idem ad bene operandum adiutus, quod sonat azor, fit sadoch, idest iustus; et tunc dicit fidelis dilectionem proximi. Ipse est frater meus, quod sonat achim; et per dilectionem Dei dicit Deus meus, quod sonat eliud. Et sequitur eleazar, idest Deus meus adiutor, quia recognoscit Deum suum adiutorem. Ad quid autem tendit, ostendit mathan, qui dicitur donum vel donans: expectat enim Deum datorem; et sicut luctatus est in principio et vitia supplantavit, sic et in fine vitae, quod ad iacob pertinet; et sic pervenitur ad ioseph, idest ad augmentum virtutum.

MATTHAEUS 1,16

3116 (Mt 1,16)

Glossa. Post omnes generationes patrum ponit ultimo generationem ioseph viri mariae, propter quam omnes aliae introducuntur, dicens iacob autem genuit ioseph.

Hieronymus. Hunc locum obiicit nobis iulianus augustus de dissonantia evangelistarum: cur Matthaeus ioseph filium dixit iacob, et Lucas filium eum appellaverit heli; non intelligens consuetudinem scripturarum, quod alter secundum naturam, alter secundum legem ei pater sit. Scimus enim hoc per moysen Deo iubente praeceptum, ut si frater aut propinquus absque liberis mortuus fuerit, alius eius accipiat uxorem ad suscitandum semen fratris vel propinqui sui. Super hoc africanus, temporum scriptor, et eusebius caesariensis plenius disputaverunt. Ex historia autem ecclesiastica. Mathan enim et melchi diversis temporibus ex una eademque uxore iescha nomine singulos filios procrearunt. Quia mathan per salomonem descendit, uxorem eam primum ceperat, et relicto filio uno iacob nomine, defunctus est. Post cuius obitum, quoniam lex viduam alii viro non vetat nubere, melchi, qui per mathan genus ducit, cum esset ex eadem tribu, sed non ex eodem genere, relictam mathan accepit uxorem, ex qua ipse suscepit filium nomine heli, per quos ex diverso patrum genere efficiuntur iacob et heli uterini fratres; quorum alter, idest iacob, fratris heli sine liberis defuncti uxorem ex mandato legis accipiens, genuit ioseph, natura quidem generis suum filium; propter quod et scribitur iacob autem genuit ioseph. Secundum legis vero praeceptum, heli efficitur filius iacob quia frater erat et ad suscitandum fratris semen acceperat uxorem eius. Et per hoc recta invenitur atque integra generatio et ea quam Matthaeus enumerat et ea quam Lucas, qui legalem successionem, quae velut adoptione quadam erga defunctos constat, competenti satis per hoc designavit indicio, observans ne in huiusmodi successionibus genuisse aliquem nominaret.

Augustinus de cons. Evang. Commodius enim filius eius dictus est a quo fuerat adoptatus, quam si diceretur ab illo genitus cuius carne non erat natus. Matthaeus autem dicens abraham genuit isaac, et in hoc perseverans donec diceret iacob genuit ioseph, satis expressit eum patrem produxisse secundum ordinem generationum a quo ioseph non adoptatus, sed genitus erat. Quamquam si etiam Lucas genitum diceret ioseph ab heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet; neque enim absurde quisquam dicitur non carne sed caritate genuisse quem sibi filium adoptaverit. Ex historia eccles. Haec autem non nobis ad lubitum reperta aut absque ullis auctoribus commentata sunt, sed ipsi salvatoris nostri secundum carnem

propinqui, seu studio tanti seminis demonstrandi, seu edocendi quae secundum veritatem gesta sunt, haec tradiderunt.

Augustinus de cons. Evang. Merito autem Lucas, qui non ab initio evangelii sui sed a baptismo christi generationes enarrat tamquam sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans, adoptionis originem ipse suscipit, quia per adoptionem efficitur filii Dei credendo in filium Dei. Per carnalem vero generationem, quam Matthaeus prosequitur, filius Dei potius propter nos homo factus est. Satis autem ostendit Lucas se dixisse ioseph filium heli, quod illi fuerit adoptatus, cum adam filium dixerit Dei per gratiam, quam postea peccando amisit, tamquam filius in paradiso constitutus sit.

Chrysostomus in Matth. Positis igitur progenitoribus universis et finiens in ioseph, addit virum mariae, monstrans quod propter illam et hunc in genealogia posuit.

Hieronymus. Cum autem virum audieris, tibi suspicio non subeat nuptiarum; sed recordare consuetudinis scripturarum, quod sponsae uxores, et sponsi viri vocantur. Gennadius de ecclesiasticis dogmatibus. Natus est autem Dei filius ex homine, idest ex maria, et non per hominem, idest ex viri coitu, sicut ebion dicit; unde signanter subdit de qua natus est iesus.

Augustinus de haeres. Quod est contra valentinum, qui dixit Christum nihil assumpsisse de virgine, sed per illam tamquam per rivum aut fistulam pertransisse.

Augustinus contra faustum. Cur autem carnem ex utero feminae assumere voluerit, summa consilii penes ipsum est: sive quod utrumque sexum hoc modo honorandum iudicavit assumendo formam viri et nascendo de femina, sive aliqua alia causa quam non temere dixerim.

Augustinus de quaest. Novi et vet. Testam. Quod autem per olei unctionem praestabat Deus his qui in reges ungebantur, hoc praestitit spiritus sanctus homini Christo addita expiatione; quare natus, Christus est appellatus; et hoc est quod dicitur qui vocatur Christus.

Augustinus de cons. Evang. Non tamen erat fas ut eum ob hoc a coniugio mariae separandum putaret quod non ex eius concubitu, sed virgo peperit Christum; hoc enim exemplo magnifice insinuat fidelibus coniugatis et servata pari consensu continentia, posse permanere coniugium non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu; praesertim quia nasci eis filius potuit sine ullo complexu carnali.

Augustinus de nupt. Et conc. Omne autem nuptiarum bonum impletum est in illis parentibus christi: fides, proles et sacramentum; prolem cognoscimus ipsum dominum, fidem quia nullum adulterium, sacramentum quia nullum divortium.

Hieronymus. Quaerat autem diligens lector, et dicat: cum ioseph non sit pater domini salvatoris, quid pertinet ad dominum generationis ordo deductus usque ad ioseph? cui respondebimus primo, non esse consuetudinis scripturarum ut mulierum in generationibus ordo texatur, deinde ex una tribu fuisse ioseph et mariam unde ex lege eam accipere cogebatur ut propinquam et quod simul censentur in bethlehem, ut de una videlicet stirpe generati.

Augustinus de nupt. Et conc. Fuit et series generationis usque ad ioseph producenda ne in illo coniugio virili sexui, utique potiori, fieret iniuria, cum veritati nihil deperiret quia ex semine David erat maria.

Augustinus contra faustum. Nos ergo credimus etiam mariam fuisse in cognatione David quia eis scripturis credimus quae utrumque dicunt: et Christum ex semine David secundum carnem, et eius matrem mariam, non cum viro concumbendo, sed virginem. Concilium ephesinum. Cavendus autem est hic nestorii error qui sic dicit: cum divina scriptura dictura est aut nativatem christi, quae ex maria virgine est, aut mortem, nusquam videtur ponens Deus, sed aut Christus aut filius aut dominus, quoniam haec tria naturarum significativa duarum: aliquando quidem huius, aliquando vero illius, aliquando autem et illius et istius. Accipe autem ad hoc testimonium: iacob genuit ioseph virum mariae, de qua natus est iesus qui dicitur Christus. Deus enim verbum secunda ex muliere non eguit nativitate.

Augustinus contra felicianum. Sed non alius Dei et alius hominis, sed idem Christus Dei et hominis filius fuit. Et sicut in uno homine aliud animus et aliud corpus, sic in mediatore Dei et hominum aliud Dei filius, aliud hominis filius fuit, unus tamen ex utroque Christus dominus fuit. Aliud, inquam, pro discretione substantiae, non alius pro unitate personae. Sed obiicit haereticus: nescio quomodo natum doceatis ex tempore quem coaeternum patri dicitis iam fuisse. Nasci enim est velut quidam motus rei non extantis antequam nascatur, id agens beneficio nativitatis ut sit. Quo colligitur, eum qui erat nasci non potuisse, et si nasci potuit, non fuisse. Ad quod respondetur ab augustino. Fingamus, sicut plerique volunt, esse in mundo

animam generalem quae sic ineffabili motu semina cuncta vivificet ut non sit concreta cum genitis; nempe cum haec in uterum passibilem materiam ad usus suos formatura pervenerit, unam facit secum esse personam eius rei, quam non eandem constat habere substantiam; et fit, operante anima et patiente materia, ex duabus substantiis unus homo, cum anima aliud doceatur esse, aliud caro. Sicque animam nasci fatemur ex utero, quam ad uterum venientem vitam dicimus contulisse concepto. Nasci, inquam, ex matre dicitur qui ex hac sibi corpus aptavit in quo nasci posset, non quia antequam nasceretur, quantum ad se attinet, ipsa penitus non fuisset. Sic ergo, immo multo incomprehensibilis atque sublimius, natus est susceptione perfecti hominis de matre filius Dei, qui per omnipotentiam singularem omnibus genitis est causa nascendi.

MATTHAEUS 1,17

3117 (Mt 1,17)

Chrysostomus super Matth. Positis generationibus ab abraham usque ad Christum, eas in tres partes divisit per generationes quatuordecim quia ter completis quatuordecim generationibus mutatus est in iudaeis status hominum. Ab abraham enim usque ad David fuerunt sub iudicibus, a David usque ad transmigracionem babylonis sub regibus, a transmigracione usque ad Christum sub pontificibus. Hoc ergo vult demonstrare: sicut semper completis quatuordecim generationibus mutatus est hominum status, sic completis quatuordecim generationibus a transmigracione ad Christum necesse est a Christo mutari similiter hominum statum; quod et factum est. Post Christum enim omnes gentes sub uno Christo iudice, rege et pontifice factae sunt; unde quando iudices, reges et pontifices christi dignitatem praefigurabant, semper principia eorum in figura fuerunt christi: primus iudicum iesus nave, primus regum David, primus pontificum iesus filius iosedech. Hoc in figura christi fuisse, dubitat nemo.

Chrysostomus in Matth. Vel ideo in tres partes divisit omnes generationes demonstrans quod neque regimine transmutato facti sunt meliores, sed sub iudicibus, regibus, pontificibus et sacerdotibus in eisdem permanserunt malis; propter quod et captivitatem babylonis commemorat manifestans quod neque ex hoc sunt correcti. Descensus autem in aegyptum non meminit quia aegyptios non timebant sicut babylonios vel assyrios, et quia illud erat antiquum, hoc autem recens et quia illuc non propter peccata deducti fuerant sicut in babylonem.

Ambrosius super lucam. Illud autem non praetermittendum putamus quod a David temporibus usque ad iechoniam, cum septemdecim fuerint reges iudaeae, quatuordecim generationes Matthaeus posuit. Oportet autem cognoscere, posse plures esse successiones, pauciores generationes; possunt enim diutius vivere aliqui et serius generare, aut certe penitus exortes generationis existere; itaque non quae regum, eadem generationum tempora.

Glossa. Vel potest dici tres reges esse praetermissos, ut superius dictum est.

Ambrosius super lucam. Rursus ergo cum a iechonia usque ad ioseph generationes duodecim computentur, postea quatuordecim generationes descriptas esse commemoravit. Sed si diligenter advertas, hic quoque quatuordecim generationum poteris invenire rationem. Duodecim enim a ioseph numerantur, tertiadecima est Christus; duos autem ioakim, idest duos iechonias fuisse historia indicat, patrem et filium. Non igitur suppressit alterum evangelista, sed utrumque significat. Ita, addito minori iechonia, generationes quatuordecim computantur.

Chrysostomus super Matth. Vel unus iechonias bis numeratur in evangelio, semel ante transmigracionem, iterum autem post transmigracionem. Hic enim iechonias, cum esset unus, duas habuit condiciones: fuit enim et rex ante transmigracionem, quasi rex factus a populo Dei; factus est et privatus post transmigracionem. Ideo ante transmigracionem numeratur inter reges quasi rex, post transmigracionem autem inter privatos.

Augustinus de cons. Evang. Vel ideo unus in illis progenitoribus bis numeratur, idest iechonias, a quo facta est quaedam in extraneas gentes deflexio quoniam in babyloniam transmigratus est. Ubi autem ordo a rectitudine flectitur ut eat in diversum, tamquam angulum facit; illud autem quod in angulo est bis numeratur. Et hic iam Christum praefigurat a circumcissione ad praeputium migraturum, et lapidem angularem futurum.

Remigius. Ideo autem quatuordecim posuit generationes quia denarius significat decalogum, quaternarius vero quatuor libros evangelii; unde in hoc ostendit concordiam legis et evangelii. Ideo etiam quaterdenarium numerum triplicavit, ut ostenderet quia perfectio legis, prophetiae et gratiae, in fide sanctae trinitatis consistit.

Glossa. Vel in hoc numero septiformis gratia spiritus sancti significatur; hic enim numerus ex septem conficitur; quod autem geminatur significat gratiam spiritus sancti corpori et animae esse necessariam ad salutem. Sic ergo haec generatio dividitur in tres tessaradecades: prima est ab abraham usque ad David, ita quod David ibi includitur; sed secunda a David usque ad transmigrationem, ita quod David ibi non includitur, sed transmigratio sub eo continetur; tertia est a transmigratioe usque ad Christum, in qua si dicamus iechoniam bis numeratum, transmigratio inclusa est. In prima significantur homines ante legem, in qua quosdam homines naturalis legis invenies, scilicet abraham, isaac et iacob, usque ad salomonem; in secunda significantur homines sub lege: omnes enim qui in ea inveniuntur sub lege fuerunt; in tertia homines gratiae quia terminatur ad Christum qui gratiae dator fuit, in qua etiam liberatio a captivitate babyloniae facta est significans liberationem a captivitate per Christum factam.

Augustinus de cons. Evang. Cum autem quaterdenas generationes tribus distinxisset articulis, non tamen eas dixit in summa, ut diceret: fiunt omnes quadraginta et duae. Unus enim in illis progenitoribus bis numeratur, scilicet iechonias; sic ergo non quadraginta et duae, quod faciunt ter quatuordecim, sed propter unam bis numeratam quadraginta et una generationes fiunt. Matthaeus igitur, qui regiam in Christo constituerat insinuare personam, excepto Christo quadraginta homines in generationum serie numeravit. Numerus enim iste illud tempus significat quo in hoc saeculo regi nos oportet a Christo, secundum disciplinam laboriosam, quam significat illa virga ferrea de qua in psalmis legitur: reges eos in virga ferrea. Quod autem numerus iste hanc temporalem vitam aeternamque significet, illa interim causa de proximo occurrit, quod et tempora annorum quadripartitis vicibus currunt, et mundus ipse quatuor partibus terminatur, ab oriente et occidente, aquilone et meridie. Quadraginta autem quatuor habent decem. Porro ipsa decem ab uno usque ad quatuor progrediente numero consummantur.

Glossa. Vel denarius ad decalogum refertur, quaternarius ad praesentem vitam quae per quatuor tempora transit; vel per decem vetus testamentum, per quatuor novum.

Remigius. Si quis autem voluerit dicere quod sunt quadraginta et duae generationes, quia non est unus iechonias, sed duo, dicendum est quod et iste numerus congruit sanctae ecclesiae; nascitur enim a septenario et senario: nam sexies septem quadraginta et duo faciunt. Senarius refertur ad laborem, septenarius vero ad requiem.

MATTHAEUS 1,18

3118 (Mt 1,18)

Chrysostomus super Matth. Quoniam superius dixerat iacob autem genuit ioseph cui desponsata maria genuit iesum, ne aliquis audientium sic aestimaret esse nativitatem quomodo praecedentium patrum, ipse ordinem narrationis suae praecidens dicit christi autem generatio sic erat, ac si dicat: generatio quidem eorum quos exposuimus patrum sic fuit quemadmodum retuli; christi autem generatio non sic, sed ita erat: cum esset desponsata mater.

Chrysostomus in Matth. Quasi enim aliquid novum dicturus praemittit modum generationis dicere, ne audiens virum mariae aestimes natum esse lege naturae.

Remigius. Potest autem ad superiora referri hoc modo: sic erat christi generatio sicut dixi; idest: abraham genuit isaac.

Hieronymus. Sed quare non de simplici virgine, sed de desponsata concipitur? primum, ut per generationem ioseph origo mariae monstraretur; secundo, ne lapidaretur a iudaeis ut adultera; tertio, ut in aegyptum fugiens haberet solatium mariti. Martyr etiam ignatius quartam addit causam: ut partus, inquit, eius celaretur diabolo, dum eum putat non de virgine, sed de uxore generatum.

Chrysostomus super Matth. Ideo autem et desponsata et domi habitata: nam quemadmodum in ea quae in domo viri concipit, intelligitur conceptio naturalis, ita in ea quae extra domum concepit, est suspecta coniunctio.

Hieronymus contra helvidium. Sciendum autem quod helvidius, quidam homo turbulentus, accepta materia disputandi, blasphemare contra Dei matrem incepit; cuius prima propositio fuit: Matthaeus loquitur sic: cum esset desponsata. Ecce, inquit, habes desponsatam, non commendatam, ut dicitis; et utique non ob aliud desponsatam nisi quoniam nupturam. **Origenes.** Desponsata fuit quidem ioseph, non tamen in

concupiscentia iuncta. Mater eius, inquit, mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta. Mater eius; cuius eius? mater est Dei, unigeniti, domini, regis, omnium plasmatoris et redemptoris cunctorum.

Cyrillus ad iohannem antioch. Quid enim videbit aliquis in sancta virgine praeter alias? si Dei mater non sit, sed christi vel domini, ut nestorius dicit, nihil enim absurdum est etiam si voluerit quis matrem uniuscuiusque unctorum christi nominare genitricem. Sola vero praeter illas sancta virgo et christi genitrix intelligitur ac dicitur. Genuit enim non purum hominem, secundum vos, sed incarnatum potius, et hominem factum ex Deo patre verbum. Sed forsitan illud ais: dic mihi, putasne divinitatis mater facta est virgo? et ad hoc quoque dicimus quia natum est ex ipsa Dei substantia eius verbum et sine principio temporis semper coexistens genitori; in novissimis autem temporibus, quoniam caro factum est, hoc est unitum carni animam habenti rationalem, natum etiam dicitur carnaliter per mulierem. Assimilatur autem quodammodo nativitati quae est secundum nos, hoc sacramentum; matres etenim terrenorum ministrant naturae coagulatam paulatim carnem perficiendam in specie humana. Immittit autem animali spiritum Deus. Sed licet sint istae solummodo terrenorum corporum matres, attamen parientes, totum animal et non partem peperisse dicuntur. Tale autem aliquid gestum percipimus in generatione emmanuel; natum enim est ex patris substantia Dei verbum; quia vero carnem assumpsit propriam eam faciens, necessarium est confiteri quia natus est secundum carnem per mulierem. Quia igitur et Deus vere est, quomodo dubitabit quispiam sanctam virginem Dei dicere genitricem? leo papa in sermone de nativ. Non autem te Dei conceptus turbet, partus te non confundat auditus, quando virginitas quicquid est humani pudoris excusat. Aut quae hic verecundiae laesio, ubi iniit deitas cum amica sibi semper integritate consortium, ubi est interpretes angelus, fides pronuba, dispensatio castitas, donatio virtus, iudex conscientia, causa Deus, conceptio integritas, virginitas partus, virgo mater? **Cyrillus** ad iohannem antioch. Sed si de caelo et non ex ipsa sanctum corpus christi factum esse diceremus, ut valentinus, quomodo intelligeretur Dei genitrix maria? nomen autem matris ostendit cum subdit maria.

Beda super lucam. Interpretatur autem maria stella maris hebraice, domina syriace, quia et lucem salutis et dominum mundo edidit. Cui autem desponsata fuerit ostendit subdens ioseph.

Chrysostomus super Matth. Ideoque fabro lignario maria desponsata erat, quoniam Christus ecclesiae sponsus omnium salutem hominum operaturus erat per lignum crucis.

Chrysostomus in Matth. Quod autem sequitur antequam convenirent, non dicitur: antequam duceretur in domum sponsi; etenim iam intus erat. Consuetudo enim multoties veteribus erat in domo desponsatas habere, quod et nunc quoque fieri videtur, et generi lot intus cum ipso erant.

Glossa. Sed dicitur antequam convenirent ad carnis commixtionem.

Chrysostomus super Matth. Ut non ex compassione carnis et sanguinis nasceretur, qui ideo natus est ut carnis et sanguinis solveret passionem.

Augustinus de nupt. Et concup. Nuptialis etiam concubitus ibi non fuit quia in carne peccati fieri non poterat sine ulla carnis concupiscentia quae accidit ex peccato, sine qua concipi voluit qui futurus erat sine peccato, ut hinc etiam doceret omnem quae de concubitu nascitur, carnem esse peccati; quandoquidem sola, quae non inde nata est, non fuit caro peccati.

Augustinus in sermone 6 de nativ. Nascitur etiam ab intacta femina Christus quia fas non erat ut virtus per voluptatem, castitas per luxuriam, per corruptionem incorruptio nasceretur. Nec poterat nisi novo ordine adventare de caelo qui vetustum mortis destruere veniebat imperium. Regnum igitur tenuit virginitatis quae regem genuit castitatis. Ideo etiam dominus noster virgineum sibi requisivit hospitium habitandi, ut nobis ostenderet Deum in casto corpore portari debere. Ergo qui scripsit lapideas tabulas sine stylo ferreo, ipse gravidavit mariam spiritu sancto; unde dicitur inventa est in utero habens de spiritu sancto.

Hieronymus. Non ab alio inventa est nisi a ioseph, qui pene licentia maritali omnia noverat.

Chrysostomus super Matth. Nam, sicut historia non incredibilis docet, quando gesta sunt quae refert Lucas, ioseph absens erat; nec enim conveniens est putare praesente ioseph introisse angelum ad mariam et dixisse quae dixit, et mariam respondisse quaecumque respondit. Et si credamus angelum potuisse intrare ad eam et loqui, plane tamen mariam abiisse in montana et mansisse cum elisabeth mensibus tribus possibile non fuit praesente ioseph, quia necesse erat ut absentationis eius et mansionis diutinae requireret causas. Postquam autem rediit peregre post tot menses, invenit eam gravidam manifeste.

Chrysostomus in Matth. Proprie autem dicit inventa est, quod de non excogitatis dici consuetum est. Ne autem molestes evangelistam interrogando qualiter sit natus ex virgine, breviter expedit se dicens de

spiritu sancto; quasi dicat: spiritus sanctus est qui est hoc miraculum operatus. Neque enim gabriel neque Matthaëus amplius dicere potuerunt.

Glossa. Hoc ergo quod dicitur est ex spiritu sancto, evangelista ex parte sua adduxit, ut cum diceretur habere in utero, omnis mala removeretur suspicio a mentibus audientium.

Augustinus in sermone de trin. Non autem, sicut quidam sceleratissime opinantur, spiritum sanctum dicimus fuisse pro semine, sed potentia ac virtute creatoris dicimus operatum.

Ambrosius de spiritu sancto. Quod enim ex aliquo est, aut ex substantia est aut ex potestate eius est: ex substantia, sicut filius qui a patre; ex potestate, sicut ex Deo omnia, quomodo et in utero habuit maria ex spiritu sancto.

Augustinus ench. Ad laurentium. Profecto autem iste modus quo natus est Christus de spiritu sancto insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis, in ipso exordio naturae suae quo esse coepit, verbo Dei copularetur in tantam personae unitatem ut idem ipse esset filius Dei. Sed cum illam creaturam quam virgo concepit et peperit, quamvis ad solam personam filii pertinentem tota trinitas fecerit (neque enim separabilia sunt opera trinitatis)., cur in ea facienda solus spiritus sanctus nominatus est? an et quando unus trium in aliquo opere nominatur, universa operari trinitas intelligitur? .

Hieronymus contra helvidium. Sed inquit helvidius: neque de non conventuris evangelista dixisset priusquam convenirent, quia nemo de non pransuro dicit: antequam pranderet; quasi si quis diceret: antequam in portu pranderem ad africanam navigavi, non posset stare sententia nisi ei in portu prandendum sit quandoque; aut non potius sit intelligendum sic quod ante, licet saepe et sequentia indicet, tamen nonnumquam ea tantum quae prius cogitabantur ostendit; nec necesse sit ut cogitata fiant cum ideo aliud intervenerit ne ea quae cogitata sunt fierent.

Hieronymus. Non ergo sequitur ut postea convenerint, sed scriptura quod factum non sit ostendit.

Remigius. Vel hoc verbum conveniendi, non ipsum concubitu, sed tempus significat nuptiarum, idest quando ea quae fuerat sponsa incipit esse uxor. Est enim sensus antequam convenirent, idest antequam rite solemnia nuptiarum celebrarent.

Augustinus de cons. Evang. Hoc quemadmodum factum sit, quod hic praetermisit, Lucas exponit post commemoratum conceptum iohannis ita enarrans: in mense autem sexto missus est angelus; et infra: spiritus sanctus superveniet in te. Hoc ergo est quod Matthaëus commemoravit dicens inventa est in utero habens de spiritu sancto. Nec contrarium est, quia Lucas exposuit quod Matthaëus praetermisit; sicut non est contrarium, quia Matthaëus deinceps continet quod Lucas praetermisit. Sequitur enim ioseph autem vir eius cum esset iustus, usque ad eum locum ubi scriptum est de magis quod per aliam viam reversi sunt in regionem suam. Si quis autem velit unam narrationem ex omnibus quae de christi nativitate dicuntur ab alterutro, si haec praetermittuntur, ordinare sic potest: christi generatio sic erat: fuit in diebus herodis usque ibi: mansit autem maria cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam. Et tunc addendum est quod hic dicitur: et inventa est in utero habens de spiritu sancto.

MATTHAEUS 1,19

3119 (Mt 1,19)

Chrysostomus in Matth. Cum dixisset evangelista quod ex spiritu sancto et sine concubitu inventa est in utero habens, ne suspectum habeas christi discipulum quasi grandia de suo magistro fingentem, introducit ioseph per ea quae passus est, ad fidem quae dicta sunt conferentem; unde dicit ioseph autem vir eius cum esset iustus.

Augustinus in serm. 14 de nativ. Intelligens enim ioseph mariae uterum gravidari, turbatur quod mariam quam de templo domini acceperat et nondum cognoverat gravidam sentiebat; secumque aestuabat disputans et dicens: quid faciam? prodo aut taceo? si prodidero, adulterio non consentio, sed vitium crudelitatis incurro quia secundum moysi sententiam lapidandam eam esse cognosco. Si tacuero, malo consentio et cum adulteris portionem meam pono. Quoniam ergo tacere malum est, adulterium prodere peius est, dimittam eam a coniugio.

Ambrosius super lucam. Pulchre autem docuit sanctus Matthaëus quid facere debeat iustus qui

opprobrium coniugis deprehenderit, ut incruentum ab homicidio, castum ab adulterio praestare se debeat. Et ideo dicit cum esset iustus. Ubique ergo in ioseph iusti gratia et persona servatur ut testis ornatur; lingua enim iusti loquitur iudicium veritatis.

Hieronimus. Sed quomodo ioseph, cum crimen celet uxoris, iustus describitur? in lege enim praeceptum est non solum reos, sed conscios criminis obnoxios esse peccato.

Chrysostomus in Matth. Sed sciendum quod iustum hic virtuosum in omnibus dicit. Est enim iustitia specialis quaedam, ut avaritiam non habere, et altera universalis virtus; et sic nomine iustitiae maxime utitur scriptura. Iustus igitur existens, idest benignus et mitis, voluit occulte dimittere eam, quae non solum traductioni, sed etiam poenae secundum legem obnoxia videbatur. Sed ioseph utrumque remisit quasi supra legem vivens. Sicut enim sol antequam radios monstret mundum clarificat, sic et Christus antequam nasceretur multa signa perfectae virtutis apparere fecit.

Augustinus de verb. Dom. Vel aliter: si solus nosti quia aliquis peccaverit in te, eum vis coram hominibus arguere, non es corrector sed proditor. Unde vir iustus ioseph tanto flagitio quod de uxore fuerat suspicatus, magna benignitate pepercit. Aestuabat utique certa adulterii suspicio; et tamen, quia ipse solus sciebat, noluit eam divulgare sed occulte dimittere, volens prodesse peccanti, non punire peccantem.

Hieronimus. Vel hoc testimonium mariae est quod ioseph sciens illius castitatem et admirans quod evenerat, celat silentio cuius mysterium nesciebat.

Remigius. Videbat enim gravidam quam noverat castam; et quia legerat: egredietur virga de radice iesse, unde novit mariam duxisse originem et legerat etiam: ecce virgo concipiet, non diffidebat hanc prophetiam in ea esse implendam.

Origenes. Sed si suspicionem in ea non habebat, quomodo iustus erat ut immaculatam dimitteret? ideo ergo dimittere volebat quoniam magnum sacramentum in ea esse cognoscebat cui approximare se indignum aestimabat.

Glossa. Vel cum vellet eam dimittere iustus erat; cum occulte, pius notatur, eam ab infamia defendens. Et hoc est: cum esset iustus voluit dimittere eam; cum nollet eam traducere in publicum, idest diffamare, voluit hoc facere occulte.

Ambrosius super lucam. Nemo autem quam non accepit, dimittit; et ideo quam volebat dimittere, fatebatur acceptam.

Glossa. Vel cum nollet eam traducere in domum suam ad cohabitationem assiduam voluit occulte dimittere eam, idest tempus nuptiarum mutare; vera enim virtus est cum nec pietas sine iustitia nec sine pietate servatur iustitia, quae separatae ab invicem dilabuntur. Vel iustus erat per fidem, qua credebat Christum de virgine nasciturum; unde voluit se humiliare ante tantam gratiam.

MATTHAEUS 1,20

3120 (Mt 1,20)

Remigius. Quia, sicut dictum est, cogitabat ioseph occulte mariam dimittere, hoc autem si fecisset perpauci essent qui non magis suspicarentur eam esse meretricem quam virginem, idcirco repente consilium ioseph divino mutatum est consilio; unde dicitur: haec autem eo cogitante.

Glossa. In quo notatur animus sapientis, qui nihil temere vult incipere.

Chrysostomus in Matth. Notatur etiam mansuetudo ioseph quia nulli enarravit suam suspicionem, neque ei quae suspecta erat; sed in se cogitabat.

Augustinus in serm. 14 de nativ. Sed ioseph ista cogitante, non timeat maria David filia, quoniam sicut David veniam contulit sermo propheticus, sic mariam liberat angelus salvatoris. Ecce enim iterum virginis ille paranympus gabriel advenit; unde sequitur ecce angelus domini apparuit ioseph.

Glossa. Hoc igitur verbo apparuit significatur potestas apparentis, qui quando vult et quomodo, exhibet se videndum.

Rabanus. Quomodo autem angelus ioseph apparuerit, demonstratur cum dicitur in somnis, idest quomodo iacob scalam vidit per imaginationem quamdam oculis cordis ostensam.

Chrysostomus in Matth. Ideo autem non apparuit manifeste ioseph sicut pastoribus quia valde fidelis erat; pastores autem indigebant quasi rudes. Virgo autem indignit quasi primo de maximis instruenda. Similiter etiam zacharias indignit ante conceptionem prolis mirabili visione.

Glossa. Apparens angelus nomen exprimit, genus commemorat et timorem excludit dicens: ioseph fili David. Ioseph, eum ex nomine quasi notum et familiarem sibi ostendit.

Chrysostomus super Matth. Filium David eum nominans, voluit eum adducere in memoriam promissionis Dei ad David, ut de semine eius Christus nasceretur.

Chrysostomus in Matth. Dicens autem noli timere, monstrat eum iam timere ne offenderet Deum quasi adulteram habens; alias neque cogitasset eam expellere. Severianus. Sponsus etiam ne timeat admonetur quia pius animus, dum compatitur, plus pavescit, ac si dicat: hic non est mortis causa, sed vitae, quia quae vitam parturit non meretur occidi.

Chrysostomus super Matth. Dicens etiam ne timeas, cognitionem se cordis eius ostendere voluit, ut per hoc futurorum bonorum, quae de Christo erat dicturus, faceret fidem.

Ambrosius super lucam. Non autem te moveat quod eam coniugem vocat; non enim virginitatis ereptio, sed coniugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur.

Hieronymus contra helvidium. Non tamen est putandum quod ex eo quod uxor est appellata, sponsa esse desierit, cum hanc esse consuetudinem scripturae noverimus, quod sponso viros, et sponsas appellet uxores sicut deuteronomii testimonio approbatur: si quis (inquit). Invenerit virginem desponsatam viro in campo, et vim faciens dormierit cum ea, moriatur, quia humiliavit uxorem proximi sui.

Chrysostomus in Matth. Dicit autem noli timere accipere, idest domi retinere; iam enim mente dimissa erat.

Rabanus. Vel noli timere accipere eam nuptiali conventu et assidua cohabitatione.

Chrysostomus super Matth. Propter tres autem causas apparuit angelus ioseph hoc dicens ei. Primo, ne iustus homo ignorans faceret rem iniustam ex proposito iusto. Deinde propter honorem ipsius matris; nam si dimissa fuisset, apud infideles turpi suspitione carere non poterat. Tertio, ut intelligens ioseph sanctam conceptionem, diligentius se custodiret ab illa quam prius. Ideo tamen non ante conceptionem virginis venit ad ioseph, ut nec cogitaret haec quae cogitavit nec pateretur quae passus est zacharias culpam infidelitatis incurrere de conceptione coniugis iam longaevae; incredibilior enim erat res virginem posse concipere quam anum.

Chrysostomus in Matth. Vel ideo turbato iam ioseph angelus venit ut appareat ioseph sapientia, et ut hoc ipsum fieret ei eorum quae dicebantur demonstratio. Dum enim audit ab angelo quae intra se cogitaverat, indubitabile signum erat quod a Deo mitteretur, cuius solius est scire cordis secreta. Sermo etiam evangelistae insuspiciabilis fit, demonstrans ioseph passum quod probabile est virum pati. Virgo etiam omnem malam suspitionem effugit, ex hoc quod vir qui zelotypiam passus est, eam suscepit et post conceptionem servavit. Ideo autem virgo ioseph haec quae angelus nuntiarat, non dixit, quia non aestimabat sibi credi a sponso et maxime iam in suspitionem adducto. Virgini autem ante conceptionem annuntiat angelus, ne si post conceptionem differret, in angustia esset. Oportebat autem extra turbationem esse illam matrem quae omnium conditorem recepit. Non solum autem angelus ab iniqua commixtione virginem excusat, sed et supra naturam concepisse demonstrat, non solum timorem auferens, sed et laetitiam addens; unde subdit quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est.

Glossa. Aliud est nasci in ea, et aliud ab ea: nasci ab ea, est prodire in lucem; nasci in ea est idem quod concipi. Vel secundum praesentiam angeli quam habet ex Deo, cui futurum quasi praeteritum est, natum dicitur.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam. Sed si de spiritu sancto natus est Christus, cur dictum est: sapientia aedificavit sibi domum? domus ista gemina ratione debet intelligi. Primum enim domus christi ecclesia est, quam aedificavit sibi sanguine suo; deinde potest et corpus eius dici domus eius, sicut dicitur templum eius. Factum autem spiritus sancti, factum filii Dei est, propter naturae et voluntatis unitatem; sive enim pater faciat sive filius sive spiritus sanctus, trinitas est quae operatur; et quidquid tres fecerint, Dei

unius est.

Augustinus enchir. Numquid tamen ideo dicturi sumus patrem hominis christi esse spiritum sanctum, ut Deus pater verbum genuerit, spiritus sanctus hominem? quod ita absurdum est, ut nullae fideles aures id valeant sustinere. Quomodo ergo dicimus Christum natum de spiritu sancto, si non eum genuit spiritus sanctus? an quia fecit eum? in quantum enim homo est, factus est, sicut apostolus dicit: factus ex semine David, secundum carnem. Neque enim quia mundum istum fecit Deus, dici eum fas est Dei filium aut natum ex Deo, sed factum vel creatum vel conditum. Hic autem, cum confiteamur eum natum de spiritu sancto et maria virgine, quomodo non sit filius spiritus sancti, et sit filius mariae virginis? non ergo concedendum est quicquid de aliqua re nascitur, continuo eiusdem rei filium nuncupandum. Ut enim omittam aliter de homine nasci filium, aliter capillum, pediculum et lumbricum, quorum nihil est filius, certe homines qui nascuntur ex aqua et spiritu, non aquae filios recte eos dixerit quispiam, sed Dei patris, et matris ecclesiae. Sic ergo de spiritu sancto natus est et filius Dei patris est, non spiritus sancti.

MATTHAEUS 1,21

3121 (Mt 1,21)

Chrysostomus in Matth. Quia hoc quod angelus ad ioseph dixerat supra humanam cogitationem et legem naturae erat, non solum ex praeteritorum revelatione confirmat quae dixerat, sed etiam ex futuris, dicens pariet autem filium.

Glossa. Ut enim non videretur ioseph amplius coniugio non esse necessarius cum conceptio esset facta sine eius auxilio, ostendit quod quamvis non sit necessarius conceptui, tamen utilis est procurationi quia ipsa pariet filium, et tunc matri et filio erit necessarius: matri, ut ab infamia defendat, filio, ut eum nutriat et circumcidat; quae circumcisio notatur ubi dicit et vocabis nomen eius iesum. In circumcisione enim solet dari nomen.

Chrysostomus super Matth. Non autem dixit: pariet tibi filium sicut ad zachariam: ecce elisabeth uxor tua pariet tibi filium; quia mulier quae ex viro concipit, marito suo filium parit, quia magis ex illo est quam de ipsa; haec autem quae non de viro conceperat, non viro filium peperit, sed sibi tantummodo.

Chrysostomus in Matth. Vel indeterminate hoc posuit ut ostendat quod eum peperit orbi terrarum universo.

Rabanus. Dicit autem vocabis nomen, et non imponens, quia ab aeterno impositum est.

Chrysostomus in Matth. Hinc autem ostendit admirabilem esse partum, quia Deus est qui nomen desuper per angelum mittit, nec nomen quodcumque, sed quod est infinitorum bonorum thesaurus. Ideoque interpretatur illud angelus, bonam substituens spem, et ex hoc ad credendum quod dicebatur inducit. Facilius namque sollicitamur ad prospera et promptius fidem accommodamus secundis.

Hieronimus. Iesus enim hebraeo sermone salvator dicitur. Etymologiam ergo nominis significat dicens ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Remigius. Ostendit enim eundem totius mundi salvatorem, et nostrae salutis auctorem. Salvat quidem non incredulos, sed populum suum, hoc est in se credentes salvat non tam a visibilibus hostibus quam potius invisibilibus; hoc est, a peccatis salvat non armis pugnando sed peccata relaxando. Severianus. Veniant et audiant qui requirunt: quis est quem maria genuit? ipse enim salvum faciet populum suum, non alterius salvum faciet populum. Unde? a peccatis eorum. Esse Deum qui peccata donat si christianis non credis, crede infidelibus, vel iudaeis dicentibus: nemo potest peccata dimittere nisi solus Deus.

MATTHAEUS 1,22-23

3122 (Mt 1,22-23)

Remigius. Mos fuit evangelistae, ea quae dicit, de veteri testamento confirmare propter iudaeos qui in Christum crediderant, ut agnoscerent ea esse completa in gratia evangelii quae praedicta fuerant in veteri testamento; et subdit hoc autem totum factum est. Quaerendum autem est in hoc loco quare dixerit hoc totum factum esse, cum superius solam conceptionem narraverit. Sed sciendum quod hoc ideo dixit, ut demonstraret quod ante in praesentia Dei factum fuit quam fieret apud homines. Sive quia praeteritarum

rerum erat narrator, totum factum esse dixit, quia quando hoc scripsit, iam totum factum erat.

Rabanus. Vel hoc totum factum esse dicit, quod virgo desponsaretur, quod casta servaretur, quod gravida inveniretur, quod per angelum revelaretur ut adimpleretur quod dictum est. Non enim hoc impleteretur quod virgo conciperet et pareret, nisi desponsata esset, ne lapidaretur, et nisi ab angelo secretum detegeretur, et ita eam ioseph acciperet, ne dimissa per infamiam efflueret et lapidatione periret. Si ergo ante partum periret, cessaretur prophetia quae ait: pariet filium.

Glossa. Vel potest dici quod ut non ponitur causaliter: non enim ideo impletum est quia implendum erat; ponitur autem consecutive sicut et in genesi: suspendit alterum in patibulo, ut coniectoris veritas probaretur, quia uno suspenso, coniectoris veritas est probata; sic et in hoc loco intelligendum est, quod hoc facto quod praedictum est, prophetia impleta est.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. Quia vidit angelus abyssum divinae misericordiae, naturae leges solutas, et eum qui erat omnibus superior, ad hominem, qui erat omnibus inferior, descendisse, haec et huiusmodi uno verbo ostendit dicens hoc autem totum factum est, quasi dicat: ne putes quod haec nunc tantum Deo placeant, olim praeordinata sunt; decenter enim angelus non virgini, sed ioseph prophetiam inducit, quasi in prophetis meditati et experto. Et primo quidem virginem coniugem appellaverat, nunc autem virginem propheta inducit, ut hoc etiam a propheta audiret quasi diu praemeditatum. Unde ad fidem eorum quae dicebantur inducit isaiam, vel magis Deum; non enim dicit: ut impleteretur quod dictum est ab isaia, sed quod dictum est a domino per isaiam.

Hieronymus super isaiam. Quoniam autem praemittitur in propheta: dabit dominus ipse vobis signum, novum debet esse atque mirabile. Si autem iuvenula vel puella, ut iudaei volunt, et non virgo pariat, quale signum poterat appellari, cum hoc nomen aetatis sit, non integritatis? et revera virgo hebraice bethula appellatur, quae in praesenti loco non scribitur in propheta; sed pro hoc verbo positum est halma, quod praeter lxx omnes adolescentulam transtulerunt. Porro halma apud eos ambiguum est; dicitur enim et adolescentula et abscondita; ergo halma non solum puella vel virgo, sed virgo abscondita dicitur, et secreta, quae nunquam virorum patuerit aspectibus, sed magna parentum diligentia custodita sit. Lingua quoque punica, quae de hebraeorum fontibus manare dicitur, proprie virgo halma appellatur. In nostro quoque sermone halma dicitur sancta; omniumque pene linguarum verbis utuntur hebraei; et quantum cum mea pugna memoria, numquam me arbitror halma de muliere nupta legisse, sed de ea quae est virgo, ut non virgo solummodo sit, sed in annis adolescentiae; potest enim fieri ut virgo sit vetula. Ista autem virgo erat in annis puellaribus, vel certe virgo, non puella quae adhuc virum nosse non posset.

Hieronymus. Pro eo autem quod evangelista Matthaeus dicit in utero habebit, in propheta, quia futurum praedicit, significat quod futurum sit: et scripsit accipiet; evangelista autem, quia non de futuro, sed de praeterito narrat historiam, mutavit accipiet et posuit habebit; qui autem habet, nequaquam accepturus est. Dicit autem ecce virgo in utero habebit, et pariet filium. **Leo** ad flavianum. Conceptus quippe est de spiritu sancto intra uterum virginis matris, quae ita illum salva virginitate edidit, quemadmodum salva virginitate concepit.

Augustinus in serm. 11 de nativ. Qui enim dirupta corporum membra in aliis poterat reintegrare tangendo, quanto magis in sua matre quod invenit integrum non violavit nascendo? crevit enim in eius partu corporis integritas potius quam decrevit, et virginitas ampliata est potius quam fugata. Theodotus in serm. Ephesini concilii. Quia vero photinus purum hominem dicit qui natus est, Dei non dicens partum, et qui ex vulva processit hominem proponit a Deo divisum, dicat nunc quomodo natura humana per vulvam virginalem nata, virginitatem vulvae servavit incorruptam? nullius enim hominis mater virgo permansit. Sed quia natus est carne Deus verbum, custodit virginitatem, seipsum verbum esse ostendens; neque enim nostrum verbum cum paritur corrumpit mentem, neque Deus verbum partum eligens peremit virginitatem. Sequitur et vocabunt nomen eius emmanuel.

Chrysostomus in Matth. Consuetudo quidem est scripturae res quae contingunt pro nominibus ponere. Nihil ergo est aliud quod dicit vocabunt nomen eius emmanuel, quam videbunt Deum cum hominibus; unde non dicit vocabis sed vocabunt.

Rabanus. Primo quidem angeli psallentes, secundo apostoli praedicantes, adhuc et sancti martyres, deinde cuncti credentes.

Hieronymus super isaiam. Septuaginta autem et tres reliqui transtulerunt similiter vocabis, pro quo hic scriptum est vocabunt; quod in hebraeo non habetur; verbum enim charatim, quod omnes interpretati sunt vocabis, potest intelligi et vocabit, quod ipsa scilicet virgo quae concipiet et pariet Christum, emmanuel appellatura sit nomine, quod interpretatur nobiscum Deus.

Remigius. Quaerendum autem est quis est interpretatus hoc nomen: propheta aut evangelista aut aliquis translator? sed sciendum quod propheta non est interpretatus, sancto autem evangelistae quid necesse fuerat interpretari, cum scriberet hebraeo sermone? fortassis quia hoc nomen obscurum erat apud hebraeos, idcirco dignum erat interpretatione. Sed magis credendum est quod aliquis translator sit interpretatus ne haberetur hoc nomen obscurum apud latinos. Hoc denique nomine duae substantiae, divinitatis scilicet et humanitatis, in una persona domini iesu christi designantur, quia qui ante omnia saecula ineffabiliter genitus est a Deo patre, idem ipse in fine temporum factus est emmanuel, idest nobiscum Deus, ex virgine matre. Quod autem dicitur nobiscum Deus, potest intelligi hoc modo: nobiscum factus est, idest passibilis mortalis et per omnia nostri similis absque peccato, sive quia substantiam nostrae fragilitatis quam assumpsit, substantiae suae divinitatis in unitate personae coniunxit.

Hieronymus super isaiam. Sed sciendum quod hebraei hoc de Ezechia filio achaz prophetari arbitrantur, quod ipso regnante capta sit samaria; quod omnino probari non potest. Siquidem achaz filius ioathan regnavit super iudaeam et ierusalem annis sexdecim, cui successit in regnum filius eius Ezechias annos natus viginti tres, et regnavit super iudaeam et ierosolymam annis viginti novem; quomodo ergo quam vidit primo anno achaz prophetiam, de Ezechiae conceptu dicitur et nativitate, cum eo tempore cum regnare coeperat achaz, iam novem esset Ezechias annorum? nisi forte sextum Ezechiae regni annum quo capta est samaria, infantiam eius appellari dicant, non aetatis, sed imperii; quod coactum esse ac violentum etiam stultis patet. Quidam de nostris isaiam prophetam duos filios habuisse contendit, iasub et emmanuel, et emmanuel de prophetissa uxore sua esse generatum in typum domini salvatoris. Hoc autem fabulosum est. Petrus alphonsus. Non enim scitur quod aliquis homo illius temporis emmanuel sit vocatus. Sed obiicit hebraeus: quomodo stare poterit quod hoc propter Christum dictum sit et mariam, cum ab achaz usque ad mariam multa centena annorum transierunt? sed licet ad achaz loqueretur propheta, non solum tamen ad eum vel de suo tempore dicta est prophetia. Propter hoc enim dictum est: audite domus David, non: audite achaz. Iterum: dabit dominus ipse vobis signum; addit ipse, ac si diceret: non alius; ex quo potest intelligi ipsum dominum signum esse futurum. Quod etiam pluraliter ait vobis et non tibi, innuit non propter achaz vel ad ipsum solum hoc dictum fuisse.

Hieronymus super isaiam. Est ergo sic intelligendum quod dicitur ad achaz: iste puer qui nascetur ex virgine, domus David, nunc appelletur emmanuel, idest nobiscum Deus, quia a rebus ipsis (probabiliter, a duobus regibus inimicis liberata). Patebit Deum te habere praesentem. Postea autem vocabitur iesus, idest salvator, eo quod universum genus homini sit salvaturus. Non mireris ergo, o domus David, ad rei novitatem, si virgo Deum pariat quae tantam habeat potestatem ut multo post tempore nasciturus te nunc liberet invocatus.

Augustinus contra faustum. Quis autem dementissimus diceret cum manichaeo, enervis esse fidei de Christo sine teste non credere, cum apostolus dicat: quomodo credent ei quem non audierunt? aut quomodo audient sine praedicante? ut autem non contemnerentur neque fabulosa ducerentur quae apostoli nuntiabant, demonstrantur haec a prophetis fuisse praedicta, quia etsi attestabantur miracula, non defuissent qui magicae potentiae cuncta illi tribuerent, nisi talis eorum cogitatio contestatione prophetica vinceretur. Magicis enim artibus longe antequam nasceretur, prophetas sibi constituere a quibus praenuntiaretur, nemo utique diceret: si etiam dixerimus homini gentili crede Christo quia Deus est et responderit: unde credo? prolataque auctoritate prophetarum, eis se nolle credere dixerit, ostendimus fidem prophetarum ex his quae ventura cecinerunt et venisse cernuntur. Credo enim quod eum non lateret quantas a regibus huius saeculi persecutiones prius pertulerit christiana religio; videat nunc ipsos reges terrae christi imperio subiugatos omnesque gentes eidem servientes, quae omnia per prophetas fuerunt praedicta. Hoc ergo audiens de scriptura prophetica et cernens in universa terra completa, moveretur ad fidem.

Glossa. Horum ergo errorem evangelista excludit dicens ut adimpleretur quod dictum est a domino per prophetam. Prophetia autem alia est ex praedestinatione Dei, quam necessarium est evenire omnibus modis ut sine nostro impleatur arbitrio, ut illa de qua modo agimus: unde dicit ecce, ad demonstrandum certitudinem prophetiae; alia est ex praescientia Dei, cui nostrum admiscetur arbitrium et cooperante gratia consequimur praemium, vel ab ea iuste relictum tormentum; alia non ex praescientia, sed est quaedam comminatio more humano facta, sicut illud: adhuc quadraginta dies et ninive subvertetur, intelligendo nisi ninivite corriganter.

MATTHAEUS 1,24-25

Remigius. Eo audito rediit vita quo ingressa est mors. Per inobedientiam enim adae omnes periti sumus, per obedientiam ioseph omnes ad pristinum statum incipimus revocari; nam his verbis magna nobis virtus obedientiae commendatur, quibus dicitur exurgens autem ioseph fecit sicut praeceperat ei angelus domini.

Glossa. Non tantum quod praecepit angelus fecit, sed etiam sicut praecepit. Quisquis etiam a Deo monetur, solvat moras, surgat a somno, faciat quod iubetur. Et accepit mariam coniugem suam.

Chrysostomus super Matth. Non in domum accepit eam, nec enim adhuc dimiserat eam de domo, sed de animo suo deposuerat eam, et iterum in animum suum eam recepit.

Remigius. Vel accepit celebratis nuptiis ut coniux vocaretur, non tamen ut concumberet, quia sequitur et non cognoscebat eam.

Hieronymus contra helvidium. Sed helvidius superfluo labore desudat, cognoscendi verbum ad coitum magis quam ad scientiam esse referendum, quasi hoc quisquam negaverit et eas ineptias quas redarguit aliquando prudens quispiam suspicari potuerit. Deinde vult dicere quod donec sive usque adverbium certum tempus significet, quo completo fiat aliud quod usque ad illud tempus non fiebat, ut hic: non cognoscebat eam donec peperit filium. Apparet, inquit, cognitam esse post partum, cuius cognitionem filii tantum generatio differebat. Et ad hoc approbandum congerit de scripturis exempla quam plurima. Ad quod respondemus: et non cognoscebat, et usque, vel donec in scripturis dupliciter intelligenda. Et de eo quidem scriptum est, non cognoscebat, ad coitum esse referendum ipse disseruit, nullo dubitante quin ad scientiam saepe referatur, ut ibi: remansit puer iesus in ierusalem et non cognoverunt parentes eius. Sic etiam donec in scriptura saepe certum tempus, sicut ipse disseruit, significat, saepe infinitum, ut est illud: donec consenescaitis, ego sum. Numquid postquam illi senuerint, Deus desistit? et salvator in evangelio: ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Ergo post consummationem saeculi a discipulis abscedet? et apostolus: oportet illum regnare donec ponat inimicos sub pedibus eius. Numquid postquam illi sub pedibus erunt, regnare desistet? intelligat ergo ea de quibus posset ambigi, si non fuissent scripta, significari, cetera vero nostrae intelligentiae derelinqui; iuxta quod evangelista illud indicat de quo scandalum poterat moveri, non eam cognitam esse a viro usque ad partum, ut multo magis intelligeremus cognitam non fuisse post partum.

Chrysostomus super Matth. Ut si quis dicat: donec ille vixit, non est hoc locutus, numquid per hoc significavit quia post mortem ille locutus est? quod fieri non potest. Sic et ioseph ante partum credibile fuit ut non cognosceret eam quia nondum cognoscebat mysterii dignitatem; postquam vero cognovit quia est facta unigeniti Dei templum, quomodo poterat hoc usurpare? sed sequentes eunomium putant, quia illi ausi sunt hoc dicere, quod ioseph hoc ausus fuit, sicut insanus neminem reputat esse sanum.

Hieronymus contra helvidium. Ad summum illud requiro, cur se abstinerit ioseph usque ad partus diem. Respondebit utique: quia angelum audierat dicentem quod in ea natum est. Qui ergo somnio tantum credit ut uxorem non auderet tangere, hic postquam pastores audierat, magos viderat, miracula tanta cognoverat, templum Dei, spiritus sancti sedem, domini sui matrem audebat attingere? .

Chrysostomus super Matth. Potest etiam dici quod verbum cognoscendi hic accipitur pro agnitione; vere enim non agnovit eam ante, cuius fuerat dignitatis; et postquam peperit, tunc cognovit eam, qua speciosior et dignior facta fuerat quam totus mundus, quia quem totus mundus capere non poterat, in angusto cubiculo uteri sui sola suscepit.

Hilarius. Vel aliter. Propter sanctissimae mariae glorificationem a ioseph cognosci non potuit donec peperit; dominum enim gloriae habens in utero quomodo cognosceretur? si moysi cum Deo colloquentis glorificata est facies ut non possent intendere in eum filii israel, quanto magis maria agnosci vel intueri non poterat, quae dominum potentiae in utero habebat? post partum autem a ioseph agnita invenitur specie faciei, non tactu libidinis.

Hieronymus in Matthaeum. Ex hoc autem quod dicitur filium suum primogenitum, quidam perversissime suspicantur et alios filios habuisse mariam dicentes primogenitum non dici nisi qui habeat et fratres, cum hic mos scripturarum sit ut primogenitum non eum vocent quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit.

Hieronymus contra helvidium. Alioquin si non est primogenitus nisi quem sequuntur et fratres, tamdiu sacerdotibus primogenita non debentur quamdiu et alia fuerint procreata.

Glossa. Vel primogenitus dicitur inter omnes electos per gratiam; proprie autem unigenitus Dei patris vel mariae dicitur. Sequitur et vocavit nomen eius iesum, die octavo quo fiebat circumcisio et nomen

imponeretur.

Remigius. Liqueat autem hoc nomen fuisse notissimum sanctis patribus et Dei prophetis, maxime illi qui dicebat: defecit in salutari tuo anima mea; et: exultavit cor meum in salutari tuo; et illi qui dicebat: exultabo in Deo iesu meo.

MATTHAEUS 2,1-2

3201 (Mt 2,1-2)

Augustinus in serm. 5 de epiph. Post miraculum virginei partus quo uterus divino numine plenus, salvo pudoris signo, Deum hominem profudit, inter obscuras cubiculi latebras et praesepis angustias, in quibus infinita maiestas membris contractioribus stabulabat, dum pendet ad ubera et vilium patitur Deus involumenta pannorum, repente novum de caelo sidus terris effulsit, et, totius mundi dissipata caligine, noctem convertit in diem ne dies celaretur in nocte; unde evangelista dicit cum ergo natus esset iesus in bethlehem etc.

Remigius. In principio autem huius evangelicae lectionis tria ponit: personam, cum dicitur cum natus esset iesus; locum, cum ait in bethlehem iudae; tempus, cum addit in diebus herodis regis. Et haec tria ad confirmationem narrandae rei ponuntur.

Hieronymus in Matth. Putamus autem ab evangelista primum editum, sicut in hebraico legimus, iudae, non iudaeae. Quae est enim aliarum gentium bethlehem, ut ad distinctionem eius hic iudaeae poneretur? iudaeae autem idcirco scribitur, quia et aliam bethlehem in iudaea legimus in libro iesu filii nave.

Glossa. Duae enim bethlehem sunt: alia quae est in terra zabulon, altera quae in terra iuda, quae prius vocata est ephrata.

Augustinus de cons. Evang. De civitate autem bethlehem Matthaeus Lucasque consentiunt. Sed quomodo et qua causa ad eam venerint ioseph et maria, Lucas exponit, Matthaeus praetermittit. E contra de magis ab oriente venientibus Lucas tacet, Matthaeus dicit.

Chrysostomus super Matthaeum. Sed videamus quid ad utilitatem respiciat quod evangelista tempus designat quo Christus nascitur, dicens in diebus herodis regis, quod dicit ut prophetiam danielis impletam demonstraret, quae post lxx septimanas annorum Christum nasciturum esse praedicat. Nam ex illo tempore usque ad regnum herodis lxx septimanarum anni sunt consummati; vel ideo quia quamdiu iudaica gens sub iudaicis regibus, quamvis peccatoribus, tenebatur, prophetae mittebantur ad remedium eius; nunc autem quando lex Dei sub potestate regis iniqui tenebatur et iustitia Dei sub dominatione romana premebatur, nascitur Christus, quia magna et desperabilis infirmitas medicum artificiosorem quaerebat.

Rabanus. Vel ideo regis alienigenae mentionem fecit, ut impleretur prophetia quae dixit: non auferetur sceptrum de iuda nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est.

Ambrosius super lucam. Fertur autem quod idumaei latrones ascalonem ingressi, antipatrum inter alios adduxerunt captivum. Is igitur imbutus mysteriis iudaeorum, hircano iudaeae regi amicitia copulatur, quem pro se ad pompeium hircanus direxit; et quia legationis fructu potitus est, per eam gratiam partem regni affectavit. Occiso autem antipatro, filius eius herodes sub antonio senatus consulto iudaeis regnare praeceptus est; in quo claret herodem nulla affinitate gentis iudaeorum regnum quaesisse.

Chrysostomus in Matth. Dicitur autem herodis regis, dignitatem addens, quia et alius fuit herodes qui iohannem interfecit.

Chrysostomus super Matth. Dum ergo hoc tempore natus esset, ecce magi veniunt, hoc est confestim ut natus est, magnum Deum ostendentes in parvulo homine.

Rabanus. Magi vero sunt qui de singulis rebus philosophantur; sed sermo communis magos pro maleficis accepit; qui aliter tamen habentur apud gentem suam, eo quod sint philosophi chaldaeorum, et ab huius artis scientia reges quoque et principes eiusdem gentis omnia sapiunt, et ipsi primum ortum domini intellexerunt.

Augustinus in serm. 4 de epiph. Isti autem magi quid fuerunt nisi primitiae gentium? israelitae pastores,

magi gentiles; illi prope, isti longe, utrique tamen ad angularem lapidem cucurrerunt. Manifestatus est ergo iesus non doctis nec iustis; praeualet namque imperitia in rusticitate pastorum, et impietas in sacrilegiis magorum. Utrosque sibi lapis ille angularis attribuit, quippe qui venerit stulta eligere ut confunderet sapientes, et non vocare iustos, sed peccatores, ut nullus magnus superbiret, nullus infirmus desperaret.

Glossa. Hi autem magi reges fuerunt, qui etsi tria munera obtulisse dicuntur, non ideo non plures quam tres fuisse probantur, sed ut per eos gentes, quae ex tribus filiis noe natae sunt, venturae ad fidem praefigurarentur. Vel tot fuerunt principes, qui plures duxerunt in comitatu suo. Venerunt autem non post annum, quia tunc inveniretur in aegypto, non in praesepio, sed tertiadecima die. Ad ostendendum autem unde venirent, dicitur ab oriente.

Remigius. Sciendum est autem quia varia est de magis opinio. Quidam enim dicunt eos fuisse chaldaeos; chaldaei enim stellam pro Deo colebant, et idcirco dixerunt quod nuncupativus eorum Deus ostenderit Deum verum natum. Alii vero dicunt persas eos fuisse. Nonnulli dicunt illos de ultimis finibus terrae fuisse. Alii vero dicunt illos fuisse nepotes balaam, quod magis est credendum; balaam enim inter cetera quae prophetavit dixit: orietur stella ex iacob. Illi vero habentes hanc prophetiam, mox ut viderunt stellam novam, intellexerunt regem natum, et venerunt.

Hieronymus in Matth. Et sic hanc stellam futuram vaticinio balaam noverant, cuius erant successores. Sed quaerendum est: si chaldaei vel persae aut de ultimis finibus terrae fuerunt, quomodo in tam brevi spatio hierosolymam venire potuerunt? **Remigius.** Sed sciendum est quod aliqui solent dicere quod puer qui tunc natus est, in tam brevi spatio temporis de ultimis finibus terrae ad se perducere potuit.

Glossa. Vel non mirandum est eos in tredecim diebus venisse in bethlehem, cum equos arabicos et dromedarios haberent, qui scilicet sunt veloces ad iter.

Chrysostomus super Matth. Vel per biennium ante christi nativitatem profecti sunt, et stella eos praecedebat, et neque esca neque potus defecit in peris eorum.

Remigius. Vel si fuerunt successores balaam, reges isti non longe distant a terra promissionis; idcirco in tam brevi spatio temporis ierusalem venire potuerunt. Sed tunc quaerendum est quare evangelista dicat eos ab oriente venisse. Quod ideo est, quia ab illa regione venerunt quae in orientali parte iudaeis posita est. Pulchre autem ipsi ab oriente venisse dicuntur, quia omnes qui ad dominum veniunt, ab ipso et per ipsum veniunt; ipse est oriens, secundum illud: ecce vir, oriens nomen eius.

Chrysostomus super Matth. Vel ab oriente venerunt. Unde dies nascitur, inde initium fidei processit, quia fides lumen est animarum. Ab oriente ergo venerunt, sed hierosolymam.

Remigius. Quamvis dominus ibi natus non esset quia licet agnoscerent nativitatis tempus, locum tamen non cognoverunt. Ierusalem enim regia civitas est, et crediderunt quod talis puer non nisi in urbe regia nasci debuisset. Sive ideo venerunt ut adimpleretur quod scriptum est: de sion exhibit lex, et verbum domini de ierusalem, quia ibi primo annuntiatus est Christus; sive ut studio magorum damnaretur pigritia iudaeorum. Venerunt ergo hierosolymam, dicentes: ubi est qui natus est rex iudaeorum? .

Augustinus in serm. 2 de epiph. Cum autem multi nati atque defuncti essent reges iudaeorum, numquid quemquam eorum adorandum magi quaesierunt? non, quia nec quemquam eorum de caelo loquentem didicerunt. Non itaque regi iudaeorum, quales esse illic solebant, hunc tam magnum honorem longinqui alienigenae ab eodem regno prorsus extranei a se deberi arbitrantur. Sed talem natum esse didicerant, in quo adorando se salutem, quae secundum Deum est, consecuturos minime dubitarent; neque enim aetas erat saltem cui adulatio humana serviret, non de membris purpura, non in capite diadema fulgebat, non pompa famulantium, non terror exercitus, non gloriosa fama praeliorum hos ad eum viros ex remotis terris cum tanto voto supplicationis attraxerunt. Iacebat in praesepio puer, ortu recens, exiguus corpore, contemptibilis paupertate. Sed magnum aliquid latebat in parvo, quod illi homines primitiae gentium, non terra portante, sed caelo narrante didicerant; unde sequitur vidimus enim stellam eius in oriente. Annuntiant et interrogant, credunt et quaerunt, tamquam significantes eos qui ambulant per fidem et desiderant speciem.

Chrysostomus in Matth. Sciendum autem, quod priscillianistae haeretici, qui nasci unumquemque hominem sub constitutionibus stellarum putant, hoc in adiutorium sui erroris assumunt, quod nova stella exiit, cum dominus in carne apparuit, cuius fuisse fatum eandem quae apparuit stellam putant.

Augustinus contra faustum. Et secundum faustum hic stella inducitur, quae confirmat genesim, ut recte genesidium hoc magis nuncupari possit quam evangelium.

Gregorius in Evang. Sed absit a fidelium cordibus ut esse quid fatum dicant.

Augustinus de Civ. Dei. Nam homines quando fatum audiunt, usitata loquendi consuetudine non intelligunt nisi vim positionis siderum, qualis est quando quis nascitur sive concipitur; quod aliqui alienant a Dei voluntate. Et hi ab auribus omnium repellendi sunt, qui qualiumcumque deorum volunt esse cultores. Aliqui vero stellas hanc putant habere potestatem traditam sibi a summa Dei potestate: qui magnam caelo faciunt iniuriam, in cuius velut splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni; qualia si aliqua terrena civitas decrevisset, genere humano decernente fuerat evertenda.

Chrysostomus super Matth. Si ergo aliquis adulter et homicida fiat per stellam, magna est iniquitas illarum stellarum, magis illius qui creavit stellas; nam cum sit praescius futurorum Deus, ex quo tanta iniquitas futura per stellas, si voluit ei dare, non est bonus; si noluit ei dare, et non potuit, impotens est. Si etiam stellae est quod aut mali sumus aut boni, ergo nec bonum nostrum laudandum est, nec malum vituperandum, quia nec in nobis est voluntarius actus; ut quid enim mali mei poenam suscipiam, quod non voluntate, sed necessitate commisi? ipsa denique mandata Dei ne peccent homines, aut hortamenta ut faciant bonum, hanc insipientiam destruunt. Quis enim iubet aliquem ne faciat malum quod non potest declinare, aut faciat bonum ad quod non potest pervenire? **Gregorius** Nyssenus philos. Insipientes vero sunt orationes omnibus secundum fatum existentibus; exulat autem et providentia Dei cum pietate, cum his et homo organum solum invenitur superni circularis motus; ab hoc enim moveri ad operationes aiunt non solum partes corporis, sed animae excogitationes; et universaliter qui hoc dicunt, quae in nobis sunt, et contingentis naturam destruunt; et ita nihil aliud est hoc quam omnia evertere. Ubi etiam de reliquo erit liberum arbitrium? liberum enim oportet esse quod est in nobis.

Augustinus de Civ. Dei. Non usquequaque autem absurde dici potest, ad solas corporum differentias afflatus quosdam valere sidereos, sicut solaribus accessibus et decessibus videmus anni tempora variari, et lunaribus incrementis atque decrementis augeri et minui quaedam genera rerum, sicut conchas et mirabiles aestus oceani; non autem animi voluntates positionibus siderum subdi. Quod si dicantur stellae significare ista potius quam facere, quid est quod nunquam dicere potuerunt cur in vita geminorum, in actionibus, in eventibus, professionibus, actibus, honoribus, ceterisque rebus ad humanam vitam pertinentibus, atque in ipsa morte plerumque sit tanta diversitas, ut similiores sint multi extranei quam ipsi inter se gemini, per exiguum temporis intervallum in nascendo separati, in conceptu autem per concubitu uno etiam momento seminati? quod ergo conantur efficere de intervallo exigui temporis quod ipsi inter se gemini dum nascerentur habuerunt, non tantum valet quanta invenitur in geminorum voluntatibus, actibus, moribus casibusque diversitas. Quidam vero non astrorum constitutionem, sed omnium connexionem seriemque causarum, quam Dei summi tribuunt voluntati et potestati, fati nomine appellant. Si quis ergo res humanas fato tribuit quia ipsam Dei voluntatem vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat, quoniam fati nomen solet a loquentibus poni in siderum constitutione. Unde voluntatem Dei fati vocabulo non nuncupamus, nisi forte ut fatum a fando, idest a loquendo, dictum intelligamus. Scriptum est enim: semel locutus est Deus: duo haec audivi. Unde non est multum cum eis de verbi controversia laborandum atque certandum.

Augustinus contra faustum. Si autem sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus ut liberum arbitrium voluntatis ab omni necessitatis vinculo vindicemus, quanto minus illius temporalem generationem sub astrorum conditionem credimus factam, qui est universorum aeternus creator et dominus? itaque illa stella quam viderunt magi, Christo secundum carnem nato, non ad decretum dominabatur, sed ad testimonium famulabatur. Proinde non ex illis erat stellis quae ab initio creaturae itinerum suorum ordinem sub creatoris lege custodiunt, sed novo virginis partu novum sidus apparuit, quod ministerium officii sui etiam ipsis magis quaerentibus Christum, cum ante faciem praeiret, exhibuit, donec eos usque ad ipsum locum ubi Deus verbum infans erat, praeendo perduceret. Quidam autem astrologi ita constituerunt nascentium hominum fata sub stellis, ut aliquam stellarum, homine aliquo nato, circuitus sui ordinem reliquisset, et ad eum qui natus est, perrexisset asseverent. Sortem quippe nascentis astrorum ordini colligari arbitrantur, non astrorum ordinem ad hominis nati diem posse mutari. Quapropter si stella illa ex his erat quae in caelo peragunt ordines suos quomodo poterat discernere quid Christus acturus erat, quae nato Christo iussa est relinquere quod agebat? si autem, ut probabilius creditur, ad demonstrandum Christum, quae non erat, exorta est; non ideo Christus natus quia illa extitit, sed illa extitit quia Christus natus est; unde si dici oporteret, non stellam Christo, sed Christum stellae, fatum fuisse diceremus: ipse quippe illi, non illa huic nascendi attulit causam.

Chrysostomus super Matth. Non est hoc etiam astronomiae opus a stellis scire eos qui nascuntur, sed ab hora nativitatis futura praedicere; hi autem tempus nativitatis non cognoverunt, ut hinc sumentes initium a stellarum motu futura cognoscerent, sed e converso. Dicunt ergo vidimus stellam eius.

Glossa. Idest propriam, quia hanc creavit ad ostensionem sui.

Augustinus in serm. 2 de epiph. Pastoribus angeli, magis stella Christum demonstrat: utrisque loquitur lingua caelorum, quia lingua cessaverat prophetarum. Caelos angeli habitant, et sidera exornant: utrisque ergo caeli enarrant gloriam Dei. **Gregorius** in Evang. Et rationabiliter iudaeis, tamquam ratione utentibus, rationale animal, idest angelus, praedicare debuit. Gentiles vero, quia ratione uti nesciebant, ad cognoscendum dominum non per vocem, sed per signa perducuntur, quia et illis prophetiae tamquam fidelibus, et istis signa tamquam infidelibus data sunt. Eisdem autem gentibus Christum, cum perfectae esset aetatis, apostoli praedicant, eumque parvulum et necdum per humanitatis officium loquentem stella gentibus denuntiat: quia nimirum rationis ordo poscebat ut loquentem iam dominum loquentes nobis praedicatores, et necdum loquentem elementa muta praedicarent.

Leo papa in serm. 3 de epiph. Ipse etiam Christus expectatio gentium, de quibus quondam beatissimo patri abrahamae innumerabilis fuit promissa successio, non carnis semine, sed fidei fecunditate generanda; et ideo stellarum multitudini comparata, ut ab omnium gentium patre, non terrena, sed caelestis progenies speraretur. Ad credendum ergo promissae posteritatis heredes in sideribus designati, ortu novi sideris excitantur, ut in quo caelum est adhibitum in testimonium, caeli famuletur obsequium.

Chrysostomus in Matth. Quoniam autem non caelestium una stellarum haec fuit, manifestum est; nulla enim alia stellarum hac via procedit; haec enim ab oriente in meridiem ferebatur, ita enim palaestina ad persidem iacet. Secundo autem a tempore quo videbatur: non enim in nocte apparuit tantum, sed in media die; quod non est virtutis stellae, sed nec etiam lunae. Tertio, ab eo quod apparebat et occultabatur rursus: cum enim intraverunt hierosolimam, occultavit seipsam; deinde ubi herodem reliquerunt, seipsam monstravit. Neque etiam proprium quemdam gressum habebat, sed cum oportebat ire magos, ibat: quando autem stare oportebat, stabat, sicut et de columna nubis erat in deserto. Quarto, quia non sursum manens partum virginis ostendebat, sed deorsum descendens hoc faciebat; quod non est stellae motus, sed virtutis cuiusdam rationalis; unde videtur haec stella virtutis invisibilis fuisse in talem apparentiam formata.

Remigius. Nonnulli dicunt hanc stellam fuisse spiritum sanctum, ut ipse qui postea super baptizatum dominum descendit in specie columbae, in specie stellae apparuerit magis. Alii dicunt fuisse angelum ut ipse qui apparuit pastoribus, apparuerit etiam magis.

Glossa. Sequitur etiam in oriente. Utrum stella in oriente orta sit, an ipsi ibi positi natam et occidentem viderint, ambiguum est: potuit enim nasci in oriente et eos in ierusalem perducere.

Augustinus in serm. De epiph. Sed dicturus es: a quibus audierunt quod talis, scilicet stella, Christum natum significaret? profecto ab angelis aliqua monitione revelationis. Quaeris fortassis: ab angelis bonis an malis? Christum quidem et angeli mali, hoc est daemones, filium Dei esse confessi sunt. Sed cur non et a bonis hoc audierunt quando in Christo adorando salus eorum iam quaerebatur, non iniquitas damnabatur? potuerunt ergo illis et angeli dicere: stella quam vidistis, Christus est. Ite, adorate illum ubi natus est, et simul iudicate qualis quantusque natus sit.

Leo papa in serm. 4 de epiph. Vel praeter illam stellae speciem quae corporeum incitavit obtutum, fulgentior veritatis radius eorum corda perdocuit; et hoc quidem ad illuminationem fidei pertinebat.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam. Vel iudaeorum natum regem intellexerunt, cum stella indice temporalis rex soleat designari. Hi enim magi chaldaei non malevolentia astrorum cursum, sed rerum curiositate speculabantur. Sicut enim datur intelligi, traditionem balaam sequebantur, qui dixit: orietur stella ex iacob. Unde videntes stellam extra ordinem mundi hanc intellexerunt quam balaam futuram indicem regis iudaeorum prophetaverat.

Leo papa in serm. 4 de epiph. Potuerunt autem illis credita et intellecta sufficere, ut corporali intuitu non inquirerent quod plenissimo visu mentis inspexerant; sed diligentia sagacis officii ad videndum usque puerum perseverans nostri temporis hominibus serviebat, ut sicut omnibus nobis profuit quod post resurrectionem domini vestigia vulnerum eius thomae apostoli exploravit manus, ita ad nostram utilitatem proficeret quod infantiam ipsius magorum probavit aspectus; unde dicunt venimus adorare eum.

Chrysostomus super Matth. Sed numquid nesciebant quia in ierusalem regnabat herodes? numquid non intelligebant quia quicumque, rege vivente, alterum regem pronuntiat aut adorat, punitur in sanguine? sed dum considerabant regem futurum non timebant praesentem; adhuc non viderant Christum, et iam parati erant mori pro eo. O beati magi, qui ante conspectum crudelissimi regis, priusquam Christum cognoscerent, christi facti sunt confessores.

MATTHAEUS 2,3-6

3203 (Mt 2,3-6)

Augustinus in serm. De epiph. Sicut magi desiderant redemptorem, ita herodes timet successorem; unde sequitur audiens autem herodes rex, turbatus est.

Glossa. Rex dicitur ut ex collatione eius qui quaeritur, hic intelligatur extraneus.

Chrysostomus super Matth. Et ideo turbatur audiens regem natum iudaeis ex genere iudaeorum, cum esset ipse genere idumaeus, ne regno revoluto iterum ad iudaeos, ipse a iudaeis expelleretur, et semen eius post ipsum praecideretur a regno: semper enim grandis potestas maiori timori subiecta est; sicut enim rami arborum in excelso positarum, etiam si levis aura flaverit, moventur, sic et sublimes homines etiam levis nuntii fama conturbat; humiles autem, sicut in convalle, plerumque in tranquillitate consistunt.

Augustinus in serm. 2 de epiph. Quid autem erit tribunal iudicantis, quando superbos reges timere faciebat nativitas infantis? pertineant reges ad patris dexteram iam sedentem, quem rex impius timuit adhuc matris ubera lambentem.

Leo papa in serm. 4 de epiph. Superfluo tamen, herodes, timore turbaris: non capit Christum regio tua, nec mundi dominus potestatis tuae coepit esse contentus angustiis. Quem in iudaea regnare non vis, ubique regnat.

Glossa. Vel non solum propter se timuit, sed propter iram romanorum; decreverant enim romani ne quis rex vel Deus sine eorum consilio diceretur.

Gregorius in Evang. Caeli autem rege nato, rex terrae turbatus est, quia nimirum terrena altitudo confunditur cum celsitudo caelestis aperitur.

Leo papa in serm. 6 de epiph. Herodes etiam diaboli personam gerit, cuius sicut tunc fuit incentor, ita nunc quoque est indefessus imitator. Cruciatur enim vocatione gentium, et quotidiana potestatis suae destructione torquetur.

Chrysostomus super Matth. Uterque ergo zelo proprio turbatur, et sui regni successorem timebat: herodes terrenum, diabolus autem caelestem. Ecce autem et iudaicus populus turbatur, qui magis de auditu isto gaudere debuerat quia rex iudaicus surgere dicebatur. Sed turbabantur quia de adventu iusti non poterant gaudere iniqui. Aut certe turbantur ne forte iratus iudaico regi genus eius vexaret; unde sequitur et omnis hierosolyma cum illo.

Glossa. Volens illi favere quem timebat; populus enim plus iusto eis favet quos crudeles sustinet. Sequitur et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi. Ubi nota diligentiam inquirentis, ut si invenerit, faciat quod postea se velle ostendit; sin autem, excusatus sit romanis.

Remigius. Scribae autem dicti sunt, non tantum ab officio scribendi, sed potius ab interpretatione scripturarum; erant enim legis doctores. Sequitur sciscitabatur ab eis ubi Christus nasceretur. Hic attendendum est, quia non dixit: ubi Christus natus est, sed ubi nasceretur. Callide enim interrogavit eos, ut posset agnoscere si de rege nato laetarentur. Christum autem vocat, quia noverat inungi regem iudaeorum.

Chrysostomus super Matth. Ut quid autem interrogat herodes, qui non credebat scripturis? aut si credebat, quomodo sperabat posse interficere illum quem regem futurum esse dicebant? sed diabolus instigabat, qui credebat quod scripturae non mentiuntur. Sic sunt omnes peccatores, qui hoc ipsum quod credunt, perfecte credere non permittuntur; quod enim credunt, veritatis est virtus, quae non potest esse occulta; quod autem non credunt, excaecatio est inimici. Si enim perfecte crederent, sic viverent quasi post modicum transitori de hoc mundo, non quasi in aeternum mansuri. Sequitur at illi dixerunt: in bethlehem iudae.

Leo papa in serm. 1 de epiph. Magi quidem humano sensu significatum sibi regis ortum existimaverunt in civitate regia esse quaerendum. Sed qui servi susceperat formam, et non iudicare venerat, sed iudicari, bethlehem praelegit nativitati, hierosolymam passioni.

Theodorus in serm. Conc. Ephes. Si enim maximam romam elegisset civitatem, potentia civium mutationem orbis terrarum factam putarent; si filius fuisset imperatoris, potestati utilitatem adscriberent. Sed quid fecit? omnia egena et vilia elegit, ut divinitas cognosceretur orbem transformasse terrarum. Propterea pauperulam elegit matrem, pauperiorem patriam, egenus fit pecuniis, et hoc tibi exponit praesepe.

Gregorius in Evang. Bene etiam in bethlehem nascitur: bethlehem quippe domus panis interpretatur: ipse namque est qui ait: ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.

Chrysostomus super Matth. Cum autem debuissent celare mysterium regis praefiniti a Deo, maxime in conspectu alienigenae regis, facti sunt non praedicatores operum Dei, sed proditores mysteriorum eius; et non solum manifestant mysterium, sed etiam propheticum protulerunt exemplum; unde subiungunt sic enim scriptum est per prophetam, scilicet michaeam: et tu bethlehem terra iuda.

Glossa. Hoc sic ponit ut ab eis dictum est, qui etsi non verba, veritatem sensus quodammodo ponunt.

Hieronymus de optimo interpretandi genere. Unde hic reprehenduntur iudaei de ignorantia, quoniam prophetia dicit: tu bethlehem ephrata, illi dixerunt tu bethlehem terra iuda.

Chrysostomus super Matth. Sed adhuc ipsam prophetiam praecedentes, interficiendorum parvulorum facti sunt causa: sic enim scriptum erat: ex te exiet rex, qui pascet populum meum israel, et dies eius a diebus saeculi. Si ergo integram prophetiam protulissent, considerans herodes quia non erat rex terrenus cuius dies a diebus saeculi erant, in tantum furorem non exarsisset.

Hieronymus super Matthaeum, et super michaeam. Est autem sensus prophetiae talis: tu bethlehem terra iuda vel ephrata (quod ideo dicitur, quia est alia bethlehem in galgalis sita)., quamvis parvus vicus sis inter millia civitatum iuda, tamen ex te nascetur Christus, qui erit dominator israel, qui secundum carnem de David est, de me tamen natus est ante saecula; et ideo dicitur: egressus eius ab initio a diebus aeternitatis estia in principio verbum erat apud Deum. Sed hoc ultimum, ut dictum est, iudaei tacuerunt, alia vero mutaverunt, vel propter ignorantiam, ut dictum est, vel ad maiorem manifestationem, ut herodi alienigenae intellectum prophetiae aperirent; unde pro eo quod propheta dixit ephrata, quod erat nomen antiquum et forte herodi ignotum, dixerunt terra iuda; pro eo autem quod propheta dixerat: minima es in milibus iuda, volens ostendere parvitatem eius quantum ad populi multitudinem, dixerunt nequaquam minima es in principibus iuda, volentes ostendere magnitudinem dignitatis provenientem ex dignitate principis nascituri quasi dicerent: magna es inter civitates ex quibus principes prodierunt.

Remigius. Vel talis est sensus: quamvis minima videaris inter urbes principatum habentes, tamen non es minima, quia ex te exiet dux qui regat populum meum israel. Dux autem iste Christus est, qui populum fidelem regit et gubernat.

Chrysostomus in Matth. Intende autem certitudinem prophetiae; non enim dixit quod in bethlehem erit, sed quod de bethlehem exiet, ostendens quod ibi solum nasceretur. Quomodo autem habet rationem de zorobabel haec dicta esse ut quidam dicunt? non enim exitus eius fuit a principio ex diebus saeculi, neque etiam ex bethlehem exivit, cum non in iudaea, sed in babylonia natus sit. Est etiam ad hoc, testimonium quod dicit: nequaquam minima es, quia ex te exiet: nullus enim alius illustrem fecit villam in qua nasceretur quam Christus. Post nativitatem enim a finibus orbis terrarum veniunt visuri praesepe et tugurii locum. Non autem dixit: ex te exiet filius Dei, sed dux qui pascet populum meum israel: oportebat enim in principio condescendere ut non scandalizarentur, et quae ad salutem hominum pertinebant praedicare, ut magis inducerentur. Mystice autem dicit qui regat populum meum israel. Israel enim hic dicit eos qui crediderunt ex iudaeis; si autem non omnes Christus rexit, eorum est accusatio. De gentibus autem interim tacuit ne scandalizaret iudaeos. Vide autem mirabilem dispensationem: iudaei enim et magi simul se invicem docent: iudaei a magis audiunt quod Christum in orientis regione stella praedicabat, et magi a iudaeis quod prophetae antiquitus eum nuntiaverunt; ut geminato testimonio confirmati, ardentiori fide expeterent quem et stellae claritas et prophetiae manifestabat auctoritas.

Augustinus in serm. De epiph. Poterat enim stella quae magos perduxit ad locum ubi erat cum matre virgine Deus infans, ad ipsam eos perducere civitatem; sed tamen subtraxit se, nec eis prorsus apparuit, donec de civitate in qua Christus nasceretur et ipsi iudaei dicerent in bethlehem iuda: similes facti fabris arcae noe, qui aliis ubi evaderent, praestiterunt, et ipsi diluvio perierunt; similes lapidibus milliariis viam ostenderunt, nec ipsi ambulare potuerunt. Audierunt et abierunt inquisitores, dixerunt et remanserunt doctores. Nunc quoque iudaei simile aliquid nobis exhibere non desinunt: nonnulli enim paganorum, quando eis de scripturis testimonia clare proferimus, ut noverunt Christum ante prophetatum, suspecti ne forte a christianis ista conficta sint, malunt credere codicibus iudaeorum; et sicut tunc magi fecerunt, iudaeos dimittunt inaniter lectitare, ipsi pergunt fideliter adorare.

MATTHAEUS 2, 7-9

3207 (Mt 2,7-9)

Chrysostomus super Matth. Postquam audivit herodes responsum duplici modo credibile: primum quia a sacerdotibus fuerat dictum, deinde quia exemplo prophetico fuerat comprobatum, non tamen ad devotionem flectitur nascituri regis, sed ad malitiam interfectionis eius per dolum. Vidit enim quia non poterat magos nec blandimentis flectere nec minis terrere nec auro corrumpere, ut consentirent in interfectionem regis futuri; ideo illos decipere cogitavit; unde dicitur tunc herodes clam vocatis magis. Occulte autem vocavit eos ut non viderent iudaei quos habebat suspectos, ne forte quasi regem suae gentis amantes proderent consilium eius. Diligenter didicit ab eis tempus stellae.

Remigius. Idcirco diligenter, quia callidus erat et timebat ne non reverterentur ad eum, ut tunc sciret quid ageret de puero occidendo.

Augustinus in serm. 7 de epiph. Ferme autem biennio ante visa est stella mirantibus quid esset. Sed tunc intelligitur indicatum eis cuius esset stella quae iamdiu videbatur, quando natus est qui per illam significabatur. Sed postquam Christo nato revelatum est magis, venerunt ab oriente, et tertiadecima die adoraverunt eum, quem ante paucos dies natum fuisse didicerunt.

Chrysostomus in Matth. Vel ante multum tempus haec stella apparuit, quoniam multum tempus in itinere erant magi consumpturi, ut confestim cum natus esset, Christo assisterent, eum in fasciis adorantes, ut mirabilior appareret.

Glossa. Secundum alios vero a die nativitatis christi creditur stella tantum apparuisse, et peracto officio, cum nova esset, desiit esse. Ait enim fulgentius: puer natus novam stellam fabricavit. Cognito autem loco et tempore, personam pueri vult non ignorare; unde dicit ite, et interrogate diligenter de puero. Illud praeceperat quod absque praecepto erant facturi.

Chrysostomus in Matth. Non autem dicit interrogate de rege, sed de puero: ei enim etiam nomen potestatis inviderat.

Chrysostomus super Matth. Ergo ut ad hoc eos induceret, devotionem promittebat, et per eam gladium acuebat et malitiam cordis sui humilitatis colore depingebat. Talis est consuetudo omnium malignorum: quando aliquem in occulto gravius laedere volunt, humilitatem illi et amicitias fingunt. Unde dicit et cum inveneritis, renuntiate mihi, ut et ego veniens adorem eum.

Gregorius in Evang. Adorare eum se velle simulat, ut quasi hunc, si invenire possit, extinguat. Sequitur qui cum audissent regem, abierunt.

Remigius. Audierunt magi herodem ut quaerent dominum, sed non ut ad eum reverterentur. Significabant enim bonos auditores, qui bona quae audiunt a malis praedicatoribus faciunt; sed tamen opera illorum non imitantur.

MATTHAEUS 2,9

3209 (Mt 2,9)

Chrysostomus super Matth. Ex hoc loco ostenditur, quia cum stella deduxisset magos prope ierusalem, abscondita est ab eis, ut relictis a stella cogentur in ierusalem interrogare de Christo simul et manifestare propter duo: primo ad confusionem iudaeorum, quia gentiles stellae tantummodo visione confirmati, Christum per alienas provincias requirebant, et iudaei ab infantia prophetias legentes de Christo, et in suis finibus natum non susceperunt; demum ut interrogati sacerdotes unde nascitur Christus, ad praeiudicium suum responderent de bethlehem, quia qui herodem docuerant de Christo, ipsi ignorabant de illo; et ideo post interrogationem et responsionem habitam subditur et ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, ut considerantes obsequium stellae, regis intelligerent dignitatem.

Augustinus in serm. De epiph. Et ut Christo plenum redderet obsequium, temperavit gradum, donec magos perduceret ad puerum. Obsequium praebuit, non imperium adduxit: supplices ostendit, hospitium

radiavit amplissimo lumine, et tecta nati perfudit, sicque discessit; unde sequitur usque dum veniens staret supra ubi erat puer.

Chrysostomus super Matth. Quid autem mirum si soli iustitiae orituro stella ministrabat divina? stetit enim supra caput pueri, quasi dicens: hic est; ut quia loquendo monstrare non poterat, stando demonstraret.

Glossa. Hic autem apparet quod stella in aere posita erat, et domui in qua puer erat multum vicina; aliter enim domum non discrevisset.

Ambrosius super luc. Haec autem stella via est, et via Christus est, quia secundum incarnationis mysterium Christus est stella: ipse enim est stella splendida et matutina; unde ubi herodes est, non videtur; ubi autem Christus, rursus videtur, et viam monstrat.

Remigius. Vel stella significat gratiam Dei, herodes diabolum. Qui autem per peccatum se diabolo subdit, mox gratiam perdit; quod si per poenitentiam recesserit, mox gratiam invenit, quae non dimittit donec perducatur ad domum pueri, idest ecclesiam.

Glossa. Vel stella est illuminatio fidei, quae ad proximum ducit, quam dum divertunt ad iudaeos, magi amittunt: quia dum a malis consilium quaerunt, veram illuminationem perdunt.

MATTHAEUS 2,10-11

3210 (Mt 2,10-11)

Glossa. Postquam praemisit stellae obsequium, subiungit evangelista magorum gaudium dicens videntes autem stellam, gavisus sunt gaudio magno valde.

Remigius. Et sciendum quod non satis fuit dicere evangelistae gavisus sunt, sed addidit gaudio magno et valde.

Chrysostomus super Matth. Gavisus sunt quia spes eorum non erat decepta, sed amplius confirmata, quod tanti itineris non sine causa susceperunt laborem.

Glossa. Gaudio gaudet qui propter Deum gaudet, qui est verum gaudium. Addidit autem et magno, quia de magno gaudebant.

Chrysostomus super Matth. Per mysterium enim stellae intelligebant quoniam dignitas tunc nati regis excedebat mensuram omnium mundalium regum. Addidit etiam valde.

Remigius. Quia voluit ostendere quod magis gaudent homines de rebus perditis quam semper possessis. Subditur autem et intrantes domum, invenerunt.

Leo papa in serm. 4 de epiph. Quantitate parvum, alienae opis indigum, fandi impotentem, et in nullo ab humanae infantiae generalitate discretum; quia sicut fidelia erant testimonia quae in eo maiestatem invisibilis divinitatis ostenderent, ita probatissimum debebat esse, sempiternam illam essentiam filii Dei veram suscepisse hominis naturam. Cum maria matre eius.

Chrysostomus super Matth. Non diademate coronata aut in lecto aureo recumbente, sed vix tunicam habente unam, non ad ornamentum corporis, sed ad tegumentum nuditatis, qualem habere potuit carpentarii uxor peregre constituta. Si ergo regem terrenum quaerentes venissent, magis fuissent confusi quam gavisus, quia tanti itineris laborem sine causa suscepissent. Nunc autem quia caelestem regem quaerebant, etsi nihil regale videbant, in eo tamen solius stellae testimonio contenti, gaudebant oculi eorum contemptibilem puerum aspicere, quia spiritus in corde eorum terribilem eum monstrabat; unde procidentes adoraverunt eum; vident enim hominem et agnoscunt Deum.

Rabanus. Divino autem nutu factum est quod abierat ioseph, ne aliqua malae suspicionis occasio daretur gentibus.

Glossa. Qui licet morem suae gentis in donis offerendis sequantur arabes enim auro, thure et diversis generibus aromatum abundant tamen aliquid mysterii muneribus demonstrare volebant; unde sequitur apertis thesauris, obtulerunt ei munera: aurum, thus et myrrham.

Gregorius in Evang. Aurum quippe regi congruit, thus vero in Dei sacrificium ponebatur, myrrha autem mortuorum corpora condiuntur.

Augustinus in serm. De epiph. Aurum igitur solvitur quasi regi magno, thus immolatur ut Deo, myrrha praebetur quasi pro salute omnium morituro.

Chrysostomus super Matth. Haec autem etsi tunc non intelligebantur secundum quale mysterium ista gerebant, vel quid significaret unumquodque munus, eorum nihil contrarium est: gratia enim quae illos haec omnia facere hortabatur, ipsa ordinaverat universa.

Remigius. Et sciendum quod isti non singula obtulerunt, sed singuli tria; et singuli cum suis muneribus regem, Deum et hominem praedicaverunt.

Chrysostomus super Matth. Erubescant ergo marcion et paulus samosatenus, qui nolunt videre quae magi viderunt, qui ecclesiae sunt progenitores, Deum in carne adorantes. Nam quod in carne vera sit, panni monstrant et praesepe; quoniam autem non ut purum hominem adorant, sed ut Deum, demonstrant dona quae Deo offerre decens erat. Confundantur et iudaei videntes se praeventos a magis, et neque post illos venire studentes. **Gregorius** in Evang. Potest et in his aliud intelligi. Auro namque sapientia designatur, salomone teste, qui ait: thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis; thus, quod Deo incenditur, virtus orationis exprimitur, secundum illud: dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo; per myrrham vero carnis mortificatio figuratur. Nato ergo regi aurum offerimus, si in conspectu eius sapientiae lumine splendemus; thus offerimus, si per orationum studia Deo redolere valeamus; myrrham offerimus, si carnis vitia per abstinentiam mortificamus.

Glossa. Tres autem viri qui offerunt, significant gentes de tribus partibus mundi venientes. Thesauros aperiunt dum fidem cordis per confessionem ostendunt. Bene autem in domo docentes ne thesaurum bonae conscientiae iactando propalemus. Offerunt tria munera, hoc est fidem sanctae trinitatis; vel apertis thesauris scripturarum, historicum, moralem, et allegoricum sensum offerunt, vel logicam, physicam et ethicam, dum illa fidei servire faciunt.

MATTHAEUS 2,12

3212 (Mt 2,12)

Augustinus in serm. De epiph. Herodes impius factus ex timore crudelis voluit desaevire. Sed quomodo poterat capere eum qui ipsas fraudes venerat amputare? ut ergo eius fraus elideretur, sequitur et responso accepto.

Hieronymus. Qui enim munera obtulerunt domino, consequenter responsum accipiunt. Responsum, quod graece krematisthentes dicitur, non per angelum fit, sed per ipsum dominum, ut meritorum ioseph privilegium demonstraretur.

Glossa. Fit autem haec responsio per ipsum dominum quia nullus alius viam reversionis instituit nisi ille qui dicit: ego sum via. Non tamen loquitur puer ad eos ne divinitas ante tempus reveletur, et ut vera humanitas habeatur. Dicit autem et responso accepto; sicut enim moyses tacitus clamat, sic isti pie affectu interrogabant quid divina iuberet voluntas. Dicit autem per aliam viam reversi sunt in regionem suam, quia infidelitati miscendi non erant iudaeorum.

Chrysostomus in Matth. Intuere autem magorum fidem, qualiter non scandalizati sunt in seipsis dicentes: si magnus est puer hic, quae necessitas fugae est et occultae recessionis? hoc enim est verae fidei non quaerere causas eorum quae fieri praecipiantur, sed suaderi solum ab eis.

Chrysostomus super Matth. Si autem magi Christum quasi terrenum regem quaesissent, invenientes eum, apud ipsum mansissent; tunc autem adoraverunt et reversi sunt. Cum autem reversi fuissent, manserunt colentes Deum magis quam ante, et praedicantes multos erudierunt. Et denique cum thomas ivisset ad provinciam illam, adiuncti sunt ei; et baptizati, facti sunt executores praedicationis ipsius.

Gregorius in Evang. Magnum vero nobis aliquid magi innuunt, quod in regionem suam per aliam viam revertuntur. Regio quippe nostra paradus est, ad quem iesu cognito redire per viam qua venimus prohibemur. A regione etenim nostra superbiendo, inobediendo, visibilia sequendo, cibum vetitum gustando

discessimus; sed ad eam necesse est ut flendo, obediendo, visibilia contemnendo, atque appetitum carnis refrenando redeamus.

Chrysostomus super Matth. Nec etiam erat possibile ut qui ab herode ad Christum venissent, redirent ad herodem: qui enim relicto Christo ad diabolum transeunt per peccatum, frequenter per poenitentiam revertuntur ad Christum. Qui enim fuit in innocentia, dum nescit quid sit malum, facile decipitur; sed cum expertus fuerit malum quod invenit et recordatus bonum quod perdidit, compunctus redit ad Deum. Qui autem relicto diabolo venit ad Christum, difficile redit ad diabolum, quia dum gaudet in bonis quae invenit et recordatur mala quae evasit, difficile redit ad malum.

MATTHAEUS 2,13-15

3213 (Mt 2,13-15)

Rabanus. Hic praetermittit Matthaheus diem purificationis, in qua oportebat primogenitum offerri in templo, et agnum vel par turturum aut columbarum. Et quamvis timerent herodem, tamen non sunt ausi transgredi legem, quin ad templum puerum deferrent. Cum itaque rumor de puero iam inciperet dilatari, mittitur angelus qui in aegyptum faciat puerum transportari; unde dicit angelus domini apparuit in somnis ioseph.

Remigius. Per hoc quod semper angelus ioseph in somnis apparuisse dicitur, mystice designatur quia illi qui a curis terrenis et saecularibus negotiis quiescunt, perfrui angelica visione merentur. Dicit ergo ei: surge et accipe puerum et matrem eius.

Hilarius in Matth. Cum desponsatam eam iusto significabat, coniugem nuncupavit; sed post partum mater tantum iesu ostenditur, ut quemadmodum iusto ioseph deputaretur mariae in virginitate coniugium, ita venerabilis esse ostenderetur in iesu matre virginitas.

Chrysostomus super Matth. Non autem dicit: accipe matrem et puerum eius: sed e converso, quia non propter matrem puer natus est, sed propter puerum mater praeparata est. Sequitur et fuge in aegyptum. Quomodo autem filius Dei ante hominem fugit, aut quis liberet de inimicis, si et ipse inimicos suos timet? et primum quidem oportet ut regulam humanae naturae quam suscepit conservet et in hac parte, quia humanae naturae et puerilitati convenit fugere potestatem minantem; deinde ut ceteri christiani, cum necessitas persecutionis advenerit, fugere non erubescant. Sed quare in aegyptum? recordatus est enim dominus, qui non in finem irascitur, quanta mala fecerit super aegyptum; ideo mittit filium suum in eam et dat illi magnae reconciliationis signum, ut decem plagas aegypti una medicina sanaret; ut populus qui ante fuerat persecutor populi primogeniti, custos fieret filii unigeniti; ut quia illi violenter dominati sunt, isti cum devotione servirent; ut iam non irent ad mare rubrum demergendi, sed vocarentur ad aquas baptismatis vivificandi.

Augustinus in serm. De epiph. Audi etiam magni mysterii sacramentum. Moyses aliquando in aegypto perfidis clauserat diem; illuc Christus adveniens sedentibus in tenebris reddidit lucem; fugit ut illuminaret, non fugit ut lateret. Sequitur et esto ibi usque dum dicam tibi; futurum est enim ut herodes quaerat puerum ad perdendum eum. Putabat enim infelix tyrannus salvatoris adventu regali se solio detrudendum, sed non ita est: non ad hoc venerat Christus ut alienam gloriam invaderet, sed ut suam donaret. Sequitur qui consurgens, accepit puerum et matrem eius nocte et secessit in aegyptum.

Hilarius in Matth. Scilicet idolis plenam: iam enim post iudaeorum insectationem iudaeam relinquens, Christus ad gentes inanissimis religionibus deditas, colendus infertur.

Hieronymus in Matth. Quando igitur tollit puerum et matrem eius ut in aegyptum transeat, nocte tollit et in tenebris; quando vero revertitur in iudaeam, nec nox nec tenebrae ponuntur in evangelio.

Chrysostomus super Matth. Omnis enim perfectionis angustia nox est, refrigerium autem dies.

Rabanus. Vel quia luce vera recedente, lucis ipsius osiores in tenebris remanserunt, ipsa vero redeunte illuminantur.

Chrysostomus in Matth. Vide autem statim ipso nato tyrannum insanire, et quod mater cum puero ad extraneam effugatur regionem, ut si tu incipiens alicui spirituali rei deservire, videaris tribulari, non turberis, sed omnia viriliter feras, hoc habens exemplum.

Beda. Quod enim dominus a parentibus sublatus est in aegyptum, significat electos saepius malorum improbitate suis effugandos ex sedibus, vel etiam exilio damnandos. Si quidem ipse qui suis erat praeceptorum: cum vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam, primus fecit quod praecepit, fugiendo hominem quasi homo in terra, quem stella magis paulo ante adorandum monstravit ex caelo.

Remigius. Quod autem dominus in aegyptum iturus esset praedixerat isaias cum ait: ecce dominus ascendet super nubem levem et ingredietur aegyptum et disperdet simulacra aegypti. Consuetudo autem fuit istius evangelistae omnia quae dixit confirmare, et hoc ideo, quia iudaeis scribebat; ideoque subiungit ut adimpleretur quod dictum est a domino per prophetam dicentem: ex aegypto vocavi filium meum.

Hieronymus de optimo genere interpretandi. Hoc lxx interpretes non habent; sed in osee propheta iuxta hebraicam scribitur veritatem: quia puer israel est, et dilexi eum et ex aegypto vocavi filium meum, pro quo lxx transtulerunt: quia parvulus est israel, et dilexi eum, ex aegypto vocavi filium meum.

Hieronymus super osee. Hoc autem testimonio utitur evangelista, quia haec typice referuntur ad Christum. Notandum enim, quod in hoc propheta et in aliis ita de adventu christi et de vocatione gentium praenuntiatur, ut radix historiae non penitus deseratur.

Chrysostomus in Matth. Est etiam prophetiae lex multa multoties dici de aliis, compleri autem in aliis; sicut de simeone et levi dictum est: dividam eos in iacob et dispergam in israel; quod non in eis, sed in nepotibus completum est, quod et hic apparet. Christus enim natura Dei filius est, et sic in eo vere prophetia completur.

Hieronymus. Possumus autem et hunc locum conciliare, et inducemus testimonium ex numeris: Deus ex aegypto vocavit eum; gloria eius sicut unicornis.

Remigius. Per ioseph autem designatur ordo praedicatorum, per mariam sacra scriptura, per puerum notitia salvatoris, per persecutionem herodis persecutio quam passa est ecclesia in hierosolymis, per fugam ioseph in aegyptum transitus praedicatorum ad gentes infideles: aegyptus enim tenebrae interpretatur; per tempus quo fuit in aegypto spatium temporis ab ascensione domini usque ad adventum antichristi; per obitum herodis extinctio invidiae in cordibus iudaeorum.

MATTHAEUS 2,16

3216 (Mt 2,16)

Chrysostomus super Matth. Postquam parvulus iesus magos suo imperio subiugavit, non potestate corporis, sed gratia spiritus, irascebatur herodes, quia quos ipse sedens in throno regni suadere non potuit, his iesus parvulus placuit in praesepio iacens. Deinde contemnentes eum, magi addiderunt causas doloris; unde dicitur tunc herodes videns quoniam illusus esset a magis, iratus est valde. Illa enim regum ira magna et inextinguibilis est quam regni zelus accendit. Sed quid fecit? mittens occidit omnes pueros. Sicut enim bestia vulnerata, quicquid oculis eius occurrit, quasi auctorem sui vulneris dilaniat, sic et ille delusus a magis iram suam super parvulos diffundebat. Dicebat enim cogitans in furore: certe magi puerum invenerunt, quem regnaturum dicebant: nam rex regni zelo repletus, de his omnia timet, omnia suspicatur. Ideo ergo misit, et interfecit omnes parvulos, ut unum inveniret in omnibus.

Augustinus in serm. De epiph. Et dum insequitur Christum, regi nostro coevum procuravit exercitum stolis victricibus candidatum.

Augustinus in serm. 3 de innocent. Ecce profanus hostis beatis parvulis nunquam tantum prodesse potuisset obsequio, quantum profuit odio: nam quantum contra eos iniquitas abundavit, tantum gratia benedictionis effulsit. Idem. O parvuli beati. Ille de vestra corona dubitabit in passione pro Christo qui etiam parvulis baptismum prodesse non existimat christi: nam qui natus habere potuit praedicatores angelos, narratores caelos, adoratores magos, potuit et illis, ne pro eo sic morerentur, praestare, si sciret illa morte perituros, et non potius maiore felicitate victuros. Absit ut ad liberandos homines Christus veniens, de illorum praemio qui pro illo interficerentur, nihil egerit, qui pendens in ligno pro eis a quibus interficiebatur, oravit.

Rabanus. Non est autem contentus vastatione bethlehem, sed et adiacentia loca vastavit; nec ullam misericordiam aetatis habuit, a filio unius noctis usque ad filium duorum annorum, qui omnes occideret; unde subdit in bethlehem et in omnibus finibus eius a bimatu et infra.

Augustinus. In caelo enim viderant magi ignotissimam stellam non ante paucos dies, sed ante finem biennii, sicut inquirenti herodi patefecerunt; unde a bimatu et infra occidit infantes; propter quod sequitur secundum tempus quod exquisierat a magis.

Augustinus. Vel quia timebat ne puer cui sidera famulantur, speciem suam paulo super aetatem vel infra transformaret, vel aetatem sui temporis occultaret; ideo videtur pueros a bimatu usque ad pueros unius diei interfecisse.

Augustinus de cons. Evang. Vel aliquorum magis propinquantium periculorum terroribus agitatus, herodes ab illa cura, scilicet interficiendi pueros, mente abrepta, in aliis potius occupatur; vel potuit credere, magos fallaci stellae visione deceptos, posteaquam non invenerunt quem natum putaverant, erubuisse ad se redire; atque ita timore depulso, a persequendo puero quievit, et sic completis diebus purgationis, tute cum illo ascendere in templum potuerunt. Quis enim non videat unum illum diem regem multis occupatum latere potuisse? deinde vulgatis rebus quae in templo dictae factaeque fuerant, herodes sensit se a magis illum; ac deinde, sicut hic dicitur, multos infantes occidit.

Beda in hom. In festo innocent. In hac autem morte puerorum, omnium christi martyrum pretiosa est mors designata: quod parvuli occisi sunt, significat per humilitatis meritum ad martyrii perveniendum gloriam; quod in bethlehem et in omnibus finibus eius occisi sunt, ostendit in iudaea, unde ecclesiae coepit origo, et ubique per orbem persecutionem saevituram; quod bimi occisi sunt, doctrina et operatione perfectos indicat; qui vero infra, simplices; quod illi quidem occisi sunt, et Christus evasit, insinuat corpora martyrum ab impiis posse perimi, sed Christum ab eis non posse auferri.

MATTHAEUS 2,17-18

3217 (Mt 2,17-18)

Chrysostomus in Matth. Quia evangelista horrore implevit auditorem, crudelem occisionem narrans, rursus mitigationem apponit ostendens quod haec non facta sunt Deo nequeunte prohibere atque ignorante, sed per prophetam praedicente; unde dicit tunc impletum est.

Hieronymus super ierem. Hoc ieremiae testimonium Matthaeus, non secundum hebraicam veritatem nec iuxta lxx protulit. Ex quo perspicuum est evangelistas et apostolos non interpretationem alicuius secutos, sed tamquam hebraeos, quod legebant hebraice, suis sermonibus expressisse.

Hieronymus in Matth. Quod autem dicitur in rama, non putamus loci nomen esse, quod est iuxta gabaa, sed rama excelsum interpretatur; ut sit sensus: vox in excelso audita est, idest longe lateque dispersa.

Chrysostomus super Matth. Vel quoniam de morte innocentium mittebatur, ideo in excelso audiebatur, secundum illud: vox pauperis penetrat nubes. Quod autem dicit ploratus, fletum parvulorum ostendit; quod autem dicit ululatus, matrum significat lamentum. In parvulis autem mors faciebat finem doloris, in matribus autem semper per memoriam reparatur; et ideo dicit: ululatus multus; rachel plorans filios suos.

Hieronymus. De rachel natus est beniamin, in cuius tribu non est bethlehem. Quaeritur ergo quomodo rachel filios iudae, idest filios bethlehem, quasi suos ploret. Respondebimus breviter, quia sepulta sit iuxta bethlehem in ephrata, et ex corpusculi hospitio matris nomen accepit. Sive quoniam iuda et beniamin duae tribus iunctae erant, et herodes praeceperat, non solum in bethlehem interfici pueros, sed et in omnibus finibus eius; per occisionem bethlehem intelligimus multos etiam de beniamin fuisse caesos.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam. Vel quia filii beniamin, qui ad rachel pertinent, olim a reliquis tribubus extincti sunt, et in praesenti et in futuro erasi. Tunc ergo rachel coepit filios suos plangere quando filios sororis suae in tali causa vidit occisos, ut aeternae vitae heredes existerent: cui enim aliquid adversum evenit, ex felicitate alterius infausta sua miserius luget.

Remigijs. Assumpsit autem sanctus evangelista ad exaggerandam magnitudinem luctus, ut diceret etiam rachelem mortuam plorasse filios suos et noluit consolari, quia non sunt.

Hieronymus. Et hoc secundum duplicem intelligentiam: sive quod eos in aeternum mortuos existimaret, sive quod se consolari nollet de his quos scivit esse victuros; ut sit sensus: noluit consolari, de hoc quod non essent.

Hilarius in Matth. Non enim non erant hi qui mortui putabantur: in aeternitatis enim profectum per martyrii gloriam efferebantur; consolatio autem rei amissae erat praestanda, non auctae. Rachel ecclesiae typum praetulit diu sterilis, nunc fecundae. Huius ploratus ex filiis, non idcirco quia peremptos dolebat, auditur, sed quia ab his perimebatur quos primum genitos filios retinere voluisset.

Rabanus. Vel significat ecclesiam quidem plorare sanctorum de hoc saeculo ablationem, sed non ita velle se consolari, ut qui saeculum morte vicerunt, rursus ad saeculi certamina secum redeant toleranda, quia non sunt ultra revocandi in mundum.

Glossa. Vel non vult consolari in praesenti, quia non sunt, sed omnem spem et consolationem ad aeternam transmittit vitam.

Rabanus. Bene autem Rachel, quia ovis vel videns dicitur, ecclesiam figurat, cuius tota intentio ut Deum contempletur, invigilat; et ipsa est ovis centesima quam pastor in humeris reportat.

MATTHAEUS 2,19-20

3219 (Mt 2,19-20)

Ex historia eccles. Cum pro sacrilegio, quod herodes in salvatorem commiserat et scelere quod in aequaevos eius peregerat, ultio eum divina perurgeret in mortem, corpus eius, ut iosephus refert, morbus invasit diversus, ita ut diceretur a vatibus, non morbi corporis haec, sed divinae ultionis esse supplicia. Ipse autem furore iam plenus nobiliores et primarios ex omni iudaea ad se colligi, et recludi iubet in carcere, mandans, statim ut spiritum exhalasset, omnes interfici ut eius obitum omnis iudaea defleret invita. Paulo autem antequam novissimum spiritum redderet, antipatrum filium suum iugulavit, post duos pueros ante necaverat, scilicet alexandrum et aristobulum. Talis igitur herodis finis, qui digna supplicia scelere quod in bethlehem erga parvulos gesserat, et pro insidiis salvatoris exactus est: ab evangelista designatur cum dicit defuncto autem herode.

Hieronymus. Multi propter ignorantiam historiae labuntur in errorem, putantes eundem esse herodem a quo in passione dominus irridetur, et qui nunc mortuus esse refertur. Ergo herodes ille, qui cum pilato postea amicitias fecit, huius herodis filius est, frater archelai, quem tiberius caesar lugdunum relegavit, fratremque eius herodem successorem regni fecit. Primo ergo herode defuncto, ecce apparuit angelus domini in somnis ioseph in aegypto dicens: surge, et accipe puerum et matrem eius. Dionysius de caelesti hierarchia. Vide quoniam et ipse iesus super caelestibus essentiis superexistens, ad id quod secundum nos est immutabiliter veniens, non refugit ad se ordinatam et assumptam humanam ordinationem, sed obediens subditur Dei patris per angelos dispositionibus et per angelos ipsos annuntiatum ioseph a patre disposita filii ad aegyptum recessio, et iterum ad iudaeam ex aegypto transductio.

Chrysostomus super Matth. Vides enim quia ioseph ad ministerium mariae erat electus: eunte enim illa in aegyptum et redeunte, quis ministerium ei tantae necessitatis impleret nisi desponsata fuisset? nam prima quidem facie maria puerum nutrebat et ioseph conservabat; revera autem puer et matrem nutrebat et ioseph tuebatur. Sequitur et vade in terram israel: quasi medicus enim descendit in aegyptum, ut visitaret eam languentem erroribus, non ut remaneret in ea. Ratio autem reversionis assignatur cum subditur defuncti sunt enim qui quaerebant animam pueri.

Hieronymus. Ex hoc loco intelligimus non solum herodem, sed etiam sacerdotes et scribas eo tempore necem domini fuisse meditados.

Remigius. Sed si multi fuerunt, quomodo in tam brevi spatio extincti sunt? quia, ut dictum est, herode mortuo, occisi sunt omnes maiores qui in custodia tenebantur.

Chrysostomus super Matth. Quod dicitur consilio factum esse, quia consenserunt herodi, ut inquireret puerum et occideret, quia scriptum est: turbatus est herodes, et omnis hierosolyma cum illo.

Remigius. Aut certe locutus est evangelista per speciem tropi, quando multi ponuntur pro uno. In hoc autem quod dicit animam pueri, destruuntur haeretici qui dixerunt Christum non sumpsisse animam, sed loco animae habuisse divinitatem.

Beda in hom. De innocent. Quod autem occisis pro domino pueris, herodes non longe post obiit, et ioseph dominum cum matre ad terram israel reduxit, significat omnes persecutiones quae contra ecclesiam erant movendae, persecutorum morte vindicandas, et pacem ecclesiae denuo reddendam, et sanctos qui latuerant ad sua loca reversuros. Vel quod defuncto herode, redit ad terram israel iesus, denuntiat quod enoch et elia praedicantibus, iudaei, sopita modernae invidiae flamma, fidem veritatis accipient.

MATTHAEUS 2,21-23

3221 (Mt 2,21-23)

Glossa. Angelicae admonitioni ioseph non inobediens fuit; unde sequitur qui consurgens, accepit puerum et matrem eius et venit in terram israel. Non enim determinaverat angelus in quo loco terrae israel; ut dubitante ioseph, iterum revertatur, et frequentiori visitatione angeli certior redderetur; unde sequitur audiens autem quod archelaus regnaret in iudaea pro herode patre suo, timuit illo ire. Iosephus antiq. Iud. Et de bello iud. Habuit siquidem herodes uxores novem, ex quarum septem numerosam suscepit sobolem: primogenitus eius antipater ex iosida, alexander et aristobulus ex mariamne, archelaus ex mathaca samaritide, herodes antipas, qui postea tetrarcha fuit, et philippus, ex cleopatra hierosolymitide. Tribus igitur primis ab herode interfectis, et post mortem eius occasione testamenti patris, archelao gubernationem regni usurpante, et causa de successione regni ad caesarem augustum delata, tandem de consilio senatus omnem herodis monarchiam distribuit: mediam partem, scilicet idumaeam et iudaeam, tradens archelao sub nomine tetrarchiae, pollicitus se facturum eum regem, si se dignum praebuisset; mediam vero partem in duas secuit tetrarchias: cessitque galilaea in partem herodis tetrarchae, ituraeae vero et trachonitidis regio philippo. Factus est ergo post herodem defunctum archelaus quasi diarchus, quod domini genus hic regnum appellat.

Augustinus de cons. Evang. Sed hic aliquis quaeret: quomodo, sicut Lucas narrat, ibant parentes eius per omnes annos pueritiae christi in ierusalem, si archelai timore ibi prohibebantur accedere? hoc dissolvere non est difficile: fieri enim poterat ut per diem festum, inter tam ingentem turbam latenter ascenderent mox reversuri, cum tamen aliis diebus habitare metuerent: ut nec solemnitate praetermissa essent irreligiosi, nec continua mansione perspicui. Iste quoque intellectus patet; ut quod Lucas dicit per omnes annos eos ascendere solitos in ierusalem, tunc accipiamus factum cum iam non metueretur archelaus, qui, secundum historiam ioseph, solum novem annis regnavit. Sequitur et admonitus in somnis secessit in partes galilaeae. Sed forte hic quispiam moveatur: cum Matthaeus dixerit, ideo timuisse ioseph cum puero redeuntem ire in iudaeam quia pro patre suo herode archelaus filius eius regnabat, quomodo potuit ire in galilaeam, ubi alius filius eius herodes tetrarcha erat, ut Lucas testatur? quasi vero ipsa sint tempora quibus puero timebatur, quae Lucas commemoravit, quae usque adeo mutata erant ut in ipsa iudaea non rex esset archelaus, sed praeses pilatus.

Glossa. Sed tunc quaeritur: quare non timuit ioseph in galilaeam ire, cum et ibi archelaus regnaret? sed melius potuit latere cum puero in nazareth, quam in ierusalem, ubi erat caput regni et assiduus archelaus.

Chrysostomus in Matth. Immo quia regionem ortus sui mutavit, res in posterum caligine obducta est. Omnis quippe impetus persequentis in bethlehem eiusque fines desaevierat. Venit igitur ioseph in nazareth et periculum fugiens et in patriam rediens; unde sequitur et veniens habitavit in civitate quae vocatur nazareth.

Augustinus de cons. Evang. Forte et hoc movet, quomodo dicat Matthaeus, propterea cum puero iesu parentes eius isse in galilaeam, quia metu archelai in ierusalem ire noluerint; cum propterea magis esse in galilaea videantur, quia civitas eorum erat nazareth galilaeae, sicut Lucas non tacuit. Sed intelligendum est, quia ubi angelus in somnis in aegypto dixit ad ioseph: vade in terram israel, sic intellectum primo esse a ioseph, ut putaret rectius esse pergere in iudaeam: ipsa enim primitus intelligi potuit terra israel. Postquam vero comperit ibi regnare archelaum, noluit obiicere se periculo, cum posset terra israel etiam galilaea intelligi, quia et ipsam populus israel incolebat. Quamquam possit et aliter solvi: quia potuit videri parentibus christi non esse habitandum ibi cum puero, nisi in ierusalem ubi erat templum domini; et illuc ivissent, nisi archelai praesentia terrerentur. Non autem divinitus iubebantur in iudaea vel in ierusalem habitare, ut de archelao quod timebant deberent contemnere; sed in terra israel, in qua etiam, ut dictum est, poterat intelligi galilaea.

Hilarius in Matth. Verum typica ratio conservata est: ioseph enim apostolorum tenet speciem, quibus Christus circumferendus est creditus. Hi tamquam herode mortuo, idest populo eius in passione domini

deperdito, iudaeis praedicare sunt iussi (missi enim erant ad oves perditas domus israel).; sed manente hereditariae infidelitatis dominatu, metuunt et recedunt; admoniti per visum, spiritus sancti donum in gentibus contemplantes, ad eas conferunt Christum.

Rabanus. Vel hoc ultima tempora ecclesiae designat, quando plurimis iudaeorum ad praedicationem enoch et eliae conversis, ceteri ad instinctum antichristi contra fidem pugnabunt. Pars igitur iudaeae in qua regnabat archelaus, antichristi sequaces ostendit; nazareth autem galilaeae, quo transfertur Christus, partem eiusdem gentis quae fidem est susceptura designat: unde galilaea transmigratio, nazareth autem flos virtutum interpretatur, quia ecclesia quo ardentius a terrenis ad caelestia transmigrat, eo magis virtutum flore et germine abundat.

Glossa. Huic autem prophetae testimonium adiungit dicens ut impleretur quod dictum est per prophetas, quoniam nazaraeus vocabitur.

Hieronymus. Si fixum de scripturis posuisset exemplum, nunquam diceret quod dictum est per prophetas; sed simpliciter: quod dictum est per prophetam. Nunc autem pluraliter prophetas vocans, ostendit se non verba de scripturis sumpsisse, sed sensum. Nazaraeus interpretatur sanctus; sanctum autem dominum futurum omnis scriptura commemorat. Possumus et aliter dicere: quod etiam eisdem verbis iuxta hebraicam veritatem in isaia scriptum sit: exiet virga de radice iesse, et nazaraeus de radice eius consurget.

Chrysostomus super Matth. Aut forte legerunt et aliquos prophetas ita dicentes, qui non sunt nobis canonizati, sicut nathan et esdra. Et quoniam hoc prophetatum erat, manifestat philippus dicens ad nathanaelem: quem scripsit moyses in lege, invenimus iesum a nazareth. Unde etiam prius christiani nazaraei vocabantur; sed apud antiochiam mutatum est hoc nomen, et dicti sunt christiani.

Augustinus de cons. Evang. Haec autem omnia quae sunt a narratione magorum et deinceps, Lucas tacet. Hoc proinde cognoscendum, quod deinceps ad cetera valeat: sic unumquemque evangelistarum contexere narrationem suam, ut tanquam nihil praetermittentis series digesta videatur; tacitis enim quae non vult dicere, sic ea quae vult dicere illis quae dicebat adiungit ut ipsa continuo sequi videantur; sed cum alter dicit ea quae alter tacuit, diligenter ordo consideratus indicat locum ubi ea potuerint a quo praetermissa sunt, transiliri.

MATTHAEUS 3,1-3

3301 (Mt 3,1-3)

Chrysostomus super Matth. Sol appropians, antequam appareat, mittit radios suos et facit albescere orientem, ut praecedens aurora adventum diei demonstret; sic dominus natus in mundo, antequam appareat, per doctrinam spiritus sui fulgore transmissio illuminavit iohannem, ut praecedens ille adventum annuntiet salvatoris: et ideo post ortum christi enarratum, doctrinam eius enarraturus evangelista et baptismum, in quo testimonium habuit, de praecursore et baptista praemittit, dicens in diebus autem illis venit iohannes baptista praedicans in deserto.

Remigius. His autem verbis, beati iohannis non solum tempus et locum et personam, sed etiam officium et studium demonstrat. Tempus generale demonstrat cum dicit in diebus autem illis.

Augustinus de cons. Evang. Hoc autem tempus Lucas per terrenas potestates expressit cum dixit: anno quintodecimo. Sed intelligere debemus Matthaeum cum diceret in diebus illis, in multo longiori spatio accipi voluisse. Mox enim ut narravit regressum de aegypto Christum, quod utique tempore pueritiae vel infantiae factum est, ut possit stare quod Lucas de illo cum duodecim esset annorum narravit, continuo intulit in diebus autem illis: non utique pueritiae tantum illius dies insinuans, sed omnes dies ab eius nativitate usque quo praedicare coepit iohannes.

Remigius. Personam ostendit cum dicit venit iohannes; idest, manifestavit se, qui tamdiu prius latuerat.

Chrysostomus. Sed quare necessarium fuit ut iohannes Christum praeveniret operum testimonio Christum praedicante? primo quidem ut hinc christi dignitatem discas, quod sicut pater, ita et ipse propheta habet, secundum illud zachariae: et tu, puer, propheta altissimi vocaberis. Deinde ut nullam causam inverecundiae iudaeis relinquat: quod et ipse demonstrat dicens: venit iohannes neque manducans neque bibens, et dicunt: daemonium habet. Venit filius hominis manducans et bibens, et dicunt: ecce homo edax. Sed et aliter necessarium erat ab alio prius dici quae de Christo erant, et non ab ipso; alias iudaei quid dixissent, qui

post testimonium iohannis dixerunt: tu testimonium perhibes de teipso? testimonium tuum non est verum.

Remigius. Officium subiungit cum dicit baptista: in quo domini viam praeparavit: nisi enim baptizari homines consuescerent, baptismum christi abhorrerent. Studium ostendit cum ait praedicans.

Rabanus. Quia etiam Christus praedicaturus erat: postquam enim visum fuit idoneum tempus, scilicet circa triginta annos, incipiens praedicationem suam, viam domini praeparavit.

Remigius. Locum subiungit dicens in deserto iudaeae. Maximus. Ubi ad praedicationem eius nec insolens turba perstreperet nec infidelis auditor rediret, sed hi tantum audire possent qui praedicationem cura divini cultus expeterent.

Hieronymus super isaiam. Vel in hoc considerandum est quod salutare Dei et gloria domini non praedicatur in ierusalem sed in solitudine ecclesiae et in deserta gentium multitudine.

Hilarius in Matth. Vel etiam ad iudaeam venit desertam Dei frequentatione, non populi, ut praedicationis locus, eorum quibus praedicatione erat missa, solitudinem testaretur.

Glossa. Vel typice desertum significat vitam a mundi illecebris segregatam, quae poenitentibus competit.

Augustinus de utilitate poenitentiae. Nisi autem poeniteat aliquem vitae veteris, novam non potest inchoare.

Hilarius. Et ideo poenitentiam, regno caelorum appropinquante, pronuntiat, per quam est reditus ab errore, recursus a crimine, et post vitiorum pudorem professio desinendi, dicens poenitentiam agite.

Chrysostomus super Matth. Ubi manifestat in ipso principio, quia benigni regis est nuntius: non enim peccatoribus minus intendebat, sed indulgentiam promittebat. Solent reges nato sibi filio, indulgentiam in regno suo donare; sed ante transmittunt acerbissimos exactores. Deus autem nato sibi filio, volens donare indulgentiam peccatorum, praemisit quasi exactorem exigentem, et dicentem poenitentiam agite. O exactio quae non fecit pauperes, sed divites reddit. Nam cum quis debitum iustitiae suae reddiderit, Deo nihil praestat, sed sibi lucrum suae salutis acquirit. Poenitentia enim cor emundat, sensus illuminat et ad susceptionem christi praeparat humana praecordia; unde subiungit appropinquabit enim regnum caelorum.

Hieronymus. Primus baptista iohannes regnum caelorum praedicat, ut praecursor domini hoc honoretur privilegio.

Chrysostomus in Matth. Ideoque quod nunquam iudaei audierunt neque etiam a prophetis, caelos et regnum quod ibi est, praedicat, et nihil de cetero de terra dicit. Sic ergo ex novitate eorum quae dicuntur erigit eos ad quaerendum eum qui praedicatur.

Remigius. Regnum autem caelorum quatuor modis dicitur: nempe Christus, secundum illud: regnum Dei intra vos est; sancta scriptura, secundum illud: auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructum eius; sancta ecclesia, secundum illud: simile est regnum caelorum decem virginibus; supernum solium, secundum illud: multi venient ab oriente et occidente, et recumbent in regno caelorum; et hoc totum hic potest intelligi.

Glossa. Dicit autem appropinquabit regnum caelorum, quia nisi appropinquaret, nemo redire posset, quia infirmi et caeci via, quae est Christus, carebant.

Augustinus de cons. Evang. Haec autem verba iohannis alii evangelistae praetermiserunt. Iam vero quod sequitur hic est qui dictus est per isaiam prophetam dicentem: vox clamantis in deserto: rectas facite semitas eius, ambigue positum est, nec elucet utrum ex persona sua evangelista commemoraverit, an adhuc verba eiusdem iohannis secutus adiunxerit, ut totum hoc iohannes dixisse intelligatur: poenitentiam agite: appropinquabit enim regnum caelorum. Hic est enim de quo dictum est per isaiam prophetam. Neque enim hoc movere debet quia non ait: ego sum, sed hic est; nam et Matthaeus dixit: invenit hominem sedentem in telonio, et non dixit: invenit me. Quod si ita est, non est mirum si et interrogatus quid diceret de seipso, sicut narrat iohannes evangelista, respondit: ego vox clamantis in deserto.

Gregorius in Evang. Sicut autem, quia unigenitus filius verbum patris vocatur, secundum illud: in principio erat verbum. Ex ipsa autem nostra locutione cognoscimur, quia vox sonat ut verbum possit audiri. Adventum itaque domini iohannes praecurrens vox dicitur, quia per eius ministerium patris verbum ab hominibus auditur.

Chrysostomus super Matth. Vox etiam est sonus confusus, nullum secretum cordis ostendens, sed hoc tantummodo significans quia vult aliquid dicere ille qui clamat; verbum autem est sermo mysterium cordis aperiens. Ad haec, vox inter homines et animalia communis est; verbum autem est hominum tantum. Ideo ergo Ioannes dictus est vox, non verbum, quia per eum Deus sua consilia non demonstravit, sed hoc solum quod Deus aliquid facere in hominibus meditabatur; postea autem per filium suum plenissime mysterium suae voluntatis aperuit.

Rabanus. Qui recte vox clamantis ob fortitudinem praedicationis dicitur. Tribus autem modis clamor accidit: hoc est, si longe positus est cui loquatur, si surdus, si per indignationem; et haec humano generi acciderunt.

Glossa. Est igitur Ioannes quasi vox verbi clamantis: verbum enim clamat in voce, idest Christus in ioanne.

Beda. Sicut etiam clamavit in omnibus qui a principio aliquid divinitus dixerunt; et tamen iste solus est vox: quia per eum praesens verbum ostenditur, quod alii longe nuntiaverunt.

Gregorius in Evang. Ipse autem Ioannes est clamans in deserto, quia derelictae ac destitutae iudaeae solatium redemptoris annuntiat.

Remigius. Quantum autem ad historiam attinet, in deserto clamabat, quia remotus erat a turbis iudaeorum. Quid autem clamet, insinuat cum subiungit parate viam domini.

Chrysostomus super Matth. Sicut enim magno regi in expeditionem venturo praeparatores praecedunt qui sordida abluunt, dirupta componunt, sic et dominum nostrum praecessit Ioannes, qui ab humanis cordibus poenitentiae scopis peccatorum sordes eiiceret, et quae dissipata fuerant, spiritualium praeceptorum ordinatione componeret. **Gregorius** in Evang. Omnis autem qui fidem rectam et bona opera praedicat, domino ad corda audientium viam parat, rectas domino semitas facit, dum mundas animo cogitationes per sermonem bonae praedicationis format.

Glossa. Vel fides est via qua verbum ad cor descendit: cum mores in melius mutantur, fiunt semitae rectae.

MATTHAEUS 3,4

3304 (Mt 3,4)

Chrysostomus super Matth. Postquam ostendit quia ipse est vox clamantis in deserto, prudenter evangelista subiunxit ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, in quo ostenditur quae sit vita ipsius: nam ipse quidem testificabatur de Christo, vita autem eius de ipso. Nemo autem potest esse alterius testis idoneus, nisi prius fuerit suus.

Hilarius in Matth. Fuerant enim praedicanti ioanni et locus opportunior et vestitus utilior et cibus aptior.

Hieronymus. De pilis enim camelorum habebat vestimentum, non de lana. Aliud austerae vestis indicium est, aliud luxuriae mollioris.

Chrysostomus super Matth. Servis autem Dei non convenit habere vestimentum ad speciem visionis vel ad carnis delectamentum, sed tantum ad tegumentum nuditatis. Habebat enim Ioannes vestem non mollem neque delicatam, sed cilicinam, gravem et asperam, et conterentem corpus potius quam foventem, ut de virtute animae eius ipse habitus corporis loqueretur. Sequitur et zonam pelliceam circa lumbos suos. Consuetudo enim erat apud iudaeos ut zonis laneis uterentur: ideo iste, quasi durius aliquid facere volens, zona pellicea cingebatur.

Hieronymus. Porro quod sequitur, esca eius erat locustae et mel silvestre, habitatori solitudinis congruum est, ut non delicias ciborum, sed necessitates humanae carnis expleret.

Rabanus. Tenui victu contentus, et ex minutis volatilibus et melle invento in truncis arborum. In dictis autem arnulphi galliarum episcopi reperimus minimum genus locustarum fuisse in deserto iudaeae, quae corpusculis in modum digiti manus exilibus et brevibus in herbis facile capiuntur, coctaeque in oleo pauperem praebent gustum. Similiter narrat, in eodem deserto esse arbores habentes lata folia et rotunda, lactei coloris, et melliti saporis, quae natura fragilia manibus fricantur et eduntur, et hoc est quod mel silvestre dicitur.

Remigius. Sub hoc autem habitu vestimentorum et vilitate ciborum ostendit se peccata totius generis humani deflere.

Rabanus. Potest et habitus et gustus eius, qualitatem internae conversationis exprimere: nam austerioribus utebatur indumentis quia vitam peccantium increpavit.

Hieronymus. Zona quidem pellicea, qua cinctus fuit et elias, mortificationis est indicium.

Rabanus. Locustas et mel silvestre edebat quia dulcius sapiebat turbis praedicatio eius; sed citius finem sortita est: in melle enim dulcedo, in locustis est alacer volatus, sed cito deciduus.

Remigius. Per iohannem autem, qui Dei gratia interpretatur, significatur Christus, qui mundo gratiam attulit; per vestimentum illius designatur ecclesia gentium.

Hilarius in Matth. Cum exuviis immundarum pecudum, quibus gentiles pares existimantur, christi praedicator induitur, fitque sanctificatum habitu prophetali quidquid in eis vel inutile fuerat vel sordidum. Zonaem autem praecinctio, efficax in omne opus bonum est apparatus, ut ad omne ministerium christi simus accincti. In esum etiam eliguntur locustae fugaces hominum, et ad omnem adventum nostri sensus evolantes: nos scilicet, qui ab omni sermone et congressu ipsis quibusdam corporis saltibus efferebamur voluntate vagi, in operibus inutiles, in verbis queruli, sede peregrini; nunc sumus sanctorum alimonia et satietas prophetarum electi, simul cum melle silvestri, dulcissimum ex nobis cibum non ex alveariis legis, sed ex truncis silvestrium arborum praebituri.

MATTHAEUS 3,5-6

3305 (Mt 3,5-6)

Chrysostomus super Matth. Conversatione iohannis exposita, convenienter subiungit tunc exhibit ad eum; amplius enim resonabat conversatio vitae eius in eremo, quam vox clamoris ipsius.

Chrysostomus in Matth. Erat enim mirabile in humano corpore tantam patientiam videre: quod denique et iudaeos magis attrahebat, magnum eliam in eo videntes. Conferebat autem ad stuporem quod dereliquerat eos gratia prophetarum, et post longum tempus reversa videbatur ad eos. Praedicationis etiam modus immutatus ad id proderat: nihil enim assuetorum apud alios prophetas audiebant, puta praelia et victorias babylonicas et persicas, sed caelos, et quidem illic regnum, et supplicium gehennae. Dicit autem tunc exhibit ad eum ierosolyma et omnis iudaea et omnis regio circa iordanem, et baptizabantur ab eo in iordane.

Glossa. Baptismo praecurrente, non peccata dimittente.

Remigius. Baptismus enim iohannis figuram gerebat catechumenorum: nam sicut modo catechizantur pueri, ut digni fiant sacramento baptismatis, ita iohannes baptizabat, ut baptizati ab eo, postea devote vivendo digni fierent accedere ad christi baptismum. In iordane autem baptizabat, ut ibi aperiretur ianua regni caelestis ubi datus est aditus filiis israel terram promissionis intrandi. Sequitur confitentes peccata sua.

Chrysostomus super Matth. Ad comparisonem enim sanctitatis iohannis quis poterat arbitrari se iustum? sicut enim vestis candida si fuerit posita iuxta nivem, ad comparisonem nivis sordida invenietur, sic ad comparisonem iohannis omnis homo videbatur immundus; et ideo peccata sua confitebantur. Confessio autem peccatorum testimonium est conscientiae timentis Deum. Perfectus enim timor solvit omnem pudorem. Illic autem turpitudine confessionis aspicitur ubi futuri iudicii poena non creditur. Et quia ipsum erubescere poena est gravis, ideo iubet nos Deus confiteri peccata nostra ut verecundiam patiamur pro poena: nam et hoc ipsum pars iudicii est.

Rabanus. Bene autem qui baptizandi erant, exire ad prophetam dicuntur, quia nisi quis ab infirmitate recedat, pompae diaboli ac mundi illecebris abrenuntiet, baptismum salubre consequi non poterit. Bene autem in iordane, qui descensio eorum dicitur, baptizantur: quia de superbia vitae ad humilitatem verae confessionis descenderant. Exemplum autem iam tunc confitendi peccata ac meliorem vitam promittendi baptizandis dabatur.

MATTHAEUS 3, 7-10

3307 (Mt 3,7-10)

Gregorius regula pastor. Pro qualitate audientium formari debet sermo doctorum, ut ad sua singulis congruat, et tamen a communis aedificationis arce nunquam recedat.

Glossa. Unde necesse fuit ut post doctrinam quam Ioannes turbis tradiderat, evangelista etiam illius doctrinae faceret mentionem qua instruxit eos qui provectiores videbantur; et ideo dicit videns autem multos pharisaeorum et sadducaeorum venientes ad baptismum suum.

Isidorus in lib. Etymol. Pharisei et sadducaei inter se contrarii sunt: nam pharisei ex hebraeo in latinum interpretantur divisi, eo quod traditionum et observationum iustitiam praeferunt: unde divisi vocantur a populo quasi per iustitiam. Sadducaei interpretantur iusti: vindicant enim sibi quod non sunt, corporum resurrectionem negant, et animam cum corpore interire praedicant. Hi tantum quinque libros legis recipiunt, prophetarum vaticinia respuunt.

Glossa. Hos ergo qui inter iudaeos maiores videbantur, videns Ioannes ad baptismum suum venire, dixit eis: progenies viperarum, quis vobis demonstrabit fugere a ventura ira? **Remigius.** Consuetudo scripturarum est ab imitatione operum nomina imponere, secundum illud Ezech.: pater tuus amorrhaeus; sic et isti ab imitatione viperarum, progenies viperarum dicuntur.

Chrysostomus super Matth. Sicut enim artificiosus medicus si viderit aegrotantis colorem, intelligit speciem passionis, sic Ioannes venientium ad se pharisaeorum pravas cogitationes intellexit; forsitan enim apud se cogitaverunt: imus, et confitemur peccata nostra; nullum laborem nobis imponit; baptizemur, et consequamur indulgentiam peccatorum. Insipientes, numquid facta digestionem puritatis, non est necessaria sumptio medicinae? sic multa diligentia necessaria est homini post confessionem et baptismum, ut vulnus peccatorum perfecte sanetur; ideo dicit progenies viperarum. Natura enim viperarum est, quod statim cum momorderit hominem, currit ad aquam, quam si non invenerit, moritur; ideo istos dicebat progeniem viperarum, quia peccata mortifera committentes currebant ad baptismum, ut sicut viperae per aquam tantum pericula mortis evaderent. Item viperarum natura est rumpere viscera matrum suarum, et sic nasci. Quoniam ergo iudaei assidue persequentes prophetas corruperunt matrem suam synagogam, ideo progenies viperarum nuncupantur. Item viperae a foris speciosae sunt et quasi pictae, intus autem veneno repletae; ita et isti pulchritudinem sanctitatis ostendebant in vultu.

Remigius. Cum ergo dicitur quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira? subauditur: nisi Deus.

Chrysostomus super Matth. Vel quis vobis demonstrabit? num isaias propheta? absit: si enim ipse vos docuisset, non spem in aqua poneretis tantum, sed etiam in operibus bonis: ille enim dicit: lavamini et mundi estote; auferte nequitiam ab animabus vestris, discite bene facere. Numquid etiam David dicens: lavabis me, et super nivem dealbabor? absit: ille enim sic dicit postea: sacrificium Deo spiritus contribulatus. Si ergo essetis discipuli David, cum gemitu ad baptismum veniretis.

Remigius. Si vero quis demonstrabit sub futuro legatur tempore, hic est sensus: quis doctor, quis praedicator dabit vobis consilium ut possitis evadere iram aeternae damnationis? .

Augustinus de Civ. Dei. Deus autem propter quamdam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem, secundum scripturas, irascitur, nec tamen ulla passione turbatur: hoc enim verbum vindictae usurpavit effectus, non ille turbulentus affectus. Si ergo vultis effugere, facite dignum fructum poenitentiae.

Gregorius in Evang. In quibus verbis notandum est, quod non solum fructus poenitentiae, sed dignos poenitentiae admonet esse faciendos. Sciendum enim est, quia quisquis illicita nulla commisit, huic iure conceditur ut licitis utatur; at si quis in culpam lapsus est, tanto a se debet licita abscindere quanto se meminit et illicita perpetrasse. Uniuscuiusque ergo conscientia convenitur, ut tanto maiora quaerat bonorum operum lucra per poenitentiam, quanto graviora sibi intulerit damna per culpam. Sed iudaei de generis nobilitate gloriantes, idcirco se agnoscere peccatores nolebant quia de abrahamae stirpe descenderant; et ideo recte dicitur et ne velitis dicere intra vos: patrem habemus abraham.

Chrysostomus in Matth. Haec autem dixit, non prohibens illos dicere ex illo se esse, sed prohibet in hoc confidere, virtuti animae non insistentes.

Chrysostomus super Matth. Quid enim prodest ei quem sordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? melius est enim alicui ut in eo gloriantur parentes quia talem filium

habent, quam ut ipse in parentibus gloriatur. Sic et vos nolite gloriari dicentes quia patrem habemus abraham; sed magis erubescite, quia filii estis eius, et sanctitatis eius non estis heredes. De adulterio enim natus videtur qui non assimilat patrem. Parentum igitur gloriam excludit dicens et ne velitis dicere.

Rabanus. Quia ergo praeco veritatis ad dignum poenitentiae fructum faciendum eos incitare volebat, ad humilitatem provocabat, sine qua nullus poenitere potest, subdens dico enim vobis quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios abraham.

Remigius. Fertur, quod in eo loco praedicavit iohannes circa iordanem, ubi iubente Deo duodecim lapides de medio alveo iordanis sublatis positi sunt. Potuit ergo fieri ut hos demonstrando diceret de lapidibus istis.

Hieronymus. In quo Dei indicat potentiam, quod qui de nihilo cuncta fecerat, posset et de saxis durissimis populum procreare.

Glossa. Prima enim sunt rudimenta fidei credere Deum posse quicquid voluerit.

Chrysostomus. Ex lapidibus autem generari homines, simile est ei quod ex sara processit isaac; unde et propheta dicit: aspiciate ad petram de qua excisi estis. Huius igitur prophetiae eos memores faciens, monstrat quod possibile est nunc etiam simile fieri.

Rabanus. Vel aliter. Lapidum nomine gentes significatae sunt, quae lapides coluerunt.

Chrysostomus, super Matth. Item lapis durus est ad opus; sed cum factum fuerit opus ex eo, deficere nescit; sic et gentes cum difficultate crediderunt quidem, tamen credentes permanent in aeternum in fide.

Hieronymus. Lege Ezechielem: auferam, inquit, a vobis cor lapideum, et dabo vobis cor carneum. In lapide duritia, in carne mollitudo monstratur.

Rabanus. De lapidibus ergo filii abraham suscitati sunt, quia dum gentiles in abraham semine, id est in Christo, crediderunt, eius filii facti sunt cuius semini sunt uniti. Sequitur iam enim securis ad radicem arboris posita est.

Chrysostomus super Matth. Securis est acutissima ira consummationis, quae totum praecisura est mundum. Sed si posita est, quare non praecidit? quia rationales sunt arbores et in potestate habent facere bonum aut non facere; ut videntes ad radices suas positam esse securim, timeant et faciant fructum. Ergo denuntiatio irae, quod est securis positio, etsi in malis nihil agat, tamen a malis segregat bonos.

Hieronymus. Vel securis est praedicatio evangelii, iuxta ieremiam qui verbum domini comparat securi caedenti petram.

Gregorius in Evang. Vel securis est redemptor noster, qui velut ex manubrio et ferro, ex divinitate constans et humanitate, tenetur ex humanitate, sed incidit ex divinitate; quae videlicet securis ad radicem arboris posita est, quia etsi per patientiam expectat, videtur tamen quid factura est. Omnis enim arbor quae non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur: quia unusquisque perversus paratam citius gehennae concremationem invenit qui hic fructum boni operis facere contemnit. Securim autem non iuxta ramos positam, sed ad radicem dicit: cum enim malorum filii tolluntur, rami infructuosae arboris abscinduntur; cum vero tota simul progenies cum parente tollitur, infructuosa arbor a radice abscissa est, ne remaneat unde prava iterum soboles succrescat.

Chrysostomus in Matth. Cum autem dicit omnis, excludit primatum, quod est a nobilitate; quasi dicat: etsi nepos fueris abraham, sustinebis poenam sine fructu manens.

Rabanus. Quatuor autem sunt species arborum: quarum una tota est arida, cui assimilantur pagani; altera viridis, sed sine fructu, cui assimilantur hypocritae; tertia viridis et fructuosa, sed venenosa, cui assimilantur haeretici; quarta viridis est, et fructum bonum gignit, cui assimilantur viri catholici.

Gregorius in Evang. Igitur omnis arbor non faciens fructum bonum, excidetur et in ignem mittetur: quia paratam gehennae concremationem invenit qui hic boni operis fructum facere contemnit.

3311 (Mt 3,11-12)

Glossa. Quia in praecedentibus verbis Ioannes explicaverat quod supra summarie de agenda poenitentia praedicavit, restabat ut etiam distinctius praedicaret quod de regni caelorum appropinquatione iam dixerat; ideo dixit ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam.

Gregorius in Evang. Ioannes non in spiritu, sed in aqua baptizat, quia peccata solvere non valebat: corpora quidem per aquam lavat, sed tamen animas per veniam non lavat.

Chrysostomus in Matth. Cum enim nondum esset oblata hostia neque peccatum solutum esset nec spiritus descendisset in aquam, qualiter fieret remissio peccatorum? sed quia iudaei nequaquam propria sentiebant peccata, et hoc erat eis causa malorum, advenit Ioannes, in cognitionem eos ducens propriorum peccatorum, poenitentiam memorando. **Gregorius** in Evang. Cur ergo baptizat qui peccata non relaxat, nisi ut praecursionis suae ordinem servans, qui nasciturum nascendo praevenerat, baptizaturum quoque dominum baptizando praeveniret? .

Chrysostomus super Matth. Vel missus erat Ioannes ad baptizandum, ut ad baptismum venientibus praesentiam filii Dei in corpore praedicaret, sicut ipse testatur alibi dicens: ut manifestetur in israel, ideo ego veni in aqua baptizare.

Augustinus super ioannem. Vel ideo baptizat quia oportebat baptizari Christum. Sed quare non solus ipse baptizatus est a ioanne, si ad hoc missus erat Ioannes per quem baptizaretur Christus? quia si solus dominus baptizatus esset baptisate ioannis, non deessent qui putarent baptismum ioannis maiorem esse quam baptismum christi, usque adeo ut solus Christus eo baptizari meruisset.

Rabanus. Vel ideo baptizat ut poenitentes hoc signaculo ab impoenitentibus discernendo, ad baptismum dirigat christi.

Chrysostomus super Matth. Quia ergo propter Christum baptizabat, ideo ad ipsum venientibus Christum praedicat apparituum et eminentiam potestatis eius annuntiat, dicens qui autem post me venturus est, fortior me est.

Remigius. Sciendum est autem, quod quinque modis venit Christus post ioannem: nascendo, praedicando, baptizando, moriendo et ad inferos descendendo. Et pulchre dominus dicitur fortior ioanne, quia ille purus homo, hic vero Deus et homo.

Rabanus. Ac si Ioannes dicat: ego quidem fortis sum ad poenitentiam invitando, ille peccata remittendo; ego regnum caelorum praedicando, ille donando; ego in aqua baptizando, ille in spiritu.

Chrysostomus in Matth. Cum autem audieris: quia fortior me est, ne aestimes secundum comparisonem me hoc dicere; neque enim inter servos illius ordinari sum dignus, ut vilissimam ministerii susciperem particulam; unde subdit cuius non sum dignus calceamenta portare.

Hilarius in Matth. Apostolis utique circumferendae praedicationis gloriam derelinquens, quibus speciosis pedibus pacem Dei erat debitum nuntiare.

Chrysostomus super Matth. Vel per pedes christi intelligere possumus christianos, praecipue apostolos, ceterosque praedicatores, inter quos erat Ioannes baptista; calceamenta autem sunt infirmitates quibus operit praedicatores. Haec ergo calceamenta christi omnes praedicatores portant; et Ioannes etiam portabat; sed se dignum non esse portare pronuntiat, ut maiorem ostenderet gratiam christi meritis suis.

Hieronymus. In alio evangelio ait: cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamenti. Hic humilitas, ibi ministerium demonstratur, quia Christus cum sponsus sit, et Ioannes non mereatur sponsi corrigiam solvere, ne vocetur domus eius, iuxta legem moysi, et exemplum ruth, domus discalceati.

Chrysostomus super Matth. Quia vero nemo potest dare dignius beneficium quam ipse est nec facere alterum quod ipse non est, recte subdit ille vos baptizabit in spiritu sancto et igni. Ioannes quidem cum sit corporalis, spiritualem baptismum dare non potest, sed baptizat in aqua, quae corpus est; et ideo corpus cum corpore baptizat. Christus autem spiritus est, quia Deus est. Spiritus etiam sanctus, spiritus est; anima quoque spiritus est: ideo spiritus cum spiritu spiritum nostrum baptizat. Baptismus autem spiritus proficit, quia ingrediens spiritus circumplectitur animam, et quasi muro quodam inexpugnabili circuit eam, et non permittit ut carnales concupiscentiae praevaleant contra eam. Non quidem facit ut caro non concupiscat,

sed tenet animam ut ei non consentiat. Et quoniam Christus iudex est, baptizat in igne, idest in tentationibus; in igne autem baptizare non potest homo purus. Ille enim tentandi habet licentiam qui remunerandi habet potestatem. Hic autem baptismus tribulationis, idest ignis, comburit carnem ut non germinet concupiscentias: nam caro spirituales quidem poenas non timet, sed carnales. Ideo ergo dominus super servos suos carnales tribulationes mittit, ut timens angustias suas caro non concupiscat malum. Vides ergo quia spiritus repellit concupiscentias, et praevalere non sinit; ignis autem ipsas concupiscentiarum radices comburit.

Hieronymus. Vel in spiritu sancto et igni: quia ignis est spiritus sanctus, quo descendente, sedit quasi ignis super linguas credentium. Et impletus est sermo domini dicens: ignem veni mittere in terram, sive quia, in praesenti, spiritu baptizamur, et in futuro, igni, secundum illud apostoli: uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.

Chrysostomus in Matth. Non autem dicit: dabit vobis spiritum sanctum, sed baptizabit vos in spiritu sancto, copiam gratiae metaphoricè ostendens. Per hoc etiam monstratur quod sola voluntate etiam in fide indiget ad iustificandum, non laboribus et sudoribus; et sicut facile est baptizari, ita facile est per eum transmutari et fieri meliores. In igne vero vehementiam gratiae, quae vinci non possit, demonstrat; et ut intelligatur quod similes antiquis et magnis prophetis repente suos faciat: propter hoc enim ignis meminit, quia plures visionum prophetalium per ignem apparuerunt.

Chrysostomus super Matth. Patet ergo quod baptismus christi non solvit iohannis baptismum, sed in se inclusit: qui enim baptizatur in nomine christi, utrumque baptismum habet, et aquae et spiritus: quia Christus et spiritus erat, et corpus suscepit, ut et corporale et spirituale baptisma daret. Iohannis autem baptismus non includit in se baptismum christi, quia quod minus est, maius in se includere non potest. Ideo apostolus cum invenisset quosdam ephesios iohannis baptisate baptizatos, iterum baptizavit eos in nomine christi, quia in spiritu non erant baptizati, quoniam et Christus iterum baptizavit eos qui a iohanne fuerant baptizati, sicut sermo iohannis demonstrat, dicens ego vos baptizo in aqua, ille vos baptizabit in spiritu. Nec videbatur iterum baptizare, sed semel: quia enim amplius erat baptisma christi quam iohannis, novum dabatur, et non iteratum.

Hilarius in Matth. Salutis igitur nostrae et iudicii tempus designat in domino, dicens baptizabit vos in spiritu sancto et igni, quia baptizatis in spiritu sancto reliquum sit consummari igne iudicii; unde subditur cuius ventilabrum in manu sua.

Rabanus. Per ventilabrum, idest palam, discretio iusti examinis designatur, quod habet dominus in manu, idest in potestate, quia pater omne iudicium dedit filio. Sequitur et permundabit aream suam.

Chrysostomus super Matth. Area idest ecclesia, horreum vero regnum caeleste, ager autem hic mundus. Mittens ergo dominus apostolos ceterosque doctores quasi messorum, praecidit omnes gentes de mundo et in aream ecclesiae congregavit. Hic ergo triturandi sumus, hic ventilandi: omnes enim homines in rebus carnalibus delectantur, sicut grana in palea. Sed qui fidelis est et boni cordis habet medullam, mox ut leviter tribulatus fuerit, negligens carnalia, currit ad dominum; si autem modicae fidei fuerit, vix cum grandi tribulatione; qui autem omnino infidelis est et vacuus, quantumcumque tribulatus fuerit, non transit ad Deum. Triticum autem cum primum trituratum fuerit, iacet cum paleis in uno loco confusum, postea autem ventilatur ut separetur; sic et in una ecclesia fideles cum infidelibus habentur commixti; ideo movetur persecutio quasi ventus, ut ventilabro christi iactati, qui iam disiuncti fuerant actibus, separentur et locis. Et vide quia non dixit: mundabit aream suam: sed permundabit: necesse est enim ut diversis modis tentetur ecclesia donec permundetur. Et primum quidem ventilaverunt illam iudaei, deinde gentiles, modo haeretici, postmodum perventilabit antiChristus. Sicut enim quando modica est aura, non permundatur tota tritici massa, sed leviores paleae iactantur, graviore autem remanent, sic et modo modico flatu tentationis sufflante pessimi homines recedunt. Si autem surrexerit maior tempestas, etiam illi qui videntur esse stabiles, sunt exituri. Ideo necessaria est tentatio maior, ut permundetur ecclesia.

Remigius. Hanc etiam aream, scilicet ecclesiam, dominus mundat in hac vita, cum vel per iudicium sacerdotum mali de ecclesia tolluntur, vel per mortem de hac vita abscinduntur.

Rabanus. Universaliter autem areae purgatio in fine perficietur, quando mittet angelos suos filius hominis et colliget de regno suo omnia scandala. **Gregorius** moralium. Nam post trituram vitae praesentis, in qua nunc triticum sub paleis gemit, ita illo extremi iudicii ventilabro triticum paleaque discernitur, ut nec in tritici horreum paleae transeant, nec in palearum ignem horrei grana dilabantur; et hoc est quod sequitur et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.

Hilarius in Matth. Triticum suum, perfectos scilicet credentium fructus, dicit caelestibus horreis recondendum; paleas vero infructuosorum hominum inanitatem.

Rabanus. Verum hoc inter paleas et zizania distat, quod paleae non alio quam triticorum semine prodeunt, zizania vero diverso. Paleae ergo sunt qui fidei sacramentis imbuuntur, sed solidi non sunt; zizania vero qui et opere et professione secernuntur a bonorum sorte.

Remigius. Ignis autem inextinguibilis dicitur poena aeternae damnationis: sive quia quos semel suscepit, nunquam extinguit, sed semper cruciat; sive ad differentiam ignis purgatorii, qui ad tempus accenditur et extinguitur.

Augustinus de cons. Evang. Si autem quaeritur quae verba potius Ioannes baptista dixerit, utrum quae Matthaeus an quae Lucas an quae Marcus eum dixisse commemorat, nullo modo hic laborandum esse iudicat qui prudenter intelligit ipsas sententias esse necessarias cognoscendae veritati, quibuslibet verbis fuerint explicatae. Et in hoc apparet non debere nos arbitrari mentiri quemquam, si pluribus reminiscens rem quam audierunt vel viderunt, non eodem modo atque eisdem verbis eadem res fuerit indicata. Quisquis autem dicit evangelistis per spiritus sancti potentiam hoc potuisse concedi ut nec in genere verborum nec in ordine nec in numero discrepant, non intelligit quanto amplius evangelistarum excellit auctoritas, tanto magis per eos fuisse firmandam ceterorum hominum vera loquentium securitatem. Quod autem alius dixit cuius non sum dignus calceamenta portare, alius vero: calceamenti corrigiam solvere, non verbis tantum, sed et re ipsa videtur aliud esse. Merito ergo quaeri potest quid horum Ioannes dixerit. Verum enim videtur narrasse qui hoc potuit narrare quod ille dixit; qui autem aliud, etsi non est mentitus certe vel oblitus, aliquid pro alio dixisse putabitur. Omnem autem falsitatem abesse ab evangelistis decet, non solum eam quae mentiando promitur, sed etiam eam quae obliviscendo. Ita si ad rem pertinet aliquid aliud intelligere ex utroque dactorum, recte existimandum est Ioannem utrumque dixisse, sive aliud alio tempore, sive confestim. Si autem nihil intendit Ioannes cum de calceamentis domini diceret, nisi excellentiam eius et suam humilitatem, quodlibet dactorum dixerit, eandem tamen sententiam tenuit, quisquis etiam verbis suis per calceamentorum commemorationem eandem significationem humilitatis expressit; unde ab eadem voluntate non aberravit. Utilis ergo modus, et memoriae commendandus, non esse mendacium cum quis voluntatem eius explicat de quo aliquid narrat, etiam dicens aliquid aliud quod ille non dixit; voluntatem tamen suam explicavit eandem quam et ille cuius verba commemorat. Ita enim salubriter dicimus nihil aliud esse quaerendum quam quid velit ille qui loquitur.

MATTHAEUS 3,13-15

3313 (Mt 3,13-15)

Glossa. Postquam praedicatione sui praecursoris Christus mundo praenuntiatus est, tandem qui diu latuerat, hominibus se manifestare voluit; unde dicitur tunc venit Iesus a Galilaea in Iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo.

Remigius. Est sciendum quod in his verbis describuntur personae, loca, tempus et officium. Tempus, cum dicit tunc.

Rabanus. Quando scilicet tricenarius erat: in quo ostendit nullum vel sacerdotem vel praedicatorem debere institui, nisi sit perfectae aetatis. Ioseph tricenarius regimen Aegypti suscepit; David ea aetate regnum inchoavit; Ezechiel sub eodem tempore prophetiam promeruit.

Chrysostomus in Matth. Quia etiam post baptismum hanc legem cessare oportebat, hac aetate ad baptismum venit, qui potest omnia peccata suscipere, ut lege servata, nullus dicat quia ideo eam solvit quia implere non potuit.

Chrysostomus super Matth. Tunc etiam, scilicet quando Ioannes praedicaverat: poenitentiam agite, ut confirmaret praedicationem ipsius et ut testimonium acciperet a Ioanne. Sicut autem cum processerit Lucifer, lux solis non expectat occasum Luciferi, sed eo procedente, egreditur, et suo lumine obscurat illius candorem, sic et Christus non expectavit ut cursum suum Ioannes impleret, sed adhuc eo docente apparuit.

Remigius. Personae ponuntur cum dicit venit Iesus ad Ioannem, id est Deus ad hominem, dominus ad servum, rex ad militem, lux ad lucernam. Loca designantur cum dicit a Galilaea in Iordanem. Galilaea enim transmigratio interpretatur. Quicumque ergo vult baptizari, transmigret de vitiis ad virtutes, et veniendo ad baptismum se humiliet: Iordanis enim interpretatur descensus.

Augustinus in serm. De epiph. Multa autem mirabilia in hoc flumine saepius facta esse scriptura sancta

commemorat, inter cetera dicens: iordanis conversus est retrorsum. Ante quidem retrorsum aquae conversae fuerant, modo retrorsum peccata conversa sunt; sicut etiam elias in iordane divisionem fecit aquarum, et Christus dominus in eodem iordane separationem operatus est peccatorum.

Remigius. Officium designatur cum sequitur ut baptizaretur ab eo.

Chrysostomus super Matth. Non ut ipse remissionem peccatorum acciperet per baptismum, sed ut sanctificatas aquas relinqueret postmodum baptizandis.

Augustinus. Salvator enim ideo baptizari voluit, non ut sibi munditiam acquireret, sed ut nobis fluentia mundaret. Ex quo ipse in aquam demergitur, ex eo omnium peccata abluit aqua. Nec mirum quod aquam, hoc est substantiam corporalem, ad purificandam animam dicimus pervenire: pervenit plane, et penetrat conscientiae universa latibula. Quamvis enim ipsa sit subtilis et tenuis, benedictione tamen christi facta subtilior, occultas vitae causas ac secreta mentis subtiliore rore pertransit. Subtilior enim est benedictionum cursus quam aquarum meatus. Unde quae de salvatoris baptisate benedictio fluxit, tamquam fluvius spiritalis, omnium gurgitum tractus, universorum fontium venas implevit.

Chrysostomus super Matth. Ad hoc autem ad baptismum venit, ut qui humanam suscepit naturam, totum humanae naturae inveniatur impleuisse mysterium: nam quamvis ipse non erat peccator, tamen naturam suscepit peccatricem. Propterea etsi pro se baptisate non egebat, tamen aliis carnalis natura opus habebat.

Augustinus in serm. De epiph. Item ideo baptizari voluit, quia voluit facere quod faciendum omnibus imperabat; ut bonus magister doctrinam suam non tam verbis insinualet, quam actibus exerceret.

Augustinus super iohannem. Hinc ergo dignatus est a iohanne baptizari, ut cognoscerent servi quanta alacritate debeant currere ad baptisma domini, quando ipse non dedignatus est accipere baptisma servi.

Hieronymus. Item baptizari voluit, ut baptisate suo iohannis baptisma comprobaret.

Chrysostomus in Matth. Quia vero baptismus poenitentiae erat, et in demonstrationem delictorum inducebatur, ne aliquis aestimaret quod hac ratione Christus ad iordanem venit, ideo venienti dixit ego a te debeo baptizari et tu venis ad me? quasi dicat: .

Chrysostomus super Matth.: ut tu me baptizes, est idonea ratio, ut iustus efficiat, et dignus caelo; ut autem ego te baptizem, quae est ratio? omne bonum de caelo descendit in terram, non de terra ascendit in caelum.

Hilarius in Matth. Denique a iohanne baptizari prohibetur ut Deus, et ita in se fieri oportere ut homo docet; unde sequitur respondens autem iesus dixit ei: sine modo.

Hieronymus. Pulchre dixit modo, ut ostenderet Christum in aqua a iohanne, iohannem a Christo in spiritu baptizandum. Sive aliter sine modo, ut qui formam servi assumpsit, expleam et humilitatem eius; alioquin scito te in die iudicii meo esse baptisate baptizandum. Vel sine modo, ut dicat dominus: habeo et aliud baptisma, quo et baptizandus sum. Tu me baptizas in aqua, ut ego te baptizem pro me in sanguine tuo.

Chrysostomus super Matth. In quo etiam ostendit quia postea Christus baptizavit iohannem, quamvis etiam in apocryphis libris hoc manifeste scriptum sit. Sed sine modo ut iustitiam baptismatis non verbis sed factis adimpleam: prius suscipiam, postea praedicabo; unde sequitur sic enim decet nos omnem implere iustitiam; ubi non hoc significat, ut si fuerit baptizatus, adimpleat omnem iustitiam, sed sic: idest, quemadmodum baptismatis iustitiam prius factis implevit, postea praedicavit, sic et omnem aliam iustitiam, secundum illud: coepit iesus facere et docere. Aut ita: sic oportet nos implere omnem iustitiam baptismi, idest secundum dispensationem humanae naturae; sic enim implevit iustitiam nascendi, crescendi et similium.

Hilarius in Matth. Erat et per eum omnis implenda iustitia, per quem solum lex poterat impleri.

Hieronymus. Non autem addit iustitiam legis, sive naturae, ut utrumque intelligamus.

Remigius. Vel sic: decet nos implere omnem iustitiam, idest, ostendere exemplum omnis implendae iustitiae in baptismo, sine quo non aperitur aditus regni caelestis. Vel etiam discant superbi exemplum humilitatis, ut non dedignentur baptizari ab humilibus membris meis, dum viderint me baptizatum a te iohanne servo meo. Illa autem est vera humilitas quam comes obedientia sequitur; unde subditur tunc dimisit eum, idest, ad ultimum assensum praebuit ut baptizaret eum.

MATTHAEUS 3,16

3316 (Mt 3,16)

Augustinus in serm. De epiph. Quia, ut dictum est, cum salvator noster abluitur, iam tunc in nostrum baptismum tota aqua mundatur, ut secuturis postmodum populis lavacri gratia ministretur. Oportuit etiam christi baptismo ea designari quae per baptismum consequuntur fideles; unde dicitur baptizatus autem iesus, confestim ascendit de aqua.

Chrysostomus super Matth. Factum christi ad mysterium pertinet omnium qui postmodum fuerant baptizandi; et ideo dixit confestim, et non dixit simpliciter ascendit: quia omnes qui digne baptizantur in Christo, confestim de aqua ascendunt; idest, proficiunt ad virtutes et ad dignitatem sublevantur caelestem; qui enim in aquam ingressi fuerant carnales et filii adae peccatores, confestim de aqua ascendunt spirituales filii Dei facti. Si autem quidam ex sua culpa nihil proficiunt baptizati, quid ad baptismum?

Rabanus. Quia ergo nobis dominus sui corporis intinctu baptismi lavacrum dedicavit, nobis quoque post acceptum baptismum caeli aditum patere et spiritum sanctum dari demonstravit; unde sequitur et aperti sunt ei caeli.

Hieronymus in Matth. Non reseratione elementorum, sed spiritualibus oculis, sicut et Ezechiel in principio voluminis sui apertos esse commemorat.

Chrysostomus super Matth. Si enim ipsa creatura caelorum rupta fuisset, non dixisset aperti sunt ei, quia quod corporaliter aperitur, omnibus est apertum. Sed dicit aliquis: quid enim? ante oculos filii Dei clausi fuerant caeli, qui etiam in terra constitutus erat in caelo? sed sciendum quod sicut secundum dispensationem humanam baptizatus est, sic secundum humanam dispensationem aperti sunt ei caeli; secundum autem naturam divinam erat in caelis.

Augustinus. Sed numquid tunc primo aperti ei caeli etiam secundum humanam naturam? fides enim ecclesiae et credit et tenet quod non minus aperti sunt ei caeli ante quam post. Ideo ergo dicitur quod aperti sunt ei caeli, quia omnibus renatis aperitur ianua regni caelestis.

Chrysostomus super Matth. Forte enim erant invisibilia quaedam obstacula prius, quibus obsistentibus animae defunctorum non poterant introire caelos. Nullam enim animam ante Christum arbitror ascendisse in caelum ex quo peccavit adam et clausi sunt caeli. Sed ecce baptizato Christo aperti sunt tantum; postquam vero tyrannum vicit per crucem, quia non erant necessariae portae caelo nunquam claudendo, non dicunt angeli: aperite portas: iam enim erant apertae; sed: tollite portas. Vel baptizatis aperiuntur caeli, et vident ea quae sunt in caelo, non carnalibus oculis videndo, sed spiritualibus fidei credendo. Aut ita: caeli sunt scripturae divinae, quas omnes legunt, non tamen omnes intelligunt, nisi qui fuerint sic baptizati ut accipiant spiritum sanctum. Unde et apostolis primitus erant clausae scripturae prophetarum; sed accepto spiritu sancto, reseratae sunt eis omnes scripturae. Tamen quocumque modo intelligatur, caeli aperti sunt ei, idest omnibus propter eum; sicut si imperator alicui pro alio petenti dicat: hoc beneficium non illi do, sed tibi: idest, propter te illi.

Glossa. Vel tantus splendor circumfulsit Christum in baptismo, ut empyreum videretur caelum reseratum esse.

Chrysostomus in Matth. Si autem tu non vides, non incredulus sis; etenim in principiis spiritualium rerum semper sensibiles apparent visiones, propter illos qui nullam intelligentiam incorporalis naturae suscipere possunt; ut si postea non fiat, ex his quae semel facta sunt, recipiant fidem.

Remigius. Sicut autem omnibus per baptismum renatis aperitur ianua regni caelestis, ita omnes in baptismo accipiunt dona spiritus sancti; ideo subditur et vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, et venientem super se.

Augustinus in serm. 1 in dom. Infra oct. Epiph. Christus enim postquam natus est hominibus renascitur sacramentis; ut quemadmodum tunc eum miramur incorrupta matre progenitum, ita et nunc suscipiamus illum pura unda submersum. Filium enim genuit mater, et casta est; Christum lavit unda, et sancta est. Denique spiritus sanctus, qui tunc illi in utero affuit, modo eum in gurgite circumfulsit; qui tunc mariam castificavit, nunc fluentia sanctificat. Unde dicit et vidit spiritum Dei descendentem.

Chrysostomus super Matth. Ideo autem spiritus sanctus speciem columbae suscepit, quoniam prae omnibus animalibus haec cultrix est caritatis. Omnes autem iustitiae species quas habent servi Dei in veritate, possunt habere servi diaboli in simulatione; solam autem caritatem sancti spiritus non potest immundus spiritus imitari. Ideo ergo hanc privatam speciem caritatis tibi servavit spiritus sanctus, quia per nullius testimonium sic cognoscitur ubi est spiritus sanctus, sicut per gratiam caritatis.

Rabanus. Significantur etiam quatuor virtutes in baptizatis per columbam. Columba enim secus fluentia habitat, ut, viso accipitre, mergat se et evadat; meliora grana eligit, alienos pullos nutrit, non lacerat rostro, felle caret, in cavernis petrae nidificat, gemitum pro cantu habet; ita et sancti secus divinae scripturae fluentia resident, ut incursum diaboli evadant; sanas sententias quibus pascantur eligunt, non haereticas; homines qui diaboli fuerunt pulli, idest imitatores, doctrina nutriunt et exemplo; bonas sententias lacerando non pervertunt haereticorum more; ira irreconciliabili carent; in plagis mortis christi, qui petra firma est, nidum ponunt, idest suum refugium et spem; sicut etiam alii delectantur in cantu, ita ipsi in gemitu pro peccatis.

Chrysostomus in Matth. Veteris etiam recordatur historiae: in diluvio enim apparuit hoc animal, ramum ferens olivae et communem orbis tranquillitatem annuntians; quae omnia typus erant futurorum. Etenim nunc columba apparet liberatorem nobis demonstrans, et pro ramo olivae adoptionem generi humano affert.

Augustinus de trin. Est autem in promptu intelligere cur spiritus sanctus missus dicatur, cum in ipsum dominum corporali specie velut columba descendit: facta est enim quaedam creaturae species ex tempore, in qua visibiliter ostenderetur spiritus sanctus. Haec autem operatio visibiliter expressa, et oculis oblata mortalibus missio spiritus sancti dicta est; non ut appareret invisibilis eius substantia, sed ut corda hominum exterioribus visis commota, ad occultam aeternitatem converterentur. Non autem sic assumpta est creatura, in qua spiritus sanctus apparuit, in unitatem scilicet personae, sicut assumpta est humana illa forma ex virgine. Neque enim columbam beatificavit spiritus aut sibi in personae suae unitatem in aeternum coniunxit. Proinde, quamquam illa columba spiritus dicta sit, ut ostenderetur per columbam spiritum demonstratum, non tamen ita possumus dicere spiritum sanctum et Deum et columbam, sicut dicimus filium et Deum et hominem; nec sicut dicimus filium agnum Dei, non solum iohanne baptista dicente, sed etiam iohanne evangelista vidente agnum occisum in apocalypsi: illa quippe visio prophetica non est exhibita oculis corporeis per formas corporeas, sed in spiritu per spirituales imagines corporum. De illa vero columba nullus unquam dubitavit quin oculis visa sit; nec sicut dicimus filium petram (scriptum est enim 1 cor. 10,4: petra erat Christus)., ita possumus dicere spiritum columbam. Illa enim petra iam erat in creatura, et per actionis modum nuncupata est nomine christi quem significabat; non autem sic illa columba, quae ad haec tantummodo significanda repente extitit. Magis autem simile hoc mihi videtur flammae illi quae in rubo apparuit moysi, et illi quam populus in eremo fiebant dum lex daretur in monte. Ad hoc sequebatur, et fulguribus ac tonitruis quae enim rerum illarum corporalis extitit species, ut aliquid significaret atque praeteriret. Propter has ergo corporales formas missus dicitur spiritus sanctus; illae vero species corporales ad demonstrandum quod opus fuit, ad tempus apparuerunt, et postea destiterunt.

Hieronymus in Matth. Sedit autem super caput iesu, ne quis putaret vocem patris ad iohannem factam, non ad dominum; unde sequitur et venientem super se.

MATTHAEUS 3,17

3317 (Mt 3,17)

Augustinus in serm. De epiph. Non enim ut ante per moysen aut per prophetas, nec per typos aut figuras, venturum in carne pater filium docuit, sed palam venisse monstravit, dicens hic est filius meus.

Hilarius in Matth. Vel ut ex his quae consummabantur in Christo, cognosceremus post aquae lavacrum et de caelestibus portis sanctum in nos spiritum involare et caelestis nos gloriae unctione perfundi et paternae vocis adoptione filios Dei fieri.

Hieronymus in Matth. Mysterium autem trinitatis in baptisate demonstratur. Dominus baptizatur, spiritus descendit in habitu columbae, patris vox filio testimonium perhibentis auditur.

Augustinus in serm. De epiph. Nec mirum si in dominico lavacro mysterium non defuit trinitatis, cum nostrum lavacrum trinitatis compleat sacramentum. Voluit enim dominus primo circa se exhibere quod erat postea humano generi praecepturus.

Augustinus de fide ad petrum. Quamvis autem pater et filius et spiritus sanctus sint una natura, firmissime tamen tene tres esse personas; patremque solum esse qui dixit hic est filius meus dilectus, et filium solum esse super quem illa vox patris insonuit, et spiritum sanctum solum esse qui in specie columbae super Christum baptizatum descendit.

Augustinus de trin. Haec autem opera sunt totius trinitatis. In sua quippe substantia pater et filius et spiritus sanctus unum sunt, sine ullis intervallis temporum vel locorum; in meis autem vocibus separati sunt pater, filius et spiritus sanctus, nec simul dici poterunt; et in litteris visibilibus sua separatim locorum spatia tenuerunt: quia similitudine utcumque cognoscitur, inseparabilem in seipsa trinitatem per visibilis creaturae speciem separabiliter demonstrari. Quod autem solius patris vox sit, ostenditur ex hoc quod dicit hic est filius meus.

Hilarius in libro de trin. Non solum nomine contestatus est eum esse filium, sed proprietate. Multi enim nos filii Dei sumus, sed non talis est hic filius; hic enim et proprius et verus est filius: origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione.

Augustinus super iohannem. Pater autem diligit filium, sed quomodo pater filium, non quomodo dominus servum; sed quomodo unicum, non quomodo adoptatum. Et ideo subditur in quo mihi complacui.

Remigius. Vel si ad humanitatem christi referatur, si legatur in quo mihi complacui, quia istum solum reperi sine peccato. Si vero legatur in quo mihi complacuit, subauditur placitum meum constituere, ut per eum agerem quae agenda sunt, idest genus humanum redimerem.

Augustinus de cons. Evang. Haec autem verba et alii duo, Marcus et Lucas, similiter narrant; sed de verbis vocis quae de caelo facta est, variant locutionem, salva tamen sententia. Quod enim Matthaeus ait dictum hic est filius meus dilectus, et alii duo dicunt: tu es filius meus dilectus, ad eandem sententiam explicandam valet; vox enim caelestis unum horum dixit; sed evangelista ostendere voluit ad id valere quod dictum est hic est filius meus, ut illis potius qui audiebant indicaretur quod ipse esset filius Dei; atque ita dictum referre voluit: tu es filius meus, ac si illi diceretur hic est filius meus. Non enim Christo indicabatur quod sciebat; sed audiebant qui aderant, propter quos vox facta est. Iam vero quod alius dicit in quo mihi complacui, alius: in te complacuit mihi, si quaeris quid horum illa voce sonuerit, quodlibet accipe, dum intelligas eos qui non eandem locutionem retulerunt, eandem retulisse sententiam; quod enim Deus in filio sibi complacuit, admonetur aliquis ex eo quod dictum est: in te complacuit; quod autem in filio pater placuerit hominibus, admonetur ex eo quod dictum est: in te complacuit mihi, seu intelligatur hoc dictum esse ab omnibus evangelistis, tamquam diceretur: in te complacitum meum constitui; hoc est, implere quod mihi placet.

MATTHAEUS 4,1-2

3401 (Mt 4,1-2)

Chrysostomus super Matth. Postquam baptizatus est dominus a iohanne in aqua, ducitur a spiritu in desertum ut baptizaretur igne tentationis; unde dicitur tunc iesus ductus est in desertum a spiritu. Tunc, scilicet quando pater clamavit de caelo: hic est filius meus dilectus.

Chrysostomus in Matth. Quisquis ergo post baptismum maiores sustinet tentationes, non turberis; etenim propter hoc accepisti arma ut non cadas, sed ut praelieris. Ideo autem tentationem a te Deus non prohibet, primum quidem, ut discas quoniam multo factus es fortior; deinde ut magnitudine donorum non extollaris; tertio ut diabolus experientia cognoscat quod perfecte ab eo abscessisti; quarto ut per hoc fortior reddaris; quinto ut crediti tibi thesauri signum accipias: neque enim diabolus superveniret tibi ad tentandum, nisi te in maiori honore effectum videret.

Hilarius in Matth. In sanctificatis enim maxime diaboli tentamenta grassantur quia victoria ei est magis optata de sanctis. **Gregorius** in Evang. Dubitari autem a quibusdam solet a quo spiritu sit ductus iesus in desertum, propter hoc quod subditur assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem. Sed vere et absque ulla quaestione convenienter accipitur ut a spiritu sancto ductus esse credatur, ut illuc eum suus spiritus duceret ubi hunc ad tentandum spiritus malignus invenit.

Augustinus de trin. Cur seipsum quoque tentandum praebuit? ut ad superandas tentationes mediator esset, non solum per adiutorium, verum etiam per exemplum.

Chrysostomus super Matth. Est autem ductus a spiritu sancto, non quasi minor maioris praecepto: non enim solum ductus dicitur qui alicuius potestate ducitur, sed etiam ille qui alicuius rationabili exhortatione placatur, sicut scriptum est de andrea, quod invenit simonem fratrem suum et adduxit eum ad iesum.

Hieronimus. Ducitur autem non invitus aut captus, sed voluntate pugnandi.

Chrysostomus super Matth. Ad homines enim diabolus vadit ut tentet eos; quoniam autem adversus Christum diabolus ire non poterat, ideo contra diabolum Christus processit; unde dicitur ut tentaretur a diabolo.

Gregorius in Evang. Sed sciendum nobis est, quia tribus modis tentatio agitur: suggestione, delectatione et consensu; et nos cum tentamur, plerumque in delectationem aut in consensum labimur, quia de carnis peccato propagati in nobisipsis etiam gerimus unde certamina toleramus; Deus vero, qui in utero virginis incarnatus, in mundum sine peccato venerat, nihil contradictionis in semetipso tolerabat. Tentari ergo per suggestionem potuit, sed eius mentem peccati delectatio non momordit; atque ideo omnis diabolica illa tentatio, foris, non intus fuit.

Chrysostomus in Matth. Tunc autem maxime instat diabolus ad tentandum cum viderit solitarios; unde etiam in principio mulierem tentavit sine viro eam inveniens; unde et sic per hoc etiam diabolo datur occasio tentandi quod ducitur in desertum.

Glossa. Hoc desertum est in ierusalem et iericho ubi morabantur latrones, qui locus vocatur dammin, idest sanguinis, propter effusionem sanguinis quam ibi latrones faciebant; unde et homo cum descendisset a ierusalem in iericho incidisse dicitur in latrones, gerens figuram adae, qui a daemonibus victus est. Conveniens ergo fuit ut ibi Christus diabolum superaret ubi diabolus hominem sub figura superasse dictum est.

Chrysostomus super Matth. Non solum autem Christus ductus est in desertum a spiritu, sed et omnes filii Dei habentes spiritum sanctum: non enim sunt contenti sedere otiosi, sed spiritus sanctus urget eos aliquid magnum apprehendere opus, quod est ire in desertum quantum ad diabolum, quia non est ibi iniustitia, qua diabolus delectatur. Omne etiam bonum est extra carnem et mundum, quia non est secundum voluntatem carnis et mundi. Ad tale ergo desertum omnes filii Dei exeunt ut tententur: ut puta si non proposuisti ducere uxorem, duxit te spiritus sanctus in desertum, idest extra fines carnis et mundi, ut tenteris concupiscentia carnis: quomodo enim tentatur libidine qui tota die est cum uxore? scire debemus, quod filii Dei non tentantur a diabolo nisi in desertum exierint; filii autem diaboli in carne et mundo constituti confringuntur et parent; sicut bonus homo, si uxorem habuerit, non fornicatur, sed sufficit ei uxor sua; malus autem etiam habens uxorem, fornicatur, et non est uxore contentus; et sic in omnibus invenies. Filii ergo diaboli non exeunt ad diabolum ut tententur. Quid enim opus habet ad certamen exire qui non desiderat vincere? qui autem gloriosiores sunt filii Dei, extra fines carnis exeunt contra illum quia victoriae gloriam concupiscunt. Propterea et in hoc Christus exiit ad diabolum ut tentaretur ab eo.

Chrysostomus in Matth. Ut autem discas quam magnum bonum est ieiunium, et qualiter scutum est adversum diabolum, et quoniam post baptismum non lasciviae, sed ieiunio intendere oportet, ipse ieiunavit, non eo indigens, sed nos instruens.

Chrysostomus super Matth. Et ut quadragesimi nostri ieiunii poneret mensuram, quadraginta diebus et quadraginta noctibus ieiunavit; unde sequitur et cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus.

Chrysostomus in Matth. Non autem ultra processit ieiunando quam moyses et elias ne incredibilis videretur carnis assumptio. **Gregorius** in Evang. Ipse autem auctor omnium in quadraginta diebus nullum omnino cibum sumpsit. Nos quoque quantum possumus, quadragesimae tempore carnem nostram per abstinentiam affligamus. Quadragenarius autem numerus custoditur, quia virtus decalogi per libros quatuor sancti evangelii impletur; denarius etenim quater ductus, in quadragenarium surgit. Vel quia in hoc mortali corpore ex quatuor elementis subsistimus, per cuius voluptatem praeceptis dominicis contraimus, quae per decalogum sunt accepta. Qui ergo per carnis desideria decalogi mandata contempsimus, dignum est ut eadem carnem quaterdecies affligamus. Vel sicut in lege offerre debemus decimas rerum, ita ei offerre contendimus decimas dierum. A prima enim dominica quadragesimae usque ad paschalis solemnitatis gaudia sex hebdomadae veniant, quarum dies quadraginta et duo sunt, ex quibus dum sex dies dominici ab abstinentia subtrahuntur, remanent triginta sex. Dum vero per tercentum sexaginta quinque dies annus ducitur, nos autem per trigintasex dies affligimur, quasi anni nostri decimas Deo damus.

Augustinus in lib. 83 quaest. Vel aliter. Omnis sapientiae disciplina est creatorem creaturamque

cognoscere. Creator est trinitas: pater et filius et spiritus sanctus; creatura vero partim est invisibilis, sicut anima, cui ternarius numerus tribuitur (diligere enim Deum tripliciter iubemur: ex toto corde, ex tota anima et ex tota mente)., partim visibilis, sicut corpus, cui quaternarius debetur propter calidum et frigidum, humidum et siccum. Denarius ergo numerus, qui totam insinuat disciplinam, quater ductus, id est numero qui corpori debetur, multiplicatus, quia per corpus administratio geritur, quadragesimum numerum conficit, cuius partes aequales ad quinquaginta perveniunt; unum enim et duo et quatuor et quinque et octo et decem et viginti, quae sunt partes quadragenarii, simul iuncta, efficiunt quinquaginta. Et ideo tempus quo ingemiscimus et dolemus quadragenario numero celebratur. Status autem beatitudinis, in quo erit gaudium, quinquagesimae celebratione praefiguratur, idest a pascha usque ad pentecosten.

Augustinus in serm. De quadragesima. Non autem quia Christus post acceptum baptismum continuo ieiunavit, regulam observationis dedisse credendum est, ut post christi baptismum continuo ieiunare necesse sit. Sed quando acriori certamine cum tentatore confligitur, ieiunandum est, ut corpus impleat de castigatione militiam et animus impetret de humiliatione victoriam.

Chrysostomus super Matth. Sciebat autem dominus cogitationem diaboli, quia volebat eum tentare: audierat enim quia Christus natus est in hoc mundo angelis praedicantibus, pastoribus referentibus, magis quaerentibus et iohanne ostendente. Unde dominus processit contra eum, non quasi Deus, sed quasi homo; magis autem quasi Deus et homo. Nam per quadraginta dies non esurire non erat hominis; aliquando autem esurire non erat Dei. Unde esurivit, ne manifeste intelligatur Deus, et sic diaboli spem tentandi extingueret, suam autem victoriam impediret; unde sequitur postea esuriit.

Hilarius in Matth. Nam post quadraginta dies, non in quadraginta diebus esuriit. Igitur cum dominus esuriit, non inediae surrepsit operatio, sed naturae suae hominem dereliquit. Non enim erat a Deo diabolus, sed a carne vincendus. Qua rerum ratione indicat, post quadraginta dierum consummationem, quibus post passionem in saeculo erat commoratus, esuritionem se humanae salutis habiturum; quo in tempore expectatum Deo patri munus, hominem quem assumpserat, reportavit.

MATTHAEUS 4,3-4

3403 (Mt 4,3-4)

Chrysostomus super Matth. Quia diabolus videns per quadraginta dies Christum ieiunantem desperaverat, postquam esurientem sensit, iterum coepit sperare; unde sequitur et accedens tentator. Si ergo ieiunaveris et tenteris, ne dicas quia perdidisti fructum ieiunii mei; nam etsi non tibi profuit ieiunium tuum ut non tenteris, tamen proficiet ut a tentationibus non vincaris. **Gregorius** in Evang. Sed si ipsum ordinem tentationis aspiciamus, pensamus quanta magnitudine nos a tentatione liberamur. Antiquus enim hostis primum hominem ex gula tentavit cum cibum ligni vetitum ad comedendum suasit; ex vana gloria, cum diceret: eritis sicut dii; ex avaritia, cum diceret: scientes bonum et malum: avaritia enim non solum pecuniae est, sed etiam altitudinis, cum supra modum sublimitas ambitur. Quibus autem modis primum hominem stravit, istis modis secundo homini tentato succubuit. Per gulam tentat, cum dicit dic ut lapides isti panes fiant; per vanam gloriam cum dicit si filius Dei es, mitte te deorsum; per sublimitatis avaritiam, cum regna mundi ostendit, dicens haec omnia tibi dabo.

Ambrosius super lucam. Inde autem coepit unde iam vicerat, scilicet a gula; unde dixit ei si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Quid autem sibi vult talis sermonis exorsus, nisi quia cognoverat Dei filium esse venturum, sed venisse per infirmitatem corporis non putabat? aliud explorantis, aliud tentantis est; et Deo se profitetur credere, et homini conatur illudere.

Hilarius in Matth. Eam ergo in tentando conditionem operis proposuit, per quam in Deo ex mutatione lapidum in panes virtutem potestatis agnosceret, et in homine oblectamento cibi potentiam esurientis illuderet.

Hieronymus. Sed duobus contrariis teneris, o diabole: si ad imperium eius possunt lapides panes fieri, ergo frustra tentas eum qui tantae potentiae est; si autem non potest facere, frustra Dei filium suspicaris.

Chrysostomus super Matth. Sicut autem diabolus omnes excaecabat, sic modo invisibiliter a Christo est excaecatus. Post quadraginta enim dies esurientem sensit, et per quadraginta non esurientem non intellexit. Cum suspicatus est eum non esse filium Dei, non cogitavit quoniam fortis athleta ad ea quae infirma sunt descendere potest; infirmus autem ad ea quae fortia sunt ascendere non potest. Magis ergo ex eo quod per tot dies non esuriit, intelligere debuit quia Deus est, quam ex eo quod post tot dies esuriit, quia

homo est. Sed dicit: moyses et elias quadraginta dies ieiunaverunt, et homines erant. Sed illi ieiunantes esuriebant et sustinebant, iste quadraginta diebus non esuriit, sed postea. Esurire enim et non manducare, patientiae est humanae; non esurire autem, divinae naturae.

Hieronymus. Propositum autem christi erat humilitate vincere; unde adversarium vicit testimoniis legis, non potestate virtutis, ut hoc ipso et hominem plus honoraret et adversarium plus puniret, cum hostis generis humani non quasi a Deo, sed quasi ab homine vinceretur; unde sequitur qui respondens, dixit ei: scriptum est: non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

Gregorius in Evang. Sic ergo tentatus a diabolo dominus, sacri eloquii praecepta respondit; et qui tentatorem suum mergere in abyssum poterat, virtutem suae potentiae non ostendit, quatenus nobis praeberet exemplum ut quoties a pravis hominibus aliquid patimur, ad doctrinam excitemur potius quam ad vindictam.

Chrysostomus super Matth. Non autem dixit: non in solo pane vivo, ne videatur de se dictum esse; sed non in solo pane vivit homo, ut posset diabolus dicere si filius Dei es. Abscondit se ut non ostendatur; quod potest, si homo est; astute excusat se, ne ostendatur non posse.

Rabanus. Testimonium autem hoc de deuteronomio sumptum est. Ergo si quis non vescitur verbo Dei, iste non vivit, quia sicut corpus humanum non vivit sine terreno cibo, ita et anima vivere non potest sine Dei verbo. Procedere autem verbum de ore Dei dicitur cum voluntatem suam per scripturarum testimonia revelat.

MATTHAEUS 4,5-7

3405 (Mt 4,5-7)

Chrysostomus super Matth. Cum ex praemisso christi responso nihil certum discere diabolus potuisset utrum Christus Deus esset an homo, assumpsit eum ad aliam tentationem, dicens apud se: iste qui fame non vincitur, etsi filius Dei non est, tamen sanctus est. Valent enim homines sancti fame non vinci; sed postquam omnem necessitatem carnis vicerunt, per vanam gloriam cadunt; ideo coepit eum tentare in gloria vana; propter quod sequitur tunc assumpsit eum diabolus in sanctam civitatem.

Hieronymus. Assumptio ista non ex imbecillitate domini venit, sed de inimici superbia, qui voluntatem salvatoris necessitatem putat.

Rabanus. Sancta autem civitas ierusalem dicebatur, in qua templum Dei erat et sancta sanctorum et cultus unius Dei secundum legem moysi.

Remigius. In quo ostenditur quia diabolus fidelibus christi etiam in sanctis locis insidiatur.

Gregorius in Evang. Sed ecce dum dicitur Deus homo in sanctam civitatem a diabolo assumptus, humanae aures audire expavescent; iniquorum tamen omnium diabolus caput est. Quid autem mirum si se ab illo permisit in montem duci, qui se permisit a membris illius crucifigi? **Glossa.** Diabolus enim semper ad alta ducit elevando per iactantiam, ut praecipitare possit; ideo sequitur et statuit eum supra pinnaculum templi.

Remigius. Pinnaculum sedes erat doctorum: templum enim non habebat culmen erectum sicut nostrae domus habent, sed et planum erat desuper more palaestinatorum, et in ipso templo tria tabulata erant. Et sciendum, quia in pavimento pinnaculum erat, et in unoquoque tabulato pinnaculum erat. Sive ergo statuerit eum in illo pinnaculo quod erat in pavimento, sive in illis quae erant in primo, secundo vel tertio tabulato, intelligendum est quod in illo statuisset eum unde aliquod praecipitium esse potuit.

Glossa. Nota vero, haec omnia corporeis sensibus esse completa: si enim verba ad invicem conferuntur, in specie hominis diabolum apparuisse verisimile est.

Chrysostomus sup. Matth. Sed forte dicis: quomodo in corpore constitutum videntibus omnibus statuit supra templum? sed forsitan diabolus sic eum assumebat ut ab omnibus videretur; ipse autem, nesciente diabolo, invisibiliter sic agebat ut a nemine videretur.

Glossa. Ideo autem duxit eum supra pinnaculum, cum vellet eum de vana gloria tentare, quia in cathedra

doctorum multos deceperat inani gloria, et ideo putavit istum positum in sede magisterii inani gloria extolli posse; unde sequitur et dixit: si filius Dei es, mitte te deorsum.

Hieronymus. In omnibus enim tentationibus hoc agit diabolus ut intelligat si filius Dei sit. Dicit autem mitte te, quia vox diaboli, qua semper homines cadere deorsum desiderat, persuadere potest, praecipitare non potest.

Chrysostomus super Matth. Per hanc autem propositionem quomodo poterat cognoscere si est filius Dei, an non? volare enim per aerem non est proprie opus Dei, quia nulli utile est. Si ergo aliquis volaverit provocatus, propter ostentationem solam hoc facit, et est potius ex diabolo quam ex Deo. Si ergo homini sapienti sufficit esse quod est et non est necessarium ei apparere quod non est, quanto magis filius Dei ostendere se necessarium non habet, de quo nemo potest tantum cognoscere quantum est apud se?

Ambrosius super lucam. Sed quia satanas transfiguratur se sicut angelum lucis et de scripturis ipsis divinis laqueum fidelibus parat, utitur testimoniis scripturarum, non ut doceat, sed ut fallat; unde sequitur scriptum est enim: quia angelis suis mandavit de te.

Hieronymus. Hoc enim in psalmo 90,11 legimus; verum ibi non de Christo, sed de viro sancto propheta est. Male ergo diabolus interpretatur scripturas.

Chrysostomus super Matth. Vere enim filius Dei angelorum manibus non portatur, sed ipse magis angelos portat; et si portatur manibus angelorum, non ut offendant ad lapidem pedem suum, quasi infirmus, sed propter honorem, quasi dominus. O diabole, quoniam filius Dei manibus portatur legisti, et quia super aspidem et basiliscum calcas, non legisti? sed illud quidem exemplum profert quasi superbus, hoc autem tacet quasi astutus.

Chrysostomus in Matth. Intuere etiam quia testimonia a domino allata sunt convenienter, a diabolo autem indecenter: non enim quod scriptum est angelis suis mandavit de te, et in manibus tollent te, suadet proiicere seipsum et praecipitare.

Glossa. Est ergo sic exponendum. Ait enim scriptura de quolibet bono homine, quod angelis suis, id est administratoribus spiritibus, praecepit de ipso quod in manibus suis, id est in auxiliis suis, tollant eum et custodiant ne offendant pedem, id est affectum mentis, ad lapidem id est ad veterem legem scriptam in lapideis tabulis. Vel per lapidem potest intelligi omnis peccati occasio et ruinae.

Rabanus. Notandum est autem, quod salvator noster licet permisisset se a diabolo supra pinnaculum templi poni, tamen renuit ad imperium eius descendere, nobis exemplum donans, ut quisquis imperaverit viam veritatis arctam nos ascendere, obtemperemus. Si autem vult nos de altitudine veritatis et virtutum ad ima erroris et vitiorum praecipitare, non illum audiamus.

Hieronymus. Falsas autem de scripturis diaboli sagittas veris scripturarum frangit clypeis; unde sequitur ait illi rursus iesus: scriptum est: non tentabis dominum Deum tuum.

Hilarius in Matth. Diaboli enim conatus contundens, et Deum se protestatur et dominum.

Chrysostomus super Matth. Non autem dixit: non tentabis me dominum Deum tuum; sed ita: non tentabis dominum Deum tuum, quod poterat dicere omnis homo Dei tentatus a diabolo, quoniam et qui hominem Dei tentat, Deum tentat.

Rabanus. Vel aliter. Suggerebatur ei quasi homini ut aliquo signo exploraret quantum Deus posset.

Augustinus contra faustum. Pertinet autem ad sanam doctrinam, quando habet homo quid faciat, non tentare dominum Deum suum. Theodotus. Tentat enim Deum qui sine ratione obiciens se periculo, quidpiam agit.

Hieronymus. Et notandum, quod necessaria testimonia de deuteronomio tantum protulit, ut secundae legis sacramenta monstraret.

MATTHAEUS 4,8-11

Chrysostomus super Matth. Diabolus ex secundo responso incertus, transit ad tertiam tentationem: quia enim Christus retia ventris diruperat, retia vanae gloriae transiverat, ponit ei retia avaritiae; propter quod dicitur iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde, quem scilicet diabolus circuiens omnem terram excelsiorem ceteris cognoscebat. Quanto enim excelsior fuerit mons, tanto ex eo spatiosior terra videtur; unde sequitur et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum. Ostendit autem ita non ut ipse regna vel civitates eorum vel populos vel argentum vel aurum videret, sed partes terrae in quibus unumquodque regnum vel civitas posita erat: ut puta, si ascendens super excelsum locum digito extenso dicam tibi: ecce ibi est roma aut alexandria, non sic ostendo tibi ut ipsas videas civitates, sed partes terrae in quibus positae sunt; sic et diabolus poterat Christo singula loca demonstrare digito et uniuscuiusque regni honores et statum verbis exponere: nam ostensum dicitur etiam quod exponitur ad intelligendum.

Origenes super lucam. Vel aliter. Non est arbitrandum quod regna ei mundi ostendens, persarum verbi gratia regnum indorumque ostenderit; sed ostendit ei regnum suum, quomodo regnaret in mundo, id est quomodo alii regnentur a fornicatione, alii ab avaritia.

Remigius. Gloriam eorum appellat aurum, argentum et lapides pretiosos et temporalia bona.

Rabanus. Ostendit autem haec diabolus domino, non quod ipse visum eius amplificare potuerit aut aliquid ignotum demonstrare, sed vanitatem pompae mundanae, quam ipse diligebat, quasi speciosam ac desiderabilem verbis ostendens, in amorem Christo suggerens venire volebat.

Glossa. Qui non concupiscentiae oculo intuetur sicut nos, sed sicut medici vident morbos sine laesione.

Hieronymus. Sequitur et dixit illi: haec omnia tibi dabo. Arrogans et superbus de iactantia loquitur: non enim potest omnia regna dare, cum sciamus plerosque sanctos viros a Deo reges factos.

Chrysostomus super Matth. Sed eas quae per iniquitatem fiunt in mundo, ut puta per furtum aut per periuria acquisitas divitias diabolus dat. Non ergo diabolus quibus vult divitias dare potest, sed his qui volunt ab illo recipere.

Remigius. Miranda etiam est diaboli dementia. Illi promittebat dare regna terrena qui suis fidelibus dat regna caelestia, et gloriam mundi ei qui est caelestis gloriae dominus.

Ambrosius super lucam. Habet autem ambitio domesticum periculum: ut enim dominetur aliis prius servit, curvatur obsequio ut honore dominetur, et dum vult esse sublimior fit remissior. Unde aperte subditur si cadens adoraveris me.

Glossa. Ecce antiqua diaboli superbia. Sicut enim in principio voluit se similem Deo facere, ita nunc volebat divinum sibi usurpare cultum, dicens si cadens adoraveris me. Ergo qui adoraturus est diabolum, ante corrui. Sequitur tunc dicit ei iesus: vade, satana.

Chrysostomus super Matth. In quo finem tentandi diabolo ponit, ne progrediatur ulterius tentans.

Hieronymus. Non autem, ut plerique putant, eadem satanas et petrus condemnantur sententia. Petro enim dicitur: vade retro me, satana, id est sequere me qui contrarius es meae voluntati; huic autem dicitur vade, satana; et non ei dicitur retro, ut subaudiatur: vade in ignem aeternum qui paratus est tibi et angelis tuis.

Remigius. Vel, secundum alia exempla: vade retro, id est, reminiscere, recordare in quanta gloria conditus fuisti et in quantam miseriam cecidisti.

Chrysostomus super Matth. Videndum autem quia Christus cum passus fuisset tentationis iniuriam, dicente sibi diabolo si filius Dei es, mitte te deorsum, non est turbatus neque diabolum increpavit. Nunc autem quando diabolus usurpavit sibi Dei honorem, exasperatus est, et repulit eum dicens vade, satana, ut nos illius discamus exemplo nostras quidem iniurias magnanimiter sustinere, Dei autem iniurias nec usque ad auditum sufferre, quoniam in propriis iniuriis esse quempiam patientem laudabile est, iniurias autem Dei dissimulare nimis est impium.

Hieronymus. Dicens autem diabolus salvatori si cadens adoraveris me, e contrario audit, quod ipse magis adorare eum debeat dominum et Deum suum.

Augustinus contra sermonem arianorum. Unde sequitur scriptum est enim: dominum Deum tuum adorabis

et illi soli servies. Unus dominus Deus noster est ipsa trinitas, cui soli servitum pietatis iure debemus.

Augustinus de Civ. Dei. Nomine autem servitutis, cultus Deo debitus intelligitur: latrariam quippe nostri, ubicumque sanctarum scripturarum positum est, interpretati sunt servitum; sed ea servitus quae debetur hominibus, secundum quam praecepit apostolus servos dominis suis subditos esse debere, graece nuncupari solet dulia; latraria vero aut semper, aut tam frequenter ut pene semper, ea servitus dicitur quae pertinet ad colendum Deum.

Chrysostomus super Matth. Diabolus autem, sicut, rationabiliter intelligi potest, non quasi obediens praecepto recessit, sed divinitas christi et spiritus sanctus qui erat in eo excussit inde diabolum; unde sequitur tunc reliquit eum diabolus. Quod ad nostram proficit consolationem, quia non tamdiu homines Dei diabolus tentat quamdiu vult, sed quamdiu Christus permittit. Etsi permittit eum paulisper tentare, tamen repellit propter infirmam naturam.

Augustinus de Civ. Dei. Post tentationem vero sancti angeli spiritibus immundis metuendi domino ministrabant, et per hoc magis magisque innotescebat daemonibus quantus esset; unde sequitur et ecce angeli accesserunt et ministrabant ei.

Chrysostomus super Matth. Non autem dixit: descendentes angeli, ut ostendat quia semper ad ministerium eius erant in terris, sed tunc praecipiente domino recesserunt ab eo, ut locus diabolo adversus Christum daretur, ne forte videns angelos circa eum non appropinquaret ad eum. In quibus autem rebus illi ministrabant scire non possumus: utrum ad sanationes infirmitatum, an ad correctiones animarum, an ad effugationem daemonum, quae omnia per angelos facit, unde eis facientibus ipse facere videtur; tamen manifestum est quod non propter necessitatem impotentiae eius ei ministrabant, sed propter honorem potestatis ipsius: non enim dicitur quod adiuvent eum, sed quod ministrent.

Gregorius in Evang. Ex his autem unius personae utraque natura ostenditur: quia et homo est quem diabolus tentat, et idem ipse Deus est cui ab angelis ministratur.

Chrysostomus super Matth. Nunc breviter perstringamus quid significant christi tentationes. Ieiunium est abstinentia rei malae, esuries est desiderium eius, usus eius est panis. Qui ergo peccatum sibi convertit ad usum, lapidem convertit in panem. Respondeat ergo diabolo persuadenti, quia non in solo usu illius rei vivit homo, sed in observantia mandatorum Dei. Quando vero quis inflatus fuerit quasi sanctus, ductus est quasi super templum, et quando aestimaverit se consistere in sanctimoniae summitate, positus est supra pinnaculum templi. Et haec tentatio sequitur primam, quia victoria tentationis gloriationem operatur et fit causa iactantiae. Sed vide quod Christus ieiunium ultro susceperit. Super templum autem diabolus eum duxit, ut tu ad abstinentiam laudabilem sponte procedas; extolli autem ad fastigium sanctitatis non acquiescas; fuge exaltationem cordis et non patieris ruinam. Ascensio autem montis est processio ad altitudinem divitiarum et gloriae huius mundi quae de superbia cordis descendit. Cum ergo volueris dives fieri, quod est ascendere in montem, incipis cogitare de divitiis et honoribus acquirendis, et tunc princeps mundi gloriam regni sui tibi ostendit. Tertio loco providet tibi causas, ut si volueris illa consequi, servias ei negligens iustitiam Dei.

Hilarius in Matth. Victo autem a nobis calcatoque diaboli capite, angelorum ministeria et virtutum in nos caelestium officia non defutura ostenditur.

Augustinus de cons. Evang. Lucas has tentationes non eodem ordine persecutus est; unde incertum est quid prius factum sit: utrum regna terrae prius demonstrata sint et postea in pinnaculum templi levatus sit, an e converso; nihil tamen ad rem, dum omnia facta esse manifestum sit.

Glossa. Sed quod dicit Lucas magis videtur secundum historiam esse, sed Matthaeus has refert tentationes secundum hoc quod in adam factae sunt.

MATTHAEUS 4,12-16

3412 (Mt 4,12-16)

Rabanus. Postquam Matthaeus de quadraginta dierum ieiunio et de tentatione christi et de angelorum ministerio narravit, continuo subiecit dicens cum autem audisset iesus quia ioannes traditus esset.

Chrysostomus super Matth. Sine dubio a Deo, quia in virum sanctum nemo potest aliquid nisi tradiderit

eum Deus. Sequitur secessit in galilaeam, scilicet de iudaea, ut passionem suam opportuno tempore reservaret, deinde ut nobis fugiendi periculum daret exemplum.

Chrysostomus in Matth. Non enim accusabile est non proicere seipsum in periculum, sed incidentem non stare viriliter. Recedit etiam de iudaea, iudaicam invidiam mitigans, simul quidem prophetiam complens et magistros orbis terrarum piscari studens, qui in galilaea morabantur. Attende etiam qualiter ad gentes abiturus a iudaeis accepit causam: etenim cum praecursorem in vincula misissent, impellunt iesum transire ad galilaeam gentium.

Glossa. Ut autem refert Lucas, venit nazareth, ubi erat nutritus, et ibi intravit in synagogam, ubi legit et dixit multa, propter quae voluerunt eum praecipitare de monte; et tunc descendit capharnaum; unde modo ait Matthaeus et relicta civitate nazareth, venit et habitavit capharnaum.

Hieronymus. Nazareth est in galilaea vicus iuxta montem thabor; capharnaum est oppidum in galilaea gentium iuxta stagnum genesareth; et ideo dicit maritima.

Glossa. Addit etiam in finibus zabulon et nephthalim, ubi prima captivitas hebraeorum fuit ab assyriis. Ubi ergo prima legis oblivio est, ibi prima evangelii praedicatio, ut de loco quasi medio diffleret ad gentes et iudaeos.

Remigius. Reliquit autem unam, scilicet nazareth, ut praedicando et miracula faciendo plures illuminaret; in quo facto reliquit praedicatoribus exemplum, ut eo tempore et illis in locis studeant praedicare, quando multis prodesse possunt. Sequitur ut adimpleretur quod dictum est per isaiaem prophetam: terra zabulon et terra nephthalim etc. In prophetia ita habetur: primo tempore alleviata est terra zabulon et terra nephthalim, et novissimo aggravata est via maris, trans iordanem, galilaeae gentium.

Hieronymus super isaiaem. Dicitur autem primo tempore alleviata esse ab onere peccatorum, quia in regionibus duarum tribuum, primum salvator evangelium praedicavit, novissimo vero tempore aggravata est fides eorum, plurimis iudaeorum in errore permanentibus. Mare autem hic lacum appellat genesareth, qui iordane influente efficitur, in cuius litore capharnaum et tiberias et bethsaida et corozaim sitae sunt, in qua maxime regione Christus praedicavit. Vel, secundum hebraeos in Christum credentes, hae duae tribus zabulon et nephthalim ab assyriis captae sunt, et galilaea deserta est, quam propheta dicit esse alleviatam, eo quod peccata populi sustineret; sed postea reliquae tribus, quae habitabant trans iordanem et in samaria, ductae sunt in captivitatem et hoc, inquit, scriptura nunc dicit, quod regio, cuius populus primum captivatus est, ipsa primum lucem praedicantis viderit christi. Vel, secundum nazaraeos, adveniente Christo, primo terra zabulon et nephthalim est pharisaeorum erroribus liberata, postea per evangelium apostoli pauli ingravata est, idest multiplicata praedicatio in terminos gentium.

Glossa. Hic autem in evangelio diversi nominativi ad idem verbum reducuntur; ita et terra zabulon et terra nephthalim, quae est via maris, quae est trans iordanem, scilicet populus galilaeae gentium, qui ambulabat in tenebris.

Hieronymus in lib. De locis hebr. Nota autem, quod duae galilaeae sunt: una quae dicitur iudaeorum, et alia quae dicitur gentium. Divisa est enim tempore salomonis, qui dedit viginti civitates in galilaea hyram regi tyri, quae pars dicta est postea galilaea gentium; reliqua iudaeorum. Vel legendum est trans iordanem galilaeae gentium, ita, inquam, ut populus, qui vel sedebat vel ambulabat in tenebris, lucem viderit, nequaquam parvam, ut aliorum prophetarum, sed magnam, scilicet illius qui in evangelio loquitur: ego sum lux mundi. Et qui habitabant in regione umbrae mortis, lux orta est eis. Inter mortem et umbram mortis hoc interesse puto, quod mors eorum est qui cum operibus mortis ad inferos perrexerunt; umbra autem mortis eorum est qui dum peccant, nondum de hac vita egressi sunt: possunt enim, si voluerint, agere poenitentiam.

Chrysostomus super Matth. Vel in regione umbrae mortis sedebant gentiles, quia colebant idola et daemones. Iudaei autem, qui legis opera faciebant, in tenebris erant quia Dei iustitia nondum erat eis manifesta.

Chrysostomus in Matth. Ut autem discas quod neque lumen neque tenebras sensibiles ait, de lumine dixit lumen magnum, quod alibi dicitur lumen verum; tenebras autem exponens nominavit umbram mortis. Deinde monstrans quod non ipsi quaerentes invenerunt, sed Deus ipsis apparuit, dixit quod lumen ortum est et effulsit: non enim prius ipsi ad lumen cucurrerunt, etenim in ultimis malis homines erant ante christi praesentiam: neque enim ambulabant in tenebris, sed sedebant; quod signum erat quia non sperabant liberari; sicut enim nescientes quo oporteret progredi, ita comprehensi a tenebris sedebant, iam non potentes stare. Tenebras autem vocat hic errorem et impietatem.

Rabanus. Allegorice autem Ioannes est vox praecedens verbum et alii prophetae. Postquam autem propheta cessavit et ligatus est, accessit verbum complens quod praedicaverat vox, idest propheta. Et secessit in galilaeam, idest de figuris ad veritatem. Vel in galilaeam, idest in ecclesiam, ubi est transmigratio de vitiis ad virtutes. Nazareth interpretatur flos, capharnaum villa pulcherrima. Reliquit ergo florem figurarum, quo fructus evangelii significabatur et venit in ecclesiam, quae est christi virtutibus pulchra. Et maritima est, quia iuxta fluctus saeculi posita, quotidie tunditur procellis persecutionum. Inter zabulon et nephthalim sita est, idest iudaeis communis et gentibus. Zabulon enim habitaculum fortitudinis dicitur: quia apostoli, qui de iudaea electi sunt, fortes fuerunt. Nephthalim dilagatio, quia gentium ecclesia per orbem dilatata est.

Augustinus de cons. Evang. Ioannes autem evangelista, priusquam iret iesus in galilaeam, dicit de petro et andrea et nathanaele, et de miraculo in cana galilaeae; quae omnia ceteri evangelistae praetermiserunt, id contexentes suis narrationibus quod iesus reversus sit in galilaeam; unde intelligitur fuisse interpositos aliquos dies, quibus illa de discipulis gesta sunt quae interponuntur a iohanne.

Remigius. Sed illud solertius attendendum est, quare Ioannes dicat dominum iisse in galilaeam antequam Ioannes missus fuisset in carcerem. Nam post vinum de aqua factum et descensum eius in capharnaum et post ascensum eius in ierusalem, dicitur in evangelio iohannis, quod rediit in iudaeam et baptizabat, et nondum erat missus Ioannes in carcerem. Hic autem dicitur, quod postquam traditus fuit Ioannes, secessit in galilaeam; et hoc quidem dicit Marcus. Non autem debet hoc contrarium videri: nam Ioannes primum adventum domini in galilaeam descripsit, qui scilicet fuit ante incarcerationem iohannis. Sed et de secundo adventu alibi facit mentionem, cum ait quod iesus reliquit iudaeam et abiit iterum in galilaeam; et de hoc tantum secundo adventu in galilaeam, qui scilicet fuit post incarcerationem iohannis, alii evangelistae dicunt. Eusebius hist. Eccl. Ioannem enim tradunt usque ad ultimum pene vitae suae tempus absque ullius scripturae indicis evangelium praedicasse; sed cum trium evangeliorum ad ipsum notitia pervenisset, probasse quidem veritatem dicatorum, deesse tamen vidit aliqua, et maxime quae primo praedicationis suae tempore dominus gesserat. Certum est enim, quod in aliis tribus evangelis haec videntur sola contineri quae in eo gesta sunt anno quo Ioannes baptista vel inclusus est in carcerem vel punitus. Matthaeus enim post tentationem christi continuo subiecit audiens autem quia Ioannes traditus esset; et Marcus similiter. Lucas vero priusquam aliquid de actibus christi referret, dicit quod herodes conclusit Ioannem in carcerem. Rogatus est ergo Ioannes apostolus, ut ea quae praeterierant priores ante traditionem iohannis, salvatoris gesta conscriberet: et ideo dicit in evangelio suo: hoc fecit initium signorum iesus.

MATTHAEUS 4,17

3417 (Mt 4,17)

Chrysostomus super Matth. Ille debet christi iustitiam praedicare qui ventri suo contradicere potest, qui saeculi istius bona contemnit, qui vanam gloriam non desiderat. Et ideo dicitur exinde coepit iesus praedicare, idest ex quo tentatus, famem vicit in deserto, avaritiam sprexit in monte, vanam gloriam repercutit in templo. Vel exinde coepit praedicare, ex quo traditus est Ioannes: nam si praedicante iohanne praedicare coepisset, vitem reddidisset Ioannem, et inveniretur praedicationis esse superflua quantum ad istius doctrinam, sicut si uno tempore sol cum lucifero oriatur, gratiam luciferi celat.

Chrysostomus in Matth. Ideo etiam non praedicavit donec Ioannes in carcerem mitteretur, ne ex hoc multitudo scinderetur; propter quod etiam Ioannes nullum fecit signum, ut per miracula omnes traherentur ad Christum.

Rabanus. In hoc etiam docet ne quis ab inferiori persona sermonem contemnat; unde apostolus: si cui sedenti revelatum fuerit, prior taceat.

Chrysostomus super Matth. Sapienter autem inde praedicationis suae sumpsit initium, non ut conculcet iohannis doctrinam, sed ut magis confirmet, et testem eum verum fuisse demonstret.

Hieronymus. In quo etiam ostendit se eiusdem esse Dei filium, cuius ille fuerat propheta, et ideo dicit poenitentiam agite.

Chrysostomus super Matth. Non enim statim iustitiam praedicavit quam omnes cognoscebant, sed poenitentiam, qua omnes indigebant. Quis ergo ausus est dicere: volo bonus esse, et non possum? poenitentia enim correctio est voluntatis; et si vos mala non terrent, ut scilicet poenitentiam agatis, saltem

bona delectent; unde sequitur appropinquavit enim regnum caelorum, idest beatitudo regni caelestis; ac si dicat: parate vos per poenitentiam, quia appropinquavit tempus mercedis aeternae.

Remigius. Et notandum, quia non dicit: appropinquavit regnum chananaeorum aut iebuzaeorum, sed regnum caelorum. Lex enim promittebat bona temporalia, sed dominus regna caelestia.

Chrysostomus in Matth. Considerandum etiam, quod in hac praedicatione nihil de seipso manifeste praedicabat, quod interim conveniens erat, quia nondum de eo decentem habebant opinionem. Incipiens etiam, nihil grave et onerosum dixit, sicut Ioannes dixerat securim excindendae arbori imminentem, et huiusmodi; sed in principio benigna proposuit, regnum caelorum evangelizans.

Hieronymus. Mystice autem: iohanne tradito, Christus incipit praedicare, quia desinente lege, consequenter oritur evangelium.

MATTHAEUS 4,18-22

3418 (Mt 4,18-22)

Chrysostomus super Matth. Antequam Christus aliquid dicat vel faciat, vocat apostolos, ut nihil illos lateat nec verborum christi nec operum, ut postmodum fiducialiter dicere possint: non possumus quae vidimus et audivimus non loqui. Hinc est quod dicitur ambulans iesus iuxta mare galilaeae.

Rabanus. Mare galilaeae idem est quod stagnum genesareth, mare tiberiadis et lacus salinarum.

Glossa. Decenter autem per piscatoria vadit loca, piscatores piscaturus; unde sequitur vidit duos fratres, simonem, qui vocatur petrus, et andream fratrem eius.

Remigius. Vidit autem non tam corporaliter quam spiritualiter ad corda eorum respiciens.

Chrysostomus in Matth. In mediis autem operationibus existentes eos vocavit, monstrans quod omnibus occupationibus sequelam suam praeponere oportet; unde sequitur mittentes retia in mare, quod quidem eorum officio congruebat; propter quod sequitur erant enim piscatores.

Augustinus de verb. Dom. Non enim elegit reges aut senatores aut philosophos aut oratores, immo elegit plebeios, pauperes et indoctos piscatores.

Augustinus super ioann. Si enim doctus eligeretur, fortassis ideo se diceret electum, quia doctrina eius eligi meruit. Dominus autem noster iesus Christus volens superbiorum frangere cervices, non quaesivit per oratorem piscatorem, sed de piscatore lucratus imperatorem. Magnus cyprianus orator, sed prius petrus piscator.

Chrysostomus super Matth. Futurae etiam dignitatis gratiam artificii opera prophetabant: nam sicut qui retia iactat in aquam, nescit quos pisces comprehensurus est, sic doctor, quando divini sermonis retia super populum iactat, nescit qui sunt accessuri ad Deum. Sed quoscumque Deus excitaverit, illi adhaerent eius doctrinae.

Remigius. De his autem piscatoribus loquitur dominus per ieremiam dicens: mittam in vos piscatores meos et piscabuntur vos. Unde et hic subditur venite post me.

Glossa. Non tam pedibus, quam affectu et imitatione. Et faciam vos fieri piscatores hominum.

Chrysostomus super Matth. Idest doctores; ut cum rete verbi Dei comprehendatis homines de mundo tempestuoso et periculoso ubi homines non ambulant, sed feruntur, quia diabolus cum delectatione compellit eos in mala, ubi alterutrum homines se comedunt, sicut pisces fortiores devorant iuniores - ut translati vivant in terra, corporis christi membra facti.

Gregorius in Evang. Nulla autem petrus et andreas Christum miracula facere viderant, nihil ab eo de praemio aeternae retributionis audierant, et tamen ad unum domini praeceptum, hoc quod possidere videbantur, obliti sunt; unde sequitur at illi continuo, relictis retibus, secuti sunt eum. In quo affectum debemus potius pensare quam censum. Multum enim reliquit qui sibi nihil retinuit, multum dimisit qui cum re possessa et concupiscentiis renuntiavit. A sequentibus ergo tanta dimissa sunt quanta a non sequentibus

concupisci potuerunt. Exteriora enim nostra domino quantumlibet parva sufficiunt, nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur. Aestimationem quippe pretii regnum Dei non habet, sed tantum valet quantum habes.

Chrysostomus super Matth. Non autem praedicti discipuli secuti sunt Christum, doctoris cupientes honorem, sed operis lucrum: sciebant enim quam pretiosa est anima hominis, quam grata est apud Deum salus ipsius et quanta est merces.

Chrysostomus in Matth. Tanta igitur promissioni crediderunt, et per sermones quibus sunt capti, crediderunt se alios posse piscari.

Chrysostomus super Matth. Haec igitur cupientes, secuti sunt, omnibus relictis; in quo nos docuerunt quia nemo potest terrena possidere et perfecte ad caelestia pervenire.

Glossa. In his ergo datum est exemplum illis qui censum deserunt pro christi amore. Subditur autem exemplum eorum qui etiam carnales affectus pro Deo postponunt; unde dicitur et procedens inde, vidit alios duos. Nota, quia vocat binos et binos, sicut alibi legitur quod misit eos binos et binos ad praedicandum.

Gregorius in Evang. Quatenus hic nobis tacitus innuat, quia qui caritatem erga alterum non habet, praedicationis officium suscipere nullatenus debet. Duo enim sunt praecepta caritatis, et minus quam inter duos caritas haberi non potest.

Chrysostomus super Matth. Super caritatem etiam fraternitatis ecclesiae recte posuit fundamenta, ut ex radicibus caritatis exuberans quasi humor ascendat in ramos; et hoc super naturalem caritatem, ut non solum per gratiam, sed etiam per naturam ipsa caritas firmior habeatur; unde dicit fratres: sic enim fecit Deus et in veteri testamento, super moysen et aaron fratres, ponens aedificationis initium. Quoniam autem abundantior est gratia novi testamenti quam veteris, ideo primum populum aedificavit super unam fraternitatem, hunc autem super duas. Iacobum, inquit, et **Bedaei**, et iohannem fratrem eius in navi cum **ze Bedaeo** patre eorum, reficientes retia sua, quod est maximae paupertatis indicium: vetera enim reficiebant qui nova unde emerent non habebant. Et quod ad maiorem pietatem eorum pertinet, in tanta paupertate sic patri suo succurrebant, ut secum eum baiularent, in navi, non ut ille istos adiuveret in opere, sed ut isti illum consolarentur sua praesentia.

Chrysostomus in Matth. Non parva autem est hic demonstratio virtutis, inopiam facile ferre, ex iustis nutrir laboribus, colligari invicem amoris virtute, patrem inopem habere secum et in eius obsequio laborare.

Chrysostomus super Matth. Aestimare autem primos velociores ad praedicandum, quia retia mittebant, istos autem quasi pigriores quia adhuc retia componebant, non sumus ausi, quia differentiam eorum cognoscere solius est christi. Forte ergo illi propter petrum dicti sunt mittentes retia, qui praedicavit evangelium, sed non composuit; isti autem propter iohannem componentes, qui evangelium composuit. Sequitur et vocavit eos: erant enim habitatione cives, dilectione concordantes, artificio pares, fraternitatis coniuncti pietate. Ideo simul vocavit eos, ne tot bonis coniunctos dissimilis vocatio separaret.

Chrysostomus in Matth. Vocando autem nihil eis promisit, sicut prioribus; obedientia enim eorum qui praevenerant, viam eis ad credendum praeparaverat. sed et multa de ipso audierant, scilicet tamquam familiares et consanguinitate coniuncti. sequitur illi autem, relictis retibus et patre, secuti sunt eum.

Chrysostomus super Matth. tria enim sunt quae relinquere debet qui venit ad Christum: actus carnales, qui per retia piscationis significantur; substantiam mundialem, quae per navem; et parentes, qui per patrem. Reliquerunt ergo navem, ut fierent ecclesiasticae navis gubernatores; reliquerunt retia, ut non pisces afferrent ad civitatem terrenam, sed homines ad caelestem; reliquerunt unum patrem, ut spirituales patres omnium fierent.

Hilarius in Matth. Eis igitur artem et patriam domum relinquentibus, docemur, Christum secuturi, et saecularis vitae sollicitudine et paterna domus consuetudine non teneri.

Remigius. mystice autem per mare designatur iste mundus, propter amaritudinem et fluctuationem. Galilaea autem interpretatur volubilis, sive rota, et significat mundi volubilitatem. Ambulavit igitur iesus iuxta mare dum ad nos per incarnationem venit: quia non carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati suscepit ex virgine. per duos fratres duo populi designantur qui ab uno Deo patre creati sunt, quos vidit quando eos misericorditer respexit. per petrum enim, qui interpretatur agnoscens, et dicitur simon, id est obediens, designatur iudaicus populus, qui per legem Deum agnovit et praeceptis eius obedivit; per andream, qui interpretatur virilis sive decorus, intelligitur gentilis populus qui post agnitionem Dei viriliter in fide permansit. Nos populum vocavit quando praedicatorum in mundum misit, dicens venite post me, id est

relinquite deceptorem et sequimini creatorem. De utroque etiam populo facti sunt hominum piscatores, idest praedicatorum. Relictis autem navibus, idest carnalibus desideriis, et retibus, idest mundi cupiditatibus, secuti sunt Christum. Per iacobum etiam intelligitur iudaicus populus, qui per cognitionem Dei diabolum supplantavit; per iohannem gentilis populus, qui sola gratia salvatus est. **Zebedaeus** autem, quem relinquunt, et interpretatur fugitivus sive labens, significat mundum qui transit et diabolum qui de caelis lapsus est. Per petrum etiam et andream mittentes retia in mare, designantur illi qui in prima aetate, dum de navi corporis sui mittunt retia carnalis concupiscentiae in mare huius saeculi, vocantur a domino. Per iacobum et iohannem reficientes retia designantur illi qui post peccata ante adversitates veniunt ad Christum recuperantes quae perdidierunt.

Rabanus. Duae naves duas ecclesias figurant: eam quae ex circumcissione, et eam quae ex praepotio vocata est. Quilibet etiam fidelis fit simon, Deo obediendo; petrus, peccatum suum agnoscendo; andreas, viriliter labores patiendo; iacobus, vitia supplantando.

Glossa. Et iohannes, ut totum gratiae Dei adscribat. Et ideo quarta tantum vocatio ponitur, per quos praedicatorum Dei a quatuor mundi partibus vocatos signetur.

Hilarius in Matth. vel in hoc futurorum evangelistarum numerus figuratur.

Remigius. Per hoc etiam quatuor virtutes principales designantur: prudentia enim refertur ad petrum, propter divinam cognitionem; iustitia ad andream, propter operum virilitatem; fortitudo ad iacobum, propter diaboli supplantationem; temperantia ad iohannem, propter divinae gratiae effectum.

Augustinus de cons. Evang. sane movere potest quomodo iohannes dicat non in galilaea, sed iuxta iordanem andream secutum esse dominum cum alio cuius nomen tacetur; deinde petrum ab illo nomen accepisse; ceteri autem tres evangelistae de piscatione vocatos eos dicunt, satis inter se convenienter, maxime Matthaeus et Marcus; nam Lucas andream non nominat, qui tantum intelligitur in eadem navi fuisse. Hoc etiam videtur distare quod tantum petro a domino dictum esse commemorat Lucas: ex hoc iam homines eris capiens quod Matthaeus et Marcus ambobus dixisse narrant. Sed potuit prius petro dici secundum lucam, et ambobus postea secundum alios duos. Sed quod de iohanne diximus, diligenter considerandum est, cum et locorum plurimum intersit et temporis et ipsius vocationis. Sed intelligendum est, petrum et andream non sic vidisse dominum iuxta iordanem ut ei iam inseparabiliter inhaerent, sed tantum cognovisse quis esset, et eum miratos ad propria remeasse. Forte autem quod praetermiserat recapitulat, quia sine ulla consequentis temporis differentia dicit ambulans autem iuxta mare. Quaeri etiam potest quomodo binos et binos seorsum eos vocaverit, sicut narrat Matthaeus et Marcus, cum Lucas dicat iacobum et iohannem tamquam socios petri ad adiuvandum vocatos fuisse, et simul subductis ad terram navibus Christum secutos? unde intelligendum est hoc primo esse factum quod Lucas insinuat, et eos ad capturam piscium ex more remeasse: non enim erat dictum petro quod pisces nunquam esset capturus, cum post resurrectionem hoc fecerit, sed quod homines esset capturus; postea hoc factum est quod Matthaeus et Marcus narrant: non enim subductis ad terram navibus, tamquam cura redeundi secuti sunt eum, sed tamquam iubentem ut sequerentur.

MATTHAEUS 4,23-25

3423 (Mt 4,23-25)

Chrysostomus super Matth. omnis rex pugnaturus contra adversarium, prius congregat exercitum, et sic vadit ad pugnam; sic et dominus contra diabolum pugnaturus, prius congregavit apostolos, et sic coepit evangelium praedicare; unde sequitur et circuibat iesus.

Remigius. In quo doctorum vita instruitur: ut enim non sint pigri, docentur per hoc quod dicitur circuibat iesus.

Chrysostomus super Matth. quia enim illi ut debiles ad medicum venire non poterant, ipse sicut studiosus medicus circuibat graviter aegrotantes. et dominus quidem circuibat singulas regiones; qui autem sunt unius regionis pastores considerando debent circuire populi singulas passiones, ut ad remedium passionis eorum aliquod medicamentum in ecclesia proferatur.

Remigius (Rabanus in hoc loco id habet). Ut autem non sint acceptores personarum docentur praedicatorum per hoc quod subiungitur totam galilaeam. Ut autem vacui non discurrant, docentur per hoc

quod subditur docens. Ut autem non paucis, sed multis prodesse studeant, monentur per hoc quod sequitur in synagogis.

Chrysostomus in Matth. hinc quoque iudaeos docebat, quod nec esset Dei adversarius nec animarum seductor, sed quod patri consentiens advenisset.

Remigius. Ut autem non errores neque fabulas, sed salutaria praedicent, docentur per hoc quod subditur praedicans evangelium regni. Distat autem inter docens et praedicans: docens enim refertur ad praesentia, praedicans ad futura: docebat enim de praesentibus mandatis, praedicabat de futuris promissis.

Chrysostomus super Matth. Vel docebat iustitias naturales, quas scilicet ratio naturalis docet: ut castitatem, humilitatem, et huiusmodi, quas per seipsos omnes bona esse intelligunt: de quibus necessaria est doctrina, non tantum propter manifestationem eorum, quantum propter excitationem cordis. Praevalidentibus enim delectationibus carnalibus, scientia iustitiae naturalis quasi in oblivionem deducta obdormit. Cum ergo coepit doctor reprehendere carnalia mala, eius doctrina non novam scientiam introducit, sed oblitam commonefacit. Praedicabat autem evangelium annuntiando bona, quae antiqui manifeste nec audierant, ut beatitudinem caelestem, mortuorum resurrectionem, et huiusmodi. Vel docebat interpretando prophetias de ipso: evangelium praedicabat denuntiando in se bona futura.

Remigius. Ut autem doctores doctrinam suam virtutibus commendare studeant, docentur per hoc quod subditur sanans omnem languorem et omnem infirmitatem in populo. Infirmitas quidem est corporum, languor autem animarum.

Chrysostomus super Matth. Vel per languorem, animae aliquam passionem intelligimus, ut avaritiam, libidinem, et huiusmodi; per infirmitatem autem infidelitatem, per quam aliquis infirmatur in fide. Vel per languores intelliguntur graviore corporis passiones, per infirmitates autem leviores. Sicut autem passiones corporales divinitatis virtute sanabat, sic spirituales verbo pietatis. Primo autem docet et postea sanat; propter duo: primo, quia praemittitur quod magis necessarium est: verba enim pietatis aedificant animam, non miracula; deinde quia verba per miracula commendantur, et non e converso.

Chrysostomus in Matth. Considerandum autem, quod quando novum fit aliquid, ac politicae cuiusdam introductio, signa Deus facere consuevit praestans suae potentiae pignora his qui legem eius accepturi sunt. Sic cum hominem facturus esset, prius mundum creavit, ac tum demum facto homini legem in paradiso dedit; et cum sancto noe legem positurus esset, magna utique mirabilia monstravit; sed et iudaeis quidem, cum legem laturus esset prius prodigia magna ostendit, ac tum demum eis praecepta legis imposuit. Ita hic sublimem quamdam vivendi introducturus disciplinam, auctoritatem mandatis suis praestruxit claritate signorum: quia enim aeternum regnum, quod praedicabat, non apparebat, ex his quae videntur, etiam illud quod nondum apparebat, manifestum fecit.

Glossa. Sed quia praedicatores debent habere bonum testimonium ab his qui foris sunt, ne, si vita despiciatur, praedicatio contemnatur, subditur et abiit opinio eius in totam syriam.

Rabanus. Syria est omnis regio ab euphrate usque ad mare magnum, a cappadocia usque ad aegyptum, in qua est provincia palaestina, in qua habitant iudaei.

Chrysostomus in Matth. intende autem moderationem evangelistae, quia non unumquemque nobis enarrat curatorum, sed brevibus verbis copiositatem transcurrit signorum; unde sequitur et obtulerunt ei omnes male habentes.

Remigius. Per quos varias vult intelligi infirmitates, sed leviores. Cum vero dicit variis languoribus et tormentis comprehensos, illos vult intelligi de quibus subinfertur et qui daemonia habebant.

Glossa. Languor diuturnus est; tormentum est morbus acutus, ut dolor lateris, et huiusmodi; qui autem daemonia habebant, sunt qui a daemonibus vexabantur.

Remigius. lunatici enim dicti sunt a luna, quae dum menstruis temporibus crescit et decrescit, ipsi vexantur.

Hieronymus. Daemones enim observantes lunaria tempora, creaturam infamare cupiebant, ut in creatorem blasphemiae redundarent.

Augustinus de Civ. Dei. Illiciuntur tamen daemones ad inhabitandum per creaturas (quas non ipsi, sed Deus condidit). delectabilibus pro sua diversitate diversis, non ut animalia cibus, sed ut spiritus signis, quae cuiusque delectationi congruunt.

Rabanus. paralytici autem sunt corpore dissoluti: paralysis enim graece, latine dicitur dissolutio. sequitur et curavit eos.

Chrysostomus super Matth. Cum in quibusdam locis dicatur: multos curavit, hic simpliciter dicitur et curavit eos, signans quod omnes curavit, sicut et novitius medicus intrans civitatem, omnes ad se venientes curat propter suam opinionem commendandam.

Chrysostomus in Matth. A nullo autem eorum fidem exquisivit, quoniam nondum virtutis suae demonstrationem dederat, et illi e longinquo venientes et aegros adducentes, non parvam ostenderant fidem. sequitur et secutae sunt eum turbae multae.

Rabanus. Quae quadripartitae sunt alii propter caeleste magisterium, ut discipuli; alii ob curationem infirmitatum; alii sola fama et curiositate, volentes experiri an verum esset quod dicebatur; alii per invidiam, volentes eum in aliquo capere et accusare. Mystice autem syria interpretatur elata, galilaea volubilis vel rota, idest diabolus et mundus, qui et superbus est et ad ima semper rotatur; in quo fama christi per praedicationem innotuit: daemoniaci enim sunt idololatrae; lunatici, instabiles; paralytici, pigri et dissoluti.

Glossa. Turbae autem quae sequuntur dominum, sunt de ecclesia, quae spiritualiter est galilaea transmigrans ad virtutes; et decapolis decem praecepta servans; et hierosolyma et iudaea, quam visio pacis et confessio illustrat; et trans iordanem, quia baptismo transit, terram promissionis intrat.

Remigius. Vel sequitur dominum de galilaea, idest de volubilitate mundi, et decapoli, quae est regio decem urbium, et significat decalogi transgressores, et de hierosolyma, quia scilicet prius innoxia pace detinebatur, et de iudaea, idest de confessione diabolica, et de trans iordanem, qui prius erant in paganismo constituti, sed transeuntes per aquam baptismi venerunt ad Christum.

MATTHAEUS 5,1-3

3501 (Mt 5,1-3)

Chrysostomus super Matth. omnis artifex secundum professionem suam, opportunitatem operis videns gaudet: carpentarius enim si viderit arborem bonam, concupiscit eam praecidere ad opus artificii sui; et sacerdos, cum viderit ecclesiam plenam, gaudet animus eius et delectatur ut doceat. Sic et dominus videns magnam congregationem populi, excitatus est ad docendum; unde dicit: videns autem turbas iesus, ascendit in montem.

Augustinus de cons. Evang. Vel hic potest videri multas turbas vitare voluisse, et ob hoc ascendisse in montem ut solis discipulis loqueretur.

Chrysostomus in Matth. per hoc autem quod non in civitate et foro, sed in monte et solitudine sedit, erudit nos nihil ad ostentationem facere, et a tumultibus ascendere, et praecipue cum philosophandum est ac de rebus seriis disserendum.

Remigius. Hoc enim sciendum est, quod tria refugia legitur dominus habuisse: navim, montem et desertum; ad quorum alterum, quotiescumque a turbis opprimebatur, conscendebat.

Hieronymus in Matth. nonnulli autem simpliciorum fratrum putant dominum ea quae sequuntur in oliveti monte docuisse; quod nequaquam ita est: ex praecedentibus enim et sequentibus in galilaea monstratur locus, quem putamus esse vel thabor, vel quemlibet alium montem excelsum.

Chrysostomus super Matth. ascendit autem in montem: primo quidem ut impleret prophetiam isaiae dicentis: super montem ascende tu; deinde ut ostendat quoniam in altitudine spiritualium virtutum consistere debet qui docet Dei iustitiam, pariter et qui audit: nemo enim potest in valle stare et de monte loqui. Si in terra stas, de terra loquere; si autem de caelo loqueris, in caelo consiste. vel ascendit in montem, ut ostendat quod omnis qui vult discere mysteria veritatis, in montem ecclesiae debet ascendere; de quo propheta: mons Dei, mons pinguis.

Hilarius in Matth. Vel ascendit in montem, quia in paternae maiestatis celsitudine positus, caelestis vitae praecepta constituit.

Augustinus de serm. Dom. vel ascendit in montem, ut significet, quia minora erant praecepta iustitiae quae a Deo data sunt per prophetas populo iudaeorum, quem timore adhuc alligari oportebat; per filium autem suum maiora populo quem caritate iam convenerat liberari. sequitur et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius.

Hieronymus. Ideo autem non stans, sed sedens, loquitur, quia non poterant eum intelligere in sua maiestate fulgentem.

Augustinus de serm. dom. Vel quod sedens docebat, pertinet ad dignitatem magistri. Accesserunt autem ad eum discipuli eius, ut audiendis verbis illius hi essent etiam corpore viciniore qui praeceptis implendis animo appropinquabant.

Rabanus. Mystice autem sessio domini, incarnatio eius est: quia nisi dominus incarnatus esset, humanum genus ad eum accedere non potuisset.

Augustinus de cons. Evang. movet autem quod Matthaeus in monte dicit hunc habitum esse sermonem a domino sedente; Lucas autem in loco campestri a domino stante. Haec igitur diversitas facit videri alium fuisse illum, alium istum. Qui enim prohibet Christum quaedam alibi repetere quae ante iam dixerat, aut iterum facere quae ante iam fecerat? quamquam etiam possit illud occurrere: in aliqua excellentiori parte montis primo cum solis discipulis dominum fuisse, quando ex eis duodecim elegit; deinde cum eis descendisse non de monte, sed de ipsa montis celsitudine in campestrum locum, idest, in aliquam aequalitatem quae in latere montis erat et multos capere poterat, atque ibi stetisse donec ad eum turbae congregarentur; ac postea cum sedisset, accessisse propinquius discipulos eius, atque ita illis ceterisque turbis praesentibus, unum habuisse sermonem, quem Matthaeus Lucasque narrant diverso narrandi modo, sed eadem veritate rerum. **Gregorius** moralium. sublimia autem praecepta domino in monte dicturo praemittitur aperiens os suum, docebat eos, qui dudum aperuerat ora prophetarum.

Remigius. Ubicumque autem legitur dominus aperuisse os, inspiciendum est, quia magna sunt quae sequuntur.

Augustinus de serm. dom. Vel dicit aperiens os suum, ut ipsa mora commendet aliquanto longiorem futurum esse sermonem.

Chrysostomus in Matth. Vel hoc dicit, ut discas quoniam nunc quidem docebat os aperiens in loquendo, nunc autem vocem, quae est ab operibus, emittens.

Augustinus. Si quis autem pie sobrieque consideravit, inveniet in hoc sermone, quantum ad mores opportunos pertinet, perfectum vitae christianae modum; unde sic ipse sermo concluditur: omnis qui audit verba mea haec et facit ea, similabo eum viro sapienti.

Augustinus de Civ. Dei. Nulla autem est causa philosophandi, nisi finis boni; quod autem beatum facit, ipse est finis boni. Et ideo a beatitudine incipit dicens beati pauperes spiritu.

Augustinus de serm. Dom. Praesumptio quidem spiritus, audaciam et superbiam significat. vulgo etiam magnum spiritum superbi habere dicuntur, et recte, nam spiritus ventus vocatur; qui vero nesciat superbos inflatos dici, quasi vento distentos? quapropter recte hic intelliguntur pauperes spiritu humiles et timentes Deum, idest non habentes inflantem spiritum.

Chrysostomus in Matth. Vel spiritum hic elationem et animum dicit: quia enim sunt multi humiles nolentes, rerum necessitate coacti, non est laus; unde illos beatificat qui se ex electione humiliant. Ideo autem hic incipit radicitus evellens superbiam, quia haec fuit radix et fons malitiae universae; contra quam ponit humilitatem, velut quoddam stabile fundamentum; qua subiecta, cum stabilitate alia superaedificantur; hac autem destructa, pereunt quaecumque congregaveris bona.

Chrysostomus super Matth. ideo autem dixit manifeste beati humiles spiritu, ut sic humiles ostendat, ut semper adiutorium Dei sint mendicantes; unde in graeco dicitur beati ptochi, mendici, vel egeni. Sunt enim multi naturaliter humiles, et non ex fide, qui non pulsant adiutorium Dei; sed solum qui secundum fidem sunt humiles.

Chrysostomus in Matth. vel quia pauperes spiritu hic dicit formidantes et trementes Dei iussiones, quomodo dominus per isaiam commendat. quid autem amplius quam simpliciter humiles? humilium enim hic quidem mediocriter est, hic autem superabundanter.

Augustinus de serm. Dom. superbi ergo appetant regna terrarum; sed humilium est regnum caelorum.

Chrysostomus super Matth. nam sicut cetera vitia deponunt ad inferos, maxime tamen superbia, sic et omnes virtutes inducunt in regnum caelorum, maxime tamen humilitas, quia proprium est ut qui se humiliat exaltetur.

Hieronymus. Vel beati pauperes spiritu, qui scilicet propter spiritum sanctum voluntarie sunt pauperes.

Ambrosius de offic. Inde autem incipit beatitudo iudicio divino, ubi aerumna aestimatur humana.

Glossa. pauperibus autem in praesenti convenienter promittuntur divitiae caeli.

MATTHAEUS 5,4

3504 (Mt 5,4)

Ambrosius super lucam. cum simpliciter contentus fuero inops, superest ut mores meos temperem. Quid enim mihi prodest carere saecularibus, nisi fuero mitis? congrue igitur sequitur beati mites.

Augustinus de serm. Dom. mites sunt qui cedunt improbitatibus et non resistunt malo, sed vincunt in bono malum.

Ambrosius super lucam. mitiga ergo affectum tuum, ut non irascaris, aut certe iratus ne peccaveris. praeclarum est enim motum temperare consilio; nec minoris virtutis dicitur prohibere iracundiam, quam omnino non irasci, cum plerumque illud lentius, hoc fortius aestimetur.

Augustinus. rixentur igitur immites et dimicent pro terrenis et temporalibus rebus; sed beati mites, quoniam ipsi hereditabunt terram de qua evelli non possunt; illam, inquam, terram de qua dicitur: portio mea in terra viventium. Significat enim quamdam stabilitatem hereditatis perpetuae, ubi anima per bonum affectum tamquam loco suo requiescit, sicut corpus in terra, et inde cibo suo alitur, sicut corpus ex terra: ipsa est requies et vita sanctorum.

Chrysostomus super Matth. vel terra hic, sicut quidam dicunt, quamdiu est in hoc statu, terra mortuorum est, quia vanitati subiecta est; cum autem liberata fuerit de corruptione, fit terra vivorum, ut mortales hereditent immortalem. Alterum exponentem legi, quasi caelum, in quo habitaturi sunt sancti, dicatur terra vivorum, quod quantum ad inferiorem regionem caelum est, quantum autem ad superius caelum dicitur terra. Alii dicunt, quia corpus nostrum terra est, et quamdiu subiacet morti, terra est mortuorum; cum autem fuerit conforme factum gloriae corporis christi, erit terra vivorum.

Hilarius in Matth. Vel hereditatem terrae mitibus dominus pollicetur, idest eius corporis quod ipse assumpsit habitaculum: et quia per mansuetudinem mentis nostrae habitat Christus in nobis, nos quoque clarificati corporis eius gloria vestiemur.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter, Christus hic spiritualibus sensibilia immiscuit: quoniam enim aestimatur qui mitis est omnia sua perdere, contrarium promittit, dicens quod cum stabilitate sua possidet qui non est protervus; qui autem aliter est, multoties animam et hereditatem paternam perdit. Quia vero propheta dixerat: mansueti hereditabunt terram, a consuetis verbis contexit sermonem.

Glossa. Mites etiam, qui seipsos possederunt, hereditatem patris in futuro possidebunt. Plus autem est possidere quam habere: multa enim habemus quae statim amittimus.

MATTHAEUS 5,5

3505 (Mt 5,5)

Ambrosius super lucam. cum hoc feceris, ut scilicet sis pauper et mitis, memento quia peccator es, et lugeto peccata tua; unde sequitur beati qui lugent. Et bene tertia benedictio est peccata deflentis, quia trinitas est quae peccata condonat.

Hilarius in Matth. lugentes enim hic dicuntur non orbitates aut contumelias aut damna moerentes, sed peccata vetera flentes.

Chrysostomus super Matth. et qui sua quidem peccata lugent, beati sunt, sed mediocriter; beatiore autem sunt qui aliena lugent peccata: tales convenit esse omnes doctores.

Hieronymus. luctus enim hic non mortuorum ponitur communi lege naturae, sed peccatis et vitiis mortuorum. Sic fleuit samuel saulem, et paulus eos qui post immunditiam poenitentiam egerunt.

Chrysostomus super Matth. cum autem consolatio sit lugentium cessatio luctus, qui sua peccata lugent, consolabuntur indulgentiam consecuti.

Chrysostomus in Matth. et licet talibus sufficiat venia frui, non terminat retributionem in peccatorum remissione, sed et multarum facit participes consolationum et hic et in futuro. Semper enim maiores laboribus Deus dat retributiones.

Chrysostomus super Matth. qui vero aliena peccata lugent, consolabuntur: qui cum in saeculo illo providentiam cognoverint Dei et intellexerint quod qui perierunt non fuerunt Dei, de cuius manu nemo rapere potest, de eis, luctu derelicto, in sua beatitudine laetabuntur. Vel aliter.

Augustinus de serm. Dom. Luctus est tristitia de amissione carorum. Conversi autem ad Deum ea quae in hoc mundo cara habebant amittunt: non enim gaudent his rebus quibus ante gaudebant; et donec fiant in illis amor aeternorum, nonnulla moestitia sauciantur. Consolabuntur ergo spiritu sancto, qui maxime propterea paraclitus nominatur, idest consolator, ut temporalem amittentes, aeterna laetitia perfruantur, et ideo dicit quoniam ipsi consolabuntur.

Glossa. Vel per luctum duo genera compunctionis intelliguntur: scilicet pro miseriis huius mundi, et pro desiderio caelestium; unde filia caleph petivit irriguum superius et inferius. Huiusmodi autem luctum non habet nisi pauper et mitis, qui cum mundum non diligit, quod miser est recognoscit, et ideo caelum concupiscit. Convenienter ergo lugentibus promittitur consolatio, ut qui tristatus est in praesenti, gaudeat in futuro. Maior est autem retributio lugentis quam pauperis et mitis: plus enim est gaudere in regno, quam habere et possidere: multa enim cum dolore possidemus.

Chrysostomus in Matth. Notandum autem, quod hanc beatitudinem non simpliciter, sed omnino cum intensione et cumulo posuit; ideoque non dixit: qui moerent, sed qui lugent. Siquidem praeceptum istud totius philosophiae magisterium est. Si enim qui filios vel proximos mortuos lugent, toto illo doloris sui tempore nec pecuniarum nec gloriae amore tenentur, non invidia consumuntur, non iniuriis permoventur nec aliis vitiis obsidentur, utpote solis luctibus mancipati; multo magis qui propria peccata lugent, sicut ea lugere dignum est, celsiorem hanc philosophiam debent ostendere.

MATTHAEUS 5,6

3506 (Mt 5,6)

Ambrosius super lucam. postquam delicta deflevi, esurire incipio et sitire iustitiam. Aeger enim cum in gravi morbo est, non esurit; unde sequitur beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam.

Hieronymus. Non nobis sufficit velle iustitiam, nisi iustitiae patiamur famem, ut sub hoc exemplo, nunquam nos satis iustos, sed semper esurire iustitiae opera intelligamus.

Chrysostomus super Matth. quoniam omne bonum quod non ex amore ipsius boni faciunt homines, ingratum est ante Deum. Esurit autem iustitiam qui secundum iustitiam Dei desiderat conversari; sitit autem iustitiam qui scientiam eius acquirere cupit.

Chrysostomus in Matth. Iustitiam autem dicit vel universalem, vel particularem avaritiae contrariam. Quia enim de misericordia dicturus erat, praemonstrat qualiter misereri oporteat, quia non ex rapina neque ex avaritia; unde etiam quod est avaritiae proprium, scilicet esurire et sitire, iustitiae attribuit.

Hilarius in Matth. sitientibus autem et esurientibus iustitiam, beatitudinem tribuit, significans extensam in Dei doctrinam sanctorum aviditatem perfecta in caelo satietate repleri; et hoc est quod dicitur quoniam ipsi

saturabuntur.

Chrysostomus super Matth. scilicet largitatem remunerantis Dei: quoniam maiora erunt praemia Dei quam sanctorum desideria.

Augustinus de serm. Dom. Vel illo cibo saturabuntur in praesenti, de quo dominus dicit: meus cibus est ut faciam voluntatem patris mei, quod est iustitia, et illa aqua de qua: quisque biberit, fiet ei fons aquae salientis in vitam aeternam.

Chrysostomus in Matth. vel rursus sensibile praemium statuit: quia enim plurimos divites facere putatur avaritia, dicit hoc esse contrarium, magisque id praestare iustitiam: qui enim iustitiam diligit, tutissime omnia possidet.

MATTHAEUS 5, 7

3507 (Mt 5,7)

Glossa. Iustitia et misericordia ita coniunctae sunt, ut altera ab altera debeat temperari: iustitia enim sine misericordia crudelitas est; misericordia sine iustitia, dissolutio; unde de misericordia post iustitiam subdit beati misericordes.

Remigius. Misericors dicitur, quasi miserum habens cor, quia alterius miseriam quasi suam reputat et de malo alterius quasi de suo dolet.

Hieronymus. misericordia hic non solum in eleemosynis intelligitur, sed in omni peccato fratris, si alter alterius onera portemus.

Augustinus de serm. Dom. Beatos autem dicit esse qui subveniunt miseris, quoniam eis ita reperatur ut de miseria liberentur; unde sequitur quoniam ipsi misericordiam consequentur.

Hilarius in Matth. Intantum enim Deus benevolentiae nostrae in omnes delectatur affectu, ut suam misericordiam sit solis misericordibus praestaturus.

Chrysostomus in Matth. Videtur autem esse aequalis retributio, sed est multo maior: non enim est aequalis humana misericordia et divina.

Glossa. Merito ergo misericordibus misericordia impenditur, ut plus accipiant quam meruissent; et sicut plus recipit qui ultra saturitatem habet quam ille qui habet tantum ad saturitatem, sic maior est gloria misericordiae quam praecedentium.

MATTHAEUS 5,8

3508 (Mt 5,8)

Ambrosius super lucam. qui misericordiam defert, misericordiam amittit, nisi mundo corde misereatur: nam si iactantiam quaerit, nullus est fructus; unde sequitur beati mundo corde.

Glossa. convenienter autem sexto loco ponitur cordis munditia, quia sexto die homo conditus est ad imaginem Dei, quae quidem obtenebrata erat in homine per culpam, sed in mundis cordibus reformatur per gratiam. Merito autem post praedicta sequitur, quia, nisi illa praecedant, mundum cor in homine non creatur.

Chrysostomus in Matth. Mundos autem hic ait vel eos qui universalem virtutem possident et nullius sibi malitiae conscii sunt, vel eos qui in temperantia consistunt, quae maxime necessaria est ad videndum Deum, secundum illud pauli: pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. Quia enim multi miserentur quidem, sed impudica agunt, monstrans quod non sufficit primum, scilicet misereri, hoc de munditia opposuit.

Hieronymus. Mundus autem Deus a mundo corde concupiscitur: templum enim Dei non potest esse pollutum; et hoc est quod dicitur quoniam ipsi Deum videbunt.

Chrysostomus super Matth. Qui enim omnem iustitiam facit et cogitat, mente sua Deum videt quoniam iustitia figura est Dei, Deus enim iustitia est. Secundum ergo quod aliquis eripuerit se a malis et fecerit bona, secundum hoc Deum videt, aut parum aut amplius aut interdum aut semper, secundum possibilitatem humanam. in saeculo autem illo mundi corde Deum videbunt facie ad faciem, non in speculo et in aenigmate, sicut hic.

Augustinus de serm. Dom. Stulti autem sunt qui Deum videre istis exterioribus oculis quaerunt, cum corde videatur, sicut alibi scriptum est: in simplicitate cordis quaerite illum; hoc enim est simplex cor quod mundum cor.

Augustinus de Civ. Dei. Si autem tantum poterunt in corpore spirituali oculi etiam ipsi spirituales quantum possunt isti quales nunc habemus, proculdubio per eos Deus videri non poterit.

Augustinus de trin. Haec autem visio merces est fidei; cui mercedi per fidem corda mundantur, sicut scriptum est: mundans fide corda eorum. hoc autem probatur illa maxime sententia: beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Augustinus super gen. Ad litt. Nemo autem videns Deum vivit vita ista qua mortaliter vivitur et istis sensibus corporis. Sed nisi ab hac vita quisque funditus moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita alienatus a carnalibus sensibus ut merito nesciat, sicut ait apostolus: utrum in corpore an extra corpus sit, non in illam subvehitur visionem.

Glossa. Maiorem autem remunerationem isti habent quam primi, sicut qui in curia regis non solum prandet, sed etiam faciem regis videt.

MATTHAEUS 5,9

3509 (Mt 5,9)

Ambrosius super lucam. cum interiora tua vacua feceris ab omni labe peccati, ne dissensiones contentionesque ex affectu tuo prodeant, a te pacem incipe, ut sic pacem aliis feras; unde sequitur beati pacifici.

Augustinus de Civ. Dei. Est autem pax tranquillitas ordinis. Ordo autem est parium dispariumque sua cuique loca tribuens dispositio. sicut autem nemo est qui gaudere nolit, ita nemo est qui pacem habere nolit; quandoquidem ipsi qui bella volunt, nihil aliud quam ad gloriosam pacem cupiunt bellando pervenire.

Hieronymus. Pacifici autem dicuntur beati, qui primum in corde suo, deinde et inter fratres dissidentes faciunt pacem. Quid enim prodest alios per te pacari, cum in tua anima sint bella vitiorum? .

Augustinus de serm. Dom. pacifici autem in semetipsis sunt qui omnes animi sui motus componentes et subiicientes rationi, carnalesque concupiscentias habentes edomitas, fiunt regnum Dei, in quo ita ordinata sunt omnia ut quod est in homine praecipuum et excellens imperet ceteris reluctantibus quae sunt nobis bestiisque communia; atque idipsum quod excellit in homine, idest mens et ratio, subiiciatur potiori quod est ipsa veritas, filius Dei. Neque enim imperare inferioribus potest nisi superioribus subiiciatur. Et haec est pax quae datur in terra hominibus bonae voluntatis.

Augustinus in lib. Retract. Non tamen cuiquam provenire potest in hac vita ut lex repugnans legi mentis omnino non sit in membris. Sed hoc nunc pacifici agunt domando concupiscentias carnis, ut ad pacem plenissimam quandoque veniantur.

Chrysostomus super Matth. pacifici autem ad alios sunt non solum qui inimicos in pace reconciliant, sed etiam illi qui immemores malorum, diligunt pacem. Pax enim illa beata est quae in corde posita est, non tantum in verbis. Qui autem pacem diligunt, filii sunt pacis.

Hilarius in Matth. pacificorum autem beatitudo, adoptionis est merces; et ideo dicitur quoniam filii Dei vocabuntur. Parens enim omnium Deus noster est, neque aliter transire in nuncupationem familiae eius licebit, nisi fraternae invicem caritatis pace vivamus.

Chrysostomus in Matth. Vel cum pacifici dicantur qui non adversum se mutuo dimicant, sed alios

dissidentes in concordiam revocant, iure etiam filii Dei appellantur, quia unigeniti hoc praecipuum fuit opus: distantia copulare, conciliare pugnantia.

Augustinus de serm. dom. Vel quia in pace perfectio est, ubi nihil repugnat; pacifici filii Dei dicuntur, quoniam nihil resistit Deo, et utique filii Dei similitudinem patris debent habere.

Glossa. Maximam ergo dignitatem habent pacifici; sicut qui filius regis dicitur in domo regia summus est. Septimo autem loco beatitudo haec ponitur, quia in sabbato verae requiei dabitur pax, sed aetatibus transactis.

MATTHAEUS 5,10

3510 (Mt 5,10)

Chrysostomus in Matth. posita pacificorum beatitudine, ne aliquis existimaret quod semper pacem sibi quaerere sit bonum, subdit beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, hoc est propter virtutem, propter defensionem aliorum, propter pietatem: iustitiam enim consuevit pro omni virtute animae ponere.

Augustinus de serm. Dom. Pace enim intrinsecus constituta ac firmata, quascumque persecutiones ille qui foras missus est, forinsecus concitaverit aut gesserit, auget gloriam quae secundum Deum est.

Hieronymus. Signanter autem addit propter iustitiam: multi enim propter sua peccata persecutionem patiuntur, et non sunt iusti. Simulque considera quod octava verae circumcisionis beatitudo martyrio terminetur.

Chrysostomus super Matth. Non autem dixit: beati qui a gentibus persecutionem patiuntur, ne putes illum solum beatum qui persecutionem patitur propter idola non colenda; ideo et ab haereticis persecutionem patiens propter veritatem non relinquendam, beatus est, quia propter iustitiam patitur. Sed et si quis ex potentibus, qui christiani videntur, forsitan propter sua peccata correctus a te, fuerit te persecutus, beatus es cum iohanne baptista. si enim verum est quod prophetae martyres sunt, qui a suis occisi sunt, sine dubio qui propter causam Dei aliquid patitur, etsi a suis patitur, mercedem martyrii habet. Et ideo non posuit scriptura personas persequentium, sed solam causam persecutionis, ut non aspicias quis te persequitur, sed propter quod.

Hilarius in Matth. Sic ergo ad postremum eos in beatitudine numerat quibus omnia pro Christo pati, qui iustitia est, pronus affectus est. His igitur et regnum servatur, qui in contemptu saeculi sunt pauperes spiritu; unde dicit quoniam ipsorum est regnum caelorum.

Augustinus de serm. dom. Vel octava beatitudo tamquam ad caput redit, quia consummatum perfectumque ostendit et probat. Itaque in prima et in octava nominatum est regnum caelorum: septem enim sunt quae perficiunt; nam octava clarificat et perfectum demonstrat; ut per hos gradus perficiantur et ceteri, tamquam accipiatur rursus exordium.

Ambrosius super lucam. vel aliter: primum regnum caelorum sanctis propositum est in absolute corpore, secundum post resurrectionem esse cum Christo. Post resurrectionem enim terram incipies tuam possidere absolutus a morte, et in ipsa possessione consolationem reperies. Consolationem sequitur delectatio, delectationem divina miseratio. Cui autem miseretur dominus, et vocat et sic vocatus videt vocantem. Qui autem viderit, in ius divinae generationis assumitur, et tunc demum quasi Dei filius caelestis regni divitiis delectatur. ille igitur incipit, hic repletur.

Chrysostomus in Matth. Ne autem mireris si secundum unamquamque beatitudinem regnum non audis, quia cum dicit consolabuntur, misericordiam consequentur, et cetera huiusmodi, per haec universa nihil aliud quam regnum caelorum occulte insinuat, ut nihil sensibile expectes. Neque enim beatus est qui in his coronatur quae cum praesenti vita discedunt.

Augustinus de serm. Dom. diligenter autem attendendus est numerus harum sententiarum: his enim septem gradibus congruit operatio spiritus sancti septiformis quam isaias describit; sed ille a summo, hic ab imo: quia ibi docetur filius Dei ad ima descensurus, hic homo de imis ad similitudinem Dei ascensurus. in his prius est timor, qui congruit hominibus humilibus, de quibus dicitur beati pauperes spiritu, idest non alta sapientes, sed timentes. Secunda est pietas, quae convenit mitibus: qui enim pie quaerit, honorat, non reprehendit, non resistit, quod est mitem fieri. Tertia est scientia, quae convenit lugentibus, qui didicerunt

quibus malis nunc vincti sunt, quae quasi bona petierunt. Quarta, quae est fortitudo, congruit esurientibus et sitientibus, quia desiderantes gaudium de veris bonis, laborant, a terrenis cupientes averti. Quinta, consilium, convenit misericordibus, quia unicum remedium est de tantis malis erui, dimittere aliis et dare. Sexta est intellectus, et convenit mundis corde, qui purgato oculo possunt videre quod oculus non vidit. Septima est sapientia, quae convenit pacificis, in quibus nullus motus est rebellis, sed obtemperant spiritui. Unum autem praemium, quod est regnum caelorum, varie nominatum est. In prima, sicut oportebat, positum est regnum caelorum, quod est perfectae sapientiae initium, ac si diceretur: initium sapientiae timor domini. Mitibus hereditas tamquam testamentum patris cum pietate quaerentibus; lugentibus consolatio, tamquam scientibus quid amiserunt et in quibus mersi sunt; esurientibus saturitas, tamquam refectio laborantibus ad salutem; misericordibus misericordia, tamquam optimo consilio utentibus, ut hoc eis exhibeatur quod exhibent; mundis corde facultas videndi Deum, tamquam purum oculum ad intelligenda aeterna gerentibus; pacificis Dei similitudo. Et ista quidem in hac vita possunt compleri, sicut completa esse in apostolis credimus: nam quod post hanc vitam promittitur, nullis verbis exponi potest.

MATTHAEUS 5,11-12

3511 (Mt 5,11-12)

Rabanus. Superiores sententias generaliter dirigebat; iam incipit loqui praesentes compellans, praedicens eis persecutiones quas pro nomine eius passuri erant, dicens beati estis cum maledixerint vobis homines et persecuti vos fuerint et dixerint omne malum adversum vos.

Augustinus de serm. Dom. Quaeri autem potest quid intersit quod ait cum vobis maledicent et dicent omne malum, cum maledicere hoc sit malum dicere. sed aliter est maledictum iactatum cum contumelia coram illo qui maledicatur, aliter cum absentis fama laeditur. Persequi autem est vim inferre, vel insidiis appetere.

Chrysostomus super Matth. si autem verum est, quoniam qui calicem aquae porrexerit, merces eius non perit, consequenter qui vel unius levissimi verbi iniuriam fuerit passus, vacuum non erit a mercede. Ut autem blasphematus sit beatus, duo convenire debent: ut et mendaciter blasphemetur, et propter Deum; alioquin si unum defuerit, non est beatitudinis merces. Et ideo dicit mentientes propter me.

Augustinus de serm. Dom. Quod propter illos dictum puto qui volunt de persecutionibus et de fama suae turpitudinis gloriari, et ideo dicere ad se pertinere Christum, quod multa de illis dicuntur mala, cum et vera dicantur, quando et de errore illorum dicuntur; et si aliquando falsa iactantur, non tamen propter Christum ista patiuntur.

Gregorius super Ezech. Quid autem poterit obesse si homines vobis derogent, et sola vos conscientia defendat? sed tamen linguas detrahentium sicut nostro studio non debemus excitare ne ipsi pereant, ita per suam malitiam excitatam debemus aequanimiter tolerare, ut nobis meritum crescat; unde et hic dicitur gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis.

Glossa. Gaudete mente quidem, et exultate corpore, quia merces vestra non tantum magna est, sicut aliorum, sed copiosa est in caelis.

Augustinus de serm. Dom. Non hic caelos puto dici superiores partes huius visibilis mundi: non enim merces vestra in rebus visibilibus collocanda est; sed in caelis, dictum puto in spiritualibus firmamentis, ubi habitat sempiterna iustitia. sentiunt ergo istam mercedem qui gaudent spiritualibus, sed ex omni parte perficietur cum mortale hoc induerit immortalitatem.

Hieronymus. Gaudere et exultare debemus, ut merces nobis in caelestibus praeparetur. Hoc qui vanam sectatur gloriam, implere non potest.

Chrysostomus super Matth. quia quantum aliquid laetatur de laude hominum, tantum de vituperatione tristatur. Qui vero gloriam concupiscis in caelo, opprobria non times in terris.

Gregorius super Ezech. aliquando tamen detractores debemus compescere, ne dum de nobis mala disseminant, eorum qui audire a nobis bona poterant, corda innocentia corrumpant.

Glossa. Non solum autem praemio, sed etiam exemplo eos ad patientiam provocat, cum subdit sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos.

Remigius. magnam enim consolationem accipit homo in tribulatione positus, dum recordatur passiones aliorum a quibus exemplum patientiae accipit; ac si diceret: mementote quia illius vos estis apostoli cuius illi fuerunt prophetae.

Chrysostomus in Matth. Simul etiam insinuat coaequalitatem sui honoris ad patrem, ac si dicat: sicut illi propter patrem, ita et vos propter me patiemini. Cum etiam dixit prophetas qui fuerunt ante vos, monstrat et ipsos prophetas iam factos.

Augustinus de serm. Dom. Persecutionem autem hic generaliter posuit et in maledictis et in laceratione famae.

MATTHAEUS 5,13

3513 (Mt 5,13)

Chrysostomus in Matth. quoniam sublimia praecepta apostolis dederat et multo quam in lege veteri maiora, ne turbarentur, ac dicerent: quonam modo haec implere poterimus? eos laudum admixtione permulcet, dicens vos estis sal terrae, per quod ostendit quam necessario ista praecipiat. Non enim pro vestra, inquit, salute tantummodo, aut pro una solum gente, sed pro universo prorsus orbe haec vobis doctrina committitur. proinde non oportet vos adulari atque palpare, sed e contrario salis instar mordicare. quod si homines mordendo ac perstringendo, male audieritis, gaudete: hoc enim salis est opus, laxa quaeque mordicare atque restringere. Sic itaque aliorum maledictio nihil vobis afferet incommodi; sed vestrae potius firmitatis testimonium est.

Hilarius in Matth. Est autem hic proprietates quaerenda dictionum, quam et apostolorum officium et ipsius salis natura monstrabit. Hoc igitur in omnem usum humani generis effectum incorruptionem corporibus, quibus fuerit aspersum, impertit, et ad omnem sensum conditi saporis aptissimum est. Apostoli autem sunt rerum caelestium praedicatores et aeternitatis velut salitores, merito sal terrae nuncupati, quia per virtutem doctrinae quasi salientes, aeternitati corpora servant.

Remigius. Sal etiam, per aquam et ardorem solis et flatum venti in naturam alteram commutatur; sic et apostolici viri per aquam baptismi et ardorem dilectionis et flatum spiritus sancti in spiritalem regenerationem commutati sunt. Sapientia etiam caelestis, per apostolos praedicata, exsiccatur humores carnalium operum, aufert foetorem et putredinem malae conversationis et vermum libidinosae cogitationis et illum de quo dicit propheta: vermum eorum non moritur.

Remigius. sunt apostoli sal terrae, id est hominum terrenorum, qui amando terram, terra vocantur.

Hieronymus. Vel apostoli sal terrae appellantur, quia per illos universum hominum conditur genus.

Chrysostomus super Matth. doctor enim cum fuerit omnibus praedictis virtutibus ornatus, tunc est quasi optimum sal, et totus populus de illo conditur videndo eum et audiendo.

Remigius. et sciendum, quia nullum sacrificium offerebatur Deo in veteri testamento nisi prius condiretur sale: quia nullus potest laudabile sacrificium Deo offerre absque sapore caelestis sapientiae.

Hilarius. verum quia conversioni homo subiacet, ideo apostolos sal terrae nuncupatos monet in traditae sibi potestatis virtute persistere, cum subdit quod si sal evanuerit, in quo salietur? .

Hieronymus. id est si doctor erraverit, a quo alio doctore emendabitur? .

Augustinus de serm. dom. Et si vos, per quos condiendi sunt populi, metu persecutionum temporalium, amiseritis regna caelorum, qui erunt homines per quos a vobis error auferatur? alia littera habet si sal infatuatum fuerit, ostendens fatuos esse iudicandos qui temporalium bonorum vel copiam sectantes vel inopiam metuentes amittunt aeterna, quae nec dari possunt ab hominibus nec auferri.

Hilarius (ut supra). Si autem doctores infatuati nil saliant, et ipsi sensu accepti saporis amisso vivificare non possunt corrupta, redduntur inutiles; unde sequitur ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras et conculcetur ab hominibus.

Hieronymus. Exemplum de agricultura sumptum est. Sal enim ut in condimentum ciborum et ad siccandas carnes necessarium est, ita alium usum non habet. Certe legimus in scripturis urbes quasdam ira victorum sale seminatatas, ut germen nullum in ipsis oriretur.

Glossa. Postquam ergo illi qui capita sunt aliorum, defecerint, nulli usui apti sunt, nisi ad hoc ut mittantur foras ab officio docendi.

Hilarius (ut supra). vel etiam de ecclesiae promptuariis proiecti, pedibus incedentium conterantur.

Augustinus de serm. Dom. Non autem calcatur ab hominibus qui patitur persecutionem, sed qui persecutionem timendo infatuatur. Calcari enim non potest nisi inferior; inferior autem non est qui quamvis corpore multa in terra sustineat, corde tamen in caelo fixus est.

MATTHAEUS 5,14-16

3514 (Mt 5,14-16)

Chrysostomus super Matth. sicut doctores propter bonam conversationem sunt sal quo populus conditur, ita propter verbum doctrinae sunt lux qua ignorantes illuminantur. Prius autem est bene vivere quam bene docere; et ideo postquam apostolos dixerat sal, consequenter vocat eos lucem, dicens vos estis lux mundi. Vel quia sal in eo statu tenet rem ne ad deterius mutetur, lux ad melius perducit illustrando. Propter quod apostoli dicti sunt prius sal propter iudaeos et propter populum christianum, a quibus Deus cognoscitur, quos servant in Dei scientia; lux autem propter gentes quas ad scientiae lumen perducunt.

Augustinus de serm. Dom. Oportet autem hic mundum non caelum et terram, sed homines qui sunt in mundo, intelligi, vel qui diligunt mundum, quibus illuminandis apostoli missi sunt.

Hilarius in Matth. Natura enim luminis est ut lucem, quocumque circumferatur, emittat, illatumque aedibus tenebras interimat, luce dominante. Igitur mundus extra cognitionem Dei positus, obscuris tenebatur ignorantiae tenebris, cui per apostolos scientiae lumen invehitur, et cognitio Dei claret, et de parvis eorum corpusculis, quocumque inceserint, lux tenebris ministratur.

Remigius. Sicut autem sol dirigit radios suos, ita et dominus, qui est sol iustitiae, direxit apostolos suos ad effugandas humani generis tenebras.

Chrysostomus in Matth. Intellige autem quam magna eis promittit, ut qui in regione propria cogniti non erant, ad fines orbis terrarum eorum veniret fama. Nec persecutiones quas praedixerat, eos potuerunt occultare, sed propter hoc magis praeclari redduntur.

Hieronymus. ne autem apostoli abscondantur ob metum, sed tota libertate se prodant, docet eos fiduciam praedicandi, cum consequenter dicit non potest civitas abscondi supra montem posita.

Chrysostomus in Matth. Per hoc etiam eos docet esse sollicitos de propria vita, quasi in oculis omnium positos, sicut civitas quae est supra montem posita, vel lucerna supra candelabrum lucens.

Chrysostomus super Matth. Haec autem civitas ecclesia sanctorum est, de qua dicitur: gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei. Cives eius sunt omnes fideles, de quibus apostolus: vos estis cives sanctorum. Haec ergo civitas posita est supra montem Christum, de quo daniel: lapis abscissus sine manibus factus est mons magnus.

Augustinus de serm. Dom. Vel posita est supra montem, idest supra magnam iustitiam, quam significat mons, in quo disputat dominus.

Chrysostomus super Matth. non potest ergo civitas abscondi posita supra montem, etiam si ipsa voluerit: mons enim qui eam portat, facit eam omnibus manifestam; sic et apostoli et sacerdotes, qui fundati sunt in Christo, non possunt esse absconditi etiam si voluerint, quia Christus eos manifestat.

Hilarius in Matth. Vel civitatem, carnem quam assumpserat nuncupat, quia in eo per naturam suscepti corporis, quaedam humani generis congregatio continetur, et nos per consortium carnis suae sumus habitatio civitatis. Abscondi ergo non potest, quia in altitudine positus celsitudinis Dei, admiratione operum

suorum offertur omnibus contemplandus.

Chrysostomus super Matth. quare autem sanctos suos Christus manifestet et non sinat eos esse absconditos, per alteram comparationem ostendit, cum subditur neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed supra candelabrum.

Chrysostomus in Matth. vel per hoc quod dixit non potest civitas abscondi, demonstravit suam virtutem; in hoc autem quod subdit neque accendunt lucernam, eos inducit ad liberam praedicationem, ac si diceret: ego quidem lucernam accendi; ut vero perseveret ardens, vestri erit studii, non solum propter vos, sed propter alios qui illuminabuntur, sed et propter gloriam Dei.

Chrysostomus super Matth. lucerna est verbum divinum, de quo dictum est: lucerna pedibus meis verbum tuum. Accendentes lucernam sunt pater et filius et spiritus sanctus.

Augustinus de serm. dom. Quid autem putamus dictum esse et ponunt eam sub modio? ut occultatio tantum lucernae accipienda sit (tanquam si diceret: nemo accendit lucernam et occultat eam)., an aliquid etiam modius significat, ut hoc sit ponere lucernam sub modio, superiora facere corporis commoda quam praedicationem veritatis? sub modio ergo lucernam ponit quisquis lucem doctrinae bonae commodis temporalibus obscurat et tegit. Et bene modius dicitur res corporalis, sive propter retributionem mensurae, quia ea quisquis recipit quae gessit in corpore, sive quia temporalia bona, quae corpore peraguntur, circa dierum mensuram, quam significat modius, inchoantur, et transeunt; aeterna vero et spiritualia nullo tali fine coercentur. super candelabrum autem lucernam ponit qui corpus suum ministerio verbi subiicit, ut superior sit praedicatio veritatis et inferior servitus corporis: per ipsam enim corporis servitutem excelsior lucet doctrina, dum per vocem et ceteros corporis motus in bonis operibus insinuat discentibus.

Chrysostomus super Matth. vel modii sunt homines mundiales: quoniam sicut modii desuper quidem vacui sunt, subtus autem pleni, sic omnes mundi amatores in rebus spiritualibus insensati sunt, in terrenis autem sapientes; et ideo quasi modius verbum Dei tenet absconditum, quando propter aliquam causam terrenam verbum Dei non est ausus palam proloqui, nec fidei veritatem. Candelabrum est ecclesia, quae baiulat verbum vitae, et omnis ecclesiasticus vir.

Hilarius. Vel synagogam dominus modio comparavit, quae susceptos fructus intra se tantum receptans, certum modium dimensae observantiae continebat.

Ambrosius super lucam. et ideo nemo fidem suam intra mensuram legis includat, sed ad ecclesiam conferat, in qua septiformis spiritus relucet gratia.

Beda. vel ipse Christus accendit lucernam, qui testam humanae naturae flamma suae divinitatis implevit, quam nec credentibus abscondere, nec modio supponere, hoc est sub mensura legis includere, vel intra unius gentis terminos noluit cohibere. Candelabrum ecclesiam dicit, cui lucernam superposuit, quia nostris in frontibus fidem suae incarnationis affixit.

Hilarius in Matth. vel lucerna christi ponitur in candelabro, idest in ligno per passionem suspensa, quae lumen aeternum est in ecclesia habitantibus praebitura; et ideo dicit ut luceat omnibus qui in domo sunt.

Augustinus de serm. Dom. Si quis enim domum vult accipere ecclesiam, non est absurdum. Vel domus est ipse mundus, propter id quod superius ait vos estis lux mundi.

Hilarius (ut supra). Tali etiam lumine monet fulgere apostolos, ut ex admiratione operis eorum Deo laus impartiat; unde sequitur sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.

Chrysostomus super Matth. Idest sic illuminate docentes ut non vestra tantum audiant verba, sed et opera videant; et quos illuminaveritis per verbum quasi lux, condicatis per exemplum quasi sal. per illos autem doctores qui docent et faciunt magnificatur Deus, nam disciplina domini ex moribus familiae demonstratur; et ideo sequitur et glorificent patrem vestrum qui in caelis est.

Augustinus de serm. Dom. Si tantummodo diceret ut videant opera vestra bona, finem constituisse videretur in laudibus hominum, quas quaerunt hypocritae; sed addidit et glorificent patrem vestrum qui in caelis est, ut hoc ipsum quod homo per bona opera placet hominibus, non ibi finem constituat, sed referat ad laudem Dei, et propterea placeat hominibus ut in illo glorificentur Deus.

Hilarius. non quod ab hominibus oporteat gloriam quaerere, sed ut dissimulantibus nobis, opus nostrum his inter quos vivimus, in honorem Dei eluceat.

MATTHAEUS 5,17-19

3517 (Mt 5,17-19)

Glossa. Postquam hortatus est audientes ut se praeparent ad omnia sustinenda pro iustitia, et non absconderent quod accepturi erant, sed ea benevolentia discerent, ut ceteros docerent, incipit eos informare qui doceant, tamquam si quaeretur: quid est hoc quod non vis abscondi, pro quo iubet omnia tolerari? numquid aliquid dicturus es extra ea quae in lege sunt scripta? ideo inquit nolite autem putare quoniam veni solvere legem aut prophetas.

Chrysostomus super Matth. Quod propter duas causas dicit: primum ut discipulos his verbis ad suum provocaret exemplum; ut sicut ipse omnem legem adimplebat, sic et illi studerent implere. denique futurum erat ut calumniarentur eum iudaei, quasi legem solventem; unde priusquam incurrat calumniam, calumniae satisfacit, ne putaretur sic venisse ut simpliciter legem praedicaret, sicut prophetae fecerant.

Remigius. Duo dixit: negat venisse se solvere, et affirmat venisse se implere: et ideo addit non enim veni legem solvere, sed implere.

Augustinus de serm. Dom. In hac autem sententia duplex est sensus: nam adimplere legem aut est addendo aliquid quod minus habet, aut faciendo quod habet.

Chrysostomus in Matth. implevit igitur Christus prophetas complendo omnia quae per eos de ipso fuerant dicta; legem autem, primo quidem nihil transgrediendo legalium, secundo iustificando per fidem quod lex per litteram facere non valebat.

Augustinus contra faustum. Demum etiam, quia sub gratia positus in hac mortali vita difficile erat implere quod in lege scriptum est: non concupisces, ille per carnis suae sacrificium sacerdos effectus impetrat nobis indulgentiam; etiam hinc adimplens legem, ut quod per nostram infirmitatem minus possumus, per illius perfectionem curetur, cuius capitis membra effecti sumus. Puto etiam sic esse accipiendum quod dicitur non veni legem solvere, sed adimplere; his videlicet additamentis, quae vel ad expositionem pertinent antiquarum sententiarum, vel ad conversationem in eis. Aperuit enim dominus, etiam iniquum motum ad nocendum fratri, in homicidii genere deputari. maluit etiam nos dominus non iurantes non recedere a vero, quam verum iurantes appropinquare periurio. sed cur, o manichaei, legem non accipitis et prophetas, cum Christus eos se non venisse solvere dixerit, sed adimplere? ad hoc respondet faustus haereticus: quis hoc testatur dixisse iesum? Matthaeus. quomodo ergo Ioannes non id testatur, qui fuit in monte; Matthaeus hoc scripsit, qui postquam iesus descendit de monte, secutus est eum? ad hoc .

Augustinus respondet: si nemo de Christo vera dixit nisi qui vidit eum vel audivit, hodie de eo vera dicit nullus. Cur ergo ex ore ioannis non potuit vera Matthaeus audire de Christo, si ex libro ioannis possumus vera loqui de eo nos tanto tempore post nati? hinc enim non solum Matthaei, sed etiam lucae ac marci evangelium, et non impari auctoritate, receptum est. Huc accedit, quia et ipse dominus potuit narrare Matthaeo quod egerat, antequam eum vocasset. Aperte autem dicite non vos credere evangelio; nam qui in evangelio non nisi quod vultis creditis, vobis potius quam evangelio creditis. item faustus. Probemus et Matthaeum hoc non scripsisse, sed alium, nescio quem, sub nomine eius. Quid enim dicit? cum transisset iesus, vidit sedentem hominem ad telonium, Matthaeum nomine. Et quis ergo scribens de seipso dicat: vidit hominem, et non vidit me? ad quod .

Augustinus: ita Matthaeus de se, tamquam de alio scripsit, sicut et Ioannes fecit dicens: conversus petrus vidit alium discipulum quem diligebat iesus manifestum est enim hunc morem fuisse scriptorum cum gesta narrarent. item faustus. Quid quod etiam ex ipso sermone quo praecepit non putare quia venerit legem solvere, magis intelligi datur quia solveret? neque enim nihil tale eo faciente iudaei suspicari hoc possent. ad quod .

Augustinus. Hoc quidem valde infirmum est: non enim negamus iudaeis non intelligentibus videri potuisse Christum destructorem esse legis et prophetarum. item faustus. Quid quod etiam lex et prophetae nec adimpletione gaudent, cum in deuteronomio dicatur: haec praecepta quae mando tibi observabis, nec addas quicquam eis nec minuas? ad quod .

Augustinus: non intelligit faustus quid sit legem implere, cum hoc de verborum adiectione putat accipiendum. plenitudo enim legis caritas est, quam dominus dedit mittendo fidelibus spiritum sanctum.

Impletur ergo lex, vel cum fiunt quae ibi praecepta sunt, vel cum exhibentur quae ibi prophetata sunt. item faustus. Quod novum testamentum iesum condidisse fatemur, quid aliud quam destructionem fatemur veteris testamenti? ad quod .

Augustinus: in veteri testamento figurae erant futurorum, quas rebus per Christum praesentatis auferri oportebat, ut eo ipso lex et prophetae impleantur, in quibus scriptum est daturum Deum novum testamentum. item faustus. Hoc igitur si dixit Christus, aut aliud significans dixit, aut (quod absit). mentiens dixit, aut omnino nec dixit. Sed iesum quidem mentitum fuisse nullus dicat; ac per hoc aliter dictum est, aut nec omnino dictum est. Me quidem iam adversus capituli huius necessitudinem manichaea fides reddidit tutum, quae principio mihi non cunctis quae ex salvatoris nomine leguntur scripta, passim credere persuasit. Esse enim multa zizania, quae in contagium boni seminis scripturis bene omnibus noctivagus quidam seminator insparsit. Ad quod .

Augustinus: manichaeus docuit impiam perversitatem, ut ex evangelio quod haeresim tuam non impedit hoc accipias, quod autem impedit non accipias. Nos autem docuit apostolus piam provisionem: ut quisquis nobis annuntiaverit praeter id quod accepimus, anathema sit. Dominus autem exposuit quid sint zizania, non aliqua falsa veris scripturis immissa, sicut tu interpretaris, sed homines filios maligni. item faustus. Cum te iudaeus interpellabit, cur legis et prophetarum praecepta non serves, quae Christus dixit non se venisse solvere, sed adimplere, cogaris aut vanae superstitioni succumbere, aut capitulum profiteri falsum, aut te christi negare discipulum. Ad quod .

Augustinus: nullas ex hoc capitulo catholici patiuntur angustias, quasi legis et prophetarum praecepta non servant, quia caritatem Dei et proximi habent, in quibus praeceptis pendet lex et prophetae. et quaecumque ibi rebus gestis vel sacramentorum celebrationibus vel locutionum modis figurate prophetata sunt, in Christo et ecclesia compleri cognoscunt. Unde nec vanae superstitioni succumbimus, nec istud evangelii capitulum falsum esse dicimus, nec christi discipulos nos negamus. qui ergo dicit: si Christus legem et prophetas non solvisset, illa sacramenta legis et prophetarum in christianorum celebrationibus permanerent, potest dicere: si Christus legem et prophetas non solvisset, adhuc promitteretur nasciturus, passurus, resurrecturus; cum ideo magis hoc non solverit sed adimpleverit, quia iam non promittitur nasciturus, passurus, resurrecturus, quod illa sacramenta quodammodo personabant; sed annuntiatur quod natus sit, passus sit, resurrexit, quod haec sacramenta, quae a christianis aguntur, iam personant. Patet ergo quanto errore delirent qui putant, signis sacramentisque mutatis, etiam res ipsas esse diversas, quas ritus propheticus pronuntiavit promissas, et evangelicus demonstrat impletas. item faustus. Quaerendum est si hoc Christus dixit, cur dixerit: utrum nec compalpandi iudaeorum furoris causa, qui sancta sua ab eo conculcari videntes, nec audiendum quidem eum existimabant; aut ut nos, qui ei credebamus ex gentibus, instrueret legis subire iugum. Si autem haec non ei fuit causa dicendi, illa debet esse quam dixit; nec ipsum mentitus est. Sunt enim tria genera legum: unum hebraeorum, quod peccati ac mortis paulus appellat; aliud gentium, quod naturale vocat, dicens: gentes naturaliter, quae legis sunt, faciunt; tertium est veritatis, de qua dixit: lex spiritus vitae. Item prophetae: alii sunt iudaeorum, de quibus notum est; alii gentium, de quibus paulus dicit: dixit quidam proprius eorum propheta; alii veritatis, de quibus iesus dicit: mitto ad vos sapientes et prophetas. et quidem si observationes hebraicas adimpletionis gratia protulisset, dubium non erat quin de iudaeorum lege et prophetis dixisset; ubi vero sola recenset antiquiora praecepta, idest non occides, non moechaberis, quae olim promulgata fuerant per henoch et seth et ceteros iustos, cui non videatur hoc eum dixisse de veritatis lege et prophetis? ubi vero iudaeorum quaedam visus est nominasse, penitus eradicavit, praeciipiendo contraria: ut est illud: oculum pro oculo, dentem pro dente. Ad quod .

Augustinus: manifestum est quam legem et quos prophetas Christus non venerit solvere, sed implere. Ipsa enim est lex quae per moysen data est. Non autem, sicut faustus opinatur, quaedam dominus adimplevit, quae ab antiquis iustis iam dicta erant ante legem moysi, sicut non occides, quaedam vero solvit, quae propria videbantur legis hebraeorum. Nos enim dicimus, et haec pro tempore bene fuisse tunc instituta, et nunc a Christo non soluta, sed adimpleta, ut patebit per singula. hoc etiam non intelligebant qui in ea perversitate manserunt ut gentes cogere iudaizare, haeretici scilicet qui nazaraei dicuntur.

Chrysostomus super Matth. quoniam vero omnia quae ab initio mundi usque ad finem erant futura, mystice erant prophetata in lege, ne videatur aliquid eorum quae fiunt non antea cognovisse, propterea dicit: non potest fieri ut transeat caelum et terra, donec omnia quae in lege prophetata sunt, rebus ipsis fuerint adimpleta; et hoc est quod dicit amen quippe dico vobis, donec transeat caelum et terra, iota unum aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant.

Remigius. Amen, hebraeus sermo est, et latine dicitur vere, fideliter, sive fiat. Duabus autem de causis hoc sermone utitur dominus: sive propter duritiam illorum qui tardi erant ad credendum, sive propter credentes, ut profundius attenderent ea quae sequuntur.

Hilarius in Matth. Per hoc autem quod ait donec transeat caelum et terra, caelum quidem et terram maxima elementa non arbitramur esse solvenda.

Remigius. Permanebunt enim essentialiter, sed transibunt per renovationem.

Augustinus de serm. Dom. Per hoc autem quod ait iota unum, aut unus apex non transibit a lege, nihil potest aliud intelligi nisi vehemens expressio perfectionis, quae per litteras singulas demonstrata est; inter quas litteras iota minor est ceteris, quia uno ductu fit; apex etiam est ipsius aliqua in summo particula. quibus verbis ostendit in lege ad effectum et minima quaeque perducere.

Rabanus. apte quoque graecum iota, et non iod hebraeum posuit, quia iota in numero, decem significat, et decalogum legis enumerat, cuius quidem apex et perfectio est evangelium.

Chrysostomus super Matth. si autem ingenuus homo vel in vili mendacio inventus fuerit, erubescit, et vir sapiens verbum quod dixit, non relinquit in vacuum, quomodo verba divina sine exitu vacua poterant permanere? unde concludit qui ergo solverit unum de mandatis istis minimis et docuerit sic homines, minimus vocabitur in regno caelorum. Puto autem quod ipse dominus manifeste hoc respondit, quae sunt minima mandata monstrans, dicendo si quis solverit unum de mandatis istis minimis, id est quae modo dicturus sum.

Chrysostomus in Matth. non enim pro veteribus legibus hoc dixit, sed pro his quae ipse erat praecepturus; quae quidem minima vocat, licet magna. sicut enim multoties de se humilia locutus est, ita et de suis praeceptis humiliter loquitur. Vel aliter.

Chrysostomus super Matth. mandata moysi in actu facilia sunt: non occides, non adulterabis; ipsa enim criminis magnitudo voluntatem faciendi repercutit; et ideo in remuneratione modica sunt, in peccato autem magna. Mandata autem christi, id est: non irascaris, non concupiscas, in actu difficilia sunt; et ideo in remuneratione magna, in peccato autem minima. Minima igitur dicit ista christi mandata: non irascaris, non concupiscas; ergo illi qui levia peccata committunt, minimi sunt in regno Dei; id est qui iratus fuerit, et grande peccatum non fecerit, a poena quidem securus est, scilicet damnationis aeternae; non tamen est in gloria, scilicet quam consequuntur illi qui etiam haec minima implent.

Augustinus de serm. Dom. Vel e converso illa quae praecepta sunt in lege, dicuntur minima; quae autem Christus dicturus est, sunt maxima. Mandata autem minima significantur per unum iota et unum apicem. qui ergo solverit, et docuerit sic, id est secundum quod solvit, minimus vocabitur in regno caelorum. Et fortasse ideo non erit, quia ibi nisi magni esse non possunt.

Glossa. Solvere autem est non agere quod recte quis intelligit, vel non intelligere quae depravavit, aut minuere integritatem superadditionis christi.

Chrysostomus in Matth. vel cum audieris minimum in regno caelorum, nihil suspicare quam supplicium et gehennam. Regnum enim consuevit dicere non solum regni utilitatem, sed tempus resurrectionis, et adventum christi terribilem.

Gregorius in Evang. vel per regnum caelorum ecclesia intelligenda est, in qua doctor qui solvit mandatum, minimus vocatur, quia cuius vita despicitur, restat ut eius praedicatio contemnatur.

Hilarius in Matth. vel minima dicit domini passionem et crucem: quae si quis tamquam erubescenda non confitebitur, erit minimus, id est novissimus, ac pene nullus; confitenti vero magnam in caelo vocationis gloriam pollicetur; unde sequitur qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.

Hieronimus. Suggillat in hoc pharisaeos, qui contemptis mandatis Dei, statuebant proprias traditiones, quod non eis prosit doctrina in populo, si vel parvum quod in lege est destruant. possumus autem et aliter intelligere: quod magistri eruditio, etiam si parvo peccato obnoxia sit, deducat eum de gradu maximo; nec prosit docere iustitiam quam minima culpa destruit; beatitudoque perfecta sit, quae sermone docueris, opere complere.

Augustinus de serm. Dom. vel aliter. Qui solverit illa minima, scilicet praecepta legis, et sic docuerit, minimus vocabitur; qui autem fecerit, illa minima, et sic docuerit non iam magnus habendus est, sed tamen, non tam minimus quam ille qui solvit. Ut autem sit magnus, facere debet et docere quae Christus docet.

MATTHAEUS 5,20-22

3520 (Mt 5,20-22)

Hilarius in Matth. Pulcherrimo ingressu opus legis coepit excedere, aditum in caelum apostolis, nisi iustitiam pharisaeorum anteissent, denuntians non futurum; et hoc est quod dicit dico enim vobis.

Chrysostomus in Matth. iustitiam autem hic dicit universalem virtutem. Intende autem gratiae additamentum: discipulos enim suos adhuc rudes magistris qui in veteri testamento erant, vult esse meliores. Scribas autem ac pharisaeos non dixit iniquos, quia non dixisset eos habere iustitiam. Vide etiam quoniam hic vetus testamentum confirmat, comparisonem faciens eius ad novum: plus enim et minus eiusdem generis est. scribarum autem et pharisaeorum iustitiae sunt mandata moysi; superimpletiones autem istorum mandatorum sunt mandata christi. Hoc est ergo quod dicit: nisi quis supra legis mandata, etiam haec mea praecepta, quae apud illos minima existimabantur, impleverit, non intrabit in regnum caelorum: quoniam illa de poena liberant, quae scilicet transgressoribus legis debetur, non autem in regnum inducunt; haec autem et de poena liberant, et in regnum inducunt. Cum autem sit idem solvere minima mandata, et non custodire, quare supra de solvente dicit quod minimus vocabitur in regno Dei, hic autem de non conservante: non introibit in regnum caelorum? sed vide quia minimum esse in regno idem est quod non intrare in regnum. Esse autem aliquem in regno non est regnare cum Christo, sed esse tantum in populo christi; tamquam si dicat de solvente, quod inter christianos quidem erit, tamen minimus christianus. Qui autem intrat in regnum, fit particeps regni cum Christo. consequenter et iste qui non intrat in regnum caelorum, gloriam quidem non habebit cum Christo, erit tamen in regno caelorum, idest in numero eorum super quos Christus caelorum rex regnat.

Augustinus de Civ. Dei. Vel aliter. nisi abundaverit iustitia vestra plusquam scribarum et pharisaeorum, idest super eos qui solvunt quod docent, quia de iis alibi dictum est: dicunt enim et non faciunt; ac si dicat: nisi ita abundaverit iustitia vestra, ut vos non solvatis, sed faciatis potius quod docetis, non intrabitis in regnum caelorum. Alio ergo modo intelligendum est regnum caelorum ubi ambo sunt, et ille scilicet qui solvit quod docet, et ille qui facit, sed minimus ille, iste magnus: quod quidem regnum caelorum est ecclesia praesens. Alio autem modo regnum caelorum dicitur quo non intrat nisi ille qui facit, et hoc est ecclesia qualis in futuro erit.

Augustinus contra faustum. Hoc autem nomen regnum caelorum, quod tam crebro nominat dominus, nescio utrum in libris veteris testamenti quisquam inveniat; proprie enim pertinet ad revelationem novi testamenti quod ori eius etiam nominandum servabatur quem regem ad regendum servos suos vetus testamentum praefigurabat. Hic ergo finis, quo praecepta referenda sunt, occultus erat in veteri testamento, quamvis secundum eum etiam tunc viverent sancti, qui futuram eius revelationem videbant.

Glossa. Vel hoc quod dicit nisi abundaverit, referendum est ad intellectum pharisaeorum et scribarum, non ad continentiam veteris testamenti.

Augustinus contra faustum. pene enim omnia quae monuit vel praecepit dominus, ubi adiungebat ego autem dico vobis,veniuntur et in illis veteribus libris. Sed quia non intelligebant homicidium nisi peremptionem corporis humani, aperuit dominus omnem iniquum motum ad nocendum fratri in homicidii genere deputari; unde subdit audistis quia dictum est antiquis: non occides.

Chrysostomus super Matth. volens Christus ostendere quia ipse est Deus, qui aliquando locutus est in lege et qui nunc mandat in gratia, illud mandatum quod ponitur in lege, ante omnia, scilicet prohibitiva, quae sunt contra proximum, et nunc ponit in principio mandatorum suorum.

Augustinus de Civ. Dei. Non autem quod audivimus non occides, virgultum vellere nefas ducimus, secundum manichaeorum errorem, nec de irrationabilibus animalibus dictum intelligimus, quia iustissima ordinatione creatoris, vita et mors eorum nostris usibus subditur. unde restat quod de homine intelligamus quod dictum est non occides: non alterum, ergo nec te; neque enim qui se occidit, aliud quam hominem occidit. Nequaquam autem contra hoc praeceptum fecerunt qui auctore Deo bella gesserunt, ac personam gerentes publicae potestatis iustissimae rationis imperio sceleratos morte punierunt. Et abraham non solum non est culpatus crudelitatis crimine, verum etiam laudatus est nomine pietatis, quod voluit filium obedienter occidere. Hi ergo excipiuntur quos Deus occidi iubet sive lege data, sive ad personam pro tempore expressa iussione: non autem ipse occidit qui ministerium dat iubenti, sicut adminiculum gladio utenti; nec samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quod latenter spiritus hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat.

Chrysostomus in Matth. per hoc autem quod dicit dictum est antiquis, ostendit multum tempus esse ex quo mandatum hoc acceperant. hoc ergo dicit, ut auditores ad sublimiora progredi praecepta cunctantes acrius incitet; ut si quispiam doctor dicat puero negligentis: nescis iam quantum temporis syllabarum meditatione consumpseris? et ideo subdit ego autem dico vobis, quoniam omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. In quo considera legislatoris potestatem: nullus enim antiquorum prophetarum ita locutus est, sed sic: haec dicit dominus, quia illi ut servi ea quae sunt domini annuntiabant, hic autem ut filius ea quae sunt patris, quae etiam sua sunt; et illi conservis praedicabant, hic autem suis servis legem ponebat.

Augustinus de Civ. Dei. Duae quidem sunt sententiae philosophorum de animi passionibus. Stoicis enim non placet huiusmodi passiones cadere in sapientem; peripatetici vero has passiones in sapientem cadere dicunt, sed moderatas, rationique subiectas; sicut cum ita praebetur misericordia ut iustitia conservetur. In disciplina autem christiana non tam quaeritur utrum prius animus irascatur aut tristetur, sed unde.

Chrysostomus super Matth. qui enim sine causa irascitur, reus erit; qui vero cum causa, non erit reus: nam si ira non fuerit, nec doctrina proficit nec iudicia stant nec crimina compescuntur. Itaque qui cum causa non irascitur, peccat; patientia enim irrationabilis vitia seminat, negligentiam nutrit, et non solum malos, sed etiam bonos invitat ad malum.

Hieronymus. in quibusdam ergo codicibus additur sine causa; ceterum in veris definita sententia est: et ira penitus tollitur. Si enim iubemur orare pro persequentibus, omnis irae occasio tollitur. Radendum ergo est sine causa, quia ira viri iustitiam Dei non operatur.

Chrysostomus super Matth. Sed tamen iracundia quae cum causa est, non est iracundia, sed iudicium: iracundia enim proprie intelligitur commotio passionis; qui autem cum causa irascitur, ira illius non est ex passione; ideo iudicare dicitur, non irasci.

Augustinus in lib. Retract. illud etiam dicimus intuendum quid sit irasci fratri suo: quoniam non fratri irascitur qui peccato fratris irascitur. qui ergo fratri, non peccato irascitur, sine causa irascitur.

Augustinus, de Civ. Dei. irasci autem fratri ut corrigatur, nullus sanae mentis reprehendit: huiusmodi enim motus de amore boni et de sancta caritate venientes, vitia dicenda non sunt, cum rectam rationem sequantur.

Chrysostomus super Matth. puto autem quod non de iracundia carnis loquitur Christus, sed de iracundia animae: caro enim non potest obedire, ut non conturbetur. Quando ergo homo irascitur et non vult facere quod ira compellit, caro eius irata est, animus autem eius non est iratus.

Augustinus de serm. Dom. sic ergo in hoc primo est unum, idest ira sola; in secundo autem sunt duo, scilicet ira et vox, quae iram signat; unde sequitur qui autem dixerit fratri suo: racha, reus erit concilio. Nonnulli de graeco trahere voluerunt interpretationem huius vocis, putantes pannosum dici racha, quoniam graece dicitur pannus idest racos. probabilius autem est non esse vocem significantem aliquid, sed indignantis animi motum exprimentem. Has autem voces grammatici interiectiones vocant, velut cum dicitur a dolente: heu.

Chrysostomus in Matth. Vel racha est verbum contemptus et parvipensionis. Sicut enim nos vel famulis vel iunioribus iniungentes dicimus: vade tu, dic illi tu, ita et qui syrorum utuntur lingua, racha dicunt, pro tu. Dominus enim et quae parvissima sunt evellit, et cum honore nobis invicem uti iubet.

Hieronymus. Vel racha hebraeum verbum est, et dicitur chenos, idest inanis aut vacuus, quem nos possumus vulgata iniuria absque cerebro nuncupare. signanter autem addidit qui dixerit fratri suo: frater enim noster nullus est nisi qui eumdem nobiscum habet patrem.

Chrysostomus super Matth. indigna autem res est dicere hominem vacuum, qui habet in se spiritum.

Augustinus. In tertio autem significantur tria: ira, et vox quae iram significat, et in voce vituperationis expressio; unde dicitur qui autem dixerit: fatue, reus erit gehennae ignis. Gradus itaque sunt in istis peccatis: primo, ut quisquis irascitur, motum retineat corde conceptum. Iam si extorsit vocem non significantem aliquid, sed animi motum ipsa eruptione testantem, plus est quam si ira surgens silentio premeretur. Sed adhuc plus est, si etiam verbum proferatur, quod iam certam vituperationem designat.

Chrysostomus super Matth. sicut autem nemo est vacuus qui habet spiritum sanctum, ita nemo est

vacuus qui Christum cognoscit; sed si racha idem est quod vacuus, quantum ad sensum verbi, unum est dicere fatue et racha; sed differunt quantum ad dicentis propositum: racha enim verbum vulgare erat apud iudaeos, quod non ex ira neque odio, sed ex aliquo motu vano dicebant, magis fiducia causa, quam iracundiae. sed forte dices: si racha iracundiae causa non dicitur, quare peccatum est? quia contentionis causa dicitur, non aedificationis; si enim nec bonum verbum dicere debemus nisi pro aedificatione, quanto magis illud quod in se naturaliter malum est? .

Augustinus. Vide etiam nunc tres reatus: iudicii, concilii et gehennae ignis; in quibus quosdam gradus factos admonet a levioribus ad graviora: nam in iudicio adhuc defensionis locus datur; ad concilium autem pertinere videtur sententiae prolatio, quando inter se iudices conferunt quo supplicio damnari oporteat; in gehenna vero ignis certa est damnatio et poena damnati. Unde patet quantum intersit inter iustitiam pharisaeorum et christi: ibi enim occisio reum facit iudicio, hic autem ira facit reum iudicio, quod horum trium est levissimum.

Rabanus. gehennam hic salvator inferni cruciatum nominat, quam nomen traxisse putant a valle idolis consecrata, quae est iuxta ierusalem, repleta olim cadaveribus quam et iosiam contaminasse in libro regum legimus.

Chrysostomus in Matth. hic autem primum gehennae nomen posuit, postquam de regno caelorum supra dixerat, ostendens quod illud dare, est ex suo amore, hoc autem ex nostra desidia. Multis autem hoc grave videtur, si pro solo verbo tantam patiemur poenam; propter quod quidam dicunt hoc hyperbolice dictum esse. Sed timeo ne verbis hic nosmetipsos decipientes, illic opere ultimum patiamur supplicium. Non ergo aestimes hoc esse onerosum: plures enim poenarum et peccatorum a verbis habent principium: etenim parva verba multoties homicidium pepererunt et civitates integras everterunt. Nec enim parvum aestimes fratrem stultum vocare, auferens ei prudentiam et intellectum, quo homines sumus et ab irrationabilibus distamus.

Chrysostomus super Matth. vel reus erit concilio: idest, ut sit unus ex concilio eorum qui adversus Christum fuerunt, sicut apostoli in suis canonibus interpretantur.

Hilarius in Matth. Vel qui spiritu sancto plenum convicio vacuitatis insinuat, fit reus concilio sanctorum contumeliam spiritus sancti sanctorum iudicio animadversione luiturus.

Augustinus. quisquis autem dixerit: quo graviore supplicio punitur homicidium, si gehenna ignis punitur convicium? cogit intelligi esse differentiam gehennarum.

Chrysostomus in Matth. Vel iudicium et concilium sunt poenae in praesenti: gehenna autem poena futura. Ideo autem irae iudicium apposuit, ut ostendat quod non est possibile hominem omnino esse sine passionibus, sed refrenare eas possibile est; et propterea determinatam poenam non apposuit, ne videretur prorsus iram prohibere. Concilium autem posuit nunc pro iudicio iudaeorum, ne videatur semper nova inducere ac peregrina docere.

Augustinus. In istis autem tribus sententiis subauditio verborum intuenda est. Habet enim prima sententia omnia verba necessaria, ut nihil subaudiatur. qui irascitur, inquit, fratri suo, sine causa, secundum quosdam; in secunda vero, cum ait qui autem dixerit fratri suo: racha, subauditur sine causa; nam in tertia, ubi ait qui autem dixerit: fatue, duo subaudiuntur: fratri suo et sine causa. et hoc est unde defenditur quod apostolus galatas vocat stultos, quos etiam fratres nominat: non enim id facit sine causa.

MATTHAEUS 5,23-24

3523 (Mt 5,23-24)

Augustinus de serm. Dom. si irasci non est fas fratri, aut dicere racha, aut fatue, multo minus in animo tenere aliquid, ut in odium indignatio convertatur; et ideo subdit si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, etc.

Hieronymus. Non dixit: si tu habes aliquid adversum fratrem tuum, sed si frater tuus habet aliquid adversum te, ut durior tibi reconciliationis imponatur necessitas.

Augustinus. tunc enim ipse habet adversus nos, si nos eum in aliquo laesimus: nam nos adversus illum

habemus, si ille nos laeserit, ubi non est opus pergere ad reconciliationem: non enim veniam postulabis ab eo qui tibi fecit iniuriam; sed tantum dimittas, sicut tibi a domino dimitti cupis quod ipse commiseris.

Chrysostomus super Matth. Si autem ille te laeserit, et prius rogaveris, magnam habebis mercedem.

Chrysostomus in Matth. Sed si aliquis propter amorem proximi ei reconciliari non curat, ad hoc eum inducit ut saltem eius opus non remaneat imperfectum, et praecipue in loco sacro; unde subdit relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo.

Chrysostomus super Matth. ecce a discordantibus accipere non vult sacrificium. Hinc ergo perpendite quantum sit malum discordiae, propter quod et illud abiicitur per quod culpa relaxatur. Vide autem misericordiam Dei, quomodo hominum utilitates amplius aspicit quam suos honores: plus enim diligit concordiam fidelium quam munera: quamdiu enim fideles homines aliquam dissensionem habuerint, munus eorum non suscipitur, oratio eorum non exauditur. Nemo enim inter duos inimicos potest esse fidelis amicus amborum; ideo et Deus non vult esse amicus fidelium, quamdiu inter se fuerint inimici. et nos ergo fidem Deo non servamus, si inimicos eius non diligimus et amicos eius odimus. Qualis autem praecessit offensio, talis debet sequi reconciliatio. Si cogitatu offendisti, cogitatu reconciliare; si verbis offendisti, verbis reconciliare; si operibus offendisti, operibus reconciliare. omne enim peccatum quo modo committitur, eo modo de ipso poenitentia agitur.

Hilarius in Matth. Reconciliata autem humana pace, reverti in divina iubet, in Dei caritatem de caritate hominum transituros. Et ideo sequitur et tunc veniens offeres munus tuum.

Augustinus. si autem quod hic dicitur, accipiatur ad litteram, fortassis aliquis credit ita fieri oportere, si frater sit praesens: non enim diutius differri potest, cum munus tuum relinquere ante altare iubearis. Si vero de absente, et, quod fieri potest, etiam trans mare constituto aliquid tale veniat in mentem, absurdum est credere ante altare munus relinquendum, quod post terras et maria pererrata offeras Deo. Et ideo prorsus intro ad spiritualia refugere cogimus, ut quod dictum est, sine absurditate possit intelligi. Altare itaque spiritualiter fidem accipere possumus. munus enim quod offerimus Deo sive doctrina, sive oratio, vel quicquid aliud, Deo acceptum esse non potest nisi fide fulciatur. Si ergo fratrem in aliquo laesimus, pergendum est ad reconciliationem, non pedibus corporis, sed motibus animi, ubi te humili affectu prosternas fratri in conspectu eius, cuius munus es oblaturus. Ita enim, ac si praesens sit, poteris eum non simulato animo lenire veniam postulando, atque inde veniens, idest intentionem revocans ad id quod agere coeperas, offeras munus tuum.

MATTHAEUS 5,25-26

3525 (Mt 5,25-26)

Hilarius in Matth. Quia nullum tempus vacuum affectu placabilitatis dominus esse permittit, cito in vitae nostrae via reconciliari nos adversario praecepit, ne in mortis tempus non inita pace transeamus; et ideo dicit esto consentiens adversario tuo cito dum es cum eo in via, ne forte tradat te adversarius iudici.

Hieronymus. Pro eo quod nos habemus in latinis codicibus consentiens, in graecis scriptum est eunoos, quod interpretatur benevolus, aut benignus.

Augustinus de serm. Dom. sed videamus quis sit adversarius, cui iubemur esse benevoli. Aut enim diabolus est, aut homo, aut caro, aut Deus, aut praeceptum eius. Sed diabolo non video qualiter iubeamur esse benevoli aut consentientes: ubi enim benevolentia, ibi amicitia; nec quisquam dixerit amicitiam cum diabolo esse faciendam; neque concordare cum illo expedit cui semel renuntiando bellum indiximus; neque consentire illi oportet, cui si nunquam consensissemus, nunquam in istas incidissemus materias.

Hieronymus. Quidam tamen dicunt a salvatore praecipui ut simus benevoli erga diabolum, ne faciamus eum poenam sustinere pro nobis, quem dicunt pro nobis esse torquendum, si ei consenserimus vitia suggerenti. Quidam cautius disputant, in baptisate singulos pactum inire cum diabolo ei abrenuntiando. Si ergo servaverimus pactum, benevoli et consentientes sumus adversario, et nequaquam in carcere recludendi.

Augustinus. Non autem video quomodo accipiam, ab homine nos iudici tradi, ubi Christum iudicem intelligo, ante cuius tribunal omnes exhiberi oportet. Quomodo ergo iudici traditurus est qui ante iudicem pariter exhibetur? et etiam si occidendo quis nocuerit homini, non erit iam tempus quo concordet cum eo in

via, idest in hac vita; nec tamen ideo non sanabitur poenitendo. Carni vero multo minus video quomodo consentientes esse iubeamur; magis enim peccatores ei consentiunt: qui vero eam servituti subiiciunt, non ei consentiunt, sed eam sibi consentire cogunt.

Hieronymus. Quomodo etiam caro mittenda erit in carcerem si animae non consenserit, cum et anima et caro pariter recludendae sint, nec quicquam possit caro facere nisi quod animus imperaverit? .

Augustinus. Fortassis ergo iubemur Deo consentire, quia ab eo peccando recessimus, ut adversarius noster dici possit dum nobis resistit: Deus enim superbis resistit. Quisquis ergo in hac vita non fuerit reconciliatus Deo per mortem filii eius, tradetur ab illo iudici, idest filio, cui pater iudicium dedit. Quomodo autem potest recte dici homo esse in via cum Deo, nisi quia Deus ubique est? aut si non placet dici impios esse cum Deo, qui ubique praesto est, sicut non dicimus caecos esse cum luce quae eos circumfundit, unum reliquum est ut hic adversarium praeceptum Dei intelligamus, quod adversatur peccare volentibus, et datum est nobis ad hanc vitam ut sit nobiscum in via; cui oportet nos consentire cito, legendo, praeaudiendo, deferendo ei culmen auctoritatis, ut quod aliquis intelligit non oderit propter hoc quod adversatur peccatis suis, sed magis diligat propter correctionem; quod vero obscurum est, oret ut intelligat.

Hieronymus. Sed ex praecedentibus manifestus est sensus, quod dominus nos ad concordiam proximi cohortatur; nam supra dictum est vade reconciliari fratri tuo.

Chrysostomus super Matth. festinat enim dominus ut ad amicitiam festinemus inimicorum nostrorum quamdiu vivimus in hac vita, sciens quam periculosum est si unus ex inimicis pace non facta mortuus fuerit. Si enim inimicantes per mortem iveritis ante iudicem, tradet te Christo, convincens te reum iudicio eius. Tradet autem te iudici, etiam si te prius rogaverit: qui enim rogat prius inimicum, reum facit eum ante Deum.

Hilarius in Matth. Vel adversarius tradet vos iudici, quia manens in eum simultatis vestrae ira vos arguit.

Augustinus. Iudicem intelligo Christum: pater enim omne iudicium dedit filio; ministrum autem intelligo angelum: et angeli, inquit Matthaeus, ministrabant ei; et cum angelis suis venturum credimus ad iudicandum. unde sequitur et iudex tradat te ministro.

Chrysostomus super Matth. vel ministro, idest angelo poenarum crudeli, et ille mittet te in carcerem gehennae; unde sequitur et in carcerem mittaris.

Augustinus. Carcerem autem intelligo poenas, videlicet tenebrarum. et ne quis istum carcerem contemneret, sequitur amen dico tibi: non exies inde donec reddas novissimum quadrantem.

Hieronymus. Quadrans genus nummi est quod habet duo minuta; hoc est ergo: non egredieris de carcere donec etiam minuta peccata persolvas.

Augustinus. aut enim pro eo positum est quod nihil relinquitur impunitum; sicut cum volumus exprimere aliquid ita exactum ut nihil relinqueretur, dicimus usque ad fecem; vel significantur sub nomine quadrantis novissimi terrena peccata. quarta enim pars elementorum huius mundi, et ea novissima, terra invenitur. in hoc autem quod dictum est solvas, significatur poena aeterna. Et sicut positum est donec, ubi dictum est: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos sub pedibus tuis (non enim cum fuerint inimici sub pedibus positi, desinit regnare)., ita et hic accipi potest non exies donec solveris quadrantem; semper non exiturum, quia solvet semper novissimum quadrantem, dum sempiternas poenas peccatorum terrenorum luet.

Chrysostomus super Matth. vel si quidem in hoc saeculo pacem feceris, etiam gravissimi operis poteris accipere indulgentiam; si autem semel condemnatus fueris, missus in carcerem, non solum de gravibus peccatis, sed etiam de verbo otioso, quod potest significari per quadrantem, exigentur a te supplicia.

Hilarius in Matth. quia enim caritas plurimum peccatorum tegit, novissimum poenae quadrantem solvemus, nisi pretio ipsius culpa criminum redimatur.

Chrysostomus super Matth. vel angustiae huius mundi appellantur carceres, in quas plerumque peccantes mittuntur a Deo.

Chrysostomus in Matth. Vel loquitur hic de iudicibus qui sunt in mundo isto et de via quae est ad hoc iudicium et de carcere isto, ut non solum a futuris, sed et a praesentibus auditorem inducat, quae sunt ante oculos, et magis consueverunt movere; sicut et paulus dicit: si male feceris, time potestatem: non enim sine causa gladium portat.

MATTHAEUS 5,27-28

3527 (Mt 5,27-28)

Chrysostomus in Matth. postquam dominus quid primum mandatum contineret edocuit, scilicet non occides, instituto pergens ordine provehitur ad secundum, dicens audistis quia dictum est antiquis: non moechaberis.

Augustinus de decem chordis. Idest, non ibis ad aliquam aliam praeter uxorem tuam. Si enim hoc exigis ab uxore, non vis hoc reddere uxori, cum debeas in virtute praecedere uxorem. Turpe autem est ut vir dicat hoc non posse fieri. Quod femina facit, vir non potest? noli autem dicere: uxorem non habeo, ad meretricem pergo, nec hoc praeceptum violo, quod dicit non moechaberis; iam enim nosti pretium tuum, iam nosti quod manduces, quod bibas. Abstine ergo te a fornicationibus. cum enim imaginem Dei (quod es tu). corrumpis per fornicationes et defluentias libidinis, ipse etiam dominus, qui scit quid tibi utile sit, hoc praecipit, ne per illicitas voluptates corruat templum eius, quod esse coepisti.

Augustinus contra faustum. Sed quoniam putabant pharisaei, tantummodo corporalem cum femina illicitam commixtionem vocari moechiam, demonstravit dominus talem concupiscentiam nihil aliud esse, dicens ego autem dico vobis quia omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in corde suo. Quod autem lex praecipit: non concupisces uxorem proximi tui, videbatur iudaeis intelligendum esse de ablatione non de concubitu.

Hieronimus. Inter pathos, et propathian, idest inter passionem et propassionem, hoc interest, quod passio reputatur in vitium, propassio, licet vitii culpam habeat, tamen non tenetur in crimine. Ergo qui viderit mulierem, et anima eius fuerit titillata, hic propassione percussus est. Si ergo consenserit, de propassione transivit ad passionem, et huic non voluntas peccandi deest, sed occasio. quicumque igitur viderit ad concupiscendum, idest sic aspexerit ut concupiscat, et facere disponat, recte moechatus dicitur in corde suo.

Augustinus de serm. Dom. nam tria sunt quibus impletur peccatum: scilicet suggestio quae per memoriam fit, sive per corporis sensus; quod si frui delectaverit, delectatio illicita refrenanda est; si autem consensio facta fuerit, plenum peccatum est. Verumtamen delectatio ante consensum vel nulla est, vel tenuis; cui consentire peccatum est. Si autem et in factum processerit, videtur satiari et extinguere cupiditas. Sed postea cum suggestio repetitur, maior accenditur delectatio, quae adhuc minor est quam illa quae in consuetudinem vertitur; quam vincere difficile est.

Gregorius moralium. quisquis vero incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati cadit, atque obligatus desiderii, incipit velle quod noluit. Valde namque est quod caro deorsum trahit, et semel species formae cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur. Providendum ergo nobis est: quia intueri non debet quod non licet concupisci. Ut enim munda mens in cogitatione servetur, a lascivia voluptatis suae deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam.

Chrysostomus in Matth. Si ergo studeas venustis vultibus oculos frequenter infigere, profecto capieris, etiam si secundo et tertio possis fortasse animum continere. neque enim extra naturam aleamque humanam consistis. Qui enim in se flammam cupiditatis accenderit, etiam absente muliere quam vidit, iugiter apud se turpium rerum simulacra depingit, et nonnumquam ad flagitium ipsum etiam opere pervenit. Si qua vero ideo ornatur et comitur, ut in se oculos hominum irriteret, etiam si nullum pulchritudine sua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema supplicia: paravit quippe venenum, porrexit poculum, etiam si nullus qui biberet inventus sit. Quod autem ad solos viros videtur dirigere, etiam feminis competit: cum enim capiti loquitur, toti profecto corpori admonitio communis est.

MATTHAEUS 5,29-30

3529 (Mt 5,29-30)

Glossa. Quia non solum peccata vitanda sunt, sed et occasiones peccatorum tollendae, postquam docuit vitare moechiae peccatum, non solum in opere, sed etiam in corde, consequenter docet occasiones peccatorum abscindere, dicens quod si oculus tuus dexter scandalizat te.

Chrysostomus super Matth. Sed, si secundum prophetam, non est sanitas in carne nostra, quot membra quis habet, debet abscindere, ut secundum malitiam carnis, sufficiat poena membrorum. sed videamus si sic possibile est intelligere de oculo corporali vel manu. sicut totus homo, cum conversus fuerit ad Deum, mortuus est peccato, sic et oculus, cum desierit male aspicere, eiectus est peccato; sed neque sic convenit. Si enim dexter oculus scandalizat, sinister quid facit? numquid contradicit dextero, ut quasi innocens reservetur? .

Hieronymus. in dextero ergo oculo et dextera manu, et fratrum et uxoris et liberorum atque affinium et propinquorum innitur affectus; quem si ad contemplandam veram lucem nobis impedimento cernimus, debemus truncare huiusmodi portiones.

Augustinus de serm. Dom. Quemadmodum autem in oculo contemplatio, sic in manu actio recte intelligitur. Per oculum autem intelligimus dilectissimum amicum: solet enim ab eis qui vehementer volunt exprimere dilectionem suam, ita dici: diligo eum ut oculum meum. Oportet autem intelligi per oculum amicum consiliarium, quia oculus iter demonstrat. Quod autem additum est, dexter, fortasse ad augendam vim dilectionis valet: dextrum enim oculum homines magis formidant amittere. Vel quia dexter est, intelligitur consiliarius in rebus divinis, sinister autem oculus est consiliarius in rebus terrenis; ut sic ille sit sensus: quicquid illud est quod ita diligis ut pro dextero oculo habeas, si scandalizat te, idest si impedimento est tibi ad veram beatitudinem, eiice eum, et proiice abs te. De sinistro autem scandalizante superfluum erat dicere, quando quidem nec dextero parcendum est. Dextera autem manus accipitur dilectus adiutor in divinis operibus; sinistra autem in operibus quae huic vitae et corpori sunt necessaria.

Chrysostomus super Matth. vel aliter vult Christus ut non solum de periculo nostri peccati curemus, sed etiam ne ad nos pertinentes turbae aliquid agant: ut puta si habes aliquem amicum qui res tuas bene aspicit, quasi proprius oculus, aut qui procurat res tuas quasi propria manus, si eum agnoveris aliquid turpiter agere, proiice eum longe abs te, quia scandalizat te: quia non solum pro nostro peccato, sed etiam proximorum, quos prohibere possumus, dabimus rationem.

Hilarius in Matth. fit ergo innocentiae gradus celsior: carere enim non solum propriis vitiis, sed etiam extrinsecus incidentibus admonemur.

Hieronymus. vel aliter. Quia supra de concupiscentia mulieris dixerat, recte nunc cogitationem et sensum in diversa volitantem oculum nuncupavit. Per dexteram autem et ceteras corporis partes, voluntatis ad effectum initia demonstrantur.

Chrysostomus super Matth. oculus enim iste carnalis speculum est interioris oculi. Habet autem et corpus suum sensum, quod est oculus sinister, et appetitum, quod est manus sinistra. partes autem animae, dexterae vocantur, quoniam in libero arbitrio anima est creata, et sub lege iustitiae, ut recte videat et agat. Pars autem corporis, quae non habet liberum arbitrium, et est sub lege peccati, sinistra dicitur. Non autem carnis sensum vel appetitum praecedere iubet: desideria enim carnis retinere possumus, ut non faciamus quod desiderat caro; praecedere autem non possumus, ut non desideret. Quando autem ex proposito volumus malum et cogitamus, tunc dexter sensus et dextera voluntas nos scandalizant, et ideo hic praecedere iubet. Possunt enim praecidi propter arbitrii libertatem. Vel aliter. Omne bonum generaliter quod nos vel alios scandalizat, praescindere debemus a nobis; sicut si visito aliquam mulierem causa religionis, bonus respectus est oculus dexter; sed si assidue visitans decidi in laqueum desiderii eius, vel etiam quidam videntes scandalizantur, dexter oculus scandalizat, quod bonum est scandalizat: oculus enim dexter est bonus respectus, idest intentio; manus dextera, bona voluntas.

Glossa. Vel oculus dexter est vita contemplativa, quae scandalizat in desidiam mittendo, vel arrogantiam, vel cum ex infirmitate contemplari ad purum non valemus. Dextera autem manus est bona operatio, vel vita activa, quae scandalizat dum per saeculi frequentiam et occupationis taedio illaqueamur. si quis ergo non potest frui contemplativa, non torpeat otio ab activa, vel ne, dum occupatur actibus, arescat ab interna dulcedine.

Remigius. Sed quare eiiciendus sit dexter oculus et dextera manus abscindenda, manifestat cum subdit expedit enim, etc.

Chrysostomus super Matth. Quoniam enim alter alterius membra sumus, melius est ut sine uno tali membro salvemur, quam ut volentes tales habere, et ipsi pereamus cum eis. Vel melius est ut sine uno respectu aut uno bono opere salvemur, quam dum omnia opera bona volumus facere, cum omnibus pereamus.

MATTHAEUS 5,31-32

3531 (Mt 5,31-32)

Glossa. Docuerat superius dominus alienam uxorem non esse concupiscendam; consequenter hic docet suam non esse dimittendam, dicens dictum est autem: quicumque dimiserit uxorem suam, det illi libellum repudii.

Hieronymus. In posteriori parte istum locum plenius dominus et salvator exponit, quod moyses libellum repudii dari iusserit propter duritiam cordis maritorum, non dissidium concedens, sed auferens homicidium.

Chrysostomus super Matth. Quando enim moyses filios israel eduxit de aegypto, genere quidem erant israelitae, moribus autem aegyptii. Propter mores gentilium contingebat ut vir odiret uxorem, et quia dimittere illam non permittebatur, paratus erat interficere eam aut assidue affligere. Ideo iussit dari libellum repudii, non quia bonum erat, sed quia remedium erat mali peioris.

Hilarius in Matth. sed dominus aequitatem in omnes concilians, manere eam maxime in coniugiorum pace praecepit; unde subdit ego autem dico vobis, quia omnis qui dimiserit uxorem suam, etc.

Augustinus contra faustum. Quod hic praecepit dominus de uxore non dimittenda, non est contrarium ei quod lex praecipit, ut manichaeus dicebat; neque enim ait lex: qui voluerit dimittat uxorem, cui esset contrarium non dimittere; sed utique nolebat dimitti uxorem a viro, qui hanc interposuit moram, ut in dissidium animus praecepti libelli conscriptione refractus absisteret, praesertim quia, ut perhibetur apud hebraeos, scribere litteras hebraeas nulli fas erat nisi scribis solis, qui excellentiorem profitebantur scientiam. ad hos igitur lex mittere voluit eum quem iussit libellum dare repudii, si dimisisset uxorem, qui inter ipsum et uxorem pacifice agendo, concordiam suaderent, et libellum non scriberent nisi in animo nimis perverso consilium concordiae non valeret. Sic ergo neque primorum hominum legem per verborum additamenta implevit, neque illam quae per moysen data est, quasi contrariorum oppositione destruxit, ut manichaeus dicebat; sed potius omnia ex hebraeorum lege commemorata ita commendavit ut quicquid ex persona sua insuper loqueretur, vel ad expositionem requirendam valeret, si quid illa obscure posuisset, vel ad tutius observandum quod illa voluisset.

Augustinus de serm. Dom. Qui ergo dimittendi moram quaesivit, significavit quantum potuit duris hominibus, se nolle dissidium. Dominus ergo ad illud confirmandum, ut non facile uxor dimittatur, solam causam fornicationis excepit, dicens excepta causa fornicationis; ceteras vero universas molestias, si quae forte extiterint, iubet pro fide coniugali fortiter sustineri.

Chrysostomus super Matth. si enim extraneorum vitia supportare debemus, dicente apostolo: invicem onera vestra portate, quanto magis uxorum? vir autem christianus non solum se inquinare non debet, sed nec aliis inquinandi occasionem praebere; alioquin illorum crimen ad istius redundat peccatum qui aliis committendi criminis factus est causa. Qui ergo dimittens uxorem occasionem dedit adulteriorum committendorum, ut et illa adulteretur in alterum et alter in illam, pro adulteriis huiusmodi condemnatur; et ideo dicit quod qui dimiserit uxorem suam, facit eam moechari.

Augustinus. Uterius etiam moechum dicit virum qui eam duxerit quae dimissa est a viro, scilicet per libellum repudii; et ideo subdit et qui dimissam duxerit, adulterat.

Chrysostomus in Matth. Non enim dicas quoniam vir suus eam dimisit, quia etiam postquam dimissa est, remanet dimittentis uxor.

Augustinus. Huius autem rei apostolus terminum ostendit, qui tamdiu observandum dicit quamdiu vir eius vivit. illo autem mortuo dat nubendi licentiam. si autem non conceditur alteri nubere mulieri vivente viro a quo recessit, multo minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere; neque enim contra istud praeceptum, quo dominus dimitti coniugem vetat, facit qui cum ea non carnaliter, sed spiritualiter vivit, cum non eam dimittat. beatiora namque sunt coniugia eorum qui inter se pari consensu continentiam servant. Oritur autem hic quaestio: cum dominus causa fornicationis permittat dimitti uxorem, qualiter hic intelligenda sit fornicatio: utrum ut eam fornicationem credamus dictam quae stupris committitur, an quemadmodum scripturae solent fornicationem vocare omnem illicitam corruptionem, sicut est idololatria, vel avaritia, et omnis iam transgressio legis per illicitam concupiscentiam. Sed si licet, secundum apostolum, ut dimittatur coniux infidelis, quamvis melius sit non dimittere, et tamen non licet secundum praeceptum domini ut

dimittatur coniux, nisi causa fornicationis; fornicatio est etiam ipsa infidelitas. Porro si infidelitas fornicatio est, et idololatria infidelitas, et avaritia idololatria, non est dubitandum et avaritiam fornicationem esse. Quis ergo iam quamlibet illicitam concupiscentiam potest recte a fornicationis genere separare, si avaritia fornicatio est? .

Augustinus in lib. retract. Nolo tamen putare lectorem in re tam difficili istam sibi disputationem nostram debere sufficere: non enim omne peccatum fornicatio est spiritalis: neque enim omnem peccantem Deus perdit, qui quotidie sanctos suos exaudit dicentes: dimitte nobis debita nostra, cum perdat omnem qui fornicatur ab eo. Utrum etiam propter hanc liceat dimittere uxorem, latebrosissima quaestio est; licere tamen propter istam quae in stupris committitur, nulla quaestio est.

Augustinus in lib. 83 quaest. Si enim aliquis asserat solam illam fornicationem dominum admittere ad causam relinquendae coniugis, quae concubitu illicito perpetratur, potest dicere dominum de utroque fideli dixisse, ut neutri liceat alterum relinquere nisi causa fornicationis.

Augustinus de serm. dom. Non tantum fornicantem uxorem dimittere conceditur, sed quisquis eam quoque uxorem dimittit a qua ipse cogitur fornicari, causa fornicationis utique dimittit, non tantum illius, sed et suae: illius, quia fornicatur; suae, ne fornicetur.

Augustinus de fide et operibus. eodem etiam modo eam rectissime dimittit, si viro suo dicat: non ero uxor tua nisi nihil de latrocinio divitias congreges, aut si quid aliud vel facinorosum vel flagitiosum in viro monuerit. Tunc enim ille cui hoc uxor dicit, si veraciter poenitens est, membrum quod eum scandalizat amputabit.

Augustinus de serm. Dom. nihil autem est iniquius quam fornicationis causa uxorem dimittere, si et ipse convincitur fornicari; occurrit enim illud: in quo alterum iudicas, teipsum condemnas. De eo autem quod dicit et qui dimissam duxerit, adulterat, potest quaeri utrum sicut moechatur ille qui eam ducit, sic et illa quam ducit: iubetur enim ab apostolo et illa manere innupta, aut viro reconciliari. Sed tamen si discesserit a viro, multum interest utrum dimittat an dimittatur: si enim ipsa virum dimiserit et alteri nupserit, videtur cupiditate mutandi coniugii virum priorem reliquisse; quae adulterina cogitatio est; sed si dimittatur a viro, inveniri non potest quomodo, cum vir et mulier pari consensu misceatur, unus eorum moechatus sit, et non alter. huc accedit quia si moechatur ille ducendo eam quae dimissa est a viro, ipsa facit eum moechari; quod hic dominus vetat.

MATTHAEUS 5,33-37

3533 (Mt 5,33-37)

Glossa. Docuerat supra dominus non esse iniuriam proximo inferendam, prohibendo iram cum homicidio, concupiscentiam cum adulterio, et dimissionem uxoris cum libello repudii; nunc autem consequenter docet ab iniuria Dei abstinendum, cum prohibet non solum periurium tamquam malum, sed etiam iuramentum tamquam mali occasionem; unde dicit iterum audistis quia dictum est antiquis: non periurabis. Dicitur enim in levitico: non periurabis in nomine meo; et ne creaturas facerent sibi deos, praecepit reddere Deo iuramenta, et non iurare per creaturas; unde subditur redde autem domino iuramenta tua; idest, si iurare contigerit, per creatorem iurabis, non per creaturam; unde dicitur in deuteronomio: dominum Deum tuum timebis, et per nomen eius iurabis.

Hieronymus. hoc autem quasi parvulis fuerat lege concessum, ut quomodo victimas immolabant Deo, ne eas idolis immolarent, sic et iurare permetterentur in Deum non quod recte hoc facerent, sed quod melius esset Deo hoc exhibere quam daemoniis.

Chrysostomus super Matth. nemo enim frequenter iurat qui non aliquando periuret; sicut qui fecit consuetudinem multa loqui, aliquando loquitur importuna.

Augustinus contra faustum. quia vero periurare grave peccatum est, longius autem remotus est a periurio qui nec iurare consuevit quam qui verum iurare proclivis est, maluit nos dominus non iurantes non recedere a vero, quam verum iurantes, appropinquare periurio; unde subdit ego autem dico vobis: non iurare omnino.

Augustinus de serm. Dom. In quo pharisaeorum iustitiam, quae est non peierare, confirmat: non enim potest periurare qui non iurat. Sed quoniam ille iurat qui adhibet Deum testem, considerandum est ne contra hoc praeceptum domini apostolus fecisse videatur, quia saepe hoc modo iuravit cum dixit: quae

scribo vobis ecce coram Deo, quia non mentior. Et: testis est mihi Deus, cui servio in spiritu meo. Nisi forte quis dicat tunc cavendam esse iurationem cum aliquid dicitur per quod iuratur: ut non iuraverit, quia non dixit per Deum, sed dixit testis est mihi Deus. Ridiculum est hoc putare; sed tamen etiam sciat hoc modo iurasse apostolum dicentem: quotidie morior per gloriam vestram, fratres. Quod ne quis ita existimet dictum tamquam si diceretur: vestra gloria me fecit quotidie mori, graeca exemplaria diiudicant, in quibus quod scriptum est, ni tin kauchisin himeteran, idest per gloriam vestram, non nisi a iurante dicitur.

Augustinus contra mendacium. Sed pleraque in verbis intelligere non valentes, in factis sanctorum colligimus quemadmodum oporteat accipi quod facile in aliam partem duceretur, nisi exemplis revocaretur. iuravit apostolus in epistolis suis, et sic ostendit quomodo accipiendum est quod dictum est dico autem vobis non iurare omnino, ne scilicet iurando, ad facilitatem iurandi veniatur, ex facilitate autem iurandi veniatur ad consuetudinem, a consuetudine in periurium decidatur. Et ideo non invenitur iurasse nisi scribens, ubi consideratio cautiior non habet linguam praecipitem. Et tamen dominus omnino ait non iurare: non enim concessit ut id liceret scribentibus. Sed quia praecepti violati reum paulum praesertim in epistolis conscriptis nefas est dicere, est intelligendum illud quod positum est, omnino, ad hoc positum, ut quantum in te est non affectes, vel quasi pro bono cum aliqua delectatione appetas iusiurandum.

Augustinus contra faustum. In scriptis ergo ubi est consideratio maior, pluribus locis apostolus iurasse invenitur, ne quisquam putaret etiam verum iurando peccari, sed potius intelligeret humanae fragilitatis corda non iurando tutius a periurio conservari.

Hieronymus. Denique considera, quod hic salvator non per Deum iurare prohibuit, sed per caelum, per terram et per hierosolimam et per caput tuum: hanc enim per elementa iurandi pessimam consuetudinem semper habuere iudaei. Qui iurat, aut veneratur aut diligit eum per quem iurat; iudaei autem per angelos et urbem ierusalem et templum et elementa iurantes, creaturas venerabantur Dei honore; cum in lege praeceptum sit ut non iuremus nisi per dominum Deum nostrum.

Augustinus de serm. Dom. Vel ideo additum est neque per caelum, quia iudaei non putabant se teneri iuramento, si per ista iurassent; ac si dicat: cum iuras per caelum et terram, non te arbitreris non debere domino iusiurandum tuum, quia per eum iurare convinceris cuius caelum thronus est et cuius terra scabellum est; quod non est sic dictum quasi habeat Deus collocata membra in caelo et in terra, ut nos cum sedemus: sed illa sedes Dei iudicium significat. et quoniam in hoc universo mundi corpore maximam speciem caelum habet, sedere in caelo dicitur tamquam praestantior sit excellenti pulchritudine vis divina; terramque dicitur calcare, quod minimam speciem ordinet in extremis. Spiritualiter autem sanctas animas caeli nomine significat, et terrae, peccatrices: quoniam: spiritualis omnia iudicat. Peccatori autem dictum est: terra es et in terram ibis. Et qui in lege manere voluit, sub lege ponitur; et ideo congruenter dicit scabellum pedum eius. Sequitur neque per hierosolimam, quia civitas est magni regis; quod melius dicitur quam si diceret mea, cum tamen hoc dixisse intelligatur. Et quia ipse utique est dominus. Domino iusiurandum debet qui per hierosolimam iurat. Sequitur neque per caput tuum iuraveris. Quid enim poterat quisquam magis ad se pertinere arbitrari quam caput suum? sed quomodo nostrum est ubi potestatem faciendi unum capillum album aut nigrum non habemus? propter quod dicitur quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Ergo Deo debet iusiurandum quisquis etiam per caput suum iurare voluerit. et hinc etiam cetera intelliguntur.

Chrysostomus in Matth. Attendite autem, quod elementa mundi extollit, non ex propria natura, sed ex habitudine quam habent ad Deum, ne idololatriae daretur occasio.

Rabanus. Qui autem iurare prohibuit, quomodo loqui oporteat docuit, subdens sit autem sermo vester: est, est, non, non; idest quod est, sufficiat dicere: est; quod non est, sufficiat dicere: non est. sive ideo dicitur bis, est, est, non, non, ut quod ore affirmas, operibus probes; et quod verbis negas, factis non confirmes.

Hilarius in Matth. Vel aliter. in fidei simplicitate viventibus iurare opus non est cum quibus semper quod est, est, quod non, non; et per hoc eorum et opus et sermo omnis in verbo est.

Hieronymus. evangelica igitur veritas non recipit iuramentum, cum omnis sermo fideli pro iuramento sit.

Augustinus de serm. Dom. quapropter qui intelligit non in bonis sed in necessariis iurationem habendam, refrenet se quantum potest, ut non ea utatur nisi in necessitate, cum videt pigros esse homines ad credendum quod utile est credere, nisi iuratione firmetur. hoc ergo est bonum et appetendum, quod hic dicitur sit sermo vester: est, est, non, non. Quod autem his abundantius est, a malo est, idest, si iurare cogaris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades; quae utique infirmitas malum est. Itaque non dixit: quod amplius est, malum est; tu enim non malum facis qui bene uteris iuratione, ut

alteri persuadeas quod utiliter persuades; sed a malo est illius cuius infirmitate iurare cogaris.

Chrysostomus in Matth. vel a malo est, idest ab infirmitate eorum quibus lex iurare permisit. ita enim Christus non monstrat veterem legem diaboli esse; sed a veteri imperfectione ducit ad abundantem novitatem.

MATTHAEUS 5,38-42

3538 (Mt 5,38-42)

Glossa. Quia superius docuerat dominus non esse proximo iniuriam inferendam, nec irreverentiam domino, consequenter hic docet qualiter se christianus habere debeat ad iniuriam sibi inferentes; unde dicit audistis quia dictum est: oculus pro oculo, et dentem pro dente.

Augustinus contra faustum. Quod quidem ad reprimendas flammam odiorum in se invicem saevientium et immoderatos animos refrenandos ita praeceptum est. quis enim facile contentus est tantum rependere vindictae quantum accipit iniuriae? nonne videmus leviter laesos homines moliri caedem, sitire sanguinem vixque invenire in malis inimici unde satientur? huic igitur immoderatae ac iniustae ultionis lex iustum modum figens, poenam talionis instituit; hoc est, ut qualem quisque intulit iniuriam, tale supplicium rependat; quod non fomes, sed limes furoris est; non ut id quod sopitum erat, hinc accenderetur, sed ne id quod ardebat, ultra extenderetur; imposita est enim iusta vindicta, quae iuste debetur ei qui passus fuerit iniuriam. Quod autem debetur, etsi benigne remittitur, non tamen inique repetitur. Itaque cum peccet qui immoderate vult vindicari, non peccet autem qui iuste vult vindicari, remotior est a peccato qui non vult omnino vindicari; et ideo subdit ego autem dico vobis non resistere malo. Poteram autem et ego sic ponere: dictum est antiquis: non iuste vindicabis; ego autem dico vobis: ne vindicetis, quod adimpletio est, si per haec verba, quod legi defuit, a Christo additum mihi videretur; ac non potius id quod lex volebat efficere, ne iniuste se quisquam vindicaret, conservari tutius, si omnino non vindicaret.

Chrysostomus super Matth. Sine hoc enim mandato, legis mandatum stare non potest, quia si secundum legis mandatum omnibus reddere mala pro malis coeperimus, omnes efficiemur mali, eo quod persequentes abundant. Si autem, secundum christi praeceptum, non resistitur malo, et si mali non leniuntur, tamen boni permanebunt bonis.

Hieronymus. Dominus ergo noster, vicissitudinem tollens, truncat initia peccatorum: in lege namque culpa emendatur, hic peccatorum auferuntur exordia.

Glossa. Vel potest dici, quod dominus hoc dixit, iustitiae veteris legis aliquid addens.

Augustinus de serm. dom. Pharisaeorum enim iustitia minor est, non excedere vindictae modum: et hoc est pacis inchoatio; perfecta autem pax est talem penitus nolle vindictam. Intra illud ergo primum quod praeter legem est, ut maius malum pro minori malo reddatur, et hoc quod dominus perficiendis discipulis dicit, ne pro malo ullum malum reddatur, medium locum tenet ut tantum reddatur quantum et acceptum est; per quod a summa discordia ad summam concordiam transitus factus est. Quisquis enim malum prior infert, maxime a iustitia distat; quisquis autem nulli prior malefecit, sed tamen laesus rependit gravius, recessit aliquantum a summa iniquitate; qui vero tantum reddit quantum accepit, iam aliquid donat: iustum est enim eum qui laesit prior, gravius laedi. Hanc ergo inchoatam minimam iustitiam ille perficit qui legem venit implere. Duos autem gradus qui intersunt, intelligendos relinquit: nam est qui non reddat tantum, sed minus; et hinc ascendit, qui omnino nil rependerit; quod parum videtur domino, nisi et amplius sit paratus suscipere. Quapropter non ait non reddere malum pro malo, sed non resistere adversus malum; ut non solum non rependas quod tibi fuerat irrogatum, sed etiam non resistas quin aliud irrogetur. hoc enim est quod convenienter exponitur: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, praebere ei et alteram: quod ad misericordiam pertinere maxime sentiunt qui eis quos multum diligunt, serviunt, vel pravis vel phreneticis, a quibus multa saepe patiuntur; et si eorum salus id exigat, praebent se etiam ut plura patiantur. Docet ergo dominus medicus animarum, ut discipuli sui, eorum quorum saluti consulere vellent, imbecillitates aequo animo tolerarent. Omnis namque improbitas ex imbecillitate animi venit; quia nihil innocentius est eo qui in virtute perfectus est.

Augustinus de mendacio. ea vero quae in novo testamento a sanctis facta sunt, valent ad exempla intelligendarum scripturarum, quae in praeceptis digesta sunt, velut cum legimus in evangelio lucae: accepisti alapam etc. Exemplum autem patientiae nullum quam ipsius domini excellentius invenimus; et ipse cum alapa percussus esset, non ait: ecce alteram maxillam, sed ait: si male dixi, exprobra de malo; si

autem bene, quid me caedis? ubi ostendit illam praeparationem alterius maxillae in corde faciendam.

Augustinus de serm. Dom. Paratus enim fuit dominus non solum in alteram maxillam caedi pro salute omnium, sed in toto corpore crucifigi. Quaeri autem potest quid sit dextera maxilla. Sed cum facies sit qua quisque cognoscitur, in faciem caedi, secundum apostolum est contemni ac despici. Sed quoniam facies non potest dici dextera et sinistra, et tamen nobilitas est secundum Deum et secundum saeculum, ita distribuitur tamquam in dexteram maxillam et sinistram, ut in quocumque discipulo christi contemptum fuerit quod christianus est, multo magis in se contemni paratus sit, si quos huiusmodi saeculi honores habet. Omnia autem in quibus improbitatem aliquam patimur, in duo genera dividuntur: quorum unum est quod restitui non potest, alterum quod potest. Sed in illo quod restitui non potest, vindictae solatium quaeri solet. Quid enim prodest quod percussus reperiatur? numquid propterea quod in corpore laesum est restituitur? sed tumidus animus talia fomenta desiderat.

Chrysostomus super Matth. Numquid autem si reperiueris eum, compescuisti eum, ut te non percutiat? sed magis excitasti eum ut adhuc percutiat. Nam iracundia per iracundiam non compescitur, sed amplius irritatur.

Augustinus de serm. dom. Unde dominus potius misericorditer perferendam alterius infirmitatem iudicat, quam alieno supplicio suam mitigandam; neque tamen hic ea vindicta prohibetur quae ad correctionem valet: ipsa enim pertinet ad misericordiam, nec impedit illud propositum quo quisquam paratus est ab eo quem correctum esse vult plura perferre. Requiritur tamen ut et ille vindicet cui ordine rerum potestas data est, et ea voluntate vindicet qua pater in filium parvulum, quem odisse non potest. sancti autem viri nonnulla peccata morte punierunt, quo et viventibus utilis metus incuteretur, et illis qui morte puniebantur non ipsa mors noceret, sed peccatum quod augeri posset si viverent. Inde est quod elias multos morte affecit; de quo cum exemplum cepissent discipuli, reprehendit in eis dominus non exemplum prophetae, sed ignorantiam vindicandi, animadvertens eos non amore correctionis, sed odio desiderare vindictam. Sed postquam eos docuit diligere proximum, infuso etiam spiritu sancto, non defuerunt tales vindictae: nam et verbis petri ananias et uxor eius exanimis ceciderunt; et paulus apostolus tradidit quemdam satanae in interitum carnis; et ideo quidam adversus corporales vindictas quae sunt in veteri testamento, nescio qua caecitate saeviant, quo animo facta sunt, nescientes.

Augustinus ad bonifacium comitem. quis autem mente sobrius regibus dicat: non ad vos pertinet quis velit esse, sive religiosus sive sacrilegus? quibus dici non potest: non ad vos pertinet in regno vestro, quis velit pudicus esse aut impudicus. melius est quidem ad Deum colendum doctrina homines duci, quam poena compelli; multis autem profuit, quod experimentis probavimus, prius dolore vel timore cogi, ut postea possint doceri, aut quod iam verbis didicerant, opere sectari. Sicut enim meliores sunt quos dirigit amor, ita plures sunt quos corrigit timor. Agnoscant in apostolo paulo prius cogentem Christum, et postea docentem.

Augustinus de serm. Dom. tenebitur ergo in hoc iniuriarum genere quod per vindictam luitur, iste modus a christianis: ut accepta iniuria non surgat odium, sed paratus sit animus plura perpeti, nec correctionem negligat qui vel consilio vel auctoritate uti potest.

Hieronymus. Secundum autem mysticos intellectus percussa dextera nostra, non debemus sinistram praebere, sed alteram, hoc est alteram dexteram: iustus enim sinistram non habet. Si nos haereticus in disputatione percusserit, et dextrum dogma voluerit vulnerare, opponatur ei aliud de scripturis testimonium.

Augustinus de serm. Dom. aliud autem iniuriarum genus et quod integrum restitui potest: cuius duae sunt species: una ad pecuniam, altera ad opera pertinet; unde de primo horum duorum subdit et ei qui vult tecum in iudicio contendere et tunicam tuam tollere, dimitte ei et pallium. Sicut ergo quod positum est de percussa maxilla, omnia significat quae sic ingeruntur ab improbis ut restitui non possint nisi vindicta, ita quod positum est de vestimento, omnia significat quae possunt restitui sine vindicta; et hoc etiam ad praeparationem cordis, non ad ostensionem operis praeceptum recte intelligitur. Et quod de tunica et vestimento dictum est, in omnibus faciendum est quae aliquo iure temporaliter nostra esse dicimus. Si enim de necessariis hoc imperatum est, quanto magis superflua contemnere convenit? et hoc ipse signat cum dicit qui vult tecum in iudicio contendere; omnia ergo intelliguntur de quibus in iudicio nobiscum contendere potest. Sed utrum et de servis accipiendum sit, magna quaestio est: non enim christianum oportet sic possidere servum quomodo equum, quamvis fieri possit ut maiori pretio valeat equus quam servus. Sed si servus rectius a te regitur quam ab illo qui eum cupit auferre, nescio utrum quisquam audeat dicere eum ut vestimentum debere contemni.

Chrysostomus super Matth. indigna autem res est ut homo fidelis stet in iudicio ante conspectum iudicis infidelis. Vel si fidelis, certe saecularis, et qui te venerari debuerat propter dignitatem fidei, iudicat te propter necessitatem causae, perdes dignitatem christi propter negotium mundi. Deinde omne iudicium irritatio

cordis est, et cogitationum malarum: nam si videris quod causa tua fraudibus aut pecuniis expugnetur, et similiter tu causae tuae adesse festinas, etsi ab initio hoc consilium non habuisti.

Augustinus enchir. Et ideo prohibuit hic dominus suos de saecularibus rebus cum aliis habere iudicium. Tamen cum apostolus sinit in ecclesia talia iudicia finiri inter fratres, fratribus iudicantibus, extra ecclesiam vero terribiliter vetat; manifestum est quid secundum veniam concedatur infirmis.

Gregorius moralium. Sed tamen quidam dum temporalia nobis rapiunt, solummodo sunt tolerandi; quidam vero sunt servata caritate prohibendi, non sola cura ne nostra subtrahantur, sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. Plus enim ipsis raptoribus debemus metuere quam rebus irrationabilibus defendendis inihiare. Cum autem pro terrena re pax a corde cum proximo scinditur, apparet quod plus res quam proximus amatur.

Augustinus de serm. Dom. tertium vero iniuriarum genus quod ad operam pertinet, ex utroque confectum est et cum vindicta, et sine vindicta potest restitui: nam qui angariat hominem, et cogit se improbe adiuvari ab invito, et poenam improbitatis potest luere, et operam reddere. In hoc ergo genere iniuriarum, dominus docet animum christianum esse patientissimum, et ad plura perferenda paratum; unde subdit et quicumque te angariaverit mille passus, vade cum illo alia duo. Et hoc utique monet non tam ut pedibus agas, quam ut animo sis paratus.

Chrysostomus in Matth. Angariare enim est iniuste trahere et sine ratione vexare.

Augustinus de serm. dom. Sic ergo dictum putamus vade cum illo alia duo, scilicet millia, ut tria compleri voluerit, quo numero significatur perfectio, ut meminerit quisquis hoc facit, perfectam se implere iustitiam; propter quod et tribus exemplis hoc praeceptum insinuavit, et in hoc tertio exemplo, simplo duplum additur, ut triplum compleatur. vel per hoc accipitur quod in praecipiendo tamquam tolerabilius incipiens paulatim creverit; nam primo praeberi voluit alteram maxillam, cum fuerit dextra percussa, ut minus perferre paratus sis quam pertulisti. Deinde illi qui tunicam vult tollere, iubet et pallium dimitti, vel vestimentum, secundum aliam litteram; quod aut tantumdem est, aut non multo amplius. Tertio de mille passibus, quibus addenda dicit duo millia, usque ad duplum perducit. sed quoniam parum est non nocere, nisi et beneficium praestes, consequenter adiungit et dicit qui autem petit a te, da ei.

Chrysostomus super Matth. quia divitiae nostrae non sunt, sed Dei: Deus enim dispensatores divitiarum suarum voluit nos esse, non dominos.

Hieronimus. Sed si de eleemosynis tantum intelligamus, in pluribus pauperibus hoc stare non potest; sed et divites si semper dederint, semper dare non poterunt.

Augustinus de serm. dom. Dicit ergo: omni petenti da, non omnia petenti, ut id des quod dare honeste potes et iuste. Quid enim si pecuniam petat qua innocentem conetur opprimere? quid si stuprum petat? dandum est ergo quod nec tibi nec alteri noceat, quantum ab homine credi potest; et cum negaveris quod petit, indicanda est iustitia, ut non eum inanem dimittas, et aliquando melius aliquid dabis, cum petentem iniuste correxeris.

Augustinus ad vincentium. Utilius enim esurienti panis tollitur, si de cibo securus iustitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, ut vi iniustitiae seductus acquiescat.

Hieronimus. Potest enim intelligi de pecunia doctrinae quae nunquam deficit, sed quanto plus datur, tanto amplius duplicatur.

Augustinus de serm. Dom. quod autem ait et volenti mutuari a te ne avertaris, ad animam referendum est; hilarem enim datorem diligit Deus. mutuatur autem omnis qui accipit, etsi ipse non soluturus sit, quia misericordibus Deus plura restituit. Aut si non placet accipere mutuantem nisi eum qui accipit redditurus, intelligendum est dominum ipsa duo genera praestandi esse complexum: nam aut donamus, aut reddituro commendamus. Recte ergo ad hoc beneficii genus hortando dicit ne avertaris, idest, ne propterea voluntatem alienes, quasi Deus non redditurus sit, cum homo reddiderit: cum enim ex praecepto Dei facis, infructuosum esse non potest.

Chrysostomus super Matth. ergo iubet nos Christus mutuum dare, non tamen sub usuris: quia qui sic dat, non sua dat, sed aliena tollit; de uno vinculo solvit, et multis alligat; et non propter Dei iustitiam dat, sed propter proprium lucrum. Similis est etiam pecunia usuraria aspidis morsui: nam sicut venenum aspidis latenter omnia membra corrumpit, sic usura omnes facultates convertit in debitum.

Augustinus ad marcellinum. Obiciunt autem quidam, quod haec christi doctrina rei publicae moribus nulla ex parte conveniat: nam quis, inquiunt, tolli sibi ab hoste aliquid patiat, vel romanae provinciae depraedatoribus non mala velit belli iure rependere? sunt autem ista praecepta patientiae semper in cordis praeparatione retinenda, ipsaque benevolentia, ne reddatur malum pro malo, semper in voluntate complenda est. Agenda sunt autem multa etiam cum invitis benigna quadam asperitate plectendis; ac per hoc si terrena res publica praecepta christiana custodiat, et ipsa bella sine benevolentia non gerentur, ut ad pietatis iustitiaeque pacatam societatem victis facilius consulatur; nam cui licentia iniquitatis eripitur, utiliter vincitur: quoniam nihil est infelicius felicitate peccantium, qua poenalis nutritur impunitas, et mala voluntas velut hostis interior roboratur.

MATTHAEUS 5,43-47

3543 (Mt 5,43-47)

Glossa. Docuit dominus supra, iniuriam inferenti non esse resistendum, sed ad plura referenda paratum esse; nunc autem ulterius docet iniuriam inferentibus impendendum esse caritatis affectum simul et effectum. Et cum praemissa ad complementum iustitiae legis pertineant, convenienter hoc ultimum rite pertinet ad impletionem caritatis, quae, secundum apostolum, est legis plenitudo. Dicit ergo audistis quia dictum est: diliges proximum tuum.

Augustinus de doctr. Christ. quod autem nullum hominem exceptit qui praecepit proximum diligere, dominus in parabola semivivi relictus ostendit, dicens proximum qui erga illum extitit misericors, ut eum intelligamus proximum cui exhibendum esset misericordiae officium, si indigeret: quod nulli negandum esse, quis non videat? domino dicente benefacite his qui oderunt vos.

Augustinus de serm. Dom. gradum autem esse in pharisaeorum iustitia, quae ad legem veterem pertineret, hinc intelligitur quod multi etiam eos a quibus diliguntur oderunt. Ascendit ergo aliquem gradum qui proximum diligit, quamvis adhuc oderit inimicum; unde ad hoc designandum subditur et odio habebis inimicum tuum: quae vox non est accipienda ut iubentis iusto, sed permittentis infirmo.

Augustinus contra faustum. quaero autem a manichaeis, cur proprium velint esse legis moysi quod dictum est antiquis oderis inimicum tuum. an et paulus non dixit homines quosdam Deo odibiles? quaerendum est ergo quomodo intelligatur exemplo Dei, cui dixit paulus quosdam odibiles, odio habendos inimicos; et rursus exemplo Dei, qui facit solem suum oriri super bonos et malos, diligendos inimicos. Haec itaque regula est qua et oderimus inimicum propter id quod in eo malum est, idest iniquitatem, et diligamus inimicum propter id quod in eo bonum est, idest rationalem creaturam. audito igitur et non intellecto quod antiquis dictum erat oderis inimicum tuum, ferebantur homines in hominis odium, cum non deberent odire nisi vitium. Hos ergo corrigit dominus cum subdit ego autem dico vobis: diligite inimicos vestros; ut qui iam dixerat: non veni solvere legem sed implere, praecipiendo utique ut diligamus inimicos, cogeret nos intelligere quomodo possemus unum eundemque hominem et odire propter culpam, et diligere propter naturam.

Glossa. Sed sciendum est, in toto corpore legis non esse scriptum odio habebis inimicum tuum; sed hoc dicitur quantum ad traditionem scribarum, quibus visum est hoc addendum, quia dominus praecepit filiis israel persequi inimicos et delere amalech de sub caelo.

Chrysostomus super Matth. sicut enim quod dictum est non concupisces, non dictum est ad carnem, sed ad animam, sic in hoc loco caro quidem inimicum suum diligere non potest, anima autem potest: quia dilectio vel odium carnis in sensu est, animae vero in intellectu. Quando ergo nocemur ab aliquo, etsi sentimus odium, non tamen exequi volumus; cognosce quia caro nostra odit inimicum, anima vero diligit.

Gregorius moralium. Inimici autem dilectio tunc veraciter custoditur cum non de profectu deiicimur, nec de ruina illius laetamur. Non enim amat aliquis quem non vult esse meliorem, eumque stantem voto persequitur quem cecidisse gratulatur. Evenire tamen plerumque solet ut, non amissa caritate, et inimici nos ruina laetificet, et rursus eius gloria sine invidiae culpa contristet; cum et redeunte eo quosdam bene erigi credimus, et proficiente illo plerosque iniuste opprimi timemus. Sed ad hoc servandum est discretionis examen, ne cum nostra odia exequimur, fallamur sub specie utilitatis alienae. Oportet etiam pensare quid debemus ruinae peccatoris, et quid iustitiae ferientis; nam cum perversum quemquam omnipotens percutit, et congaudendum est iustitiae iudicis, et condolendum miseriae pereuntis.

Glossa. Qui autem sunt contra ecclesiam, tribus modis ei adversantur: odio, verbis, cruciatu corporis.

Ecclesia contra diligit, unde dicit diligite inimicos vestros; benefacit, unde sequitur benefacite his qui oderunt vos; et orat, unde sequitur et orate pro persecutoribus et calumniatoribus vos.

Hieronymus. Multi praecepta Dei imbecillitate sua, non sanctorum viribus aestimantes, impossibilia putant esse quae praecepta sunt; et dicunt sufficere virtutibus, non odisse inimicos; ceterum diligere plus praecipere quam humana natura patitur. Sciendum est ergo Christum non impossibilia praecipere, sed perfecta; quae fecit David in saul et absalon; stephanus quoque martyr pro lapidantibus deprecatus est, et paulus anathema cupit esse pro persecutoribus suis. Hoc autem iesus et docuit et fecit, dicens: pater, ignosce illis.

Augustinus enchir. Sed perfectorum sunt ista filiorum Dei: quo quidem se debet omnis fidelis extendere, et humanum animum ad hunc affectum, orando Deum secumque luctando, perducere. tamen hoc tam magnum bonum, tantae multitudinis non est, quantam credimus exaudiri, cum in oratione dicitur: dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Augustinus de serm. Dom. Oritur autem hic quaestio, quod huic praecepto domini in quo nos hortatur orare pro inimicis, multae aliae scripturae partes videntur adversae: quia in prophetis inveniuntur multae imprecationes adversus inimicos, ut est illud ps. 108,9: fiant filii eius pupilli. Sed sciendum, quod prophetae solent figura imprecantis futura praedicere. Sed illud magis movet quod dicit iohannes: est autem peccatum ad mortem, non pro illo dico ut oret quis; aperte enim ostendit esse aliquos fratres pro quibus orare nobis non praecipitur, per hoc quod praemittit: si quis scit peccare fratrem suum etc., cum dominus etiam pro persecutoribus nos iubeat orare. Nec ista quaestio solvi potest, nisi fateamur aliqua peccata esse in fratribus, quae inimicorum persecutione sunt graviora. nam et stephanus orat pro eis a quibus lapidatur, quia nondum Christo crediderant; et apostolus paulus non orat pro alexandro, quia frater erat et, per invidiam, fraternitatem oppugnando peccaverat. Pro quo autem non oras, iam non contra illum oras. Sed quid agimus de his contra quos oratum a sanctis accipimus, non ut corrigerentur (nam hoc modo pro ipsis potius oratum est), sed illam ultimam damnationem, non sicut contra domini traditorem per prophetam (nam illa, praedictio futurorum, non optatio supplicii fuit), sed sicut in apocalypsi legimus martyres orare ut vindicentur? sed hinc non oportet moveri. quis enim audeat affirmare utrum contra ipsos homines, an contra regnum peccati petierint? nam ipsa iustitiae et misericordiae vindicta martyrum, ut evertatur regnum peccati, quo regnante tanta perperissi sunt. Destruitur autem partim correctione hominum, partim damnatione perseverantium in peccato. Nonne tibi videtur paulus in seipso stephanum vindicasse cum dicit: castigo corpus meum et in servitutem redigo? .

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam. vel animae occisorum clamant, vindicari se postulantes; sicut sanguis abel clamavit de terra non voce, sed ratione. Nam et opus opificem laudare dicitur per hoc ipsum quod videntem se oblectet; non enim tam impatientes sunt sancti ut urgeant fieri quod sciunt tempore praefinito futurum.

Chrysostomus in Matth. vide autem quot gradus ascendit, et qualiter nos in ipsum virtutis verticem statuit. Primus gradus est non incipere iniuriam; secundus ut iniuriam ulciscens, aequali supplicio sis contentus; tertius non facere vexanti quae quis passus est; quartus exponere seipsum ad patiendum mala; quintus amplius se tribuere quam ille vult qui fecit mala; sextus non odio habere eum qui hoc operatur; septimus diligere; octavus benefacere; nonus pro ipso orare. Et quia magnum erat praeceptum, praeclarum praemium subdit, scilicet fieri similes Deo; unde dicit ut sitis filii patris vestri qui in caelis est.

Hieronymus. Si quis enim praecepta Dei custodiat, filius Dei efficitur; ergo non in natura filius est, hic scilicet de quo loquitur, sed arbitrio suo.

Augustinus de serm. Dom. ex illa autem regula intelligendum est quod hic dicitur, qua et iohannes dicit: dedit eis potestatem filios Dei fieri. unus enim naturaliter filius est; nos autem potestate accepta efficimur filii, in quantum illa quae ab eo praecipuntur implemus. Itaque non ait: facite ista, quia estis filii; sed: facite ista, ut sitis filii. Cum autem ad hoc nos vocat, ad similitudinem suam vocat; unde sequitur qui solem suum facit oriri super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos. potest autem per solem intelligi non iste visibilis, sed ille de quo dicitur: vobis qui timetis nomen domini, orietur sol iustitiae, et per pluviam irrigatio doctrinae veritatis, quia et bonis et malis apparuit et evangelizatus est Christus.

Hilarius in Matth. Vel in baptismi et spiritus sacramento tribuit solem et pluviam.

Augustinus de serm. dom. Vel potest accipi sol iste visibilis, et pluvia qua fructus gignuntur: quia iniqui in libro sapientiae plangunt: sol non ortus est nobis. Et de pluvia spirituali dicitur: mandabo nubibus meis ne pluant super eam. Sed sive hoc sive illud, magna Dei bonitate fit, quae nobis imitanda praecipitur. Non autem solum ait qui facit solem oriri, sed addidit suum, id est quem ipse fecit; ut hinc admoneremur quanta liberalitate ex praecepto eius praestare debemus quod non creamus, sed ex muneribus eius accipimus.

Augustinus ad vincentium. sed sicut ista dona eius laudamus, ita etiam flagella in eos quos diligit cogitemus. unde non omnis qui parcat, amicus est, nec omnis qui verberat, inimicus; melius est enim cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere.

Chrysostomus super Matth. Cautè autem dixit super iustos et iniustos, non super iustos ut iniustos: quia omnia bona Deus non propter homines dat, sed propter sanctos, sicut et flagella propter peccatores; sed in nobis non separat peccatores a iustis, ne desperent; nec in malis iustos a peccatoribus, ne gloriantur; maxime cum malis bona non prosint quae male viventes ad praeiudicium suum percipiunt; nec bonis mala noceant, sed magis prosint ad iustitiae lucrum.

Augustinus de Civ. Dei. Nam bonus temporalibus bonis non extollitur, nec malis frangitur. malus autem ideo huiusmodi infelicitate punitur, quia felicitate corrumpitur. vel ideo ista temporalia bona et mala utrisque voluit esse communia, ut nec bona cupidius appetantur, quae mali habere cernuntur, nec mala turpiter evitentur, quibus et boni afficiuntur.

Glossa. Amare autem amantem, naturae est; inimicum vero amare est caritatis; et ideo sequitur si enim diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis, scilicet in caelo? nullam: de his enim dicitur: recepistis mercedem vestram. Sed tamen haec oportet facere, illa non omittere.

Rabanus. Si ergo peccatores erga dilectores suos natura duce volunt esse benefici, multo magis vos maioris dilectionis signo amplecti debetis etiam non amantes; unde sequitur nonne et publicani hoc faciunt? idest qui publica vectigalia exigunt, vel qui publica negotia saeculi vel lucra sectantur.

Glossa. Si vero pro his tantum oraveritis qui aliqua affinitate vobis coniuncti sunt, quid amplius habet beneficium vestrum quam infidelium? unde sequitur et si salutaveritis fratres vestros tantum, quid amplius facitis? salutatio enim est quaedam species orationis. Nonne et ethnici hoc faciunt? **Rabanus.** Idest gentiles: nam ethnos graece, latine gens dicitur, qui tales sunt ut fuerunt geniti, scilicet sub peccato.

Remigius. quia vero perfectio dilectionis ultra dilectionem inimicorum non potest procedere, ideo postquam dominus praecepit diligere inimicos, subiunxit estote ergo et vos perfecti, sicut et pater vester caelestis perfectus est. Ipse quidem perfectus est ut omnipotens, homo autem ut ab omnipotente adiutus: nam sicut quandoque in scripturis pro veritate et aequalitate accipitur, ut ibi: sicut fui cum moyse, ita ero et tecum; aliquando autem pro similitudine, ut hic.

Chrysostomus super Matth. sicut enim filii carnales simulant patres in aliquo corporis signo, ita filii spirituales Deum in sanctitate.

MATTHAEUS 6,1

3601 (Mt 6,1)

Glossa. Postquam Christus legem quantum ad praecepta implevit, incipit nunc eam adimplere quantum ad promissa, ut pro caelesti mercede praecepta Dei faciamus, non pro terrenis quae lex promittebat. omnia autem terrena ad duo potissima reducuntur: scilicet ad humanam gloriam, et ad terrenorum affluentiam; quorum utrumque in lege promissum esse videtur. De gloria enim dicitur in deuteronomio: faciet te dominus excelsiorem cunctis gentibus quae versantur in terra. De affluentia vero temporalium ibidem subditur: abundare te faciet dominus in omnibus bonis. Et ideo dominus haec duo ab intentione fidelium excludit, scilicet gloriam et terrenorum affluentiam. Sed sciendum quod appetitus gloriae propinquus est virtuti.

Chrysostomus super Matth. ubi enim res agitur gloriosa, ibi facilius invenit locum gloriationis occasio; et ideo intentionem gloriae primo dominus excludit: prae omnibus enim vitiis carnalibus periculosius hoc esse in hominibus intellexit: cum enim omnia mala servos diaboli vexent, concupiscentia vanae gloriae magis vexat servos Dei quam servos diaboli. prosper in libro sentent. August. quas etiam vires nocendi habeat humanae gloriae amor, non sentit nisi qui ei bellum indixerit: quia etsi cuiquam facile est laudem non cupere dum negatur, difficile tamen est ea non delectari cum offertur.

Chrysostomus super Matth. intueri autem qualiter incepit velut de fera aliqua difficile cognita disputans, et apta furari eum qui non valde vigilat: occulte enim ingreditur, et omnia quae intus sunt, insensibiliter aufert.

Chrysostomus in Matth. Et ideo hoc cautius cavendum mandat dicens attendite ne iustitiam vestram

faciatis coram hominibus. Cor autem nostrum attendere debemus: invisibilis enim est serpens quem observare iubemur, et latenter ingreditur et seducit. Sed in corde mundo si surreptio inimici successerit, mox homo iustus discernit quia spiritu alieno pulsatur; si autem cor fuerit iniquitatibus plenum, suggestionem diaboli non facile intelligit; et ideo praemisit ne irascaris, ne concupiscas: quia qui malis istis subiectus est, cor suum non potest attendere. sed quomodo potest fieri ut non coram hominibus eleemosynam faciamus? aut si fiat, quomodo non sentiemus? si enim praesente aliquo occurrerit pauper, quomodo dabitur ei absconse? sed educendo eum in secreto, videtur quia datur. Sed considera, quia non dixit: ne tantum coram hominibus faciatis; sed addidit ut videamini ab eis. Qui ergo non ideo facit ut ab hominibus videatur, etsi coram hominibus fecerit, non tamen coram hominibus fecisse videtur: qui enim aliquid facit propter Deum, neminem videt in corde suo nisi Deum propter quem facit; sicut artifex eum semper habet prae oculis qui sibi opus faciendum commisit.

Gregorius moralium. si ergo dantis gloriam quaerimus, et publicata nostra opera in conspectu illius occulta servamus; si vero per hoc nostram laudem concupiscimus, foras ab eius conspectu iam fusa sunt, etiam si a multis ignorentur. Sed valde perfectorum est, sic ostenso opere, auctoris gloriam quaerere, ut de illata laude, privata nesciant exultatione gaudere, quam infirmi quia perfecte contemnendo non superant, necesse est ut bonum quod operantur, abscondant.

Augustinus de serm. Dom. In hoc vero quod dicit ut videamini ab eis, nihil addens, apparet hoc eum prohibuisse ut ibi finem nostri propositi colloceamus. Nam et apostolus qui dicit: si adhuc hominibus placerem, christi servus non essem, alio loco dicit: ego omnibus per omnia placeo. Quod non ideo facit ut placeret hominibus, sed Deo, ad cuius amorem corda hominum volebat convertere ex eo quod eis placebat; sicut non absurde loqueretur qui diceret: in hoc opere quo navem quaero, non navem quaero, sed patriam.

Augustinus de serm. Dom. dicit autem ut videamini ab eis, quia sunt quidam qui sic faciunt iustitiam coram hominibus ut non videantur ab eis, sed ut ipsa opera videantur, et glorificetur pater qui in caelis est: non enim suam iustitiam deputant, sed eius cuius fide vivunt.

Augustinus de serm. Dom. In hoc etiam quod addit alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum qui in caelis est, nihil aliud demonstrat, nisi illud, nos cavere oportere ne humanam laudem pro nostrorum operum mercede quaeramus.

Chrysostomus super Matth. quid autem a Deo recipies qui Deo nihil dedisti? nam quod propter Deum fit, Deo datur, et ab eo recipitur; quod autem propter homines fit, in ventos effunditur. Quae est autem sapientia res dare, et verba vacua comparare, et mercedem Dei contemnere? vel illum aspice a quo laudem expectas, qui te propter Deum facere putat; alioquin vituperaret te magis. Ille autem qui plena quidem voluntate propter homines facit, ille propter homines fecisse videtur. Si autem per alicuius cor cogitatio vana ascendit, desiderans hominibus apparere, anima autem intelligens contradicit, ille non propter homines fecisse videtur: quia quod cogitavit, passio carnis est; quod elegit, iudicium animae.

MATTHAEUS 6,2-4

3602 (Mt 6,2-4)

Augustinus de serm. Dom. generaliter supra dominus iustitiam nominavit cum dixit: attendite ne iustitiam etc.; nunc autem per partes exequitur.

Chrysostomus super Matth. ponit autem tria fortia bona, scilicet eleemosynam, orationem et ieiunium, contra tria mala adversus quae dominus tentationis bellum suscepit: pugnavit enim pro nobis contra gulam in eremo, contra avaritiam supra montem, contra vanam gloriam supra templum. Est ergo eleemosyna quae dispergit, contra avaritiam quae congregat; ieiunium contra gulam, quia ei contrarium; oratio vero contra vanam gloriam, quia cum omne malum ex malo nascatur, sola vana gloria de bono procedit: ideo non destruitur per bonum, sed magis nutritur: nullum ergo remedium potest esse contra vanam gloriam nisi oratio sola.

Ambrosius. omnis autem sententia disciplinae christianae in misericordia et pietate est; et ideo ab eleemosyna incipit, dicens cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere ante te.

Chrysostomus super Matth. tuba autem est omnis actus vel sermo per quem operis iactantia demonstratur; puta, qui facit eleemosynam quando aliquem videt praesentem vel intercedente aliquo, aut honestiori personae quae potest retribuere; alias autem non facit. Sed et si in loco secreto fecerit eo

proposito ut laudabilis videatur, tuba est.

Augustinus de serm. Dom. sic ergo quod dicit noli tuba canere ante te, ad hoc respicit quod superius ait attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.

Hieronymus in Matth. Qui autem tuba canit eleemosynam faciens, hypocrita est; et ideo subdit sicut hypocritae faciunt.

Isidorus etymolog. Nomen hypocritae tractum est a specie eorum qui in spectaculis contacta facie incedunt, distinguentes vultum vario colore, ut ad personae, quam simulant, colorem perveniant, modo in specie viri, modo in feminae, ut fallant populum dum in ludis agunt.

Augustinus de serm. Dom. Sicut ergo hypocritae, idest simulatores, tamquam imitatores personarum aliarum, agunt partes illius quod non sunt - non enim qui agit partes agamemnonis, vere ipse est, sed simulat eum -, sic et in ecclesiis in omni vita humana quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est: simulat enim se iustum et non exhibet, qui totum fructum in laude hominum ponit.

Glossa. Et ideo subdit loca publica, cum dicit in synagogis et vicis; et finem intentum cum subdit ut honorificentur ab hominibus.

Gregorius moralium. sciendum vero est, quod sunt nonnulli qui et sanctitatis habitum tenent, et perfectionis meritum exequi non valent; quos nequaquam credendum est inter hypocritarum numerum currere: quia aliud est infirmitate, aliud callida simulatione peccare.

Augustinus. tales autem qui simulatione peccant, ab inspectore cordis Deo mercedem non capiunt, nisi fallaciae supplicium; et ideo subditur amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

Hieronymus. Non Dei mercedem, sed suam: laudati enim sunt ab hominibus, quorum causa exercuere virtutes.

Augustinus de serm. Dom. hoc autem respicit ad illud quod supra posuit alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum. Sic ergo non quomodo illi eleemosynam facias, sed quomodo facienda sit, iubet convenienter, cum dicit te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.

Chrysostomus in Matth. Hoc autem per superabundantiam dicitur, ac si dicat: si possibile est te ipsum ignorare, et ipsas manus latere possibile esset, studiosissimum est tibi.

Chrysostomus super Matth. Apostoli autem interpretantur in libro canonum sic: dextera est populus christianus, qui est ad dexteram christi; sinistra autem est omnis populus, qui est ad sinistram. Hoc ergo dicit, ne christiano eleemosynam faciente, qui est dextera, infidelis aspiciat, qui est sinistra.

Augustinus de serm. dom. Sed secundum hoc videbitur nulla esse culpa velle placere fidelibus, cum tamen in quorumlibet hominum laude finem boni operis constituere prohibeamur. ut autem te imitentur quibus facta tua placuerint, non tantum fidelibus, sed etiam infidelibus exhibendum est. Si autem (ut alii dicunt). sinistram inimicum putaveris, ut nesciat inimicus tuus cum eleemosynam facis, cur ipse dominus inimicis iudaeis circumstantibus misericorditer sanavit homines? deinde quomodo cum ipso inimico faciemus, ut illud impleamus praeceptum: si esurierit inimicus tuus, ciba illum? tertia opinio est ridenda eorum qui dicunt, sinistrae nomine uxorem significari; ut quoniam in re familiari tenaciores pecuniarum solent esse feminae, lateat eas cum aliquid viri alienis impendunt, propter domesticas lites. Non autem solis viris hoc praeceptum datum est, sed etiam feminis; cui ergo sinistrae iubetur femina occultare opus misericordiae suae? an etiam vir sinistra erit feminae? quod si quispiam putat, cum praeceptum sit talibus, ut se invicem bonis moribus lucrifaciant, non sibi debent occultare bona opera sua: nec furta facienda sunt ut promereatur Deus. Quod si occultandum est aliquid quamdiu alterius infirmitas id aequo animo non potest sustinere, quamvis non illicite fiat, non tamen femina per sinistram significari facile apparet totius capituli significatione; et etiam quam sinistram vocet. Quod enim in hypocritis culpatum est, quod scilicet laudes hominum quaerunt, hoc tu facere vetaris; quapropter sinistra videtur significare delectationem laudis, dextera autem significat intentionem implendi praecepta divina. cum ergo conscientiae facienti eleemosynam miscet se appetitio laudis humanae, fit sinistra conscientia dexterae. Nesciat ergo sinistra, idest, non se misceat conscientiae tuae laudis humanae appetitio. dominus autem noster multo magis prohibet solam sinistram in bonis operari, quam eam miscere operibus dexterae. quo autem fine hoc dixerit, ostendit cum subdit ut sit eleemosyna vestra in abscondito, idest in ipsa bona conscientia, quae humanis oculis demonstrari non potest, nec verbis aperiri, quandoquidem multi multa mentiuntur. Sufficit autem tibi ad promerendum praemium ipsa conscientia, si ab eo expectas praemium qui solus conscientiae inspector

est. Et hoc est quod subditur et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi. Multa latina exemplaria habent reddet tibi palam.

Chrysostomus super Matth. impossibile est enim ut opus bonum hominis in abscondito dimittat Deus; sed in hoc saeculo manifestat, et in illo glorificat, quia gloria Dei est; sicut et diabolus manifestat malum, in quo malitiae eius virtus ostenditur. Proprie autem publicat Deus omne bonum in saeculo illo cuius bona non sunt communia bonis et malis; ideo cuicumque illic bene fecerit Deus, manifestum est quia pro mercede iustitiae suae meruit illud. Merces autem iustitiae in hoc saeculo manifesta non est; quia hic non solum boni, sed etiam mali sunt divites.

Augustinus de serm. Dom. sed in graecis exemplaribus, quae propria sunt, non invenimus palam.

Chrysostomus in Matth. Si ergo vis habere inspectores eorum quae facis, ecce habes non solum angelos aut archangelos, sed Deum universorum.

MATTHAEUS 6,5-6

3605 (Mt 6,5-6)

Chrysostomus super Matth. Salomon dicit: ante orationem praepara animam tuam. Quod quidem facit qui faciens eleemosynam venit ad orationem: bona enim opera excitant fidem cordis et dant confidentiam animae apud Deum orandi. ergo eleemosyna praeparatio est orationis, et idem dominus post eleemosynam convenienter de oratione nos instruit.

Augustinus de serm. Dom. Non autem hoc monet nunc ut oremus, sed quomodo oremus; sic nec superius ut faciamus eleemosynam, sed quo animo faciamus.

Chrysostomus super Matth. est autem oratio quasi quoddam spiritale tributum, quod anima offert Deo de visceribus suis. Quanto ergo gloriosior est, tanto cautius est servanda, ne propter homines facta vilescat; et ideo dicit cum oratis, non eritis sicut hypocritae.

Chrysostomus in Matth. hypocritas vocat, qui Deum se fingentes orare, homines circumspiciunt; et ideo subdit qui amant in synagogis orare.

Chrysostomus super Matth. puto autem quod non ad locum hoc refert dominus, sed ad propositum orantis: in conventu enim fidelium orare laudabile est, sicut dictum est: in ecclesiis benedicite Deum. Qui ergo sic orat ut ab hominibus videatur, non Deum aspicit, sed homines; et ideo quantum ad propositum suum in synagoga orat. Cuius autem orantis mens solum aspicit Deum, quamvis in synagoga oret, tamen apud se in secreto videtur orare. sequitur et in angulis platearum, ut videantur absconse orare; et sic dupliciter laudantur: et quia orant, et quia absconse orant.

Glossa. Vel anguli platearum sunt ubi via per transversum viae ducitur et quadrivium reddit.

Chrysostomus super Matth. Eo ergo proposito in conventu vetat orare, ut a conventu videatur; unde subditur ut videantur ab hominibus. Orans ergo nihil novum faciat quod aspiciant homines, vel clamando, vel pectus percutiendo, vel manus extendendo.

Augustinus. non autem videri ab hominibus nefas est, sed ideo hoc agere ut ab hominibus videaris.

Chrysostomus in Matth. a vana enim gloria ubique erui bonum est, maxime autem in oratione; si enim in hoc cogitationibus circumferimur, si ad orandum ingressi fuerimus hanc habentes aegritudinem, qualiter intelligemus ea quae a nobis dicuntur? .

Augustinus. sic etiam fugienda est hominum scientia, si hoc animo aliquid fiat ut fructus expectetur placendi hominibus; unde subditur amen dico vobis, receperunt mercedem suam.

Chrysostomus super Matth. Unusquisque enim ubi seminat, ibi metit: unde qui propter homines orant, non propter Deum, ab hominibus, non a Deo laudantur.

Chrysostomus in Matth. Dicit autem receperunt, quia Deus retributionem quae est ab ipso, tribuere vellet; illi autem eam quae est ab hominibus, usurpant. quomodo autem orandum sit, subiungit dicens tu autem

cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito.

Hieronymus. Hoc simpliciter intellectum erudit auditorem, ut vanam orandi gloriam fugiat.

Chrysostomus super Matth. ut nemo sit ibi nisi ille qui orat: testis enim orantem gravat, non adiuvat. cyprianus de orat. Domin. in abditis etiam locis orare magis convenit fidei, ut sciamus dominum ubique esse praesentem et maiestatis suae plenitudine occulta penetrare. Possumus etiam intelligere per ostium domus, os corporis, ut non clamosa voce oremus Deum, sed tacito corde, propter tria: primo, quia Deus non voce clamosa pulsandus est, sed conscientia recta placandus, quia est cordis auditor; secundo, quia secretas orationes tuas non oportet alterum scire, nisi te et Deum; tertio, quia clamose orans, alterum iuxta te non permittis orare. Cassianus collat. cum summo etiam est orandum silentio, ut ipsos quoque inimicos nostros, qui orantibus nobis maxime insidiantur, lateat nostrae petitionis intentio.

Augustinus. vel per cubacula nostra sunt intelligenda corda nostra, de quibus dicitur: quae dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini. ostium est carnalis sensus; foris sunt omnia temporalia, quae per sensum cogitationes nostras penetrant, et turba vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. .

Cyprianus. quae autem segnitia est alienari et capi ineptis cogitationibus et profanis, cum dominum deprecaris, quasi sit aliud quod magis debeas cogitare quam quod cum Deo loquaris? quomodo te audiri a Deo postulas, cum teipsum non audias? hoc est ab hoste non cavere, hoc est Deum negligentia orationis offendere.

Augustinus. Claudendum est ergo ostium, idest carnali sensui resistendum, ut oratio spiritualis dirigatur ad patrem, quae fit in intimis cordis, ubi oratur pater in abscondito; unde sequitur et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Remigius. Et est sensus: sufficiat tibi ut ille solus noverit tuam orationem qui omnium corda novit occulta, quia ipse qui est inspector, erit exauditor.

Chrysostomus in Matth. Non autem dixit: gratis dabit, sed reddet tibi; etenim debitorem seipsum tibi constituit.

MATTHAEUS 6, 7-8

3607 (Mt 6,7-8)

Augustinus de serm. Dom. Sicut hypocritarum est praebere se spectandos in oratione, quorum fructus est placere hominibus, ita est ethnicorum, idest gentilium, in multiloquio se putare exaudiri; et ideo subditur orantes autem nolite multum loqui. cassianus collat. Frequenter enim, sed breviter est orandum, ne immorantibus nobis, inferre aliquid nostro cordi insidiator possit inimicus.

Augustinus ad Probam. Non tamen, ut quidam putant, hoc est orare in multiloquio, si diutius oretur. Aliud est sermo multus, aliud diuturnus affectus. Nam et de ipso domino scriptum est, quod pernoctaverit in orando et prolixius oraverit, ut nobis praeberet exemplum. Dicuntur fratres in aegypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, et raptim quodammodo iaculatas, ne illa violenter erepta, quae oranti plurimum est necessaria, per productiores moras hebetetur intentio; ac per hoc ipsi satis ostendunt hanc intensionem sicut non est obtundenda si perdurare non potest, ita si perduraverit, non cito esse rumpendam. Absit autem ab oratione multa locutio; sed non desit multa precatio, si fervens perseverat intentio: nam multum loqui est in orando rem necessariam superfluis agere verbis. multum autem precari, est eum quem precamur diuturna cordis excitatione pulsare: nam plerumque hoc negotium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu.

Chrysostomus in Matth. dissuadet igitur per hoc inanem locutionem in orando; puta cum non petimus decentia a Deo, sed potentatus et glorias, inimicos superare, et pecuniarum abundantiam. Iubet ergo hic non longas orationes facere. Longas autem dico non tempore, sed multitudine eorum quae dicuntur. Perseverare tamen oportet eos qui petunt. Orationi enim ait apostolus, instantes; non tamen iubet decem millium versuum orationem componere, et corde tenus enuntiare; quod occulte insinuat, cum dixit nolite multum loqui.

Glossa. Damnat autem multiloquium orationis veniens de infidelitate; unde sequitur sicut ethnici faciunt. gentilibus enim erat necessaria verborum multiplicitas, propter daemones, qui nesciebant quid illi peterent,

nisi illorum verbis instructi; unde sequitur putant enim quod in multiloquio suo exaudiantur.

Augustinus de serm. Dom. Et revera omne multiloquium a gentilibus venit, qui exercendae linguae potius quam mundando animo dant operam, et hoc studii genus, etiam ad Deum prece flectendum transferre conantur.

Gregorius, moralium. sed veraciter orare est amarus in compunctione gemitus, et non composita verba resonare; et ideo subditur nolite ergo assimilari eis.

Augustinus. si enim verba multa ad id proferuntur ut instruatur ignarus, quid eis opus est ad rerum omnium conditorem? unde sequitur scit enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum.

Hieronymus. consurgit autem in hoc loco quaedam haeresis philosophorum quorundam, dogma perversum dicentium: si novit Deus quid oremus, et antequam petamus scit quo indigemus, frustra scienti loquimur. Quibus respondendum est, non narratores esse, sed rogatores. Aliud est enim narrare ignorantem, aliud scientem petere.

Chrysostomus in Matth. non ergo oras ut doceas, sed flectas; ut familiaris efficiaris continuitate interpellationis; ut humiliaris; ut rememoraris peccatorum tuorum.

Augustinus. nec etiam verbis nos agere debemus apud Deum, ut impetremus quod volumus, sed rebus quas animo gerimus, et intentione cogitationis, cum dilectione pura et supplici affectu.

Augustinus ad Probam. sed ideo per certa intervalla temporum etiam verbis rogamus Deum, ut illis rerum signis nos ipsos admoneamus, quantumque in hoc desiderio profecerimus nobisipsis innotescamus, et ad hoc augendum nosipsos acrius excitemus, ne variis curis quod tepescere coeperat, omnino frigescat, et penitus extinguatur nisi crebrius inflammetur. Nobis ergo necessaria sunt verba quibus commoveamur et inspiciamus quid petemus, non quibus dominum seu docendum seu flectendum esse credamus.

Augustinus de serm. Dom. sed rursus quaeri potest, sive rebus sive verbis orandum sit, quid opus sit ipsa oratione, si Deus iam novit quid nobis necessarium sit, nisi quia ipsa orationis intentio cor nostrum serenat et purgat, capaciusque efficit ad excipienda divina munera, quae spiritualiter nobis infunduntur. non enim ambitione precum nos exaudit Deus, qui semper paratus est dare suam lucem; sed nos non semper parati sumus accipere, cum inclinamur in alia. fit ergo in oratione conversio corporis ad Deum et purgatio interioris oculi, cum ea quae cupiebantur, temporaliter excluduntur, ut acies cordis simplicis ferre possit simplicem lucem, et in ea manere cum gaudio, quo beata vita perficitur.

MATTHAEUS 6,9

3609 (Mt 6,9)

Glossa. Inter salutaria monita et divina quibus consuluit credentibus, formam orandi proposuit, et orationes composuit brevibus verbis, ut sit fiducia cito annuendi, quod breviter vult rogari; unde dicit pater noster qui es in caelis. .

Cyprianus de orat. Domin. Qui fecit vivere, docuit et orare: ut dum oratione quam filius docuit, apud patrem loquimur, facilius audiamur. Amica et familiaris oratio est dominum de suo rogare. Agnoscat pater filii sui verba, cum precem facimus; et cum ipsum habeamus advocatum apud patrem pro peccatis nostris, quando peccatores pro delictis nostris petimus, advocati nostri verba promamus.

Glossa. non tamen his solis verbis oratur, sed et aliis sub eodem sensu conceptis, quibus cor nostrum accenditur.

Augustinus de serm. Dom. Cum autem in omni deprecatione benevolentia concilianda sit eius quem deprecamur, deinde dicendum quid deprecemur. Per laudem illius ad quem oratio dirigitur, solet benevolentia conciliari; et hoc in orationis principio poni solet: in quo dominus noster nihil aliud nos dicere iussit, nisi pater noster qui es in caelis. Multa quidem dicta sunt in laudem Dei; nusquam tamen invenitur praeceptum populo israel, ut dicerent pater noster; sed est eis insinuat us ut dominus tamquam servus. Sed de populo christiano apostolus dicit quod spiritum adoptionis accepit, in quo clamamus abba pater, quod non est meritorum nostrorum, sed gratiae, quam in oratione ponimus, cum dicimus pater. Quo nomine et caritas excitatur: quid enim carius debet esse filiis quam pater? et supplex affectus, cum homines dicunt

Deo pater noster; et quaedam impetrandi praesumptio: quid enim non det filiis petentibus, cum hoc ipsum ante dederit ut filii essent? postremo quanta cura animum tangit, ut qui dicit pater noster, tanto patre non sit indignus? admonentur etiam hinc divites, vel genere nobiles, cum facti fuerint christiani, non superbire adversus pauperes vel ignobiles, quoniam simul dicunt Deo pater noster; quod non possunt pie ac vere dicere, nisi se fratres esse cognoscant.

Chrysostomus in Matth. Quod enim nocumentum est ex inferiori cognatione, cum secundum superiorem omnes simul copulati? qui etiam patrem dixit, et peccatorum remissionem et adoptionem et hereditatem et fraternitatem, quae est ad unigenitum, et spiritus largitionem per unam hanc confessus est nuncupationem. non enim possibile est vocare Deum patrem, nisi eum qui est omnibus istis bonis potitus. Dupliciter orantium igitur erigit sensum: et dignitate eius qui invocatur, et magnitudine beneficiorum, quibus orans potitus est. .

Cyprianus de orat. Domin. non autem dicimus pater meus, sed pater noster, quia pacis et unitatis magister noluit sigillatim et privatim precem fieri, ut qui eum precatur, pro se tantum precetur. Publica enim est nobis et communis oratio; et quando oramus, non pro uno tantum, sed pro populo toto oramus, quia totus populus unum sumus. sic enim unum orare pro omnibus voluit, quomodo in uno omnes ipse portavit.

Chrysostomus super Matth. pro se enim orare necessitas cogit, pro altero autem caritas fraternitatis hortatur. Dulcior autem est ante Deum oratio non quam necessitas transmittit, sed quam caritas fraternitatis commendat.

Glossa. Dicitur etiam pater noster, quod commune est omnibus: non pater meus quod soli Christo convenit, qui est filius per naturam.

Chrysostomus super Matth. addit autem qui es in caelis, ut sciamus nos habere patrem caelestem, et erubescant se terrenis rebus substernere qui patrem habent in caelis. cassianus collat. Et ut ad illam regionem in qua patrem nostrum commorari fatemur, summo desiderio properemus.

Chrysostomus in Matth. In caelis ergo cum dicit, non illic Deum concludens, hoc ait, sed a terra abducens orantem et excelsis regionibus affigens.

Augustinus de serm. Dom. Vel dicitur esse in caelis, id est in sanctis et iustis; non enim spatio locorum continetur Deus. sunt quidem caeli excellentia mundi corpora; et si in eis locus Dei esse credatur, melioris meriti sunt aves, quarum vita est Deo vicinior. Non autem est scriptum: prope est dominus excelsis hominibus, aut eis qui in montibus habitant; sed contritis corde. Sed sicut terra appellatur peccator, cui dictum est: terra es, et in terram ibis, sic caelum iustus e contrario dici potest. Recte ergo dicitur qui es in caelis: tantum enim spiritualiter interesse videtur inter iustos et peccatores, quantum corporaliter inter caelum et terram. Cuius rei significandae gratia orantes ad orientem convertimur, unde caelum surgit; non tamquam Deus ibi sit, ceteras mundi deserens partes, sed ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem se convertere, id est ad Deum, cum corpus eius, quod terrenum est, ad corpus excellentius, id est ad corpus caeleste, convertatur. Convenit etiam ut omnium sensibus et parvulorum et magnorum bene sentiatur de Deo; et ideo qui nondum possunt incorporeum cogitare, tolerabilior est illorum opinio, si Deum in caelo potius esse credant quam in terra.

Augustinus de serm. Dom. dictum est quis sit qui petitur et ubi habitat; iam videamus quae sint petenda. primum autem omnium quae petuntur hoc est: sanctificetur nomen tuum: quod non sic petitur quasi non sit sanctum Dei nomen, sed ut sanctum habeatur ab hominibus; id est, ita innotescat Deus ut non aestimetur aliquid sanctius.

Chrysostomus in Matth. Vel rogare iubet orantem, Deum per nostram glorificari vitam; ac si dicat: ita fac nos vivere ut per nos universa te glorificent. sanctificetur enim idem est quod glorificetur. digna est autem Deum deprecantis oratio, nihil petere ante patris gloriam, sed omnia eius laudi postponere.

Chrysostomus super Matth. Vel aliter. Non optamus Deo ut sanctificetur orationibus nostris, sed ut nomen eius sanctificetur in nobis. Quia enim ipse dixit: sancti estote, quia ego sanctus sum, id petimus et rogamus, ut qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod esse coeperimus perseveremus.

Augustinus de bono persev. cur autem perseverantia ista poscitur a Deo, si, ut pelagiani dicunt, non datur a Deo? an et ista irrisoria petitio est, cum id ab eo petitur quod scitur non ipsum dare, sed ipso non dante esse in hominis potestate praestare? cyprianus de orat. Domin. Et hoc etiam ut sanctificemur, quotidie deprecamur: opus enim est nobis continua sanctificatione, ut qui quotidie delinquimus, delicta nostra sanctificatione assidua purgemus.

MATTHAEUS 6,10

3610 (Mt 6,10)

Glossa. Congrue sequitur ut post adoptionem filiorum, regnum petamus, quod filiis debetur; unde sequitur adveniat regnum tuum.

Augustinus de serm. dom. Quod non ita dictum est, quasi nunc non regnet etiam in terra, semperque in ea regnaverit. Adveniat ergo accipiendum est ut manifestetur hominibus. nulli autem licebit ignorare regnum Dei, cum eius unigenitus non solum intelligibiliter, sed etiam visibiliter venerit iudicare vivos et mortuos. Tunc autem esse futurum iudicii diem dominus docet, cum evangelium praedicatum fuerit in omnibus gentibus; quae res pertinet ad sanctificationem nominis Dei.

Hieronymus. Vel generaliter pro totius mundi petit regno, ut diabolus in mundo regnare desistat; vel ut in unoquoque regnet Deus, et non regnet peccatum in mortali hominum corpore.

Chrysostomus super Matth. vel nostrum regnum petimus advenire a Deo nobis repromissum et christi sanguine acquisitum; ut qui in saeculo ante servivimus, postmodum Christo dominante regnemus.

Augustinus ad Probam. regnum namque Dei veniet, sive velimus sive nolimus. Sed desiderium nostrum ad illud regnum excitamus, ut nobis veniat, atque in eo regnemus. cassianus collat. Vel quia novit sanctus testimonio conscientiae suae, cum apparuerit regnum Dei, eius se futurum esse consortem.

Hieronymus attendendum autem quod grandis audaciae sit et purae conscientiae postulare regnum Dei, et iudicium non timere. cyprianus de orat. Domin. Potest etiam et ipse Christus esse regnum Dei, quem venire quotidie cupimus, cuius adventus ut cito nobis repraesentetur optamus; nam cum resurrectio ipse sit, quia in ipso resurgimus, sic et regnum Dei potest intelligi, quia in illo regnaturi sumus. Bene autem regnum Dei petimus, idest caeleste, quia est et terrestre regnum. Sed qui renuntiavit iam saeculo, maior est etiam honoribus eius et regno; et ideo qui se Deo et Christo dedicat, non terrena, sed caelestia regna desiderat.

Augustinus de bono persev. cum autem petitur adveniat regnum, quid orant qui iam sancti sunt, nisi ut in ea sanctitate quae iam illis data est perseverent? neque enim aliter veniet Dei regnum, quod his qui perseverant usque in finem, certum est esse venturum.

Augustinus de serm. Dom. in illo beatitudinis regno vita beata perficietur in sanctis, sicut nunc in caelestibus angelis. Et ideo post illam petitionem qua dicimus adveniat regnum tuum, sequitur fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra; idest, sicut in angelis, qui sunt in caelo, voluntas tua fit, ut te perfruantur, nullo errore obnubilante eorum sapientiam, nulla miseria impediante eorum beatitudinem, ita fiat in sanctis tuis, qui in terra sunt, et de terra, quantum ad corpus attinet, facti sunt. Item fiat voluntas tua, recte intelligitur, obediatur praeceptis tuis: sicut in caelo, et in terra; idest, sicut ab angelis, ita ab hominibus: non quod ipsi faciant ut velit Deus, sed quia faciunt quod ille vult; idest, faciunt secundum voluntatem eius.

Chrysostomus in Matth. vide autem consequentiam optimam: quia enim concupiscere docuit caelestia per hoc quod dictum est adveniat regnum tuum, antequam ad caelum perveniatur, ipsam terram iussit fieri caelum, per hoc quod dicit fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra.

Hieronymus. Erubescant autem ex hac sententia qui quotidie ruinas in caelo fieri mentiuntur.

Augustinus de serm. dom. Vel sicut in caelo et in terra, idest, sicut in iustis, ita in peccatoribus; tamquam si diceret: sicut faciunt voluntatem tuam iusti, etiam peccatores, ut ad te convertantur, sive, ita ut sua cuique tribuantur, quod fiet in extremo iudicio. Vel per caelum et terram, accipiamus spiritum et carnem. Et quod dicit apostolus: mente servio legi Dei; videamus factam Dei voluntatem in spiritu. In illa autem immutatione qua promittitur iustis, fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra, idest, sicut spiritus non resistit Deo, ita et corpus non resistat spiritui. Vel sicut in caelo et in terra, idest, sicut in ipso iesu Christo, ita et in ecclesia; tamquam in viro, qui patris voluntatem implevit, ita et in femina, quae illi desponsata est. Caelum enim et terra convenienter intelligitur quasi vir et femina, quoniam terra caelo fecundante fructifera est. .

Cyprianus de orat. Domin. Non ergo petimus ut Deus faciat quod vult, sed ut nos facere possimus quod Deus vult: quod ut fiat in nobis, opus est Dei voluntate, idest opera eius et protectione, quia nemo suis viribus fortis est, sed Dei misericordia tutus.

Chrysostomus in Matth. Virtus enim non est nostri studii solum, sed superioris gratiae. Rursum autem hic orationem pro orbe terrarum cuilibet nostrorum iniunxit: neque enim dixit: fiat voluntas tua in me vel in nobis, sed ubique terrarum, ut solvatur error et plantetur veritas et expellatur malitia et revertatur virtus, et sic iam non differat caelum a terra.

Augustinus de bono persev. Ex hoc autem evidenter ostenditur contra pelagianos initium fidei esse donum Dei, quando pro infidelibus, ut habere fidem incipiant, sancta orat ecclesia. Cum etiam in sanctis iam sit facta Dei voluntas, cur ut fiat adhuc petunt, nisi ut perseverent in eo quod esse coeperunt? .

Chrysostomus super Matth. Communiter autem accipi debet quod ait sicut in caelo et in terra; idest: sanctificetur nomen tuum sicut in caelo et in terra; adveniat regnum tuum sicut in caelo, et in terra; fiat voluntas tua sicut in caelo, et in terra. Et vide quod caute locutus est; non dixit: pater, sanctifica nomen tuum in nobis; adveniat regnum tuum super nos; fac voluntatem tuam in nobis. Nec iterum dicit: sanctificemus nomen tuum; suscipiamus regnum tuum; faciamus voluntatem tuam; ne hoc aut Dei tantum, aut hominis tantum esse videatur. Sed medie dixit et impersonaliter: nam sicut homo non potest facere bonum nisi habuerit adiutorium Dei, sic nec Deus bonum operatur in homine nisi homo voluerit.

MATTHAEUS 6,11

3611 (Mt 6,11)

Augustinus enchir. Haec ergo tria quae in praemissis petitionibus petuntur, hic inchoantur, et quantumcumque proficimus, augentur in nobis; perfecte vero, quod in alia vita sperandum est, semper possidebuntur. Reliquis vero quatuor quae sequuntur, petuntur temporalia, quae propter aeterna consequenda sunt necessaria; panis enim qui convenienter petitur hic, est necessarius: sequitur enim panem nostrum supersubstantialem da nobis hodie.

Hieronymus. Quod nos supersubstantialem exprimimus, in graeco habetur bis epiousion, quod verbum lxx interpretes periousion, frequentissime transferunt. Consideravimus ergo in hebraeo: et ubicumque illi periousion, expresserunt, nos invenimus segola, quod symmachus exeretion, idest praecipuum vel egregium transtulit, licet in quodam loco peculiarem interpretatus sit. Quando ergo petimus ut peculiarem vel praecipuum nobis dominus tribuat panem, illum petimus qui dicit in evangelio: ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. .

Cyprianus de orat. Domin. Nam panis vitae Christus est; et panis hic omnium non est, sed noster est. Hunc autem panem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus et eucharistiam quotidie accipimus, intercedente aliquo graviore delicto a caelesti pane prohibeamur et a christi corpore separemur. Petimus ergo ut qui in Christo manemus, a sanctificatione eius et corpore non recedamus.

Augustinus de bono persev. perseverantiam ergo a domino sancti poscunt, quando petunt ne a christi corpore separentur, sed in ea sanctitate permaneant, ut nullum crimen admittant.

Chrysostomus super Matth. vel panem supersubstantialem posuit, hoc est quotidianum. Cassianus collat. Cum enim dicit hodie, ostendit eum quotidie esse sumendum, omnique tempore haec oratio debet profundi, quia non est dies qua non opus sit nobis huius panis perceptione cor interioris hominis confirmare.

Augustinus de serm. Dom. Sed contra hoc illi movent quaestionem qui in orientalibus partibus non quotidie coenae domini communicant: qui de hac re suam sententiam defendunt, vel ipsa auctoritate ecclesiastica, quod sine scandalo ista faciunt, neque ab eis qui ecclesiis praesunt, facere prohibentur. Sed ut de istis nil in aliquam partem disseramus, illud certe debet occurrere cogitantibus, regulam nos orandi a domino accepisse, quam transgredi non oportet. Quis ergo audeat dicere semel tantum nos orare debere orationem dominicam, aut si iterum et tertio, usque ad eam tantum horam qua corpori domini communicamus? non enim postea dicere poterimus da nobis hodie quod iam accepimus. Aut poterit quisque cogere ut ultima parte diei sacramentum illud celebremus? cassianus. licet istud quod dicitur hodie, ad praesentem vitam possit intelligi; idest dum in saeculo commoramur, praesta nobis hunc panem.

Hieronymus. Possumus supersubstantialem panem et aliter intelligere, qui super omnes substantias sit, et universas superet creaturas, scilicet domini.

Augustinus de serm. Dom. Vel quotidianum panem accipiamus spirituales, praecepta scilicet divina, quae

quotidie oportet meditari et operari.

Gregorius moralium. Nostrum autem hunc panem dicimus, et tamen ut detur oramus: quia Dei est ex munere, et noster fit per acceptionem.

Hieronymus. Alii simpliciter putant, secundum apostoli sermonem dicentis: habentes victum et vestitum, his contenti simus, de praesenti tantum cibo sanctos curam gerere; unde in posterioribus praeceptum est: nolite cogitare de crastino.

Augustinus ad Probam. sic ergo hic sufficientiam petimus a parte quae excellit, idest nomine panis totum significantes.

Chrysostomus super Matth. non solum autem oramus ideo, panem nostrum da nobis hodie, ut habeamus quid manducemus, quod commune est inter iustos et peccatores, sed ut quod manducamus, de manu Dei accipiamus, quod est tantum sanctorum. Nam illi Deus dat panem qui cum iustitia praeparat, diabolus autem ei qui praeparat cum peccato. Vel ita ut dum a Deo datur, sanctificatus accipiatur; et ideo addidit nostrum, idest quem nos habemus paratum, illum da nobis, ut a te sanctificetur: sicut sacerdos panem accipiens a laico, sanctificat, et porrigit ei: panis enim offerentis est; sed quod sanctificatum est beneficium est sacerdotis. Dicit autem nostrum propter duo. Primo, quia omnia quae nobis Deus dat, per nos aliis dat, ut de eo quod accipimus, partem impotentibus faciamus. Qui ergo de laboribus suis, indigentibus praestat, non tantum panem suum manducat, sed etiam alienum. deinde qui de iustitia acquisitum panem manducat, suum panem manducat; quod autem cum peccato alienum.

Augustinus de serm. Dom. Forte autem aliquis moveatur cur oremus pro his adipiscendis quae huic vitae sunt necessaria, sicut est victus et tegumentum, cum dominus dicat: nolite solliciti esse quid edatis aut quid induamini; non potest autem quisque de ea re, pro qua adipiscenda orat, non esse sollicitus.

Augustinus ad Probam. Sed sufficientiam vitae non indecenter vult quisquis vult, et non amplius; haec autem sufficientia non appetitur propter seipsam, sed propter salutem corporis, et congruentem habitum personae hominis, quo habito non sit inconueniens eis cum quibus honeste vivendum est. Ista ergo cum habentur, ut teneantur; cum non habentur, ut habeantur orandum est.

Chrysostomus in Matth. Considerandum est autem quod postquam dixit fiat voluntas tua sicut in caelo, et in terra, quia hominibus loquebatur in terra carne indutis, et non potentibus habere eamdem impassibilitatem cum angelis, condescendit iam infirmitati nostrae, quae necessario indiget cibo; et ideo pro pane iussit orationem facere, non pro pecuniis neque pro lascivia, sed solum pro pane quotidiano; et neque hoc sufficit, sed apposuit da nobis hodie, ut non conteramus nos ipsos sollicitudine supervenientis diei.

Chrysostomus super Matth. et sic prima facie videntur haec verba sonare, ut qui hoc dicunt, non habeant in crastinum aut post crastinum praeparatum. Quod si ita est, oratio ista aut paucis potest convenire, sicut apostolis, qui docendi gratia omni tempore vagabantur, aut forsitan nulli. Doctrinam autem christi ita debemus aptare, ut omnes in ea proficiant. .

Cyprianus de orat. Domin. divinum ergo cibum discipulus christi debet petere, ne in longum desiderium petitionis extendat: quia contrarium sibi fit et repugnans ut quaeramus in saeculo diu manere, qui petimus regnum caelorum velociter advenire. Vel addit quotidianum ut tantum quis manducet quantum ratio naturalis exigit non quantum lascivia carnis impellit. Si enim in uno convivio tantum expendas quantum sufficere tibi potest centum diebus, iam non quotidianum cibum manducas, sed multorum dierum.

Hieronymus. In evangelio autem quod appellatur secundum hebraeos, pro supersubstantiali pane mozar reperitur, quod dicitur crastinum; ut sit sensus: panem nostrum crastinum, idest futurum, da nobis hodie.

MATTHAEUS 6,12

3612 (Mt 6,12)

Cyprianus de orat. Domin. Post subsidium cibi petitur et venia delicti, ut qui a Deo pascitur, in Deo vivat; nec tantum praesenti vitae, sed aeternae consulatur, ad quam venire potest, si peccata donentur, quae debita dominus appellavit, sicut alibi dicit: dimisi tibi omne debitum, quia rogasti me. Unde sequitur dimitte nobis debita nostra. Quare necessarie et salubriter admonemur, qui peccatores sumus, quia pro peccatis rogare compellimur; et ne quis sibi quasi innocens placeat, et se extollendo plus pereat, instruitur se

peccare quotidie dum pro peccatis quotidie iubetur orare.

Augustinus de bono persev. Hoc autem telo pelagiani confodiuntur haeretici, qui audent dicere hominem iustum in hac vita habere nullum omnino peccatum, et in talibus hominibus esse iam in praesenti tempore ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.

Chrysostomus in Matth. Quoniam vero fidelibus haec oratio convenit, et leges ecclesiae docent, et orationis principium, quod docet Deum patrem vocare. Qui ergo fidelibus iubet remissionem peccatorum petere, demonstrat quod post baptismum contingit peccata dimitti, contra novatianos. .

Cyprianus de orat. Domin. Qui ergo pro peccatis nos orare docuit, paternam misericordiam promisit; sed plane addidit legem, certa conditione nos constringens, ut sic nobis debitum dimitti postulemus, secundum quod et ipsi debitoribus nostris dimittimus; et hoc est quod dicit sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Gregorius moralium. ut profecto bonum, quod a Deo compuncti petimus, hoc primum proximo conversi faciamus.

Augustinus de serm. Dom. hoc non de pecunia dicitur, sed de omnibus quae in nos quisque peccat ac per hoc etiam de pecunia: peccat namque in te qui pecuniam tibi debitam, cum habeat unde reddere, non reddit; quod peccatum si non dimiseris, non poteris dicere dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.

Chrysostomus super Matth. cum qua ergo spe orat qui inimicitiam servat adversus alterum, a quo forsitan laesus est? sicut enim ipse orans mentitur, dicit enim: remitto, et non remittit, sic a Deo petit indulgentiam, et non illi indulgetur. sed multi nolentes dare veniam peccantibus in se, fugiunt istam orationem orare. Stulti primo, quia qui non sic orat ut docuit Christus, non est christi discipulus; secundo, quia nec pater libenter exaudit orationem quam filius non dictaverit: cognoscit enim pater filii sui sensus et verba, neque suscipit quae usurpatio humana excogitavit, sed quae sapientia christi exposuit.

Augustinus enchir. Tamen quia hoc tam magnum bonum, scilicet dimittere debita et diligere inimicos, tantae multitudinis non est quantam credimus exaudiri cum in oratione dicitur dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris; procul dubio verba sponsionis huius implentur, si homo nondum ita proficit ut diligat inimicum; tamen quando rogatur ab homine qui peccavit in eum ut ei dimittat, dimittit ex corde, qui etiam sibi roganti utique vult dimitti. iam vero qui eum in quem peccavit, rogat, si peccato suo movetur ut roget, non adhuc reputandus inimicus, ut eum diligere sit difficile, sicut difficile erat quando inimicitias exercebat.

MATTHAEUS 6,13

3613 (Mt 6,13)

Chrysostomus super Matth. quia multa magna supra mandavit hominibus, ut Deum patrem suum dicant, ut regnum Dei petant venire, ideo nunc additur humilitatis doctrina, cum dicitur et ne nos inducas in tentationem.

Augustinus de serm. Dom. nonnulli codices habent et ne nos inferas in tentationem, quod tantumdem valere arbitror: nam ex uno graeco verbo isenenkis, utrumque est translatum. Multi autem interpretando ita dicunt: ne nos patiaris induci in tentationem, exponentes quomodo dictum sit inducas. Nec enim per seipsum inducit Deus, sed induci patitur eum quem suo auxilio deseruerit.

Cyprianus de orat. Domin. qua in parte ostenditur, contra nos nihil adversarium posse, nisi Deus ante permiserit: ut omnis timor noster et devotio convertatur ad Deum .

Augustinus. aliud est autem induci in tentationem, aliud tentari: nam sine tentatione probatus esse nemo potest, sive sibi ipsi, sive alii; Deo autem ante omnes tentationes quisque notissimus est. Non ergo hic oratur ut non tentemur, sed ut non inferamur in tentationem; tamquam si quispiam cui necesse est igne examinari, non orat ut igne non contingatur, sed ut non exuratur. inducimur enim, si tales inciderint quas ferre non possumus.

Augustinus ad Probam. cum ergo dicimus ne nos inducas in tentationem, nos admonemur hoc petere, ne deserti eius adiutorio, alicui tentationi vel consentiamus decepti vel cedamus afflictis. .

Cyprianus de orat. domin. In quo admonemur infirmitatis et imbecillitatis nostrae, ne quis se insolenter extollat: ut dum procedit humilis et submissa confessio, et datur totum Deo quicquid suppliciter petitur, ipsius pietate praestetur.

Augustinus de bono persev. cum autem sancti petunt ne nos inferas in tentationem, quid aliud quam ut in sanctitate perseverent orant? hoc autem sibi concessio (quod esse de Dei dono, cum ab illo poscitur, demonstratur)., nemo sanctorum non tenet usque in finem perseverantiam sanctitatis; neque enim quisquam in proposito christiano perseverare desistit, nisi in tentationem primitus inferatur. Ideo ergo petimus ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat; et si non fit, Deus non permittit ut fiat: nihil enim fit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri permittit. Potens est ergo a malo in bonum flectere voluntates, et lapsum convertere, ac dirigere in sibi placitum gressum, cui non frustra dicitur ne nos inferas in tentationem: nam qui in tentationem suae malae voluntatis non infertur, in nullam prorsus infertur: unusquisque enim tentatur a concupiscentia sua. Voluit ergo Deus a se posci ne inferamur in tentationem, quod poterat nobis et non orantibus dari, quia voluit nos admoneri, a quo beneficia accipiamus. attendat ergo ecclesia quotidianas orationes suas: orat ut increduli credant; Deus ergo convertit ad fidem; orat ut credentes perseverent; Deus ergo dat perseverantiam usque in finem.

Augustinus de serm. Dom. orandum est, non solum ut non inducamur in malum quo caremus, sed ab illo etiam liberemur in quo iam inducti sumus; et ideo sequitur sed libera nos a malo.

Chrysostomus in Matth. Vel malum hic diabolus vocat, propter excellentiam malitiae, non quae ex natura est, sed quae ex electione. Et quia ad nos implacabile bellum habet, propter hoc dixit libera nos a malo. .

Cyprianus de orat. Domin. post omnia quidem supradicta, in consummatione orationis venit clausula universas preces nostras collecta brevitate concludens: nihil enim remanet quod ultra adhuc debeat postulari, cum semel protectionem Dei adversus malum petamus, qua impetrata, contra omnia quae diabolus et mundus operatur, securi sumus. Quis enim de saeculo metus est, cuius in saeculo Deus tutor est? .

Augustinus ad Probam. et hoc ultimum quod in oratione dominica positum est, tam late patet, ut homo christianus in qualibet tribulatione constitutus, in hoc gemitus edat, et in hoc lacrymas fundat, hinc exordiat, in hoc terminet orationem; unde sequitur amen, quo desiderium orantis exprimitur.

Hieronimus. Amen enim, quod in fine constat scriptum, signaculum est dominicae orationis; quod aquila interpretatus est fideliter, quod nos vere possumus dicere. .

Cyprianus de orat. Domin. quid mirum, si talis oratio est quam Deus docuit, qui magisterio suo omnem precem nostram salutari sermone breviavit? hinc per isaiam fuerat ante praedictum: sermonem brevium faciet Deus super terram. Nam cum dominus iesus Christus omnibus venerit, ut colligeret doctos pariter atque indoctos, omni sexui atque aetati praecepta salutis ediderit, praeceptorum suorum fecit grande compendium, ut in disciplina caelesti discentium memoria non laboraret, sed quod esset simplici fidei necessarium, velociter discerent.

Augustinus ad Probam. quaelibet autem alia verba dicamus, quae affectus orantis vel praecedendo format ut clareat, vel consequendo accendit ut crescat, nil aliud dicimus quam quod in ista oratione dominica positum est, si recte et congruenter oramus. Qui enim dicit: clarificare in omnibus gentibus sicut clarificatus es in nobis. quid aliud dicit quam sanctificetur nomen tuum? qui dicit: ostende faciem tuam, et salvi erimus, quid aliud dicit quam adveniat regnum tuum? qui dicit: gressus meos dirige secundum eloquium tuum, quid aliud dicit quam fiat voluntas tua? qui dicit: paupertatem et divitias ne dederis mihi, quid aliud dicit quam panem nostrum quotidianum da nobis hodie? qui dicit: memento, domine, David, et omnis mansuetudinis eius, et: si reddidi retribuentibus mihi mala, quid aliud dicit quam dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris? qui dicit: aufer a me concupiscentias ventris, quid aliud dicit quam ne nos inducas in tentationem? qui dicit: erue me ab inimicis meis, Deus meus, quid aliud dicit quam libera nos a malo? et si per omnia precationum sanctarum verba discurras, nihil invenies quod in ista oratione dominica non contineatur. Quisquis autem id dicit quod ad evangelicam istam precem pertinere non possit, carnaliter orat; quod nescio quomodo non dicatur illicite quando renatos dominus, non nisi spiritaliter docet orare. Qui autem dicit in oratione: domine, multiplica divitias meas, et honores meos auge, et hoc dicit eorum habens concupiscentiam, non id attendens ut ex his secundum Deum prosit hominibus, puto eum non invenire in oratione dominica quo possit haec vota aptare. Quamobrem pudeat saltem petere quod non pudet cupere. Aut si et hoc pudet, et cupiditas vicit, melius hoc petetur ut etiam ab isto cupiditatis malo liberet cui dicimus libera nos a malo.

Augustinus de serm. Dom. Videtur etiam iste numerus petitionum septenario beatitudinum congruere. Si enim timor Dei est quo beati fiunt pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum, petamus ut sanctificetur in hominibus nomen Dei, timore casto permanente in saecula saeculorum. Si pietas est qua beati sunt mites, petamus ut veniat regnum eius, ut mitescamus, nec ei resistamus. Si scientia est qua beati sunt qui lugent, oremus ut fiat voluntas eius sicut in caelo et in terra: quia si corpus tamquam terra cum spiritu tamquam caelo consenserit, non lugebimus. si fortitudo est qua beati sunt qui esuriunt, oremus ut panis noster quotidianus detur nobis hodie, quo ad plenissimam saturitatem venire possimus. Si consilium est quo beati sunt misericordes, quoniam ipsorum miserebitur, dimittamus debita, ut nobis nostra debita dimittantur. Si intellectus est quo beati sunt mundo corde, oremus non induci in tentationem, ne habeamus duplex cor, temporalia et terrena sectando, de quibus tentationes fiunt in nobis. Si sapientia est qua beati sunt pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, oremus ut liberemur a malo: ipsa enim liberatio liberos nos faciet filios Dei.

Chrysostomus in Matth. Quia vero sollicitos nos fecerat inimici memoria in hoc quod dixerat libera nos a malo, rursus audaciam praebet per hoc quod in quibusdam libris subditur quoniam tuum est regnum et virtus et gloria: quia si eius est regnum, nullum formidare oportet, cum et qui praeliatur contra nos, sit ei subiectus. Cum autem virtus eius et gloria sint infinita, non solum a malis eruere potest, sed etiam facere gloriosum.

Chrysostomus super Matth. haec etiam ad praecedentia pertinent: quod enim dicit tuum est regnum, respondet ad illud quod dixerat adveniat regnum tuum, ne aliquis dicat: ergo Deus non habet regnum in terra. Quod autem dicit et virtus, respondet ad id quod dixerat fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra; ne aliquis dicat, quod Deus non potest facere quod vult. Quod vero dicit et gloria, respondet ad omnia quae sequuntur, in quibus gloria Dei apparet.

MATTHAEUS 6,14-15

3614 (Mt 6,14-15)

Rabanus. Per hoc quod dominus dixerat amen significat indubitanter illis a domino conferri omnia quae rite postulant, qui conditionis additae servare pactum non negligunt; unde subditur si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis pater vester caelestis delicta vestra.

Augustinus de serm. Dom. ubi non est praetereundum, quod ex omnibus his sententiis, quibus nos dominus orare praecepit, eam potissimum commendandam esse iudicavit quae pertinet ad remissionem peccatorum, in qua nos misericordes esse voluit; quod est unum consilium miserias evadendi.

Chrysostomus super Matth. non autem dixit, ut prius nobis Deus dimittat, et postea nos debitoribus nostris, scit enim dominus homines esse mendaces, quoniam etsi acceperint remissionem peccati sui, ipsi suis debitoribus non dimittunt: ideo sic dicitur, ut prius dimittamus, postea petamus dimissionem.

Augustinus enchir. Quisquis autem roganti et peccati sui poenitenti ex corde non dimittit, nullo modo aestimet a domino sua peccata dimitti: et ideo subdit si autem non dimiseritis hominibus, nec pater vester dimittet vobis peccata vestra. .

Cyprianus de orat. Domin. excusatio enim tibi nulla est in die iudicii, cum secundum tuam sententiam iudicaris, et quod feceris, hoc patiaris.

Hieronymus. si autem hoc quod scriptum est: ego dixi: dii estis; vos autem sicut homines moriemini, ad eos dicitur qui propter peccata homines ex diis esse meruerunt, recte ergo et hi quibus peccata dimittuntur, homines appellati sunt.

Chrysostomus in Matth. Ideo autem caelorum et patris meminit, ut ex hoc provocet auditorem: nihil enim ita te Deo assimilat, sicut iniuriam tibi facientibus ignoscere. inconveniens est autem, si talis patris filius existens, servilis efficitur; et ad caelum vocatus, terrenum quemdam et vitae huius proprium habet sensum.

MATTHAEUS 6,16

3616 (Mt 6,16)

Chrysostomus super Matth. quia oratio illa iam fortis est, quae fit in spiritu humili et corde contrito; qui autem deliciis fruitur, spiritum humilem et cor contritum habere non potest; manifestum est quoniam oratio sine ieiunio gracilis est et infirma: et ideo quicumque pro aliqua necessitate voluerunt orare, ieiunium adiutorium est orationis. unde consequenter dominus, post doctrinam de oratione, subiungit doctrinam de ieiunio dicens cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritae tristes. sciebat enim dominus gloriam vanam ex omni bono procedere; ideo spinam vanae gloriae, quae nascitur in terra bona, iubet praecidere, ne suffocet ieiunii fructum. non autem potest fieri ut non sentiatur qui ieiunat; sed melius est ut ieiunium te ostendat, quam tu ieiunium. Non autem potest fieri ut sit hilaris qui ieiunat; ideo non dixit: nolite esse tristes; sed nolite fieri tristes: qui enim per imposturas aliquas pallentes apparent, illi non sunt tristes, sed fiunt; qui autem naturaliter propter assiduum ieiunium tristis est, non fit tristis, sed vere est; unde subdit exterminant enim facies suas, ut appareant hominibus ieiunantes.

Hieronymus. Verbum exterminant, quod in ecclesiasticis scripturis vitio interpretum tritum est, aliud multo significat quam vulgo intelligitur. exterminantur quippe exules, qui mittuntur extra terminos. Pro hoc ergo sermone, demoliuntur semper accipere debemus, quod graece dicitur aphanizousi. Demolitur autem hypocrita faciem suam, ut tristitiam simulet, et animo forte laetante luctum gestat in vultu.

Gregorius moralium. Nam ora pallescunt, corpus debilitate quatitur, pectus interrumpentibus suspiriis urgetur, nihilque tanto labore aliud nisi aestimatio humana cogitatur.

Leo papa in serm. 3 de epiph. Non sunt autem casta ieiunia quae non de ratione veniunt continentiae, sed de arte fallaciae.

Chrysostomus super Matth. Si ergo qui ieiunat et tristem se facit, hypocrita est, quanto magis iniquior est qui non ieiunat, sed argumentis quibusdam in facie sua pingit venalem pallorem, quasi ieiunii signum? .

Augustinus de serm. Dom. in hoc autem capitulo maxime advertendum est, non in solo rerum corporearum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus luctuosus esse posse iactantiam, et eo periculosiorem, quo sub nomine servitutis Dei decipit. Qui ergo immoderato cultu corporis atque vestitus vel ceterarum rerum nitore fulget, facile convincitur rebus ipsis pomparum saeculi esse sectator, nec quemquam fallit dolosa imagine sanctitatis; qui autem in professione christianitatis inusitato squalore ac sordibus intentos in se hominum oculos facit, cum id voluntate faciat, non necessitate patitur, ex ceteris eius operibus potest cognosci utrum hoc contemptu superflui cultus, an ambitione aliqua faciat.

Remigius. Fructus autem ieiunii hypocritarum manifestatur cum subinfertur ut pareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam, idest quam desideraverunt.

MATTHAEUS 6,17-18

3617 (Mt 6,17-18)

Glossa. Docuit dominus quid non est faciendum; modo docet quid est faciendum, dicens tu autem cum ieiunas, unge caput tuum et faciem tuam lava.

Augustinus de serm. Dom. Quaeri autem solet quid sit quod hic dicitur: non enim quisquam recte praeceperit (quamvis faciem quotidiana consuetudine lavemus)., unctis quoque capitibus, cum ieiunamus, nos esse debere; quod turpissimum omnes fatentur.

Chrysostomus super Matth. item si ideo iubet nos non fieri tristes, ne per tristitiam appareamus hominibus ieiunare; si unctio capitis et lavatio faciei a ieiunantibus semper servantur; nihilominus erunt signa ieiunii.

Hieronymus. Sed loquitur iuxta ritum provinciae palaestinae, ubi diebus festis solent ungere capita. Praecipit ergo ut quando ieiunamus, laetos et festivos nos esse monstremus.

Chrysostomus super Matth. Simplex ergo interpretatio huius est, quoniam per aggregationem intelligenda sunt ista sicut cetera ante dicta, tamquam si dicat: sic longe te facere debes ab ostentatione ieiunii tui, ut, si posset fieri (quod tamen non docet)., ea etiam facias quae ex diverso luxuriae et epulationis videntur esse indicia; unde sequitur ne videaris hominibus ieiunans.

Chrysostomus in Matth. in eleemosyna quidem non simpliciter hoc posuit; sed dixit eleemosynam non esse faciendam coram hominibus apponens ut videremur ab eis; in ieiunio autem et oratione nihil tale addidit: quoniam eleemosynam quidem impossibile est omnino latere, orationem autem et ieiunium possibile est. Non parvus autem fructus est humanam gloriam contemnere: per hoc enim aliquis a gravi hominum servitute liberatur, et proprie virtutis operator efficitur, eam amans non propter alios, sed propter seipsam. Sicut enim nos contumeliam aestimamus, cum non propter nos, sed propter alios diligimur, ita nec virtutem oportet propter alios sequi, nec Deo propter homines obedire, sed propter seipsum. Ideo sequitur sed patri tuo, qui est in abscondito.

Glossa. idest, patri tuo caelesti qui est invisibilis, vel qui habitat in corde per fidem; Deo autem ieiunat qui pro eius amore se macerat, et quod sibi subtrahit, alteri largitur. et pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.

Remigius. Sufficit enim tibi ut qui est inspector conscientiae, sit et remunerator.

Chrysostomus super Matth. spiritualiter autem facies animae conscientia intelligitur. Sicut enim in conspectu hominum gratiosa est facies pulchra, sic in oculis Dei speciosa est munda conscientia. Has facies hypocritae, qui propter homines ieiunant, exterminant, fallere volentes Deum et homines: nam semper vulnerata est conscientia eius qui peccat. Si ergo abstuleris nequitiam ab anima tua, lavasti conscientiam tuam, et bene ieiunas.

Leo papa in serm. 6 de quadrag. Impleri enim debet ieiunium, non ciborum tantummodo parcite, sed maxime privatione vitiorum. Nam cum ob hoc castigatio ista sumatur, ut carnalium desideriorum fomites subtrahantur, nullum magis sectandum est conscientiae genus quam ut semper simus ab iniusta voluntate sobrii, et ab inhonesta actione ieiuni; quae devotio non secernit invalidos, quia etiam in languido corpore potest animae integritas reperiri.

Chrysostomus super Matth. Spiritualiter autem caput tuum Christus est. sitientem pota, esurientem ciba; et sic oleo misericordiae unxisti caput tuum, idest Christum, qui clamat in evangelio: quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

Gregorius in Evang. illud enim ieiunium Deus approbat quod ante oculos eius manus eleemosynarum lavat. Hoc ergo quod tibi subtrahis, alteri largire; ut unde tua caro affligitur, inde egentis proximi caro reparetur.

Augustinus de serm. Dom. Vel caput recte accipimus rationem, quia in anima praeeminet, et cetera hominis membra regit. Ungere ergo caput ad laetitiam pertinet. Interius ergo gaudeat de ieiunio suo qui ieiunando se avertit a voluntate saeculi, ut sit subditus Christo.

Glossa. ecce non omnino in novo testamento ad litteram accipiuntur. Ridiculum enim est in ieiunio oleo delibari; sed spiritu amoris eius, cuius passionibus debemus participare, nos macerando, mens debet inungi.

Chrysostomus super Matth. proprie autem debet faciem quidem lavare; caput autem non lavare, sed ungere. Quamdiu enim sumus in corpore, conscientia nostra sordida est in peccatis. caput autem nostrum, Christus, peccatum non fecit.

MATTHAEUS 6,19-20

3619 (Mt 6,19-20)

Chrysostomus in Matth. postquam vanae gloriae expulit aegritudinem, optime iam sermonem de contemptu divitiarum inducit. Nihil enim ita pecunias concupiscere facit ut gloriae cupido: propter hoc namque famulorum greges et auro opertos equos et argenteas mensas expetunt homines, non ut utilitatem aut voluptatem impleant, sed ut multis ostendantur; et hoc est quod dicit nolite thesaurizare vobis thesauros in terra.

Augustinus de serm. Dom. si enim eo corde quisque operetur aliquid ut terrenum commodum adipiscatur, quomodo erit cor mundum quod in terra volutatur? sordescit enim aliquid cum inferiori miscetur naturae, quamvis in suo genere non sordidetur, quia etiam de puro argento sordidatur aurum si misceatur: ita et animus noster terrenorum cupiditate sordescit, quamvis terra in suo ordine munda sit.

Chrysostomus super Matth. vel aliter. Quia supra dominus nihil de eleemosyna, vel oratione, vel ieiunio docuerat, sed simulationem eorum compescuit tantum, nunc secundum tria praedicta, tres consequentias introducit doctrinae: quarum prima pertinet ad eleemosynam, quae est haec: nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, ubi primo dat consilium ut eleemosyna fiat; ut sit ordo narrationis talis: cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te; et postea subsequitur: nolite thesaurizare vobis thesauros in terra; secundo ostendit quae sit utilitas in eleemosyna facienda; tertio ut neque timor inopiae accidentis impediatur voluntatem eleemosynae faciendae.

Chrysostomus in Matth. dicens autem nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, subdit ubi aerugo et tinea demolitur: ut demonstret thesauri qui est hic, nocumentum, et eius qui est in caelo, utilitatem, et a loco, et ab his quae nocent; quasi dicat: quid formidas ne pecuniae consumantur, si eleemosynam dederis? itaque da eleemosynam, et additionem accipient: etenim quae in caelis sunt apponentur; quod si non dederis, pereunt. Et non dixit: aliis derelinquis, quoniam hoc delectabile est hominibus.

Rabanus. Tria autem ponit, secundum tres diversitates divitiarum. Metalla aerugine, vestes tinea demoliuntur; sunt autem alia quae neque aeruginem neque tineam timent, sicut lapides pretiosi; et ideo ponit generale detrimentum, scilicet fures, qui omnes divitias rapere possunt.

Chrysostomus super Matth. alia littera habet: ubi tinea et commestura exterminant. Omnia enim bona mundi triplex tollit interitus. aut enim a semetipsis veterascunt et tineant, sicut vestimenta; aut ab ipsis dominis luxuriose viventibus comeduntur; aut ab extraneis vel dolo, vel vi, vel calumniis, vel alio iniquo modo diripiuntur: qui omnes fures dicuntur, quia per iniquitatem festinant aliena facere sua. Sed dices: numquid omnes haec qui habent, perdent ea? interim quidem dicam, quia etsi non omnes perdunt, tamen multi perdunt. Vere autem et male servatas divitias, etsi non corporaliter, spiritualiter tamen perdidisti: quia non proficiunt tibi ad usum salutis.

Rabanus. Allegorice autem aerugo significat superbiam, quae decorem virtutum obscurat. Tinea, quae vestes latenter rodit, invidia est, quae bonum studium lacerat, et per hoc compactionem unitatis dissipat. Fures sunt haeretici et daemones, qui semper ad hoc sunt intenti ut spiritualibus spolient.

Hilarius in Matth. Ceterum laus caelestis aeterna est, nec furto surrepti subtrahenda, nec tinea et rubigine invidiae excidenda; et ideo sequitur thesaurizate autem vobis thesauros in caelis, ubi neque aerugo neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt neque furantur.

Augustinus de serm. Dom. Caelum autem hoc loco non corporeum acceperim, quia omne corpus pro terra habendum est. Totum enim mundum debet contemnere qui sibi thesaurizat in illo caelo de quo dictum est: caelum caeli domino idest in firmamento spirituali. Caelum enim et terra transibunt; non autem in eo quod transit collocare debemus thesaurum nostrum, sed in eo quod semper manet.

Chrysostomus super Matth. Quid ergo melius est, an in terra reponere, ubi incertus est conservationis eventus, an in caelo, ubi est certa custodia? quae autem stultitia est illic relinquere unde exiturus es, et illuc non praemittere quo iturus es? illic ergo substantiam tuam colloca ubi patriam habes.

Chrysostomus in Matth. Quia tamen non omnis terrenus thesaurus aerugine aut tinea destruitur, aut per fures aufertur, ideo aliud inducit dicens ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum; ac si dicat: etsi nihil priorum veniat, non parvam sustinebis iacturam inferioribus affixus, et eorum servus factus, et a caelestibus cadens, et nihil excelsorum cogitare potens.

Hieronimus. Hoc autem non solum de pecunia, sed de cunctis possessionibus sentiendum est. Gulosi enim Deus venter est; lascivi thesaurus sunt lubrica; amatoris libido. Hinc fuerit unusquisque a quo vincitur. Ibi ergo habet cor, ubi et thesaurum.

Chrysostomus super Matth. vel aliter. Ponit nunc quae sit utilitas in eleemosyna facienda. qui enim collocat thesauros in terra, non habet quid speret in caelo. Ut quid ergo aspiciat in caelum, ubi nihil repositum habet? unde dupliciter peccat: primo, quia mala congregat; secundo, quia cor habet in terra; et ex contrariis causis dupliciter bene facit qui thesaurizat in caelo.

MATTHAEUS 6,22-23

Chrysostomus in Matth. postquam fecit mentionem de intellectu in servitute redacto et captivato, quia hoc non multis facile cognoscibile erat, ad exteriorem doctrinam transponit dicens lucerna corporis tui est oculus tuus; ac si dicat: si non nosti quid est iactura intellectus, a corporalibus hoc disce: quod enim est oculus corpori, hoc est intellectus animae. Sicut ergo oculis orbatis multum operationis reliquorum membrorum amittitur, lumine eis extincto, ita et mente corrupta, multis malis vita tua impletur.

Hieronymus. hoc ergo totum transfert ad sensum: quomodo enim corpus totum est in tenebris, si oculus non fuerit simplex, ita si anima principalem fulgorem suum perdiderit, universus sensus, vel sensualis pars animae in caligine commorabitur: unde dicitur si ergo lumen quod in te est, tenebrae sint, ipsae tenebrae quantaerunt? idest, si sensus, qui lumen est animae, vitio caligatur, ipsa putas caligo quibus tenebris obvolvitur? .

Chrysostomus super Matth. videtur autem quod non de corporali oculo hic loquatur, nec de hoc corpore quod videtur de foris; alioquin dixisset: si oculus tuus sanus fuerit aut infirmus; nunc autem dicit simplex et nequam. Si autem benignum oculum habet et infirmum, numquid corpus eius in lumine est? aut si malignum et sanum, numquid corpus eius in tenebris est? .

Hieronymus. Sed solent lippientes lucernas videre numerosas; simplex autem oculus et purus simplicia intuetur et pura.

Chrysostomus super Matth. Vel dicitur oculus non a foris sed ab intus. lucerna enim est mens, per quam anima videt Deum. Qui ergo cor habet ad Deum, illius oculus lucidus est; idest illius mens munda est, non terrenis concupiscentiis sordidata. Tenebrae autem in nobis sunt sensus carnales, qui semper desiderant quae sunt tenebrarum. Qui ergo habet oculum mundum, idest mentem spiritualem, corpus suum servat lucidum, idest sine peccato: etsi enim caro desiderat mala, virtute tamen divini timoris repercutit eam. Qui autem habet oculum, idest mentem, aut malignitate tenebrosam, aut concupiscentia turbulentam, tenebrosum possidet corpus: non enim resistit carni quando concupiscit perversa, quia non habet spem in caelo, quae praestat nobis virtutem ut concupiscentiis resistamus.

Hilarius in Matth. Vel aliter. De officio luminis oculi, lumen cordis expressit: quod si simplex et lucidum manebit, claritatem aeterni luminis corpori tribuet, et splendorem originis suae corruptioni carnis infundet, scilicet in resurrectione; si autem obscurum peccatis et voluntate erit nequam, vitiis mentis natura corporis subiacebit.

Augustinus de serm. Dom. Vel aliter. oculum hic accipere debemus intentionem nostram; quae si munda fuerit et recta, omnia opera nostra, quae secundum eam operamur, bona sunt: quae quidem omnia totum corpus appellavit, quia et apostolus membra nostra dicit quaedam opera, ubi ait: mortificate membra vestra, fornicationem et immunditiam. Non ergo quid quisque faciat, sed quo animo faciat considerandum est. Hoc est enim lumen in nobis, quia hoc nobis manifestum est bono animo nos facere quod facimus. omne enim quod manifestatur, lumen est. ipsa vero facta, quae ad hominum societatem procedunt, incertum nobis habent exitum; et ideo tenebras eas vocavit: non enim novi cum pecuniam porrigo indigenti, quid sit inde facturus. si ergo ipsa cordis intentio, quae tibi nota est, sordidatur appetitu temporalium rerum, magis ipsum factum, cuius incertus est exitus, sordidum erit; quia etsi bene alicui proveniat quod tu non recta intentione facis, quomodo tu feceris imputabitur tibi, non quomodo illi provenierit. si autem simplici intentione, idest fine caritatis, opera nostra fiant, tunc munda sunt, et placent in conspectu Dei.

Augustinus contra mendacium. Sed ea quae constat esse peccata, nulla velut bona intentione facienda sunt: ea quippe opera hominum si causas habuerint bonas vel malas, nunc sunt bona nunc mala, quae non sunt per seipsa peccata; sicut victum praebere pauperibus bonum est, si fiat misericordiae causa; malum autem si fiat causa iactantiae. Cum vero opera ipsa peccata sunt, ut furta, stupra et huiusmodi, quis dicat causis bonis esse facienda, vel peccata non esse? quis dicat: furemur divitibus, ut habeamus quid demus pauperibus? **Gregorius** moralium. Vel aliter. Si lumen quod in te est, idest, si hoc quod nos bene agere coepimus, ex mala intentione offuscamus, ipsa quae mala esse non ignoramus, etiam cum facimus, quantaerunt tenebrae sunt? **Remigius.** vel aliter. Fides lucernae assimilatur, quia per eam egressus interioris hominis, idest actio, illuminatur ne offendant: secundum illud ps. 118,105: lucerna pedibus meis verbum tuum; quae si fuerit munda et simplex, totum corpus lucidum erit; si vero sordida, totum corpus erit tenebrosum. vel aliter. Per lucernam intelligitur rector ecclesiae, qui bene oculus dicitur, quia salutaria plebi subiectae providere debet, quae per corpus intelligitur. Si ergo rector ecclesiae erraverit, quanto magis errabit populus ei subiectus?

MATTHAEUS 6,24

3624 (Mt 6,24)

Chrysostomus super Matth. superius dixerat dominus, quod qui habet mentem spiritalem, ille potest corpus suum servare sine peccato; qui autem non habet, non potest; cuius rationem subiungit, dicens nemo potest duobus dominis servire.

Glossa. Vel aliter. Quia dictum est supra quod propter intentionem temporalium, bona mala fiunt; unde posset aliquis dicere: ego faciam bona et propter temporalia et propter caelestia. Contra quod dominus ait nemo potest duobus dominis servire.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. In anterioribus, avaritiae compressit tyrannidem per multa et magna; sed adhuc alia apponit ampliora. Non enim in hoc solum nobis nocent divitiae quod latrones adversus nos armant, et quod intellectum obtenebrant; sed etiam a servitute Dei nos expellunt. Et hoc probat a communibus conceptionibus, dicens nemo potest duobus dominis servire; duos autem dicit qui contraria iniungunt: concordia enim multos unum facit: quod ostenditur per hoc quod subdit aut enim unum odio habebit. Ideo autem duo ponit, ut monstret facilem esse transmutationem ad melius. si enim dicas: servus factus sum pecuniarum, amando scilicet eas, monstrat quod possibile est aliud venire; scilicet non sustinendo servitatem, sed contemnendo.

Glossa. Vel duo tangere videtur servientium genera. Quidam enim serviunt liberaliter ex amore, quidam serviliter ex timore. Si ergo aliquis ex amore serviat uni contrariorum dominorum, necesse est ut alterum odio habeat; si vero ex timore serviat, necesse est ut dum unum sustinet, alterum contemnat. res autem terrena, vel Deus, si in corde hominis dominetur, ad contraria ex utroque trahitur homo: nam Deus trahit ad superiora sibi servientem, res vero terrena ad inferiora; et ideo quasi concludens subdit non potestis Deo servire et mammonae.

Hieronymus. Mammona sermone syriaco divitiae nuncupantur. Audiat ergo hoc avarus, qui censetur vocabulo christiano, non posse se simul divitiis Christoque servire. Et tamen non dixit: qui habet divitias; sed: qui servit divitiis. qui enim divitiarum servus est, divitias custodit ut servus; qui autem servitutis excussit iugum, distribuit eas ut dominus.

Glossa. Per mammonam etiam intelligitur diabolus, qui praeest divitiis; non quod possit eas dare, nisi quando Deus permittit; sed quia per eas homines fallit.

Augustinus de serm. Dom. Qui enim servit mammonae, idest divitiis, illi utique servit qui rebus istis terrenis merito suae perversitatis praepositus, princeps huius saeculi a domino dicitur. Vel aliter. qui sint duo domini, ostendit cum dicitur non potestis Deo servire et mammonae, scilicet Deo et diabolo. Aut ergo hunc odio habebit homo, et alterum diligit, idest Deum; aut alterum patietur, et alterum contemnet. Patitur enim durum dominum quisquis servit mammonae: sua enim cupiditate implicatus subditur diabolo, et non eum diligit. Sicut qui ancillae alienae coniunctus est propter concupiscentiam, duram patitur servitatem, etsi non diligit eum cuius ancillam diligit. dixit autem alterum contemnet, non: odio habebit; nullus enim vera conscientia Deum potest odisse. Contemnit autem, idest non timet eum, cum quasi de eius bonitate securus est.

MATTHAEUS 6,25

3625 (Mt 6,25)

Augustinus de serm. Dom. quia superius docuerat dominus, quod quisquis vult diligere Deum, et cavere ne offendant, non se arbitretur duobus dominis posse servire, ne forte quamvis iam superflua non quaerantur propter ipsa tamen necessaria cor duplicetur, et ad ea deflectenda torqueatur intentio, subiungit dicens ideo dico vobis: ne solliciti sitis animae vestrae quid manducetis, neque corpori vestro quid induamini.

Chrysostomus in Matth. non hoc dicit, quod anima cibo indigeat, incorporea est enim; sed secundum communem locutus est consuetudinem: aliter enim non potest morari in corpore, nisi eo cibato.

Augustinus. vel animam in hoc loco pro animali vita positam noverimus.

Hieronymus. in nonnullis codicibus additum est neque quid bibatis. Ergo quod omnibus natura tribuit, et

iumentis et bestiis hominibusque commune est, huius cura non penitus liberamur; sed praecipitur nobis ne solliciti simus quid manducemus: quia in sudore vultus praeparamus nobis panem: labor exercendus est, sollicitudo tollenda. quod autem hic dicitur, ne solliciti sitis, de carnali cibo et vestimento accipiamus; ceterum de spiritualibus cibis et vestimentis spiritus debemus esse solliciti.

Augustinus de haeres. Dicuntur autem euchtiae quidam haeretici, opinantes monacho non licere, sustentandae vitae suae causa, aliquid operari, atque ita seipsos profiteri ut omnino ab operibus vacent.

Augustinus de opere monach. Inquiunt enim: non de hoc opere corporali, in quo vel agricolae vel opifices laborant, praecepit apostolus cum dixit: qui non vult operari, non manducet. Neque enim evangelio potuit esse contrarius, ubi ait dominus: ideo dico vobis: ne solliciti sitis. In verbo ergo apostoli praedicto spiritualia opera debemus accipere, de quibus alibi dicitur: ego plantavi, apollo rigavit. Et ita se arbitrantur apostolicae obtemperare sententiae, cum evangelium credunt de non curanda corporali vitae huius indigentia praecepisse, et apostolum de opere et cibo spiritali dixisse: qui non vult operari, non manducet. Prius ergo demonstramus apostolum opera corporalia servos Dei operari voluisse. Praemiserat enim dicens: ipsi scitis quomodo oporteat nos imitari; quia non inquieti fuimus inter vos neque panem ab aliquo gratis manducavimus; sed in labore et fatigatione die ac nocte laborantes, ne quem vestrum gravaremus; non quia non habuimus potestatem, sed ut nosipsos formam daremus vobis, qua nos imitaremur. nam et cum essemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis, quoniam si quis non vult operari, non manducet. Quid ad hoc dici potest, quando exemplo suo docuit quid praeceperit, scilicet corporaliter operando? nam quod corporaliter operaretur, ostenditur in actibus, ubi dicitur quod mansit cum aquila et uxore eius priscilla, opus faciens apud illos: erant enim tabernaculorum artifices. Et tamen apostolo, tamquam praedicatori evangelii, militi christi, plantatori vineae, pastori gregis, constituerat dominus ut de evangelio viveret; qui tamen stipendium sibi debitum non exegit, ut se formam daret eis qui exigere indebita cupiebant. audiant ergo qui non habent hanc potestatem quam ille habebat, ut tantummodo spiritaliter operantes manducet panem a corporali labore gratuitum. Si autem evangelistae sunt, si ministri altaris, si dispensatores sacramentorum, habent hanc potestatem, si saltem habebant aliquid in saeculo, quo facile sine opificio sustentarent hanc vitam, quod conversi ad Deum indigentibus dispartiti sunt, et credenda est eorum infirmitas et ferenda. Nec attendendum in quo loco hoc quod habebant impenderint, cum omnium christianorum sit una respublica. Sed qui veniunt ad professionem servitutis Dei ex vita rusticana, et ex opificum exercitio et plebeio labore, si quo minus operentur, excusari non possunt. Nullo enim modo decet ut in ea vita ubi senatores fiunt laboriosi, ibi fiant opifices otiosi; et quo veniunt relictis deliciis suis qui fuerunt praediorum domini, ibi sint rustici delicati. at cum dominus ait nolite solliciti esse, non hoc dicit ut ista non procurent, quantum necessitatis est, unde honeste poterunt; sed ut ista non intueantur, et propter ista faciant quicquid in evangelii praedicatione facere iubentur: eam namque intentionem paulo superius oculum vocaverat.

Chrysostomus in Matth. vel potest aliter continuari: cum enim docuisset dominus pecuniam despiciere, ne aliqui dicerent: qualiter poterimus vivere, si omnia proiecerimus? subiungit dicens ideoque dico vobis: ne solliciti sitis animae vestrae.

Glossa. idest, cura temporali ne retrahamini ab aeternis.

Hieronymus. Praecipitur ergo nobis ne solliciti simus quid comedamus, quia in sudore vultus praeparamus nobis panem: ergo labor exercendus est, sollicitudo tollenda.

Chrysostomus super Matth. Non enim sollicitationibus spiritualibus, sed laboribus corporalibus acquirendus est panis, qui laborantibus pro praemio diligentiae, Deo praestante, abundat, et negligentibus pro poena, Deo faciente, subducitur. Confirmat autem spem nostram dominus; et primo de maiori ad minus descendit dicens nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum? .

Hieronymus. Qui maiora praestitit, utique et minora praestabit.

Chrysostomus super Matth. nisi enim voluisset conservari quod erat, non creasset; quod autem sic creavit ut per escam servetur, necesse est ut det ei escam quamdiu vult esse quod fecit.

Hilarius in Matth. vel aliter. Quia corruptus circa futurorum curam infidelium sensus est, calumniantium quae in resurrectione corporum species sit futura, quae in substantia aeternitatis alimonia, ideo subsequenter dicitur nonne anima plus est quam esca? non enim patitur spem nostram futuri in resurrectione cibi et potus et vestitus sollicitudine demorari; ne tanto pretiosiora reddenti, corpus scilicet atque animam, contumelia in non efficiendis levioribus inferatur.

MATTHAEUS 6,26-27

3626 (Mt 6,26-27)

Chrysostomus super Matth. postquam confirmavit spem nostram de maiore ad minus descendes, deinde confirmat de minori ad maius ascendens, cum dicit respicite volatilia caeli, quia non serunt neque metunt.

Augustinus de opere monach. quidam se dicunt propterea operari non debere, quia nec volucres caeli seminant neque metunt. Cur ergo non attendunt quod sequitur neque congregant in horrea? cur ergo isti manus otiosas et plena repositoria volunt habere? cur denique molunt et coquunt? haec enim aves non faciunt. Aut si reperiunt quibus hoc persuadeant, ut eis per singulos dies escas afferant praeparatas, saltem sibi de fontibus aquam afferunt et reponunt, quod volatilia non faciunt. Sed si nec aqua sibi vasa coguntur implere, et iam illos qui tunc erant hierosolymae novo gradu iustitiae supergressi sunt, qui de misso sibi ex gratia frumento panem fecerunt, aut facere curaverunt; quod aves non faciunt. non possunt autem ista servare, ut scilicet nihil in crastinum reponant, qui se per multos dies a conspectu hominum separatos, et nulli ad se praebentes accessum, includunt seipsos, viventes in magna intentione orationum. An forte quo sunt sanctiores, eo sunt volucris dissimiliores? quod ergo dicit de volatilibus caeli, ad hoc dicit, ne quisquam putet Deum servorum suorum necessaria non curare, cum eius providentia usque ad ista gubernanda perveniat. Neque enim non ipse pascit eos qui manibus operantur; neque etiam quia Deus dixit: invoca me in die tribulationis, et eruam te, non debuit fugere apostolus, sed expectare ut comprehenderetur, et eum Deus sicut tres pueros, de mediis ignibus liberaret. sicut enim qui fugientibus sanctis huiusmodi quaestionem obiiceret, responderunt non se oportuisse tentare Deum, sed tunc talia Deum, si vellet, esse facturum, ut eos liberaret, sicut daniellem a leonibus et petrum a vinculis, cum ipsi quid facerent non haberent; cum vero eis fugam in potestatem dedisset, etiam si liberarentur per illam, non nisi ab ipso liberari: sic servis Dei valentibus manibus suis victum transigere, si ex evangelio moverit quaestionem de volatilibus caeli, quae non seminant, neque metunt, facile responderent: si nos per aliquam infirmitatem vel occupationem non possumus operari, ille nos pascet sicut aves, quae nihil operantur. Cum autem possumus, non debemus tentare Deum, quia haec quae possumus, eius munere possumus; et cum hic vivimus, illo largiente vivimus qui largitus est ut possimus; et ille nos pascit a quo aves pascuntur, sicut dicitur et pater vester caelestis pascit illa. nonne vos magis pluris estis illis? .

Augustinus de serm. Dom. Idest carius vos valetis; quia rationale animal, sicut est homo, sublimius ordinatur in rerum natura quam irrationalia, sicut sunt aves.

Augustinus de Civ. Dei. Plerumque tamen carius comparatur equus quam servus, et gemma quam famula, non ratione considerantis, sed necessitate indigentis, seu voluptate cupientis.

Chrysostomus super Matth. omnia enim animalia Deus propter hominem fecit, hominem autem propter se; quanto ergo pretiosior est hominis creatio, tanto maior est Dei sollicitudo de ipso. Si ergo aves non laborantes inveniunt escas, homo non inveniet, cui Deus dedit et operandi scientiam et fructificandi spem? .

Hieronimus. Sunt autem quidam qui dum volunt terminos patrum excedere et ad alta volitare, in ima merguntur. volatilia caeli angelos esse volunt, ceterasque in Dei ministerio fortitudines, quae absque sui cura, Dei aluntur providentia. si hoc itaque est, ut intelligi volunt, quomodo sequitur dictum ad homines nonne vos magis pluris estis illis? simpliciter ergo accipiendum, quod si volatilia absque cura et aerumnis, Dei aluntur providentia, quae hodie sunt et cras non erunt, quanto magis homines, quibus aeternitas repromittitur? .

Hilarius in Matth. potest autem dici, quod sub nomine volucrum, exemplo nos immundorum spirituum hortatur, quibus sine aliquo negotio quaerendi et congregandi, vivendi tamen tribuitur de aeterni consilii potestate substantia; atque ut ad immundos istud spiritus referatur, opportune adiecit nonne vos pluris estis illis? de comparationis praestantia differentiam nequitiae et sanctitatis ostendens.

Glossa. Non solum autem exemplo avium, sed experimento docet, quod ad hoc quod sumus et vivimus, nostra cura non sufficit, sed divina providentia operatur, dicens quis autem vestrum cogitans potest adicere ad staturam suam cubitum unum? .

Chrysostomus super Matth. Deus enim est qui per singulos dies incrementa corporis tui facit, te non intelligente. si ergo in teipso quotidie Dei providentia operatur, quomodo in necessariis tuis cessabit? si autem vos cogitando modicam partem corpori vestro addere non potestis, quomodo cogitando salvandi estis in toto? .

Augustinus de serm. Dom. vel potest referri ad sequentia; ac si diceret: non esse cura nostra factum ut ad hanc staturam veniret corpus nostrum; ex hoc intelligi potest quod si velletis adiicere unum cubitum, non possetis. illi ergo tegendi corporis curam relinquit, cuius curam factum est ut esset tantae staturae.

Hilarius in Matth. vel aliter. Sicut fidem vitalis substantiae nostrae de documento spirituum firmavit, ita opinionem futuri habitus iudicio communis intelligentiae dereliquit. Cum enim universorum corporum quae vitam hauserunt, diversitatem in unum perfectum virum sit excitaturus, solusque potens sit ad uniuscuiusque proceritatem cubitum unum et alterum tertiumve praestare; de vestitu, idest de specie corporum, cum eius contumelia ambigimus, qui ut aequalem omnem hominem efficiat, tantum mensurae est humanis corporibus additurus.

Augustinus de civit. Dei. Sed si Christus in ea mensura corporis in qua mortuus est, resurrexit, nefas est dicere, cum resurrectionis omnium tempus venerit, accessuram corpori eius eam magnitudinem quam non habuit, quando in ea discipulis, in qua notus erat, apparuit, ut longissimis fieri possit aequalis. Si autem dixerimus ad dominici corporis modum, etiam minorum maiorumque corpora redigenda, peribit de multorum corporibus perplurimum, cum ipse nec capillum periturum esse promiserit. Restat ergo ut quisque recipiet suam mensuram, quam vel habuit in iuventute, si senes est mortuus, vel fuerat habiturus, si est ante defunctus. et ideo non est dictum ab apostolo: in mensuram staturae, sed: in mensuram aetatis plenitudinis christi; quia resurgent corpora mortuorum in iuvenili aetate et robore, ad quam Christum pervenisse cognovimus.

MATTHAEUS 6,28-30

3628 (Mt 6,28-30)

Chrysostomus in Matth. postquam monstravit quod non oportet nos pro cibo esse sollicitos, ad id quod levius est pertransit: neque enim ita necessarium est indumentum sicut cibus: unde dicit et de vestimentis quid solliciti estis? non autem hic utitur exemplo volucrum, ut induceret pavonem et cygnum, a quibus erat similia exempla accipere; sed utitur exemplo liliorum, dicens considerate lilia agri. Vult ex duobus monstrare superabundantiam: scilicet a munificentia pulchritudinis, et a vilitate participantium tali decore.

Augustinus de serm. Dom. ipsa autem documenta non sic allegorice discutienda sunt ut quaeramus quid significant aves caeli aut lilia agri: posita sunt enim ut de rebus minoribus maiora persuadeantur.

Chrysostomus super Matth. Lilia enim statuto tempore formantur in frondibus, vestiuntur candore, implentur odoribus; et quod terra radici non dederat. Deus invisibili operatione largitur. In omnibus autem eadem plenitudo servatur, ut non ab eventu facta putentur, sed Deo providentia intelligantur esse disposita. Dicendo autem non laborant, viros confortat; dicendo vero neque nent, mulieres.

Chrysostomus in Matth. Haec autem dicens, non opus prohibuit, sed sollicitudinem, sicut et supra cum de seminatione loqueretur. Et ut magis Dei providentiam in ipsis commendet quae omnem superat humanam industriam, subdit dico autem vobis, quoniam neque salomon in gloria sua cooperatus est sicut unum ex istis.

Hieronymus. Revera enim quod sericum, quae regum purpura, quae pictura textricum potest floribus comparari? quid ita rubet ut rosa? quid ita candet ut lilium? violae vero purpuram nullo superari murice, oculorum magis quam sermonis iudicium est.

Chrysostomus. quantum enim veritatis ad mendacium, tantum vestimentorum et florum differentia est. Si ergo salomon a floribus superatus est, qui omnibus regibus fuit praeclarior, quando tu vestimentis poteris vincere florum decorem? est autem salomon superatus a florum decore non semel tantum neque bis, sed per totum tempus sui regni: et hoc est quod dicit in omni gloria sua: quia nec in uno die ita decoratus est ut flores.

Chrysostomus super Matth. vel hoc dicit, quia salomon etsi non laborabat quod vestiretur, tamen iubebat. Ubi autem iussio, illic et ministrantium offensa et iubentis ira frequenter invenitur. Haec autem quando nesciunt, sic ornantur.

Hilarius in Matth. Vel lilia intelligenda sunt angelorum caelestium claritates, quibus a Deo gloriae candor indultus est. Non laborant autem, neque nent, quia virtutes angelorum ex ea quam adeptae sunt originis suae sorte, ut sint semper accipiunt; et cum in resurrectione similes homines angelis erunt, sperare

caelestis gloriae voluit operimentum, exemplo angelicae claritatis.

Chrysostomus super Matth. Si autem floribus terrenis sic occurrit Deus, qui nati sunt ut tantummodo videantur et pereant, homines negliget, quos sic creavit ut non pro tempore videantur, sed ut perpetuo sint? et hoc est quod dicit si autem foenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos modicae fidei? .

Hieronymus. cras autem in scripturis futurum tempus intelligitur, dicente iacob: exaudiet me cras iustitia mea.

Glossa. alii libri habent in ignem, vel in acervum, qui habet speciem clibani.

Chrysostomus in Matth. Non autem lilia iam ea vocat, sed foenum agri, ut eorum vilitatem ostendat. Sed et aliam vilitatem apponit dicens quae hodie sunt; et non dixit: cras non erunt, sed, quod est multo deficientius, quod in clibanum mittitur. quod autem dicit quanto magis vos, occulte insinuat humani generis honor; ac si diceret: vos quibus animam dedit, corpus plasmavit, prophetas misit, et unigenitum filium tradidit.

Glossa. Dicit autem modicae fidei, quia modica fides est quae nec de minimis certa est.

Hilarius. vel sub foeni nomine gentes nuncupantur. Si igitur gentibus idcirco tantum indulgetur aeternitas corporalis ut mox igni iudicii destinentur, quam profanum est sanctos de gloria aeternitatis ambigere, cum iniquis aeternitatis opus praestetur ad poenam? **Remigius.** Spiritualiter autem per volatilia sancti viri designantur, qui ex aqua sacri baptismatis renascuntur, et devotione terrena despiciunt et caelestia petunt, quibus pluris dicuntur esse apostoli, qui principes sunt omnium sanctorum. Per lilia sancti viri intelliguntur, qui absque labore legalium caeremoniarum, sola fide Deo placuerunt; de quibus dicitur: dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Sancta etiam ecclesia per lilium intelligitur, propter candorem fidei et odorem bonae conversationis; de qua dicitur: sicut lilium inter spinas. Per foenum designantur infideles; de quibus dicitur: aruit foenum et flos eius cecidit. per clibanum aeterna damnatio; ut sit sensus: si Deus infidelibus tribuit bona temporalia, quanto magis tribuet nobis aeterna?

MATTHAEUS 6,31-33

3631 (Mt 6,31-33)

Glossa. Postquam sigillatim de victu et vestitu sollicitudinem excluserat, argumento ab inferioribus sumpto, hic consequenter utrumque excludit, dicens nolite ergo solliciti esse dicentes: quid manducabimus aut quid bibemus, aut quo operiemur? **Remigius.** Ideo autem hoc dominus repetivit, ut ostenderet hanc rem esse pernecessariam, et ut arctius eam in cordibus nostris inculcaret.

Rabanus. notandum vero, quod non ait: nolite quaerere, aut solliciti esse de cibo aut potu aut indumento, sed quid manducetis aut quid bibatis, aut quid vestiamini; ubi mihi videntur argui qui spreto victu vel vestimento communi, lautiora sibi vel austeriora his cum quibus vitam ducunt alimenta vel indumenta requirunt.

Glossa. est etiam alia sollicitudo superflua ex vitio hominum, quando fructus et pecuniam plusquam necesse est reservant, et dimissis spiritualibus, illis intenti sunt, quasi de bonitate Dei desperantes; et hoc prohibetur; unde subditur haec omnia gentes requirunt.

Chrysostomus super Matth. quia in rebus humanis fortunam credunt esse, non providentiam; neque iudicio Dei vitas suas gubernari existimant, sed incerto duci eventu; ideo merito timent et desperant, quasi qui neminem habent gubernantem. qui autem credit se Dei iudicio gubernari, escam quidem suam in manu Dei committit; unde sequitur scit enim pater vester quia his omnibus indigetis.

Chrysostomus in Matth. Non autem dicit: scit Deus; sed scit pater vester, ut eos in maiorem spem ducat: si enim pater est, non poterit despiciere filios, cum nec homines patres hoc sustineant. Dicit autem quoniam his omnibus indigetis, ut magis sollicitudinem abiiciatis, quia necessaria sunt. Qualiter enim est pater qui sustinet etiam necessaria filiis non dare? si autem essent superflua, non ita oporteret confidere.

Augustinus de trin. non autem ista ex aliquo tempore cognovit Deus, sed futura omnia temporalia; atque in eis etiam quid et quando ab illo petituri eramus, sine initio ante praescivit.

Augustinus de Civ. Dei. quod autem dicunt quidam, haec Dei scientia non posse comprehendi, quia infinita sunt, restat eis dicere, quod non omnes numeros Deus noverit, quos infinitos esse certissimum est. Infinitas autem numeri non est incomprehensibilis ei cuius intelligentiae non est numerus. Quapropter, si quicquid scientia comprehenditur, scientis comprehensione finitur, profecto omnis infinitas quodam ineffabili modo Deo finita est, quia eius scientiae incomprehensibilis non est.

Gregorius Nyssenus de hom. Quoniam autem est providentia, per huiusmodi signa demonstratur: permanentia enim universorum, et maxime eorum quae sunt in generatione et corruptione, et positio et ordo eorum quae sunt, semper custoditur secundum eundem modum; qualiter utique perficeretur nullo providente? sed quidam dicunt: Deo curam esse existentium permanentiae in universali, et huius solius providentiam habere; singularia vero fieri ut contingit. Tres autem causas solas utique quis dicet non fieri providentiam singularium: aut enim hoc quod est ignorare Deum quoniam bonum est particularium diligentiam habere; aut non velle; aut non posse. Sed ignorantia omnino aliena est a beata substantia: qualiter enim latebit Deum quod nec homo sapiens ignorabit, quod singularibus destructis, universalia destruentur? nihil autem prohibet omnia individua perire, nulla procurante potentia. si autem non vult, propter duas fit causas: aut propter pigritiam, aut propter indecentiam. Pigritia autem a duobus generatur: aut enim voluptate aliqua attracti pigritamur, aut propter timorem desistimus: quorum neutrum fas est cogitare de Deo. Si autem dicant non decere Deum, indignum enim esse tantae beatitudinis parvis condescendere, qualiter non inconveniens est artificem quidem procurantem universalia, nihil particularium neque parvissimum derelinquere sine procuratore, scientem quod ad totum proficit pars; conditorem vero Deum artificibus enuntiare indoctorem? si autem non potest, imbecillis est Deus, et impotens benefacere. si vero incomprehensibilis nobis est singularium providentiae ratio, non propterea oportet dicere quia non est providentia; ita enim dicerent, quia numerum hominum ignoramus, neque homines esse.

Chrysostomus super Matth. sic ergo qui credit se Dei iudicio gubernari, escam suam in manu Dei committat: cogitet autem de bono et malo; de quo nisi sollicitus fuerit, neque malum fugiet, neque bonum apprehendet. et ideo subditur quaerite autem primum regnum Dei et iustitiam eius. Regnum Dei est retributio bonorum operum; iustitia autem eius, via pietatis, per quam itur ad regnum. Si ergo cogites qualis erit gloria sanctorum, necesse est ut aut propter timorem poenae recedas a malo, aut propter desiderium gloriae festines ad bonum. Et si cogitaveris quae sit Dei iustitia, quid scilicet odit Deus et quid amat, iustitia ipsa ostendit tibi vias suas, quae amantes se sequitur. Non autem daturi sumus rationem, si pauperes sumus aut divites; sed si bene vel male egerimus, quod est in nostro arbitrio.

Glossa. vel dicit iustitiam eius, quasi dicat: ut per eum, non per vos iusti sitis.

Chrysostomus super Matth. Terra autem etiam propter peccata hominum maledicatur ut non germinet, secundum illud: maledicta terra in opere tuo; benedicatur autem cum bona fecerimus. quaere ergo iustitiam, et non deerit tibi panis; unde sequitur et haec omnia adicientur vobis.

Augustinus de serm. dom. Scilicet temporalia; quae manifeste hic ostendit non esse talia bona nostra propter quae bene facere debeamus; sed tamen necessaria esse. Regnum vero Dei et iustitia eius bonum nostrum est, ubi finis constituendus est. Sed quia in hac vita militamus, ut ad illud regnum pervenire possimus, quae vita sine his necessariis agi non potest, apponentur, inquit haec vobis. Cum autem dixit illud primum, significavit quia hoc posterius quaerendum est non tempore, sed dignitate; illud tamquam bonum nostrum, hoc tamquam necessarium est. Neque enim (verbi gratia). debemus evangelizare ut manducemus, quia sic vilius haberemus evangelium quam cibum, sed ideo manducare ut evangelizemus. quaerentibus autem primum regnum Dei et iustitiam eius, idest hoc praeponentibus ceteris rebus, ut hoc propter cetera quaeramus, non debet subesse sollicitudo, ne necessaria desint; et ideo ait haec omnia adicientur vobis, idest consequenter sine ullo vestro impedimento: ne cum ista quaeritis, illinc avertamini, aut duos fines constituatis.

Chrysostomus in Matth. et non dixit: dabuntur, sed apponentur, ut discas quia praesentia nihil sunt ad magnitudinem futurorum.

Augustinus de serm. Dom. Cum autem legimus in fame et siti apostolum laborasse, non existimemus hic domini promissa titubasse; quandoquidem ista sunt adiutoria. medicus iste, cui nos totos commisimus, novit quando apponat et quando detrahat, sicut nobis iudicat expedire. si enim nobis aliquando defuerint (quod plerumque propter nostram exercitationem Deus sinit)., non debilitat propositum nostrum, sed examinatum confirmat.

MATTHAEUS 6,34

3634 (Mt 6,34)

Glossa. Prohibuerat sollicitudinem praesentium rerum; modo prohibet sollicitudinem futurorum vanam ex vitio hominum provenientem, cum dicit nolite ergo solliciti esse in crastinum.

Hieronymus. Cras in scripturis futurum tempus intelligitur, dicente iacob: exaudiet me cras iustitia mea, et in samuelis phantasmate pythonissa loquitur ad saulem: cras eris mecum. De praesentibus ergo concessit debere esse sollicitos qui futura prohibet cogitare. Sufficit enim nobis praesentis temporis cogitatio; futura, quae incerta sunt, Deo relinquamus. et hoc est quod dicitur crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi, idest ipse affert sollicitudinem suam secum. Sufficit enim diei malitia sua. Hic malitiam non contrariam virtuti posuit, sed laborem et afflictionem et angustiam saeculi.

Chrysostomus in Matth. Nihil enim ita dolorem infert animae ut sollicitudo et cura. Cum autem dicat quod crastina dies erit sollicita de seipsa, volens manifestius facere quod dicitur, prosopopoeiam facit temporis, secundum multorum consuetudinem, loquens ad plebem imperfectam: ut enim eos magis moveat, ipsos dies conquerentes inducit pro superflua cura. Numquid enim dies non sufficiens habet onus, idest curam suam? quid igitur eam aggravas magis, curam quae pertinet ad alium diem apponendo? .

Chrysostomus super Matth. Vel aliter. Per hodie haec solum significantur quae habemus in vita praesenti necessaria. quia autem dicit cras, quod superfluum est ostendit; dicit ergo nolite solliciti esse in crastinum, idest, nihil curetis super id habere quod necessarium est vobis ad vitam quotidianam: quod enim superfluum fuerit, quod est cras, curabit se. Et hoc est quod dicit: crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi; ac si dicat: superflua cum congregaveris, ipsa se curabunt; te quidem eis non fruente, invenient dominos multos, qui ea procurent. Quid ergo curas de illis, quorum potestatem aliis es dimissurus? sufficit enim diei malitia sua; quasi dicat: sufficit tibi labor quem pateris propter necessaria; noli de superfluis laborare. Vel aliter.

Augustinus de serm. Dom. Non dicitur crastinus dies nisi in tempore, ubi praeterito succedit futurum. Ergo cum aliquid boni operamur, non terrena, sed aeterna cogitemus. crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi, idest, cum oportuerit, sumamus cibum et huiusmodi, scilicet cum necessitas urgere coeperit. Sufficit enim diei malitia sua; idest, sufficit quod ista sumere urgebit necessitas; quam malitiam nominat, quia poenalis est nobis: pertinet enim ad mortalitatem, quam peccando meruimus. Huic ergo poenae temporalis necessitati noli addere aliquod gravius: ut non solum eam patiaris, sed etiam propter hanc explendam milites Deo. hic est cavendum, ne cum viderimus aliquem servum Dei providere ne ista necessaria desint vel sibi vel eis quorum cura sibi commissa est, iudicemus eum contra domini praecepta facere, et de crastino esse sollicitum: nam et ipse dominus (cui ministrabant angeli). propter exemplum loculos habere dignatus est. et in actibus apostolorum scriptum est, quae ad victum sunt necessaria, procurata esse in futurum propter imminens famem. Non ergo hoc dominus increpat, si quis humano more ista procuret; sed si quis propter ista non militet Deo.

Hilarius in Matth. Hoc etiam totum sub dicti caelestis significantia continetur. iubemur igitur non ambigere de futuris. satis enim vitae nostrae malitia dierum quibus vivimus, scilicet peccata, sufficiunt, ut circa haec purganda omnis vitae nostrae meditatio laborque versetur. Cessante autem cura nostra, ipsa futura sollicita sunt, dum nobis aeternae caritatis profectus Deo procurante proponitur.

MATTHAEUS 7,1-2

3701 (Mt 7,1-2)

Augustinus de serm. Dom. quia cum ista temporalia procurantur in futurum, incertum est quo animo fiat, cum possit simplici corde fieri, et duplici, opportune hoc loco subiecit nolite iudicare. vel aliter.

Chrysostomus super Matth. hucusque exposuit consequentiam ad eleemosynam pertinentem; nunc autem incipit exponere consequentiam ad orationem respicientem. et est doctrina haec quodammodo pars orationis, ut sit ordo narrationis talis: dimitte nobis debita nostra; et sequitur nolite iudicare, ut non iudicemini.

Chrysostomus super Matth. Sed si iudicare prohibet, qua consequentia paulus corinthios iudicat

fornicantem, et petrus ananiam et saphiram mendacii arguit? sed quidam hunc locum secundum huiusmodi sensum exponunt, quia dominus hoc mandato non prohibet christianos ex benevolentia alios corripere; sed ne per iactantiam iustitiae suae christiani christianos despiciant, ex solis plerumque suspicionibus odientes ceteros et contemnentes, et sub specie pietatis proprium odium exequentes.

Chrysostomus in Matth. Unde non dixit: ne quiescere facias peccantem; sed: ne iudicaveris; hoc est: ne amarus fias iudex: corripere quippe non ut hostis expetens vindictam, sed ut medicus instituens medicinam.

Chrysostomus super Matth. sed ut non sic quidam corripere christiani christianos, convenit sermo qui dicit nolite iudicare. sed si non sic corripuerint, numquid propter hoc consequentur indulgentiam peccatorum, quia dictum est non iudicabimini? quis enim consequitur indulgentiam mali prioris, quia non addidit alterum malum? hoc autem diximus volentes ostendere, quia hic sermo non est positus de proximis non iudicandis qui peccant in Deum, sed qui in nos peccant. qui enim non iudicat proximum propter peccatum in se commissum, illum nec Deus iudicat propter peccatum; sed dimittit ei debitum, sicut et ipse dimisit.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. Non simpliciter universa peccata iubet non iudicare; sed his qui multis malis sunt pleni, et alios pro minimis iudicant, hanc prohibitionem facit. Sicut et paulus non simpliciter prohibet iudicare eos qui peccant, sed discipulos iudicantes de magistris redarguit, docens ut eos qui supra nos sunt non iudicemus.

Hilarius in Matth. Vel aliter. Iudicari de sensionibus suis Deum vetat: quia ut iudicia ex incertis rebus inter homines sumuntur, ita et hoc iudicium adversus Deum ex ambiguitate suscipitur: quod penitus repellit a nobis, ut constans potius fides retineatur: quia non sicut in ceteris rebus peccatum fit perperam iudicasse; sed si in rebus tantummodo dederit iudicium, initium fit criminis.

Augustinus. vel aliter. Hoc loco nihil aliud praecipere existimo, nisi ut ea facta quae dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur. De his autem quae non possunt bono animo fieri, sicut sunt stupra, blasphemiae et huiusmodi, nobis iudicare permittit; de factis autem mediis, quae possunt bono et malo animo fieri, temerarium est iudicare, maxime ut condemnemus. duo autem sunt in quibus temerarium iudicium cavere debemus, cum incertum est quo animo quicquam factum sit, vel cum incertum est qualis quisque futurus est, qui nunc vel bonus vel malus apparet. Non ergo reprehendamus ea quae nescimus quo animo fiant; neque ita reprehendamus quae manifesta sunt ut desperemus sanitatem. Potest autem movere quod ait in quo iudicio iudicaveritis, iudicabimini. Numquid si nos temerario iudicio iudicaverimus, temere etiam de nobis Deus iudicabit? aut numquid si mensura iniqua mensi fuerimus, et apud Deum est iniqua mensura, unde nobis remetatur? nam mensurae nomine ipsum iudicium significatum arbitror. Sed hoc dictum est, quoniam temeritas qua punis alium, ipsa te puniat necesse est. iniquitas enim saepe nihil nocet ei qui patitur iniuriam, ei vero qui facit necesse est ut noceat.

Augustinus de Civ. Dei. dicunt aliqui: quomodo verum est quod ait Christus et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, si temporale peccatum supplicio puniatur aeterno? nec attendunt non propter aequale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali (idest ut qui mala fecerit, mala patiat). eandem dictam mensuram fuisse: quamvis in ea re hoc proprie possit accipi de qua dominus cum hoc diceret loquebatur, idest de iudiciis et condemnationibus. proinde qui iudicat et condemnat iniuste, si iudicatur et condemnatur iuste in eadem mensura recipit, quamvis non hoc quod dedit: iudicio enim fecit quod iniquum est, iudicio patitur quod iustum est.

MATTHAEUS 7,3-5

3703 (Mt 7,3-5)

Augustinus de serm. Dom. quia de temerario et iniquo iudicio dominus admonuerat, maxime autem hi temere iudicant, qui de incertis et facile reprehendunt, qui magis amant vituperare et damnare, quam emendare atque corrigere, quod vitium vel superbia est vel invidentia, consequenter subiicit et dicit quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? .

Hieronymus. De his loquitur qui cum mortali crimine detineantur obnoxii, minora peccata fratribus non concedunt, ut si forte ira ille peccaverit, ut odio reprehendas. quantum autem inter festucam et trabem, tantum inter iram distat et odium: odium enim ira inveterata est. fieri autem potest ut si irascaris homini, velis eum corrigi; non autem si eum oderis.

Chrysostomus in Matth. Multi etiam hoc faciunt, qui si viderint monachum superfluum vestimentum habentem, aut copiosiori cibo potitum, amari fiunt accusatores, quotidie ipsi rapientes et crapulam patientes.

Chrysostomus super Matth. Vel aliter. hoc quod hic dicitur, doctoribus convenit. omne enim peccatum diiudicatur modicum aut magnum, secundum peccantis personam. laici enim peccatum modicum est et festuca quantum ad peccatum sacerdotis, quod trabi comparatur.

Hilarius in Matth. Vel aliter. Peccatum in spiritum sanctum est divinae virtutis potestatem negare, et Christo substantiam adimere aeternitatis; per quem, quia in hominem venit Deus, homo rursus veniet in Deum. Ergo quantum inter festucam et trabem discriminis est, tantum ostendit peccatum in spiritum sanctum cetera crimina excedere: ut cum infideles delicta corporis aliis exprobrant, onus peccati, quod de promissis Dei ambigunt, in se ante non videant, in oculo trabe, tamquam in mentis acie, incidente. sequitur aut quomodo dices fratri tuo: sine, eiciam festucam de oculo tuo, et ecce in oculo tuo trabs est? .

Chrysostomus super Matth. Idest, cum qua facie arguis peccatum fratris tui, ipse aut in eodem peccato vel in maiori existens? .

Augustinus. Primum ergo cogitemus cum aliquem reprehendere nos necessitas coegerit, utrum tale sit vitium quod numquam habuimus; et tunc cogitemus, et nos homines esse, et habere potuisse; vel tale quod habuimus, et iam non habemus; et tunc tangat memoriam communis fragilitas, ut illam correctionem non odium sed misericordia praecedat. si autem invenerimus nos in eodem vitio esse, non obiurgemus, sed congemiscamus, et ad pariter conandum invitemus. Raro autem et ex magna necessitate obiurgationes adhibendae sunt; in quibus non ut nobis, sed ut domino serviatur instemus.

Chrysostomus super Matth. vel aliter. Quomodo dices fratri tuo? idest, quo proposito putas? ex caritate, ut salves proximum tuum? non, quia teipsum ante salvares. Vis ergo non alios sanare, sed per bonam doctrinam malos actus celare, et scientiae laudem ab hominibus quaerere, non aedificationem mercedis a Deo; et es hypocrita; unde sequitur hypocrita, eice primum trabem de oculo tuo.

Augustinus. Accusare enim vitia officium est bonorum; quod cum mali faciunt, alienas partes agunt; sicut hypocritae, qui tegunt sub persona quod sunt, et ostendunt in persona quod non sunt.

Chrysostomus in Matth. et notandum, quod ubicumque vult monstrare magnum aliquod peccatum, a contumelia incipit; sicut ibi: serve nequam, omne debitum dimisi tibi; et ideo hic dicit hypocrita, eice primum. etenim quae sui ipsius sunt, magis aliquis novit quam quae sunt aliorum; et quae maiora sunt, magis videt quam quae minora, et seipsum magis diligit quam proximum. et ideo iubet eum qui obnoxius est multis peccatis, non amarum esse iudicem delictorum alterius, et maxime cum fuerunt parva: non quidem ab arguendo aut a corrigendo avertens, sed prohibet propria contemnere, et alienis insistere. Oportet enim ut primo cum diligentia investiges quae tua sunt, et tunc quae proximi sunt discuties; et ideo sequitur et tunc videbis eicere festucam de oculo fratris tui.

Augustinus. Auferentes enim de oculo nostro trabem invidentiae vel malitiae vel simulationis, videbimus eicere festucam de oculo fratris.

MATTHAEUS 7,6

3706 (Mt 7,6)

Augustinus de serm. Dom. quia potest aliquos nomen simplicitatis, ad quam per superiora induxerat, decipere, ut sic putetur vitiosum esse aliquando verum occultare, quomodo vitiosum est falsum dicere, recte subiungit nolite sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos.

Chrysostomus super Matth. vel aliter. Iusserat superius dominus diligere inimicos et benefacere his qui peccant in nos. Ne ergo cogitarent sacerdotes etiam quae Dei sunt eis communicare, talem cogitationem compescuit, dicens nolite sanctum dare canibus; ac si diceret: mandavi vobis diligere inimicos, et benefacere eis de vestris corporalibus bonis, non tamen de meis spiritalibus passim, quoniam in natura vobiscum communes sunt, non in fide; et Deus carnalia beneficia dignis et indignis similiter praestat, non autem gratias spiritalis.

Augustinus. Quaerendum autem est quid sit sanctum, quid canes, quid margaritae, quid porci. Sanctum

est quod corrumpere nefas est; cuius sceleris voluntas rea tenetur, quamvis illud incorruptibile maneat. Margaritae autem sunt quaecumque spiritalia magni aestimanda sunt. Licet itaque una eademque res et sanctum et margarita dici possit; sed sanctum dicitur ex eo quod non debet corrumpi; margarita vero ex eo quod non debet contemni.

Chrysostomus super Matth. Vel aliter. Sanctum est sicut baptismus, gratia corporis christi et huiusmodi; mysteria autem veritatis margaritae sunt: quia sicut margaritae inclusae cochleis, positae sunt in profundo maris, sic mysteria divina verbis inclusa, posita sunt in altitudine sensus sacrae scripturae.

Chrysostomus in Matth. quae quidem his qui bonae mentis sunt et intellectum habent, revelata, honesta apparent; his autem qui insensibiles sunt, magis videntur reverenda cum ignorantur.

Augustinus. canes autem pro impugnatoribus veritatis, porcos pro contemptoribus positos non incongrue accipimus. Quapropter, quia canes exiliunt ad dilacerandum, quod autem dilacerant integrum esse non sinunt, dixit nolite sanctum dare canibus: quia, quantum in ipsis est, si fieri posset, conantur perimere veritatem. Porci autem quamvis non ita ut canes morsu appetant, passim tamen calcando inquinant: et ideo dicit neque mittatis margaritas vestras ante porcos.

Rabanus. Vel canes sunt ad vomitum reversi; porci nondum conversi, sed in luto vitiorum versati.

Chrysostomus super Matth. vel aliter. Canis et porcus immunda animalia sunt; sed canis ex omni parte, quia nec ruminat, nec unguam findit; porcus autem ex parte; nam unguam habet fissam, sed non ruminat. Propter quod canes puto intelligendos gentiles omnino immundos, et propter actus et propter fidem; porcos autem haereticos, quia nomen domini invocare videntur. Nolite ergo sanctum dare canibus: quia baptismum et alia sacramenta non sunt danda nisi fidem habentibus. Item mysteria veritatis, idest margaritae non sunt dandae nisi desiderantibus veritatem, et cum ratione humana viventibus. Si enim porcis eas miseris, idest coenosae vitae delectatione gravatis, non intelligunt pretiositatem earum; sed aestimant eas similes ceteris fabulis mundialibus, et eas actibus suis carnalibus conculcant.

Augustinus. Calcarum enim dicitur quicquid contemnitur: et ideo dicitur ne forte conculcent eas pedibus suis.

Glossa. Dicit autem ne forte, quia respiscere possunt ab immunditia.

Augustinus. Quod autem sequitur, et conversi dirumpant vos, non ait ipsas margaritas: illas enim conculcant, et cum convertuntur ut adhuc aliquid audiant, dirumpunt eum a quo missas margaritas conculcant: non enim facile inveneris quod ei gratum esse possit, a quo magno labore inventa contemnantur. Qui ergo tales docent, quomodo non dirumpantur indignando et stomachando non video.

Chrysostomus super Matth. vel porci non solum carnalibus actibus margaritas conculcant, sed etiam post modicum conversi, per inobedientiam rumpunt praebitores earum. Frequenter autem et scandalizati calumniantur eos quasi dogmatum novorum seminarios. Canes etiam conculcantes sancta sordidis actibus, disputationibus suis rumpunt praedicatorum veritatis.

Chrysostomus in Matth. et bene dixit conversi: fingunt enim mansuetudinem, ut addiscant; deinde cum didicerint, detrahunt.

Chrysostomus super Matth. Rationabiliter autem margaritas dari porcis prohibuit: quia si porcis minus immundis mitti vetantur, quanto magis canibus plus immundis? de sancto autem dando idem aestimare non possumus; quia frequenter etiam benedictionem damus pecorum more viventibus christianis, non quia merentur accipere, sed ne forte plenius scandalizati dispareant.

Augustinus de serm. Dom. cavendum est ergo ne quid aperiatur ei qui non capit; melius enim quaerit id quod clausum est quam id quod apertum est: aut infestat per odium, ut canis, aut negligit per contemptum, ut porcus. Non est autem consequens ut si verum occultatur, etiam falsum dicatur: quia dominus quamvis nihil mentitus sit, vera tamen aliqua occultavit, secundum illud iohannis: adhuc habeo vobis multa dicere, quae non potestis portare modo. Sed si aliquis non capit propter sordes, mundandus est vel verbo vel opere quantum fieri potest a nobis. quia autem dominus quaedam dixisse invenitur quae multi qui aderant, vel resistendo vel contemnendo non receperunt, non putandus est sanctum dedisse canibus, aut margaritas ante porcos misisse. Dedit enim eis qui capere poterant, et simul aderant, quos propter aliorum immunditiam negligi non oportebat; et quamvis tentantes eum in ipsis quae eis respondebat, contabescerent, alii tamen qui poterant capere, ex illorum occasione multa utiliter audiebant. qui ergo novit quid respondeat, debet respondere, saltem propter illos quibus desperatio suboritur, si propositam

quaestionem solvi non posse crediderint: et hoc de rebus ad instructionem salutis pertinentibus. De supervacuis autem et noxiis nihil dicendum est; sed hoc ipsum explicandum est, cur inquirenti talia non oporteat respondere.

MATTHAEUS 7, 7-8

3707 (Mt 7,7-8)

Hieronymus. Quia carnalia supra vetuerat postulari, quid petere debeamus ostendit dicens petite, et dabitur vobis.

Augustinus de serm. Dom. vel aliter. Cum praeceptum esset ne sanctum daretur canibus, et ne margaritae ante porcos mitterentur, potuit auditor suae ignorantiae conscius dicere: quid sanctum me dare canibus vetas, cum adhuc me habere non videam? et ideo opportune subiecit dicens petite et accipietis.

Chrysostomus super Matth. vel aliter. Quoniam ad sanctificandam orationem quaedam dederat eis mandata, dicens nolite iudicare, competenter adiungit petite, et dabitur vobis; quasi dicat: si hanc clementiam servaveritis ad inimicos, quicquid clausum vobis videtur, pulsate, et aperietur vobis. Petite ergo precibus, die ac nocte orantes; quaerite studio et labore: nec enim laborantes circa scripturam acquirimus scientiam sine gratia Dei, nec gratiam acquirimus nisi studuerimus, ne donum Dei negligentibus detur. Pulsate autem oratione et ieiuniis et eleemosynis. Sicut enim qui pulsat ostium, non tantum voce clamat, sed manu, sic et qui bona opera facit, pulsat operibus bonis. Sed dices: hoc ipsum peto ut sciam et faciam; quomodo ergo possumus facere priusquam accipiam? sed quod potest fac, ut amplius possis; et quod scis serva, ut amplius scias. Vel aliter. Cum dixisset supra omnibus ut indulgerent inimicis, et postea prohibuerit ne sub obtentu dilectionis sancta canibus darent, nunc dat eis bonum consilium, ut petant Deum pro illis, et dabitur eis; quaerant eos qui perierant in peccatis, et invenient; pulsant eos qui in erroribus sunt conclusi, et aperiet eos Deus, ut habeat sermo eorum ad animas eorum ingressum. vel aliter. Quoniam maiora erant mandata superius posita quam virtus humana, transmittit eos ad Deum, cuius gratiae nihil impossibile est, dicens petite, et dabitur vobis, ut quod ex hominibus consummari non potest, per gratiam Dei adimpleatur. Cum enim alia animalia Deus muniverit veloci pedum cursu, aut velocibus pennis, aut unguibus, aut dentibus, aut cornibus, hominem solum sic disposuit ut virtus illius sit ipse, ut infirmitatis suae necessitate coactus, semper necessarium habeat dominum suum.

Glossa. petimus autem fide, quaerimus spe, pulsamus caritate. Primum petere debes, ut habeas; post quaerere, ut invenias; inventa observare, ut introeas.

Remigius. vel aliter. Petimus orando, quaerimus recte vivendo, pulsamus perseverando.

Augustinus. Petitio autem pertinet ad impetrandam sanitatem animae, ut ea quae praecipuntur, implere possimus; inquisitio autem ad inveniendam veritatem. Sed cum quisque veram viam invenerit, perveniet ad ipsam possessionem; quae tantum pulsanti aperietur.

Augustinus in lib. Retract. operose quidem ista tria quid inter se differant, sic exponendum putavi; sed longe melius ad instantissimam petitionem omnia referuntur: unde postea concludit dicens dabit bona petentibus se.

Chrysostomus in Matth. Per hoc ergo quod addidit quaerite et pulsate, cum instantia multa et robore peti iussit. qui enim quaerit, omnia alia proicit a mente, et ad illud solum afficitur quod quaerit; qui autem pulsat, cum vehementia et fervida mente venit.

Chrysostomus super Matth. Quia vero dixerat petite, et accipietis, ne forte peccatores audientes dicerent: ad hoc dominus dignos hortatur, nos autem indigni sumus; ideo repetit, ut tam iustis quam peccatoribus misericordiam Dei commendet; et ideo dicit omnis qui petit, accipit; id est, sive iustus sive peccator, tamen petere non dubitet: ut constet neminem sperni, nisi qui petere dubitavit a Deo. Non enim credibile est ut opus pietatis quod exhibetur benefaciendo inimicis, Deus iniungat hominibus, ipse autem non faciat, cum sit bonus.

Augustinus super ioann. unde peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores non audiret, frustra publicanus dixisset: domine, propitius esto mihi peccatori, et ex ista confessione meruit iustificationem. Prosper in lib. sentent. August. Fideliter autem supplicans Deo pro necessitatibus huius vitae, et misericorditer auditur, et misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utile, magis novit medicus quam

aegrotus. Si autem id postulat quod Deus et promittit et praecipit, fiet omnino quod poscit: quia accipiet caritas quod petit veritas.

Augustinus ad paulinum et hierasiam. bonus autem dominus, qui non tribuit saepe quod volumus, ut quod malleus attribuat.

Augustinus de serm. dom. Perseverantia etiam opus est ut accipiamus quod petimus.

Augustinus de verb. Dom. Cum enim Deus aliquando tardius dat, commendat dona, non negat: diu desiderata dulcius obtinentur; cito autem data vilescent. Pete ergo et quaere iusta. Petendo enim et quaerendo, crescit appetitus ut capias: servat tibi Deus quod non vult cito dare, ut tu discas magna magne desiderare; ideo oportet semper orare et non deficere.

MATTHAEUS 7,9-11

3709 (Mt 7,9-11)

Augustinus de serm. Dom. sicut in superioribus egit de volatilibus caeli et de liliis agri, ut spes de minoribus ad maiora consurgeret, ita et in hoc loco, cum dicit aut quis ex vobis homo? .

Chrysostomus super Matth. ne forte aliquis considerans quanta est differentia inter Deum et hominem, et ponderans peccata sua, dum desperat impetrare, nec incipiat petere, patrum et filiorum similitudinem introduxit; ut si propter peccata nostra desperamus, propter bonitatem Dei speremus.

Chrysostomus in Matth. Duo autem oportet adesse oranti: et petere vehementer, et quae oportet petere. Haec autem sunt spiritualia: etenim salomon, quia petiit quod petere oportebat, velociter accepit.

Chrysostomus super Matth. Quae autem petere oportet, sub similitudine panis et piscis ostendit. Panis enim est verbum de notitia Dei patris. Lapis est omne mendacium quod habet scandalum offensionis ad animam.

Remigius. Piscem autem possumus intelligere verbum de Christo, serpentem autem, ipsum diabolium. vel per panem intelligitur doctrina spiritualis; per lapidem ignorantia; per piscem unda baptismatis sacri, per serpentem astutia diaboli, sive infidelitas.

Rabanus. Vel panis, qui est communis cibus, caritatem significat, sine qua aliae virtutes nihil valent. Piscis significat fidem, quae ex aqua baptismatis orta est, et in mediis fluctibus huius vitae pulsatur, et tamen vivit. Lucas autem addidit tertium, scilicet ovum, quod est spes animalis, unde spem significat. Contra caritatem ponit lapidem, idest odii duritiam; contra fidem, serpentem, idest perfidiae venenum; contra spem, scorpionem, idest desperationem, quae retro pungit, sicut scorpio.

Remigius. Est ergo sensus: non est timendum quod si petamus a Deo patre panem, idest doctrinam vel caritatem, quod porrigat lapidem; idest quod permittat cor nostrum constringi aut frigore odiorum, aut duritia mentis; vel quod si petierimus fidem, ipse nos permittat perire veneno infidelitatis. unde sequitur si ergo vos cum sitis mali.

Chrysostomus in Matth. haec autem dixit, non detrahens humanae naturae, neque malum confitens omne genus humanum, sed ad differentiam bonitatis suae, dilectionem paternam malitiam vocans: tanta est superabundantia amoris ipsius ad homines. Quia quantum ad comparisonem Dei, qui solus singulariter bonus est, omnes mali videntur; sicut ad comparisonem solis omne lucidum videtur obscurum.

Hieronymus. Vel forte apostolos malos dixit, quia sub apostolorum persona omne hominum genus damnatur, cuius ab infantia cor ad malum appositum est, ut in genesi legitur. nec mirum huius saeculi homines dici malos, cum et apostolus memoret quoniam dies mali sunt.

Augustinus. vel malos appellavit huius saeculi dilectores, unde et bona quae dant, secundum eorum sensum bona dicenda sunt, quia haec pro bonis habent; quamquam et in rerum natura, ista bona sint, scilicet temporalia, et ad istam vitam infirmam pertinentia.

Augustinus de verb. dom. Bonum enim quod facit bonos, Deus est. Aurum autem et argentum bonum est, non quod te faciat bonum, sed unde facias bonum. Mali ergo cum simus, et bonum patrem habeamus, non

semper mali remaneamus.

Augustinus de serm. Dom. Si ergo cum simus mali, novimus id dare quod petimus, quanto magis sperandum est daturum Deum nobis bona petentibus? .

Chrysostomus super Matth. quoniam autem non omnia petentibus praestat, sed bona tantummodo, ideo convenienter addidit bona.

Glossa. a Deo enim non nisi bona percipimus, qualiacumque nobis videantur: omnia enim dilectis in bonum cooperantur.

Remigius. et sciendum, quod ubi Matthaeus sic dicit dabit bona, Lucas dicit: dabit spiritum bonum. Sed non debet videri contrarium: quia cuncta bona quae homo a Deo accipit, per gratiam spiritus sancti dantur.

MATTHAEUS 7,12

3712 (Mt 7,12)

Augustinus de serm. Dom. Firmitas quaedam et valentia ambulandi per sapientiae viam in bonis moribus constituta est, quibus perducuntur homines usque ad mundationem et simplicitatem cordis; de qua iam diu loquens, ita concludit omnia quaecumque vultis, etc. Nemo enim est qui velit quemquam duplici corde secum agere.

Chrysostomus super Matth. Vel aliter. supra propter sanctificandam orationem mandavit ut non iudicent homines eos qui peccant in ipsos. Et quia ab ordine narrationis suae recedens, introduxit alia quaedam, nunc ad mandatum quod coeperat rediens, ait omnia quaecumque vultis; idest, non solum mando: nolite iudicare, sed et omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et facite eis: et tunc impetrabiliter poteritis orare.

Glossa. vel aliter. Omnium bonorum spiritualium distributor est spiritus sanctus, ut opera caritatis impleantur; unde subdit omnia ergo, etc.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. Vult dominus demonstrare quoniam oportet homines et superius inquirere auxilium, et quae a seipsis sunt simul inferre; unde cum dixisset petite, quaerite, et pulsate docet aperte ipsos homines studiosos esse; et ideo subdit omnia quaecumque vultis, etc.

Augustinus de verb. Dom. vel aliter. Promiserat se dominus petentibus bona largiturum. Ut autem ille agnoscat mendicos suos, agnoscamus et nos nostros. Excepta enim substantia facultatum, tales sunt qui petunt, quales a quibus petunt. Quam frontem habes petendi ad Deum tuum, qui non agnoscis parem tuum? hinc est quod in proverbii dicitur: qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit, et non exaudietur. quid autem petenti proximo debeamus impendere ut et ipsi audiamur a Deo, ex hoc considerare possumus quod ab aliis volumus nobis impendi. Et ideo dixit omnia ergo quaecumque vultis.

Chrysostomus in Matth. Non simpliciter dicit omnia, sed addidit ergo; quasi dicat: si vultis audiri, cum illis quae dixi et haec facite. Non autem dixit: quaecumque vis effici tibi a Deo, haec fac ad proximum; ut non dicas: qualiter hoc est possibile? sed ait: quaecumque volueris effici tibi a conservo, haec et circa proximum ostende.

Augustinus de serm. dom. Quidam latini codices habent additum bona; quod additum puto ad manifestationem sententiae. Occurrebat enim quod si quisquam flagitiose aliquid erga se fieri velit, et ad hoc referat istam sententiam, ut hoc prior illi faciat a quo sibi fieri cupit; ridiculum est hunc putare istam implese sententiam. Intelligendum est autem perfectam esse sententiam, etiamsi hoc non addatur. Quod enim dictum est omnia quaecumque vultis, non usitate ac passim, sed proprie dictum accipi oportet. Voluntas namque non est nisi in bonis: nam in malis cupiditas proprie dicitur, non voluntas: non quia sic semper loquantur scripturae, sed ubi oportet, ibi omnino proprium verbum tenent, ut non aliud intelligatur. .

Cyprianus de orat. Domin. cum autem Dei verbum dominus iesus Christus omnibus venerit, praeceptorum suorum fecit grande compendium, cum dixit quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite eis; unde subdit haec est lex et prophetarum.

Chrysostomus super Matth. nam quaecumque lex et prophetarum sparsim in omnibus praeceperunt

scripturis, in hoc compendioso continentur mandato, quasi innumerabiles arborum rami in una radice. **Gregorius** moralium. qui enim cogitat ut ea alteri faciat quae ipse sibi ab altero fieri expectat, pensat nimirum ut malis bona et bonis meliora reddat.

Chrysostomus in Matth. unde manifestum est quoniam ex nobis quae deceant omnes scimus, et non est possibile ad ignorantiam refugere.

Augustinus de serm. Dom. videtur autem hoc praeceptum ad dilectionem proximi pertinere, non autem ad Dei; cum in alio loco duo esse praecepta dicat, in quibus lex pendet et prophetae. cum autem hic non addit: tota lex, quod ibi addidit, servavit locum alteri praecepto, quod est de dilectione Dei.

Augustinus de trin. Vel aliter. ideo scriptura tantum dilectionem proximi commemorat, cum dicit omnia quaecumque vultis; quia qui proximum diligit, consequens est ut et ipsam praecipue dilectionem diligit; Deus autem dilectio est; consequens est ergo ut praecipue diligit Deum.

MATTHAEUS 7,13-14

3713 (Mt 7,13-14)

Augustinus de serm. Dom. admonuerat superius dominus ad habendum cor simplex et mundum, in quo quaeritur Deus; sed quia hoc paucorum est, iam incipit de investiganda sapientia loqui, cui investigandae et contemplandae talis oculus per omnia superiora perductus est, quo videri iam possit arcta via et angusta porta; unde subdit intrate per angustam portam.

Glossa. Vel aliter. etsi difficile sit ut alii facias quod tibi vis fieri, tamen sic faciendum est, ut intremus per angustam portam.

Chrysostomus super Matth. vel aliter. Tertia haec convenientia ad iustitiam ieiunii pertinet, ut sit ordo narrationis talis: tu autem cum ieiunas, unge caput tuum; et postea sequitur intrate per angustam portam. Praecipue enim tres sunt naturales passionis et intimae carnis: primo esca et potus, deinde amor viri ad mulierem, tertio loco somnus; et ideo gravius est eas a natura carnali praecedere quam ceteras passionis. Et ideo nullius passionis abstinentia sic sanctificat corpus, sicut quod homo sit castus, ieiunus, et in vigiliis perseverans. Ergo propter omnes has iustitias, et praecipue propter laboriosissimum ieiunium, dicit intrate per angustam portam. Porta perditionis est diabolus, per quem introitur in gehennam; porta vitae est Christus, per quem introitur in regna caelestia. Lata autem porta dicitur esse diabolus, non magnitudine potestatis extensus, sed effrenatae superbiae licentia dilatatus. Porta autem angusta dicitur Christus, non parvitate potestatis exiguus, sed humilitatis ratione collectus: quia quem totus non capit mundus, seipsum intra angustias uteri virginalis inclusit. Via autem perditionis est omnis iniquitas. Dicitur autem spatiosa, quia non est intra regulam disciplinae inclusa; et ambulantes in ea, quicquid eos delectaverit, hoc sequuntur. Via autem vitae dicitur esse omnis iustitia, et propter contrarias causas esse arcta. Considerandum autem, quia nisi quis ambulaverit per viam, non potest pervenire ad portam: qui enim non ambulat per viam iustitiae, impossibile est ut vere Christum cognoscant. similiter nec incurrit in manus diaboli nisi qui in via ambulat peccatorum.

Gregorius super Ezech. Quamvis autem caritas sit lata, tamen per angusta et ardua homines ducit a terra. Satis angustum est omnia praetermittere, unum solum diligere, prospera non ambire, adversa non timere.

Chrysostomus in Matth. Sed cum postea dicat: iugum meum suave est, et onus meum leve, qualiter hic angustam esse viam ait et arctam? sed et hic monstrat eam levem esse et suavem: quoniam via est et porta est; sicut et altera, quae lata et spatiosa dicitur, ipsa via et porta est. Horum autem nihil mansurum est, sed omnia pertranseunt. transire autem labores et sudores, et in bonum finem devenire, scilicet in vitam, sufficiens est mitigare eos qui agones patiuntur. si enim tempestates nautis et vulnera militibus levia sunt propter spem praemiorum pereuntium, multo magis cum caelum praeiacens fuerit, et immortalia praemia, nullum aliquis sentiet imminentium periculorum. Sed et hoc ipsum quod illam arctam vocavit, maxime ad faciendam illam facilem conferebat: per hoc siquidem ut semper vigilarent admonuit: hoc enim dominus dicit erigens nostrum desiderium. qui enim in agone certat, cum viderit principem admirantem labores agonum, animosior fit. Ne igitur moesti simus cum multa nobis hic contigerint tristia, quia arcta est via, sed non civitas; ideo neque hic quietem oportet expectare, neque ibi triste aliquid praestolari. Dicens autem quam pauci sunt qui inveniunt eam, rursus hic multorum desidiam significavit, et audientes erudit non multorum prosperitatibus attendere, sed paucorum laboribus.

Hieronymus. Significanter igitur de utraque via locutus dixit, quod per latam multi ambulant, angustam pauci inveniunt: latam enim non quaerimus, nec inventionem opus est, quia sponte se offert, et errantium via est; angustam vero nec omnes inveniunt, nec qui invenerint, statim ingrediuntur per eam. Siquidem multi, inventa veritatis via, capti voluptatibus saeculi, de medio itinere revertuntur.

MATTHAEUS 7,15-20

3715 (Mt 7,15-20)

Chrysostomus super Matth. supra mandaverat apostolis dominus, ne eleemosynas, orationes et ieiunia coram hominibus, sicut hypocritae, faciant; et ideo ad cognoscendum quia haec omnia in hypocrisi fieri possunt, loquitur dicens attendite a falsis prophetis.

Augustinus de serm. Dom. Vel aliter. Cum dixisset dominus, paucos esse qui inveniunt angustam portam et arctam viam, ne haeretici, qui plerumque se sub nomine paucitatis commendant, se nobis supponant, statim subicit dicens attendite a falsis prophetis.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. Quia dictum est, angusta est porta; sed et multi sunt, qui pervertunt eam quae illuc fert viam; ideoque induxit attendite a falsis prophetis; in quo ut maiorem sollicitudinem habeant, meminit eorum quae in patribus eorum facta sunt, falsos prophetas vocans, etenim tunc talia contigerunt.

Chrysostomus super Matth. Quod autem scriptum est, quia lex et prophetae usque ad iohannem, dicitur quia prophetia de Christo non erat futura post eum. Prophetae autem et fuerunt et sunt: sed non qui prophetarent de Christo, sed interpretarentur ea quae de Christo ab antiquis fuerant prophetata, idest doctores ecclesiarum: nec enim potest quis propheticos interpretari sensus nisi per spiritum prophetiae. Sciens ergo dominus futuros esse falsos doctores haeresum diversarum, admonet dicens attendite a falsis prophetis. Quia enim non erant futuri manifesti gentiles, sed absconditi sub nomine christiano, non dixit: aspice, sed attendite: ubi enim res certa est, aspicitur, idest simpliciter videtur; ubi autem incerta, attenditur, idest caute consideratur. idem dicit attendite, quia firma tutela salutis est scire quem fugias. Non autem sic admonet attendite, quasi invito Deo diabolus haereses introducat, sed eo permittente: quia enim non sine iudicio vult servos habere, ideo misit tentationem; quia vero non vult eos per ignorantiam perire, ideo praemonet. Ne autem aliquis haereticus doctor dicat quia non dixit eos falsos prophetas, sed gentilium et iudaeorum doctores, ideo addidit dicens qui veniunt ad vos in vestimentis ovium. oves enim christiani dicuntur; vestimentum autem ovile est species christianitatis et simulatae religionis. Nulla autem res sic exterminat bonum, sicut simulatio: nam malum sub specie boni celatum, dum non cognoscitur, non cavetur. Et ne adhuc dicat haereticus quia de viris doctoribus loquitur, qui tamen peccatores sunt, ideo addit intrinsecus autem sunt lupi rapaces. catholici autem doctores, etsi fuerint peccatores, servi quidem carnis dicuntur, non tamen lupi rapaces, quia non habent propositum perdere christianos. Manifeste ergo de haereticis doctoribus dicit: quia eo proposito speciem christianorum suscipiunt, ut christianos iniquo seductionis morsu dilanent; de quibus dixit apostolus: scio quia post discessum meum intrabunt in vos lupi rapaces, non parcentes gregi.

Chrysostomus in Matth. sed tamen videtur falsos prophetas hic non haeticos insinuare, sed eos quidem qui vitae sunt corruptae, sed facie tamen virtutis induuntur; unde dixit a fructibus eorum cognoscetis eos. Apud haeticos enim est multoties et vitam invenire; apud hos autem quos dixi, nequaquam.

Augustinus de serm. Dom. Unde rectissime quaeritur, quos fructus nos attendere voluerit. Multi enim quaedam in fructibus deputant quae ad vestitum ovium pertinent, et hoc modo de lupis decipiuntur: secuti enim sunt vel ieiunia vel eleemosynas vel orationes, quae praetendunt hominibus, placere cupientes eis quibus ista difficilia videntur. Hi ergo non sunt fructus, de quibus cognosci istos monet. Ista enim quae cum bono animo fiunt, sunt proprie ovibus vestes; cum autem malo, in errore, non aliud quam lupos tegunt; sed non ideo debent oves odisse vestimentum suum, quod plerumque illo se occultant lupi. Qui sunt ergo fructus quibus cognoscamus arborem malam? dicit apostolus: manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, etc. Qui vero sunt fructus quibus cognoscamus arborem bonam? idem apostolus ostendit, dicens: fructus autem spiritus sunt caritas, gaudium, pax.

Chrysostomus super Matth. Fructus etiam eius ovis est confessio eius fidei: qui enim secundum Deum vocem humilitatis et verae confessionis emittit, ovis est; qui autem contra veritatem blasphemii ululat contra Deum, lupus est.

Hieronymus. etsi ergo potest de omnibus intelligi quod hic de falsis prophetis dicitur, qui aliud habitu ac sermone promittunt, aliud opere demonstrant, specialiter de haereticis intelligendum videtur, qui videntur continentia ac ieiunio quasi quadam pietatis veste se circumdare; intrinsecus autem habentes animum venenatum, simpliciorum fratrum corda decipiunt.

Augustinus de serm. Dom. Sed ex operibus conici potest utrum exteriorem cultum ambitione aliqua faciant. Cum enim coeperint aliquibus tentationibus ea ipsa vel subtrahi vel negari, quae isto velamine vel consecuti sunt vel consequi cupierunt, tunc necesse est ut appareat utrum lupus in ovina pelle sit, an ovis in sua. **Gregorius** moralium. Hypocrita etiam sanctae ecclesiae pace premitur; idcirco ante oculos nostros religione vestitur. si qua vero fidei tentatio erumpat, statim lupi mens rabida habitu se ovinae pellis expoliat, quantumque contra bonos saeviat, persequens demonstrat.

Chrysostomus in Matth. Facile etiam hypocritae capiuntur: via enim quam iussi sunt ambulare, laboriosa est: hypocrita autem laborare non utique eliget. deinde ut non dicas quoniam impossibile est cognoscere tales, rursum rationem ab humano exemplo ponit, dicens numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? .

Chrysostomus super Matth. uva in se mysterium christi habet: sicut enim botrus multa in se grana ligno mediante suspendit, sic et Christus multos sibi fideles per lignum crucis tenet adiunctos. Ficus autem est ecclesia, quae multos fideles tenet dulci quodam caritatis amplexu, sicut ficus multa grana uno tegmine tenet inclusa. sunt ergo ficus signa haec, caritatis quidem in dulcedine, unitatis autem in coniunctione granorum. In uva autem patientiae quidem signum est, quia in torcular mittitur; gaudii autem, quia vinum laetificat cor hominis; sinceritatis, quia non est aqua permixtum; suavitatis autem in delectatione. spinae autem et tribuli sunt haeretici. sicut ergo spina vel tribulus ex quacumque parte habet aculeos, sic servos diaboli ex quacumque parte consideraveris, iniquitatis pleni sunt. Non possunt ergo huiusmodi spinae et tribuli ecclesiasticos fructus proferre. Quod autem particulariter sub similitudine ficus et vitis, spinae et tribuli dixerat, ostendit consequenter universaliter esse verum cum dicit sic omnis arbor bona fructus bonos facit, mala autem arbor fructus malos facit.

Augustinus de serm. Dom. in hoc autem loco illorum error cavendus est, qui de duabus arboribus duas naturas opinantur esse; quarum una sit Dei, altera vero non. Non autem eos adiuvere duas istas arbores dicendum est: quia de hominibus eum dicere planum est, si quis praecedentia et consequentia legerit.

Augustinus de Civ. Dei. Hominibus autem praedictis ipsae naturae displicent, non eas considerantibus secundum utilitatem suam; non autem ex commodo vel incommodo nostro, sed per seipsam considerata natura dat artifici suo gloriam. naturae igitur omnes quoniam sunt, et ideo habent modum suum, speciem suam et quamdam secum pacem suam, profecto bonae sunt.

Chrysostomus in Matth. ut autem nullus dicat quoniam mala arbor fert quidem fructus malos, fert autem et bonos, et sic difficilis sit cognitio, duplici prolatione existente, ideo subiungit non potest arbor bona fructus malos facere, neque arbor mala fructus bonos facere.

Augustinus de serm. Dom. ex hoc verbo putant manichaei, neque animam malam fieri posse ut in melius commutetur, neque bona in deterius; quasi dictum sit: non potest arbor bona mala fieri, neque mala fieri bona; sed ita dictum est non potest arbor bona fructus malos facere, nec e converso. arbor quippe est ipsa anima, idest ipse homo; fructus vero opera hominis. Non ergo potest malus homo bona operari, neque bonus mala. Ergo si vult malus bona operari, prius bonus fiat. Quamdiu autem quisque malus est, non potest facere fructus bonos. Sicut enim potest fieri ut quod fuit nix, non sit, non autem ut nix sit calida, sic potest fieri ut qui malus fuit, non sit malus; non tamen fieri potest ut malus bene faciat: quia etsi aliquando utilis est, non hoc ipse facit, sed fit de illo divina providentia procurante.

Rabanus. Homo autem ipse arbor bona vel mala dicitur, propter voluntatem bonam vel malam. Fructus autem sunt opera, quae nec bona malae voluntatis esse possunt, nec mala bonae voluntatis.

Augustinus contra iulianum. Sicut autem manifestum est ex voluntate mala, tamquam ex arbore mala fructus eius, fieri omnia opera mala, sic ipsam voluntatem malam unde dices esse exortam, nisi quia voluntas mala angeli ex angelo, ex homine hominis orta est? quid autem erant haec duo antequam in eis ista mala orirentur, nisi bonum opus Dei, et bona atque laudanda natura? ecce ergo ex bono oritur malum; nec fuit omnino unde oriri posset, nisi ex bono; ipsam dico voluntatem malam, quoniam nullum malum praecessit, non opera mala, quae non sunt nisi ex voluntate mala tamquam ex arbore mala: nec ideo tamquam ex bono potuit oriri voluntas mala, quia bonum factum est a bono Deo: sed quia de nihilo factum est, non de Deo.

Hieronymus. Quaeramus autem ab haereticis, qui duas in se contrarias dicunt esse naturas, si iuxta intelligentiam eorum, arbor bona malos fructus facere non potest, quomodo moyses arbor bona peccaverit ad aquam contradictionis, petrus quoque in passione dominum negaverit, dicens: nescio hominem. aut qua consequentia socer moysi arbor mala, qui in Deum israel non credebat, dedit consilium bonum? .

Chrysostomus in Matth. Quia vero punire non iusserat falsos prophetas, ideo terret eos secundum poenam quae est a Deo, dicens omnis arbor quae non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur: quibus verbis et iudaeos insinuare videtur; ideoque verbum iohannis baptistae meminit, per eadem verba poenam eis subscribens. etenim et ille hoc dixit ad iudaeos, instantem securim, et arborem excidendam, et ignem inextinguibilem commemorans. Si quis autem diligenter investigabit, duae poenae sunt: et excidi, et comburi; qui enim comburitur, et a regno exciditur omnino; quae poena difficilior est. Multi autem gehennam solum abhorrent; ego autem casum illius gloriae multo amariorem poenam, quam ipsius gehennae supplicium esse dico. Quod enim parvum vel magnum malum non susciperet pater, ut videat, et potiatur dulcissimo filio? hoc itaque in gloria illa putemus: non enim aliquis filius ita suavis est patri ut illorum bonorum requies, et dissolvi et esse cum Christo. Intolerabilis quidem poena est gehenna; sed si quis decem mille ponat gehennas, nihil tale dicit quale est a beata gloria illa excidere, et odio haberi a Christo.

Glossa ex praemissa autem similitudine concludit quod supra iam dixerat, quasi manifestum, dicens igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

MATTHAEUS 7,21-23

3721 (Mt 7,21-23)

Hieronymus. Sicut supra dixerat, eos qui habent vestem bonae vitae, non recipiendos propter dogmatum nequitiam, ita nunc e contrario asserit nec his quidem accommodandam fidem qui, cum polleant integritate doctrinae, malis operibus destruunt: utrumque enim Dei servis necessarium est, ut et opus sermone, et sermo operibus comprobetur; et ideo dicit non omnis qui dicit mihi: domine, domine, intrabit in regnum caelorum.

Chrysostomus in Matth. Ubi iudaeos maxime tangere videtur, in dogmatibus omnia ponentes: unde et paulus eos incusat dicens: si autem tu iudaeus cognominaris, et requiescis in lege.

Chrysostomus super Matth. vel aliter. Quoniam falsos prophetas et veros ex fructibus eorum docuit discernendos, hic iam manifestius docet qui sunt fructus quibus discernuntur probi doctores et reprobi.

Augustinus de serm. Dom. Cavendum enim est in ipso christi nomine ab haereticis vel quibuslibet male intelligentibus et saeculi huius amatoribus ne decipiamur; et ideo dicit non omnis qui dicit mihi: domine, domine. Sed merito potest movere quomodo huic sententiae conveniat illud apostoli: nemo potest dicere dominum iesum, nisi in spiritu sancto. non enim possumus dicere, illos qui non intrant in regnum caelorum, habere spiritum sanctum. Sed apostolus proprie posuit hoc verbum dicit, ut significet voluntatem atque intellectum dicentis. Ille enim proprie dicit qui voluntatem ac mentem suam sono vocis enuntiat. Dominus autem generaliter hic posuit verbum dicendi: videtur enim etiam ille dicere qui nec vult nec intelligit quod dicit.

Hieronymus. Moris est enim scripturarum dicta pro factis accipere, secundum quem sensum dicit apostolus: confitentur scire Deum, factis autem negant.

Ambrosius. omne etiam verum a quocumque dicatur, a spiritu sancto est.

Augustinus. Non ergo putemus ad illos fructus de quibus supra dixerat, pertinere si quis domino nostro dicat domine, domine, et ex eo nobis arbor bona videatur; sed illi sunt fructus facere voluntatem Dei; unde sequitur sed qui facit voluntatem patris mei qui in caelis est, ipse intrabit in regnum caelorum.

Hilarius in Matth. caelestis enim regni iter, obedientia voluntatis Dei, non nuncupatio repertura est.

Chrysostomus super Matth. quae autem est voluntas Dei, ipse dominus docet: haec est, inquit, voluntas eius qui misit me, ut omnis qui videt filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam. Credulitatis autem verbum et ad confessionem respicit et ad actum. qui ergo non confitetur, aut non conversatur secundum verbum christi, non intrabit in regnum caelorum.

Chrysostomus in Matth. Non autem dixit qui facit voluntatem meam, sed patris: quoniam interim conveniens erat prius hoc suscipi ad imbecillitatem eorum; sed et per hoc illud occulte insinuavit; non est enim alia voluntas filii quam quae est patris.

Augustinus de serm. Dom. illud autem ad rem pertinet, ne decipiamur non solum nomine christi per eos qui nomen habent, et facta non agunt, sed etiam quibusdam factis atque miraculis, qualia propter infideles cum fecerit dominus, monuit tamen ne talibus decipiamur, arbitranter ibi esse invisibilem sapientiam ubi miraculum visibile videmus; unde adiungit; et dicit multi dicent mihi in illa die.

Chrysostomus in Matth. vides qualiter latenter iam seipsum introducit. Quia enim omnem complevit sermonem, monstrat seipsum iudicem esse. Quae enim poena expectat eos qui peccant, iam ante monstravit. quia autem est qui punit, hoc iam revelat, dicens multi dicent mihi in illa die.

Chrysostomus super Matth. Quando scilicet venerit in maiestate patris sui, quando iam nemo ausurus est garrula contentione sermonum aut mendacium defendere aut contradicere veritati; quando opera singulorum loquentur, et ora tacebunt; nec alter pro altero interveniet, sed singuli sibi timebunt. In illo enim iudicio non erunt testes adulatorum homines, sed angeli veraces; iudex autem dominus iustus: unde proprie timentium hominum et angustias patientium vocem expressit, dicens domine, domine. Non enim semel sufficit illi dicere domine, quem necessitas timoris astringit.

Hilarius in Matth. gloriam autem sibi ex verbi intentione praesumunt in doctrinae prophetia et daemoniorum fuga et operum virtutibus: atque hinc sibi regnum caelorum pollicentur, dicentes nonne in nomine tuo prophetavimus? .

Chrysostomus in Matth. sed sunt quidam qui dicunt: quoniam mentientes hi hoc dixerunt, et ideo salvati non sunt; sed non auderent iudice praesente ad ipsum hoc dicere. Sed et ipsa responsio et interrogatio ostendit eos talia fecisse. Qui enim hic mirabiles erant apud omnes, miracula facientes, illic autem vident seipsos punitos, admirantes dicunt domine, nonne in nomine tuo prophetavimus? quidam autem dicunt, quoniam non in tempore in quo haec miracula faciebant, iniqua agebant, sed postea. sed si hoc erit, rursus quod dominus volebat monstrare, non constat: quod scilicet neque fides neque miracula valent, bona vita non existente; quod et paulus dicit: si habuero fidem ut montes transferam, caritatem autem non habuero, nihil sum.

Chrysostomus super Matth. sed considera, quia in nomine dicunt, non: in spiritu; prophetant enim in nomine christi, sed in spiritu diaboli; quales sunt divinatores. Sed sic discernuntur: quoniam diabolus interdum falsa dicit, spiritus sanctus numquam. Concessum est autem et diabolo interdum vera dicere, ut mendacium suum rara veritate commendat. daemones autem eiciunt in nomine christi habentes spiritum inimici; magi autem non eiciunt, sed eicere videntur, colludentibus sibi daemonibus. Faciunt et virtutes, id est miracula, non utilia et necessaria, sed inutilia et vacua.

Augustinus de serm. dom. Legant enim quanta fecerint resistentes moysi magi aegyptiorum.

Hieronymus. Vel aliter. Prophetare, virtutes facere et daemones eicere, etiam divina virtute, interdum non est eius meriti qui operatur; sed vel invocatio nominis christi hoc agit, vel ob condemnationem eorum qui invocant, aut utilitatem eorum qui vident et audiunt conceditur: ut licet homines despiciant facientes, tamen Deum honorent, ad cuius invocationem fiunt tanta miracula: nam et saul et balaam et caiphas prophetaverunt, et in actibus apostolorum filii scevae videbantur eicere daemones, et iudas apostolus cum animo proditoris multa signa inter ceteros apostolos fecisse narratur.

Chrysostomus in Matth. quia enim non omnes ad omnia apte se habebant, sed hi quidem erant vitae purae, fidem autem non tantam habebant, hi autem contrarium, ideo Deus illos per hos convertebat, ut multam ostenderent fidem; hos autem per hoc ineffabile signorum donum, ut fierent meliores evocabat: unde et cum multa copia hanc gratiam eis dabat. dicent enim virtutes multas fecimus. sed quia circa eum qui eos ita honoravit, ingrati facti sunt, recte sequitur tunc confitebor illis: quia nunquam novi vos.

Hieronymus. Signanter dicit tunc confitebor, quia multo tempore ante dicere dissimulaverat.

Chrysostomus super Matth. Grandem enim iram grandis dilatio praecedere debet, quae iustius facit Dei esse iudicium, et digniorem interitum peccatorum. Sciendum autem quod peccatores nescit Deus, quia non digni sunt ut cognoscantur a Deo: non quia omnino ipsos non cognoscat, sed quia suos esse illos non cognoscit. Deus enim naturaliter omnes cognoscit; sed videtur eos non cognoscere, quia non eos diligit; sicut etiam non videntur Deum cognoscere qui non colunt eum digne.

Chrysostomus in Matth. Dicit autem eis nunquam novi vos; quasi, non solum in tempore iudicii, sed neque tunc cum miracula faciebatis: multos enim et hic iam odio habet, et ante punitionem avertit.

Hieronimus. Observa etiam hoc quod dicit nunquam novi vos, esse contra quosdam dicentes, quod omnes homines semper conversati sunt inter rationabiles creaturas.

Gregorius moralium. hac autem sententia datur intelligi, quod in hominibus caritas, humilitas, non autem debeant virtutum signa venerari; unde nunc sancta ecclesia etiam si qua sunt haereticorum miracula, despicit, quia haec sanctitatis speciem non esse cognoscit. probatio quidem sanctitatis non est signa facere, sed proximum ut se diligere, de Deo vera, de proximo meliora quam de seipso sentire.

Augustinus contra advers. legis et prophet. Absit autem ut secundum manichaeos ista de prophetis sanctis dominus dixerit; sed dictum est de his qui post eius evangelium praedicatum in eius nomine sibi loqui videntur, nescientes quid loquantur.

Hilarius in Matth. Sic autem hypocritae gloriati sunt, quasi aliquid proprium sit quod loquuntur aut faciunt, et non omnia virtus Dei invocata perficiat; cuius doctrinae scientiam lectio afferat, daemoniorum fugam christi nomen exagitet. De nostro igitur est beata illa aeternitas promerenda; praestandumque est aliquid ex proprio, ut bonum velimus, malum omne vitemus, agamusque potius quod vult quam quod potest gloriemur. Repudians igitur eos ac expellens propter opera iniquitatis, dicit discedite a me, qui operamini iniquitatem.

Hieronimus. Non dixit: qui operati estis iniquitatem, ne videretur tollere poenitentiam; sed: qui operamini; idest, qui usque in praesentem horam cum iudicii tempus advenerit, licet non habeatis facultatem peccandi, tamen adhuc habetis affectum.

Chrysostomus super Matth. nam mors quidem animam a carne separat; animae autem propositum non immutat.

MATTHAEUS 7,24-27

3724 (Mt 7,24-27)

Chrysostomus in Matth. quoniam quidam futuri erant quae dicta sunt a domino admirantes; ostensionem autem quae est per opera non tribuentes, praeveniens eos terret dicens omnis ergo qui audit verba mea haec, et facit ea, assimilabitur viro sapienti.

Chrysostomus super Matth. non autem dixit: aestimabo eum qui audit et facit, virum sapientem; sed: assimilabitur viro sapienti; ergo qui similatur homo est; cui autem assimilatur? Christo; Christus autem est sapiens vir, qui aedificavit domum suam, idest ecclesiam, supra petram, idest supra fortitudinem fidei. Vir autem stultus est diabolus, qui aedificavit domum suam, idest omnes impios, super arenam, idest inconstantiam infidelitatis, aut super carnales homines: qui dicuntur arena propter sterilitatem, et quia non cohaerent sibi, sed sunt per diversas opiniones dispersi, et quia sunt innumerabiles. Pluvia autem est doctrina quae irrigat hominem; nubes autem sunt a quibus pluvia fluit. Quidam a spiritu sancto excitantur, sicut apostoli et prophetae, et quidam a spiritu diaboli, sicut haeretici. Venti autem boni sunt spiritus diversarum virtutum, vel angeli, qui invisibiliter in sensibus hominum operantur, et adducunt ad bona; venti autem mali sunt spiritus immundi. Flumina autem bona sunt evangelistae et doctores populi; flumina mala sunt homines immundo spiritu pleni, et verbositate instructi, sicut philosophi, et ceteri saecularis scientiae professores, de quorum ventre exeunt flumina aquae mortuae. Ecclesiam ergo quam Christus fundavit non pluvia mendacis doctrinae corrumpit, neque diabolicus flatus impellit, neque violentorum fluminum impetus movet. Nec est contrarium quod quidam de ecclesia cadunt: non enim omnes qui christiani dicuntur, christi sunt; sed novit dominus qui sunt eius. Sed contra domum quam aedificavit diabolus, descendit pluvia verae doctrinae; venti, idest spirituales gratiae, aut angeli; flumina, quatuor evangelistae, et ceteri sapientes; et sic cecidit domus, idest gentilitas, ut surgeret Christus; et facta est eius ruina magna, solutis erroribus, convictis mendaciis, et idolis in toto mundo destructis. Christo ergo similis est qui audit verba christi et facit ea: ipse enim aedificat supra petram, idest Christum, qui est omne bonum: ut in quacumque specie boni aliquis aedificaverit, supra Christum aedificasse videatur. sicut autem ecclesia aedificata a Christo dirui non potest, sic talem christianum, qui se aedificavit super Christum, nulla adversitas deicere potest: secundum illud ad rom.: quis nos separabit a caritate christi? diabolo autem est similis qui audit verba christi et non facit. Verba enim quae audiuntur et non fiunt, separata sunt, et dispersa; et ideo assimilantur arenae. Arena etiam est omnis malitia, vel etiam mundialia bona. Sicut autem domus diaboli destructa est, ita tales supra

arenam fundati destruuntur et cadunt. et est ruina magna, si de fundamento fidei aliquid ruinae fuerit passus; non autem si fornicatus fuerit aut homicidium fecerit; quia habet unde per poenitentiam surgat, sicut et David.

Rabanus. vel ruina magna intelligenda est, qua dicturus est dominus audientibus et non facientibus: ite in ignem aeternum.

Hieronymus. Vel aliter. Super arenam, quae fluida est, et in unam copulam non potest redigi, omnis haereticorum sermo aedificatur ut corruat.

Hilarius in Matth. Vel aliter. in pluviis blandarum et sensim illabentium voluptatum illecebras significat, quibus primum fides rivis patentibus immadescit; post quas fluviorum procursus, idest graviorum cupiditatum motus, incurrit, ut exinde tota ventorum vis circumstantium desaeviat, idest universus diabolicae potestatis spiritus inferatur.

Augustinus de serm. Dom. Vel aliter. Pluvia cum in mali alicuius significatione ponitur, caliginosa superstitio intelligitur; rumores autem hominum ventis comparantur; fluvius autem carnalibus concupiscentiis, tamquam fluentibus super terram; et qui prosperitatibus inducitur, adversitatibus frangitur: quorum nihil metuit qui fundatam habet domum supra petram, idest qui non solum audit praeceptum domini, sed etiam facit. Et in his omnibus periculo se subicit qui audit et non facit; non enim quisque firmat in se quae dominus praecipit vel ipse audit, nisi faciendo. considerandum autem est, quia cum dixit qui audit verba mea haec, satis significat istum sermonem omnibus praeceptis, quibus christiana vita formatur, esse perfectum; ut merito qui secundum ea vivere voluerint, comparentur aedificanti supra petram.

MATTHAEUS 7,28-29

3728 (Mt 7,28-29)

Glossa. Posita doctrina christi, effectum doctrinae ipsius in turbis ostendit, dicens et factum est, cum consummasset iesus verba haec, admirabantur turbae super doctrina eius.

Rabanus in Matth. consummatio haec ad perfectionem verborum et integritatem dogmatis pertinet. quod autem dicitur turbas admirari, aut infideles in turba significat (qui ob hoc stupebant, quia non credebant verbis salvatoris); aut omnes generaliter demonstrat, qui excellentiam tantae sapientiae in eo venerabantur.

Chrysostomus super Matth. Placatus rationabiliter hominis intellectus laudem generat, victus autem admirationem. Quicquid enim digne laudare non possumus, admiramur. Admiratio tamen eorum magis ad gloriam christi pertinebat quam ad fidem ipsorum: si enim crederent in Christum, non mirarentur. Illud enim movet admirationem quod superat facientis aut dicentis personam; et ideo quod a Deo factum aut dictum est, non admiramur, quia omnia minora sunt quam Dei potentia. Turbae autem erant quae mirabantur, id est populus vulgaris, non principes populi, qui non discendi studio audire solebant; populus autem simplex simpliciter audiebat; sed eorum silentium, si illi interfuissent, suis contradictionibus conturbassent: ubi enim est maior scientia, illic fortior malitia: qui enim festinat esse prior, non est contentus esse secundus.

Augustinus de cons. Evang. Ex eo autem quod hic dicitur potest videri discipulorum turbam deseruisse, ex quibus illos duodecim elegerat in monte ex pluribus quos apostolos nominavit, quod Matthaeus hic praetermisit. Solis enim discipulis in monte videtur iesus hunc habuisse sermonem, quem Matthaeus interposuit et Lucas tacet. Et deinde, cum descendisset in loco campestri, habuisse alterum similem, de quo Matthaeus tacet, Lucas non tacet. Quamquam etiam illud possit occurrere quod, sicut supra dictum est, apostolis ceterisque turbis praesentibus unum habuisse sermonem quem Matthaeus Lucasque narrarunt diverso narrandi modo, sed eadem veritate sententiarum; et sic planum est quod hic dicitur de admiratione turbae.

Chrysostomus in Matth. causam autem admirationis subdit, dicens erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribae eorum et pharisaei. Si autem hanc potestatem videntes per opera, scribae eum a se abigebant, ubi sola verba erant potestatem manifestantia, qualiter scandalizati non fuissent? sed turbae hoc non passae sunt: cum enim anima benevola fuerit, facile persuadetur a sermonibus veritatis. Erat autem potestas docentis, ut multos eorum caperet, et in admirationem mitteret; ita quod propter delectationem eorum quae dicta erant, neque tacentem dimittebant: unde et secutae sunt eum descendentem de monte. Stupebant autem eius maxime potestatem, quia non ad alium referens, ut prophetae et moyses dixerunt, quae dixit, sed ubique ostendit se eum esse qui habet dominium: etenim

legem ferens, continue apponebat: ego autem dico vobis.

Hieronymus. Quia quasi Deus et dominus ipsius moysi pro libertate voluntatis suae, vel ea quae minus videbantur addebat in lege, vel commutans praedicabat in populo, ut supra legimus: dictum est antiquis; ego autem dico vobis. Scribae autem ea tantum docebant quae scripta sunt in moyse et prophetis.

Gregorius moralium. vel singulariter Christus ex bona potestate locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit; nos autem quia infirmi sumus, ex propria infirmitate pensemus quo docendi ordine infirmis fratribus consulamus.

Hilarius in Matth. vel in verborum virtutibus effectum potestatis metiebantur.

Augustinus de serm. Dom. Hoc est enim quod in psalmo ii significatur: fiducialiter agam in eo. Eloquia domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, terrae probatum, purgatum septuplum, propter quem numerum admonitus sum omnia ista praecepta ad septem illas referre sententias quas in principio sermonis huius posuit, scilicet de beatitudinibus. quod enim aliquis fratri irascatur sine causa, vel racha dicat, vel fatuum eum appellet, superbissime admittitur; contra quod est unum remedium, ut supplici animo veniam deprecetur, qui non iactantiae spiritu infletur. Beati ergo pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum. consentit autem adversario, idest verbo Dei reverentiam exhibendo, quisquis ad testamentum patris aperiendum non litibus acerbus, sed pietate mitis accesserit: beati ergo mites, quoniam ipsi hereditate possidebunt terram. Quisquis etiam carnalem delectationem contra rectam voluntatem quam rebellare sentit, exclamet: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? et ita lugendo imploret consolatoris auxilium: unde beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Quid autem laboriosius cogitari potest quam ut in vitiosa consuetudine superanda praecidat intra se membra impediencia regnum caelorum, nec dolore frangatur, toleret in coniugali fide omnia quae, quamvis sint molestissima, crimen tamen fornicationis non habent; verum loquatur, quod non iurationibus crebris, sed morum probitate commendet? sed quis tantos labores inire audeat, nisi flagret amore iustitiae, quasi fame ac siti vehementi accensus? beati ergo qui esuriunt et sitiunt, quoniam ipsi saturabuntur. quis autem potest paratus esse ab infirmis iniurias sustinere, petentia se tribuere, diligere inimicos, benefacere his qui se oderunt, orare pro persequentibus, petentia se tribuere, diligere inimicos, benefacere his qui se oderunt, orare pro persequentibus, mundum autem cordis oculum habet qui finem bonorum operum suorum non in eo constituit ut hominibus placeat, neque ut comparet ea quae huic vitae sunt necessaria, neque temere animum hominis contemnat; et quicquid exhibet homini, hac intentione exhibet qua sibi vult exhiberi. Beati ergo mundo corde quoniam Deum videbunt. Oportet etiam ut per mundum cor inveniatur arcta via sapientiae, cui perversorum hominum deceptiones obstrepunt; quas evadere est venire ad pacem sapientiae. beati ergo pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. sed sive iste ordo considerandus sit, sive alius, facienda sunt quae audivimus a domino, si volumus aedificare supra petram.

MATTHAEUS 8,1-4

3801 (Mt 8,1-4)

Hieronymus. Post praedicationem atque doctrinam, signorum offertur occasio, ut per virtutum miracula praeteritus apud audientes sermo firmetur.

Chrysostomus super Matth. quia enim quasi potestatem habens docebat, ut non aestimaretur ostentatio esse hic doctrinae modus, operibus hoc idem facit, quasi potestatem habens curare; et ideo dicit cum autem descendisset iesus de monte secutae sunt eum turbae multae.

Origenes. docente enim domino in monte, discipuli erant cum ipso, quibus erat datum caelestis doctrinae nosse secreta; nunc autem descendente eo de monte, turbae secutae sunt eum, quia in monte ascendere nequaquam poterant; quia quos delictorum sarcina deprimit, ad mysteriorum sublimia scandere non valent. Descendente autem domino, hoc est inclinante se ad infirmitatem et impotentiam ceterorum, quando misertus est imperfectioni eorum, vel infirmitati, secutae sunt eum turbae multae: quidam propter claritatem, plerique propter doctrinam, nonnulli propter curationem et administrationem. Haymo. Vel aliter. Per montem in quo dominus sedet, caelum intelligitur, de quo scriptum est: caelum mihi sedes est. Sed cum dominus in monte sedet, soli discipuli ad eum accedunt: quia antequam fragilitatis nostrae humanitatem assumeret, notus erat tantum in iudaea Deus; at vero postquam de monte suae divinitatis descendit, et humanitatis nostrae fragilitatem assumpsit, magna turba nationum secuta est eum. demonstratur autem doctoribus ut in praedicatione sua sermonem habeant temperatum, et sicut viderint unumquemque capere posse, ita et verbum Dei annuntient. ascendunt enim in montem doctores, cum perfectioribus excellentia praecepta ostendunt; descendunt vero, cum infirmioribus leviora demonstrant.

Chrysostomus super Matth. inter ceteros autem qui montem non ascenderant, et leprosus sursum ascendere non valebat, quasi peccatorum baiulans pondus: lepra enim est peccatum animarum nostrarum. Ideo ergo dominus de altitudine caeli, quasi de excelso monte, descendit, ut lepram peccatorum nostrorum mundaret: et ideo quasi iam praeparatus descendenti occurrit: propter quod dicitur et ecce leprosus veniens.

Origenes. Deorsum curat, et in monte nihil facit: quia tempus est omni rei sub caelo: tempus doctrinae, et tempus curationis. In monte docuit, animas curavit, corda sanavit; quibus completis, sicut de caelestibus montibus ad salvandos carnales descendente, venit ad eum leprosus, et adorabat eum. antequam peteret, adorare coepit, cultum ostendens.

Chrysostomus super Matth. non enim illum petebat quasi hominem artificem, sed adorabat eum quasi Deum. Oratio autem perfecta est fides et confessio: unde leprosus fidei opus adorans implevit; sed opus confessionis implevit in verbis: unde adorabat eum dicens.

Origenes. Domine, per te omnia facta sunt: tu ergo, si vis, potes me mundare. Voluntas tua opus est, et opera tua voluntati obediunt. Tu prius naaman syrum per eliseum a lepra mundasti; et modo, si vis, potes me mundare.

Chrysostomus in Matth. non dixit: si rogaveris Deum, neque: si adoraveris; sed si volueris, potes me mundare. Neque dixit: domine, munda; sed ei totum concedit; et dominum eum facit, et potestatem universorum ei attribuit.

Chrysostomus super Matth. et ita spirituali medico spiritualement offerebat mercedem: nam sicut medici pecuniis, iste oratione placatur. Nihil enim dignius offerimus Deo quam orationem fidelem. In hoc autem quod dicit si vis, non dubitat christi voluntatem ad omne opus bonum paratam. Sed quia non omnibus expedit corporalis integritas, nesciebat utrum ei expediret curatio illa. dicit ergo si vis; ac si diceret: credo quia quod bonum est vis; ignoro autem si est mihi, quod desidero, bonum.

Chrysostomus in Matth. Cum autem voluntate ac sermone purgare posset, manus apposuit tactum, unde sequitur et extendens manum, tetigit eum: ut ostendat quoniam non subiacet legi, et quoniam mundo iam nihil est immundum. Eliseus autem observans legis diligentiam, non exivit, et tetigit naaman; sed mittit eum ad iordanem lavandum. Dominus autem monstrat quoniam non ut servus, sed ut dominus, curat et tangit: non enim manus a lepra facta est immunda, sed corpus leprosum a manu sancta constitutum est mundum. Non enim corpora solum curaturus advenit, sed et animam in veram sapientiam ducturus. Sicut igitur manibus non lotis iam manducare non prohibebat, ita et hic erudit quoniam oportet animae lepram formidare solam, quod est peccatum: lepram autem corporis nullum impedimentum esse ad virtutem.

Chrysostomus super Matth. Quamvis autem litteram legis solverit, propositum tamen eius non solvit. Ideo enim lex iussit non tangere lepram, quia non poterat facere ut lepra non sordidaret tangentem; ergo vetuit tangere lepram, non ut leprosi non sanarentur, sed ut tangentes non inquinarentur. Iste autem tangens non inquinatus est a lepra, sed ipsam lepram mundavit tangendo. Damascenus de fide orth. Non enim Deus solum erat, sed homo: unde per tactum et per sermonem divina signa operabatur: ut enim per organum, ita per corpus divinae perficiebantur actiones.

Chrysostomus in Matth. cum autem leprosum tangit, nullus eum incusat, quia nondum invidia detenti erant auditores.

Chrysostomus super Matth. si autem tacite eum curasset, quis scire poterat cuius virtute sanatus esset? igitur voluntas mundandi facta est propter leprosum, verbum autem propter spectantes; ideo dixit volo, mundare.

Hieronimus. Non autem ut plerique latinorum putant, iunctim legendum est volo mundare; sed separatim, ut prius dicatur volo, deinde ut imperans dicat mundare. Ille enim dixerat si vis; dominus respondit volo; ille praemiserat potes me mundare; dominus dixit mundare.

Chrysostomus in Matth. nusquam autem videtur dicere hoc verbum, quamvis magna signa faciens; sed hic propterea apposuit volo, ut opinionem plebis et leprosi de eius potestate confirmaret.

Chrysostomus. Cessit autem mandanti natura cum decenti velocitate; et ideo sequitur et confestim mundata est lepra eius. Sed hoc quod dicit confestim, multum est tardius velocitate quae secundum opus est facta.

Origenes. quia enim non dubitavit credere, non tardatur sanatio; quia non distulit confessionem, non differtur mundatio.

Augustinus de cons. Evang. Huius autem leprosi mundati etiam Lucas meminit, non sane hoc ordine, sed ut solent praetermissa recordari, posterius facta praeoccupari, sicut divinitus suggerebantur, ut antea cognita, postea recordando rescriberent.

Chrysostomus in Matth. curans autem iesus corpus, iubet nulli dicere; unde sequitur et ait illi iesus: vide nemini dixeris. Quidam igitur aiunt quoniam ideo iussit hoc, ut non malignentur circa eius purgationem; quod insipienter dicitur: non enim ita mundavit ut dubitabilis esset mundatio; sed nulli dicere iubet, docens non diligere ostentationem et honorem. Qualiter igitur alii sanato iubet dicere? sed in hoc erudit nos bonae mentis esse; non enim illic divulgari se iussit, sed dari gloriam Deo. Per leprosum ergo hunc instruit nos non esse vane gloriosos: per illum autem non esse ingratos, sed omnia ad laudem Dei referre.

Hieronymus. Et revera quid erat necesse quod sermone iactaret quod corpore praeferebat? .

Hilarius in Matth. Vel ut salus haec non offerretur potius quam quaeretur, silentium imperatur. sequitur sed vade, ostende te sacerdoti.

Hieronymus. Mittit autem eum ad sacerdotes, primum propter humilitatem, ut sacerdotibus deferre videatur; deinde ut videntes leprosum mundatum, si crederent salvatori, salvarentur; si vero non crederent, inexcusabiles fierent; et simul ne quod in eo saepissime criminabantur, legem infringere videretur.

Chrysostomus. in Matth. Neque enim ubique eam dissolvebat, neque ubique custodiebat; sed quandoque quidem hoc, quandoque illud faciebat: in uno quidem futurae sapientiae praeeparans vitam, in altero autem inverecundam iudaeorum cohibens linguam, et condescendens imbecillitati eorum. Unde apostoli apparent quandoque quidem observantes legem, quandoque autem eam praetermittentes. **Origenes.** Vel mittit ad sacerdotes, ut cognoscant quia non per legis consuetudinem mundatus est, sed per gratiae operationem.

Hieronymus. erat autem in lege praeceptum ut qui mundati fuerant a lepra, offerrent munera sacerdotibus; unde sequitur et offer munus tuum, quod praecepit moyses, in testimonium illis.

Chrysostomus super Matth. non sic intellige, quia hoc moyses praecepit in testimonium illis: sed vade tu, offer in testimonium illis.

Chrysostomus in Matth. praevidens enim Christus eos ex hoc nihil profecturos, non dixit: in emendationem eorum, sed in testimonium, idest in accusationem, et attestationem quoniam quae a me erant fienda, omnia facta sunt. Et licet eos praeviderit non emendari, non tamen dimisit quae facere oportebat: illi autem in propria manserunt malitia. Non autem dixit: munus quod ego iubeo, sed quod moyses iussit, ut interim transmittat ad legem, et iniquorum obstruat ora: ut enim non dicant quoniam sacerdotum gloriam rapuit, opus quidem ipse implevit, probationem autem illis concessit.

Origenes. Vel offer munus tuum, ut omnes qui vident te portare, miraculo credant.

Chrysostomus super Matth. Vel ideo iubet offerri munera, ut si postmodum eum expellere vellent, dicere eis: munera quasi a mundato accepistis; et quomodo me quasi leprosum expellitis? .

Hilarius in Matth. Vel legendum est quod moyses praecepit in testimonium illis: quia quod moyses in lege praecepit, testimonium est, non effectus.

Beda in hom. dom. 3 post epiph. Si quem autem moveat quomodo dominus cum videatur moysi sacrificium approbare, quare id ecclesia non recipiat, meminerit quod nondum Christus corpus suum obtulerat per passionem in holocaustum. Non autem oportebat auferri significantia sacrificia prius quam illud quod significabatur, confirmatum esset testimonio apostolorum praedicantium, et fide credentium populorum. vir autem iste genus humanum designat, qui non solum leprosus, verum etiam, iuxta evangelium lucae, plenus lepra fuisse describitur. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei, illa scilicet ut extenta manu salvatoris, hoc est incarnato Dei verbo, humanamque contingente naturam, ab erroris prisci vanitate mudentur; et qui diutius abominabiles, et castris populi Dei eiecti, iam aliquando templo redditi et sacerdoti, queant offerre corpora sua hostiam viventem; illi scilicet cui dicitur: tu es sacerdos in aeternum.

Remigius. Moraliter autem per leprosum designatur peccator: nam peccatum immundam et variam animam facit; qui ante Christum procidit, quando de pristinis peccatis confunditur: et tamen debet confiteri,

et remedium poenitentiae postulare: nam leprosus vulnus ostendit, et remedium postulavit. extendit autem dominus manum, quando auxilium divinae miserationis impendit: et statim consequitur remissionem delictorum; nec debet ecclesia eidem reconciliari, nisi iudicio sacerdotis.

MATTHAEUS 8,5-9

3805 (Mt 8,5-9)

Chrysostomus super Matth. postquam dominus discipulos docuit in monte, leprosum autem sanavit sub monte, venit capharnaum in mysterio, quia post iudaeorum mundationem venit ad gentes. Haymo. Capharnaum enim, quae villa pinguedinis interpretatur, sive ager consolationis, ecclesiam quae ex gentibus est collecta, significat, quae spirituali pinguedine est repleta, secundum illud ps. 62,6: sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea. Et inter pressuras saeculi de caelestibus consolatur, secundum illud ps. 93,18: consolationes tuae laetificaverunt animam meam. Unde dicitur cum autem introisset capharnaum, accessit ad eum centurio.

Augustinus de verb. Dom. Iste centurio de gentibus erat: iam enim iudaea gens habebat militem romani imperii.

Chrysostomus super Matth. Centurio autem iste primus fructus ex gentibus ad cuius fidei comparisonem omnium iudaeorum fides infidelitas est inventa: qui neque Christum audivit docentem, neque leprosum, cum mundaretur, aspexit, sed audita tantummodo sanitate leprosi, plus credidit quam audivit: erat enim in mysterio gentium futurarum, quae neque legem aut prophetas legerant de Christo, neque ipsum Christum mirabilia facientem viderant. Accessit ergo rogans, et dicens domine, puer meus iacet in domo paralyticus, et male torquetur. Vide autem bonitatem centurionis, qui pro salute servi sic sollicite festinabat, quasi non damnum pecuniae sed salutis passurus in morte illius. Nullam enim differentiam aestimabat inter servum et dominum: quia etsi dignitas in hoc saeculo diversa est inter illos, una tamen est illis natura. Fidem autem centurionis vide: quia non dixit: veni et salva eum; quia ille constitutus in omni loco erat praesens; sapientiam autem, quia non dixit: hic constitutus salva eum: sciebat enim quia potens est ad faciendum, sapiens ad intelligendum, misericors ad exaudiendum: ideo infirmitatem tantum exposuit, remedium autem sanitatis in potestate misericordiae eius dimisit, dicens et male torquetur: in quo apparet quia diligebat eum: nam unusquisque quem diligit, etsi modice fuerit taediatus, gravius eum putat habere quam habet.

Rabanus. Omnia ista cum dolore cognominavit: et iacentem, et paralyticum, et male detentum: ideo ut animae suae angustias demonstraret, et dominum commoveret; sic debent omnes condolere servis, et eorum curam habere.

Chrysostomus in Matth. Quidam autem dicunt, quoniam excusans se, hanc causam dixit propter quam non ipsum adduxit. neque enim possibile erat dissolutum, cum torqueretur, et ad ultimas esset expirationes, portari. Ego autem signum hoc esse magnae fidei dico: quia enim sciebat quod sola iniunctio sufficeret ad restorationem iacentis, superfluum aestimabat eum ducere.

Hilarius in Matth. Iacentes autem in saeculo et peccatorum morbis dissolutae spiritualiter gentes aestimandae sunt, omnibus undique membris fluidis, et ad consistendi officium gradiendique corruptis; quarum salutis sacramentum in puero centurionis expletur, quem satis dictum sit principem esse gentium crediturarum. Quis autem sit hic princeps, canticum moysi docet, ubi scilicet dicitur: constituit terminos gentium iuxta numerum angelorum.

Remigius. Vel per centurionem designantur qui primi ex gentibus crediderunt, et perfecti in virtute fuerunt: centurio enim dicitur qui centum militibus praeest; centenarius autem numerus perfectus est. Recte ergo centurio pro puero suo rogat, quia primitiae gentium pro salute totius gentilitatis Deum rogaverunt.

Hieronymus. Videns autem dominus centurionis fidem, humilitatem et providentiam, statim se iturum et sanaturum esse promittit; unde sequitur et ait illi iesus: ego veniam, et curabo eum.

Chrysostomus in Matth. Quod numquam fecit, hic facit iesus: ubique enim sequitur voluntatem supplicantium, hic autem praesilit, et non solum curare promittit, sed ire ad domum. Facit hoc, ut discamus centurionis virtutes.

Chrysostomus super Matth. nisi enim ille dixisset veniam, et curabo eum, numquam iste responderet non sum dignus. Deinde quoniam pro servo petebat, ideo ire promisit, ut nos doceat non colere magnos et

contemnere modicos; sed pauperes et divites similiter honorare.

Hieronymus. Sicut autem in centurione commendamus fidem, eo quod credidit paralyticum a salvatore posse sanari, ita patet humilitatis in hoc quod se iudicavit indignum cuius tectum dominus intraret; unde sequitur et respondens centurio, ait illi: domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum.

Rabanus. Propter conscientiam enim vitae gentilis, gravari se magis dignatione putavit, quam iuvari, cuius etsi fide praeditus, nondum erat tamen sacramentis inunctus.

Augustinus de verb. Dom. dicendo autem se indignum, praestitit dignum, non in cuius parietes, sed in cuius cor verbum Dei Christus intraret. Neque hoc diceret cum tanta fide et humilitate, nisi illum quem timebat intrare domum suam, corde gestaret: nam non erat magna felicitas, si iesus intraret in parietes eius, et non esset in pectore eius. Severianus. mystice autem hoc tectum, corpus est quod tegit animam: quod libertatem mentis caelesti visione in se concludit. Sed Deus neque habitare carnem, neque tectum nostri corporis dedignatur intrare.

Origenes. nunc etiam quando sancti a Deo acceptabiles ecclesiarum antistites sub tectum tuum intrant, tunc ibidem per eos dominus ingreditur; et tu sic aestimes quasi dominum suscipiens. Et quando corpus et sanguinem domini manducas et bibis, tunc dominus sub tectum tuum ingreditur; et tu ergo humilians teipsum dicas domine, non sum dignus. Ubi enim indigne ingreditur, ibi ad iudicium ingreditur accipienti.

Hieronymus. Prudentia autem centurionis apparet in hoc quod ultra corporis tegumen latentem vidit divinitatem, unde subiungit sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.

Chrysostomus super Matth. Sciebat enim quoniam astabant illi invisibiliter angeli ministrantes, qui omne verbum eius vertunt in opus; et quod si angeli cessant, tamen infirmitates praeceptis eius vivacibus expelluntur.

Hilarius in Matth. dicit etiam centurio puerum verbo posse sanari, quia salus gentium omnis ex fide est, et in praeceptis domini vita est universorum: et ideo subiungit dicens nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic: vade, et vadit; et alii: veni, et venit; et servo meo: fac hoc, et facit.

Chrysostomus super Matth. patris et filii mysterium spiritu sancto suggerente depinxit, ac si diceret: etsi ego sum sub potestate alterius, tamen habeo potestatem iubendi eis qui sub me sunt; sic et tu, quamvis sis sub potestate patris, scilicet in quantum homo, habes tamen potestatem iubendi angelis. Sed forte dicet sabellius volens ostendere eundem esse patrem qui et filius est, sic hoc esse intelligendum: si ego sub potestate constitutus possum iubere, quanto magis tu, qui sub nullius es potestate? sed hanc expositionem non recipit textus. Non enim dixit: si ergo homo sub potestate; sed dixit nam et ego homo sum sub potestate: in quo patet quod inter se et Christum non comparisonis differentiam fecit; sed rationem similitudinis introduxit.

Augustinus de verb. Dom. si ego, qui sum sub potestate, iubendi habeo potestatem, quid tu potes, cui omnium serviunt potestates? **Glossa.** potes per angelorum ministeria sine corporis praesentia dicere infirmitati ut recedat, et recedet; et sanitati ut veniat, et veniet. Haymo. Possunt autem per subiectos centurionis, virtutes naturales intelligi, in quibus plurimi gentilium pollebant; vel etiam cogitationes bonae aut malae. Malis autem dicamus ut recedant, et recedent; sed bonas vocemus, et venient; servo quoque nostro, hoc est corpori, ut subiciatur voluntati divinae.

Augustinus de cons. Evang. huic autem quod hic dicitur, videtur repugnare quod ait Lucas: cum audisset centurio de iesu, misit ad eum seniores iudaeorum, rogans eum ut veniret, et salvaret servum eius; et iterum quod: cum non longe esset a domo misit ad eum centurio amicos dicens: domine, noli vexari, non enim sum dignus ut sub tectum meum intres.

Chrysostomus in Matth. quidam autem dicunt, quoniam non est idem ille et hic; quod multas coniecturas habet. De illo enim ait Lucas quoniam synagogam nostram construxit, et gentem diligit; de isto autem ipse iesus ait neque in israel tantam fidem inveni; unde videtur iudaeum illum esse. mihi autem videtur idem hic et ille. Sed quando Lucas dicit quod misit ut veniat, blanditias iudaeorum insinuavit. Conveniens enim est credere centurionem volentem abire, prohibitum esse a iudaeis blandientibus, et dicentibus quoniam nos abimus et conducimus eum. Sed quando ab eorum imminetia erutus est, tunc misit, dicens: ne aestimes quod propter desidiam non veni, sed quia me indignum aestimavi ut te in domum meam susciperem. quod autem Matthaeus ait non per amicos, sed per seipsum hoc eum dixisse, nihil contrarium est: uterque enim desiderium viri repraesentavit, et quoniam de Christo decentem opinionem habebat. conveniens autem est

opinari et ipsum, postquam misit amicos, ad venientem per se haec dicere. Si autem non hoc dixit Lucas, neque illud Matthaeus, non sibi contradicunt, sed complent quae ab invicem derelinquebantur.

Augustinus de cons. Evang. Matthaeus ergo accessum centurionis ad dominum per alios factum compendio dicere voluit, quia fidem eius qua vere ad Deum acceditur laudavit, ut diceret non inveni tantam fidem in israel. Lucas autem ideo totum ut gestum est aperuit, ut ex hoc intelligere cogere eum accepisse dixerit Matthaeus, qui mentiri non potuit.

Chrysostomus in Matth. Neque enim est contrarium quod fabricavit synagogam, secundum lucam, et quod hic ostenditur non esse israelita: possibile enim est iudaeum non existentem, et synagogam fabricasse, et gentem diligere.

MATTHAEUS 8,10-13

3810 (Mt 8,10-13)

Chrysostomus in Matth. sicut quod leprosus dixerat de christi potestate, si vis, potes me mundare, christi voce confirmatur, dicentis volo, mundare, ita et hic centurionem de christi potestate testantem non solum non accusavit, sed etiam commendavit. Sed et amplius aliquid fecit: intensionem enim laudis evangelista significans, dicit audiens autem iesus miratus est.

Origenes. attende quantum sit aut quale quod Deus unigenitus miratur. aurum, divitiae, regna, principatus in conspectu eius sunt tamquam umbra vel flos decidens: nihil ergo horum in conspectu Dei mirabile est, quasi magnum vel pretiosum, sed tantum fides: hanc miratur honorificans, hanc acceptabilem sibi aestimat.

Augustinus super genesim contra manichaeos. Quis autem in illo fecerat illam fidem, nisi ipse qui admirabatur? quod si et alius eam fecisset, ut quid miraretur qui praescius erat? quod ergo miratur dominus, nobis mirandum esse significat, quibus adhuc opus est sic moveri: omnes enim tales motus eius non perturbati animi signa sunt, sed docentis magisterium.

Chrysostomus in Matth. unde plebe omni praesente admiratus esse dicitur, et aliis exemplum dedit, ut eum mirentur; sequitur enim et sequentibus se dixit: amen dico vobis: non inveni tantam fidem in israel.

Augustinus contra faustum. Fidem laudat illius; non autem desertionem militiae imperavit.

Hieronymus. Hoc autem de praesentibus loquitur, non de omnibus retro patriarchis et prophetis.

Chrysostomus super Matth. credidit enim andreas, sed iohanne dicente: ecce agnus Dei; credidit petrus, sed evangelizante sibi andrea; credidit philippus, sed legendo scripturas; et nathanael prius signum divinitatis accepit, et sic fidei confessionem obtulit. **Origenes.** iairus israelis princeps pro filia sua petens, non dixit dic verbo, sed: veni velociter. nicodemus de fidei sacramento audiens ait: quomodo potest hoc fieri? maria et martha dicunt: domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus, quasi dubitantes quod ubique posset adesse Dei potentia.

Chrysostomus super Matth. Aut si volumus fidelioem putare istum quam apostolos, ita testimonium christi intelligendum est quod unumquodque bonum hominis secundum quantitatem personae illius laudatur: rusticum enim dicere aliquid sapienter, magnum est; quod de philosopho non est mirum: sic de centurione dictum est in nullo tantam fidem inveni in israel.

Chrysostomus in Matth. Non enim erit aequale iudaeum credere et gentilem.

Hieronymus. Vel forte in centurione fides gentium praepositur israeli; unde subdit dico autem vobis, quod multi ab oriente et occidente venient.

Augustinus de verb. Dom. Non omnes ait, sed multi; tamen ipsi ab oriente et occidente: istis duabus partibus totus orbis designatur. haymo. Vel ab oriente veniunt qui statim illuminati transeunt; ab occidente hi qui persecutionem usque ad mortem toleraverunt pro fide; vel ab oriente quis venit, cum ab infantia Deo servire incipit; ab occidente, dum in ipsa decrepita aetate ad Deum convertitur.

Origenes. sed quomodo alibi dicit, quod pauci sunt electi? per diversas enim generationes pauci electi sunt, simul vero congregati in tempore visitationis multi invenientur. Sequitur et recumbent, non carnaliter

iacentes, sed spiritualiter requiescentes; non temporaliter potantes, sed aeternaliter epulantes cum abraham, isaac et iacob in regno caelorum, ubi lux, exultatio, gloria, et longaeuitas vitae aeternae.

Hieronymus. Quia autem Deus abraham caeli conditor, pater christi est, idcirco in regno caelorum est et abraham, cum quo accubiturae sunt nationes quae crediderunt in Christum filium creatoris.

Augustinus de verb. Dom. sicut autem videmus christianos vocatos ad caeleste convivium, ubi est panis iustitiae, potus sapientiae, ita videmus et iudaeos reprobatos; unde sequitur filii autem regni eicientur in tenebras exteriores: iudaei scilicet, qui legem acceperunt, qui celebrant figuras omnium futurorum, qui tamen praesentia non agnoverunt.

Hieronymus. vel filios regni dicit iudaeos, quia in eis Deus ante regnavit.

Chrysostomus in Matth. Vel filios regni eos dicit quibus regnum erat praeparatum; quod et magis eos mordebat.

Augustinus contra faustum. Si ergo non commendavit moyses populo israel Deum, nisi Deum abraham, isaac et iacob, eumque ipsum Christus commendat; non est conatus illum populum avertere a Deo suo; sed ideo minatus est eos ituros in tenebras exteriores, quod aversos videret eos a Deo suo, in cuius regno gentes vocatas ex toto orbe terrarum recubituras dicit cum abraham, isaac et iacob: non ob aliud quam quod fidem tenuissent Dei abraham, isaac et iacob: quibus non quasi in morte correctis, vel post passionem suam iustificatis testimonium dominus perhibeat.

Hieronymus. Tenebrae autem exteriores dicuntur, quoniam qui a domino expellitur foras, relinquit lumen. haymo. Quid autem ibi passuri sint, manifestat cum subdit ibi erit fletus et stridor dentium. Per metaphoram enim membrorum poenas describit tormentorum: solent enim oculi fumo tacti lacrymas producere, dentes vero a nimio frigore stridere. ostenditur ergo quod reprobi in inferno et calorem intolerabilem et frigus sustinebunt, secundum illud iob: transient ab aquis nivium ad calorem nimium.

Hieronymus. si autem fletus oculorum est, et stridor dentium ossa demonstrat, vera est corporum et eorumdem membrorum quae ceciderant resurrectio.

Rabanus. Vel stridor dentium prodit indignantis affectum, eo quod sero unumquemque poeniteat, sero sibi irascatur, quod tam pertinaci improbitate deliquit.

Remigius. Vel aliter. Tenebras exteriores appellat exterarum nationes: quantum enim ad historiam attinet, praedicit dominus his verbis interitum iudaeorum, quoniam propter infidelitatem ducendi erant captivi, et dispergendi per diversa regna terrarum: fletus enim ab igne solet fieri, stridor dentium a frigore. Illis ergo adscribitur fletus qui in calidioribus locis habitant, sicut in india et aethiopia; stridor vero dentium illis adscribitur qui in frigidioribus locis commorantur, sicut est hircania et scythia.

Chrysostomus in Matth. Ne quis autem existimet blanditiarum esse haec verba quae dicta erant, credere facit signo; unde sequitur et dixit iesus centurioni: vade, et sicut credidisti fiat tibi.

Rabanus. quasi dicat: secundum mensuram fidei fiat tibi et ista gratia. Potest autem meritum domini etiam famulis suffragari, non solum merito fidei, sed etiam studio disciplinae; unde sequitur et sanatus est.

Chrysostomus in Matth. ubi velocitatem admirare: neque enim solum curare, sed inopinate et in momento temporis hoc facere, virtutem christi ostendebat.

Augustinus de verb. Dom. sicut enim dominus domum centurionis corpore non intravit, sed absens corpore, praesens maiestate, puerum sanavit, sic et in solo iudaico populo corpore fuit; apud alias autem gentes, nec de virgine natus est, nec passus est, nec humana pertulit, nec divina mirabilia fecit; et tamen impletum est quod dictum erat: populus quem non cognovi, servivit mihi; in auditu auris obedivit mihi. iudaea enim gens cognovit, et crucifixit; orbis terrarum audivit, et credidit.

MATTHAEUS 8,14-15

3814 (Mt 8,14-15)

Rabanus. Postquam ostendit Matthaheus per leprosum totum genus humanum sanatum, et in servo

centurionis gentilis populi sanationem, consequenter per socrum petri designat curationem synagogae, cum dicit et cum venisset iesus in domum petri. Prius autem narrat de servo, quia maius miraculum fuit, et maior gratia in gentili converso; vel quia in fine saeculi synagoga est plenarie convertenda, cum plenitudo gentium subintraverit. Domus autem petri in bethsaida erat.

Chrysostomus in Matth. Sed cur intravit in domum petri? mihi videtur cibum assumpturus; unde sequitur et surrexit, et ministrabat eis. Apud discipulos enim divertebat honorans eos, et avidiores ex hoc faciens. Attende autem petri ad Christum reverentiam: habens enim socrum domi febricitantem, non traxit eum in domum, sed expectavit doctrinam compleri, et alios curari. Ab exordio enim erudiebatur quae aliorum erant sibi ipsi praeponere. Quocirca neque ipse eum inducit, sed Christus sponte adivit, postquam dixit centurio: non sum dignus ut intres sub tectum meum, monstrans quantum largiebatur discipulo. Non est autem dedignatus sub vilia tuguria piscatorum intrare, erudiens per omnia humanum conculcare tumorem. Et quandoque solum verbis curat, quandoque autem etiam manum extendit: unde et hic dicitur et tetigit manum eius, et dimisit eam febris. non enim volebat semper cum superabundantia miracula facere: oportebat enim interim latere. Tangens autem corpus, non febrem extinxit solum, sed et puram tribuit sanitatem. Quia enim aegritudo curabilis erat, modo curationis suam virtutem ostendebat, faciendo quod ars medicinalis non operatur, ut scilicet simul perfectam restituat sanitatem; unde evangelista hoc innuens dicit, quod surrexit, et ministrabat eis.

Hieronimus. Natura enim hominum istiusmodi est ut post febrem magis lassescant corpora; et incipiente sanitate, aegrotationis mala sentiant. verum sanitas quae confertur a domino, tota simul redit; nec sufficit esse sanatum, sed ut epitasis fortitudinis indicetur, additum est surrexit, et ministrabat eis.

Chrysostomus in Matth. In hoc ergo quod dicitur, quod surrexit, et ministrabat eis, et christi virtutis signum est, et affectus quem mulier erga Christum ostendebat. **Beda.** Mystice autem domus petri, lex vel circumcisio est: socrus est synagoga, quae quodammodo est mater ecclesiae petro commissae. Haec febricitat, quia invidiae aestibus laborabat, persequens ecclesiam: cuius manum dominus tangit, quando carnalia eius opera in spiritualem usum convertit.

Remigius. Vel per socrum petri potest intelligi lex, quae secundum apostolum infirmabatur per carnem, idest carnalem intelligentiam. Sed cum dominus per mysterium incarnationis visibilis in synagoga apparuit, et opere legem implevit, et spiritualiter intelligendam docuit, mox ipsa sociata gratiae evangelii, tantum robor accepit, ut quae fuerat ministra mortis et poenae, postmodum fieret vitae et gloriae.

Rabanus. Vel unaquaeque anima, quae carnis concupiscentiis militat, quasi febribus aestuat; sed manu misericordiae divinae tacta convalescit, et per continentiae frena carnis lasciviam constringit, et membris quibus servierat immunditiae, servit iustitiae.

Hilarius in Matth. vel in socru petri vitiosa infidelitatis aestimatur affectio, cui adiacet libertas voluntatis, quae nos sibi quadam coniugii societate coniungit. Ergo ingressu domini in petri domum, idest in corpus, curatur infidelitas peccatorum calore aestuans, et salvata officii famulatu ministrat.

Augustinus de cons. Evang. Hoc autem quando factum sit, idest post quid vel ante quid, non expressit Matthaeus: non enim post quod narratur, post hoc etiam factum necesse est intelligatur: nimirum tamen iste hic recoluisse intelligitur quod prius omiserat. Nam id Marcus hic narrat antequam illud de mundato leproso commemoret, quod post sermonem in monte habitum, de quo ipse tacuit, videtur interposuisse. Itaque et Lucas hoc post factum narrat, de socru petri, post quod et Marcus: ante sermonem etiam quem prolixum interposuit, qui potest idem videri quem dicit habitum in monte Matthaeus. Quid autem interest, quis quo loco ponat, sive quod ex ordine inerit, sive quod omissum recolit, sive quod postea factum ante praeoccupat, dum tamen non adversetur eadem alia narranti, nec sibi nec alteri? quia enim nullius in potestate est res opportune cognitas quo quisquam ordine recordetur, satis probabile est quod unusquisque evangelistarum eo se ordine credidit debuisse narrare, quo voluisset Deus ea quae narrabat, eius recordationi suggerere. Quapropter ubi ordo temporum non apparet, nihil nostra interesse debet quem narrandi ordinem quilibet eorum tenuerit.

MATTHAEUS 8,16-17

3816 (Mt 8,16-17)

Chrysostomus in Matth. quia multitudo credentium erat iam aucta, neque tempore impellente a Christo abscedere patiebantur, vespere ei infirmos adducunt; unde dicitur vespere autem facto obtulerunt ei

daemonia habentes.

Augustinus de cons. Evang. Per hoc autem quod dicit vespere autem facto, ad eiusdem diei tempus hoc pertinere satis indicatur, quamvis necesse non sit, ubi dicitur vespere facto, eiusdem diei vesperum accipere.

Remigius. Christus autem Dei filius auctor humanae salutis, fons et origo totius pietatis, caelestem medicinam tribuebat; unde sequitur et eiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit. Daemones enim et morbos solo verbo repellebat, ut his signis et virtutibus ostenderet se ad salutem generis humani venisse.

Chrysostomus in Matth. Intende autem quantam multitudinem curatam transcurrunt evangelistae; non unumquemque curatum enarrantes, sed uno verbo pelagus ineffabile miraculorum inducentes. ne autem magnitudo miraculi incredulitatem immittat, si tantam plebem et varias aegritudines uno temporis momento curavit, inducit prophetam attestantem his quae fiebant; unde sequitur ut adimpleretur quod dictum est per isaiam prophetam dicentem: ipse infirmitates nostras accepit.

Rabanus. Non ut sibi haberet, sed ut nobis auferret; et aegrotationes nostras portavit, ut quod pro imbecillitate virium ferre non poteramus, ille pro nobis portaret.

Remigius. Quia humanae naturae infirmitatem ad hoc suscepit ut nos infirmos faceret fortes atque robustos.

Hilarius in Matth. Et passione corporis sui, secundum prophetarum dicta, infirmitates humanae imbecillitatis absorbit.

Chrysostomus in Matth. hoc autem de peccatis magis a propheta dictum esse videtur. Qualiter igitur evangelista de aegritudinibus hoc exponit? sed sciendum, quod vel historiae hic testimonium adaptavit, vel ostendit quoniam plures aegritudines ex peccatis sunt animarum: nam et ipsa mors a peccatis habet radicem.

Hieronymus. attendendum autem, quod omnes non mane, non meridie, sed ad vesperam curantur, quando sol occubiturus est, et quando granum tritici in terram moritur, ut multos afferat fructus.

Rabanus. solis enim occubitus passionem et mortem designat illius qui dixit: quamdiu sum in mundo, lux sum mundi; qui temporaliter vivens in carne, paucos iudaeorum docuit; calcato autem regno mortis, omnibus per orbem gentilibus fidei dona promisit.

MATTHAEUS 8,18-22

3818 (Mt 8,18-22)

Chrysostomus in Matth. quia Christus non solum corpora curabat, sed animam emendabat, et veram sapientiam monstrare voluit, non solum aegritudines solvendo, sed etiam nihil ad ostentationem faciendo; et ideo dicitur videns autem iesus turbas multas circum se, iussit discipulos ire trans fretum. Faciebat autem hoc et simul moderata nos cupere docens, et invidiam iudaicam mitigans, et docens nos nihil ad ostentationem facere.

Remigius. Vel hoc facit quasi homo volens turbarum importunitatem declinare. erant autem ei affixi admirantes eum, et videre ipsum volentes. Quis enim discederet a talia miracula operante? quis non in faciem eius simplicem vellet videre, et os talia loquens? si enim moyses glorificatam faciem habebat, et stephanus sicut angeli, intellige communem dominatorem qualem decens est tunc apparuisse; unde propheta dicit: speciosus forma prae filiis hominum.

Hilarius in Matth. discipulorum autem nomen non duodecim tantum apostolis convenire aestimandum est: nam praeter apostolos plures fuisse discipulos legimus.

Augustinus de cons. Evang. Manifestum est autem alium esse diem quo iussit ire trans fretum, non eum qui sequitur illum in quo socrus petri sanata est, quo die Marcus Lucasque eum in desertum exisse affirmant.

Chrysostomus in Matth. Vide autem qualiter turbas non simpliciter abicit, ut non offendat. Non enim dixit: recedite, sed ultro discipulos iussit abire, spem dans turbae eundi etiam illuc.

Remigius. Sed quid inter iussionem Dei et transfretationem gestum sit, evangelista studuit manifestare, cum ait et accedens unus scriba ait illi: magister, sequar te quocumque ieris.

Hieronymus. Iste scriba, qui tantum litteram noverat occidentem, si dixisset: domine, sequar te quocumque ieris, non fuisset repulsus a domino; sed quia magistrum unum de pluribus aestimat, et litterator erat (quod significantius graece dicitur grammateus), et non spiritalis auditor, ideo non habet locum in quo possit iesus reclinare caput suum. Ostenditur autem nobis, et ob hoc scribam repudiatum, quod signorum videns magnitudinem sequi voluerit salvatorem, ut lucra ex operum miraculis quaereret; hoc idem desiderans quod et simon magus a petro emere voluerat.

Chrysostomus in Matth. Vide etiam quantus est tumor: ita enim advenit et locutus est sicut dedignans cum turba annumerari, sed ostendens quoniam super multos est ipse.

Hilarius in Matth. vel aliter. Iste scriba qui est unus ex doctoribus legis, an sit secuturus interrogat, quasi lege non contineretur hunc esse quem utiliter sequatur. Igitur infidelitatis affectum sub diffidentia interrogationis expressit: quia fidei assumptio non interroganda est, sed sequenda.

Chrysostomus in Matth. Respondet autem ei Christus, non ad interrogationem verborum, sed ad consilium obvians mentis; unde sequitur et dicit ei iesus: vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet; ac si dicat: .

Hieronymus. quid me propter divitias et saeculi lucra cupis sequi, cum tantae sim paupertatis, ut nec hospitium quidem habeam, et tecto utar non meo? .

Chrysostomus in Matth. Hoc autem non erat avertentis, sed arguentis quidem malum consilium, concedentis autem si vellet cum paupertatis expectatione sequi Christum. et ut discas eius malitiam, audiens hoc et correctus non dixit: paratus sum sequi.

Augustinus de verb. Dom. vel aliter. Filius hominis non habet ubi caput suum reclinet, scilicet in fide tua. vulpes enim habent foveas, in corde tuo, quia dolosus es; volatilia caeli habent nidos, in corde tuo, quia elatus es. Dolosus et elatus non me sequeris: quomodo enim dolosus sequitur simplicitatem? **Gregorius** moralium. Vel aliter. Vulpes valde fraudulenta sunt animalia, quae in fossis vel specubus absconduntur; cumque apparuerint, nunquam rectis itineribus sed tortuosis anfractibus currunt; volucres vero alto volatu se sublevant. Nomine ergo vulpium dolosa atque fraudulenta, nomine autem volucrum haec eadem superba daemonia designantur; ac si dicat: fraudulenta et elata daemonia in corde tuo inveniunt habitationem suam; humilitas autem mea requiem in superba mente non invenit.

Augustinus de quaest. Evang. intelligitur enim miraculis motus, propter inanem iactantiam eum sequi voluisse, quam significant aves; finxisse autem discipuli obsequium, quae fictio vulpium nomine significata est.

Rabanus. haeretici autem in sua versutia confidentes significantur per vulpes, et maligni spiritus per volucres caeli, qui in corde iudaici populi foveas et nidos, idest domicilia habebant. sequitur alius autem de discipulis illius ait illi: domine, permitte me ire primum, et sepelire patrem meum.

Hieronymus. quid simile est inter scribam et discipulum? ille magistrum vocat, hic dominum confitetur.

Hilarius in Matth. Iste pietatis occasione ad sepeliendum patrem ire desiderat, ille secuturum se quolibet irit, promittit, non magistrum quaerens, sed ex magistro lucrum. Ille etiam discipulus non interrogat an sequatur; iam enim sequi se oportere credit; sed permitti sibi orat sepelire patrem.

Augustinus de verb. Dom. Dominus autem quando parat homines evangelio, nullam excusationem vult interponi carnalis huius temporalisque pietatis; et ideo sequitur iesus autem dixit ei: sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

Chrysostomus in Matth. Hoc autem dixit non iubens contemnere amorem qui est ad parentes, sed monstrans quoniam nihil caelestibus negotiis nobis magis necessarium esse oportet; quoniam cum toto studio his iungi debemus, et neque parum tardare, etiam si valde inevitabilia et incitantia fuerint quae attrahunt. Quid enim magis necessarium erat quam sepelire patrem? quid etiam facilius? neque enim

tempus multum consumendum erat. Per hoc etiam eum dominus a multis malis eripuit: puta luctibus et moeroribus, et ab his quae hic expectantur. Post sepulturam enim necesse iam erat et testamenta scrutari, et haereditatis divisionem, et alia huiusmodi: et ita fluctuationes ex fluctuationibus ei succedentes, longe eum a veritatis abducere portu potuerunt. Si autem adhuc tumultuaris, excogita quoniam multi infirmos non permittunt scire, nec ad momentum sequi; etiamsi pater aut mater aut filius sit qui defunctus est; nec ex hoc incusantur crudelitatis; sed contrarium crudelitatis esse. Et multo maius malum est abducere hominem a spiritualibus sermonibus, et maxime cum fuerint qui hoc compleant: erant enim qui completuri erant huius funeris sepulturam; unde dicit dimitte mortuos sepelire mortuos suos.

Augustinus de verb. Dom. quasi dicat: pater tuus mortuus est. Sunt autem alii mortui, qui sepeliant mortuos suos, quia infideles sunt.

Chrysostomus in Matth. In quo monstrat quoniam hic mortuus non erat eius: etenim qui defunctus erat, sicut aestimo, de numero infidelium erat. Si autem admiraris iuvenem, quoniam pro negotio ita necessario interrogavit iesum, et non spontanee abiit, multo magis admirare quoniam et prohibitus permansit: quod non erat ingratitude, cum non propter desidiam fecerit, sed ut non intercideret negotium magis necessarium.

Hilarius in Matth. item quia accepimus in dominicae orationis exordio ita primum precandum: pater noster, qui es in caelis, et in discipulo credentis populi persona est, admonetur quod pater sibi vivus in caelis est; deinde inter fidelem filium patremque infidelem ius paterni nominis non relinquit. Admonuit etiam non admisceri memoriis sanctorum mortuos infideles, et etiam eos esse mortuos qui extra Deum vivunt: ut idcirco mortui sepeliantur a mortuis: quia per Dei fidem vivos vivo oporteat adhaerere. Si autem mortuum sepelit mortuus, non debemus curam habere mortuorum, sed viventium; ne dum solliciti sumus de mortuis, nos quoque mortui appellemur.

Gregorius moralium. Mortui etiam mortuum sepeliunt, cum peccatores peccatoribus favent. Qui enim peccantem laudibus prosequantur, extinctum sub verborum suorum aggere abscondunt.

Rabanus. notandum est etiam in hac sententia, quia aliquando minora bona praetermittenda sunt pro utilitate maiorum.

Augustinus de cons. Evang. Quod autem Matthaheus dicit, tunc istud gestum esse quando iussit ut irent trans fretum, Lucas vero ambulantes illis in via, non est contrarium; quia viam utique ambulabant, ut venirent ad fretum.

MATTHAEUS 8,23-27

3823 (Mt 8,23-27)

Origenes. cum multa magna et miranda ostendisset Christus in terra, transit ad mare, ut ibidem excellentia opera demonstraret, quatenus terrae marisque dominum se esse cunctis ostenderet; unde dicitur et ascendente eo in naviculam, secuti sunt discipuli eius: non imbecilles, sed firmi et stabiles in fide. Hi ergo secuti sunt eum, non tantum gressus eius sequentes, sed magis sanctitatem comitantes.

Chrysostomus in Matth. Accepit autem discipulos secum et in navi, ut ad utraque eos erigeret: et ad hoc quod in periculis non stupescerent, et ad hoc quod in honoribus moderata de se autumarent. ut enim non magna de se saperent, propter hoc quod aliis dimissis eos retinuerat, permittit eos fluctuari. Ubi enim miraculorum ostensio erat, plebem permittit adesse; ubi autem tentationum et timorum arreatio, athletas orbis terrarum, quos exercitaturus erat, hos solos assumit.

Origenes. Ingressus ergo naviculam fecit turbare mare; unde sequitur et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. haec tempestas non ex se orta est, sed potestati paruit imperantis, qui educit ventos de thesauris suis. Facta est autem tempestas magna ut magnum opus ostenderetur: quia quanto magis fluctus naviculae irruebant, tanto magis discipulos timor conturbabat, ut plus desiderarent se liberari per mirabilia salvatoris.

Chrysostomus in Matth. Quia enim viderant alios christi beneficia accepisse; non autem similiter aliquis aestimat quae in alienis corporibus fiunt et quae in seipso; oportuit per familiarem sensum eos potiri beneficii christi. Et ideo voluit hanc fieri tempestatem, ut per liberationem manifestiorem accipiant beneficii sensum. Erat autem haec turbatio typus futurarum tentationum, de quibus paulus dicit: nolo vos ignorare, fratres, quoniam gravati sumus supra virtutem. Ut ergo daret tempus formidini, sequitur ipse vero

dormiebat. Si enim vigilante eo facta fuisset tempestas, vel non rogassent, vel neque posse ipsum tale aliquid facere crederent.

Origenes. Est autem res mirabilis et stupenda: is qui numquam dormit neque dormitat, dormire dicitur. dormiebat quidem corpore, sed vigilabat deitate; demonstrans quia verum humanum portabat corpus, quod corruptibile induerat. corpore itaque dormiebat, ut apostolos faceret vigilare, et ne omnes nos unquam animo dormiamus. Tanto autem metu discipuli fuerant conterriti, et pene animo alienati, ut irruerent in eum; et non modeste ac leviter suggererent, sed turbulenter suscitarent eum; unde sequitur et accesserunt ad eum discipuli eius, et suscitaverunt eum dicentes: domine, salva nos, perimus.

Hieronymus. Huius signi typum in iona legimus, quando ceteris periclitantibus ipse securus est, et dormit et suscitatur. **Origenes.** O veraces discipuli, salvatorem vobiscum habetis, et periculum timetis? vita vobiscum est, et de morte solliciti estis? sed respondeant: parvuli sumus, et adhuc infirmi, ideoque timemus; unde sequitur et dicit eis iesus: quid timidi estis, modicae fidei? quasi diceret: si potentem me super terram cognovistis, quare non creditis quia et in mari potens sim? et si mors irrueret, nonne debuistis eam constantissime sustinere? qui modicum credit, arguetur; qui nihil credit, contemnetur.

Chrysostomus in Matth. si autem aliquis dixerit, quoniam non fuit modicae fidei, accedentes excitare iesum; hoc signum fuit quod non decentem de ipso opinionem habebant. Noverant enim quod excitatus poterat mare increpare; nondum autem quod dormiens. Propter hoc etiam neque praesentibus turbis hoc signum fecit, ut non accusentur modicae fidei; sed discipulos solum accipiens corrigit; et prius solvit turbationem aquarum; unde sequitur tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna.

Hieronymus. Ex hoc autem loco intelligimus quod omnes creaturae sentiant creatorem: quibus enim imperatur, sentiunt imperantem: non errore haereticorum, qui omnia putant animantia sensibilia esse; sed maiestate conditoris, quae apud nos insensibilia sunt, illi sensibilia sunt.

Origenes. Imperavit ergo ventis et mari; et de magno vento facta est tranquillitas magna: decet enim magnum magna facere; et ideo qui prius magnifice conturbavit profundum maris, nunc iterum tranquillitatem magnam fieri iussit, ut discipuli nimium conturbati magnifice laetarentur.

Chrysostomus in Matth. In hoc etiam ostenditur quia omnis confestim soluta est tempestas, et neque semita turbationis remansit; quod quidem extraneum erat: cum enim naturaliter fluctuatio terminatur, usque ad multum tempus aquae concutiuntur; sed hic simul omnia solvebantur; ut quod de patre dictum est: dixit, et stetit spiritus procellae, hoc Christus opere implevit: solo enim verbo et praecepto mare sedavit et refrenavit. a visu autem et a somno, et ex utendo navigio, qui aderant, eum hominem aestimabant: propter hoc in admirationem ceciderunt; unde sequitur porro homines mirati sunt, dicentes: qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei? **Glossa**, .

Chrysostomus ponit hanc litteram qualis est hic homo? somnus enim, et quod apparebat, hominem demonstrabat; sed mare et tranquillitas Deum ostendebat.

Origenes. sed qui homines mirati sunt? non putes hic apostolos significatos: nusquam enim invenimus praeter honorem cognominari domini discipulos; sed semper aut apostoli aut discipuli nominantur. mirabantur ergo hi homines qui cum eo navigabant, quorum erat navicula.

Hieronymus. si autem quis contentiose voluerit eos qui mirabantur fuisse discipulos, respondebimus, recte homines appellatos, quia necdum noverant potentiam salvatoris. **Origenes.** Non autem interrogantes dicunt qualis est iste? sed asserentes, quia iste talis est, cui venti et mare obediunt. Qualis ergo est iste? idest, quantus, quam fortis, quam magnus? iubet omni creaturae, et non supergreditur iussionem eius; soli homines resistunt, et ideo in iudicio damnabuntur. mystice autem omnes in sanctae ecclesiae navicula cum domino per hunc undosum supernatamus mundum. Ipse autem dominus pio obdormit somno, patientiam nostram et impiorum poenitentiam expectans.

Hilarius in Matth. Vel dormit, eo quod somno nostro consopiat in nobis. maxime autem id accidit ut a Deo auxilium in periculi metu speremus: atque utinam vel spes sera confidat se periculum posse evadere, christi intra se vigilantis virtute.

Origenes. Alacriter ergo accedamus ad eum, cum propheta dicentes: exurge, quare obdormis, domine? et ipse imperabit ventis, idest daemonibus, qui concitant fluctus, idest principes huius mundi, ad persecutiones sanctis immittendas, facietque tranquillitatem magnam circa corpus et spiritum, pacem ecclesiae, et serenitatem mundo.

Rabanus. Vel aliter. Mare est aestus saeculi; navicula quam Christus ascendit, intelligitur arbor crucis, cuius auxilio fideles, transactis mundi fluctibus, perveniunt ad caelestem patriam, quasi ad littus securum, in qua Christus una cum suis ascendit; unde post ait: qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. Cum ergo Christus in cruce positus fuisset, motus magnus factus est: quia commotae sunt mentes discipulorum de eius passione, et navicula aperta est fluctibus: quia tota vis persecutionis circa crucem christi fuit, ubi scilicet morte occubuit; unde dictum est ipse vero dormiebat. Suum dormire, mori est. Excitant autem discipuli dominum, dum turbati morte, maximis votis resurrectionem quaerunt dicentes salva, resurgendo, quia perimus, turbatione tuae mortis. Ipse vero resurgens increpat duritiam cordis eorum, ut alibi legitur. Imperavit autem ventis, quia diaboli superbiam stravit; imperavit mari, quia vesaniam iudaeorum disiecit; et facta est tranquillitas magna, quia sedatae sunt mentes discipulorum visa resurrectione.

Glossa. Vel navicula est ecclesia praesens, in qua Christus cum suis mare saeculi transit, aquas persecutorum compescit. unde miremur, et gratias agamus.

MATTHAEUS 8,28-34

3828 (Mt 8,28-34)

Chrysostomus in Matth. quidam homines Christum hominem esse dicebant: venerunt daemones divinitatem eius divulgantes, ut qui mare procellosum et rursus quietum non audierunt, daemones audirent clamantes; unde dicitur et cum venisset trans fretum in regionem gerasenorum, occurrerunt ei duo homines habentes daemonia.

Rabanus. Gerasa urbs est arabiae trans iordanem, iuncta monti galaad, quam tenuit tribus manasse, non longe a stagno tiberiadis, in quo porci praecipitati sunt.

Augustinus de cons. Evang. Quod autem Matthaeus duos dicit fuisse qui daemonia patiebantur, Marcus autem et Lucas unum commemorant, intelligas unum eorum fuisse personae alicuius clarioris et famosioris, quem regio illa maxime dolebat, et pro cuius salute plurimum satagebat, de quo facti huius fama praeclarius fragravit.

Chrysostomus in Matth. vel Lucas et Marcus unum eorum saeviolem elegerunt: unde et eius calamitatem exprimunt. Lucas enim dicit, quod ruptis vinculis agebatur in deserto; Marcus autem quia et lapidibus seipsum intercidebat; nec tamen dicunt quoniam unus solus erat, ne Matthaeo contraria dicere viderentur. Per hoc autem quod subditur, de monumentis exeuntes, perniciosum dogma imponere volebant, scilicet quod animae morientium daemones fiant; unde multi aruspicum occidunt pueros, ut animam eorum cooperantem habeant; propter quod et daemoniaci clamant, quoniam anima illius ego sum. Non est autem anima defuncti quae clamat; sed daemon hoc fingit, ut decipiat audientes. Si enim in alterius corpus animam mortui possibile esset intrare, multo magis in corpus suum. sed neque habet rationem, iniqua passam animam cooperari iniqua sibi facienti, vel hominem posse virtutem incorpoream in aliam transmutare substantiam, scilicet animam in substantiam daemonis. Neque enim in corporibus hoc machinari quis potest, ut in hominis corpus transmutet asini corpus: neque enim rationabile est animam a corpore separatam hic iam oberrare. Iustorum enim animae in manu Dei sunt; unde et quae puerorum; neque enim malae sunt. Sed et quae peccatorum sunt, confestim hinc abducuntur: et hoc manifestum est ex lazaro et divite. quia vero nullus eos afferre audebat ad Christum propter saevitiam horum daemoniacorum, Christus ad eos vadit. Quae quidem eorum saevitia designatur, cum subditur saevi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. Sed quia alios prohibebant pertransire, obstruentem sibi viam invenerunt. Etenim flagellabantur invisibiliter, intolerabilia patientes ex christi praesentia; unde sequitur et ecce clamaverunt dicentes: quid nobis et tibi, iesu fili Dei? .

Hieronimus. Non est autem voluntatis ista confessio, quam praemium sequitur confitentium: sed necessitatis extorsio, quae cogit invitos. Velut si servi fugitivi post multum temporis dominum suum videant, nihil aliud nisi de verberibus deprecantur; sic et daemones cernentes dominum in terris repente versari, ad eos iudicandos se venisse credebant. ridiculum autem putant quidam daemonia scire filium Dei, et diabolum ignorare, eo quod minoris malitiae sint isti quam ille cuius satellites sunt, cum omnis scientia discipulorum ad magistrum referenda sit.

Augustinus de Civ. Dei. Tantum autem innotuit eis Deus, quantum voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit. innotuit ergo eis non per id quod vita aeterna est, et lumen quod illuminat pios; sed per quaedam

temporalia suae virtutis effecta, et occultissimae praesentiae signa, quae angelicis spiritibus etiam malignis potius quam infirmitati hominum possunt esse perspicua.

Hieronymus. Sed tamen tam daemones quam diabolus suspicari magis filium Dei quam nosse intelligendi sunt.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam. Quod autem daemones clamant quid nobis et tibi, iesu fili Dei? magis ex suspitione quam ex cognitione dixisse credendi sunt. Si enim cognovissent, numquam dominum gloriae crucifigi permisissent.

Remigius. sed quotiescumque eius virtute torquebantur, et signa et miracula facientem videbant, aestimabant eum esse filium Dei: postquam videbant eum esurire, sitire et his similia pati, dubitabant, et credebant hominem purum. Considerandum est, quod etiam iudaei increduli dicentes Christum in beelzebub eiecisse daemonia, et ariani dicentes eum esse creaturam, non solum iudicio Dei, sed etiam daemonum confessione damnari merentur, qui Christum filium Dei dicunt. recte autem dicunt quid nobis et tibi, iesu fili Dei? hoc est, nihil commune est nostrae malitiae et tuae gratiae: quia, secundum apostolum nulla societas est lucis ad tenebras.

Chrysostomus in Matth. Ut autem non videretur adulationis hoc esse, ab experientia clamabant, dicentes venisti ante tempus torquere nos.

Augustinus de Civ. Dei. Sive quia subitum illis fuit quod futurum quidem, sed tardius opinabantur; sive quia perditionem suam hanc ipsam dicebant, quia fiebat ut eorum cognitio sperneretur; et hoc erat ante tempus iudicii, quo aeterna damnatione puniendi sunt.

Hieronymus. Praesentia etiam salvatoris tormenta sunt daemonum.

Chrysostomus in Matth. Non autem poterant dicere se non peccasse, quia eos Christus invenerat mala operantes, et facturam Dei punientes; unde aestimabant propter superabundantiam malorum quae fecerant, quod non expectaretur in eis tempus extremae punishmentis, quae erit in die iudicii.

Augustinus de cons. Evang. Quod autem verba daemonum diversimode ab evangelistis sunt dicta, non habet aliquid scrupuli: cum vel in unam redigi sententiam, vel omnia dicta possint intelligi: nec quia pluraliter apud Matthaeum, apud alios autem singulariter loquitur; cum et ipsi narrent, quod interrogatus quid vocaretur, legionem se esse respondit, eo quod multa essent daemonia. sequitur erat autem non longe ab eis grex porcorum multorum pascens. Daemones autem rogabant eum, dicentes: si eicis nos hinc, mitte nos in porcos. **Gregorius** moralium. scit enim diabolus, quia quodlibet agere ex semetipso non sufficit; quia nec per semetipsum in eo quod est spiritus existit.

Remigius. Sed ideo non petierunt ut in homines mitterentur, quia illum cuius virtute torquebantur, humanam speciem gestare videbant. Nec etiam petierunt ut in pecora mitterentur, quia pecora, Dei praecepto, munda sunt animalia, et tunc in templo Dei offerebantur. Prae aliis autem immundis in porcos mitti petierunt, quia nullum animal est immundius porco: unde et porcus dicitur quasi spurcus, eo quod in spurcitiis delectetur: sic et daemones spurcitiis peccatorum delectantur. non autem petierunt ut in aerem mitterentur propter nimiam cupiditatem nocendi hominibus. sequitur et ait illis: ite.

Chrysostomus in Matth. Non autem hoc fecit iesus quasi a daemonibus persuasus, sed multa hinc dispensans: unum quidem ut instruat magnitudinem nocimenti daemonum, qui illis hominibus insidiabantur; aliud, ut discant omnes quoniam neque adversus porcos audent, nisi ipse concesserit; tertium, ut ostendat quod graviora in illos homines operati essent quam in porcos, nisi essent homines illi inter calamitates divina providentia adiuti: magis enim odio habent homines quam irrationalia. per hoc autem manifestum est, quoniam nullus est qui non potiatur divina providentia. Si autem non omnes similiter neque secundum unum modum, et haec etiam providentiae maxima species est; ad id enim quod unicuique expedit, providentia ostenditur. Cum praedictis autem et aliud ex hoc discimus: quoniam non communiter omni providet solum, sed singulariter unicuique: quod in daemoniacis his aliquis aspiciet manifeste: qui olim suffocati essent, nisi divina procuracione potiti essent. Propterea etiam concessit abire in gregem porcorum, ut qui regiones habitabant illas, discant eius virtutem. Ubi enim nullus eum cognoverat, fulgere faciebat miracula, ut eos in suae divinitatis cognitionem trahat.

Hieronymus. non ergo ut concederet salvator daemonibus quod petebant, dixit ite, sed ut per interfectionem porcorum, hominibus salutis occasio praeberetur. sequitur at illi exeuntes, scilicet ab hominibus, abierunt in porcos; et ecce magno impetu abiit totus grex praeceps in mare, et mortui sunt in aquis. Erubescat manichaeus. Si de eadem substantia et ex eadem origine hominum bestiarumque sunt

animae, quomodo ob unius hominis vel duorum salutem, duo millia porcorum suffocantur? .

Chrysostomus in Matth. ideo autem porcos daemones occiderunt, quia ubique homines in moestitiam mittere student, et de perditione laetantur. Damni etiam magnitudo augebat eius quod factum erat famam: a multis enim divulgabatur: scilicet ab his qui curati erant, a porcorum dominis, et a pastoribus; unde sequitur pastores autem fugerunt, et venientes in civitate nuntiaverunt omnia, et de his qui daemonia habuerant; et ecce tota civitas exiit obviam iesus. Sed cum deceret eos adorare et admirari virtutem, mittebant eum a se; unde sequitur et viso eo rogabant eum ut transiret a finibus eorum. Intuere autem et christi mansuetudinem post virtutem: quia enim beneficia adepti abigebant eum, non restitit, sed recessit; et eos qui indignos se nuntiaverunt eius doctrina, dereliquit, dans eis doctores liberatos a daemonibus, et porcorum pastores.

Hieronimus. Vel quod rogant ut transeat fines eorum, non de superbia hoc faciunt, sed de humilitate, quae se indignos domini praesentia iudicabant; sicut et petrus ait. Exi a me, domine, quia vir peccator sum.

Rabanus. Interpretatur autem gerasa colonum eiciens, vel advena propinquans, hoc est gentilitas, quae diabolum a se eiecit: et quae prius longe, modo facta est prope, post resurrectionem visitata a Christo per praedicatores.

Ambrosius super lucam. duo quoque daemoniaci figuram populi gentilis accipiunt: quoniam cum tres filios noe generavit, cham, sem et iaphet, sem tantummodo familia in possessionem accita est Dei, ex duobus autem aliis nationum populi pullularunt.

Hilarius in Matth. unde extra urbem, idest extra legis et prophetarum synagogam, duos homines in monumentis daemones detinebant; duarum scilicet gentium origines, intra defunctorum sedes et mortuorum reliquias obsederant, efficientes praetereuntibus viam vitae praesentis infestam.

Rabanus. Vel non immerito in monumentis illos habitasse significavit: quid enim aliud sunt corpora perfidorum nisi quaedam defunctorum sepulchra, quibus non Dei sermo, sed anima peccantis morte recluditur? dicit autem ita ut nemo posset transire per viam illam, quia ante adventum salvatoris in via gentilitas fuit. Vel per duos, iudaeos et gentes accipe, qui non habitabant in domo; idest, conscientia sua non requiescebant. In monumentis manebant, idest in operibus mortuis delectabantur; nec sinunt per viam fidei, quam viam iudaei impugnabant, aliquem transire.

Hilarius. Occursu autem eorum, concurrentium ad salutem voluntas indicatur. Videntes autem daemones non sibi iam locum in gentibus derelinqui, ut patiat habitare se in haereticis deprecantur; quibus occupati, in mare, idest in cupiditatem saecularem, daemonum praecipitantur instinctu; et cum reliquarum gentium infidelitate moriuntur. vel porci sunt qui lutulentis delectantur actibus: nam nisi quis porci more vixerit, non in eum diaboli accipiunt potestatem: aut ad probandum tantum, non ad perdendum accipiunt. Quod autem in stagnum praecipitati sunt porci, significat quod, etiam liberato populo gentium a damnatione daemonum, in abditis agunt sacrilegos ritus suos qui Christo credere noluerunt, caeca et profunda curiositate submersi. Quod autem pastores porcorum fugientes ista nuntiant, significat quosdam etiam primates impiorum, qui quamquam christianam legem fugiant, potentiam tamen christi stupendo praedicare non cessant. quod autem magno timore percussi, rogant ut ab eis discedat, significat multitudinem vetusta sua vita delectatam, honorare quidem se nolle christianam legem, dum dicunt quod eam implere non possunt.

Hilarius. Vel urbs illa iudaici populi habuit speciem, quae, christi operibus auditis, domino suo obviam pergit, prohibens ne fines suos urbemque contingeret: neque enim evangelia recepit.

MATTHAEUS 9,1-8

3901 (Mt 9,1-8)

Chrysostomus in Matth. monstravit superius Christus suam virtutem per doctrinam, quando docuit eos ut potestatem habens; per leprosum, quando dixit: volo, mundare; per centurionem, qui dixit: dic verbo, et sanabitur puer meus; per mare, quod verbo refrenavit; per daemones, qui eum confitebantur; hic autem rursus alio maiori modo inimicos eius cogit confiteri aequalitatem honoris ad patrem: unde ad hoc ostendendum subditur et ascendens iesus in naviculam, transfretavit, et venit in civitatem suam. navigium autem intrans pertransit qui pede mare poterat pertransire: non enim semper mirabilia volebat facere, ne incarnationis noceat rationi. Ioannes episcopus. creator autem rerum, orbis terrae dominus, posteaquam se propter nos nostra angustavit in carne, coepit habere humanam patriam, coepit civitatis iudaicae esse civis, parentes habere coepit, parentum omnium ipse parens, ut attraheret caritas quos disperserat metus.

Chrysostomus in Matth. civitatem autem suam hic capharnaum dicit: alia enim eum susceperat nascentem, scilicet bethlehem; alia eum nutrit, scilicet nazareth; alia autem habuit continue habitantem, scilicet capharnaum.

Augustinus de cons. Evang. vel aliter. Quod Matthaeus hic scribit de civitate domini, Marcus autem de capharnaum, difficiliter solveretur, si Matthaeus nazareth nominaret; nunc vero cum potuerit ipsa galilaea dici civitas christi, quia in galilaea erat nazareth, sicut universum regnum romanum in tot civitatibus constitutum, dicitur modo romana civitas; quis dubitaverit ut veniens in galilaeam dominus recte diceretur venisse in civitatem suam, in quocumque esset oppido galilaeae, praesertim quia et ipsa capharnaum extollebatur in galilaea, ut tamquam metropolis haberetur? .

Hieronymus. Vel civitatem eius non aliam intelligamus quam nazareth: unde et nazarenus appellatus est.

Augustinus de cons. Evang. Et secundum hoc, dicimus Matthaeum praetermisisse quae gesta sunt postea quam iesus venit in civitatem suam donec veniret capharnaum, et hic adiunxisse de sanato paralytico; sicut in multis faciunt praetermittentes media; tamquam hoc continuo sequatur, quod sine ulla praetermissionis significatione subiungunt: et hoc modo hic subditur et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto.

Chrysostomus in Matth. Paralyticus autem hic alter est praeter eum qui in iohanne patitur. Ille quidem in natatoris iacebat, hic autem in capharnaum; ille famulis carebat, hic autem habebat eos qui sui curam habebant, qui et portantes eum attulerunt.

Hieronymus. Obtulerunt autem ei iacentem in lecto, quia ipse ingredi non valebat.

Chrysostomus in Matth. Non autem ubique ab aegris solum quaerit fidem, puta cum insaniunt, vel aliter ab aegritudine in excessu fuerint mentis; unde subditur videns autem iesus fidem illorum.

Hieronymus. non eius qui offerebatur, sed eorum qui offerebant.

Chrysostomus in Matth. Quia igitur tantam ostendunt fidem, monstrat et ipse suam virtutem, cum omni potestate solvens peccata; unde sequitur dixit paralytico: confide, fili, remittuntur tibi peccata. Ioannes episcopus. Quantum valet apud Deum fides propria, apud quem sic valuit aliena, ut intus et extra sanaret hominem? audit veniam, et tacet paralyticus; nec ullam respondet gratiam, quia plus corporis quam animae tendebat ad curam. Merito ergo Christus offerentium recipit fidem, non vecordiam iacentis.

Chrysostomus in Matth. vel erat magna fides etiam huius infirmi: non enim permisisset se submitti, ut alius evangelista dicit, per tectum, non credens.

Hieronymus. O mira humilitas. despectum et debilem, totis membrorum compagibus dissolutum, filium vocat, quem sacerdotes non dignabantur attingere; aut certe ideo filium, quia dimittuntur ei peccata sua: ubi datur nobis intelligentia, propter peccata plerasque evenire corporum debilitates. Et idcirco forsitan prius dimittuntur peccata; ut causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur.

Chrysostomus in Matth. scribae autem diffamare volentes, etiam nolentes fecerunt clarere quod factum est; eorum enim aemulatione ad signi ostensionem usus est Christus: hoc enim est superabundantia eius sapientiae quod sua per inimicos manifestat; unde sequitur ecce quidam de scribis dixerunt intra se: hic blasphemavit.

Hieronymus. Legimus in propheta: ego sum qui deleo omnes iniquitates tuas. Consequenter ergo scribae, quia hominem putabant, et verba Dei non intelligebant, arguunt eum vitio blasphemiae. Videns autem cogitationes eorum, ostendit se Deum, qui potest cordis occulta cognoscere, et quodammodo tacens loquitur: eadem potentia qua cogitationes vestras intueor, possum et hominibus delicta dimittere. Ex vobis intelligite quid paralyticus consequatur. Unde sequitur et cum vidisset iesus cogitationes eorum, dixit: ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? .

Chrysostomus in Matth. non quidem eorum destruxit suspicionem, qua scilicet cogitabant eum praedicta dixisse ut Deum. Si enim non esset aequalis Deo patri, oportebat eum dicere: longe sum ab hac potestate, scilicet dimittendi peccata. Nunc autem contrarium firmavit sua voce, et miraculi ostensione; unde subdit quid est facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua, an dicere: surge et ambula? quanto quidem anima corpore potior est, tanto peccatum dimittere maius est quam corpus sanare. sed quia illud quidem non manifestum, hoc autem manifestum, facit minus, quod est manifestius, ut demonstret maius, et non

manifestum.

Hieronymus. Utrum enim sint paralytico peccata dimissa, solus noverat qui dimittebat; surge autem et ambula, tam ille qui surgebat quam hi qui surgentem videbant, poterant approbare; quamquam eiusdem virtutis sit et corporis et animae vitia dimittere. Inter dicere autem et facere, multa distantia est. sit ergo carnale signum, ut probetur spirituale; unde sequitur ut autem sciatis quoniam filius hominis habet potestatem in terra peccata dimittendi.

Chrysostomus in Matth. Supra quidem paralytico non dixit: dimitto tibi peccata, sed: dimittuntur tibi peccata; quia vero scribae resistebant, altioem suam potentiam demonstrat, dicens: quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata. et ut ostendat se patri aequalem, non dixit: filius hominis indiget aliquo ad dimittendum peccata, sed: quoniam habet.

Glossa. Haec autem verba, ut sciatis, possunt esse christi, vel evangelistae; quasi evangelista diceret: ipsi dubitabant eum peccata dimittere; sed ut sciatis quoniam filius hominis habet potestatem, ait paralytico. Si autem Christus dicatur pronuntiasse haec verba, sic intelligentur: vos dubitatis me posse peccata dimittere; sed ut sciatis quoniam filius hominis habet potestatem dimittendi peccata: quae quidem oratio imperfecta est; sed subditur actus loco consequentis; unde dicitur ait paralytico: surge et tolle lectum tuum. Ioannes episcopus. ut quod fuit probatio infirmitatis, sit testimonium sanitatis. Et vade in domum tuam; ne christiana fide curatus moriaris in perfidia iudaeorum.

Chrysostomus in Matth. Hoc autem praecepit, ut non aestimetur phantasia esse quod factum est; unde ad veritatem facti ostendendam subditur et surrexit, et abiit in domum suam. Sed tamen astantes homines adhuc deorsum trahuntur; unde sequitur videntes autem turbae, timuerunt et glorificaverunt Deum qui dedit talem potestatem hominibus. Si enim bene cogitassent apud se, agnovissent quia filius Dei erat. Interim autem non parum erat aestimare omnibus hominibus maiorem, et a Deo venire.

Hilarius in Matth. Mystice autem a iudaea repudiatus in civitatem suam revertitur. Dei civitas fidelium plebs est: in hanc ergo introivit per navim, idest ecclesiam, vectus. Ioannes episcopus. non autem Christus indiget navi, sed navis, Christo: quia sine caelesti gubernatione navis ecclesiae per mundanum pelagus ad caelestem portum non valet pervenire.

Hilarius. In paralytico autem gentium universitas offertur medenda. hic itaque angelis ministrandus offertur; hic filius nuncupatur, quia Dei opus est; huic remittuntur animae peccata, quae lex laxare non poterat: fides enim sola iustificat. Deinde virtutem resurrectionis ostendit, cum sublacione lectuli, infirmitatem corporibus docuit defuturam.

Hieronymus. Iuxta tropologiam autem, interdum anima iacens in corpore suo virtutibus dissolutis, a perfecto doctore domino offertur curanda: unusquisque enim aeger petendae salutis precatores debet adhibere, per quos actuum nostrorum clauda vestigia verbi caelestis remedio reformatur. Sunt igitur monitores mentis qui animum auditoris ad superiora erigunt, quamvis exterioris corporis debilitate torpentem. Ioannes episcopus. Dominus autem in hoc saeculo insipientium voluntates non quaerit; sed respicit ad alterius fidem; nec medicus languentium respicit voluntatem, cum contraria requirat infirmus.

Rabanus. Surgere autem est animam a carnalibus desideriis abstrahere; lectum tollere est carnem a terrenis desideriis ad voluptatem spiritus attollere; domum ire est ad paradysum redire, vel ad internam sui custodiam, ne iterum peccet.

Gregorius moralium. vel per lectum voluptas corporis designatur. lubetur itaque ut hoc sanus portet ubi infirmus iacuerat: quia omnis qui adhuc vitiis delectatur, infirmus iacet in voluptatibus carnis; sed sanatus hoc portat, quia eiusdem carnis contumelias postmodum tolerat, in cuius intus prius desiderii requiescebat.

Hilarius in Matth. videntes autem turbae timuerunt. magni enim timoris res est, non dimissis a Christo peccatis, in mortem resolvi: quia nullus est in domum aeternam reditus, si cui indulta non fuerit venia delictorum. cessante autem timore, honor Deo redditur, quod potestas hominibus hac via data sit per verbum eius, et peccatorum remissionis, et corporum resurrectionis, et reversionis in caelum.

MATTHAEUS 9,9-13

Chrysostomus in Matth. cum Christus fecisset miraculum, non permansit in eodem loco, ne iudaeorum zelum accenderet amplioem. Hoc et nos faciamus, non obstinate obsistentes eis qui insidiantur; unde dicitur et cum transiret inde iesus, scilicet a loco ubi miraculum fecerat, vidit hominem sedentem in telonio Matthaeum nomine.

Hieronymus. ceteri evangelistae propter verecundiam et honorem Matthaei, noluerunt eum nomine appellare vulgato, sed dixerunt levi: duplici enim vocabulo fuit. ipse autem Matthaeus (secundum illud salomonis prov. 18,17: iustus accusator est sui). Matthaeum se et publicanum nominat, ut ostendat legentibus nullum debere salutem desperare, si ad meliora conversus sit, cum ipse de publicano in apostolum sit repente mutatus.

Glossa. Dicit autem sedentem in telonio, idest in domo ubi vectigalia congregantur. Erat enim telonearius dictus a telon graece, quod est vectigal.

Chrysostomus in Matth. per hoc ergo monstrat vocantis virtutem: quoniam non desistentem a periculoso officio ex mediis ipsum evulsit malis, sicut et paulum adhuc insanientem; et ideo sequitur et ait illi: sequere me. sicut vidisti vocantis virtutem, ita addisce vocati obedientiam. Neque enim resistit, neque domum abire rogavit, et suis hoc communicare.

Remigius. Humana etiam pericula, quae ei a principibus accidere poterant, parvipendit, dum officii sui rationes imperfectas reliquit; unde sequitur et surgens secutus est eum. Et quia terrena luca deseruit ideo iure factus est dominicorum talentorum dispensator.

Hieronymus. arguit autem in hoc loco porphyrius et iulianus augustus vel imperitiam historici mentientis, vel stultitiam eorum qui statim secuti sunt salvatorem; quasi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem sunt secuti, cum tantae virtutes tantaque signa praecesserint, quae apostolos, antequam crederent, vidisse non dubium est. Certe fulgor ipse, et maiestas divinitatis occultae, quae etiam in facie refulgebat humana, ad se videntes trahere poterat in primo aspectu. Si enim in magnete lapide haec esse vis dicitur ut ferrum trahat, quanto magis dominus omnium creaturarum ad se trahere poterat quos volebat? .

Chrysostomus in Matth. sed cur non cum petro et iohanne et aliis eum vocavit? quoniam durius adhuc dispositus erat; sed post multa miracula et multam christi famam, quando aptiorem eum ad obedientiam scivit qui intima cordis novit.

Augustinus de cons. Evang. Vel probabilius videtur quod haec praetermissa recordando Matthaeus commemorat: quia ante sermonem habitum in monte credendum est vocatum esse Matthaeum: in eo quippe monte tunc Lucas commemorat omnes duodecim electos, quos apostolos nominat. Matthaeus enim vocationem suam refert inter miracula: magnum enim miraculum fuit quod publicanus factus est apostolus.

Chrysostomus in Matth. quid est autem quod de aliis apostolis non dicitur qualiter et quando sunt vocati, nisi de petro et andrea et iacobo et iohanne et Matthaео? hi enim maxime erant in inconvenientibus, et humilibus studiis: neque enim telonii officio est aliquid deterius, neque piscatione vilius.

Glossa. Congruam autem caelestis beneficii vicem impendens Matthaeus, Christo magnum convivium in domo sua paravit, ut illi commodaret sua temporalia a quo expectabat perpetua bona; unde sequitur et factum est discumbente eo in domo.

Augustinus de cons. Evang. hic Matthaeus non expressit in cuius domo discumbebat iesus; unde posset videri non hoc ex ordine subiunxisse, sed quod alio tempore factum est recordatus interposuisse; nisi Marcus et Lucas, qui hoc omnino similiter narrant, manifestarent, in domo levi, hoc est Matthaei, discubuisse iesum.

Chrysostomus in Matth. honoratus autem Matthaeus ingressu christi in domum eius, omnes publicanos, qui erant eiusdem artis, convocavit; unde sequitur ecce multi publicani et peccatores venientes discumbebant cum iesu et discipulis eius.

Glossa. publicani enim vocantur qui publicis negotiis implicantur, quae sine peccato aut vix aut nunquam possunt tractari. Et pulchrum fuit praesagium: quia qui apostolus et doctor gentium erat futurus, in prima sua conversione peccantium gregem post se trahit ad salutem; ut iam perficeret exemplo quod perficere debebat et verbo.

Hieronymus. Tertullianus hos dicit fuisse ethnicos, dicente scriptura: non erit vectigal pendens ex israel;

quasi Matthaeus non fuerit iudaeus. Dominus autem non convivatur cum ethnicis, cum id maxime caveret, ne legem solvere videretur, qui et discipulis praecepit: in viam gentium ne abieritis. Viderant autem publicanum a peccatis ad meliora conversum, locum invenisse poenitentiae, et ob id etiam ipsi non desperant salutem.

Chrysostomus in Matth. Unde accesserunt ad redemptorem nostrum, et non solum ad colloquendum, sed etiam ad convalescendum recepti sunt: non enim solum disputans aut curans aut arguens inimicos, sed etiam convalescens emendabat multoties eos qui male dispositi erant, per hoc docens nos quoniam omne tempus et omne opus potest nobis tribuere utilitatem. hoc autem videntes pharisaei indignati sunt: de quibus subditur et videntes pharisaei dicebant discipulis eius: quare cum publicanis et peccatoribus manducat magister vester? notandum, quod cum discipuli visi sunt peccare, Christum alloquuntur dicentes: ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere in sabbato; hic apud discipulos Christo detrahunt; quae omnia malignantium erant, et volentium separare a doctore corda discipulorum.

Rabanus. Duplici autem errore tenebantur, quia et se iustos arbitrabantur, qui superbiae fastu a iustitia longe discesserant, et eos criminabantur iniustos qui respiscendo a peccatis, iustitiae appropinquabant.

Augustinus de cons. Evang. Lucas autem aliquando differentius hoc videtur commemorasse, secundum quem pharisaei dicunt discipulis: quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis? Christo et discipulis eius hoc obiectum insinuantes. sed cum discipulis dicebatur, magis magistro obiciebatur, quem sectando imitabantur. Una est ergo sententia: et tanto melius insinuata, quanto quibusdam verbis, manente veritate, mutata.

Hieronymus. neque vero in pristinis permanentes veniunt ad iesum, ut pharisaei et scribae murmurant, sed poenitentiam agentes; quod et praesens sermo domini significat; unde sequitur at iesus audiens ait: non est opus valentibus medicus, sed male habentibus.

Rabanus. Seipsum medicum dicit, qui miro medicandi genere propter iniquitates nostras vulneratus est, ut vulnus peccatorum nostrorum sanaret. sanos quidem eos appellat, qui suam volentes statuere iustitiam, verae Dei iustitiae subiecti non sunt. Male habentes eos vocat, qui suae fragilitatis conscientia devicti, nec per legem videntes se iustificari, poenitendo se submittunt gratiae Dei.

Chrysostomus in Matth. Postquam a communibus opinionibus eos allocutus est, alloquitur eos ex scripturis, cum dicit euntes autem discite quid est: misericordiam volo, et non sacrificium.

Hieronymus. de propheta, scilicet osee, sumens testimonium, sugillat scribas et pharisaeos, qui se iustos aestimantes, peccatorum et publicanorum consortia declinabant.

Chrysostomus in Matth. Ac si dicat: cur accusatis me, quoniam peccatores corrigo? ergo et Deum patrem ex hoc incusate. Sicut enim ille vult peccatorum emendationem, ita et ego. Et sic ostendit non solum non esse prohibitum quod incusabant, sed et secundum legem maius esse sacrificio: non enim dixit: misericordiam volo et sacrificium; sed hoc iniunxit, illud autem eiecit.

Glossa. Non tamen despicit Deus sacrificium, sed sacrificium sine misericordia. Faciebant autem pharisaei saepe sacrificia in templo, ut iusti apparerent coram populo; sed non exercebant misericordiae opera, in quibus probatur vera iustitia.

Rabanus. Admonet itaque eos, ut per opera misericordiae sibimetipsis supernae misericordiae praemia requirant; et non, contemptis pauperum necessitatibus, per oblationem sacrificiorum se Deo placere confidant; unde dicit euntes, scilicet a temeritate stultae vituperationis ad diligentiore scripturae sanctae meditationem, quae misericordiam maxime commendat; unde et suum de misericordia exemplum eis proponit, dicens non enim veni vocare iustos, sed peccatores.

Augustinus de cons. Evang. Lucas addidit: in poenitentiam; quod ad explanandam sententiam valet, ne quisquam peccatores ob hoc ipsum quod peccatores sunt, diligi arbitretur a Christo: cum et illa similitudo de aegrotis bene intimet quid velit Deus vocando peccatores. Tamquam medicus aegros, utique ut ab iniquitate, tamquam ab aegritudine, salvi fiant; quod fit per poenitentiam.

Hilarius in Matth. omnibus autem Christus venerat: quomodo ergo non se iustis venisse dicit? erant ergo quibus necesse non erat ut veniret? sed nemo iustus ex lege est. ostendit ergo inanem iustitiae iactantiam, quia sacrificia infirmis ad salutem, misericordia erat universis in lege positis necessaria.

Chrysostomus in Matth. unde ironice videtur ad eos loquens, sicut cum dicitur: ecce iam adam factus est

quasi unus ex nobis. Quoniam enim nullus iustus erat in terra, paulus significat dicens: omnes peccaverunt, et egent gloria Dei. in hoc autem et illos mitigavit qui vocati erant; quasi dicat: tantum renuo abominari peccatores, quin propter eos solos adveni.

Rabanus. Vel quia qui iusti erant, sicut nathanael et Ioannes baptista, non erant ad poenitentiam invitandi. Vel non veni vocari iustos falsos, qui de iustitia sua gloriantur, ut pharisaeos, sed illos qui se peccatores cognoscunt. Per Matthaei autem et publicanorum vocationem fides gentium exprimitur, qui prius mundi lucris inhiabant, et nunc spiritualiter cum domino reficiuntur; per superbiam pharisaeorum, invidia iudaeorum de salute gentium. Vel Matthaeus significat hominem terrenis lucris inhiantem, quem videt iesus, dum oculo misericordiae respicit. Matthaeus enim interpretatur donatus, levi assumptus: poenitens autem a massa perditorum assumitur, et gratia Dei ecclesiae donatur. et ait illi iesus: sequere me, vel per praedicationem, vel per scripturae admonitionem, vel per internam inspirationem.

MATTHAEUS 9,14-17

3914 (Mt 9,14-17)

Glossa. Cum de convivio peccatorum et de participatione respondisset eis, de comestione eum aggrediuntur; unde dicitur tunc accesserunt ad eum discipuli ioannis dicentes: quare nos et pharisaei ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant? .

Hieronymus. Superba interrogatio, et ieiunii reprehendenda iactantia. nec poterant discipuli ioannis non esse sub vitio, qui iungebantur pharisaeis, quos a ioanne noverant condemnatos; et calumniabantur eum quem sciebant magistri vocibus praedicatum.

Chrysostomus in Matth. Quod autem dicunt, tale est: esto tu ut medicus haec facis; sed cur discipuli tui dimittentes ieiunium, talibus mensis accedunt? deinde incusationem ex comparatione augere volentes, primo seipsos ponunt, et deinde pharisaeos. ieiunabant illi quidem a lege discentes, sicut et pharisaeus dixit: ieiuno bis in sabbato; ipsi autem a ioanne.

Rabanus. Ioannes enim vinum et siceram non bibit: quod abstinentiae meritum in eo auget, cui nulla est potentia naturae. dominus autem qui peccata potest condonare, cur a peccatoribus manducantibus declinaret, quos abstinentibus poterat facere iustiores? ieiunat autem Christus, ne praeceptum declinet; manducat autem cum peccatoribus, ut gratiam et potestatem intelligas.

Augustinus de cons. Evang. sed cum Matthaeus tantum discipulos ioannis hoc dixisse perhibeat, verba quae apud marcum leguntur, magis indicant alios hoc dixisse de aliis, idest convivis de discipulis ioannis et pharisaeis: quod Lucas evidentius expressit, qui alios de aliis dixisse narravit. Unde ergo Matthaeus dicit tunc accesserunt ad eum discipuli ioannis, nisi quia et ipsi aderant, et omnes certatim, ut quisque poterat, hoc obiecerunt? .

Chrysostomus in Matth. vel Lucas dicit, quod pharisaei hoc dixerunt; hic autem dicit, quod discipuli ioannis: quia pharisaei illos secum acceperunt ad dicendum, quod postea in herodianis fecerunt. Sed considerandum, quod quando pro extraneis, sicut pro publicanis, sermo erat, ut eorum turbatam mitiget animam, vehementius exprobrantes incuravit; ubi autem discipulos convitiabantur, cum mansuetudine respondet; unde sequitur et ait illis iesus: numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? primo quidem seipsum medicum vocaverat, hic autem sponsum, in memoriam reducens verba ioannis qui dixit: qui habet sponsam sponsus est.

Hieronymus. Sponsus Christus est, sponsa autem ecclesia. De hoc spirituali connubio apostoli sunt creati, qui lugere non possunt quamdiu sponsum in thalamo vident, et sciunt sponsum esse cum sponsa. Quando vero transierint nuptiae, et passionis ac resurrectionis tempus advenerit, tunc sponsi filii ieiunabunt. et hoc est quod subditur venient autem dies quando auferetur ab eis sponsus; et tunc ieiunabunt.

Chrysostomus in Matth. Quod autem dicit, tale est: gaudii est praesens tempus et laetitiae; non ergo introducenda sunt tristitia: etenim ieiunium triste est non naturaliter, sed istis qui imbecillius adhuc dispositi sunt: his enim qui sapientiam contemplari desiderant, delectabile est; unde secundum opinionem illorum hoc dixit. Per hoc autem monstrat quod non gulae erat quod fiebat, sed dispensationis cuiusdam.

Hieronymus. nonnulli autem putant idcirco dies quadraginta passionis ieiunia debere committi, licet statim

dies pentecostes et spiritus sanctus veniens inducat nobis festivitatem. ex huiusmodi occasione testimonii montanus, prisca et maximilla, etiam post pentecosten faciunt quadragesimam, quia ablato sponso, filii sponsi debeant ieiunare. ecclesiae autem consuetudo ad passionem domini et resurrectionem per humilitatem carnis venit, ut spirituali saginae ieiunio corporis praeparemus.

Chrysostomus in Matth. rursus autem a communibus exemplis confirmat hunc sermonem, cum subdit nemo autem mittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem eius a vestimento, et peior scissura fit; quasi diceret: nondum effecti sunt fortes mei discipuli, sed adhuc multa indigent condescensione: nondum sunt per spiritum renovati. Sic autem dispositis non oportet gravedinem imponere praeceptorum. hoc autem dixit regulam dans suis discipulis, ut discipulos ex universo orbe terrarum cum mansuetudine suscipiant.

Remigius. Vestimentum vetus discipulos vult intelligi, quia nondum erant per omnia innovati. Pannum rudem, idest novum, appellat novam gratiam, idest evangelicam doctrinam, cuius quaedam particula est ieiunium; et ideo non conveniebat ut saeviora praecepta ieiunii illis committerentur, ne forte austeritate ieiunii frangerentur, et fidem perderent quam habebant; ideo subdit tollit enim plenitudinem eius a vestimento, et peior scissura fit.

Glossa. Quasi dicat: ideo rudis pannus, idest novus, non debet poni in vestimento veteri, qui tollit saepe a vestimento plenitudinem eius, idest perfectionem; et tunc fit peior scissura. Grave enim onus rudi iniunctum, illud boni quod prius inerat, saepe destruit.

Remigius. Duabus autem similitudinibus positus, scilicet nuptiarum, et de panno rudi et de vestimento veteri, nunc tertiam addit similitudinem de utribus et de vino: neque mittunt vinum novum in utres veteres. Utres veteres appellat suos discipulos, qui nondum perfecte erant innovati. Vinum novum appellat plenitudinem spiritus sancti, et profunda caelestium mysteriorum, quae tunc discipuli ferre non poterant; sed post resurrectionem utres novi facti fuerunt, et vinum novum receperunt quando spiritus sanctus replevit corda eorum. unde quidam dixerunt: omnes isti musto pleni sunt.

Chrysostomus in Matth. Hinc et nos causam docuit humilium verborum quae continuo ad eos dicebat propter imbecillitatem ipsorum.

Hieronymus. Vel aliter. Per vestimentum vetus et utres veteres debemus intelligere scribas et pharisaeos; particula vestimenti novi et vinum novum praecepta evangelica sentienda: quae non possunt sustinere iudaei, ne maior scissura fiat. tale quid et galatae facere cupiebant, ut cum evangelio legis praecepta miscerent, et in utribus veteribus mitterent vinum novum. Sermo igitur evangelicus apostolis potius quam scribis et pharisaeis est infundendus, qui maiorum traditionibus depravati, sinceritatem praeceptorum christi non poterant custodire.

Glossa. Per hoc ergo significat quod apostoli non erant in veteribus observantiis detinendi, quos oportebat gratiae novitate perfundi.

Augustinus in serm. De quadrag. vel aliter. Omnis qui recte ieiunat, aut animam suam in gemitu orationis et castigatione corporis humiliat, aut illecebras carnales spiritualis sapientiae delectatione suspendit. De utroque autem ieiunii genere dominus hic respondet: nam de primo, quod habet animae humiliationem, dicit non possunt filii sponsi lugere; de illo quod epulum mentis, consequenter locutus est, dicens nemo mittit commissuram panni rudis. Deinde quia sponsus ablati utique nobis est, lugendum est. Et recte lugemus, si flagramus desiderio eius. Beati quibus licuit eum ante passionem tunc habere praesentem, interrogare sicut vellent, audire sicut deberent. Illos dies concupierunt videre patres ante adventum eius, neque viderunt, quia in alia dispensatione sunt ordinati, per quos venturus annuntiaretur, non a quibus veniens audiretur; in nobis autem illud impletum est quod ipse dicit: venient dies quando desiderabitis videre unum de diebus istis, et non poteritis. Quis ergo hic non lugebit? quis non dicat: factae sunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie: ubi est Deus tuus? merito ergo apostolus cupiebat dissolvi, et esse cum Christo.

Augustinus de cons. Evang. quod ergo dixit Matthaheus lugere, ubi Marcus et Lucas dicunt ieiunare, significat de tali ieiunio dominum locutum quod pertinet ad humilitatem tribulationis, ut illud alterum quod pertinet ad gaudium mentis in spiritualia suspensae, et ob hoc alienatae a corporalibus cibis, posterioribus similitudinibus significasse intelligatur; ostendens, quod circa corpus occupatis et ob hoc veterem sensum habentibus, hoc genus ieiunii non congruat.

Hilarius in Matth. Mystice vero, quod praesente sponso ieiunandi necessitatem discipulis non esse respondet, praesentiae suae gaudium, et sacramentum sancti cibi edocet, quo nemo se praesente (idest, in

conspectu mentis Christum continens). indigebat; ablato autem se, ieiunatuos esse dicit; quia omnes non credentes resurrexisse Christum, habituri non essent cibum vitae. In fide enim resurrectionis sacramentum panis caelestis accipitur.

Hieronimus. Vel cum propter peccata a nobis recesserit, tunc indicendum est ieiunium, tunc luctus est recipiendus.

Hilarius (ut supra). Ponit etiam exempla, quibus ostendit, infirmatas vetustate peccatorum et animas et corpora novae gratiae sacramenta non capere.

Rabanus. cum autem datae sint diversae similitudines ad idem, differunt tamen: vestis enim qua foris tegimur, opera bona significat, quae foris agimus; vinum quo intus reficimur, fervor est fidei et caritatis, quo intus reformamur.

MATTHAEUS 9,18-22

3918 (Mt 9,18-22)

Chrysostomus in Matth. post sermones opus adiunxit, in quo amplius pharisaei obstruerentur eo quod qui advenit ad miraculum petendum, archisynagogus erat, et luctus magnus, quia puella unigenita erat, et duodecim annorum, quando incipit esse flos aetatis; et ideo dicitur haec illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit.

Augustinus de cons. Evang. Dicunt autem hoc et Marcus et Lucas, sed ab isto ordine iam recedunt: eo enim loco hoc inserunt ubi post expulsa daemonia, et in porcos missa, transfretando redit a regione gerasenorum. et per hoc quod Marcus dicit, intelligendum est hoc factum esse postquam venit rursus trans fretum; sed quantum post, non apparet. Nisi autem fuisset aliquod intervallum, non esset quando fieret quod narrat Matthaeus in convivio domus suae. Post hoc factum continuo sequitur de archisynagogi filia. si enim loquente eo de panno novo, accessit princeps, nihil aliud factorum dictorumque eius interpositum est; in narratione autem marci patet locus ubi alia interponi potuerunt. similiter autem et Lucas non renititur Matthaeo: quod enim adiunxit: et ecce vir cui nomen erat iairus, non continuo accipiendum est factum, sed post illud de convivio publicanorum, ut narrat Matthaeus dicens haec illo loquente ad eos, ecce princeps unus, scilicet iairus archisynagogus, accessit et adorabat eum dicens: domine, filia mea modo defuncta est. Considerandum est autem, ne repugnare videatur, quod alii duo evangelistae morti iam proximam, non tamen mortuam eam dicant, usque adeo ut dicant venisse postea qui mortuam enuntiarent: et ob hoc non debere vexari magistrum: intelligendum est enim brevitatis causa Matthaeum hoc potius dicere voluisse, rogatum dominum esse ut faceret, quod ipsum fecisse manifestum est, ut scilicet et mortuam suscitare. Attendit enim non verba patris de filia sua, sed, quod potissimum est, voluntatem. Ita enim desperaverat ut potius eam vellet reviviscere, non credens vivam posse inveniri, quam morientem reliquerat. Duo itaque posuerunt quid dixerit iairus; Matthaeus autem quid voluerit atque cogitaverit. Sane si quisquam illorum duorum patrem ipsum commemorasset dixisse, ut non vexaretur iesus, quod puella mortua fuisset, repugnarent eius cogitationi verba quae posuit Matthaeus. Nunc vero non legitur quod suis nuntiantibus ille consenserit. Hinc autem rem pernecessariam discimus: nihil in cuiusque verbis debere inspicere nisi voluntatem, cui debent verba servire; nec mentiri quemquam, si aliis verbis dixerit quod ille voluerit cuius verba non dicit.

Chrysostomus in Matth. Vel hoc quod princeps dixit de morte puellae est augere calamitatem. Etenim consuetudo est rogantibus extollere sermone propria mala, et amplius aliquid eo quod est dicere, ut magis attrahant eos quibus supplicant; unde subiungit sed veni, impone manum super eam, et vivet. Vide autem eius crassitiem. Duo enim expetit a Christo: et accedere ipsum, et manum imponere. hoc etiam syrus ille naaman a propheta expetebat. Etenim et visu indigent et sensibilibus rebus qui crassius dispositi erant.

Remigius. Miranda est autem pariter atque imitanda domini humilitas et mansuetudo: nam mox ut rogatus est, rogantem coepit sequi; unde subdit et surgens iesus sequebatur eum. Hic subditos et praelatos pariter instruxit: subditus exemplum obedientiae reliquit, praelatis vero instantiam et sollicitudinem docendi demonstravit: ut quotiescumque audierint aliquem mortuum in anima statim adesse studeant. et cum eo ibant discipuli eius.

Chrysostomus in Matth. Et Marcus quidem et Lucas dicunt, quoniam tres accepit discipulos, scilicet petrum, iacobum et ioannem: Matthaeum autem non assumpsit, ampliorem ei concupiscentiam immittens, et quia imperfectius adhuc dispositus erat; propter hoc enim illos honorat, ut alii similes illis efficiantur.

Sufficiebat enim interim Matthaeo videre ea quae facta sunt circa sanguinis fluxum patientem, de qua subditur et ecce mulier quae sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, et tetigit fimbriam vestimenti eius.

Hieronimus. Haec autem mulier sanguine fluens, non in domo, non in urbe accedit ad dominum quia iuxta legem urbibus excluderetur; sed in itinere ambulante domino; ut dum pergat ad aliam, alia curaretur.

Chrysostomus in Matth. Ideo autem non libera pro palatione ad Christum venit, quia verecundabatur propter passionem, immundam se existimans: etenim apud legem multa immunditia aestimabatur esse haec passio; propter hoc latet et occultatur.

Remigius. in quo laudanda est eius humilitas; quia non ad faciem accessit, sed retro, et indignam se iudicavit pedes domini tangere; et non plenitudinem vestimenti tetigit, sed tantummodo fimbriam: habuit enim dominus fimbriam iuxta legis praeceptum. pharisaei etiam fimbrias habebant, quas magnificabant, in quibus etiam spinas appendebant. Sed fimbriae domini non habebant vulnerare, sed potius sanare; et ideo sequitur dicebat enim intra se: quia si tetigero tantum vestimentum eius, salva ero: in quo fides eius admiranda est, quia desperans de salute medicorum in quos sua erogaverat, ut Marcus dicit, intellexit caelestem adesse medicum, et in eo totam suam intentionem collocavit, et ideo salvari promeruit; unde sequitur at iesus conversus et videns eam, dixit: confide, filia: fides tua te salvam fecit.

Rabanus. Quid est quod eam confidere iussit, quae si fidem non haberet, salutem ab eo non quaereret? sed robur et perseverantiam fidei ab ea ex postulavit, ut ad certam et veram perveniat salutem.

Chrysostomus in Matth. vel quia formidolosa erat haec mulier, propter hoc ait confide. Et filiam eam vocat, quia fides eam filiam fecerat.

Hieronimus. non autem dixit: quia fides tua te salvam factura est; sed salvam fecit: in eo enim quod credidisti, iam salva facta es.

Chrysostomus in Matth. nondum tamen perfectam de Christo opinionem habebat, quia nequaquam aestimasset eum latere; sed Christus non dimisit eam latere, non quasi gloriam concupiscens, sed multorum causa. Primo enim solvit timorem mulieris, ne a conscientia pungatur, quasi donum furatura; secundo eam emendat de hoc quod aestimat se latere; tertio omnibus fidem eius ostendit, ut eam aemulentur; quarto dedit in hoc signum, quod monstravit se nosse omnia, non minus eo quod fontem sanguinis siccavit, de quo sequitur et salva facta est mulier ex illa hora.

Glossa. Intelligendum est ex illa hora ex qua tetigit fimbriam; non ex illa hora ex qua iesus conversus est ad eam: iam enim salva facta erat, ut alii evangelistae manifeste ostendunt et ex verbis domini perpendi potest.

Hilarius. In Matth. in quo magna virtutis dominicae admiratio est; cum potestas intra corpus manens, rebus caducis efficientiam adderet sanitatis, et usque in vestium fimbrias operatio divina procederet: non enim comprehensibilis erat Deus, ut corpore clauderetur. assumptio namque corporis non naturam virtutis inclusit, sed ad redemptionem nostram fragilitatem corporis virtus assumpsit. mystice autem princeps hic lex esse intelligitur, quae dominum orat ut plebi, quam ipsa Christo, eius adventus expectatione praedicata, nutrierat, vitam mortuae reddat.

Rabanus. vel archisynagogus signat moysen, et dicitur iairus, idest illuminans, sive illuminaturus, quia accepit verba vitae dare nobis, et per hoc cunctos illuminat ipse a spiritu sancto illuminatus. Filia igitur archisynagogi, idest ipsa synagoga, velut duodecimo aetatis anno, idest tempore pubertatis, postquam spiritualem sobolem Deo generare debebat, errorum languore consternata est. Ad hanc ergo principis filiam dum properat Dei verbum, ut salvos faceret filios israel, sancta ecclesia ex gentibus congregata, quae interiorum lapsu criminum deperibat, paratam aliis fide percepit sanitatem. Notandum autem, quod dum archisynagogi filia sit duodennis, et mulier haec ab annis duodecim sanguine fluxit, eo tempore quo haec nata est, illa coepit infirmari: una enim pene saeculi aetate et synagoga ex patriarchis coepit nasci, et gentium exterarum natio idololatriae sanie foedari. Nam fluxus sanguinis bifariam potest intelligi: hoc est super idololatriae pollutione, et super his quae carnis et sanguinis delectatione geruntur: et sic quamdiu synagoga vigit, laboravit ecclesia; sed illorum delicto salus gentibus facta est. Accedit autem et tangit dominum ecclesia, cum ei per fidem appropinquat.

Glossa. Credidit, dixit, tetigit, quia his tribus fide, verbo et opere omnis salus acquiritur.

Rabanus. accedit autem retro, sive iuxta hoc quod ipse ait: si quis mihi ministrat, me sequatur, sive quia

praesentem dominum in carne non videns, peractis iam sacramentis incarnationis illius, ad agnitionis eius gratiam pervenit. Unde et fimbriam vestimenti tangit; quia cum Christum in carne gentilis populus non vidisset, verba incarnationis recepit. Vestimentum enim christi dicitur mysterium incarnationis eius, quo divinitas induta est; fimbriae vestimenti, verba de incarnatione eius dependentia. non autem vestem, sed fimbriam tangit; quia non vidit in carne dominum, sed suscepit per apostolos incarnationis verbum. Beatus qui extremam partem verbi fide tangit. Non autem in urbe, sed in itinere pergente domino sanatur; unde apostoli: quia indignos vos iudicatis vita aeterna, ecce convertimur ad gentes. Gentilitas autem ex hora dominici adventus coepit habere salutem.

MATTHAEUS 9,23-26

3923 (Mt 9,23-26)

Glossa. Post mulieris haemorrhoeissae curationem, sequitur de mortuae suscitatione, cum dicitur et cum venisset iesus in domum principis, etc.

Chrysostomus in Matth. Considerandum est autem, quod propter hoc tardius vadit, et plura loquitur mulieri curatae, ut permittat mori puellam, et sic manifesta fiat resurrectionis demonstratio. et similiter in lazaro usque ad tertiam diem mansit. sequitur et cum vidisset tibicines et turbam tumultuantem: quod est mortis demonstratio.

Ambrosius super lucam. more enim veteri tibicines ad excitandos luctus in mortuis ferebantur adhiberi.

Chrysostomus in Matth. sed Christus tibias universas proiecit; parentes autem puellae introduxit, ne posset dici, quod aliter curavit; sed et ante suscitationem puellae sermone spem erigit: unde sequitur dicebat: recedite, non est enim mortua puella, sed dormit.

Rabanus. Quasi dicat: vobis mortua est; Deo autem, qui suscitare potest, dormit tam in anima quam in corpore.

Chrysostomus in Matth. Per hoc autem et tumultum mentis removet eorum qui aderant, et ostendit quoniam facile est ei mortuos suscitare: quod utique in lazaro fecit dicens: lazarus amicus noster dormit. Et simul docuit non formidare mortem: quia enim et ipse erat moriturus, in aliorum corporibus instruxit discipulos confidere, et viriliter ferre mortem. etenim eo accedente, iam mors somnus erat. Hoc autem domino dicente, deridebant; unde sequitur et deridebant eum. Non autem increpavit derisionem, ut et ipsa derisio et tibiae, et alia universa demonstratio fiant mortis: quia enim multoties, postquam facta sunt miracula, non credunt homines, antea eos convincit propriis responsionibus: quod et in lazaro fecit cum dixit: ubi posuistis eum? ut qui dixerunt: veni et vide, et quoniam foetet, quatruiduanus enim est, non amplius possint non credere quoniam mortuum suscitavit.

Hieronymus. non autem erant digni ut viderent mysterium resurgentis qui resuscitantem indignis contumeliis irridebant; et ideo sequitur et cum eiecta esset turba, intravit, et tenuit manum eius, et surrexit puella.

Chrysostomus in Matth. Non quidem aliam superinducens animam, eam suscitavit, sed eam quae exierat reinducens, et velut ex somno erigens, ut ante viam faciat per visum fidei resurrectionis; et non solum puellam resuscitat, sed et cibum ei iubet dari, ut alii evangelistae dicunt, ut non videatur phantasma esse quod factum est. sequitur et exiit fama haec in universam terram illam.

Glossa. Quod ad magnitudinem et novitatem miraculi pertinet, et ad manifestam veritatem ipsius, ne confictum putetur.

Hilarius. Mystice autem dominus domum principis, scilicet synagogam, ingreditur, cui in canticis legis hymnus luctum personabat.

Hieronymus. usque enim hodie iacet in domo principis mortua; et qui videntur magistri, tibicines sunt, carmen lugubre canentes; turba quoque iudaeorum non est turba credentium, sed tumultuantium. Sed cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis israel salvus fiet.

Hilarius in Matth. ut autem rarus ex lege credentium electionis numerus posset intelligi, turba omnis expulsa est; quam utique salvari dominus optasset; sed irridendo dicta, gestaue eius, resurrectionis non

fuit digna consortio.

Hieronimus. tenuit autem manum eius, et surrexit puella: quia nisi prius mundatae fuerint manus iudaeorum, quae sanguine plenae sunt, synagoga eorum mortua non consurget.

Hilarius in Matth. exeunte autem fama in universam terram illam, electionis salus, donum christi, atque opera praedicantur.

Rabanus. moraliter autem puella in domo mortua, est anima mortua in cogitatione. Dicit autem quod puella dormit, quia qui peccant in praesenti, adhuc per poenitentiam resuscitari possunt. Tibicines sunt adulatores, qui fovent mortuam.

Gregorius moralium. foras autem turba eicitur, ut puella suscitetur: quia nisi prius a secretioribus cordis expellatur saecularium multitudo curarum, anima quae intrinsecus iacet mortua, non resurgit.

Rabanus. In domo autem puella paucis arbitris surgit, iuvenis extra portam, et lazarus coram multis; quia publica noxa publico eget remedio; levis, leviori et secreta potest deleri poenitentia.

MATTHAEUS 9,27-31

3927 (Mt 9,27-31)

Hieronimus. Priori signo de principis filia et morbosam mulierem, consequenter signum de duobus caecis adiungitur, ut quod ibi mors et debilitas, hic caecitas demonstraret; et ideo dicitur et transeunte inde iesu, scilicet a domo principis, secuti sunt eum duo caeci, clamantes, et dicentes: miserere nostri, fili David.

Chrysostomus in Matth. Non autem parva hic iudaeorum accusatio est: cum hi quidem oculis carentes, ex auditu solo fidem suscipiant; illi autem habentes visum non attestantur miraculis quae fiebant. vide autem et eorum desiderium: neque enim simpliciter recesserunt, sed cum clamore, et nihil aliud quam misericordiam postulantes. Filium autem David vocabant quia nomen honoris esse videbatur.

Remigius. Recte ergo filium David vocant, quia virgo maria de stirpe David originem duxit.

Hieronimus. Audiant marcion et manichaeus, et ceteri haeretici, qui vetus laniant testamentum: et discant salvatorem appellari filium David: si enim non est natus in carne, quomodo vocatur filius David? .

Chrysostomus in Matth. Considerandum autem quod multoties dominus noluit rogatus sanare, ut non aliquis aestimet eum propter captandam honoris magnificentiam ad miracula insilire.

Hieronimus. Et tamen rogantes non curantur in itinere; non transitorie, ut putabant; sed postquam venit in domum illam, accedunt ad eum, ut introeant; et primum eorum discutitur fides; ut sic verae fidei lumen accipiant; unde sequitur cum autem venisset dominus, accesserunt ad eum caeci; et dixit eis iesus: creditis quia hoc possum facere vobis? .

Chrysostomus in Matth. rursum autem hic erudit nos gloriam multitudinis expellere: quia enim prope erat domus, ducit eos illuc singulariter curaturus.

Remigius. Qui autem caecis reddere poterat visum, non ignorabat si crederent; sed ideo interrogavit, ut fides eorum, quae gestabatur corde, dum confiterentur ore, digna fieret ampliori mercede, secundum illud apostoli: ore confessio fit ad salutem.

Chrysostomus in Matth. Et non propter hoc solum: sed ut ostenderet quoniam digni erant curatione; et ut non aliquis dicat, quoniam si misericordia solum salvabat, omnes salvari oportebat. Ideo etiam fidem ab eis expetit, ut ex hoc ad excelsius eos reducat: quia enim dixerant eum filium David, erudit quod oportet de eo maiora sentire: unde non dixit: creditis quoniam possum rogare patrem? sed creditis quoniam possum hoc facere? de quorum responsione sequitur dicunt ei: utique, domine. non ultra filium David eum vocant, sed altius elevantur, et dominationem confitentur. ex tunc iam ipse imponit eis manum; unde sequitur tunc tetigit oculos eorum, dicens: secundum fidem vestram fiat vobis. Dicit autem hoc fidem eorum affirmans, et contestans quoniam non adulationis erant verba quae dixerant. Postea curationem subiungit, dicens et aperti sunt oculi eorum. Deinde post sanationem iubet nulli dicere; et non simpliciter iubet, sed cum multa

vehementia; unde sequitur et comminatus est eis dicens: videte ne quis sciat. Illi autem exeuntes, diffamaverunt eum in tota terra.

Hieronimus. dominus quidem propter humilitatem fugiens iactantiae gloriam, hoc praeceperat; et illi propter memoriam gratiae non possunt tacere beneficium.

Chrysostomus in Matth. Quod autem alteri dixit: vade, et annuntia gloriam Dei, non est contrarium: erudit enim nos prohibere eos qui volunt nos propter nos laudare. Si autem ad domini gloriam refertur, non debemus prohibere, sed magis iniungere ut hoc fiat.

Hilarius in Matth. Vel silentium caecis dominus imperat, quia apostolorum proprium erat praedicare.

Gregorius moralium. quaerendum autem nobis est quid sit hoc quod ipse omnipotens, cui hoc est velle quod posse, et taceri virtutes suas voluit, et tamen ab eis qui illuminati sunt quasi invitus indicatur: nisi quod servis suis se sequentibus exemplum dedit, ut ipsi quidem virtutes suas occultari desiderent; et tamen ut aliis eorum exemplo proficiant, prodantur inviti. Occulentur ergo studio, necessitate publicentur; et eorum occultatio sit custodia propria, eorum publicatio sit utilitas aliena.

Remigius. Allegorice autem per hos duos caecos duo populi designantur, idest iudaicus et gentilis vel duo populi iudaicae gentis: nam tempore roboam, regnum eius divisum est in duas partes. De utroque autem populo in se credentes Christus illuminavit in domo, per quam intelligitur ecclesia, quia absque unitate ecclesiae nullus salvari potest. Illi autem qui ex iudaeis crediderunt adventum domini, per universum orbem diffamaverunt.

Rabanus. Domus autem principis synagoga est subdita moysi; domus iesus caelestis est ierusalem. Domino ergo per hoc saeculum transeunte, et domum suam revertente, duo caeci secuti sunt eum: quia praedicato evangelio per apostolos, multi ex iudaeis et gentibus coeperunt eum sequi. Sed postquam in caelum conscenderat, intravit in domum, idest in ecclesiam, et ibi illuminati sunt.

MATTHAEUS 9,32-34

3932 (Mt 9,32-34)

Remigius. Pulchre, illuminatis caecis, muto loquelam reddidit, et obsessum a daemone curavit: in quo facto ostendit se dominum virtutis, et caelestis medicinae auctorem: nam per isaïam dictum est: tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt, et aperta erit lingua mutorum. Unde dicitur egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, daemonium habentem.

Hieronimus. quod autem dicitur graece cophos, magis tritum est sermone communi, ut tam surdus quam mutus intelligatur; sed moris est scripturarum cophon, indifferenter vel surdum vel mutum dicere.

Chrysostomus in Matth. non autem naturae erat haec passio, sed ex daemonis insidiis: ideoque et aliis indiguit qui eum adducerent; neque enim per seipsum rogare poterat sine voce existens, neque aliis supplicare, daemone animam cum lingua colligente: propter hoc neque expetit fidem ab eo; sed confestim aegritudinem sanat; unde sequitur et eiecto daemonio, locutus est mutus.

Hilarius in Matth. in quo rerum ordo servatus est: nam daemon prius eicitur, et tunc reliqua corporis officia succedunt. Sequitur et miratae sunt turbae dicentes: nunquam apparuit sic in israel.

Chrysostomus in Matth. Praeponebant quidem ceteris eum, non quia curabat solum, sed quoniam facile et velociter infinitas aegritudines et insanabiles sanabat. Hoc autem maxime pharisaeos contristabat: quoniam omnibus eum praeponebant, non solum his qui tunc erant, sed et his qui antea geniti fuerunt in israel: unde pharisaei concitati e contrario detrahebant: propter quod sequitur pharisaei autem dicebant: in principe daemoniorum eicit daemones.

Remigius. Scribae namque et pharisaei facta domini negabant quae poterant; et quae non poterant negare, in sinistram partem interpretabantur, secundum illud psalmi 65,3: in multitudine virtutis tuae mentientur tibi inimici tui.

Chrysostomus in Matth. Eorum autem dicto quid est dementius? non enim confingi potest, proicere daemonem alterum daemonem: suis enim applaudere consuevit, non dissolvere sua. Christus autem non

solum daemones eiciebat, sed et leprosos mundabat, et mortuos suscitabat, et peccata solvebat, et regnum Dei praedicabat, et ad patrem homines adducebat, quae daemon neque posset facere neque vellet.

Rabanus. Mystice autem, sicut in duobus caecis signatus est uterque populus, iudaeorum et gentium, ita in homine muto et daemoniaco generaliter signatum est omne genus humanum.

Hilarius in Matth. vel in muto surdo et daemoniaco gentium plebs indigna totius salutis infertur: omnibus enim undique malis circumsessa, totius corporis vitiis implicabatur.

Remigius. Gentilis enim populus mutus erat: quia in confessione verae fidei et in laude sui creatoris os aperire non poterat; sive quia mutis idolis cultum impendebat, similis illis factus. Daemoniacus erat quia per mortem infidelitatis diaboli imperiis subditus erat.

Hilarius. Dei autem cognitione, superstitionum omnium vesania effugata, et visus et auditus et sermo salutis invehitur.

Hieronymus. sicut enim caeci lumen recipiunt, sic et muti ad loquendum lingua laxatur, ut confiteatur eum quem antea denegabat. in turba autem admirante confessio nationum est. Pharisei autem per suam calumniam usque hodie iudaeorum infidelitatem demonstrant.

Hilarius. admirationem autem turbae talis confessio subsecuta est: nunquam apparuit sic in israel: quia is cui per legem nihil opis afferri potuit, verbi virtute salvatur.

Remigius. Illi vero qui mutum sanandum domino obtulerunt, intelliguntur apostoli et praedicatores, qui aspectibus divinae pietatis gentilem populum salvandum obtulerunt.

Augustinus de cons. Evang. quod autem hic dicitur de duobus caecis et daemonio muto, solus Matthaeus posuit. Illi duo caeci de quibus alii narrant, non sunt isti; sed tamen simile factum est; ita ut si ipse Matthaeus non etiam illius facti meminisset, posset putari hoc quod nunc narrat, dictum fuisse etiam ab aliis duobus. Quod commendare memoriae diligenter debemus, esse quaedam facta similia, quod probatur non esse idem, cum ipse evangelista utrumque commemorat; ut, si quando talia singula apud singulos invenerimus, atque in eis contrarium quod solvi non possit, occurrat nobis, non esse factum idem, sed aliud simile, vel similiter factum.

MATTHAEUS 9,35-38

3935 (Mt 9,35-38)

Chrysostomus in Matth. voluit dominus ipso facto redarguere accusationem pharisaeorum dicentium in principe daemoniorum eicit daemonia: daemon enim convicium passus non benefacit, sed nocet eis qui eum inhonorant. dominus autem contrarium facit, qui post convicia et contumelias non solum non punit, sed etiam nec increpavit, quinimmo beneficia praestitit; unde sequitur et circuibat iesus omnes civitates et castella. In quo erudit nos accusatoribus nostris retribuere non accusationes, sed beneficia. Qui enim post accusationem desistit a beneficio, monstrat quoniam propter hominum laudem benefacit. Si vero propter Deum benefacis conservis, quicquid illi fecerint, non desistis benefaciens, ut maior sit merces.

Hieronymus. vides autem quod aequaliter et vicis et urbibus et castellis, idest et magnis et parvis, evangelium praedicaverit, ut non consideraret nobilium potentiam, sed salutem credentium. sequitur docens in synagogis eorum: hoc scilicet habens operis quod mandaverat pater, et hanc esuriem ut doctrina salvos faceret infideles. Docebat autem in synagogis evangelium regni; unde sequitur et praedicans evangelium regni.

Remigius. intelligendum est Dei. Quamvis enim annuntientur bona temporalia, tamen non dicitur evangelium. Hinc est quod lex non nominatur evangelium: quia suis observatoribus non promittebat bona caelestia, sed terrena.

Hieronymus. Post praedicationem autem et doctrinam curabat omnem languorem et omnem infirmitatem, ut. quibus sermo non suaserat, opera persuaderent; unde sequitur curans omnem languorem et omnem infirmitatem; quod de ipso proprie dicitur, nihil quippe ei impossibile est.

Glossa. Languorem vocat diuturnam infirmitatem, infirmitatem autem leves morbos.

Remigius. Sciendum est autem quia illos quos corpore sanabat forinsecus, mente sanabat intrinsecus. Alii vero hoc facere non possunt sua potestate, sed per Dei gratiam.

Chrysostomus in Matth. non autem in hoc stat christi bonitas, sed et aliam providentiam circa eos ostendit, viscera misericordiae circa eos expandens; unde sequitur videns autem turbas, misertus est eis.

Remigius. Per quod officium boni pastoris magis quam mercenarii in se Christus ostendit. Quare autem misertus sit subiungit quia erant vexati et iacentes sicut oves non habentes pastorem: vexati quidem a daemonibus: sive quia a diversis infirmitatibus et languoribus erant attriti.

Rabanus. Vel vexati per diversos errores, et iacentes, idest torpentes, non valentes surgere: et cum haberent pastores, erant quasi non haberent pastorem.

Chrysostomus in Matth. Haec principum iudaeorum excusatio, quoniam pastores existentes, ea quae luporum erant ostendebant: non solum enim non emendabant multitudinem, sed et nocebant eorum profectui. Illis enim admirantibus et dicentibus: nunquam apparuit sic in israel, e contrario dicebant, quoniam in principe daemoniorum eicit daemonia.

Remigius. Postquam autem Dei filius de caelo prospexit in terram ut audiret gemitus compeditorum, mox multa messis coepit augeri: turbae namque humani generis fidei non appropinquassent, nisi quia auctor humanae salutis de caelis prospexit in terram; et ideo sequitur tunc dixit discipulis suis: messis quidem multa, operarii autem pauci.

Glossa. messis ergo dicuntur homines, qui possunt meti a praedicatoribus, et de collectione perditorum separari, ut grana excussa a paleis, postea in horreis reponantur.

Hieronymus. messis multa, populorum signat multitudinem; operarii pauci, penuriam magistrorum.

Remigius. Parvus enim erat numerus apostolorum ad comparisonem tantarum segetum. Hortatur autem dominus suos praedicatores, idest apostolos, et eorum sequaces, ut quotidie sui numeri augmentationem exposcant; unde subdit rogate ergo dominum messis ut mittat operarios in messem suam.

Chrysostomus in Matth. Latenter seipsum dominum ostendit: ipse enim est qui messis est dominus. Si enim metere misit quae apostoli non seminaverunt, manifestum est quoniam non aliena metere misit, sed ea quae ipse per prophetas seminavit. Sed cum duodecim apostoli sint operarii, dixit deprecamini dominum messis ut mittat operarios in messem suam: et tamen nullum eis adiecit, quia scilicet eos iam duodecim existentes multiplicavit, non numero adiciens, sed virtutem largiens.

Remigius. Vel tunc augmentatus est quando designavit et alios septuaginta duos, et quando sunt facti multi praedicatores, spiritu sancto descendente super credentes.

Chrysostomus in Matth. Ostendit autem quia magnum donum sit hoc, scilicet ut aliquis habeat virtutem decenter praedicandi, per hoc quod dicit hoc esse orandum. Commemorat autem in hoc loco verborum iohannis de area et ventilabro et palea et frumento.

Hilarius in Matth. Mystice autem, salute gentibus data, civitates omnes et castella omnia, virtute et ingressu christi illuminantur, et omnem infirmitatem veterem languoris evadunt. immundi autem spiritus dominante violentia vexatam et sub legis onere aegrotam plebem dominus miseretur: quia nullus adhuc eis pastor erat custodiam sancti spiritus redditurus. Erat autem doni istius copiosissimus fructus, cuius copia haurientium multitudinem vincit; nam quantumlibet assumatur a cunctis, ad largiendum tamen semper exuberat: et quia plures esse utile est per quos ministratur, rogari dominum messis iubet, ut ad capessendum quod praeparabatur donum spiritus sancti messorum copiam Deus praestet: per orationem enim hoc munus a Deo nobis effunditur.

MATTHAEUS 10,1-4

4001 (Mt 10,1-4)

Glossa. A curatione socrus petri usque huc continuationem habuerunt relata miracula; et fuerunt ante sermonem in monte habitum facta: quod ex electione Matthaei, quae inter ipsa refertur, indubitanter

habemus: fuit enim unus de duodecim electus in monte ad apostolatam. Hic autem redit ad ordinem rei, sicut gesta est, post curatum centurionis servum, dicens et convocatis duodecim discipulis.

Remigijs. Narraverat enim supra evangelista quia cohortatus est dominus discipulos rogare dominum messis ut mitteret operarios in messem suam; et quod hortatus est, hoc nunc implere videtur. duodenarius enim numerus perfectus est: nascitur enim a senario, qui perfectionem habet, eo quod ex suis partibus, quae sunt unum, duo, et tria, in seipsum formatur: senarius autem duplicatus duodenarium gignit.

Glossa. Quae quidem duplicatio ad duo praecepta caritatis, vel ad duo testamenta pertinere videtur.

Rabanus. duodenarius etiam numerus, qui conficitur ex ternario et quaternario, designat eos per quatuor mundi climata fidem sanctae trinitatis praedicaturos. Iste etiam numerus per multas figuras in veteri testamento praesignatus est. Per duodecim filios iacob, per duodecim principes filiorum israel, per duodecim fontes viventes in helim, per duodecim lapides in rationali aaron, per duodecim panes propositionis, per duodecim exploratores a moyse missos, per duodecim lapides unde factum est altare, per duodecim lapides sublato de iordane, per duodecim boves qui sustinebant mare aeneum. In novo etiam testamento per duodecim stellas in corona sponsae, per duodecim fundamenta ierusalem, quae vidit iohannes, et per duodecim portas.

Chrysostomus in Matth. non solum autem eos confidere fecit, eorum ministerium vocando missionem in messem, sed et faciendo eos potentes ad ministerium; unde sequitur dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut eicerent eos, et curarent omnem languorem et omnem infirmitatem.

Remigijs. in quo aperte demonstratur quia vexatio turbarum non fuit tantum una aut simplex, sed varia; et hoc est misereri turbis, dare discipulis potestatem curandi et sanandi eas.

Hieronymus. Benignus etenim, et clemens dominus ac magister non invidet servis atque discipulis virtutes suas; et sicut ipse curaverat omnem languorem et infirmitatem, apostolis quoque suis tribuit potestatem ut curent omnem languorem et omnem infirmitatem. Sed multa differentia est inter habere et tribuere, donare et accipere. Iste quodcumque agit, potestate domini agit; illi, si quid faciunt, imbecillitatem suam et virtutem domini confitentur, dicentes: in nomine iesu surge et ambula. catalogus autem apostolorum ponitur, ut extra hos, qui pseudo apostoli sunt, excludantur; unde sequitur duodecim autem apostolorum nomina sunt haec: primus simon qui vocatur petrus, et andreas frater eius. Ordinem quidem apostolorum et meritum uniuscuiusque, illius fuit distribuere qui cordis arcana rimatur. Primus scribitur simon cognomine petrus, ad distinctionem alterius simonis qui appellatur chananaeus de vico galilaeae chana, ubi dominus aquas convertit in vinum.

Rabanus. Idem est autem graece sive latine petrus, quod syriace cephas; et in utraque lingua nomen a petra derivatum est. Nec dubium quin illa de qua paulus ait: petra autem erat Christus.

Remigijs. Fuerunt autem nonnulli qui in hoc nomine, graeco scilicet atque latino, quod est petrus, quaerentes hebraicae linguae interpretationem, dixerunt, quod interpretatur discalcians, sive dissolvens vel agnoscens. sed illi qui hoc dicunt, duabus tenentur contrarietatibus. Prima est ex proprietate hebraicae linguae, in qua p non exprimitur, sed loco eius ph ponitur. Unde pilatum dicunt philatum. Secunda ex interpretatione evangelistae, qui narrat dominum dixisse: tu vocaberis cephas, et ipse de suo addit: quod interpretatur petrus. Simon interpretatur obediens: obedivit enim verbis andreae, et cum eo venit ad Christum; sive quia obedivit praeceptis divinis, et quia ad unius iussionis vocem secutus est dominum; sive, ut quibusdam placet, interpretatur deponens moerorem, et audiens tristitiam: domino enim surgente deposuit moerorem dominicae passionis, et tristitiam audivit, dicente ei domino: alius te cinget, et ducet quo tu non vis. sequitur et andreas frater eius.

Chrysostomus in Matth. Non parva autem et haec laus est. Petrum enim denominavit a virtute, andream vero a nobilitate, quae est secundum morem, in hoc quod eum fratrem petri dixit. Marcus autem post duos vertices, scilicet petrum et iohannem, andream numerat; hic autem non ita: Marcus enim secundum dignitatem eos ordinavit.

Remigijs. Andreas autem interpretatur virilis. Sicut enim apud latinos a viro derivatur virilis, ita apud graecos ab andros, derivatur andreas. Bene autem virilis dicitur, quia relictis omnibus secutus est Christum, et viriliter in mandatis eius perseveravit.

Hieronymus. Evangelista autem paria iuga apostolorum quaeque consociat. Iungit enim petrum et andream fratres, non tam carne quam spiritu; iacobum et iohannem qui patrem corporis relinquentes, verum patrem secuti sunt: unde sequitur iacobus **zebedaei** et iohannes frater eius: iacobum quoque appellat ze

Bedaei, quia et alius sequitur iacobus alphaei.

Chrysostomus in Matth. Vide autem quia non secundum dignitatem ordinat. Mihi enim videtur Ioannes non aliis solum, sed etiam fratre maior esse.

Remigius. Interpretatur autem iacobus supplantans, sive supplantator: quia non solum vitia carnis supplantavit, sed etiam eandem carnem herode trucidante contempsit. Ioannes interpretatur Dei gratia, quia prae omnibus diligi a domino meruit: unde ob praecipui amoris gratiam, super pectus domini in coena recubuit. sequitur philippus et bartholomaeus. philippus interpretatur os lampadis, sive lampadarum, quia lumen quo illuminatus est a domino, mox invento fratri per officium oris studuit propinare. Bartholomaeus syrum nomen est, non hebraeum, et interpretatur filius suspendentis aquas id est christi: qui corda suorum praedicatorum de terrenis ad caelestia sublevat et suspendit, ut quo magis caelestia penetrat, eo corda suorum auditorum gutta sanctae praedicationis magis inebriet et infundat. sequitur thomas et Matthaheus publicanus.

Hieronymus. Ceteri evangelistae in coniunctione nominum primum ponunt Matthaem, postea thomam; nec publicani nomen ascribunt, ne antiquae conversationis recordantes sugillare evangelistam viderentur; iste vero et post thomam se ponit, et publicanum appellat: ut ubi abundavit peccatum, superabundet et gratia.

Remigius. Thomas autem interpretatur abyssus, sive geminus, qui graece dicitur didymus. Bene autem didymus abyssus interpretatur; quia quo diutius dubitavit, eo profundius effectum dominicae passionis credit, et mysterium divinitatis agnovit: unde dixit: dominus meus et Deus meus. Matthaheus autem interpretatur donatus, quia Dei munere de publicano evangelista factus est. sequitur et iacobus alphaei et thaddaeus.

Rabanus. Iste iacobus est qui in evangelii frater domini nominatur, et etiam in epistola ad galatas: quia maria uxor alphaei, soror fuit mariae matris domini, quam Ioannes evangelista mariam cleophae nominavit: fortasse quia idem cleophas et alphaeus est dictus. vel ipsa maria, defuncto alphaeo, post iacobum natum, nupsit cleophae.

Remigius. et bene dicitur filius alphaei, id est iusti, sive docti: quia non solum vitia carnis supplantavit, sed etiam curam carnis contempsit: nam cuius meriti fuerit, testes sunt apostoli qui eum episcopum hierosolymitanae ecclesiae ordinarunt: unde et ecclesiastica historia inter cetera de eo dicit, quia carnem nunquam comedit, et vinum et siceram non bibit, balneis et lineis vestibus non est usus, die noctuque flexis genibus orabat. Adeo etiam magni meriti fuit ut ab omnibus iustus vocaretur. thaddaeus autem ipse est quem Lucas iudam iacobi, id est fratrem iacobi appellat, cuius epistola in ecclesia legitur, in qua se fratrem iacobi nominat.

Augustinus de cons. Evang. Nonnulli autem codices habent lebbaeum. Quis autem unquam prohibuit duobus vel tribus nominibus unum hominem vocari? **Remigius.** iudas autem interpretatur confessus, eo quod filium Dei confessus sit.

Rabanus. thaddaeus autem sive lebbaeus interpretatur corculus, id est cordis cultor. sequitur simon chananaeus, et iudas iscariotes, qui et tradidit eum.

Hieronymus. simon chananaeus ipse est qui ab alio evangelista scribitur zelotes, chana quippe zelus interpretatur. iudas autem iscariotes, vel a vico in quo ortus est, vel ex tribu issachar vocabulum sumpsit, ut quodam vaticinio in condemnationem sui natus sit. issachar enim interpretatus est merces, ut significetur pretium proditoris.

Remigius. interpretatur autem iscariotes memoria domini, quia secutus est dominum; sive memoriale mortis, quoniam meditatus est in corde suo ut dominum traderet in mortem; seu suffocatio, quia seipsum strangulavit. Et sciendum, quod duo discipuli hoc nomine sunt vocati, per quos omnes christiani designantur: per iudam iacobi illi qui in confessione fidei perseverant; per iudam iscariotem illi qui relicta fide retro convertuntur.

Glossa. duo et duo nominatim exprimuntur, ut iugalis societas approbetur.

Augustinus de Civ. Dei. Elegit ergo hos in discipulos, quos et apostolos nominavit, humiliter natos, inhonoratos, illitteratos, ut quicquid magnum essent et facerent, ipse in eis esset et faceret. Habuit inter eos unum quo malo utens bene, et suae passionis impleret dispositum, et ecclesiae suae tolerandorum malorum praeberet exemplum.

Rabanus. qui etiam non per imprudentiam inter apostolos eligitur: magna est enim veritas quam nec adversarius minister infirmat. voluit etiam a discipulo prodi, ut tu a socio proditus, modeste feras tuum errasse iudicium, periisse beneficium.

MATTHAEUS 10,5-8

4005 (Mt 10,5-8)

Glossa. Quia manifestatio spiritus, ut apostolus dicit, ad utilitatem ecclesiae datur, post datam apostolis potestatem, mittit eos ut potestatem ad aliorum utilitatem exequantur: unde dicitur hos duodecim misit iesus.

Chrysostomus in Matth. Attendite autem opportunitatem missionis. Postquam enim viderunt mortuum suscitantem, mare increpantem, et cetera huiusmodi, et sufficienter virtutis eius demonstrationem susceperant per verba et per opera, tunc eos mittit.

Glossa. Mittens autem docet eos quo eant, quid praedicent, et quid faciant. Primo quidem quo eant: unde dicitur praecipiens eis, et dicens: in viam gentium ne abieritis, et in civitates samaritanorum ne intraveritis: sed potius ite ad oves quae perierunt domus israel.

Hieronymus. Non est autem contrarius locus iste ei praecepto quo postea dicitur: euntes docete omnes gentes: quia hoc ante resurrectionem, illud post resurrectionem praeceptum est. Et oportebat primum adventum christi nuntiare iudaeis, ne iustam haberent excusationem, dicentes, ideo a se dominum reiecisce, quia ad gentes et samaritanos apostolos miserit.

Chrysostomus in Matth. ideo etiam primo ad iudaeos mittit, ut quasi in quadam palaestra in iudaea exercitati, ad agones orbis terrarum intrarent, et velut quosdam pullos debiles ad volandum eos inducens.

Gregorius in Evang. Vel quia prius soli iudaeae voluit, et postmodum gentibus praedicari, quatenus redemptoris nostri praedicatio a propriis repulsa, gentiles populos quasi extraneos quaereret. erant etiam tunc quidam qui de iudaeis vocandi essent et de gentilibus vocandi non essent; qui nec ad vitam reparari mererentur, nec tamen gravius de contempta praedicatione iudicari.

Hilarius in Matth. Legis etiam lectio obtinere privilegium evangelii debebat, hoc minus israel sceleris sui excusationem habiturus, quod plus sedulitatis in admonitione sensisset.

Chrysostomus in Matth. item ne aestimarent, quia Christo conviciabantur et daemoniacum eum vocabant, quod propter hoc eos odio haberet, primum eos emendare studuit, et ab omnibus aliis discipulos abducens, eis medicos et doctores mittit; et non solum prohibuit aliis annuntiare antequam iudaeis, sed neque viam quae ad gentes fert, pertingere concedebat: quod signat cum dicit in viam gentium ne abieritis. et quia samaritani contrarii erant iudaeis, quamvis faciliores essent ut converterentur ad fidem, tamen neque samaritanis priusquam iudaeis praedicari permisit: unde dicit et in civitates samaritanorum ne intraveritis.

Glossa. Samaritani quidem fuerunt gentiles dimissi in terra israel a rege assyriorum post captivitatem ab eo factam, et multis periculis coacti ad iudaismum sunt conversi, circumcisionem, et quinque libros moysi recipientes, cetera vero omnino abhorrentes: unde iudaei samaritanis non commiscebantur.

Chrysostomus in Matth. Ab his ergo discipulos avertens, ad filios israel mittit, quos oves pereuntes vocat, non abscondentes, undique veniam eis excogitans, et attrahens eorum mentem.

Hilarius in Matth. Qui tamen licet oves vocentur, in Christum luporum ac viperarum linguis et faucibus saevierunt.

Hieronymus. iuxta tropologiam vero praecipitur nobis qui christi censemur nomine, ne in viam gentium, et haeticorum ambulemus errorem; ut quorum religio separata est, separetur et vita.

Glossa. Postquam autem docuit eos quo eant, insinuat quid praedicent: unde subditur euntes autem praedicate dicentes, quia appropinquavit regnum caelorum.

Rabanus. Hic appropinquare dicitur regnum caelorum per collatam nobis fidem invisibilis creatoris, non

aliqua motione electorum. Recte autem caeli vocantur sancti, qui Deum fide retinent, et diliguntur caritate.

Chrysostomus in Matth. Vides mysterii magnitudinem, vides apostolorum dignitatem. nihil sensibile praecipuntur dicere, ut moyses et prophetae; sed nova quaedam et inopinata; illi enim terrena bona praedicaverunt, hi autem regnum caelorum, et omnia quae illic sunt bona. **Gregorius** in Evang. Adiuncta sunt autem praedicatoribus sanctis miracula, ut fidem verbis daret virtus ostensa, et nova facerent qui nova praedicarent: unde sequitur infirmos curate, mortuos suscite, leprosos mundate, daemones eicite.

Hieronymus. Ne enim hominibus rusticanis, et absque eloquii venustate, indoctis et illitteratis nemo crederet pollicentibus regna caelorum, dat potestatem praedicta faciendi, ut magnitudinem promissorum probet magnitudo signorum.

Hilarius in Matth. Tota autem virtutis dominicae potestas in apostolis refertur: ut qui in adam imagine et similitudine Dei erant figurati, nunc perfectam christi imaginem sortiantur; et quicquid malorum adae corpori satanae instinctus intulerat, hoc rursus ipsi de communione dominicae potestatis emendent.

Gregorius in Evang. haec autem signa in exordio ecclesiae necessaria fuerunt: ut enim fides cresceret credentium, miraculis erat nutrienda.

Chrysostomus. Postea autem steterunt, reverentia fidei ubique plantata. Si autem et postea facta sunt, pauca et rara fuerunt; consuetudo enim est Deo talia facere cum aucta fuerint mala: tunc enim suam demonstrat potentiam. **Gregorius.** Sancta tamen ecclesia quotidie spiritualiter facit quod tunc per apostolos corporaliter faciebat; quae nimirum tanto maiora sunt, quanto per haec non corpora, sed animae suscitantur.

Remigius. Infirmi quippe sunt ignavi qui non habent vires bene vivendi; leprosi sunt immundi opere, vel delectatione carnali; mortui sunt qui opera mortis agunt; daemoniaci fiunt qui in potestatem diaboli sunt redacti.

Hieronymus. Et quia semper dona spiritualia, si merces media sit, viliora sunt, adiungitur avaritiae condemnatio, cum subdit gratis accepistis, gratis date; quasi dicat: ego magister et dominus absque pretio vobis hoc tribui: ergo et vos sine pretio date.

Glossa. hoc autem dicit ne iudas, qui oculos habebat, de praedicta potestate pecuniam congregare vellet, damnans etiam hic perfidiam simoniaca haereseos.

Gregorius in Evang. Praesciebat namque nonnullos donum accepti spiritus in usum negotiationis inflectere, et miraculorum signa ad avaritiae obsequium declinare.

Chrysostomus in Matth. Vide autem qualiter morum diligentiam non minus habet quam signorum, monstrans quoniam signa sine his nihil sunt. Etenim superbiam eorum comprimit, dicens gratis accepistis; et ab amore pecuniarum mundos esse praecipit dicens gratis date. Vel ut non videatur eorum esse beneficium, ait gratis accepistis; quasi dicat: nihil vos de vestro largimini suscipientibus: neque enim mercede hoc accepistis, neque laborantes in ea gratia: gratis enim accepistis; ita igitur aliis date; neque enim est condignum pretium eorum invenire.

MATTHAEUS 10,9-10

4009 (Mt 10,9-10)

Chrysostomus in Matth. quia spiritualium mercationem supra dominus prohibuerat, consequenter radicem omnium malorum evellens, ait nolite possidere aurum neque argentum.

Hieronymus. si enim sic praedicant ut pretium non accipiant, superflua est auri et argenti nummorumque possessio; nam si haec habuissent, videbantur non causa salutis hominum, sed causa lucri praedicare.

Chrysostomus in Matth. per hoc ergo praeceptum primo quidem discipulos facit non esse suspectos; secundo ab omni eos liberat sollicitudine, ut vacationem omnem tribuant verbo Dei; tertio docet eos suam virtutem. Hoc nempe eis postea dixit: numquid aliquid defuit vobis quando misi vos sine sacco et pera? .

Hieronymus. Qui autem divitias detruncaverat, quae per aurum et argentum et aes signantur, propemodum et vitae necessaria amputat, ut apostoli doctores verae religionis, qui instituebant omnia Dei

providentia gubernari, seipsos ostenderent nihil cogitare de crastino.

Glossa. Unde addit neque pecuniam in zonis vestris. Duo enim sunt genera necessariorum: unum quo emuntur necessaria, quod intelligitur per pecuniam in zonis; aliud ipsa necessaria, quod intelligitur per peram.

Hieronimus. Per hoc autem quod dicit neque peram in via, arguit philosophos qui vulgo appellantur bactroperitae, quod contemptores saeculi et omnia pro nihilo ducentes, cellarium secum vehant. sequitur neque duas tunicas. In duabus tunicis duplex mihi videtur innuere vestimentum: non quod in locis scythiae et glaciali nive rigentibus, una quis tunica debeat esse contentus; sed quod in tunica vestimentum intelligamus, ne alio vestiti, aliud nobis futurorum timore reservemus. sequitur neque calceamenta. Et plato etiam praecipit illas duas corporis summitates non esse velandas, nec assuefieri debere mollitiei capitis et pedum: cum enim haec habuerint firmitatem, cetera robustiora sunt. sequitur neque virgam: qui enim domini habemus auxilium, baculi praesidium cur quaeramus? **Remigius.** Ostendit etiam dominus his verbis, quia sancti praedicatores revocati sunt ad primi hominis dignitatem: qui quamdiu caelestes possedit thesauros, ista non concupivit: sed mox ut peccando illa amisit, ista desiderare coepit.

Chrysostomus in Matth. felix autem est ista commutatio: nam pro auro et argento et huiusmodi, acceperunt potestatem curandi infirmos, suscitandi mortuos, et alia huiusmodi: unde non a principio dixit eis non possideatis aurum vel argentum; sed quando dixerat leprosos mundate, daemones eicite. ex quo patet quod angelos eos ex hominibus, ut ita dicam, constituit, ab omni solvens vitae huius sollicitudine: ut una sola detineantur cura, quae est doctrinae; a qua et eos solvit, dicens: ne solliciti sitis quid loquamini. Quare quod videtur esse valde onerosum et grave, hoc maxime leve eis ostendit, et facile: nihil enim est ita iucundum, ut a cura et sollicitudine erutum esse; et maxime cum possibile fuerit ab hac erutos in nullo minorari, Deo praesente, et pro omnibus nobis effecto.

Hieronimus. Et quia nudos quodammodo et expeditos ad praedicandum apostolos miserat, et dura videbatur esse conditio magistrorum, severitatem praecepti sequenti sententia temperavit, dicens dignus est enim operarius cibo suo; quasi dicat: tantum accipite quantum in vestitu et victu vobis necessarium est: unde apostolus: habentes victum et vestitum, his contenti simus; et alibi: communicet is qui catechizatur ei qui se catechizat in omnibus bonis; ut quorum discipuli metunt spiritalia, consortes faciant eos carnalium suorum, non in avaritiam, sed in necessitatem.

Chrysostomus in Matth. A discipulis autem apostolos cibari oportebat: ut neque ipsi magna saperent adversus eos qui docebantur, sicut omnia praebentes, et nihil accipientes; neque rursus illi abscedant, quasi ab his despecti. Deinde ut non dicant apostoli: mendicantes ergo nos iubet vivere, et in hoc verecundarentur, monstrat hoc eis debitum esse, operarios eos vocans, et quod datur mercedem appellans: non enim quia apostolorum in sermonibus operatio erat, aestimare debebant parvum esse beneficium quod praestabant; et ideo dicit dignus est operarius cibo suo. Hoc autem dixit, non quidem ostendens tanto pretio apostolicos dignos esse labores, sed apostolis legem inducens, et tribuentibus suadens, quia quod ab ipsi datur, debitum est.

Augustinus de pastor. non ergo est venale evangelium, ut pro temporalibus praedicetur. Si enim sic vendunt, magnam rem vili vendunt. Accipiant ergo praedicatores sustentationem necessitatis a populo, mercedem dispensationis a Deo. Non enim a populo redditur quasi merces illis qui sibi in caritate evangelii serviunt; sed tamquam stipendium datur, quo, ut possint laborare, pascantur.

Augustinus de cons. Evang. vel aliter. Cum dixerit dominus apostolis nolite possidere aurum, continuo subiecit dignus est operarius cibo suo; unde satis ostendit cur eos possidere hoc ac ferre noluerit: non quod necessaria non sint sustentationi huius vitae, sed quia sic eos mittebat ut eis hoc deberi demonstraret ab illis quibus evangelium credentibus annuntiarent, tamquam stipendia militantibus. Apparet autem hic non praecepisse dominum ita tamquam evangelice vivere aliunde non debeant, quam eis praebentibus quibus annuntiant evangelium: alioquin contra hoc praeceptum fecit paulus, qui victum de manuum suarum laboribus transigebat. Sed apparet potestatem dedisse apostolis, domum in qua starent, sibi ista debere. Cum autem a domino aliquid imperatur, nisi fiat, inobedientiae culpa est; cum autem a domino potestas datur, licet cuique non uti, et tamquam de suo iure recedere. hoc ergo ordinans dominus, quod qui evangelium annuntiant, de evangelio vivant, illa apostolis loquebatur, ut securi non possiderent, neque portarent huic vitae necessaria, nec magna nec minima; ideo posuit nec virgam, ostendens a fidelibus suis omnia deberi ministris suis nulla superflua requirentibus. Hanc ergo potestatem, virgae nomine significavit, cum dixit, secundum marcum, ne quid tollerent in via nisi virgam tantum. Sed et calceamenta cum dicit Matthaeus in via non esse portanda, curam prohibuit, qua ideo portanda cogitantur ne desint. hoc et de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum praeter eam qua esset indutus, aliam portandam putaret, sollicitus ne opus esset; cum ex potestate illa possit accipere. Proinde Marcus dicendo calceari eos

sandaliis vel soleis, aliquid hoc calceamentum mysticae significationis habere admonet, ut pes neque tectus sit desuper, neque nudus ad terram; idest, non occultetur evangelium, nec terrenis commodis innitantur. Et quia non portari duas tunicas, sed expressius indui prohibet, monet non dupliciter, sed simpliciter ambulare. Ita dominum omnia dixisse nullo modo dubitandum est, partim proprie, partim figurate; sed evangelistas alia istum, alia illum inseruisse scriptis suis. Quisquis autem putat non potuisse dominum in uno sermone quaedam figurate, quaedam proprie ponere eloquia, cetera eius inspiciat; et videbit quam temere atque inerudite arbitretur: quia enim dominus monet ut nesciat sinistra quid facit dextera, ipsas eleemosynas, et quicquid hic aliud praecipit, figurate accipiendum putabit.

Hieronymus. haec historice dixerimus; cetera secundum anagogem. Non licet magistris aurum et argentum et pecuniam quae in zonis est possidere. aurum saepe legimus pro sensu, argentum pro sermone, aes pro voce: haec non licet vobis ab aliis accipere, sed data a domino possidere; neque haereticorum et philosophorum perversae doctrinae suscipere disciplinas.

Hilarius in Matth. quia vero zona ministerii apparatus est, et ad efficaciam operis praecinctio; per hoc quod aeris in zona inhibetur possessio, ne quid in ministerio venale sit, admonemur. Admonemur etiam nec peram habere in via, curam scilicet saecularis substantiae relinquendam: quia omnis thesaurus in terra perniciosus est cordi, illic futuro ubi condatur thesaurus. Dicit autem non duas tunicas: sufficit enim nobis semel Christus indutus; neve post intelligentiam veram, altera deinceps vel haeresis vel legis veste induamur. Non calceamenta, quia in sancta terra, peccatorum spinis atque aculeis non obsessa, ut moysi dictum est, nudis pedibus statuti, admonemur non alium gressus nostri habere, quam quem accipimus a Christo apparatus.

Hieronymus. Vel docet dominus pedes nostros mortiferis vinculis non alligari, sed sanctam terram ingredientibus esse nudos, neque habere virgam quae vertatur in colubrum, neque in aliquo praesidio carnis inniti: quia huiusmodi virga et baculus arundineus est, quem si paululum presseris, frangitur, et manum transforat incumbentis.

Hilarius. potestatis autem externae iure non sumus indigni habentes virgam de radice iesse.

MATTHAEUS 10,11-15

4011 (Mt 10,11-15)

Chrysostomus in Matth. quia dixerat superius dominus: dignus est operarius cibo suo, ne crederetur propter hoc omnium eis ianuam aperire, multam diligentiam hic iubet facere de hospite eligendo: unde dicitur in quamcumque civitatem aut castellum intraveritis, interrogate quis in ea dignus sit.

Hieronymus. Apostoli novam introeuntes urbem scire non poterant quis qualis esset: ergo fama hospes eligendus est populi et iudicio vicinorum; ne praedicatoris dignitas, suscipientis infamia deturpetur.

Chrysostomus in Matth. qualiter ergo ipse Christus apud publicanum manebat? quia scilicet dignus effectus erat ex conversione; hoc etiam non solum in gloriam eis proderat, sed in cibationem. si enim dignus est, omnino dabit cibum; et maxime cum nihil amplius necessariis peteretur. Intende autem qualiter omnibus eos denudans, omnia eis dedit, permittens in domibus eorum qui docebantur, manere. ita enim et ipsi a sollicitudinibus eruebantur, et aliis suadebant quoniam propter eorum advenerant salutem solam, in hoc quod nihil deferebant, et nihil amplius necessariis expetebant. Et non ad omnes simpliciter introibant: non enim signis solum volebat eos claros apparere, sed magis virtute. Nihil autem ita virtutem designat, sicut non superfluis uti.

Hieronymus. Hospes unus etiam eligitur non tribuens beneficium ei qui apud se mansurus est, sed accipiens; hic enim dicitur quis in ea dignus sit, ut magis se noverit accipere gratiam quam dare.

Chrysostomus in Matth. Intende autem quia nondum omnia eis tribuit; neque enim eis largitur ut sciant quis sit dignus, sed iubet scrutari; non solum autem dignos iubet quaerere, sed neque de domo in domum transmutari, cum subdit et ibi manete donec exeatis: ut neque suscipientem contristent, neque ipsi opinionem accipiant levitatis, aut gulae.

Ambrosius super lucam. non ergo otiose domus quam ingrediantur apostoli, eligenda decernitur, ut mutandi hospitii causa non suppetat; non tamen eadem cautio receptori mandatur, ne dum hospes eligitur, hospitalitas minuatur. sequitur intrantes autem domum, salutate eam, dicentes: pax huic domui.

Glossa. Quasi diceret: pacem hospiti precamini, ut sopiatur omnis repugnantia contra veritatem.

Hieronymus. in hoc etiam occulte salutationem hebraei ac syri sermonis expressit; quod enim graece dicitur chere, et latine ave, hoc hebraico syroque sermone appellatur salemlach, sive samalach, idest pax tecum. quod autem praecipit tale est: introeuntes autem, pacem imprecamini hospiti, et quantum in vobis est, discordiae bella sedate. Sin autem orta fuerit contradictio, vos mercedem habebitis de illata pace; illi qui habere noluerunt, bellum possidebunt: unde sequitur et si quidem fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam; si autem non fuerit digna, pax vestra ad vos revertetur.

Remigius. Quia scilicet aut erit quisque praedestinatus ad vitam, et caeleste verbum sequitur, quod audit; aut si nullus audire voluerit, ipse praedicator sine fructu non erit: quia ad eum pax revertitur, quando ei a domino pro labore sui operis recompensatur.

Chrysostomus in Matth. Instruit ergo eos dominus quod non propter hoc expectent ab aliis praesalutari, quia docebant; sed antecedere salutatione, alios honorando. deinde monstrat quod non sola salutio, sed benedictio, per hoc quod dicit si fuerit domus illa digna, veniet pax vestra super eam.

Remigius. Docuit ergo dominus discipulos suos offerre pacem in introitu domus ut salutatione pacis eligeretur domus digna, vel hospes; ac si patienter diceret: omnibus offerte pacem: quia aut accipiendo dignos, aut non accipiendo indignos se manifestabunt: quamvis enim fama populi dignus electus sit hospes, tamen salutandus est, ut magis sua dignitate praedicatores vocentur, quam ultro se ingerere videantur. Haec autem pax paucorum verborum ad totam explorationem dignae domus vel hospitis potest referri.

Hilarius in Matth. salutant ergo apostoli domum cum pacis affectu; sed ita ut potius pax dicta sit quam data. Porro autem pacem propriam, quae viscera miserationis sunt, non oportere in eam venire nisi sit digna; quae si digna reperta non fuerit, sacramentum pacis caelestis intra propriam apostolorum conscientiam est continendum. In eos autem qui caelestis regni praecepta respuerint, egressu apostolorum et signo pulveris a pedibus excussi, aeterna maledictio relinquatur; unde sequitur et quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros, exeuntes foras de domo vel de civitate, excutite pulverem de pedibus vestris. Existenti enim in loco cum loco videtur esse communio. Totum ergo quod est illius domus, excusso pulvere pedum, relinquatur, nihilque sanitatis de insistentium apostolorum vestigiis mutuatur.

Hieronymus. pulvis etiam excutitur de pedibus in testimonium laboris sui, quod ingressi sint civitatem, et praedicatio apostolica ad illos usque pervenerit. Sive excutitur pulvis, ut si tolerabilis erit terrae sodomorum quam illi civitati quae non recipit evangelium, nihil ab eis accipiant, nec ad victum quidem necessaria, qui evangelium spreverint.

Rabanus. Vel aliter. Pedes discipulorum ipsum opus incessumque praedicationis signant. Pulvis vero quo asperguntur, terrena levitas est cogitationis, a qua etiam summi doctores immunes esse nequeunt, cum pro auditoribus solliciti salubribus curis incessanter intendunt, et quasi per itinera mundi, uno calcaneo terrae pulverem legunt. Qui ergo spreverint doctrinam docentium, sibi labores et pericula taediumque sollicitudinum ad testimonium suae damnationis inflectunt. qui vero receperint verbum, afflictiones curasque doctorum quas pro se tolerabunt, in argumentum sibi vertunt humilitatis. et ne levis culpa videatur esse apostolos non recipere, subdit amen dico vobis: tolerabilis erit terrae sodomorum et gomorraeorum in die iudicii quam illi civitati.

Hieronymus. Quia sodomitis et gomorraeis non fuit praedicatum; huic autem cum praedicatum sit, non recipit evangelium.

Remigius. Vel quia sodomitae et gomorraei inter vitia carnis et hospitales fuisse leguntur; quamvis non tales hospites receperint sicut apostoli.

Hieronymus. Si autem tolerabilis erit terrae sodomorum quam illi civitati quae non recipit evangelium, ergo inter peccatores supplicia diversa sunt.

Remigius. specialiter tamen sodomorum et gomorraeorum mentionem facit, ut per hoc demonstret quia illa peccata sunt Deo magis odibilia quae fiunt contra naturam, pro quibus deletus est mundus aquis diluvii, quatuor civitates subversae, et mundus quotidie diversis malis affligitur.

Hilarius in Matth. Mystice autem instruit nos dominus non immisceri eorum domibus aut familiaritatibus qui Christum aut insectantur aut nesciunt; et in quacumque civitate interrogare quis eorum habitatione sit

dignus, idest, sicubi ecclesia sit, et Christus habitator; neque quoquam alibi transire, quia haec est domus digna et iustus hospes. Iudaeorum autem plures erant futuri quorum tantus in favorem legis affectus esset, ut quamvis per admirationem operum in Christum credidissent, tamen in legis operibus morarentur; alii vero explorandae libertatis, quae in Christo est, curiosi, transire se ad evangelia ex lege essent simulaturi; multi etiam in haeresim per intelligentiae perversitatem traducerentur. Et quia istiusmodi omnes penes se esse veritatem catholicam mentiuntur, domo ipsa, idest ecclesia, caute utendum est.

MATTHAEUS 10,16-18

4016 (Mt 10,16-18)

Chrysostomus in Matth. quia superius apostolorum removit sollicitudinem, et signorum suorum ostensione eos armavit, consequenter praedicat eis mala quae debebant eis contingere. primo quidem ut discerent praescientiae eius virtutem; secundo ut nullus suspicaretur, quoniam propter imbecillitatem magistri haec eis supervenirent mala; tertio ut ipsi sustinentes non obstupescerent, dum inopinabiliter et praeter spem evenirent; quarto ut hoc audiente non turbentur in tempore crucis; deinde ut discant quoniam nova haec praelii lex est. nudos enim mittit, a suscipientibus iubet cibari; neque in hoc sistit, sed ulterius suam virtutem ostendit dicens ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum. ubi considerandum, quod non simpliciter ad lupos, sed in medio luporum mittit, ut sic suam virtutem magis demonstrent, cum oves lupos superaverint, etiam in medio luporum existentes; et plurimos morsus accipientes ab eis, non solum non consumuntur, sed et illos convertunt: multo autem mirabilius est et maius, transmutare mentes eorum quam interficere eos. Inter lupos autem ovium mansuetudinem eos docet ostendere.

Gregorius in Evang. qui enim locum praedicatoris suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare; ut ex ipsa sua mansuetudine iram summentium mitiget, et peccatorum vulnera ipse in aliis afflictionibus vulneratus sanat. quoniam et si quando zelus rectitudinis exigit ut erga subditos saeviat, furor ipse de amore sit, non de crudelitate: quatenus et iura disciplinae foris exhibeat, et intus paterna pietate diligat quos foris castigat. multi autem cum regiminis iura suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent, domini videri appetunt, patres se esse minime recognoscunt, humilitatis locum in elationem dominationis immutant, et si quando extrinsecus blandiuntur, intrinsecus saeviunt: de quibus dicitur: veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Contra quae nobis considerandum est, quia sicut oves inter lupos mittimur, ut sensum servantes innocentiae, morsum malitiae non habeamus.

Hieronymus. lupos autem scribas et pharisaeos vocat, qui sunt clerici iudaeorum.

Hilarius in Matth. Lupos etiam significat omnes hos qui vesano furore in apostolos desaevituri erant.

Chrysostomus in Matth. Malorum autem erat eis consolatio mittentis virtus: et ideo ante omnia posuit dicens ecce ego mitto vos; quasi dicat: ne turbemini, quoniam in medio luporum mittimini: possum enim facere ut nihil mali sustineatis; non solum lupis non suppositi, sed leonibus terribiliores effecti. Sed ita expedit fieri; hoc enim vos clariores facit, et meam virtutem magis divulgat. Deinde ut aliquid etiam a seipsis inferant, et non sine causa coronari aestimentur, subdit estote ergo prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.

Hieronymus. Ut per prudentiam devitent insidias, per simplicitatem non faciant malum. Et serpentis astutia ponitur in exemplum: quia toto corpore occultat caput, ut illud in quo vita est, protegat. Ita et nos toto periculo corporis caput nostrum, qui Christus est, custodiamus; idest fidem integram et incorruptam servare studeamus.

Rabanus. Solet etiam serpens eligere strictas rimas, per quas transiens veterem pellem exuat: similiter praedicator transiens per angustam viam, veterem hominem omnino deponat.

Remigius. pulchre etiam dominus praedicatores serpentis prudentiam monet habere: quia primus homo per serpentem deceptus est; ac si diceret: quia hostis callidus fuit ad decipiendum, vos prudentes sitis ad liberandum: ille laudavit lignum, vos laudate crucis virtutem.

Hilarius in Matth. Ille animum primo mollioris sexus aggressus est, spe deinde illexit, et communionem immortalitatis sponndit. Pari ergo opportunitate, introspecta uniuscuiusque natura et voluntate, verborum adhibenda prudentia est, spes futurorum bonorum revelanda; ut quod ille mentitus est, nos praedicemus ex vero, secundum sponsonem Dei, angelis similes futuros esse qui credant.

Chrysostomus in Matth. Sicut autem prudentiam serpentis oportet habere, ut in principalibus non laedamur, sic et simplicitatem columbae in non vindicando cum iniusta patimur, neque per insidias alicui nocendo.

Remigius. ideo autem dominus haec duo sociavit: quia simplicitas absque prudentia facile decipi potest; et prudentia periculosa est, nisi simplicitate temperetur, alicui non nocendo.

Hieronymus. Simplicitas autem columbarum ex spiritus sancti specie demonstratur: unde dicit apostolus: malitia parvuli estote.

Chrysostomus in Matth. Quid autem durius his fiet iussionibus? non enim sufficiens est pati mala; sed neque turbari conceditur, quod est columbae: ira enim non per iram, sed per mansuetudinem extinguatur.

Rabanus. Quod autem lupi, de quibus supra dixerat, sint homines, ostendit cum subdit cavete autem ab hominibus.

Glossa. Ideo autem necessarium est ut sitis sicut serpentes, idest astuti: nam secundum suam consuetudinem tradent vos primum in conciliis, prohibendo ne praedicetis in nomine meo; deinde incorrectos flagellabunt vos; tandem ad reges et praesides ducemini.

Hilarius in Matth. qui extorquere silentium vestrum, aut conniventiam tentant.

Chrysostomus. Mirandum est autem qualiter hoc audientes non statim abscesserint homines, qui stagnum illud nunquam egressi fuerant, circa quod piscabantur: quod non virtutis eorum erat solum, sed sapientiae doctoris. Unicuique enim malorum mitigationem adiungit: unde et hic dicit propter me: non enim parva consolatio est propter Christum pati: quoniam non ut perniciosi et nocivi haec patiebantur. Et iterum addit in testimonium illis.

Gregorius in Evang. qui scilicet persequendo, mortem intulerunt, vel qui videndo non sunt mutati. mors quippe sanctorum bonis est in adiutorium, malis in testimonium: ut inde perversi sine excusatione pereant, unde electi exemplum capiunt et vivunt.

Chrysostomus in Matth. Hoc autem eos consolabatur, non quia aliorum cupiebant poenam; sed ut confidentiam habeant quoniam ubique eum habent praesentem et praescientem.

Hilarius in Matth. non solum autem hoc testimonio excusatio ignoratae divinitatis adimenda est persequentibus; sed etiam gentibus via pandenda credendi in Christum, pertinaciter, inter saevientium poenas, confessorum vocibus praedicatum: et hoc est quod subiungit et gentibus.

MATTHAEUS 10,19-20

4019 (Mt 10,19-20)

Chrysostomus in Matth. cum praemissis consolationibus non parvam et aliam apponit: ut enim non dicerent: qualiter suadere poterimus hominibus talibus persequentibus, persecutionibus existentibus? iubet eos de responsione confidere dicens cum autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini.

Remigius. duo autem dicit: quomodo aut quid; quorum unum refertur ad sapientiam, alterum ad oris officium. Quia enim et ipse ministrabat verba quae loquerentur, et sapientiam qua ea proferrent: non fuerat necesse sanctis praedicatoribus cogitare quid loquerentur aut quomodo.

Hieronymus. Cum enim propter Christum ducamur ad iudices, voluntatem tantum nostram pro Christo debemus offerre. ceterum ipse Christus qui in nobis habitat, loquitur pro se, et spiritus sancti in respondendo gratia ministrabitur.

Hilarius in Matth. Fides enim nostra omnibus praeceptis divinae voluntatis intenta, ad responsionem scientiae instruetur, in exemplo habens abraham, cui postulanti ad hostiam isaac, non defuit aries ad victimam; et ideo sequitur non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis.

Remigius. et est sensus: vos acceditis ad certamen, sed ego sum qui praelior; vos verba editis, sed ego

sum qui loquor. Hinc paulus ait: an experientiam quaeritis eius qui in me loquitur Christus? .

Hieronymus. per hoc autem ad prophetarum dignitatem eos reduxit, qui scilicet Dei spiritu sunt locuti. Cum autem hic dicat ne solliciti sitis quid loquamini, alibi dicitur: parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem reddere de ea quae in vobis est spe. Cum enim in medio amicorum certamen erit, iubemur esse solliciti, cum autem est iudicium terribile, et plebes insanientes, et timor undique, auxilium a Christo praebetur, ut confidenter loquantur, et non obstupescant.

MATTHAEUS 10,21-22

4021 (Mt 10,21-22)

Glossa. Praemissa consolatione subdit graviora pericula: unde dicitur tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et insurgent filii in parentes, et morte eos afficient.

Gregorius in Evang. minorem enim dolorem ingerunt mala quae ab extraneis, maiorem quae ab illis patimur, de quorum mentibus praesumebamus: quia cum damno corporis mala nos cruciant caritatis amissae.

Hieronymus. hoc autem in persecutionibus fieri crebro videmus: nec ullus est inter eos fidus affectus quorum diversa est fides.

Chrysostomus in Matth. Deinde quod est multo horribilius apposuit, dicens et eritis odio omnibus hominibus. Ut enim communes orbis terrarum hostes, ita eos expellere tentabant. Hinc etiam rursus apponitur consolatio, cum dicit propter nomen meum. Et cum hoc rursus aliud consolatorium ponitur, cum subditur qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Quoniam enim consueverunt multi in principio quidem esse vehementes, postea vero dissolvi, propter hoc ait: quoniam finem requiro. Quae enim utilitas est seminum in principio quidem florecentium, postmodum autem tabescentium? propter hoc autem sufficientem perseverantiam expetit ab ipsis.

Hieronymus. Non enim coepisse sed perfecisse virtutis est.

Remigius. Nec inchoantibus, sed perseverantibus praemium tribuitur.

Chrysostomus in Matth. ne autem aliquis dicat, quia omnia Christus in apostolos fecit, nihil mirabile est tales illos esse effectos, nihil patientes onerosum, propter hoc ait quod perseverantia eis est opus. Etsi enim ex primis eruti fuerint periculis, aliis difficilioribus conservantur; et post illa rursus alia succedent, et non stabunt quin insidias patiantur donec vivunt: et hoc occulte insinuat, dicens qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Remigius. Idest qui praecepta fidei non deseruerit, et in persecutionibus non defecerit, salvus erit: quia pro persecutionibus terrenis percipiet praemia regni caelestis. Et notandum, quia finis non semper signat consumptionem, sed aliquando perfectionem, iuxta illud: finis legis Christus est. unde etiam potest esse sensus: qui perseveraverit usque in finem, idest in Christo.

Augustinus de Civ. Dei. In Christo namque perseverare, est in fide eius permanere, quae per dilectionem operatur.

MATTHAEUS 10,23

4023 (Mt 10,23)

Chrysostomus in Matth. postquam praedixit terribilia quae post crucem et resurrectionem et ascensionem, eis erant ventura, rursus ducit eos ad mansuetiora; non enim iussit eos ad persecutionem audacter ire, sed fugere: unde dicit cum autem persequerentur vos in civitate ista, fugite in aliam. Quia enim interim principium erat conversionis eorum, condecente utitur sermone.

Hieronymus. hoc enim ad illud tempus referendum est, cum ad praedicationem apostoli mittebantur, quibus et proprie dictum est: in viam gentium ne abieritis; quod persecutionem timere non debeant, sed

declinare. Quod quidem videmus in principio fecisse credentes, quando orta hierosolymis persecutione, dispersi sunt in universam iudaeam, ut tribulationis occasio fieret evangelii seminarium.

Augustinus contra faustum. neque tamen salvator non poterat tueri discipulos suos, quibus fugere praecipit; et huius rei prior exemplum praebuit; sed instruebat hominis infirmitatem, ne Deum tentare audeat quando habet quid faciat, ut quod cavere oportet, evadat.

Augustinus de Civ. Dei. Potuit autem eos admonere ut sibi manus inferrent, ut non in manus persequentium devenirent. Porro si hoc ille non iussit aut monuit, ut hoc modo sui ex hac vita emigrarent, quibus migrantibus se mansionem aeternam praeparaturum esse promisit: quaelibet exempla opponant gentes quae ignorant Deum, manifestum est hoc non licere credentibus unum verum Deum.

Chrysostomus. Ne autem dicant: quid igitur si persecutionem passi fugerimus, et rursus hinc nos abiecerint? hunc destruens timorem ait amen dico vobis, non consummabitis, idest non pervenietis ad me, circumeuntes palaestinam, donec vos assumam.

Rabanus. Vel praedicat quod non ante praedicationibus suis ad fidem perducent omnes civitates israel, quam resurrectio domini fuerit perpetrata, et in toto orbe terrarum praedicandi evangelium potestas concessa.

Hilarius in Matth. Vel aliter. ex una in aliam fugam suadet: quia praedicatio eius primum a iudaea effugata transit ad graeciam; deinde diversis intra graeciae urbes apostolorum passionibus fatigata, tertio in universis gentibus demoratur. sed ut ostenderet gentes quidem apostolorum praedicationi credituras; verum ut reliquum israel crederet esse adventui suo debitum, ait non consummabitis civitates israel; idest, post plenitudinem gentium, quod erit reliquum israel ad implendum numerum sanctorum, futuro claritatis christi adventu est in ecclesia convocandum.

Augustinus ad honor. faciant ergo servi christi quod praecepit vel permisit: sicut ipse fugit in aegyptum, fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quaeritur: ut ab aliis qui non ita requiruntur, non deseratur ecclesia; sed praebeant cibaria conservis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cum autem omnium, idest episcoporum, clericorum et laicorum, est commune periculum, hi qui aliis indigent non deserantur ab his quibus indigent. aut igitur ad loca munita omnes transeant; aut qui habent necessitatem remanendi, non relinquuntur ab eis per quos illorum ecclesiastica est supplenda necessitas: ut vel pariter vivant, vel pariter sufferant quod eos paterfamilias volet pati.

Remigius. praeterea sciendum est, quod sicut praeceptum perseverandi in persecutionibus specialiter ad apostolos pertinet et ad eorum successores viros fortes, sic licentia fugiendi satis convenit infirmis in fide, quibus condescendit pius magister: ne si se ultro ad martyrium obtulissent, fortassis positi in tormentis negarent: levius enim erat fugere quam negare. Sed quamvis fugiendo perfectae fidei constantiam in se non ostenderent, tamen magni meriti erant; quoniam omnia pro Christo parati erant deserere, scilicet fugiendo. nisi autem illis licentiam fugiendi dedisset, dicerent eos aliqui alienos esse a gloria regni caelestis.

Hieronymus. Spiritualiter autem possumus dicere cum persecuti vos fuerint in una civitate, hoc est, in uno scripturarum libro vel testimonio, non fugiamus ad alias civitates, idest ad alia volumina: quamvis enim contentiosus fuerit persecutor, ante praesidium salvatoris adveniet quam adversariis victoria concedatur.

MATTHAEUS 10,24-25

4024 (Mt 10,24-25)

Chrysostomus in Matth. quia futurum erat ut discipuli cum praemissis persecutionibus etiam diffamati malam opinionem paterentur, quod multis onerosius esse videbatur, hic eos consolatur a seipso, et ab his quae de ipso sunt dicta; cui consolationi nulla poterat esse aequalis.

Hilarius in Matth. dominus enim lumen aeternum, dux credentium, et immortalitatis parens, discipulis suis futurarum passionum solatium ante praemisit, ut gloriae loco amplectamur, si domino nostro vel passionibus adaequemur; unde dicit non est discipulus super magistrum, nec servus super dominum suum.

Chrysostomus in Matth. intelligendum, donec fuerit discipulus et servus: non est, inquam, super magistrum et dominum, secundum honoris naturam. Nec mihi ea quae raro contingunt hic obicias; sed ab

his quae sunt in pluribus, suscipe hunc sermonem.

Remigius. Magistrum autem et dominum semetipsum appellat; per servum et discipulum, suos vult intelligi apostolos.

Glossa. Quasi dicat: ne indignemini tolerare quae tolero, quia dominus sum, faciens quod volo, et magister, docens quod utile scio.

Remigius. Et quia haec sententia minus videbatur superioribus verbis congrua, quo tendant verba, manifestatur cum subditur si patremfamilias beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos eius? .

Chrysostomus in Matth. Non dixit: servos, sed: domesticos, ut multam ad eos familiaritatem ostenderet; sicut et alibi dixit: non dicam vos servos sed amicos meos.

Remigius. Quasi dicat: vos ergo temporales honores et humanam gloriam non quaeratis, dum me videtis per irrisiones et opprobria genus humanum redimere.

Chrysostomus in Matth. non solum autem dixit: si domus dominum conviciati sunt; sed ipsam speciem convicii, quoniam beelzebub eum vocaverunt.

Hieronymus. Beelzebub idolum est accaron, quod vocatur in regum volumine idolum muscae: beel, ipse est bel, sive baal; zebub autem musca dicitur. principem ergo daemoniorum ex spurcissimi idoli appellabant vocabulo, qui musca dicitur propter immunditiam, quae exterminat suavitatem olei.

MATTHAEUS 10,26-28

4026 (Mt 10,26-28)

Remigius. Post praemissam consolationem, aliam non minorem subiungit, dicens non ergo timueritis eos scilicet persecutores. quare autem non esset timendum manifestat cum subiungit nihil enim est opertum quod non reveletur et occultum quod non sciatur.

Hieronymus. quomodo ergo in praesenti saeculo multorum vitia nesciuntur? sed de futuro tempore scribitur, quando iudicabit Deus occulta hominum, et illuminabit latebras tenebrarum, et manifesta faciet consilia cordium. Et est sensus: nolite timere persecutorum saevitiam, et blasphemantium rabiem: quia veniet dies iudicii, in quo et vestra virtus, et illorum nequitia demonstrabitur.

Hilarius in Matth. Igitur non minas, non convicia, non potestates insectantium monet esse metuendas; quia dies iudicii nulla haec fuisse atque inania revelabit.

Chrysostomus in Matth. vel aliter. Figura quidem eorum quae dicuntur, universalem videtur enuntiationem habere; verum non de omnibus, sed de praemissis solum dictum est: quasi dicat: si doletis audientes convicia, hoc cogitate, quia et ab hac suspicione post parum eruemini. Vocant quidem vos ariolos et magos et seductores; sed expectate parum, et salvatores vos orbis terrarum universi dicent; cum per res ipsas apparueritis benefactores: nec illorum attendent sermonibus homines, sed rerum veritati.

Remigius. Quidam autem dicunt, quod his verbis promiserit dominus discipulis suis quod per eos essent revelanda omnia occulta mysteria, quae sub velamine litterae legis latebant: unde apostolus dicit: cum conversi fuerint ad Christum, tunc auferetur velamen. Et est sensus: quare debetis timere vestros persecutores, cum tantae sitis dignitatis ut per vos occulta mysteria legis et prophetarum sint manifestata? .

Chrysostomus. Deinde quia eos ab omni timore liberaverat, et altiores opprobrii fecerat, nunc opportuno tempore eis loquitur de libera propalatione, quae est in praedicatione, dicens quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; et quod in aure auditis, praedicate super tecta.

Hilarius in Matth. Non legimus dominum solitum fuisse noctibus sermocinari, aut doctrinam in tenebris tradidisse; sed hoc dicit, quia omnis sermo eius carnalibus tenebrae sunt, et verbum eius infidelibus nox est. Itaque quod ab eo dictum est, cum libertate fidei et confessionis est loquendum.

Remigius. Est ergo sensus: quod dico vobis in tenebris, idest inter iudaeos incredulos, vos dicite in lumine, idest fidelibus praedicate; et quod in aure auditis, idest quod dico vobis secrete, praedicate super tecta,

idest palam coram omnibus. Solemus enim dicere: in aurem loquitur illi, idest secreta.

Rabanus. sane quod ait praedicate super tecta, iuxta morem provinciae palaestinae loquitur, ubi solent in tectis residere: quia non sunt cacuminata, sed aequalia. Ergo praedicabitur in tectis quod cunctis audientibus palam dicitur.

Glossa. Vel aliter. Quod dico vobis in tenebris, idest dum adhuc in timore carnali estis, dicite in lumine, idest in fiducia veritatis, cum a spiritu sancto eritis illuminati; et quod in aure auditis, idest solo auditu percipitis, praedicate, opere complendo, super tecta existentes, idest corpora vestra quae sunt domicilia animarum.

Hieronymus. Vel aliter. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; idest, quod auditis in mysterio, apertius praedicate; et quod in aure auditis, praedicate super tecta, idest, quod vos erudivi in parvulo iudaeae loco, universis urbibus in toto mundo audacter edicite.

Chrysostomus in Matth. sicut autem quando dicebat: qui credit in me, opera quae ego facio et ille faciet, et maiora his faciet, ita et hic monstrat quoniam omnia per eos operatur, etiam plusquam per seipsum; quasi dicat: principium ego dedi; sed quod plus est, per vos explere volo. Hoc autem non iniungentis est solum, sed et futurum praedicentis et ostendentis quoniam omnia superabunt.

Hilarius in Matth. constanter ergo ingerenda est Dei cognitio, et profundum doctrinae evangelicae secretum lumine praedicationis revelandum, non timendo eos quibus cum sit licentia in corpora tantum, in animam ius nullum est: et ideo subditur et nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.

Chrysostomus. Vide qualiter omnibus eos statuit superiores: non sollicitudinem solum et maledictionem, neque pericula, sed et ipsam quae omnibus videtur terribilior, mortem suadens propter Dei timorem contemnere: unde subdit sed potius eum timete qui potest et animam et corpus perdere in gehennam.

Hieronymus. Nomen gehennae in veteribus libris non invenitur; sed primo a salvatore ponitur. Quaeramus ergo quae sit huius sermonis occasio. Idolum baal fuisse iuxta ierusalem ad radices montis moria, in quibus siloa fluit, non semel legimus. haec vallis et parva campi planities irrigua erat et nemorosa, plenaque deliciis, et lucus in ea idolo consecratus. In tantam autem populus israel dementiam venerat ut, deserta templi vicinia, ibi hostias immolaret, et rigorem religionis deliciae vincerent, filiosque suos incenderent daemioni: et appellabatur locus ipse gehennon, idest vallis filiorum hennon. Hoc regum volumen, et paralipomenon et ieremias scribunt plenissime; et comminatur Deus se locum ipsum impleturum cadaveribus mortuorum, ut nequaquam vocetur tophet et baal, sed vocetur polyandron, idest tumulus mortuorum. futura ergo supplicia et poenae perpetuae quibus peccatores cruciandi sunt, huius loci vocabulo denotantur.

Augustinus de Civ. Dei. Hoc autem non antea fiet quam anima corpori fuerit copulata, ut nulla direptione separentur; et tamen tunc recte mors animae dicitur, quia non vivit ex Deo; mors autem corporis, quia in damnatione novissima quamvis homo sentire non desinat, tamen quia sensus ipse nec voluntate suavis, nec quiete salubris, sed dolore poenalis est, mors potius appellata quam vita.

Chrysostomus in Matth. vide autem rursus, quia non promittit eis liberationem a morte, sed suadet contemnere mortem; quod multo maius est quam erui a morte; et quod hoc sermone ea quae de immortalitate sunt dogmata eis infigit.

MATTHAEUS 10,29-31

4029 (Mt 10,29-31)

Chrysostomus in Matth. postquam timorem mortis excluserat, ne aestimarent apostoli quod si interficerentur, essent derelicti a Deo, rursus sermonem de providentia Dei inducit, dicens nonne duo passeris asse veneunt; et unus ex illis non cadet super terram sine patre vestro? .

Hieronymus. Et est sensus: si parva animalia absque Deo non decidunt auctore, et in omnibus est providentia, et quae in his peritura sunt, sine voluntate Dei non pereunt, vos qui aeterni estis, non debetis timere quod absque Dei vivatis providentia.

Hilarius in Matth. Mystice autem quod venditur, corpus atque anima est; et cui venditur, peccatum est. Qui ergo duos passeret asse vendunt, seipsos peccato minimo vendunt, natos ad volandum, et ad caelum pennis spiritualibus efferendos; sed capti pretiis praesentium voluptatum, et ad luxum saeculi venales totos se talibus actionibus nundinantur. Dei autem voluntatis est ut unus ex illis magis evollet; sed lex constitutione Dei perfecta decernit unum ex eis potius decidere. quemadmodum enim si evolarent, unum essent, fieretque corpus spiritale, ita peccatorum pretio venditis, anima terrenam contrahit ex vitiorum sorde materiam, fitque unum ex illis quod tradatur in terram.

Hieronymus. Quod autem ait vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt, immensam Dei erga homines ostendit providentiam, et ineffabilem signat affectum, quod nihil nostrorum Deum lateat.

Hilarius in Matth. In numerum enim aliquid colligi, diligentiae est.

Chrysostomus in Matth. Unde hoc dixit, non quod pilos Deus numeret; sed ut diligentem cognitionem et multam circa eos providentiam ostendat.

Hieronymus. derident autem intelligentiam ecclesiasticam in hoc loco qui carnis resurrectionem negant; quasi nos et capillos qui numerati sunt, et a tonsore decisi, omnes dicamus resurgere, cum salvator non dixerit: vestri autem et capilli omnes salvandi sunt, sed numerati sunt. Ubi numerus est, scientia numeri demonstratur, non eiusdem numeri conservatio.

Augustinus de Civ. Dei. Quamvis et de ipsis capillis possit inquiri, utrum redeat quicquid tondentibus decedit: quod si rediturum est, quis non exhorreat illam deformitatem? semel autem intellecto, ita nihil perituum esse de corpore, ita ut deforme nihil sit in corpore, simul intelligitur, ea quae deformem factura fuerant enormitatem, massae ipsi accessura esse, non locis quibus membrorum forma turbetur: velut si de limo vas fieret quod rursus in eundem limum redactum, totum de toto iterum fieret; non esset necesse ut illa pars limi quae in ansa fuerat, ad ansam rediret; aut quae fundum fecerat, ipsa rursus faceret fundum; dum tamen totum reverteretur in totum; idest, totus ille limus in totum vas, nulla sui parte perdita, remearet. Quapropter, si capilli toties tonsi ad sua loca deformiter redeunt, non redibunt, quia in eadem carnem, ut quemcumque locum ibi corporis teneant, servata partium congruentia, materiae in utilitatem vertentur. Quamvis quod dicit: capillus capitis vestri non peribit, non de longitudine, sed de numero capillorum posset intelligi: unde hic dicitur capilli capitis vestri numerati sunt.

Hilarius in Matth. Neque enim dignum negotium est peritura numerare: ut igitur nihil ex nobis perituum esse cognosceremus, ipso capillorum nostrorum supputatorum numero indicatur. Nullus igitur corporum nostrorum casus est pertimescendus: et ideo subditur nolite ergo timere: multis passeribus meliores estis vos.

Hieronymus. In quo manifestius superior expositionis sensus expressus est, quod timere non debeant eos qui possunt corpus occidere: quoniam si sine Dei scientia, parva quoque animalia non decidunt, quanto magis homo, qui apostolica fultus sit dignitate? **Hilarius.** Vel cum dicit plurimis eos antestare passeribus, ostendit multitudini infidelium electionem fidelium praeesse: quia his casus in terra est, illis volatus in caelum.

Remigius. mystice autem Christus caput est, apostoli capilli; qui pulchre numerati dicuntur, quia nomina sanctorum scripta sunt in caelis.

MATTHAEUS 10,32-33

4032 (Mt 10,32-33)

Chrysostomus in Matth. eiciens dominus timorem qui discipulorum concutiebat animam, per ea quae consequuntur rursus eos confortat, non solum timorem eiciens, sed et spe praemiorum maiorum eos erigens in liberam prolationem veritatis, dicens omnis ergo qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo qui est in caelis. Considera autem diligenter, quod non dixit qui confitebitur me, sed, quemadmodum graece legitur, qui confitebitur in me; ut tibi ostenderet non propria virtute, sed gratia superiore adiutum, confiteri eum qui confitetur.

Hilarius. Hoc concludendo dicit, quia doctrinis talibus confirmatos oportet liberam Dei confitendi habere constantiam.

Remigius. Confessio autem hic illa intelligenda est de qua dicit apostolus: corde creditur ad iustitiam, ore fit confessio ad salutem. Ne ergo aliquis putaret se absque oris confessione posse salvari, non solum ait qui me confessus fuerit, sed addit coram hominibus; et iterum addit qui autem negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo qui est in caelis.

Hilarius. in quo ostendit, quales nos testes hominibus fuerimus, tales apud Deum patrem testimonio eius usuros.

Chrysostomus in Matth. Ubi considerandum est, quia in poena amplius est supplicium, et in bonis maior retributio. quasi dicat: superabundasti prius, me hic confitendo aut negando; superabundabo et ego, ineffabiliter tibi maiora dando: illic enim ego te confitebor aut negabo. Propter hoc si feceris aliquod bonum, et non susceperis retributionem, ne turberis: cum additamento enim in futuro tempore retributio te expectat. Et si feceris aliquod malum, et non exsolveris vindictam, non contemnas; illic enim te excipiet poena, nisi transmuteris, et melior fias.

Rabanus. et sciendum, quod negare quod Deus non sit, nec pagani possunt; sed quod non sit Deus filius et pater, negari ab infidelibus potest. Confitebitur ergo aliquem filium apud patrem, quia per filium habebit accessum ad patrem, et quia filius dicet: venite, benedicti patris mei.

Remigius. Negabit autem negantem se, quia per ipsum non habebit accessum ad patrem, et a conspectu suae divinitatis et patris repellatur.

Chrysostomus in Matth. Ideo autem non solum fidem quae est secundum mentem, sed et confessionem exigit oris, ut erigat nos in liberam propalationem et ampliorem amorem, excelsos nos faciens. haec autem verba ad universos loquitur: et neque in persona apostolorum loquitur solum: non enim solos apostolos, sed et discipulos eorum facit viriles. Qui nunc hoc servat, non solum cum libera propalatione docebit, sed et omnibus facile suadebit: huius enim verbi observatio multos ad apostolos adduxit.

Rabanus. vel confitetur quis iesum ea fide quae per dilectionem operatur, mandata eius fideliter implendo; negat qui praeceptis non obedit.

MATTHAEUS 10,34-36

4034 (Mt 10,34-36)

Hieronymus. Supra dixerat: quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; nunc infert quid post praedicationem sequatur, dicens nolite arbitrari quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium.

Glossa. Vel aliter continua: sicut timor mortis non debet attrahere, sic nec carnalis affectus.

Chrysostomus in Matth. qualiter eis iniunxit ut in unamquamque domum ingredientes pacem indicent, qualiter etiam et angeli dixerunt: gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus, quoniam haec maxime est pax, cum id quod aegrotat, inciditur; cum id quod litem infert, separatur: ita enim possibile erit caelum terrae copulari. Nam et medicus ita reliquum conservat corpus, cum id quod insanabiliter se habet absciderit. ita quidem et in turri babel gestum est: malam enim pacem bona dissonantia solvit. ita et paulus eos qui adversus eum consonabant, divisit. Non enim ubique concordia bonum est: nam et latrones consonant. hoc autem praelium non est sui propositi, sed illorum consilii.

Hieronymus. ad fidem enim christi totus orbis contra se divisus est. Unaquaeque domus et infideles habuit et credentes, et propterea bellum missum est bonum, ut rumperetur pax mala.

Chrysostomus in Matth. hoc autem dixit quasi discipulos consolans; ac si diceret: ne turbemini, quasi praeter spem his contingentibus: propter hoc enim veni, ut praelium mittam. et non dixit: praelium; sed, quod difficilius est, gladium. Voluit enim asperitate verborum eorum excitare auditum, ut non in difficultate rerum deficiant: ne aliquis dicat, quod blanda suasit, sed difficilia occultavit. Melius est enim in rebus mansuetudinem videre, quam in verbis; et propter hoc in his non stetit, sed exponens praelii speciem, ostendit hoc esse civili bello difficilius, dicens veni enim separare hominem adversus patrem suum, et filiam adversus matrem suam, et nurum adversus socrum suam. in quo ostendit quod non solum in familiaribus erit hoc praelium, sed in amantissimis et valde necessariis: quod maxime christi virtutem ostendit: quia

discipuli haec audientes et ipsi susceperunt, et aliis suaserunt. Quamvis autem non ipse Christus hanc separationem fecerit, sed illorum malitia; tamen dicit se facere, secundum scripturae consuetudinem. Scriptum est enim: dedit eis Deus oculos ut non videant. Hoc autem maxime ostendit, vetus testamentum novo esse cognatum. Etenim in iudaeis unusquisque proximum interficiebat, quando vitulum fecerunt, et quando beelphegor immolaverunt: unde, ut monstraret eundem esse cui haec et illa placuerunt, prophetiae meminit, dicens et inimici hominis, domestici eius. Et in iudaeis tale aliquid contigit: erant enim prophetae et pseudoprophetae; et plebes scindebatur, et domus dividebantur; et hi quidem his credebant, alii autem illis.

Hieronymus. Hic autem locus prope iisdem verbis in michaea propheta scribitur. Et notandum, ubicumque de veteri testamento testimonium ponitur, utrum sensus tantum, an et verba consentiant.

Hilarius in Matth. Mystice autem gladius telorum omnium acutissimum est, in quo est ius potestatis, et iudicii severitas, et animadversio peccatorum. Dei igitur verbum nuncupatum meminerimus in gladio; qui gladius missus est in terram; idest, praedicatio eius hominum cordibus infusa. Hic igitur quinque habitantes in una domo dividit, tres in duos, et duos in tres: et tria ad hominem referimus; idest, corpus et animam et voluntatem: nam ut corpori anima data est, ita et potestas homini utendi utroque ut vellet, indulta est; atque ob illud lex est proposita voluntati. Sed hoc tantum in illis deprehenditur qui primi a Deo figurati sunt. sed ex peccato atque infidelitate primi parentis, sequentibus generationibus coepit esse corporis nostri pater peccatum, mater animae infidelitas. Voluntas autem sua unicuique adiacet: ergo iam unius domus quinque sunt. Cum ergo innovamur baptismi lavacro, per virtutem verbi ab originis nostrae peccatis separamur, recisque quadam absectione gladii Dei, a patris et matris affectionibus dissidemus, fitque gravis in domo una dissensio, et domestica novo homini erunt inimica: quia ille manere in spiritus novitate gaudebit; ea vero quae a prosapiae antiquitate deducta sunt, consistere in his quibus oblectantur concupiscunt.

Augustinus, de quaest. Evang. Vel aliter. Veni separare hominem adversus patrem suum: quia renuntiat quis diabolo qui fuit filius eius; et filiam adversus matrem suam, idest, plebem Dei adversus mundanam civitatem, hoc est perniciosam societatem generis humani, quam nunc babylonia, nunc aegypto, nunc sodoma, nunc aliis atque aliis nominibus scriptura signat. Nunc adversus socrum suam: ecclesiam adversus synagogam, quae secundum carnem Christum peperit sponsum ecclesiae. Dividuntur autem in gladio spiritus, quod est verbum Dei. Et inimici hominis domestici eius, cum quibus ante consuetudine implicatus erat.

Rabanus. Nulla apud eos iura custodiri possunt inter quos fidei bellum est.

Glossa. Vel aliter. Hoc dicit, quasi dicat: non ad hoc inter homines veni ut carnales affectus confirmem, sed spiritali gladio dissecem; unde recte dicitur et inimici hominis domestici eius.

Gregorius moralium. Callidus namque adversarius, cum a bonorum cordibus repellere se conspicit, eos qui ab illis valde diliguntur, exquirat; et per eorum verba blandiens loquitur qui plus ceteris amantur: ut dum vis amoris cor perforat, facile persuasionis eius gladius ad intimae rectitudinis munimina irrumpat.

MATTHAEUS 10,37-39

4037 (Mt 10,37-39)

Hieronymus. Quia ante praemiserat: non veni pacem mittere, sed gladium, et dividere hominem adversus patrem et matrem et socrum, ne quis pietatem religioni auferret, subiecit, dicens qui amat patrem aut matrem plusquam me, non est me dignus. Et in cantico legimus canticorum: ordinavit in me caritatem. Hic enim ordo in omni affectu necessarius est. Ama post Deum, patrem aut matrem aut filios. si autem necessitas venerit ut amor parentum aut filiorum Dei amori comparetur, et non possit utrumque salvari, odium in suos, pietas in Deum est. Non ergo prohibuit amari patrem aut matrem; sed signanter addidit plusquam me.

Hilarius in Matth. Illi enim qui domesticas hominum caritates dilectioni eius praetulerint, futurorum bonorum indigni erunt hereditate.

Chrysostomus in Matth. Si autem paulus iubet per omnia parentibus obedire, non mireris: in illis enim solum dicit obediendum quae non nocent pietati: etenim sanctum est omnem eis alium reddere honorem. Cum autem plus debito exegerint, non oportet assentire. Sunt autem haec veteri testamento consonantia: etenim illic eos qui idola colebant, non odio habere solum, sed et lapidare dominus iubet: et in deuteronomio dicitur: qui dixerit patri suo, et matri suae: nescio vos; et fratribus suis: ignoro illos; hi

custodierunt eloquium tuum.

Glossa. Videtur autem id in pluribus accidere ut parentes plus diligant filios, quam filii diligant eos: et ideo gradatim postquam suum amorem amori parentum esse praeponendum docuit, docet consequenter praeferendum esse filiorum amori, dicens et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.

Rabanus. Per quod signat illum divino consortio esse indignum qui consanguinitatis carnalem amorem praeponit spiritali amori Dei.

Chrysostomus in Matth. deinde ut non moleste ferant illi, scilicet quibus amor Dei praefertur, ad altiorem adducit sermonem. Anima enim nihil est familiarius alicui, sed tamen et hanc non simpliciter eam haberi odio iussit, sed ut eam quis tradat in occisiones et sanguines; ostendens quod non solum ad mortem oportet esse paratum, sed ad mortem violentam et reprobatissimam, scilicet mortem crucis; unde sequitur et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. nihil autem adhuc eis de propria dixerat passione; sed interim in his eos erudit ut sermonem de passione eius magis suscipiant.

Hilarius in Matth. Vel qui christi sunt, crucifixerunt corpus suum cum vitiis et concupiscentiis; et indignus est Christo qui non crucem suam, in qua compatimur, commorimur, consepelimumur, consurgimus, accipiens, dominum sit secutus, in hoc sacramento fidei spiritus novitate victurus.

Gregorius in Evang. crux quippe a cruciatu dicitur: et duobus modis crucem domini baiulamur: cum aut per abstinenciam carnem affligimus, aut per compassionem proximi, necessitatem illius nostram putamus. Sciendum vero est, quod sunt nonnulli qui carnis abstinenciam non pro Deo, sed pro inani gloria exhibent; et sunt nonnulli qui compassionem proximo non spiritaliter, sed carnaliter impendunt, ut ei non ad virtutem, sed quasi miserando ad culpas faveant. Hi itaque crucem videntur ferre sed dominum non sequuntur: et ideo ait et sequitur me.

Chrysostomus in Matth. quia vero praecepta haec quae iniunguntur, onerosa videbantur, ponit et utilitatem eorum maximam existentem, dicens qui invenit animam suam, perdet eam; quasi dicat: non solum haec quae praemisi, non nocent, sed maxime proderunt; contraria vero nocebunt. Et hoc ubique facit. Ab his enim quae homines concupiscunt inducit, sicut si dicat: propter quid non vis contemnere animam tuam? quia diligis eam? quocirca propter hoc contemne, et tunc ei maxime proderis.

Remigius. Anima autem in hoc loco non substantia est intelligenda, sed haec vita praesens; et est sensus: qui invenit animam suam, scilicet hanc praesentem vitam; idest, qui hanc lucem et eius dilectionem et voluptates ad hoc desiderat ut semper invenire possit, istam quam semper servare cupit, perdet, et animam suam aeternae damnationi praeferat.

Rabanus. vel aliter. Qui salutem animae suae quaerit aeternam, eam perdere, hoc est in mortem dare, non dubitat. Utrique autem sensui congruit apte quod sequitur et qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam.

Remigius. Idest, qui hanc temporalem lucem, et eius dilectiones et voluptates tempore persecutionis propter confessionem nominis mei contempserit, animae suae inveniet aeternam salutem.

Hilarius in Matth. Sic ergo proficit lucrum animae in mortem, et damnum in salutem: detrimento enim brevis vitae, fenus immortalitatis acquiritur.

MATTHAEUS 10,40-42

4040 (Mt 10,40-42)

Hieronymus. Dominus ad praedicationem discipulos mittens, docet pericula non timenda, et affectum subicit religioni; aurum supra tulerat, aes de zona excusserat: dura evangelistarum conditio. Unde ergo sumptus, unde victus, unde necessaria, et cetera? et ideo austeritatem praeceptorum spe temperat promissorum, inquit qui recipit vos, me recipit: ut in suscipiendis apostolis unusquisque credentium Christum se suscepisse arbitretur.

Chrysostomus in Matth. Sufficientia siquidem erant praemissa ad persuadendum eis qui erant apostolos suscepturi. quis enim eos qui ita erant fortes, et omnia contemnebant ut alii salvarentur, non susciperet

omni cum desiderio? et superius quidem poenam comminatus est his qui non reciperent; hic autem retributionem promittit recipientibus. Et primo quidem repromittit honorem suscipientibus apostolos, ut Christum suscipiant, et etiam patrem; unde subdit et qui me recipit, recipit eum qui me misit. Quid autem huic honori fiet aequale, ut quis patrem et filium recipiat? .

Hilarius in Matth. in quibus verbis docet etiam in se mediatoris officium; qui cum sit receptus a nobis, atque ipse profectus ex Deo sit, Deus per illum transfusus in nobis sit; et per hunc ordinem gratiarum non est aliud apostolos recepisse quam Deum: quia et in illis Christus, et in Christo Deus habitat.

Chrysostomus in Matth. promittit autem post haec et aliam retributionem, dicens qui recipit prophetam in nomine prophetae, mercedem prophetae accipiet. Non autem simpliciter dixit qui suscipit prophetam, aut qui suscipit iustum; sed addit in nomine prophetae, et in nomine iusti; hoc est, si non propter vitae huius eminentiam, neque propter aliud temporalium susceperit, sed quia vel propheta est vel iustus.

Hieronymus. vel aliter. Quia ad susceptionem magistrorum discipulos provocaverat, poterat credentium occulta esse responsio: ergo et pseudopphetas, et iudam proditorem debemus suscipere. Unde dominus dicit, non personas suscipiendas esse, sed nomina; et mercedem non perire suscipientis, licet indignus fuerit qui susceptus sit.

Chrysostomus in Matth. dicit autem mercedem prophetae et mercedem iusti accipiet; idest qualem decens est accipere eum, qui suscipit prophetam vel iustum; vel qualem propheta aut iustus est accepturus.

Chrysostomus in Matth. Non enim ait mercedem de propheta, vel iusto, sed mercedem prophetae vel iusti. Iste enim fortasse iustus est; et quanto in hoc mundo nihil possidet, tanto loquendi pro iustitia fiduciam maiorem habet. Hunc cum ille sustentat qui in hoc mundo aliquid possidet, illius iustitiae libertatem sibi participem facit, et cum eo pariter iustitiae praemia recipiet quem sustentando adiuvit. ille prophetiae spiritu plenus est, sed tamen corporeo eget alimento: et si corpus non reficitur, certum est quod vox ipsa subtrahatur. Qui igitur prophetae alimenta tribuit, vires illi ad loquendum dedit; cum propheta ergo mercedem prophetae accipiet qui hoc ante Dei oculos exhibuit quod adiuvit.

Hieronymus. Mystice autem qui prophetam recipit ut prophetam, et intelligit eum de futuris loquentem, hic prophetae mercedem accipiet. Igitur iudaei carnaliter intelligentes prophetas, mercedem non accipient prophetarum.

Remigius. Nonnulli vero prophetam intelligunt dominum iesum Christum, de quo moyses dicit: prophetam vobis suscitabit Deus; quem similiter per iustum intelligunt, quia incomparabiliter iustus est. qui ergo in nomine iusti et prophetae, scilicet christi, prophetam vel iustum suscipit, ab eo recipiet remunerationem pro cuius amore recipit.

Hieronymus. Poterat autem aliquis causari et dicere: paupertate prohibeor ut hospitalis esse non possim; et hanc excusationem levissimo exemplo diluit, ut calicem aquae frigidae toto animo porrigamus, dicens et quicumque potum dederit uni ex minimis istis, aquae frigidae calicem tantum in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Frigidae, inquit, non calidae; ne et in calida paupertatis et penuriae lignorum occasio quaereretur.

Remigius. Dicit autem minimis, idest non prophetae, non iusto, sed alicui ex minimis.

Glossa. Ubi nota, Deum magis ad pium affectum dantis respicere quam ad quantitatem rei exhibitae. vel minimi sunt qui nihil penitus habent in hoc mundo, et iudices erunt cum Christo.

Hilarius in Matth. Vel praevidens plures futuros tantum apostolatus nomine gloriosos, omni vero vitae suae opere improbabilis, obsequium quod ipsis sub religionis opinione delatum est, mercede non fraudat: nam licet et ipsi minimi essent, idest peccatorum omnium ultimi, non inania tamen in eos, etiam levia, sub frigidae aquae nomine designata, officia esse decernit. Non enim peccatis hominis, sed discipuli nomini honor praestitus est.

MATTHAEUS 11,1

Rabanus. Postquam discipulos suos dominus ad praedicandum mittens, praemissis verbis eos instruxit, ipse etiam quod docuerat verbis, factis implevit, offerens primam praedicationem iudaeis; et hoc est quod dicitur et factum est cum consummasset iesus. Dicit autem transiit inde.

Chrysostomus in Matth. quia enim eos misit, subtraxit seipsum dans locum eis et tempus facere quae iniunxerat: eo enim praesente et curante, nullus ad discipulos vellet accedere.

Remigius. pulchre autem de speciali doctrina, qua scilicet apostolos instruxerat, ad generalem transit, in civitatibus praedicando; quia in hoc de caelis ad terras descendit, ut omnes illuminaret: in quo facto monentur etiam sancti praedicatores ut omnibus prodesse studeant.

MATTHAEUS 11,2-6

4102 (Mt 11,2-6)

Glossa. Posuerat supra evangelista quomodo per miracula et doctrinam christi tam discipuli quam turbae instruebantur; nunc ostendit quomodo haec instructio usque ad discipulos ioannis perveniret, qui ad Christum aemulationem habere videbantur: unde dicit ioannes autem cum audisset in vinculis opera christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illi: tu es qui venturus es, an alium expectamus? **Gregorius** in Evang. quaerendum autem nobis est: ioannes propheta, et plusquam propheta, qui venturam ad baptismum dominum ostendit, dicens: ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, cur in carcere positus mittens discipulos requirit tu es qui venturus es, an alium expectamus? tamquam si ignoraret quem ostenderat; et an ipse sit nesciat quem ipse prophetando, baptizando, ostendendo, ipsum esse clamaverat.

Ambrosius super lucam. nonnulli autem hoc sic intelligunt. Magnum quidem ita prophetam esse ioannem, ut Christum agnosceret, annuntiaret remissionem peccatorum futuram; sed tamen, tamquam pium vatem, quem venturum crediderat, non credidisse moriturum. Non igitur fide, sed pietate dubitavit. Dubitavit etiam petrus dicens: propitius tibi esto, domine: non fiat hoc.

Chrysostomus in Matth. Sed non utique hoc habet rationem. ioannes enim neque hoc ignorabat: sed hoc primum testatus est dicens: ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Agnum enim vocans, crucem divulgat: nec aliter quam per crucem peccatum abstulit mundi. qualiter autem maior propheta est hic si neque quae prophetarum sunt nescit? etenim isaias dicit: sicut ovis ad occisionem ductus est.

Gregorius in Evang. sed aliter haec quaestio solvitur, si gestae rei tempus pensatur. Ad iordanis enim fluentia positus, quia ipse redemptor mundi esset, asseruit; missus vero in carcerem, an ipse veniat, requirit: non quia ipsum esse mundi redemptorem dubitat; sed quaerit, ut sciat si is qui per se in mundum venerat, per se etiam ad inferni claustra descendat.

Hieronymus. unde non ait: tu es qui venisti? sed tu es qui venturus es? et est sensus: manda mihi, quia ad inferna descensus sum, utrum te etiam inferis debeam nuntiare, an alium ad haec sacramenta missurus es? .

Chrysostomus in Matth. sed qualiter et hoc habet rationem? cuius enim gratia non dixit: tu es qui venturus es in infernum? sed simpliciter: qui venturus es? quamvis et derisibilis videatur quod propter hoc ei dixerit, ut et illuc abiens praedicaret: praesens enim vita, gratiae tempus est; post obitum autem iudicium est et poena: quare in nullo opus erat praecursore illic. Sed aliter. si infideles post mortem credentes essent salvandi, nullus peribit aliquando: omnes enim poenitebunt tunc, et adorabunt. Omne enim genu flectetur, caelestium, terrestrium, et infernorum.

Glossa. Considerandum autem est, quod non ideo .

Hieronymus et **Gregorius** dixerunt, quod ioannes adventum christi in infernum praenuntiaturus esset, quia eius praedicatione aliqui non credentes converterentur ad fidem; sed ut iustis in expectatione christi manentibus ex vicino adventu consolationem afferret.

Hilarius in Matth. certum est tamen quod qui venturum ut praecursor nuntiavit, consistentem ut propheta agnovit, adeuntem ut confessor veneratus est, eius abundantiae scientiae error non obrepit. Nec sane credi potest, spiritus sancti gratiam in carcere posito defuisse, cum apostolis virtutis suae lumen esset in carcere positus ministraturus.

Hieronymus. Non ergo quasi ignorans interrogat, sed quomodo salvator interrogat ubi sit lazarus positus; ut qui locum sepulcri indicabant, saltem sic pararentur ad fidem, ut viderent mortuum resurgentem; sic et loannes interficiendus ab herode discipulos suos mittit ad Christum, ut per hanc occasionem videntes signa atque virtutes, crederent in eum, et magistro interrogante sibi discerent. Quod autem haberent discipuli iohannis aliquid mordacitatis ex invidia adversus dominum, superior quoque interrogatio demonstravit, cum dixerunt: quare nos et pharisaei ieiunamus frequenter, discipuli tui non ieiunant? .

Chrysostomus in Matth. Donec igitur loannes erat cum ipsis, suadebat eis continue de Christo: quia autem iam erat obiturus, amplius studium facit. etenim formidabat, ne relinquat in discipulis suis perniciosi dogmatis conditionem, et maneant abiecti a Christo, cui et a principio omnes suos afferre studuit. si autem dixisset eis: abite ad ipsum, quia melior me est, non utique persuasisset, sed aestimaretur humilia de se sentiens hoc dicere; et sic magis essent ei affixi. quid igitur facit? expectat ab eis audire quod Christus miracula facit. Neque omnes misit; sed duos quosdam, quos noverat fortassis aliis persuasibiliores existentes, ut insuspicabilis interrogatio fieret, et ex rebus ipsis discerent distantiam inter eum et iesum.

Hilarius in Matth. loannes igitur non suae, sed discipulorum ignorantiae consulit: ut enim scirent non alium a se praedicatum, ad opera eius intuenda discipulos suos misit, ut auctoritatem dictis suis illius opera conferrent; nec Christus alius expectaretur quam cui testimonium opera praestitissent.

Chrysostomus in Matth. Idem Christus autem mentem noscens iohannis, non dixit: quoniam ego sum, quia per hoc rursus obsisteret audientibus: excogitassent enim, etsi non dixissent, quod iudaei ad ipsum dixerunt: tu de teipso testimonium perhibes. Et propter hoc a miraculis fecit eos discere, insuspicabilem doctrinam faciens et manifestiorem. Testimonium enim quod est a rebus, credibilius est testimonio quod est a verbis. Unde confestim curavit caecos et claudos et alios multos, non ut doceret iohannem scientem, sed hos qui dubitabant: et ideo sequitur et respondens iesus ait illis: euntes renuntiate iohanni quae audistis et vidistis. caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt mortui resurgunt, pauperes evangelizantur.

Hieronymus. quod praemissis non minus est. Pauperes autem evangelizatos intellige, vel pauperes spiritu, vel certe opibus pauperes: ut nulla inter nobiles et ignobiles, inter divites et egenos in praedicatione distantia sit: haec magistri rigorem, haec praeceptoris comprobant veritatem, quando omnis apud eum qui salvare potest aequalis est.

Chrysostomus in Matth. quod autem ait: et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me, internuntios percutit: quia enim scandalizabantur in ipso, dubitationem eorum non divulgans, et soli eorum conscientiae derelinquens, redargutionem eorum latenter induxit.

Hilarius. itaque cui rei loannes cavisset, ostendit dicens beatos eos in quibus aliquid in se scandali non fuisset: quia metu eius, scilicet ne scandalizarentur, discipulos suos loannes, ut Christum audirent, misit.

Gregorius in Evang. vel aliter. Infidelium mens grave in Christo scandalum pertulit, cum eum etiam post tot miracula morientem vidit: unde paulus dicit: nos praedicamus Christum crucifixum, iudaeis quidem scandalum. quid ergo est dicere: beatus qui non fuerit scandalizatus in me, nisi aperta voce abiectioem mortis suae humilitatemque signare? ac si patenter dicat: mira quidem facio, sed abiecta perpeti non dedignor. quia ergo moriendo te subsequor, cavendum valde est hominibus ne in me mortem despiciant qui signa venerantur.

Hilarius. Praebet etiam mystice in his quae in iohanne gesta sunt, intelligentia amplior, ut propheta ipso conditionis suae genere prophetizaret, quia in eo forma legis lata est: Christum enim lex annuntiavit, et remissionem peccatorum praedicavit, et regnum caelorum spondit; et loannes totum hoc opus legis explevit. igitur, cessante iam lege (quae peccatis plebis inclusa, ne Christus posset intelligi, quasi vinculis et quasi carcere continebatur)., ad evangelia contuenda lex mittit, ut infidelitas fidem ditorum contempletur in factis.

Ambrosius super lucam. et fortasse isti discipuli quos misit, sunt duo populi: unus qui ex iudaeis credit, alter qui ex gentibus.

MATTHAEUS 11, 7-10

Chrysostomus in Matth. quantum ad discipulos iohannis, satis actum erat: certificati enim de Christo per signa quae viderant, recesserunt. Sed oportebat etiam turbas sanari, quae ex interrogatione discipulorum iohannis multa inconvenientia subintellexerint, ignorantes mittentis consilium. poterant utique dicere: qui tanta testatus est de Christo, aliter persuasus est nunc et dubitat utrum sit ipse. Numquid ergo altercans ad iesum hoc dicit? numquid timidior a carcere factus? numquid vane et inaniter priora dixit? .

Hilarius in Matth. Ac ne illud quod immediate praemiserat, referri posset ad iohannem, tamquam scandalizatus esset de Christo, subditur illis autem abeuntibus, coepit iesus dicere ad turbas de iohanne.

Chrysostomus in Matth. propter hoc autem abeuntibus eis, ut non videatur homini adulari. Corrigenis autem et plebem, non ducit in medium suspicionem eorum, sed solutionem cogitationum eorum inducit, quae eos in dubitationem mittebant, demonstrans se nosse occulta. Neque enim dixit sicut iudaeis: quis cogitatis mala? etsi mala cogitaverint; non tamen ex malitia, sed ex ignorantia; unde non loquitur eis dure, sed respondet pro iohanne, ostendens quod non excidit a priore opinione. Hoc autem docet, non solum proprio verbo, sed eorum testimonio; non tantum per ea quae dixerunt, sed per ea quae egerunt: ideoque ait quid existis in desertum videre? ac si diceret: propter quid civitates dimittentes convenistis in desertum? non enim plebs tanta cum tanto desiderio in eremum venisset, nisi magnum quemdam et mirabilem et petra solidiorem se videre existimans.

Glossa. Non autem tunc exierant in desertum ad hoc ut viderent iohannem: nec enim erat tunc in deserto, sed in carcere: sed praeteritum refert, quia frequenter exierat populus in desertum videre iohannem, cum adhuc esset in deserto.

Chrysostomus in Matth. Et vide quia, omnem aliam malitiam praetermittens, removet a iohanne levitatem, de qua turbae dubitabant, dicens arundinem vento agitatam? **Gregorius** in Evang. quod videlicet non asserendo, sed negando intulit. Arundinem quippe, mox ut aura contingit, in partem flectit; per quam carnalis animus designatur, qui mox ut favore et detractone tangitur, in partem quamlibet declinatur. Arundo ergo vento agitata iohannes non erat, quem a status sui rectitudine nulla rerum varietas inflectebat. ac si dominus diceret .

Hieronymus: numquid ob hoc existis in desertum ut videretis hominem calamo similem, qui omni vento circumfertur, et levitate mentis de eo ambigeret quem antea praedicaret? an forsitan stimulis invidiae contra me cogitur, et praedicatio eius vanam sectatur gloriam, ut ex ea quaerat lucra? cur divitias cupiat? ut affluat dapibus? locustis vescitur et melle silvestri. An ut mollibus vestiatur? pili camelorum sunt tegmen eius; et ideo subdit sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? .

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. quod non sit iohannes similis calamo mobili per vestrum studium significastis, scilicet in desertum exeuntes. Non tamen potest aliquis dicere, quod iohannes quidem constans erat, sed postea lasciviae serviens factus est mobilis: sicut enim aliquis est iracundus natura, alius per infirmitatem longam, ita aliqui sunt mobiles per naturam, alii vero lasciviae serviendo mobiles fiunt. iohannes autem neque natura mobilis erat; propter quod dixerat num existis videre arundinem vento agitatam? neque lasciviae dans se ipsum, perdidit quam habebat excellentiam: quod enim non servierit lasciviae, monstrat stola, solitudo et carcer. si enim vellet mollibus vestiri, non eremum inhabitasset, sed regum palatia: unde sequitur ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt.

Hieronymus. ex hoc ostenditur rigidam vitam et austeram praedicationem vitare debere aulas regum, et mollium hominum palatia declinare. **Gregorius** in Evang. nemo autem existimet in luxu atque studio pretiosarum vestium peccata deesse: quia si hoc culpa non esset, nullo modo iohannem dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. Et nequaquam petrus feminas a pretiosarum vestium appetitu compesceret, dicens: non in veste pretiosa.

Augustinus de doctr. Christ. cum in omnibus talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. quisquis enim rebus restrictius utitur quam se habent mores eorum cum quibus vivit, aut temperans, aut superstitiosus est. quisquis vero sic utitur, ut metas consuetudinis bonorum inter quos versatur excedat, aut aliquid significat, aut flagitiosus est.

Chrysostomus in Matth. a loco autem et vestimentis, et a concursu hominum, eius moribus designatis, inducit iam et prophetam eum esse, dicens sed quid existis videre? prophetam? dico vobis etiam plus quam prophetam.

Gregorius in Evang. Prophetae enim ministerium est ventura praedicere, non etiam demonstrare. iohannes

ergo plusquam propheta est: quia eum quem praecurrendo prophetaverat, etiam ostendendo nuntiabat.

Hieronymus. In quo etiam ceteris prophetis maior est, et quia ad privilegium prophetale etiam baptismi accessit praemium, ut suum dominum baptizaret.

Chrysostomus. Deinde monstrat secundum quid est maior, dicens hic est enim de quo scriptum est: ecce mitto angelum meum ante faciem tuam.

Hieronymus. Ut enim meritorum ioannis augmentum faceret, de malachia testimonium infert, in quo etiam angelus praedicatur. Angelum autem hic dici ioannem non putemus naturae societate, sed officii dignitate; idest nuntium qui venturum dominum nuntiavit.

Gregorius in Evang. Qui enim graece angelus, hic latine nuntius dicitur. Recte ergo qui nuntiare supernum nuntium venerat, angelus vocatur, ut dignitatem servet in nomine, quam explet in operatione.

Chrysostomus. monstrat igitur secundum quid est maior ioannes prophetis, secundum id scilicet quod est prope Christum: et ideo dicit mitto ante faciem tuam, hoc est prope te: sicut enim qui prope currum regis incedunt, aliis sunt clariores, ita et ioannes prope christi praesentiam.

Glossa. Deinde alii prophetae missi sunt ut adventum christi annuntiarent; iste autem, ut praepararet viam ipsius: unde sequitur qui praeparabit viam tuam ante te: idest, pervia reddet tibi corda auditorum, poenitentiam praedicando et baptizando.

Hilarius in Matth. mystice autem desertum spiritu sancto vacuum est sentiendum, in quo habitatio Dei nulla sit; in arundine homo talis ostenditur de gloria saeculi vitae suae inanitate speciosus, in se autem fructu veritatis cavus, exterior placens, et nullus interior, ad omnem ventorum motum, idest, immundorum spirituum flatum, movendus, neque ad consistendi firmitatem valens, et animae medullis inanis. Veste autem, corpus quo induitur anima signatur, quod luxu ac lasciviis mollescit. In regibus transgressorum angelorum nuncupatio est: hi enim saeculi sunt potentes, mundi que dominantes. Ergo vestiti mollibus in domibus regum sunt; idest illos quibus per luxum fluida et dissoluta sunt corpora, patet esse daemonum habitationem.

Gregorius in Evang. ioannes etiam mollibus vestitus non fuit, quia vitam peccantium non blandimentis fovit, sed rigore asperae invectionis increpavit, dicens: genimina viperarum, etc.

MATTHAEUS 11,11

4111 (Mt 11,11)

Chrysostomus in Matth. praemissa commendatione ioannis ex prophetae testimonio, non hic stetit, sed iam sententiam propriam de ipso inducit, dicens amen dico vobis, non surrexit maior inter natos mulierum ioanne baptista.

Rabanus. Ac si diceret: quid dicere per singula de commendatione ioannis? amen dico vobis, inter natos mulierum, etc. inter natos, inquit, mulierum, non virginum: mulieres enim proprie corruptae vocantur. Si autem maria aliquando mulier in evangelio nuncupatur, sciendum est, interpretem, mulierem pro femina posuisse, sicut ibi: mulier, ecce filius tuus.

Hieronymus. His ergo praefertur hominibus qui de mulieribus nati sunt et de concubitu viri, et non ei qui natus est ex virgine et spiritu sancto; quamvis in eo quod dicit non surrexit inter natos mulierum maior ioanne baptista, non ceteris prophetis et patriarchis cunctisque hominibus ioannem praetulit, sed ioanni ceteros exaequavit: non enim statim sequitur ut si alii maiores eo non sunt, ille maior aliorum sit.

Chrysostomus super Matth. sed tanta cum sit iustitiae altitudo ut in illa nemo possit esse perfectus nisi solus Deus, puto quia omnes sancti quantum ad subtilitatem divini iudicii invicem sibi inferiores sunt aut priores. Ex quo intelligimus quoniam qui maiorem se non habet, maior omnibus est.

Chrysostomus in Matth. Ne autem rursus superabundantia laudum pariat aliquod inconveniens iudaeis ioannem praeferebantibus Christo, convenienter hoc removet dicens qui autem minor est in regno caelorum

hic maior est illo.

Augustinus contra advers. Legis et prophet. Argumentatur autem ex hoc haereticus ita, velut ratiocinando, tamquam iohannes non pertineat ad regnum caelorum, et ob hoc multo minus ceteri prophetae illius populi, quibus maior est iohannes. Haec autem verba domini duobus modis possunt intelligi: aut enim regnum caelorum appellavit hoc quod nondum accepimus, de quo in fine dicturus est: venite, benedicti patris mei, percipite regnum; et quia ibi sunt angeli, quilibet in eis minor maior est quolibet iusto portante corpus quod corrumpitur. Aut si regnum caelorum intelligi voluit ecclesiam, cuius filii sunt ab institutione generis humani usque nunc omnes iusti, dominus seipsum signavit: qui nascendi tempore minor erat iohanne, maior autem divinitatis aeternitate et dominica potestate. Proinde secundum priorem expositionem, ita distinguitur: qui minor est in regno caelorum, ac deinde subinfertur maior est illo. Secundum hanc autem posteriorem, ita: qui autem minor est, ac deinde subinfertur in regno caelorum maior est illo.

Chrysostomus in Matth. Dicit autem in regno caelorum, idest in spiritualibus, et universis quae sunt secundum caelum. Quidam autem dicunt quoniam de apostolis hoc dixit Christus.

Hieronymus. Nos autem simpliciter intelligamus, quia omnis sanctus qui iam cum domino est, sit maior illo qui adhuc consistit in praelio: aliud est enim victoriae coronam possidere, aliud adhuc in acie dimicare.

MATTHAEUS 11,12-15

4112 (Mt 11,12-15)

Glossa. Quia dixerat superius: qui minor est in regno caelorum, est maior iohanne, ne videretur iohannes a regno caelorum esse alienus, hoc removet subdens a die autem iohannis baptistae usque nunc regnum caelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.

Gregorius in Evang. per regnum caelorum supernum solium signatur, quo cum peccatores quolibet facinore polluti ad poenitentiam redeunt, et semetipsos corrigunt, quasi praedatores in locum alienum intrant et violenter regnum caelorum rapiunt.

Hieronymus. si autem primus iohannes baptista poenitentiam populis nuntiavit dicens: poenitentiam agite, appropinquabit enim regnum caelorum, convenienter a diebus illius regnum caelorum vim patitur et violenti rapiunt illud. Grandis est enim violentia, in terra nos esse generatos, et caelorum sedem quaerere, et possidere per virtutem quae non tenuimus per naturam.

Hilarius in Matth. vel aliter. Dominus apostolos ire ad oves perditas israel iusserat; sed omnis haec praedicatio profectum publicanis et peccatoribus afferebat. Itaque vim regnum patitur, et violenti diripiunt: quia gloria israel patribus debita. Prophetis nuntiata, a Christo oblata, fide gentium occupatur et rapitur.

Chrysostomus in Matth. vel rapiunt regnum Dei per fidem christi omnes qui cum festinatione veniunt: unde dicit a diebus autem iohannis usque nunc; et ita impellit et festinare facit ad fidem suam, simul autem et his quae antea dicta sunt a iohanne opitulatur. Si enim usque ad iohannem omnia completa sunt, ipse est qui venturus est: unde subdit omnes enim prophetae et lex usque ad iohannem prophetaverunt.

Hieronymus. Non quod post iohannem excludat prophetas; legimus enim in actibus apostolorum et agabum prophetizasse et quatuor virgines filias philippi; sed quod lex et prophetae quos scriptos legimus, quicquid prophetizaverunt, de domino vaticinati sunt. Quando ergo dicitur usque ad iohannem prophetaverunt, christi tempus ostenditur; et quem illi dixerunt esse venturum, iohannes venisse ostendit.

Chrysostomus. Deinde aliam coniecturam sui adventus ponit, dicens et si vultis recipere, ipse est elias, qui venturus est. Dicit dominus in malachia: mittam vobis eliam thesbitem; et de isto dicit ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam.

Hieronymus. elias ergo iohannes dicitur, non secundum stultos philosophos, et quosdam haereticos, qui metempsychosin, idest animae ex uno in aliud corpus migrationem introducunt; sed quod, iuxta aliud testimonium evangelii, venerit in spiritu et virtute eliae, et eadem spiritus sancti vel gratiam habuerit vel mensuram. Sed et vitae austeritas rigorque mentis eliae et iohannis pares sunt: uterque in eremo, uterque zona pellicea cingebatur: ille, quoniam regem achab et iezabel impietatis arguit, fugere compulsus est; iste, quia herodis et herodiadis illicitas arguit nuptias, capite truncatur.

Chrysostomus in Matth. et bene dixit si vultis recipere, libertatem ostendens, et voluntariam expetens mentem. Est enim ille hic, et hic ille: quia praecursores facti sunt utrique.

Hieronymus. Hoc autem quod dictum est, ipse est elias, mysticum esse, et egere intelligentia, sequens domini sermo demonstrat, dicens qui habet aures audiendi audiat.

Remigius. Ac si diceret: qui habet aures cordis audiendi, idest intelligendi, intelligat: quia non dixit iohannem eliam esse in persona, sed in spiritu.

MATTHAEUS 11,16-19

4116 (Mt 11,16-19)

Hilarius in Matth. Totus hic sermo infidelitatis opprobrium est, et de affectu superioris querimoniae descendit: quia insolens plebs per diversa sermonum genera docta non fuerit.

Chrysostomus in Matth. Unde et interrogatione utitur, monstrans quoniam nihil quod deberet fieri ad salutem eorum, derelictum est, dicens cui autem similem aestimabo generationem istam? **Glossa.** quasi dicat: tantus est iohannes; sed vos nec sibi nec mihi voluistis credere: et ideo cui vos similes aestimabo? per generationem accipit communiter et iudaeos, et se cum iohanne.

Remigius. mox autem sibi ipsi respondet, subiungens similis est pueris sedentibus in foro, qui clamantes coaequalibus dicunt: cecinimus vobis, et non saltastis; lamentavimus, et non planxistis.

Hilarius in Matth. in pueris prophetae signantur, qui in simplicitate sensus, ut pueri, praedicaverunt, et in medio synagogae tamquam in publico fori conventu coarguunt, quod cantantibus sibi officio corporis non obsecundaverint, et quod dictis suis non paruerint: ad cantantium enim modum saltantium motus aptatur. prophetae enim ad confessionem psallendi Deo provocaverunt, ut cantico moysi tenetur, ut isaiae, ut David.

Hieronymus. dicunt ergo cecinimus vobis et non saltastis: idest, provocavimus vos ut ad nostrum canticum bona opera faceretis, et nolulistis. Lamentati sumus, et vos ad poenitentiam provocavimus; et nec hoc quidem facere voluistis, spernentes utramque praedicationem, tam exhortationis ad virtutes, quam poenitentiae post peccata.

Remigius. Quid est autem quod dicit coaequalibus? numquid infideles iudaei coaequales erant sanctis prophetis? sed hoc dicit, quoniam de una stirpe orti fuerunt.

Hieronymus. Pueri etiam sunt de quibus isaias loquitur: ecce ego et pueri mei quos dedit mihi dominus. isti ergo pueri sedent in foro, ubi multa venalia sunt, et dicunt .

Chrysostomus in Matth.: cecinimus vobis, et non saltastis; hoc est, remissam vitam ostendi, et non persuasi estis; lamentavimus, et non planxistis: hoc est, iohannes duram sustinuit vitam, et non attendistis. Non autem dicit ille illud et ego hoc, sed communiter: quia una intentio utriusque erat; unde sequitur venit enim iohannes neque manducans neque bibens; et dicunt: daemonium habet. Venit filius hominis, etc.

Augustinus contra faustum. vellem autem ut mihi manichaei dicerent quid manducabat et quid bibeat Christus, qui in comparatione iohannis non manducantis neque bibentis, hic se dixit manducantem ac bibentem. Non enim dictum est quod iohannes omnino non biberet; sed quod vinum et siceram non biberet: bibeat ergo aquam. Cibus autem eius non omnino nullus erat, sed locustae, et mel silvestre. Unde ergo dictus est non manducans neque bibens, nisi quia illo victu quo iudaei utebantur, non utebatur? hoc ergo dominus nisi uteretur, non in eius comparatione manducans bibensque diceretur. Mirum autem si non manducans dicitur qui locustas et mel comedit, et manducans dicitur qui pane et olere contentus est.

Chrysostomus. Dicit ergo venit iesus; ac si dicat: per contrariam viam venimus ego et iohannes et idem fecimus: sicut si venatores per duas contrarias vias aliquod animal insequantur, ut in alterum incidat. Universum autem hominum genus ieiunium et duram viam admiratur; et propter hoc dispensatum est a prima aetate ita nutriri iohannem, ut per hoc digna fide essent quae dicerentur ab ipso. Incessit siquidem dominus per hanc viam quando quadraginta diebus ieiunavit; sed tamen et aliter docuit quod sibi esset credendum; multo enim maius erat quod testaretur pro eo iohannes qui per hanc viam inceserat, quam quod ipse per hanc viam incederet. Aliter iohannes nihil plus ostendit praeter vitam et iustitiam; Christus

autem et a miraculis testimonium habebat. Dimittens ergo iohannem ieiunio fulgere, ipse contrariam incessit viam, ad mensam intrans publicanorum, et manducans et bibens.

Hieronymus. Si ergo ieiunium vobis placet, cur iohannes displicuit? si saturitas, cur filius hominis? quorum alterum daemonium habentem, alterum voracem et ebrium nuncupastis.

Chrysostomus. Qualem igitur iam excusationem accipient? propter hoc subdit et iustificata est sapientia a filiis suis: hoc est, etsi vos persuasi non estis, sed me iam incusare non habetis: quod et de patre ait propheta: ut iustificeris in sermonibus tuis: etsi enim nihil in vobis expleatur a procuracione Dei, quae est circa vos; omnia quae sunt ex parte sua, complet, ut inverecundis neque umbram relinquat ingratae dubitationis.

Hieronymus. Iustificata est ergo sapientia a filiis suis; idest, Dei dispensatio atque doctrina, vel ipse Christus, qui est Dei virtus et Dei sapientia, iuste fecisse, ab apostolis suis filiis comprobatus est.

Hilarius in Matth. Est autem ipsa sapientia non ex effectu, sed ex natura. Plures enim dictum apostolicum, quod ait: Christum Dei sapientiam et Dei virtutem, his modis solent eludere, quod in eo ex virgine creando efficax Dei sapientia et virtus extiterit. sed ne tale posset intelligi, ipsum se sapientiam nuncupavit, eam in se, non quae sunt eius ostendens. Non enim idem opus virtutis et virtus; et efficiens discernitur ab effectu.

Augustinus de quaest. Evang. Vel iustificata est sapientia a filiis suis: quia sancti apostoli intellexerunt regnum Dei non esse in esca et potu, sed in aequanimitate tolerandi; quos nec copia sublevat, nec deprimit egestas; unde et paulus dicebat: scio abundare et penuriam pati.

Hieronymus. in quibusdam libris legitur iustificata est sapientia ab operibus suis: sapientia namque non quaerit vocis testimonium, sed operum.

Chrysostomus in Matth. si autem exempla vilia sunt de pueris, non mireris: ad imbecillitatem enim audientium loquebatur: sicut Ezechiel multa dicit exempla iudaeis convenientia, Dei magnitudine indigna.

Hilarius. Mystice autem iudaeos nec iohannis praedicatio inflexit, quibus et lex gravis visa est, potibus cibisque praescriptis, et difficilis et molesta peccatum in se, quod daemonium nuncupat, habens: quia per observantiae difficultatem necesse eis esset in lege peccare: rursusque in Christo evangelii praedicatio vitae libertate non placuit, per quam difficultates legis et onera laxata sunt, et ad eam publicani peccatoresque crediderunt. Atque ita tot et tantis admonitionum generibus frustra habitis, nec per gratiam iustificantur, et a lege sunt abdicati: et iustificata est sapientia a filiis suis, ab his scilicet qui regnum caelorum fidei iustificatione diripiunt, confitentes iustum sapientiae opus, quod munus suum ad fideles a contumacibus transtulerit.

MATTHAEUS 11,20-24

4120 (Mt 11,20-24)

Glossa. Hucusque iudaeos communiter increpaverat; nunc autem quasi nominatim quasdam civitates increpat, quibus specialiter praedicaverat, nec tamen converti volebant: unde dicitur tunc coepit exprobrare civitatibus in quibus factae sunt plurimae virtutes eius, quia non egissent poenitentiam.

Hieronymus. Exprobratio enim civitatum corozaim et bethsaida et capharnaum, capituli huius titulo panditur, quod ideo exprobraverit eis, quia post factas virtutes et signa quamplurima, non egerint poenitentiam: unde subdit vae tibi, corozaim, vae tibi, bethsaida.

Chrysostomus in Matth. Ut autem non dicas a natura ipsos esse malos, ponit nomen civitatis, scilicet bethsaida, a qua quandoque processerunt apostoli; etenim philippus et duo binarii principalium apostolorum hinc fuerunt: scilicet petrus et andreas, iacobus et iohannes.

Hieronymus. sed per hoc quod dicit vae, hae urbes galilaeae a salvatore planguntur, quod post tanta signa atque virtutes non egerint poenitentiam.

Rabanus. Corozaim autem, quae interpretatur mysterium meum, et bethsaida, quae domus fructuum, vel domus venatorum dicitur, civitates sunt galilaeae sitae in littore maris galilaeae. plangit ergo dominus civitates quae quondam mysterium Dei tenuerunt, et virtutum iam fructum gignere debuerunt, et in quas

spiritalis venatores sunt missi.

Hieronimus. et praeferuntur eis tyrus et sidon urbes idololatriae et vitii deditae; et ideo sequitur quia si in tyro et sidone factae essent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent.

Gregorius moralium. in cilicio quidem asperitas, quae punctio peccatorum, in cinere autem pulvis ostenditur mortuorum: et idcirco utrumque hoc adhiberi ad poenitentiam solet, ut in punctione cilicii cognoscamus quid per culpam fecimus, et in favilla cineris perpendamus quid per iudicium facti sumus.

Rabanus. Tyrus autem et sidon sunt urbes phoenicis. Interpretatur autem tyrus angustia, et sidon venatio; et significat gentes quas venator diabolus in angustia peccatorum comprehendit, sed salvator iesus per evangelium absolvit.

Hieronimus. Quaerimus autem ubi scriptum sit quod in corozaim et bethsaida dominus signa fecerit. Supra legimus: et circuibat civitates omnes et vicos, curans omnem infirmitatem, et reliqua; inter ceteras ergo urbes et viculos existimandum est in corozaim et in bethsaida dominum signa fecisse.

Augustinus de bono persev. Non ergo verum est quod his temporibus et his locis evangelium eius praedicatum non est, in quibus tales omnes futuros esse praesciebat, quales multi in eius corporali praesentia fuerunt, qui in eum nec suscitatis ab eo mortuis credere voluerunt. ecce enim dominus attestatur quod tyrii et sidonii acturi essent magnae humilitatis poenitentiam, si in eis facta essent divinarum signa virtutum. Porro si etiam secundum facta quae facturi essent si viverent, mortui iudicantur; profecto quia fideles futuri erant isti, si eis cum tantis miraculis evangelium fuisset praedicatum, non sunt utique puniendi, et tamen in die iudicii punientur: sequitur enim verumtamen dico vobis, etc. Severius ergo punientur illi, isti remissius.

Hieronimus. Quod ideo est, quia tyrus et sidon naturalem tantum legem calcaverant: istae vero civitates post transgressionem naturalis legis et scriptae, etiam signa quae apud eos facta sunt, parvi duxerunt.

Rabanus. Impletum autem hodie videmus dictum salvatoris: quia scilicet corozaim et bethsaida praesente domino credere noluerunt; tyrus autem et sidon, postea evangelizantibus discipulis crediderunt.

Remigius. Capharnaum autem metropolis erat galilaeae, et insignis civitas illius provinciae: et ideo dominus specialiter mentionem illius facit, dicens et tu, capharnaum, numquid usque in caelum exaltaberis? usque ad infernum descendes.

Hieronimus. In altero exemplari reperimus: et tu, capharnaum, quae usque ad caelum exaltata es, usque ad inferna descendes; et est duplex intelligentia. vel ideo ad inferna descendes, quia contra praedicationem meam superbissime restitisti; vel ideo quia exaltata usque in caelum meo hospitio, et meis signis atque virtutibus tantum habens privilegium, maioribus plecteris suppliciiis, quod his quoque credere noluit.

Remigius. Non solum autem tyri et sidonis, sed ipsa sodomorum et gomorraeorum fuerunt levia peccata per comparisonem: et ideo sequitur quia si in sodomis factae essent virtutes quae factae sunt in te, forte mansissent usque in hunc diem.

Chrysostomus in Matth. In quo augetur eorum accusatio: etenim maxima malitiae demonstratio est, cum non solum his qui tunc erant, sed his qui unquam fuerant mali, apparent deteriores.

Hieronimus. In capharnaum autem, quae interpretatur villa pulcherrima, condemnatur ierusalem, cum dicitur per Ezechielem: iustificata est sodoma ex te.

Remigius. Ideo autem dominus, qui omnia novit, in hoc loco verbum dubitativum posuit, scilicet forte, ut demonstraret quia liberum arbitrium concessum est hominibus. sequitur verumtamen dico vobis, quia terrae sodomorum remissius erit in die iudicii quam vobis. Et sciendum est, quod nomine civitatis vel terrae, non aedificia vel domorum parietes dominus increpat, sed homines in eis commorantes; secundum speciem tropi, quae est metonymia, in qua per hoc quod continet id quod continetur ostenditur. Per hoc autem quod dicit remissius erit in die iudicii, aperte demonstrat quia diversa sunt supplicia in inferno, sicut et diversae sunt mansiones in regno caelorum.

Hieronimus. Quaerat autem prudens lector, et dicat: si tyrus et sidon et sodoma potuerunt agere poenitentiam ad praedicationem salvatoris, signorumque miracula, non sunt in culpa, quia non crediderunt; sed vitii silentium in eo est qui acturis poenitentiam noluit praedicare. Ad quod facilis et aperta est

responsio: ignorare nos iudicia Dei, et singularium eius dispensationum sacramenta nescire. Propositum fuerat domino iudaeae fines non excedere, ne iustam pharisaeis et sacerdotibus occasionem persecutionis daret: unde et apostolis praecepit: in viam gentium ne abieritis. Corozaim et bethsaida damnantur, quod praesente domino credere noluerunt; tyrus et sidon iustificantur, quod apostolis illius crediderunt. non quaeras tempora, cum credentium intuearis salutem.

Remigius. Solvitur autem et aliter. Fortassis erant plurimi in corozaim et bethsaida qui credituri erant; et erant multi in tyro et sidone qui non erant credituri; et ideo non erant digni evangelio. dominus ergo ideo habitatoribus corozaim et bethsaidae praedicavit, ut illi qui credituri erant, crederent; et habitatoribus tyri et sidonis praedicare noluit, ne forte illi qui non erant credituri, contemptu evangelii deteriores facti atrocius punirentur.

Augustinus de bono persev. quidam autem disputator catholicus non ignobilis hunc evangelii locum sic exposuit ut diceret, praescisse dominum tyrios et sidonios a fide fuisse postea recessuros, cum factis apud se miraculis credidissent; et misericordia potius non eum illic ista fecisse, quoniam graviori poenae obnoxii fierent, si fidem quam tenuerant reliquissent, quam si eam nullo tempore tenuissent. vel aliter. Praescivit profecto Deus beneficia sua, quibus nos liberare dignatur. haec autem est praedestinatio sanctorum, praescientia scilicet et praeparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur quicumque liberantur. Ceteri autem non nisi in massa perditionis iusto divino iudicio relinquuntur, ubi tyrii relictii sunt et sidonii, qui etiam credere poterant, si multa christi signa vidissent; sed quoniam ut crederent non eis erat datum, et unde crederent est negatum. Ex quo apparet habere quosdam in ipso ingenio divinum naturaliter munus intelligentiae, quo moveantur ad fidem, si congrua suis mentibus vel audiant verba vel signa conspiciant: et tamen si Dei altiore iudicio a perditionis massa non sunt gratiae praedestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur vel dicta divina vel facta, per quae possent credere, si audirent utique talia vel viderent. In eadem perditionis massa relictii sunt etiam iudaei, qui non potuerunt credere factis in conspectu suo tam magnis clarisque virtutibus. Cur enim non poterant credere, non tacuit evangelium dicens: dum autem tanta signa fecisset coram eis, non poterant credere, quia dixit isaias: excaecavi oculos illorum, et induravi cor eorum. Non erant ergo sic excaecati oculi nec sic induratum cor tyriorum et sidoniorum: quia credidissent, si qualia viderunt isti, signa vidissent. Sed nec illis profuit quod poterant credere quia praedestinati non erant, nec istis obfuisse quod non poterant credere, si ita praedestinati essent ut eos caecos dominus illuminaret, et induratis cor lapideum vellet auferre.

Augustinus de cons. Evang. hoc autem quod hic dicitur, etiam Lucas commemorat, continuatim cuidam sermoni domini etiam hoc ex ipsius ore coniungens; unde magis videtur ipse hoc ordine illa commemorare quo a domino dicta sunt; Matthaeus autem suae recordationis ordinem tenuisse. Aut illud quod Matthaeus ait tunc coepit exprobrare civitatibus, sic accipiendum putant ut punctum ipsum temporis voluisse credatur exprimere, in hoc quod est tunc; non autem ipsum tempus aliquanto latius quo hic multa gerebantur et dicebantur. Quisque ergo hoc credit, credat hoc esse bis dictum. cum enim apud unum evangelistam inveniantur quaedam quae bis dixerat dominus, sicut apud lucam de non tollenda pera in via; quid mirum si aliquid aliud bis dictum sigillatim a singulis dicitur eodem ordine quo dictum est? et ideo diversus ordo apparet in singulis: quia et tunc quando ille, et tunc quando iste commemorat, dictum est.

MATTHAEUS 11,25-26

4125 (Mt 11,25-26)

Chrysostomus super Matth. quia sciebat dominus multos de superiori quaestione dubituros, scilicet quod iudaei Christum non receperunt, quem gentilitas tam prona suscepit, respondet his cogitationibus eorum; et ideo dicit respondens iesus dixit: confiteor tibi, pater domine caeli et terrae.

Glossa. idest, qui facis caelos, et relinquis in terrenitate quos vis. Vel ad litteram.

Augustinus de verb. Dom. si Christus dixit confiteor, a quo longe est omne peccatum, confessio non est solius peccatoris, sed aliquando etiam laudatoris. confitemur ergo sive laudantes Deum, sive accusantes nosmetipsos. Dixit ergo confiteor tibi; idest, laudo te, non accuso me.

Hieronimus. Audiant ergo qui salvatorem non natum, sed creatum calumniantur, quod patrem suum vocet caeli et terrae dominum. Si enim et ipse creatura est, et creatura conditorem suum patrem appellare potest, stultum fuit non et sui, et caeli, et terrae dominum, vel patrem similiter appellare. Gratias autem agit, quod apostolis adventus sui aperuerit sacramenta, quae ignoraverunt scribae et pharisaei, qui sibi sapientes videntur et in conspectu suo prudentes: et ideo sequitur quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus,

et revelasti ea parvulis.

Augustinus de verb. Dom. Nomine sapientum et prudentum superbos intelligi posse ipse exposuit, cum ait revelasti ea parvulis: quid enim est parvulis, nisi humilibus? **Gregorius** moralium. quod enim non subiungit: revelasti ea stultis, sed parvulis, tumorem se damnasse innuit, non acumen.

Chrysostomus in Matth. Vel dicens sapientes, non veram sapientiam dicit, sed eam quam videbantur scribae et pharisaei ab eloquentia habere. Propter hoc neque dixit: revelasti ea stultis, sed parvulis, idest informibus aut rusticis; in quo erudit nos per omnia ab elatione erui, humilitatem autem zelare.

Hilarius in Matth. Caelestium ergo verborum arcana atque virtutes sapientibus absconduntur, et parvulis revelantur; parvulis malitia, non sensu; sapientibus vero stultitiae suae praesumptione, non sapientiae causa.

Chrysostomus in Matth. revelatum autem esse his, dignum est laetitia; occultari autem his, non laetitia, sed lacrymis dignum est. Non ergo propter hoc laetatur, sed quoniam quae sapientes non cognoverunt, cognoverunt hi.

Hilarius. Facti autem huius aequitatem dominus paternae voluntatis iudicio confirmat; ut qui indignantur parvuli in Deo fieri, stulti deinceps in sapientia sua fiant: et ideo subditur ita, pater, quoniam sic placitum fuit ante te.

Gregorius moralium. quibus verbis exempla humilitatis accipimus, ne temere discutere superna consilia de aliorum vocatione, aliorum vero repulsione praesumamus: ostendens quod iniustum esse non potest quod placuit iusto.

Hieronymus. In his etiam verbis blandientis affectu loquitur ad patrem, ut coeptum in apostolis compleatur beneficium.

Chrysostomus in Matth. Haec autem quae dominus discipulis dixit, studiosiores eos fecerunt: quia enim consequens erat eos de se magna sapere, quia daemones abigebant, ideo hic eos reprimit: revelatio enim erat quod eis factum est, non illorum studium; ideoque scribae, sapientes et prudentes existimantes se esse, exciderunt propter proprium tumorem; unde si propter hoc ab eis abscondita sunt Dei mysteria: timete, dicit, et vos, et manete parvuli: hoc enim fecit vos revelatione potiri. sicut autem cum paulus dicit: tradidit illos Deus in reprobum sensum, non hoc dicit inducens Deum hoc agentem, sed illos qui causam tribuerunt, ita et hic abscondisti haec a sapientibus et prudentibus. et propter quid abscondita sunt ab illis? audi paulum dicentem quoniam quaerentes propriam iustitiam statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti.

MATTHAEUS 11,27

4127 (Mt 11,27)

Chrysostomus in Matth. quia dixerat: confiteor tibi, pater, quoniam abscondisti haec a sapientibus, ut non existimes quoniam ita gratias agit patri, sicut si ipse sit hac virtute privatus, consequenter adiungit omnia mihi tradita sunt a patre meo. Cum autem audieris quoniam tradita sunt, nihil humanum suspiceris: ut enim non duos deos ingenitos esse aestimes, hanc ponit dictionem. simul enim cum genitus est, omnium dominator fuit.

Hieronymus. Alioquin si iuxta nostram fragilitatem sentire volumus, cum coeperit habere qui accepit, incipiet non habere qui dedit. Vel tradita sibi omnia, non caelum et terra et elementa intelligenda sunt, et cetera quae ipse fecit et condidit; sed hi qui per filium accessum habent ad patrem.

Hilarius. Vel hoc dixit ne quid in illo minus quam quod in Deo est, aestimaretur.

Augustinus contra maximum. nam si minus habet in potestate aliquid quam pater, non sunt eius omnia quae habet pater: gignendo enim dedit pater potentiam filio, sicut omnia, quae habet in substantia sua, gignendo dedit ei quem genuit de substantia sua.

Hilarius in Matth. deinde in mutua cognitione patris et filii dat intelligere non aliud in filio quam quod in patre extitisse: sequitur enim et nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius.

Chrysostomus in Matth. Ex eo enim quod solus patrem novit, latenter ostendit eiusdem se esse substantiae; ac si diceret: quid mirum est, si omnium sum dominator, cum aliquid aliud maius habeam, scilicet scire patrem, et eiusdem esse substantiae? .

Hilarius in Matth. eandem enim utriusque in mutua cognitione docet esse substantiam; cum qui filium cognosceret, patrem quoque cogniturus esset in filio, quia omnia ei a patre sunt tradita.

Chrysostomus super Matth. cum autem dicat neque patrem aliquis cognoscit nisi filius, hoc ait non quoniam eum omnes omnino ignorent, sed quoniam cognitione qua ipse eum novit, nullus eum scit; quod et de filio dicendum est. Neque etiam de ignoto quodam Deo hoc dixit, sicut marcion ait.

Augustinus de trin. denique propter substantiae inseparabilitatem sufficienter aliquando nominatur vel solus pater vel solus filius: nec inde separatur utriusque spiritus, qui proprie dicitur spiritus veritatis.

Hieronymus. Erubescat ergo eunomius haereticus tantam sibi notitiam patris et filii quantam ad alterutrum inter se habent, vindicans. quod si inde contendit, et suam consolatur insaniam, quia sequitur et cui voluerit filius revelare; aliud est naturae aequalitate nosse quod noveris, aliud revelantis dignatione.

Augustinus de trin. revelatur autem pater per filium, idest per verbum suum. Si enim hoc verbum quod nos proferimus temporale et transitorium, et seipsum ostendit, et illud de quo loquimur, quanto magis verbum Dei, per quod facta sunt omnia, quod ita ostendit patrem sicuti est pater, quia et ipsum ita est et hoc est quod pater? .

Augustinus de quaest. Evang. Cum autem diceret nemo novit filium nisi pater, non dixit: et cui voluerit pater filium revelare; sed cum diceret nemo novit patrem nisi filius, addidit et cui voluerit filius revelare: quod non ita intelligendum est quasi filius a nullo possit agnosci nisi a patre solo, pater autem non solum a filio, sed etiam ab eis quibus revelaverit filius: sic enim potius dictum est, ut intelligamus patrem et ipsum filium per filium revelari, quia ipse est mentis nostrae lumen; et quod postea intulit et cui voluerit filius revelare, non tantum patrem, sed etiam filium accipiamus: ad totum enim quod dixit, illatum est: verbo enim suo se pater declarat; verbum autem non solum id quod per verbum declaratur, sed etiam seipsum declarat.

Chrysostomus super Matth. si ergo patrem revelat, et seipsum revelat. Sed hoc quidem ut manifestum dimisit; illud autem posuit, quia scilicet poterat esse dubium. Per hoc etiam instruit quod adeo concordat patri quod non est possibile aliquem venire ad patrem nisi per filium: hoc enim maxime scandalizabat, quod videbatur Deo contrarius; et ideo per omnia hoc destruere studuit.

MATTHAEUS 11,28-30

4128 (Mt 11,28-30)

Chrysostomus in Matth. per ea quae dicta sunt, in desiderium sui discipulos constituerat, ostendens ineffabilem suam virtutem; nunc autem eos ad se vocat, dicens venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis.

Augustinus de verb. Dom. Quare enim omnes laboramus, nisi quia sumus homines mortales, lutea vasa portantes, quae faciunt invicem angustias? sed si angustiantur vasa carnis, dilatentur spatia caritatis. Ad quid ergo dicit venite ad me, omnes qui laboratis, nisi ut non laboretis? .

Hilarius in Matth. Legis etiam difficultatibus laborantes et peccatis saeculi oneratos ad se advocat.

Hieronymus. Gravia enim esse onera peccati, et zacharias propheta testatur iniquitatem dicens sedere super talentum plumbi. Et psalmista complevit: iniquitates meae aggravatae sunt super me.

Gregorius moralium. asperum etiam iugum et durum servitutis pondus est subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, appetere quidem transeuntia, sed cum transeuntibus nolle transire. Dum enim contra votum cuncta fugiunt, quae prius mentem ex desiderio adeptionis affligerant, post ex pavore amissionis premunt.

Chrysostomus in Matth. Non autem dicit: venite ille et ille; sed omnes qui in sollicitudinibus, qui in tristitiis, qui in peccatis estis; non ut expetam noxas, sed ut solvam peccata. Venite, non quoniam indigeo vestra

gloria, sed quia volo vestram salutem: unde dicit et ego reficiam vos; non dixit: salvabo solum; sed, quod multo amplius erat, reficiam vos; idest, in omni quiete constituam.

Rabanus. Non solum exonerabo, sed interna refectione saturabo.

Remigius. Venite, dicit, non pedibus, sed moribus; non corpore, sed fide. Iste namque est spiritualis accessus, quo quisque Deo appropinquat; et ideo sequitur tollite iugum meum super vos.

Rabanus. Iugum christi est evangelium christi, quod iudaeos et gentes in unitate fidei coniungit et sociat. Hoc autem super nos iubemur sumere, idest in honore habere, ne forte subtus ponentes, idest illud prave contemntes, lutulentis pedibus vitiorum conculcemus: unde subditur discite a me.

Augustinus de verb. Dom. non mundum fabricare, non in ipso mundo miracula facere; sed quia mitis sum et humilis corde. Magnus esse vis? a minimo incipe. Cogitas magnam fabricam constituere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Et quanto quisque vult superponere maius aedificium, tanto altius fodiat fundamentum. Quo autem perventurum est cacumen nostri aedificii? usque ad conspectum Dei.

Rabanus. Discendum ergo nobis est a salvatore nostro ut simus mites moribus et humiles mentibus: neminem laedamus, neminem contemnamus, et virtutes quas foris ostendimus in opere, intus teneamus in corde.

Chrysostomus in Matth. Et ideo incipiens divinas leges, ab humilitate incipit; et maximum praemium ponit, dicens et invenietis requiem animabus vestris. Hoc maximum est praemium: non enim alteri efficeris utilis solum, sed teipsum requiescere facis; et ante futura hanc tibi dat promissionem; in futuro autem perpetua gaudebis requie.

Chrysostomus. Et ne formidarent quia dixerat onus et iugum, subdit iugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Hilarius. Iugi autem suavis et levis oneris blandimenta proponit, ut credentibus eius boni scientiam praestet quod ipse solus novit in patre. **Gregorius** moralium. quid grave mentis nostrae cervicibus imponit qui vitare omne desiderium quod perturbat praecipit, qui declinare laboriosa mundi huius itinera monet? .

Hilarius in Matth. Et quid iugo ipso suavius, quid onere levius? probatiorem fieri, scelere abstinere, bonum velle, malum nolle, amare omnes, odisse nullum, aeterna consequi, praesentibus non capi, nolle inferre alteri quod sibi perpeti sit molestum.

Rabanus. Sed quomodo iugum christi suave, cum supra dicatur: arcta est via quae ducit ad vitam? sed quod angusto initio incipitur, processu temporis ineffabili dilectionis dulcedine dilatatur.

Augustinus de verb. Dom. item qui iugum domini intrepida cervice subierunt, tam difficilia pericula patiuntur, ut non a laboribus ad quietem, sed a quiete ad laborem vocari videantur. Sed profecto aderat spiritus sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renovaret de die in diem; et gustata requie spiritali in affluentia deliciarum Dei in spe futurae beatitudinis, omnia praesentia deliniret aspera, et omnia gravia relevaret. Secari et uri se homines patiuntur, ut dolores non aeterni, sed aliquanto diuturnioris ulceris, acriorum dolorum pretio redimantur. quibus tempestatibus vel poenis importuni sunt mercatores, ut divitias perituras acquirant? sed qui has non amant, eadem gravia patiuntur; qui vero amant, eadem quidem, sed non gravia patiuntur. omnia enim saeva et immania, prorsus facilia et prope nulla efficit amor; quanto ergo facilius ad veram beatitudinem caritas facit quod ad miseriam, quantum potuit, cupiditas fecit? .

Hieronimus. Quomodo etiam levius est lege evangelium, cum in lege homicidium et adulterium, in evangelio ira concupiscentiaque puniantur; in lege enim multa praecepta sunt, quae apostolus non posse compleri plenissime docet: in lege opera requiruntur; in evangelio voluntas quaeritur, quae etsi effectum non habuerit, tamen praemium non amittit. Evangelium ea praecipit quae possumus, ne scilicet concupiscamus: hoc in nostro arbitrio est; lex cum voluntatem non puniat, punit effectum, ne adulterium facias. Finge in persecutione aliquam virginem prostitutam: haec apud evangelium, quia voluntate non peccat, virgo suscipitur; in lege quasi corrupta repudiatur.

MATTHAEUS 12,1-8

Glossa. Narrata praedicatione cum miraculis unius anni ante quaestionem iohannis factis, transit ad ea quae facta sunt in alio anno, scilicet post mortem iohannis, quando iam in omnibus Christo contradicitur; unde dicitur in illo tempore abiit iesus per sata sabbato.

Augustinus de cons. Evang. Hoc autem quod hic sequitur, sine ulla repugnantiae quaestione commemoratur a marco et a luca; sed illi non dicunt in illo tempore: unde fortassis Matthaeus rei gestae hic ordinem tenuit; illi autem recordationis suae: nisi latius accipiatur quod dictum est, in illo tempore, idest quo haec multa et diversa gerebantur; unde concipitur ista omnia post mortem iohannis completa esse. Cum enim iohannes discipulos suos ad Christum misisset, creditur post paululum decollatus fuisse: unde cum dicitur in illo tempore, interminatum tempus ponere videtur.

Chrysostomus in Matth. Quare autem per sata sabbato eos ducebat qui omnia praescivit, nisi quia volebat solvere sabbatum? volebat quidem, sed non simpliciter; ideoque non sine causa id solvit, sed dans occasionem rationabilem, ut et legem cessare faciat, et legem non offendant: et ideo hic, ut iudaeos mitiget, naturae necessitatem praemittit; et hoc est quod dicitur discipuli autem eius esurientes coeperunt vellere spicas, et manducare. Quamvis in peccatis quae manifesta sunt, nulla sit excusatio: neque enim occidens, ad sui excusationem potest furorem praetendere, neque qui adulterat, concupiscentiam, sed nec ullam aliam causam, hic tamen famem inducens, discipulos ab omni accusatione liberat.

Hieronimus. Ut autem in alio evangelista legimus, propter nimiam importunitatem, nec vescendi quidem habebant locum; et ideo quasi homines esuriebant. quod autem segetum spicas manibus confricant, et in eisdem consolantur, vitae austerioris indicium est; non praeparatas epulas, sed simplicem cibum quaerentium.

Chrysostomus in Matth. Tu autem admirare discipulos, qui ita erant oppressi quod nullam corporalium habebant curam, sed contemnebant carnalem mensam; et fame oppugnabantur, nec tamen desistebant a Christo: nisi enim eos cogeret vehementer esuries, nequaquam hoc fecissent. Quid autem pharisaei ad hoc dicerent, subditur pharisaei autem videntes, dixerunt ei: ecce discipuli tui faciunt quod non licet facere sabbatis.

Augustinus de oper. Monach. De sabbato autem potius quam de furto discipulos domini iudaei calumniati sunt: quia populo israel per legem praeceptum est ut in agris suis furem nullum tenerent, nisi qui secum aliquid vellet auferre: nam qui nihil aliud attigisset quam id quod comedisset, liberum impunitumque abire sinerent.

Hieronimus. Nota vero quod primi apostoli salvatoris litteram sabbati destruunt adversus ebionitas, qui cum ceteros recipiant apostolos, paulum tamquam transgressorem legis repudiant. Deinde ad excusationem eorum subditur at ille dixit eis: non legistis quid fecerit David, quando esuriit? ad confutandam siquidem calumniam pharisaeorum, veteris recordatur historiae: quando David fugiens saulem, venit in nobe, et ab abimelech sacerdote susceptus postulavit cibos, qui cum panes laicos non haberet, dedit eis consecratos panes, quibus non licebat vesci nisi solis sacerdotibus et levitis: melius arbitratus de famis periculo homines liberare, quam Deo sacrificium offerre: hostia enim Deo placabilis est hominum salus. Opponit ergo dominus, et dicit: si et David sanctus est, et abimelech pontifex a vobis non reprehenditur, et legis utriusque mandatum probabili excusatione transgressi sunt, et famas in causa est, cur eandem famem non probatis in apostolis quam probatis in ceteris? quamquam et in hoc multa distantia sit. Isti spicas in sabbato manu confricant; illi panes comederunt leviticis, et ad sabbati solemnitatem accedebant neomeniarum dies, quibus requisitus in convivio fugit ex aula regia.

Chrysostomus in Matth. Excusans autem discipulos, David in medium adducit. Etenim multa prophetae huius erat gloria apud iudaeos. Nec potest responderi, quod David propheta erat: quia nec propter hoc ei licebat, sed sacerdotibus solis. Tanto autem magis discipulos ab accusatione liberat, quanto maior invenitur qui hoc fecit, sed etsi David propheta erat, non tamen qui cum ipso erant.

Hieronimus. Observa tamen, quod panes propositionis nec David nec pueri eius acceperunt, antequam mundos se a mulieribus esse responderint.

Chrysostomus in Matth. Sed dicet aliquis: quid est exemplum hoc ad id quod quaeritur? non enim David sabbatum transgressus est. Sed in hoc ostenditur christi sapientia, qui exemplum fert sabbatis maius. Neque enim est aequale transgredi sabbati diem, quod multoties factum est, et sacram illam tangere mensam, quod nulli fas erat. Deinde rursus et aliter solvit, principaliorum inducens solutionem, cum dicit aut non legistis in lege, quia sabbatis sacerdotes in templo sabbatum violant, et sine crimine sunt? .

Hieronymus. Ac si diceret: calumniamini discipulos meos cur sabbato spicas triverint, famis necessitate cogente, cum ipsi sabbatum violetis in templo immolantes victimas, caedentes tauros, holocausta super lignorum struem incendio concremant; et iuxta alterius evangelii fidem, circumciditis parvulos in sabbato, ut dum aliam legem servare cupitis, sabbatum destruatis. Numquam autem leges Dei sibi contrariae sunt; et prudenter, ubi discipuli sui argui poterant transgressionis, et abimelech et David dicit exempla sectantes; veram autem, et absque necessitatis obtentu, sabbati praevaricationem in ipsos refert qui calumniam fecerant.

Chrysostomus in Matth. Ne autem mihi dicas, quoniam afferre in medium alium peccantem, non est erui ab accusatione: cum enim non accusatur qui fecit, excusatio fit circa id, quod factum est. Verum hoc non sufficit, sed quod maius est dixit quod sine crimine sunt. vide autem quanta posuit. Locum, ubi dicit in templo; tempus, cum dicit sabbatis; legis remissionem, cum dicit violant, et non solum solvunt; et quod non solum liberantur a poena, sed a culpa liberati sunt: unde dicit sine crimine sunt. neque autem hoc secundum simile est priori quod dixerat de David; illud enim et semel factum est, et a David non sacerdote, et necessitatis causa fuit; hoc autem secundum singulo sabbato, et a sacerdotibus, et secundum legem. Et ideo non secundum veniam, ut in primo exemplo; sed secundum legem sunt discipuli ab accusatione liberati. Sed numquid discipuli sunt sacerdotes? immo sunt sacerdotibus maiores: ipse enim aderat, qui templi est dominus, qui veritas est, et non typus: et ideo subditur dico autem vobis, quia templo maior est hic.

Hieronymus. hic non pronomen, sed adverbium loci legendum est, quod maior templo sit locus qui dominum templi teneat.

Augustinus de quaest. Evang. notandum autem, unum exemplum datum esse regiae potestatis de David, alterum sacerdotalis, de his qui propter ministerium templi sabbata violant; ut multo minus ad ipsum evulsarum sabbato spicarum crimen pertineat, qui verus rex et verus sacerdos est.

Chrysostomus in Matth. deinde, quia grave audientibus videbatur esse quod dixerat, rursus convolat ad misericordiam, sermonem cum quadam vehementia inducens, cum dicit si autem sciretis quid est misericordiam volo, et non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes.

Hieronymus. Quid autem est misericordiam volo, et non sacrificium, supra diximus. Quod autem dicit nunquam condemnassetis innocentes, de apostolis intelligendum est; et est sensus: si misericordiam comprobastis abimelech, eo quod periclitantem fame David refocillavit, quare meos discipulos condemnatis? .

Chrysostomus in Matth. Vide autem rursus qualiter ad veniam ducens sermonem, discipulos rursus veniam superiores ostendit in hoc quod dicit eos innocentes; quod quidem supra et de sacerdotibus dixerat. Deinde et aliam causam dicit quare sunt innocentes, dicens dominus est filius hominis etiam sabbati.

Remigius. Filium autem hominis seipsum appellat; et est sensus: ille quem vos purum hominem putatis, Deus est omnium creaturarum dominus, et etiam sabbati; et ideo potest legem mutare pro sua voluntate, quia fecit eam.

Augustinus contra faustum. discipulos autem suos vellere spicas sabbato non prohibuit, ut inde convinceret et praesentes iudaeos et futuros manichaeos, qui herbam non evellunt, ne homicidium perpetrent.

Hilarius in Matth. Mystice autem in principio est contuendum, sermonem hunc ita coeptum esse: in illo tempore, quo scilicet Deo patri gratiam, data gentibus salute, confessus est. Ager autem mundus est, sabbatum otium est, seges crediturorum profectus in messem: ergo sabbato in agrum profectus in legis otio, domini progressus in hunc mundum est; esuries fames est salutis humanae.

Rabanus. Spicas vellunt dum singulos homines a terrena intentione retrahunt; fricant dum a concupiscentia carnis mentes exuunt; grana comedunt dum emendatos in corpus ecclesiae traiciunt.

Augustinus de quaest. Evang. nullus autem transit in corpus christi nisi carnalibus spoliatus fuerit indumentis, secundum illud apostoli: exuite vos veterem hominem.

Glossa. sabbato hoc agunt, scilicet spe quietis aeternae, ad quam alios invitant.

Rabanus. item ambulant per sata cum domino, qui in scripturarum meditatione delectantur; esuriunt dum

panem vitae, idest Dei amorem, in eis invenire desiderant; vellunt spicas et terunt dum testimonia discutiunt, donec inveniant quod latebat in littera; et hoc, sabbato, dum a turbis cogitationibus vacant.

Hilarius. pharisaei, qui penes se clavem caelorum esse existimabant, illicita agere discipulos arguunt; quos dominus factorum, in quibus sub rerum argumento prophetiae ratio continetur, admonuit; atque ut ostenderet omnium rerum efficaciam, speciem futuri operis continere, adiecit si autem sciretis quid est misericordiam volo: opus enim salutis nostrae non in sacrificio legis, sed in misericordia est; et lege cessante, in Dei bonitate salvamur. cuius rei donum si intellexissent, nunquam condemnassent innocentes, idest apostolos suos, quos insimulaturi erant transgressae legis invidia, cum sacrificiorum vetustate cessante, universis per eos misericordiae novitas subveniret.

MATTHAEUS 12,9-13

4209 (Mt 12,9-13)

Hieronymus. Quia destructionem sabbati, qua discipulos arguebant, probabili exemplo excusaverat, ipsum calumniari volunt: unde dicitur et cum inde transisset, venit in synagogam eorum.

Hilarius in Matth. Haec enim quae praemissa sunt, in campo dicta gesta que sunt, et post haec synagogam ingreditur.

Augustinus de cons. Evang. Posset autem putari eodem die factum et de spicis et de isto sanato, quoniam et sabbatum hic commemoratur; nisi Lucas aperuisset, alio sabbato factum fuisse. Proinde quod dicit Matthaeus et cum inde transisset venit in synagogam eorum, non quidem venit nisi cum inde transisset; sed post quot dies in synagogam eorum venerit posteaquam a segete illa transiit, an recte continuoque illuc ierit, non expressum est: ac per hoc locus datur narrationi lucae, qui dicit alio sabbato huiusmodi manum fuisse sanatum.

Hilarius. Ingresso autem synagogam, hominem aridae manus offerunt, interrogantes an curare sabbatis liceret, occasionem arguendi eum ex responsione quaerentes; unde sequitur et ecce homo manum habens aridam, et interrogabant eum dicentes: si licet sabbato curare? .

Chrysostomus in Matth. non autem interrogant ut addiscant, sed ut accusent eum: unde sequitur ut accusarent eum. Quamvis et ipsum opus sufficeret si accusare volebant; sed et per verba volebant captionem invenire, maiorem copiam argutionum sibi praeparantes.

Hieronymus. Et interrogant, utrum liceat curare sabbatis: ut si non curaverit, crudelitatis aut imbecillitatis; si curaverit, transgressionis vitio eum accusent.

Augustinus de cons. Evang. sed potest movere quomodo Matthaeus dixerit, quod ipsi interrogaverunt dominum si licet sabbato curare? cum Marcus et Lucas illos potius a domino interrogatos esse perhibeant: licet sabbato bene facere, an male? itaque intelligendum, quod illi prius interrogaverunt dominum si licet sabbato curare? deinde intelligens cogitationes eorum, aditum accusandi quaerentium, constituit in medio illum quem erat sanaturus, et interrogavit quae Marcus et Lucas eum interrogasse commemorant: et tunc illis tacentibus, proposuit similitudinem de ove, et conclusit quod licet sabbato benefacere; unde sequitur ipse autem dixit illis: quis erit ex vobis homo, qui habens ovem unam? etc.

Hieronymus. Ubi sic solvit propositam quaestionem, ut interrogantes avaritiae condemnaret. Si vos, inquit, in sabbato ovem et aliud quodlibet animal in foveam decidens eripere festinatis, non animali sed vestrae avaritiae consulentes, quanto magis ego hominem, qui multo melior est ove, debeo liberare? **Rabanus.** Competenti ergo exemplo solvit quaestionem eorum, ut eos ostendat sabbatum violare in opere cupiditatis, qui eum violare arguunt in opere caritatis; legem male interpretantes, qui dicunt in sabbato a bonis feriandum in quo a malis tantum feriandum est. Unde levitico: opus servile non facietis in eis, hoc est peccatum. Sic in aeterna requie a malis tantum feriabitur, non a bonis.

Augustinus de cons. Evang. proposita autem similitudine de ove, concludit, quod liceat sabbato benefacere, dicens itaque licet sabbatis benefacere.

Chrysostomus in Matth. Intende autem qualiter varias excusationes de solutione sabbati inducit. Sed quia iam insanabiliter aegrotabat, ad opus processit; unde sequitur tunc ait homini: extende manum tuam; et extendit, et restituta est sanitati sicut altera.

Hieronymus. in evangelio quo utuntur nazaraei et ebionitae (quod nuper in graecum de hebraico sermone transtulimus, et quod vocatur a plerisque Matthaei authenticum). homo iste qui aridam habet manum, caementarius scribitur, istiusmodi vocibus auxilium precans: coementarius eram manibus victum quaeritans; precor te, iesu, ut mihi restituas sanitatem, ne turpiter mendicem cibos.

Rabanus. sabbatis autem praecipue docet et operatur iesus, non solum propter spirituale sabbatum, sed etiam propter celebriorem populi conventum, quaerens salutem omnium.

Hilarius in Matth. Mystice autem post reditum de segete, ex qua iam apostoli fructus sationis acceperant, ad synagogam venit, iam illic messis suae opus paraturus: quia plures postmodum una cum apostolis extiterunt qui curabantur.

Hieronymus. Usque autem ad adventum domini salvatoris arida manus in synagoga iudaeorum fuit, et Dei opera non fiebant in ea; postquam autem ille venit in terras, reddita est in apostolis credentibus dextera, et operi pristino restituta.

Hilarius. Curatio autem omnis in verbo est: et manus sicut altera redditur: idest, similis ministerio apostolorum in officium dandae salutis efficitur; docetque pharisaeos aegre ferre non oportere operationem humanae salutis in apostolis, cum ipsis ad officii eiusdem ministerium manus sit reformanda, si credant.

Rabanus. vel aliter. Homo qui habebat manum aridam, humanum genus indicat, sterilitate boni operis arefactum per manum ad pomum extensam, quam sanavit manus innocens in cruce extensa. Et bene manus in synagoga erat arida; quia ubi maius donum scientiae, ibi gravius est inexcusabilis noxae periculum. Sananda autem manus arida iubetur extendi; quia infructuosae debilitas animae nullo melius ordine quam eleemosynarum largitate curatur. Habebat autem homo dexteram manum languidam, quia ab eleemosynis torpebat; sinistram sanam, quia suae utilitati intendebat. Sed veniente domino, dextera sanatur ut sinistra: quia quod congregaverat avide, modo distribuit caritative.

MATTHAEUS 12,14-21

4214 (Mt 12,14-21)

Hilarius in Matth. Invidia autem facti pharisaeos commovet: quia contuentes hominem in corpore, Deum in operibus non intelligebant; unde dicitur exeuntes autem pharisaei consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent.

Rabanus. Exeuntes dicit, quia eorum mens a domino aversa fuit. Consilium fecerunt quomodo vitam perderent, non quomodo ipsi vitam invenirent.

Hilarius. Sciensque eorum consilia secessit, ut a consiliis malignantium procul abesset; unde sequitur iesus autem sciens secessit inde.

Hieronymus. sciens, inquam, eorum insidias recessit, ut pharisaeis contra se occasionem impietatis auferret.

Remigius. Sive secessit inde quasi homo fugiens insidias suorum persequentium; sive quia non erat tempus neque locus patiendi; non enim capit perire prophetam extra ierusalem, sicut ipse dicit. Declinavit etiam dominus odio se persequentes, et pervenit illuc ubi invenit plurimos se per amorem diligentes; unde sequitur et secuti sunt eum multi. Quem pharisaei unanimi consilio perdere quaerunt, turba indocta unanimi dilectione sequitur: unde mox sui desiderii consequuntur effectum: nam sequitur et curavit eos omnes.

Hilarius in Matth. His autem quos curavit, silentium imperavit: unde sequitur et praecepit eis ne manifestum eum facerent: nam salus unicuique reddita, erat sibi ipsi testis. Sed iubendo silentium teneri, et gloriandi de se iactantiam declinat, et nihilominus cognitionem sui praestat in eo ipso, cum admonet de se taceri; quia observatio silentii ex re quae sit silenda proficiscitur.

Rabanus. in hoc etiam nos instruit, ne cum aliquid magni fecerimus, laudem foris quaeramus.

Remigius. Ideo etiam praecipit ut non manifestarent eum, ne persequentes ipsum deteriores fierent.

Chrysostomus in Matth. deinde ut non turberis in his quae fiunt insania inopinabili pharisaeorum, inducit prophetam hoc praedicentem; tanta erat enim prophetarum diligentia, ut neque hoc derelinquerent; sed et vias eius et transitus prophetizarent, et intentionem cum qua hoc faciebat; ut discas quoniam omnia a spiritu sancto loquebantur: si enim cogitationes hominum impossibile est scire, multo magis christi intentionem, nisi spiritus sanctus revelaret. sequitur ergo ut impleretur quod dictum est per isaiam prophetam dicentem: ecce puer meus quem elegi.

Remigius. dominus quidem iesus christus puer omnipotentis Dei dictus est, non secundum divinitatem, sed secundum assumptae carnis dispensationem: quia cooperante spiritu sancto carnem suscepit ex virgine absque macula peccati. Quidam libri habent: electus, quem elegi: electus enim fuit a Deo patre, idest praedestinatus, ut esset filius Dei proprius, non adoptivus.

Rabanus. quem elegi, dicit, ad opus quod nemo alius fecit, ut redimeret genus humanum, et pacificaret mundum cum Deo. sequitur dilectus meus, in quo bene complacuit animae meae: quia ipse solus est agnus sine macula peccati, de quo pater dicit: hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.

Remigius. Quod autem dicit animae meae, non ita intelligendum est quod Deus pater animam habeat; sed translative anima in Deum ascribitur, ut per eam demonstraretur Dei affectus. Nec mirum si anima translative in Deo dicitur, cum etiam cetera corporis membra ei ascribantur.

Chrysostomus in Matth. Hoc autem in principio propheta ponit, ut discas quia hoc quod hic dicitur, fuit secundum consilium patris: dilectus enim secundum consilium eius qui diligit facit. Sed iterum electus, non ut adversarius solvit legem, neque ut inimicus existens legislatori, sed ei concordans. Quia ergo dilectus est, ponam spiritum meum super eum.

Remigius. tunc etiam Deus pater posuit spiritum suum super eum, cum operante spiritu sancto suscepit carnem ex virgine, et mox ut homo factus est, plenitudinem spiritus sancti suscepit.

Hieronymus. Ponitur autem spiritus sanctus non super Dei verbum, sed super unigenitum, qui de sinu patris processit, scilicet super eum de quo dictum est ecce puer meus. Quid autem per ipsum facturus sit, subditur: et iudicium gentibus nuntiabit.

Augustinus de Civ. Dei. quia scilicet iudicium praenuntiavit futurum, quod gentibus erat occultum.

Chrysostomus. Deinde humilitatem eius manifestans, dicit non contendet; quia sicut illi placuit oblatum est, et manibus persequentium se ultro obtulit; neque clamabit: quia sicut agnus coram tondente se obmutuit; neque audiet aliquis in plateis vocem eius.

Hieronymus. lata enim est et spatiosa via quae ducit ad perditionem, et multi ingrediuntur per eam; qui multi non audiunt vocem salvatoris, quia non sunt in arcta via, sed in spatiosa.

Remigius. Platea namque graece, latine latitudo dicitur. In plateis ergo vocem eius nemo audivit: quia suis dilectoribus non delectabilia in hoc mundo promisit, sed aspera.

Chrysostomus in Matth. Volebat autem dominus per huiusmodi mansuetudinem curare iudaeos. sed licet isti renuerent, non tamen eis restitit, eos destruendo: unde et eius virtutem et illorum imbecillitatem propheta ostendens dicit: arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non extinguet.

Hieronymus. Qui peccatori non porrigit manum nec portat onus fratris sui, iste quassatum calamum confringit; et qui modicam scintillam fidei contemnit in parvulis, hic linum extinguit fumigans.

Augustinus de Civ. Dei. unde persecutores iudaeos, qui calamo quassato, perdita integritate, et lino fumanti, amisso lumine, comparati sunt, non contrivit, non extinxit: quia pepercit eis, quod nondum venerat eos iudicare, sed iudicari ab eis.

Augustinus de quaest. Evang. In lino etiam fumigante notandum est, quia deserto lumine facit putorem.

Hilarius. Vel in hoc quod dicit arundinem quassatam non confringet ostendit quod ita facile erat ei omnes eos frangere, sicut arundinem; et non simpliciter arundinem, sed iam contritam. In hoc autem quod dicit linum fumigans non extinguet, demonstrat et illorum furorem accensum, et virtutem christi potentem ad extinguendum huiusmodi furorem cum omni facultate: unde in hoc multa mansuetudo christi ostenditur.

Rabanus. Vel per hoc quod dicit, arundinem quae quassata est, non esse confractam, ostendit caduca et quassata gentium corpora non fuisse contrita, sed in salutem potius reservata. Per hoc autem quod dicit linum fumigans non extinguet, ostendit exiguitatem ignis iam tantum fumigantis in lino non extinctam, idest israel ex reliquiis veteris gratiae spiritum non ablatum, quia resumendi totius luminis in tempore poenitentiae sit facultas.

Rabanus. Vel e converso, arundinem quassatam vocat iudaeos, quod a vento agitados, et quasi ab invicem dissipatos, non statim dominus condemnavit, sed patienter supportavit; linum autem fumigans vocat populum de gentibus congregatum, qui, extincto naturalis legis ardore, fumi amarissimi et oculis noxii, tenebrosaeque caliginis involvebantur erroribus; quem non solum extinxit et redegit in cinerem, sed e contrario de parva scintilla et pene moriente maxima suscitavit incendia.

Chrysostomus in Matth. sed posset aliquis dicere: quid igitur? semper haec erunt; et feret usque in finem eos qui sic insidiantur et insaniunt? absit: sed cum sua omnia facta erunt tunc et illa operabitur. Et hoc signavit dicens donec eiciat ad victoriam iudicium; ac si dicat: cum ea quae ex se sunt, omnia compleverit, tunc perfectam ultionem inducet; tunc enim punientur cum claram fecerit suam victoriam, ut non relinquatur eis invereconda contradictionis occasio.

Hilarius in Matth. vel donec eiciat ad victoriam iudicium; sublata scilicet mortis potestate, iudicium et claritatis suae reditum introducat.

Rabanus. vel donec illud iudicium quod in eo agebatur, ad victoriam perveniret: quia postquam mortem resurgendo superavit, expulso principe huius mundi, victor ad regnum rediit in patris dextera sedens, donec ponat sub pedibus omnes inimicos suos.

Chrysostomus in Matth. sed non in hoc stabunt ea quae sunt dispensationis, ut solum puniantur qui non crediderunt; sed et orbem terrarum ad se trahet; unde sequitur et in nomine eius gentes sperabunt.

Augustinus de Civ. Dei. Hoc autem ultimum iam videmus impletum: et sic per hoc quod negari non potest, creditur et illud quod imprudenter a quibusdam negatur, novissimum iudicium, quod ponet in terra, cum venerit ipse de caelo. Quis enim speraret gentes in christi nomine speraturas, quando tenebatur, ligabatur, caedebatur, illudebatur et crucifigebatur; quando et ipsi discipuli spem perdididerant, quam in illo habere iam coeperant? quod tunc vix unus latro speravit in cruce, nunc sperant gentes longe lateque diffusae. Et ne in aeternum moriantur, ipsa in qua ille mortuus est cruce signantur. Nullus igitur dubitet per iesum Christum novissimum futurum esse iudicium.

Remigius. Sciendum est autem, quia non solum istius loci sensus, sed et multorum aliorum hoc testimonio confirmatur: nam quod dicit ecce puer meus, ad illum locum refertur ubi dixerat pater: hic est filius meus; quod vero ait ponam spiritum meum super eum, ad hoc refertur quod spiritus sanctus descendit super dominum baptizatum; quod autem subiungit iudicium gentibus nuntiabit, refertur ad id quod infra dicitur: cum sederit filius hominis in sede maiestatis suae; quod autem subdit non contendet neque clamabit, ad hoc refertur quod dominus pauca respondit principi sacerdotum et pilato, herodi vero nulla; quod vero dicitur arundinem quassatam non confringet, ad hoc pertinet quod dominus suos persecutores declinavit, ne fierent deteriores; quod vero dicit in nomine eius gentes sperabunt, ad hoc refertur quod ipse dixit: euntes docete omnes gentes.

MATTHAEUS 12,22-24

4222 (Mt 12,22-24)

Glossa. Confutaverat superius dominus pharisaeos christi miracula calumniantes ex hoc quod sabbatum solvere videbatur: sed quia maiori nequitia ipsa christi miracula divina virtute facta pervertebant, attribuentes ea immundo spiritui, ideo evangelista praemittit miraculum ex quo blasphemandi occasionem sumpserunt, dicens tunc oblatus est ei daemonium habens, caecus et mutus.

Remigius. Quod autem dicit tunc, ad superiora refertur, quando sanato homine qui habebat manum aridam, exivit de synagoga. Sive quod dicit tunc, potest referri ad latius atque prolixius tempus; ut sit sensus: tunc quando haec vel illa dicebantur vel gerebantur.

Chrysostomus in Matth. Miranda est autem nequitia daemonis. Utrumque ingressum oppilavit per quem

ille erat crediturus, scilicet et auditum et visum. sed Christus utrumque aperuit; unde sequitur et curavit eum ita ut loqueretur et videret.

Hieronymus. Tria autem signa simul in uno homine perpetrata sunt: caecus videt, mutus loquitur, possessus a daemone liberatur. Quod et tunc quidem carnaliter factum est; sed quotidie completur in conversione credentium: ut expulso daemone, primum fidei lumen aspiciant, deinde in laudes Dei tacentia prius ora laxentur.

Hilarius in Matth. non autem sine ratione cum turbas omnes curatas in communi dixisset, nunc seorsum daemonium habens, caecus et mutus offertur. oportebat enim ut postquam manus aridae homo oblatus est, qui in synagoga curabatur, in unius huiusmodi hominis forma gentium salus fieret; ut qui erat habitatio daemonii, et caecus et mutus, Deo capax pararetur, et Deum contineret in Christo, et christi opera Dei confessione laudaret.

Augustinus de quaest. Evang. daemonium enim habens, caecus et mutus est qui non credit, et subditus est diabolo qui non intelligit et non confitetur ipsam fidem, vel non dat laudem Deo.

Augustinus de cons. Evang. hoc autem non isto ordine, sed post multa alia Lucas commemorat; et mutum dicit tantum et non caecum. Sed non ex eo quod aliquid tacet, de alio dicere putandus est: ea enim sequentia et ipse contexit quae Matthaeus.

Hilarius. stupuerunt facti istius omnes turbae; sed pharisaeorum ingravescit invidia: unde sequitur et stupebant omnes turbae et dicebant: numquid iste est filius David? **Glossa.** Ob misericordiam et beneficia filium David praedicant.

Rabanus. turbis autem quae minus eruditae videbantur, domini semper facta mirantibus, illi contra vel negare hoc, vel quae negare nequiverant sinistra interpretatione pervertere laborabant; quasi haec non divinitatis, sed immundi spiritus opera fuissent, idest beelzebub, qui Deus erat accaron: unde sequitur pharisaei autem audientes dixerunt: hic non eicit daemones nisi in beelzebub principe daemoniorum.

Remigius. Beelzebub autem, ipse est beel et baal et beelphegor. Beel fuit pater nini regis assyriorum; baal dictus est, quia in excelso colebatur; beelphegor a loco, idest a monte phega; zebub servus fuit abimelech filii gedeonis, qui occisis septuaginta fratribus aedificavit templum baal, et constituit eum sacerdotem in ipso ad abigendas muscas quae ibi congregabantur propter nimium cruorem victimarum. zebub namque musca dicitur, beelzebub ergo vir muscarum interpretatur: unde propter spurcissimum ritum colendi, dicebant eum esse principem daemoniorum. nihil ergo sordidius invenientes quod domino obicerent, dicebant eum in beelzebub eicere daemonia. Et sciendum quod non est legendum per d vel t in fine, ut quaedam mendosa exemplaria habent, sed per b.

MATTHAEUS 12,25-26

4225 (Mt 12,25-26)

Hieronymus. Pharisaei opera Dei principi daemoniorum deputabant; quibus dominus non ad dicta, sed ad cogitata respondit, ut vel sic compellerentur credere potentiae eius qui cordis videbat occulta: unde dicitur iesus autem sciens cogitationes eorum, dixit eis.

Chrysostomus in Matth. Superius quidem et de hoc Christum accusaverant, quia in beelzebub eiceret daemonia; sed tunc quidem eos non increpavit, concedens eis et a pluribus signis cognoscere eius virtutem, et a doctrina discere eius magnitudinem. sed quia permanebant eadem dicentes, iam increpat eos, quamvis eorum accusatio valde irrationabilis esset. Invidia autem non quaerit quid dicat, sed solum ut dicat. Neque tamen Christus eos contempsit, sed respondet cum decenti mansuetudine, docens nos mites esse inimicis, et non turbari, etiam si talia dicant quae nos in nobis non recognoscimus, neque habent aliquam rationem. In quo etiam ostendit mendacia esse quae ab ipsis sunt dicta: neque enim est daemonium habentis, tantam ostendere mansuetudinem, et cogitationes scire. Et quia valde irrationabilis erat eorum suspicio, et multitudinem timebant, non audebant publicare christi accusationem, sed in menteolvebant: propter quod dicit sciens cogitationes eorum. Ipse autem accusationem quidem in respondendo non ponit, neque divulgat eorum nequitiam; solutionem autem inducit: studium enim eius erat prodesse peccantibus, non publicare. Non autem respondet eis a scripturis, quia non attenderent aliter exponentes; sed a communibus opinionibus: non enim ita exteriora praelia corrumpunt, sicut ea quae interiora: hoc enim

fit in corporibus, et in omnibus rebus; sed interim a magis cognitis exempla ducit, dicens omne regnum contra se divisum desolabitur. Nihil enim est in terra regno potentius; sed tamen per altercationem perit. Quid autem dicendum est de civitate, vel de domo? sive magnum sive parvum fuerit, contra seipsum pugnans perit.

Hilarius in Matth. unde domus, et civitatis eadem est hic ratio quae est regni: propter quod sequitur et omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit.

Hieronymus. quomodo enim concordia parvae res crescunt, sic discordia maximae dilabuntur.

Hilarius. sermo autem Dei dives est; et vel simpliciter intellectus, vel inspectus interior, ad omnem profectum est necessarius. relictis ergo his quae ad communem intelligentiam patent, causis interioribus immoremur. Responsurus enim dominus ad id quod de beelzebub dictum erat, in ipsos quibus respondebat, responsionis conditionem retorsit: lex enim a Deo est, et regni israel pollicitatio ex lege est: si regnum legis contra se dividitur, dissolvatur necesse est; et sic israel amisit legem, quando impletionem legis in Christo plebs legis impugnat. Sed civitas hic ierusalem indicatur, quae postquam in dominum suum furore plebis exarsit, et apostolos eius cum credentium turbis fugavit, post divisionem non stabit; atque ita (quod per hanc divisionem mox consecutum est). civitatis illius denuntiatur excidium. deinde assumit et si satanas satanam eicit, adversus se divisus est: quomodo ergo stabit regnum eius? .

Hieronymus. Ac si diceret: si satanas pugnat contra se, et daemon inimicus est daemoni, deberet iam mundi venire consummatio; nec habent in eo locum adversariae potestates, quarum inter se bellum, pax hominum est.

Glossa. necessaria ergo complexione eos arguit. Vel enim Christus in virtute Dei daemones eicit, vel in principe daemoniorum. si virtute Dei, frustra calumniatur; si in principe daemoniorum, regnum eius divisum est nec stabit: et ideo a regno eius recedant; quod innuit sibi eos elegisse, dum in se non credunt.

Chrysostomus in Matth. Vel sic: si divisus est, imbecillior factus est, et perit; si autem perit, qualiter potest alium proicere? .

Hilarius in Matth. Vel aliter. Si ad divisionem suam coactus est daemon, ut daemones perturbaret, hinc quoque aestimandum est plus in eo qui divisit, quam in his qui divisi sunt, esse virtutis; ergo regnum diaboli, divisione facta, a Christo est dissolutum.

Hieronymus. si autem putatis, o scribae et pharisaei, quod recessio daemonum obedientia sit in principem suum, ut homines ignorantes fraudulenta simulatione deludantur, quid potestis dicere de corporum sanitatibus quas dominus perpetravit? aliud est, si membrorum quoque debilitates, et spiritualium virtutum insignia daemonibus assignetis.

MATTHAEUS 12,27-28

4227 (Mt 12,27-28)

Chrysostomus in Matth. post primam solutionem, venit ad secundam prima manifestiorem, dicens et si ego in beelzebub eicio daemones, filii vestri in quo eiciunt? ideo ipsi iudices vestri erunt.

Hieronymus. Filios iudaeorum vel exorcistas gentis illius, ex more signat, vel apostolos ex eorum stirpe generatos. si exorcistas, qui ad invocationem Dei eiciebant daemones, coarctat pharisaeos interrogatione prudenti, ut confiteantur spiritus sancti esse opus eorum. Quod si expulsio, inquit, daemonum in filiis vestris, Deo, non daemonibus deputatur, quare in me idem opus non eandem habeat et causam? ergo ipsi vestri iudices erunt, non potestate, sed comparatione; dum illi expulsionem daemonum Deo assignant, vos principi daemoniorum. Sin autem et de apostolis dictum est (quod et magis intelligere debemus)., ipsi erunt iudices eorum: quia sedebunt in duodecim solis, iudicantes duodecim tribus israel.

Hilarius in Matth. Idcirco autem digne iudices sunt in eos constituti, quibus id dedisse Christus adversus daemones potestatis reperitur quod ipse est negatus habuisse.

Rabanus. Vel quia apostoli bene sibi conscii erant, nihil malae artis se ab eo didicisse.

Chrysostomus in Matth. non autem dixit: discipuli mei, neque apostoli, sed filii vestri: ut si quidem voluerint

reverti ad illorum dignitatem, multam hinc accipiant occasionem; si autem ingrati fuerint, neque inverecundam habeant excusationem. Eiciebant autem apostoli daemones, quia acceperant potestatem ab ipso, et tamen nihil eos incusabant: non enim rebus, sed personae christi adversabantur. Volens igitur monstrare quoniam invidiae erant quae dicebantur de ipso, apostolos in medium ducit. Rursus autem ad sui cognitionem inducit eos, demonstrans quoniam propriis adversantur bonis, et contrariantur suae salutis; cum deceret eos laetari, quod magna bona illis advenerat donaturus; unde sequitur si autem ego in spiritu Dei eicio daemones, igitur pervenit in vos regnum Dei. Per hoc autem demonstrat quod magnae virtutis opus est daemones eicere, et non cuiuslibet gratia. Et ob hoc quidem syllogizat dicens ergo pervenit in vos regnum Dei; ac si dicat: si hoc est, profecto filius Dei advenit. Hoc autem obumbrate dicit, ut non illis sit grave. Deinde ut illos alliciat, non dixit simpliciter pervenit regnum, sed in vos; quasi dicat: vobis veniunt bona: propter quid vestram impugnatam salutem? hoc enim est signum a prophetis traditum praesentiae filii Dei, tanta fieri potestate divina.

Hieronymus. regnum enim Dei seipsum signat, de quo in alio loco scriptum est: regnum Dei intra vos est; et: medius stat intra vos quem nescitis. Vel certe illud regnum quod et Ioannes et ipse dominus praedicaverant: poenitentiam agite: appropinquabit enim regnum caelorum. est et tertium regnum scripturae sanctae, quod auferetur a iudeis, et tradetur genti facienti fructus eius.

Hilarius in Matth. si ergo discipuli operantur per Christum, et ex spiritu Dei Christus operatur, adest regnum Dei iam in apostolos mediatoris officio transfusum. Diminutio etiam regni diaboli, est augmentatio regni Dei.

Augustinus de quaest. Evang. Unde potest etiam hic esse sensus: si ego in beelzebub eicio daemones, etiam secundum vestram sententiam pervenit in vos regnum Dei: quia regnum diaboli stare non potest, quem adversum se divisum fatemini. Regnum enim Dei nunc dixit quo damnantur impii, et a fidelibus de peccatis suis poenitentiam nunc agentibus decernuntur.

MATTHAEUS 12,29

4229 (Mt 12,29)

Chrysostomus in Matth. posita secunda solutione, inducit et tertiam, dicens aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis? quod enim non potest satanas satanam eicere, manifestum ex dictis est. Sed quoniam neque alius potest eum eicere nisi prius eum superaverit, omnibus est manifestum. Constituitur ergo quod et antea ex manifestiori abundantia: dicit enim: tantum absisto ab hoc quod utar diabolo coadiutore, quod praelier cum eo et ligem eum: et huiusmodi coniectura est quod vasa eius diripio. Et sic contrarium eius quod illi tentabant dicere, demonstrat. Illi enim volebant ostendere quod non propria virtute eicit daemones, ipse autem ostendit quod non solum daemones, sed et eorum principem ligavit: quod manifestum est ab his quae facta sunt. Qualiter enim principe non victo, hi qui subiacent daemones direpti sunt? hoc autem mihi prophetia videtur esse, quod dicitur: non enim solum daemones eicit, sed et errorem universi orbis terrarum abiget et machinationem diaboli dissolvit. et non dixit: rapiet, sed diripiet, ostendens quod hoc cum potestate fiat.

Hieronymus. Domus illius mundus est, in maligno positus, non creatoris dignitate, sed magnitudine delinquentis. Alligatus est fortis, et religatus in tartarum, et domini pede contritus. Non autem debemus esse securi: adversarius noster fortis victoris quoque vocibus comprobatur.

Chrysostomus in Matth. Fortem autem eum vocat, antiquam eius ostendens tyrannidem, quae ex nostra desidia orta est.

Augustinus de quaest. Evang. quos scilicet ipse tenebat, ne possent viribus suis ab illo se homines eruere, sed per gratiam Dei. Vasa eius dicit omnes infideles. Alligavit autem fortem, quia potestatem illi ademit impediendi voluntatem fidelium a sequendo Christo et obtinendo regno Dei.

Rabanus. Domum ergo eius diripuit; quia ereptos a diaboli laqueis eos quos suos esse praevidit, ecclesiae adunavit; vel quia omnes mundi partes apostolis et eorum successoribus convertendas distribuit. ostendit igitur per manifestam parabolam, dicens, quia non concordat in fallaci operatione cum daemonibus ut calumniabantur, sed virtute divinitatis homines a daemonibus liberavit.

MATTHAEUS 12,30

4230 (Mt 12,30)

Chrysostomus in Matth. posita tertia solutione, hic ponit quartam, dicens qui non est mecum, contra me est.

Hilarius in Matth. In quo ostendit longe a se esse ut aliquid a diabolo mutuatus sit potestatis; et ex hoc ingentis periculi res intelligitur male de eo opinari, cum quo non esse, idipsum est quod contra esse.

Hieronymus. Non tamen putet hoc quisquam de haereticis dictum et schismaticis; quamquam et ita ex superfluo posset intelligi; sed ex consequentibus textuque sermonis ad diabolum refertur, eo quod non possint opera salvatoris beelzebub operibus comparari. ille cupit animas hominum tenere captivas, dominus liberare; ille praedicat idola, hic unius Dei notitiam; ille trahit ad vitia, hic revocat ad virtutes. Quomodo ergo possunt inter se habere concordiam quorum opera sunt diversa? .

Chrysostomus in Matth. Qui ergo non mecum congregat, neque mecum est, non erit mihi comparandus, ut mecum daemones eiciat: sed magis desiderat quae mea sunt spargere. sed dic mihi: si oportuerit cum aliquo praeliari, qui non vult tibi auxiliari, hoc ipso non est adversum te? ipse etiam dominus alio loco dixit: qui non est adversum vos, pro vobis est. Sed non est contrarium hoc quod hic dicitur. hic enim loquitur de diabolo adversario existente, ibi autem de homine qui in parte erat cum eis, de quo dictum erat: vidimus quemdam in nomine tuo eicientem daemonia. Videtur autem iudaeos hic occulte insinuare, cum diabolo statuens eos: ipsi enim adversus eum erant, et spargebant quae ipse congregabat. Sed et decens est credere hoc de seipso dixisse: quia adversus diabolum erat, et quae illius sunt dispergebat.

MATTHAEUS 12,31-32

4231 (Mt 12,31-32)

Chrysostomus in Matth. quia dominus pharisaeis excusando respondebat, iam eos terret. Est enim hoc correctionis non parva pars, non solum excusando respondere, sed et comminari.

Hilarius in Matth. Pharisaeorum enim sententiam, et eorum qui ita cum his sentiunt, perversitatem severissima definitione condemnat; peccatorum omnium veniam promittens, et blasphemiae spiritus indulgentiam abnegans: ideo dico vobis: omne peccatum et blasphemia remittetur hominibus.

Remigius. Sciendum est tamen, quod non passim quibuscumque dimittuntur; sed illis qui pro suis reatibus dignam poenitentiam egerint. Destruitur autem his verbis error novatiani, qui dicebat, quod fideles post lapsum per poenitentiam non possunt surgere, neque peccatorum suorum veniam promereri; maxime illi qui in persecutione positi negabant. sequitur spiritus autem blasphemiae non remittetur.

Augustinus de verb. dom. Quid enim interest ad rem utrum dicatur spiritus blasphemiae non remittetur, an dicatur: qui blasphemaverit in spiritum sanctum, non ei remittetur, ut Lucas dicit, nisi forte quod eadem sententia apertius isto modo quam illo dicitur; et alium evangelistam non destruit alius, sed exponit? spiritus enim blasphemiae clause dictum est, quia non est expressum cuius spiritus; et ideo ad huiusmodi expositionem subditur et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei. Ideo post universalem commemorationem omnis blasphemiae, eminentius voluit exprimere blasphemiam quae dicitur contra filium hominis, quam in evangelio secundum iohannem valde gravem ostendit, ubi ait de spiritu sancto: ille arguet mundum de peccato, de iustitia, et de iudicio: de peccato quidem, quia non credunt in me. sequitur qui autem dixerit contra spiritum sanctum verbum, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro. non ergo hoc dicitur propterea quia in trinitate maior est filio spiritus sanctus: quod nullus unquam vel haereticus dixit.

Hilarius in Matth. Quid autem tam extra veniam est quam in Christo negare quod Dei est, et consistentem in eo paterni spiritus substantiam adimere, cum in spiritu Dei omne opus consummet, et in eo Deus sit mundum reconcilians sibi? .

Hieronymus. Vel ita locus iste est intelligendus. Qui verbum dixerit contra filium hominis, scandalizatus carne mea, et me hominem tantum arbitrans; talis opinio atque blasphemia, quamquam culpa non careat erroris, tamen habet veniam propter corporis vilitatem. Qui autem manifeste intelligens opera Dei, cum Dei virtutem negare non possit, eadem calumniatur stimulatus invidia, et Christum Dei verbum et opera spiritus

sancti dicit esse beelzebub, isti non remittitur neque in hoc saeculo, neque in futuro.

Augustinus de verb. Dom. Sed si hoc propterea dictum esset, profecto de omni blasphemia taceretur, et haec sola remissibilis videretur quae contra filium hominis dicitur, quasi cum homo solum putatur. Cum vero praemissum sit omne peccatum et blasphemia remitteretur hominibus, proculdubio et illa blasphemia quae contra patrem dicitur, ista generalitate concluditur; et tamen haec sola irremissibilis definitur quae dicitur contra spiritum sanctum. Numquidnam et pater formam servi accepit, quasi sit maior spiritus sanctus? quis etiam non convincitur dixisse verbum contra spiritum sanctum antequam christianus vel catholicus fieret? primo ipsi pagani, cum dicunt Christum magicis artibus fecisse miracula, nonne similes sunt his qui dixerunt eum in principe daemoniorum eiecisse daemonia? iudaei etiam, et quicumque haeretici qui spiritum sanctum confitentur, sed negant eum esse in corpore christi, quod est ecclesia catholica, similes sunt pharisaeis, qui negabant spiritum sanctum esse in Christo. Quidam etiam haeretici ipsum spiritum sanctum vel creaturam esse contendunt, sicut ariani, eunomiani et macedoniani; vel eum prorsus ita negant ut Deum negent esse trinitatem; sed solum patrem esse Deum asseverant; et ipsum aliquando vocari filium, aliquando spiritum sanctum, sicut sabelliani. Photiniani quoque patrem solum esse dicentes Deum, filium vero non nisi hominem, negant omnino tertiam esse personam spiritum sanctum. Manifestum est igitur, a paganis, iudaeis et haeticis blasphemari spiritum sanctum. Numquid ergo deserendi sunt, et sine ulla spe deputandi? quibus si non est dimissum verbum quod dixerunt contra spiritum sanctum, inaniter eis promittitur quod in baptismo sive in ecclesia remissionem accipiant peccatorum. Non enim dictum est: non remittetur ei in baptismo; sed neque in hoc saeculo neque in futuro: et sic illi soli aestimandi sunt ab huiusmodi gravissimi peccati reatu liberi qui ab infantia sunt catholici. Nonnullis autem videtur eos tantummodo peccare in spiritum sanctum qui lavacro regenerationis abluti in ecclesia, et accepto spiritu sancto, velut tanto postea dono salvatoris ingrati, mortifero aliquo peccato se immerserunt; qualia sunt vel adulteria, vel homicidia, vel ipsa discessio a nomine christiano, sive catholica ecclesia. sed iste sensus unde probari possit ignoro; cum et poenitentiae quorumcumque criminum locus in ecclesia non negetur, et ipsos haeticos ad hoc utique corripiendos dicat apostolus: ne forte det illis Deus poenitentiam ad cognoscendam veritatem. Postremo non ait dominus: qui fidelis catholicus dixerit verbum contra spiritum sanctum; sed qui dixerit, hoc est quicumque dixerit, non remittetur ei neque in hoc saeculo neque in futuro.

Augustinus de serm. dom. Vel aliter. Dicit iohannes apostolus: est peccatum ad mortem, non pro eo dico, ut roget quis. peccatum autem fratris ad mortem dico esse, cum post Dei agnitionem per gratiam domini nostri iesu christi quisquam oppugnat fraternitatem, aut adversus ipsam gratiam qua reconciliatus est Deo, invidentiae facibus agitur. Huius peccati tanta labes est ut deprecandi humilitatem subire non possit, etiam si peccatum suum mala conscientia et agnoscere et annuntiare cogatur. quam mentis affectionem propter peccati magnitudinem iam de damnatione aliquos habere credendum est: et hoc fortasse est peccare in spiritum sanctum; idest, per malitiam et invidiam, fraternam impugnare caritatem, post acceptam gratiam spiritus sancti; quod peccatum dominus neque hic, neque in futuro saeculo dimitti dicit. Unde quaeri potest utrum in spiritum sanctum iudaei peccaverint, quando dixerunt, quod in beelzebub principe daemoniorum dominus daemonia expellebat. Utrum enim hoc in ipsum dominum dictum accipiamus, quia de se dicit alio loco: si patremfamilias beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos eius? an quoniam de magna invidentia dixerant, ingrati tam praesentibus beneficiis, quamvis nondum christiani fuerint, tamen propter ipsam invidentiae magnitudinem in spiritum sanctum peccasse credendi sunt? non enim hoc colligitur de verbis domini. Videri tamen potest adhuc eos monuisse, ut accedant ad gratiam, et post acceptam gratiam non ita peccent ut nunc peccaverunt. Neque enim in filium hominis dixerunt verbum nequam; et potest eis dimitti, si conversi fuerint et ei crediderint. Si autem postquam spiritum sanctum acceperint, fraternitati invidere, et gratiam quam acceperunt, oppugnare voluerint, non eis dimittitur neque in hoc saeculo, neque in futuro. Nam si eos sic haberet condemnatos ut nulla spes reliqua illis esset, non adhuc monendo indicaret, cum addidit dicens aut facite arborem bonam, etc.

Augustinus in lib. retract. Hoc autem non confirmavi, quia hoc putare me dixi; sed tamen addendum fuit: si in hac tamen scelerata mentis perversitate finierit hanc vitam: quoniam de quocumque pessimo in hac vita constituto non est utique desperandum; nec pro illo imprudenter oratur de quo non desperatur.

Augustinus de verb. Dom. est autem magnum secretum huius quaestionis. lumen ergo expositionis a domino quaeratur. Dico autem caritati vestrae, forte in omnibus scripturis sanctis nulla maior quaestio, nulla difficilior invenitur. prius ergo ut advertatis admoneo, non dixisse dominum: omnis blasphemia spiritus non remittetur; neque dixisse: qui dixerit quodcumque verbum contra spiritum sanctum; sed qui dixerit verbum. Quapropter non est necesse ut omnem blasphemiam et omne verbum quod dicitur contra spiritum sanctum, remissionem quisquam existimet non habere; sed necesse est plane ut sit aliquod verbum quod si dicatur contra spiritum sanctum, nullam remissionem mereatur. Solent enim scripturae ita loqui, ut quando aliquid sic dicitur ut neque ex toto, neque ex parte dictum sit, non sit necesse ut ex toto fieri possit, ut ex parte non intelligatur: sicut cum dominus dixit iudaeis: si non venissem, et locutus eis non fuisset, peccatum non

haberent. Non enim ita dictum est ut sine ullo omnino peccato vellet intelligi futuros fuisse iudaeos; sed esse aliquod peccatum quod non haberent nisi Christus venisset. Quis autem sit iste modus contra spiritum sanctum, ordo postulat ut dicamus. Insinuat siquidem nobis in patre auctoritas, in filio nativitas, in spiritu sancto patris filiique communitas. Quod ergo commune est patri et filio et per hoc nos voluerunt habere communionem et inter nos et secum. caritas enim Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis, et quia peccatis alienabamur a possessione bonorum verorum, caritas operit multitudinem peccatorum. quod enim Christus in spiritu sancto peccata dimittat, hinc intelligi potest quod cum dixisset discipulis: accipite spiritum sanctum, continuo subiecit: si cui dimiseritis peccata, dimittentur illis. Primum itaque credentium beneficium est in spiritu sancto remissio peccatorum. Contra hoc donum gratuitum loquitur cor impenitens: ipsa ergo impenitentia est spiritus blasphemiae; quae non remittetur neque in hoc saeculo, neque in futuro. Contra enim spiritum sanctum, quo peccata dimittuntur, verbum valde malum, sive cogitatione sive lingua sua dicit qui secundum duritiam cordis sui et cor impenitens thesaurizat sibi iram in die irae. Haec omnino impenitentia non habet remissionem neque in hoc saeculo, neque in futuro: quia poenitentia impetrat remissionem in hoc saeculo, quae valeat in futuro. Sed ista impenitentia, quamdiu quisque in hac carne vivit, non potest iudicari: de nullo enim desperandum est quamdiu patientia Dei ad poenitentiam adducit. Quid enim, si isti quos in quocumque genere erroris notas et tamquam desperatissimos damnas, antequam istam vitam finiant, agant poenitentiam et inveniant veram vitam in futuro? haec autem blasphemia, quamvis prolixa, et pluribus verbis contexta sit, solet tamen scriptura etiam multa verba verbum appellare: neque enim unum verbum locutus est dominus cum propheta; et tamen legitur: verbum quod factum est ad illum, vel ad illum prophetam. Hic autem fortassis aliquis quaerat utrum tantummodo spiritus sanctus peccata dimittat, an et pater et filius. Respondemus, quia et pater et filius: ipse enim filius de patre dicit: dimittet vobis pater vester peccata vestra; et de se ait: filius hominis potestatem habet in terra dimittendi peccata. Cur ergo illa impenitentia quae numquam dimittitur, solum ad spiritus sancti blasphemiam dicitur pertinere? tamquam ille qui in hoc impenitentiae peccato fuerit obligatus, dono spiritus sancti resistere videatur, quod eo dono fiat remissio peccatorum. Sed peccata, quia praeter ecclesiam non dimittuntur, in eo spiritu dimitti oportebat quo in unum ecclesia congregatur. Remissio ergo peccatorum, quam tota trinitas facit, proprie ad spiritum sanctum dicitur pertinere: ipse enim est spiritus adoptionis filiorum, in quo clamamus: abba pater, ut ei possimus dicere: dimitte nobis debita nostra. et hinc cognoscimus, sicut dicit Ioannes, quoniam Christus manet in nobis, de spiritu sancto quem dedit nobis. ad ipsum etiam pertinet societas qua efficimur unum corpus unici filii Dei: quia quodammodo societas patris et filii est ipse spiritus sanctus. Quisquis ergo reus fuerit impenitentiae contra spiritum sanctum in quo unitas et societas communionis congregatur ecclesiae, numquam illi remittitur.

Chrysostomus in Matth. vel aliter secundum primam expositionem: iudaei quidem ignorabant Christum quis esset; spiritus autem sancti sufficiens acceperunt experimentum; etenim prophetae per eum locuti sunt. Quod ergo dicit hoc est: esto quia me offendistis propter carnem circumpositam; numquid et de spiritu sancto habetis dicere: quoniam ignoramus eum? propter hoc non ignoscibilis est vobis haec blasphemia, et hic et illic dabitis vindictam; quia enim daemones eicere et sanitates perficere spiritus sancti est: non ergo mihi contumelias infertis solum, sed spiritui sancto; ideoque vobis inevitabilis erit condemnatio et hic et illic. Etenim hominum hi quidem hic solum puniuntur, sicut qui indigni participaverunt mysteriis apud corinthios; hi autem illic solum, sicut dives in inferno; hi autem hic et illic, sicut et ipsi iudaei, qui et hic intolerabilia passi sunt, ierusalem capta, et ibi difficillimam sustinent poenam.

Rabanus. In hac autem auctoritate extinguitur haeresis origenis, qui asserit, post multa saecula omnes peccatores veniam consecuturos; quae refellitur per hoc quod dicitur, quod non remittetur neque in hoc saeculo, neque in futuro.

Gregorius in dialogo. datur enim intelligi quasdam culpas in hoc saeculo, quasdam vero in futuro relaxari: quod enim de uno negatur, de quibusdam conceditur. Sed tamen hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est; sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum curae rei familiaris, quae vix sine culpa vel ab ipsis agitur qui culpam qualiter debeant declinare sciunt; aut in non gravibus culpis error ignorantiae, quae etiam post mortem gravant, si nobis in hac vita adhuc positae minime fuerint relaxata. hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nil quisque purgationis obtinebit nisi qui hoc bonis actibus in hac vita positus ut obtineat, promeretur.

MATTHAEUS 12,33-35

4233 (Mt 12,33-35)

Chrysostomus in Matth. post priores redargutiones rursus eos aliter confundit. Hoc autem facit non ut

seipsum accusatione liberet (ad hoc enim sufficiebant priora)., sed eos corrigere volens: unde dicit aut facite arborem bonam et fructum eius bonum; aut facite arborem malam et fructum eius malum; ac si dicat: nullus vestrum dixit quod malum est aliquos a daemone liberare. Sed quia operibus non maledicebant, sed diabolum dicebant hoc operantem, demonstrat quod haec accusatio est praeter consequentiam rerum, et praeter communes conceptiones. Talia autem confingere est immensae verecundiae.

Hieronymus. constringit ergo eos syllogismo quem graeci vocant aphycton, nos inevitabilem possumus appellare: quia interrogatos hinc inde concludit et utroque cornu premit. Si, inquit, diabolus malus est, bona opera facere non potest; si autem bona sunt quae facta cernitis, sequitur ut non sit diabolus qui illa fecit; neque enim fieri potest ut ex malo bonum, aut ex bono oriatur malum.

Chrysostomus in Matth. Etenim arboris diiudicatio a fructu apparet, non fructus ab arbore: unde sequitur siquidem ex fructu arbor cognoscitur. Etsi enim arbor fructus est causa, sed tamen fructus arboris est demonstrativus. Vos autem contrarium facitis: in operibus enim nihil accusare habentes, contrariam de arbore fertis sententiam, me daemonicum appellantes.

Hilarius in Matth. Sic ergo in praesens iudaeos refellit: quia cum intelligerent christi opera ultra humanam esse virtutem, noluerunt tamen ea quae Dei sunt confiteri. Futuram vero omnem fidei perversitatem coarguit, eorum scilicet qui divinitatem et communionem paternae substantiae domino detrahentes, in diversa haeresum studia ceciderunt, neutrum facientes: nec inter gentes sub venia ignorationis habitantes, nec in veritatis cognitione versantes. Arborem se in corpore positum signat; quia per interiorum virtutis suae fecunditatem exeat ubertas omnis in fructus. Igitur arbor bona facienda cum fructibus bonis est, aut mala constituenda cum malis fructibus: non quia arbor mala possit constitui quae bona est, nec e converso; sed ut per hanc significantiam intelligeremus Christum tamquam inutilem relinquendum, aut tamquam bonorum fructuum utilitate retinendum. Ceterum medium se agere, et in Christum aliqua deferre, negare quae maxima sunt, venerari tamquam Deum, Dei communiione spoliare, blasphemia spiritus est: ut cum per admirationem tantorum operum Dei nomen detrahere non audeas, per malevolentiam mentis generositatem eius, abnegata paternae substantiae communiione, deturpes.

Augustinus de verb. Dom. vel in hoc admonuit nos dominus ut bonae arbores simus, ut bonos fructus producere possimus: ubi enim ait facite enim arborem bonam, et fructum eius bonum, est praeceptum salubre, cui obedientia est necessaria. Quod autem dicit facite arborem malam, et fructum eius malum, non praeceptum est ut faciatis, sed monitio ut caveatis: contra hos enim dixit qui putabant se cum mali essent, bona loqui posse, vel bona opera habere: hoc dominus dicit esse non posse. Prius enim est mutandus homo, ut opera mutantur: si enim manet homo in eo quod malus est, bona opera habere non potest; si manet in eo quod bonus est, mala opera habere non potest. Omnes ergo malas arbores Christus invenit; sed dedit potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine eius.

Chrysostomus in Matth. quia vero non pro seipso, sed pro spiritu sancto fecit sermonem, eos convenienter increpat dicens progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? hoc autem dixit et eos incusans, et eorum quae dicta sunt, demonstrationem ex ipsis praebens, quasi dicat: ecce vos cum sitis arbores malae, non potestis portare fructum bonum. Non ergo miror quod haec loquimini: etenim male nutriti estis a malis progenitoribus, et mentem malam habetis. Et vide, quod non dixit: qualiter potestis bona loqui, cum sitis mali? progenies autem viperarum eos dici, quia in progenitoribus gloriabantur; ut ergo excluderet eorum superbiam, separavit eos a cognatione abraham, attribuens eis progenitores similium morum.

Rabanus. Vel progenies viperarum, idest filios et imitatores diaboli, eos appellat: quia scienter bonis operibus detrahunt, quod diabolicum est; unde sequitur ex abundantia enim cordis os loquitur. Ille homo ex abundantia cordis loquitur qui non ignorat ex qua intentione verba promantur; quod apertius ostendere volens, subiungit bonus homo de bono thesauro profert bona, et malus homo de malo thesauro profert mala. Thesaurus cordis intentio est cogitationis, ex qua interius arbiter iudicat proventum operis, ut aliquando maiora minorem habeant mercedem, aliquando ob incuriam cordis tepidi, maiorum virtutum opera ostentantes, minora a domino praemia sortiantur.

Chrysostomus in Matth. ex his etiam demonstrat suam deitatem scientem cordis occulta: quoniam non verborum solum, sed etiam malarum cogitationum exsolvent vindictam. Est autem naturae continentia supereminens, inter nequitiae verba per os extra effundi. Quare cum audieris hominem male loquentem, multo ampliorem aestimes nequitiam quam verba demonstrant. Quod enim exterius dicitur, est supereffluentia eius quod intus est; in quo eos vehementer tetigit. Si enim quod dictum est ab eis, ita est malum, excogita radix verborum quam maligna est. Contingit autem hoc decenter; lingua enim confusa multoties non repente effundit nequitiam: cor autem nullum hominum habens testem, sine timore quaecumque vult parturit mala: Dei enim non multa cura est ei. Sed cum augetur multitudo malorum quae

intus sunt, quae interim occultabantur, extra per verba proveniunt: et ideo dicit ex abundantia cordis os loquitur; eo quod homo de thesauris cordis loquitur.

Hieronymus. In hoc autem quod dicit bonus homo de bono thesauro profert bona, etc., vel ipsos iudaeos Deum blasphemantes ostendit, de quali thesauro blasphemiam proferant. Vel cum superiori quaestione haeret sententia, quod quomodo non possit bonus homo proferre mala, nec malus bona, sic non possit Christus mala, nec diabolus bona opera facere.

MATTHAEUS 12,36-37

4236 (Mt 12,36-37)

Chrysostomus in Matth. post praemissa, eis dominus multum timorem incutit, ostendens quod ultimam dabunt vindictam qui talia deliquerunt: unde dicit dico enim vobis, quod omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.

Hieronymus. Et est sensus: si otiosum verbum, quod nequaquam aedificat audientes, non est absque periculo eius qui loquitur, et in die iudicii reddet unusquisque rationem sermonum suorum, quanto magis vos, qui opera sancti spiritus calumniimini, et dicitis me in beelzebub eicere daemonia, reddituri estis rationem calumniae vestrae? .

Chrysostomus in Matth. Non autem dixit: quod locuti estis vos, simul quidem omne hominum erudiens genus; simul autem minus onerosum faciens suum sermonem. Otiosum autem verbum est quod mendax est, quod calumniam habet. Quidam autem dicunt quoniam et vanum quale est quod risum movet inordinatum, vel turpe, vel inverecundum.

Gregorius in Evang. vel otiosum verbum est quod aut utilitate rectitudinis, aut ratione iustae necessitatis caret: quod scilicet sine utilitate et loquentis dicitur et audientis: si omissis seriis, de rebus frivolis loquamur, et fabulas narremus antiquas. Ceterum qui scurrilia replicat, et cachinnis ora dissolvit, et aliquid profert turpitudinis, hic non otiosi verbi, sed criminosi tenebitur reus.

Remigius. Ex superioribus autem verbis adhuc sequens dependet sententia, cum dicitur ex verbis enim tuis iustificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis. non est autem dubium quia unusquisque de verbis suis malis quae loquitur condemnabitur; verumtamen ex bonis verbis non iustificatur quis, nisi ex intimo corde et devota intentione ea proferat.

Chrysostomus in Matth. Vide autem quia non est onerosum hoc iudicium. Non ex quibus alius dixit de te, sed ex quibus ipse locutus es, sententiam iudex feret. non igitur accusatos timere oportet, sed accusantes: non enim illi coguntur accusare se pro his malis quae audierunt, sed hi pro his quae male dixerunt.

MATTHAEUS 12,38-40

4238 (Mt 12,38-40)

Chrysostomus in Matth. quia dominus superius multoties verbis inverecundam pharisaeorum obstruxerat linguam, rursus ad opera veniunt: quod admirans evangelista dicit tunc responderunt ei quidam de scribis et pharisaeis, dicentes: magister, volumus a te signum videre; tunc scilicet cum flecti oportebat, cum admirari, cum obstupescere; sed tunc a malitia non desistunt. Dicunt enim volumus a te signum videre, ut eum capiant.

Hieronymus. Sic signa postulant, quasi quae viderant signa non fuerint; sed in alio evangelista quid petant plenius explicatur: volumus a te signum videre de caelo; vel in morem eliae ignem de sublimi venire cupiebant; vel in similitudinem samuelis tempore aestivo contra naturam loci mugire tonitrua, coruscare fulgura, imbres ruere; quasi non possint et illa calumniari, et dicere ex occultis et variis aeris passionibus accidisse: nam qui calumniaris ea quae oculis vides, manu tenes, utilitate sentis; quid facturus esses in his quae de caelo veniunt? utique respondebis et magos in aegypto multa signa fecisse de caelo.

Chrysostomus in Matth. Verba autem eorum adulatione et ironia sunt plena. Et prius quidem conviciabantur, daemoniacum eum dicentes; nunc autem adulantur, vocantes eum magistrum. Propter hoc et dominus eos vehementer arguit: unde sequitur qui respondens ait illis: generatio mala et adultera signum

quaerit. Et quidem cum ei conviciabantur, mansuete eis respondebat; cum autem adulabantur, conviciose, demonstrans quod utraque passione erat superior: et neque conviciis in iram deducitur, neque ab adulatione mollitur. quod autem dicit, tale est. Quid mirum, si hoc in me facitis, qui ignotus sum vobis; cum in patrem, cuius tantam accepistis experientiam, hoc idem fecistis, derelicto eo, ad daemones currentes? propter hoc autem eos dicit generationem malam, quia ingrati semper facti sunt circa benefactores, et bene patientes deteriores fiunt; quod est ultimae malitiae.

Hieronymus. egregie autem dixit et adultera, quia dimiserat virum, et iuxta Ezechielem, multis se amatoribus copulavit.

Chrysostomus in Matth. Unde et monstrat se patri aequalem, si ei non credere generationem adulteram facit.

Rabanus. Deinde respondere incipit, non eis signum de caelo, quod indigni erant videre, sed de profundo inferni tribuens. discipulis autem suis signum de caelo dedit, quibus aeternam beatitudinis gloriam et prius in monte figuraliter et post veraciter in caelum superelevatus ostendit; unde sequitur et signum non dabitur ei, nisi signum ionae prophetae.

Chrysostomus in Matth. Quia non ut eos induceret signa faciebat (sciebat enim eos lapideos esse)., sed ut alios emendaret; aut quoniam non acciperent signum, quale est illud quod petebant: signum enim eis factum est quando per propriam poenam cognoverunt eius virtutem. Hoc igitur occulte insinuans dicit signum non dabitur ei; ac si diceret: multa beneficia demonstravi; nihil horum vos allexit ad venerandum meam virtutem, quam cognoscetis per poenam quando civitatem vestram in terram proiectam videbitis. Interim autem sermonem de resurrectione interponit, quem cognituri erant per ea quae postea erant passuri, dicens nisi signum ionae prophetae. Crux enim profecto credita non esset, nisi signa testantia habuisset. haec autem non credita, et resurrectio utique credita non esset. Propter hoc et signum hoc vocat, et figuram in medium fert, ut veritas credatur: unde sequitur sicut fuit ionas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus.

Rabanus. ostendit iudaeos ad instar ninivitarum criminosos, et nisi poeniterent, subversioni proximos. Sed sicut illis denuntiatur supplicium et demonstratur remedium, ita iudaei non debent desperare veniam, si saltem post christi resurrectionem egerint poenitentiam. Ionas enim, idest columba, vel dolens, signum est eius super quem descendit spiritus sanctus in specie columbae, et qui dolores nostros portavit. piscis qui ionam devoravit in pelago, significat mortem quam Christus passus est in mundo. Tribus diebus et noctibus fuit ille in ventre ceti, et iste in sepulchro; ille eiectus est in aridam, iste resurrexit in gloriam.

Augustinus de cons. Evang. quidam autem modum locutionis scripturae nescientes, noctem voluerunt advertere tres illas horas a sexta usque ad nonam, quibus sol obscuratus est; et diem tres horas alias, quibus iterum terris est redditus, idest a nona usque ad eius occasum. sequitur enim nox futura sabbati, qua cum suo die computata, erunt iam duae noctes et duo dies. Porro autem post sabbatum sequitur nox primae sabbati, idest illucescentis diei dominici, in qua tunc dominus resurrexit. Erunt ergo duae noctes et duo dies et una nox, etiam si tota posset intelligi; nec ostenderemus quod illud diluculum pars eius extrema sit; quapropter nec annumeratis illis sex horis quarum tribus tenebratus est et tribus illuxit, constabit ratio trium dierum et trium noctium. Restat ergo ut hoc inveniatur illo scripturarum usitato loquendi modo, quo a parte totum intelligitur.

Hieronymus. non quod omnes tres dies et tres noctes in inferno fuerit, sed quod in parte parasceves, et dominicae, et tota die sabbati, tres dies et tres noctes intelligantur.

Augustinus de trin. ipsum enim triduum non plenum et totum fuisse scriptura testis est, sed primus dies a parte extrema totus annumeratus est; dies vero tertius a parte prima et ipse totus; medius autem inter eos, idest secundus dies, absolute totus vigintiquatuor horis suis, duodecim nocturnis et duodecim diurnis: nox enim usque ad diluculum, quo domini resurrectio declarata est, ad tertium pertinet diem. Sicut enim primi dies propter futurum hominis lapsum a luce in noctem, ita isti propter hominis reparationem a tenebris in lucem computantur.

Chrysostomus in Matth. non autem manifeste dixit quod resurgeret, quia eum derisissent; sed occulte insinuat, ut et illi crederent quod praescivit. Non autem dixit: in terra, sed in corde terrae, ut et sepulchrum ostenderet, et quod nullus solam mortis apparentiam suspicetur. Et tres dies propter hoc posuit, ut credatur quod mortuus est. Sed ipsa figura veritatem demonstrat: non enim fuit ionas in ventre ceti in phantasia, sed in veritate; neque figura fuit in veritate, et veritas in imaginatione. propter quod manifestum est quod filii sunt diaboli marcionem sequentes, qui christi passionem phantasticam esse asseruit; et quod pro eis esset passurus, licet eis non proficeret, ostendit per hoc quod innuit quod illi generationi signum daretur ionae

prophetae.

MATTHAEUS 12,41-42

4241 (Mt 12,41-42)

Chrysostomus in Matth. Ne aliquis aestimaret quod talia deinceps futura essent in iudaeis qualia ninivitis contigerant, ut sicut ionas illos convertit, et civitas fuit a periculo liberata, ita isti post resurrectionem converterentur; dominus nunc totum contrarium ostendit, quoniam scilicet ex beneficio passionis nullum fructum perceperunt; sed et gravia patientur, ut infra ostendit per exemplum daemonis. Interim autem ostendit quod iuste patientur, dicens viri ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista.

Remigius. ostendit autem dominus his verbis unam esse malorum et bonorum resurrectionem futuram, contra quosdam haereticos, qui dixerunt unam esse resurrectionem bonorum, et alteram malorum. Destruitur etiam his verbis fabula iudaeorum, qui solent dicere, quod ante iudicium mille annis celebretur resurrectio; aperte his verbis ostendens quia mox ut celebrabitur resurrectio, celebrabitur et iudicium. et condemnabunt eam.

Hieronymus. non sententiae potestate, sed comparationis exemplo: unde subditur quia poenitentiam egerunt in praedicatione ionae; et ecce plusquam ionas hic. Hic adverbium loci, non nomen intelligas. Ionas, secundum septuaginta interpretes, triduum praedicavit: ego tanto tempore; ille assyriis genti incredulae, ego iudaeis populo Dei. Ille voce locutus est simplici, nihil signorum faciens, ego tanta faciens, beelzebub calumniam sustineo.

Chrysostomus in Matth. non autem hic stat dominus, sed et aliam annuntiationem adiungit dicens regina austri surget in iudicio cum generatione ista, et condemnabit eam: quia venit a finibus terrae audire sapientiam salomonis. Istud plus fuit quam prius. ionas enim ad illos abiit; regina autem austri non expectavit salomonem ad ipsam ire, sed ipsa ad eum accessit: et mulier, et barbara, et tantum remota, non mortem formidans, sola cupidine verborum sapientium. ibi ergo mulier advenit, hic ego veni; et ipsa quidem a finibus terrae surrexit, ego autem civitates et castra circumeo; et ille quidem de arboribus et lignis disputavit, ego autem de ineffabilibus mysteriis.

Hieronymus. eodem ergo modo condemnabit regina austri populum iudaeorum, quo condemnabunt viri ninivitae israelem incredulum. ista est regina saba, de qua in regum volumine et in paralipomenon legimus, quae per tantas difficultates, gente sua et imperio derelictis, venit in iudaeam sapientiam audire salomonis, et ei multa munera obtulit. In ninive autem et in regina saba occulte fides nationum praefertur israeli.

Rabanus. ninivitae significant eos qui peccare desistunt, regina vero eos qui peccare nesciunt: poenitentiam enim peccatum abolet, sapientia cavet.

Remigius. pulchre autem ecclesia de gentibus congregata regina dicitur, quia mores suos regere novit: de qua psalmista: astitit regina a dextris tuis. Austri autem regina est, quia ardore spiritus sancti superabundat: auster enim ventus calidus significat spiritum sanctum. Salomon autem, qui interpretatur pacificus, significat ipsum de quo dictum est: ipse est pax nostra.

MATTHAEUS 12,43-45

4243 (Mt 12,43-45)

Chrysostomus in Matth. quia dominus dixerat iudaeis: viri ninivitae surgent in iudicio, et condemnabunt generationem istam, ne propter temporis tardationem contemnerent et fierent pigriores, ostendit quod non solum in futuro saeculo, sed et hic gravissima patientur, futuram in eis poenam sub quodam aenigmate subdens; unde dicit cum autem immundus spiritus exierit ab homine.

Hieronymus. Quidam istum locum de haereticis dictum putant: quod immundus spiritus, qui in eis ante habitaverat, quando gentiles erant, ad confessionem verae fidei eiciatur; postea vero cum se ad haeresim transtulerint, et simulatis virtutibus ornaverint domum suam, tunc aliis septem nequam spiritibus adiunctis, revertatur ad eos diabolus, et habitet in illis; fiantque novissima eorum peiora prioribus. Multo quidem peiori conditione sunt haeretici quam gentiles: quia in illis spes fidei, in istis est pugna discordiae; cum haec intelligentia plausum quemdam et colorem doctrinae praeferat, nescio an habeat veritatem; ex eo enim

quod, finita vel parabola vel exemplo, sequitur, sic erit generationi huic pessimae, compellimur non ad haereticos et quosque homines, sed ad iudaeorum populum referre parabolam, ut contextus loci non passim et vagus in diversum fluctuet atque insipientium more turbetur, sed haerens sibi vel ad priora vel ad posteriora respondeat. Unde immundus spiritus exiit a iudaeis quando acceperunt legem; expulsus autem a iudaeis, ambulavit per gentium solitudines: unde sequitur ambulat per loca arida, quaerens sibi requiem.

Remigius. Loca arida appellat corda gentium ab omni humore salutarium aquarum, hoc est sanctarum scripturarum et spiritualium donorum, et ab infusione sancti spiritus aliena.

Rabanus. Vel loca arida sunt corda fidelium, quae a mollitie fluxae cogitationis expurgata, callidus insidiator explorat, si quos gressus ibi figere possit; sed castas mentes effugiens diabolus in solo corde pravorum gratam sibi potest invenire quietem; unde sequitur et non invenit.

Remigius. putabat autem diabolus se perpetuam quietem posse habere in gentili populo: sed subditur et non invenit, quia apparente Dei filio per mysterium incarnationis suae, gentilitas credit.

Hieronymus. quae cum domino credidisset, ille non invento loco in nationibus, dixit revertar in domum meam unde exivi. Habeo iudaeos quos ante dimiseram. Et veniens invenit eam vacantem, scopis mundatam et ornatam. Vacabat enim templum iudaeorum et Christum hospitem non habebant dicentem: surgite et abeamus hinc. Quia igitur et Dei et angelorum praesidia non habebant, et ornati erant superfluis observationibus legis, et traditionibus pharisaeorum, revertitur diabolus ad sedem suam pristinam, et septenario numero sibi addito daemonum, habitat pristinam domum: et fiunt novissima illius populi peiora prioribus; multo enim nunc maiore daemonum numero possidentur, blasphemantes in synagogis suis Christum iesum, quam in aegypto possessi fuerant ante legis notitiam: quia aliud est venturum non credere, aliud non suscepisse qui venerit. Septenarium autem numerum adiunctum diabolo, vel propter sabbatum intellige, vel propter numerum spiritus sancti: ut quomodo in isaia super florem qui de radice iesse descendit, septem spiritus virtutum descendisse narrantur, ita e contrario vitiorum numerus in diabolo consecratus sit. Pulchre ergo septem spiritum assumi dicuntur, vel propter violationem sabbati, vel propter criminalia peccata quae contraria sunt septem donis spiritus sancti.

Chrysostomus in Matth. vel hic poenam eorum demonstrat: dicit enim quod sicut cum daemoniaci liberati fuerint ab infirmitate, si desidiores efficiantur, graviorem attrahunt adversus se phantasiam, ita et in vobis fiet: etenim ante detinebamini a daemone, quando idola adorabatis, et filios vestros daemonibus occidebatis; sed tamen non dereliqui vos; sed expuli daemonem illum per prophetas, et per memetipsum rursus veni, amplius expurgare vos volens. Quia igitur non vultis attendere, sed in maiorem excidistis nequitiam (gravius enim est occidere Christum quam prophetas), propter hoc difficiliora patiemini. Quae enim sub vespasiano et tito contigerunt eis, multo graviora fuerunt his quae passi sunt in aegypto et in babylone et sub antiocho. nec hoc solum ostendit, sed quoniam ab omni virtute erunt desolati, et daemonum actibus occupabiles magis quam ante. Haec autem non solum ad illos, sed ad nos etiam dicta esse, rationem habet; si illuminati et a prioribus eruti malis, rursus ab eadem possideamur nequitia: etenim difficilior iam erit poena posteriorum peccatorum: propter quod paralytico Christus dicit: ecce sanus factus es: noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Rabanus. Homo enim quilibet ad fidem conversus est, a quo diabolus per baptismum eicitur, qui eiectus inde loca arida peragrat, idest corda fidelium.

Gregorius moralium. loca enim arentia atque inaquosa sunt corda iustorum, quae per disciplinae fortitudinem ab omni carnalis concupiscentiae humore siccantur. Loca vero humentia sunt terrenorum hominum mentes, quas humor carnalis concupiscentiae, quia replet, fluidas facit: in quibus diabolus iniquitatis suae vestigia tanto altius imprimit quanto in eisdem mentibus per transitus illius, quasi in fluxa terra, descendit.

Rabanus. Rediens autem ad domum suam unde exierat, invenit eam vacantem a bonis actibus per negligentiam; scopis mundatam, scilicet a vitiis pristinis per baptismum; ornatam simulatis virtutibus per hypocrisim.

Augustinus de quaest. Evang. Unde per haec verba signat dominus quosdam ita credituros, ut non possint ferre laborem continentiae, et ad saeculum redituri sint. Quod dicit assumit secum alios septem, intelligitur, quia cum quis ceciderit de iustitia, etiam simulationem habebit. Cupiditas enim carnis expulsa per poenitentiam consuetis operibus, cum non invenerit in quibus delectationibus conquiescat, avidius redit, et rursus occupat mentem hominis, si negligentia subsecuta est, ut non introduceretur tamquam habitator mundatae domus sermo Dei per sanam doctrinam; et quoniam non solum habebit illa septem vitia quae septem virtutibus sunt contraria spiritualibus, sed etiam per hypocrisim se ipsas habere virtutes simulabit,

propterea assumptis secum septem aliis nequioribus, hoc est ipsa septenaria simulatione, redit ipsa concupiscentia, ut sint novissima hominis illius peiora prioribus.

Gregorius moralium. Plerumque etiam fit ut cum mens ex ipso exordio sui profectus extollitur, cumque se iam quasi de virtutibus erigit, saevienti contra se adversario aditum pandat: tantoque se vehementius in eius confractione exhibet, quanto et gravius, quia vel ad modicum fuerat proiectus, dolet.

MATTHAEUS 12,46-50

4246 (Mt 12,46-50)

Hilarius in Matth. Quia praedicta omnia in paternae maiestatis virtute loquebatur, nuntianti sibi, quod foris a matre atque fratribus expectaretur, quid responderit evangelista demonstrat subdens adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius et fratres foris stabant, quaerentes loqui ei.

Augustinus de cons. Evang. Hoc sine dubio convenienter gestum intelligere debemus: praemisit enim cum ad hoc narrandum transiret adhuc eo loquente ad turbas. Quid est autem adhuc, nisi quando illud loquebatur? nam et Marcus post illud quod de blasphemia spiritus sancti retulerat, dixit: et veniunt mater eius et fratres. Lucas autem non huius rei gestae ordinem tenuit, sed praeoccupavit hoc, et recordatum ante narravit.

Hieronymus contra helvidium. Hinc helvidii una propositio sumitur, ex hoc quod fratres domini in evangelio nominantur. unde, inquit, fratres domini dicti sunt qui non erant fratres? sed iam nunc sciendum est quatuor modis in scripturis divinis fratres dici: natura, gente, cognatione, et affectu. Natura, ut esau et iacob. gente, ut omnes iudaei fratres inter se vocantur, ut in deuteronomio: non poteris constituere super te hominem alienum qui non est frater tuus. Porro cognatione fratres vocantur qui sunt de una familia, sicut in genesi: dixit abraham ad lot: non sit rixa inter te et me, quoniam fratres sumus. Affectu etiam fratres dicuntur: quod in duo dividitur: in speciali et in communi: in speciali, quia omnes christiani fratres dicuntur, ut salvator dicit: vade, dic fratribus meis; porro in communi, quia omnes homines ex uno patre nati, pari inter nos germanitate coniungimur, sicut ibi: dicite his qui oderunt vos: fratres nostri vos estis. Interrogo ergo, iuxta quem modum fratres domini in evangelio appellentur. iuxta naturam? sed scriptura non dicit, nec mariae eos vocans filios, nec ioseph. iuxta gentem? sed absurdum est ut pauci ex iudaeis vocati sint fratres, cum omnes qui ibi fuerunt iudaei, fratres potuerint appellari. Iuxta affectum humani iuris, et spiritus? verum sit: qui magis erant fratres quam apostoli, quos dominus docebat intrinsecus? aut si omnes quia homines, sunt fratres, stultum fuit nuntiare quasi proprium: ecce fratres tui quaerunt te. restat igitur ut fratres eos intelligas appellatos cognatione, non affectu, non gentis privilegio, non natura.

Hieronymus super Matth. Quidam vero fratres domini de alia uxore ioseph filios suspicantur, sequentes deliramenta apocryphorum, et quamdam escham mulierculam confingentes. nos autem fratres domini, non filios ioseph, sed consobrinos salvatoris, sororis mariae materterae domini filios intelligimus: quae esse dicitur mater iacobi minoris et ioseph et iudae, quos in alio evangelii loco fratres domini legimus appellatos. fratres autem consobrinos dici omnis scriptura demonstrat.

Chrysostomus in Matth. Vide autem et fratrum eius elationem: cum enim deceret eos ingredi, et audire cum turba; vel si hoc non vellent, expectare finem sermonis, et tunc eum adire: hi extra eum vocant; et coram omnibus hoc faciunt; et superfluum honoris amorem ostendentes, et monstrare volentes quod cum omni potestate Christo aliquid iniungunt: quod et evangelista ostendit, hoc ipsum obscure insinuans, cum dicit adhuc eo loquente; ac si diceret: numquid non erat tempus aliud? quid autem et loqui volebant? si pro veritatis dogmatibus, communiter hoc proponere oportebat, ut et alios lucrarentur; si autem de aliis sibiipsis pertinentibus, non oportebat ita festinanter vocare: unde manifestum est quoniam solum ex vana gloria hoc faciebant.

Augustinus de natura et gratia. Sed quidquid dicatur de fratribus, de sancta virgine maria, propter honorem christi, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quaestionem. inde enim scimus quod ei plus gratiae collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quod concipere et parere meruit eum quem constat nullum habuisse peccatum. sequitur dixit autem ei quidam: ecce mater tua et fratres tui foris stant, quaerentes te.

Hieronymus. Videtur mihi iste qui nuntiat, non fortuito et simpliciter nuntiare, sed insidias tendere, utrum spirituali operi carnem et sanguinem praeferat: unde et dominus non quod matrem negaret et fratres, exire contempsit, sed quod responderet insidiant.

Chrysostomus in Matth. Neque autem dixit: vade, dic ei quoniam non est mater mea; sed ad eum qui nuntiaverat extendit sermonem: sequitur enim at ipse respondens dicenti sibi ait: quae est mater mea et qui sunt fratres mei? .

Hilarius in Matth. non autem fastidiose de matre sua sensisse existimandus est, cui in passione positus maximae sollicitudinis tribuit affectum.

Chrysostomus in Matth. quod si negare vellet matrem, tunc utique negasset quando iudaei exprobrabant ei de matre.

Hieronymus. Non ergo, iuxta marcionem et manichaeum, matrem negavit, ut natus de phantasmate putaretur, sed apostolos cognationi praetulit, ut et nos in comparatione dilectionis, carni spiritum praeferamus; nec maternum refutat obsequium pietatis, cuius praeceptum est: honora patrem tuum et matrem tuam, sed paternis se mysteriis vel affectibus amplius quam maternis debere demonstrat: unde sequitur et extendens manum in discipulos dixit: ecce mater mea et fratres mei.

Gregorius in Evang. Fideles quidem discipulos fratres nominare dignatus est dominus, dicens: ite, nuntiate fratribus meis. Qui ergo frater domini fieri ad fidem veniendo potuit, quaerendum est quomodo etiam esse possit mater. Sed sciendum nobis est, quia qui christi frater vel soror est in credendo, mater efficitur praedicando: quasi enim parit dominum, quem cordi audientis infundit; et mater eius efficitur, si per eius vocem amor domini in proximi mente generatur.

Chrysostomus in Matth. cum his autem quae dicta sunt et aliud nos docuit: videlicet in nulla cognatione confidentes, virtutem negligere. Si enim matri nihil prodest matrem esse, nisi virtus adesset, quis utique alius per cognationem salvabitur? una enim nobilitas sola est Dei facere voluntatem: et ideo sequitur quicumque enim fecerit voluntatem patris mei, qui in caelis est, etc. multae mulieres beatificaverunt sanctam virginem illam et eius uterum, et optaverunt tales fieri matres. Quid est igitur quod prohibeat? ecce latam vobis constituit viam; et licet non mulieribus solum, sed et viris fieri matrem Dei.

Hieronymus. Dicamus autem et aliter. salvator loquitur ad turbas: intrinsecus erudit nationes; mater eius et fratres, hoc est synagoga et populus iudaeorum foris stant.

Hilarius. Cum itaque ingrediendi ad eum haberent, ut ceteri, potestatem, quia tamen in sua venit, et sui eum non receperunt, ingressu eius atque aditu abstinent.

Gregorius in Evang. unde et mater eius cum quasi non agnoscitur, foris stare perhibetur: quia videlicet synagoga idcirco ab auctore suo non recognoscitur, quia legis observationem tenens, spiritualem intellectum perdidit, et se ad custodiam litterae foris fixit.

Hieronymus. Cumque rogaverint et quaesierint et nuntium miserint, responsum accipient, liberos eos esse arbitrii, et intrare posse, si velint et ipsi credere.

MATTHAEUS 13,1-9

4301 (*Mt 13,1-9*)

Chrysostomus in Matth. postquam increpaverat eum qui matris et fratrum praesentiam nuntiavit, dehinc fecit quod illi cupiebant: exiit scilicet domum, primo sanans aegritudinem vanae gloriae fratrum; secundo decentem honorem exhibens matri: unde dicitur in illo die exiens iesus de domo, sedebat secus mare.

Augustinus de cons. Evang. cum dicit in illo die, satis indicat aut hoc consequenter gestum post praemissa, aut non multa interponi potuisse, nisi forte dies more scripturarum tempus significet.

Rabanus. Non solum autem verba et facta domini, verum etiam itinera ac loca in quibus virtutes operatur et praedicat, caelestibus sunt plena sacramentis. post sermonem quippe in domo habitum, ubi nefanda blasphemia daemonium habere dictus est, egrediens docebat ad mare, ut ostenderet se, relicta ob culpam perfidiae iudaea, ad gentes salvandas esse transiturum. Gentilium enim corda diu superba et incredula merito tumidis amarisque fluctibus maris assimilantur; domum vero domini per fidem fuisse iudaeam quis nesciat? .

Hieronymus. Considerandum etiam, quod populus domum iesu non poterat intrare, nec esse ibi ubi apostoli audiebant mysteria: idcirco miserator dominus egreditur de domo sua, et sedet iuxta huius saeculi mare, ut congregentur ad eum multae turbae, et audiant in littore quae intus non merebantur audire: unde sequitur et congregatae sunt ad eum turbae multae, ita ut in naviculam ascendens sederet; et omnis turba stabat in littore.

Chrysostomus in Matth. Hoc autem non simpliciter evangelista posuit, sed ut monstraret quod dominus hoc fecerit, volens cum diligentia hoc spectaculum statuere, ut nullum dimittat post dorsum, sed omnes coram facie habeat.

Hilarius in Matth. sedisse autem dominum in navi, et turbas foris stetisse, ex subiectis rebus est ratio. In parabolis enim erat locuturus; et facti ipsius genere significat eos qui extra ecclesiam positi sunt, nullam divini sermonis posse capere intelligentiam. navis enim ecclesiae typum praefert, intra quam verbum vitae positum est, et praedicatum his qui extra sunt, et arenae modo steriles intelligere non possunt.

Hieronymus. Iesus etiam in mediis fluctibus est: hinc inde mari tunditur, et in sua maiestate securus appropinquare facit terrae naviculam suam, ut populus nequaquam periculum sustinens, non tentationibus circumdatus, quas ferre non poterat, stet in littore fixo gradu, ut audiat quae dicuntur.

Rabanus. Vel quod ascendens navem sedebat in mari, significat quod Christus per fidem ascensus erat in mentes gentilium et ecclesiam collecturus in mari, idest in medio nationum contradicentium. Turba vero quae stabat in littore, quae neque in navi neque in mari erat, gerit figuram recipientium verbum Dei, et iam fide a mari, idest a reprobis, separatorum, sed necdum mysteriis caelestibus imbutorum. sequitur et locutus est eis multa in parabolis.

Chrysostomus in Matth. quamvis in monte ita non fecerit: non enim per parabolas sermonem contexit. tunc enim turbae solae erant, et plebs incomposita; hic autem et scribae et pharisaei. Non propter hoc autem solum in parabolis loquitur, sed ut manifestiorem sermonem faciat, et ampliorem memoriam imponat, et sub visum res reducat.

Hieronymus. est notandum, quod non omnia locutus sit eis in parabolis, sed multa: si enim dixisset cuncta in parabolis, absque emolumento populi recessissent. Perspicua miscet obscuris: ut per ea quae intelligunt, provocentur ad eorum notitiam quae non intelligunt. Turba etiam non unius sententiae est, sed diversarum in singulis voluntatum: unde loquitur ad eam in multis parabolis: ut iuxta varias voluntates, diversas recipiant disciplinas.

Chrysostomus in Matth. primam autem parabolam ponit eam quae faciebat auditorem attentorem: quia enim sub aenigmate erat tractaturus, erigit mentes audientium per primam parabolam, dicens ecce exiit qui seminat seminare semen suum.

Hieronymus. Significatur autem sator iste qui seminat, esse filius Dei, et patris in populis seminare sermonem.

Chrysostomus in Matth. unde autem exiit qui ubique praesens est, vel qualiter exiit? non loco, sed incarnatione propinquior factus nobis per habitum carnis: quia enim nos intrare non poteramus ad eum, peccatis nostris prohibentibus nobis ingressum, ipse ad nos egreditur.

Rabanus. Vel exiit cum, relicta iudaea, per apostolos ad gentes transivit.

Hieronymus. Vel intus erat dum domi versabatur, et loquebatur discipulis sacramenta. Exiit ergo de domo sua, ut seminaret in turbis.

Chrysostomus. cum autem audieris, quoniam exiit qui seminat ut seminet, non aestimes esse identitatem sermonis. Egreditur enim multoties qui seminat et ad aliam rem: vel ut scindat terram, vel ut malas incidat herbas, vel ut spinas evellat, vel ut aliam talem quamdam diligentiam exhibeat: hic autem ad seminandum exivit. Quid igitur fit de semine isto? tres depereunt partes, et una salvatur; et hoc non aequaliter, sed cum differentia quadam: unde sequitur et dum seminat, quaedam ceciderunt secus viam.

Hieronymus. Hanc parabolam ad probandam haeresim suam valentinus assumit, tres introducens esse naturas: spirituales, naturalem vel animaleam, atque terrenam; cum hic quatuor sint, una iuxta viam, alia petrosa, tertia plena spinis, quarta terra bona.

Chrysostomus in Matth. Sed secundum hoc, qualiter haberet rationem inter spinas seminare, et super petram, et in via? in seminibus quidem et terra materialibus non haberet utique rationem: non enim est in potestate petrae fieri terram, neque viae non esse viam, neque spinae non esse spinam. In animabus autem et doctrinis multam habet hoc laudem: possibile enim est petram fieri terram pinguem, et viam non ultra conculcari et spinas destrui. Quod igitur plus seminis periit, non est ab eo qui seminat, sed a suscipiente terra, idest ab anima. ipse enim qui seminat, non divitem, non pauperem discernit, non sapientem neque insipientem; sed omnibus loquebatur, quae a seipso erant complens, praevidens tamen quae futura erant, ut liceat ei dicere: quid me oportuit facere, et non feci? ideo autem non dicit manifeste, quoniam haec susceperunt desides, et perdiderunt: haec autem divites, et suffocaverunt; haec autem molles, et perdiderunt: quia non voluit eos vehementer tangere, ut non in differentiam mittat. Per hanc etiam parabolam discipulos erudit, etsi plures audientium eos fuerint qui pereunt, ut non propter hoc desides sint: quia nec propter hoc dominus, qui omnia praevidit, destitit a seminando.

Hieronymus. Observa autem hanc esse primam parabolam, quae cum interpretatione sua posita est: et cavendum est ubicumque dominus exponit sermones suos, ne vel aliud, vel quid plus, vel minus praesumas intelligere, quam ab eo expositum est.

Rabanus. Quae vero tacita nostrae intelligentiae dereliquit, perstringenda sunt breviter. Via est mens sedulo malarum cogitationum meatu trita atque arefacta: petram, duritiam protervae mentis; terram, levitatem animae obedientis; solem dicit fervorem persecutionis saevientis. Altitudo terrae est probitas animae disciplinis caelestibus institutae. In qua expositione diximus quia nequaquam ipsae res in una eademque significatione semper allegorice ponuntur.

Hieronymus. Provocamur autem ad dictorum intelligentiam quoties his sermonibus commonemur qui sequuntur: qui habet aures audiendi, audiat.

Remigius. aures audiendi sunt aures mentis, scil. intelligendi et faciendi quae iussa sunt.

MATTHAEUS 13,10-17

4310 (Mt 13,10-17)

Glossa. Intelligentes discipuli esse obscura quae a domino populo dicebantur, voluerunt domino intimare ne parabolice loqueretur: unde dicitur et accedentes discipuli dixerunt ei: quare in parabolis loqueris eis? .

Chrysostomus in Matth. ubi dignum est admirari discipulos, quare discere cupientes, sciunt quando interrogare oporteat; non enim coram omnibus hoc faciunt. Et hoc ostendit Matthaeus cum dicit et accedentes; Marcus autem manifestius demonstrat dicens, quod singulariter accesserunt.

Hieronymus. quaerendum est autem quomodo accedant tunc ad eum, cum iesus in navi sedeat: nisi forte intelligatur, quod dudum cum ipso navem conscenderint, et ibi stantes super interpretatione parabolae sciscitati sint.

Remigius. Dicit ergo evangelista accedentes, ut ostenderet quo sollicitati sunt; sive poterant accedere corpore, quamvis esset aliquod vel breve spatium inter eos.

Chrysostomus in Matth. consideranda est autem et eorum rectitudo: qualiter multam pro aliis habent curam, et prius quae aliorum sunt quaerunt, et tunc quae sunt ipsorum: non enim dixerunt: in parabolis loqueris nobis; sed in parabolis loqueris illis. Qui respondens ait illis: quia vobis datum est nosse mysterium regni caelorum.

Remigius. Vobis, inquam, qui mihi adhaeretis, et in me creditis. Mysterium autem regni caelorum appellat evangelicam doctrinam. Illis autem, scilicet qui foris sunt, et in eum credere nolunt, scribis scilicet et pharisaeis, et ceteris in infidelitate perseverantibus, non est datum. Accedamus ergo cum discipulis ad dominum puro corde, ut nobis evangelicam doctrinam interpretari dignetur, iuxta illud: qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina ipsius.

Chrysostomus in Matth. Hoc autem dixit, non necessitatem inducens, neque fatum, sed monstrans quoniam illi quibus non est datum, causa sibi sunt universorum malorum; et ostendere volens quoniam cognoscere divina mysteria donum Dei est, et gratia desuper data. Non tamen propter hoc liberum arbitrium

destruitur: et hoc ex his quae sequuntur manifestum est: ut enim neque isti desperent neque illi pigritentur, audientes quoniam eis datum est: demonstrat a nobis principium horum esse, cum subdit qui enim habet, dabitur ei, et abundabit; qui autem non habet, et quod habet auferetur ab eo; ac si diceret: cum aliquis desiderium habuerit et studium, dabuntur ei universa quae a Deo sunt; cum autem his vacuus fuerit, et quae ad se pertinent non inferat, neque quae a Deo sunt, ei dantur; sed et quod habet auferetur ab eo, non Deo auferente, sed se indignum faciente his quae habet. Unde et nos si viderimus aliquem desidiose audientem, et exhortantes quod attendat, non ei persuaserimus, sileamus: quia si magis immorati fuerimus, intendetur ei desidia. Studentem autem discere allicimus, et multa effundimus. et bene dixit, secundum evangelistam, quod videtur habere: neque enim habet ipsum quod habet.

Remigius. Qui etiam habet studium legendi, dabitur ei et facultas intelligendi; et qui non habet legendi studium, hoc quod per naturae bonum videtur habere, auferetur ab eo. Vel qui habet caritatem, dabuntur ei ceterae virtutes; et qui non habet, auferetur ab eo; quia absque caritate nullum bonum esse potest.

Hieronymus. vel apostolis in Christo credentibus conceditur; iudaeis vero, qui non crediderunt in filium Dei, etiam si quid per naturae bonum possident, tollitur: neque enim possunt aliquid sapienter intelligere, quia sapientiae non habent caput.

Hilarius in Matth. Fidem etiam iudaei non habentes, legem quoque quae habuerant perdiderunt; et ideo perfectum fides evangelica habet donum: quia suscepta, novis fructibus ditat; repudiata vero etiam veteris substantiae opes detrahit.

Chrysostomus in Matth. ut autem manifestius quod dixerat fiat, subdit ideo in parabolis loquor eis, quia videntes non vident, et audientes non audiunt neque intelligunt. Et si quidem naturae haec excaecatio esset, aperire eorum oculos oportebat; quia vero voluntaria est haec excaecatio, propter hoc non dixit simpliciter: non vident; sed videntes non vident. Viderunt enim daemones exeuntes, et dixerunt: in beelzebub eicit daemonia. Audiebant quod ad Deum omnes attrahebat; et dicunt: non est hic homo a Deo. Quia ergo contraria his quae videbant et audiebant, enuntiabant, propter hoc ipsum videre et audire eis aufertur: nihil enim proficiunt, sed in iudicium magis incidunt: unde et a principio non eis parabolice loquebatur, sed cum multa certitudine. Quia autem audita et visa pervertunt, iam in parabolis loquitur.

Remigius. Et notandum est, quia non solum quae loquebatur, verum etiam quae faciebat, parabola fuerunt, idest signa spiritualium rerum; quod liquido ostendit cum dicit ut videntes non videant; verba namque videri non poterant, sed audiri.

Hieronymus. Haec de his loquitur qui stant in littore, et dividuntur a iesu, et sonitu fluctuum perstreptente non audiunt ad liquidum quae dicuntur.

Chrysostomus. Deinde ut non dicerent quoniam ut inimicus noster nobis detrahit, prophetam inducit eadem sentientem: unde sequitur ut impleatur in eis prophetia isaiae dicentis: auditu audietis, et non intelligetis; et videntes videbitis, et non videbitis, idest auditu audietis verba, sed non intelligetis verborum arcana; videntes videbitis, carnem scilicet, et non videbitis: hoc est, non intelligetis divinitatem.

Chrysostomus. Hoc autem dixit, quia ipsi sibi abstulerunt videre et audire, aures et oculos sibi claudentes, et cor incrassantes. Non enim solum non audiebant, sed et graviter audiebant: unde sequitur incrassatum est cor populi huius, et auribus graviter audierunt.

Rabanus. incrassatum est enim cor iudaeorum crassitudine malitiae, et abundantia peccatorum graviter verba domini audierunt, quia ingrati susceperunt.

Hieronymus. Ac ne forte arbitremur crassitudinem cordis et gravitatem aurium naturae esse, non voluntatis, subiungit culpam arbitrii, et dicit et oculos suos clausurunt.

Chrysostomus in Matth. In hoc autem intensam eorum nequitiam ostendit, et aversionem cum studio. Ut autem attrahat eos, subdit et convertantur, et sanem eos. In quo demonstrat quia si converterentur, sanarentur; sicut si aliquis diceret: si rogatus essem, confestim donaturus eram, ostendit qualiter aliquis sibi reconcilietur, ita et hic cum dicit ne quando convertantur, et sanem eos, demonstrat quoniam et converti possibile est et poenitentiam agentes salvari.

Augustinus de quaest. Evang. vel aliter. Oculos suos clausurunt, ne quando oculis videant; idest, ipsi causa fuerunt ut Deus eis oculos clauderet. alius enim evangelista dicit: excaecavit oculos eorum. Sed utrum ut numquam videant, an vero ne vel sic aliquando videant, caecitate sua sibi displicentes, et se dolentes, et ex hoc humiliati atque commoti ad confitendum peccata sua, et pie quaerendum Deum? si

enim Marcus hoc dicit: ne quando convertantur, et dimittantur eis peccata. Ubi intelliguntur peccatis suis meruisse ut non intelligerent; et tamen hoc ipsum misericorditer eis factum ut peccata sua cognoscerent, et conversi veniam mererentur. Quod autem Ioannes hunc locum ita dicit: propterea non poterant credere, quia iterum dixit isaias: excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur et sanem eos, adversari videtur huic sententiae, et omnino cogere ut quod hic dictum est, ne quando oculis videant, non accipiatur, ne vel sic aliquando oculis videant, sed prorsus ut non videant: quandoquidem aperte dicit: ita ut oculis non videant. Et quod ait: propterea non poterant credere, satis ostendit, non ideo factam excaecationem, ut ea commoti et dolentes se non intelligere, converterentur aliquando per poenitentiam: non enim possent hoc facere nisi prius crederent, ut credendo converterentur, et conversione sanarentur, et sanati intelligerent; sed ideo potius excaecatos ut non crederent: dicit enim apertissime: propterea non poterant credere. Quod si ita est, quis non exurgat in defensionem iudaeorum, ut eos extra culpam fuisse proclamet, quod non crediderunt? propterea enim non poterant credere, quia excaecavit oculos eorum. Sed quoniam potius Deus extra culpam debet intelligi, cogimur fateri aliis quibusdam peccatis ita eos excaecari meruisse, qua tamen excaecatione non poterant credere: verba enim ioannis ista sunt: non poterant credere, quia iterum dixit isaias: excaecavit oculos eorum. Frustra itaque conantur intelligere ideo fuisse caecatos ut converterentur; cum ideo converti non poterant, quia non credebant, et ideo credere non poterant, quia excaecati erant. An forte non absurde dicimus, quosdam iudaeorum fuisse sanabiles; sed tanto tamen timore superbiae periclitatos, ut eis expedierit primo non credere, ut non intelligerent dominum loquentem parabolas, quibus non intellectis non in eum crederent; non credentes autem cum ceteris desperatis crucifigerent eum; atque ita post eius resurrectionem converterentur, quando iam de reatu mortis domini amplius humiliati diligerent eum, a quo sibi tantum scelus dimissum esse gauderent: quoniam tanta eorum superbia tali humiliatione esset deicienda? quod incongrue dictum esse quilibet arbitretur, si non ita contigisse in actibus apostolorum manifeste legerit. non ergo abhorret quod ait Ioannes: propterea non poterant credere, quia excaecavit oculos eorum, ut non videant, ab ea sententia qua intelligimus, ideo excaecatos ut converterentur; hoc est, ideo eis per obscuritates parabolarum occultatas sententias domini, ut post eius resurrectionem salubriori poenitentia respiscerent; quia per obscuritatem sermonis excaecati, dicta domini non intellexerunt; et ea non intelligendo, non in eum crediderunt; non credendo, eum crucifixerunt; atque ita post resurrectionem miraculis, quae in eius nomine fiebant, exterriti, maioris criminis reatu compuncti sunt, et prostrati ad poenitentiam; deinde accepta indulgentia ad obedientiam flagrantissima dilectione conversi: quibusdam autem non profuit illa caecitas ad conversionem.

Remigius. et quantum ad hoc potest haec sententia sic intelligi, ut in omnibus subaudiatur non hoc modo: ne quando oculis videant, et ne quando auribus audiant, et ne quando corde intelligant, et ne quando convertantur, et sanem eos.

Glossa. Sic ergo oculi eorum qui vident, et nolunt credere, sunt miseri; vestri autem beati: unde sequitur vestri autem beati oculi quia vident, et aures vestrae quia audiunt.

Hieronymus. Nisi autem supra legissemus auditores ad intelligentiam provocatos, salvatore dicente: qui habet aures audiendi, audiat, putarem nunc oculos et aures, qui beatitudinem accipiunt, corporales intelligi. Sed mihi videntur oculi illi beati qui christi possunt agnoscere sacramenta, et illae beatae aures de quibus isaias loquitur: dominus apposuit mihi aurem.

Glossa. Mens enim est oculus, quia naturali vigore ad intelligendum aliquid dirigitur; auris, quia alio docente discit.

Hilarius in Matth. vel apostolici temporis beatitudinem docet, quorum oculis atque auribus contingit Dei salutare videre et audire, prophetis atque iustis cupientibus videre et audire in plenitudine temporum destinatum: unde sequitur amen quippe dico vobis, quia multi prophetae et iusti cupierunt videre quae vos videtis, et non viderunt; et audire quae vos auditis, et non audierunt.

Hieronymus. Videtur autem huic loco illud esse contrarium quod alibi dicitur: abraham cupivit videre diem meum: vidit et gavisus est.

Rabanus. Isaias quoque et michaeas et multi alii prophetae viderunt gloriam domini: qui etiam propterea videntes appellati sunt.

Hieronymus. Non autem dixit: prophetae et iusti, sed multi: inter multos enim potest fieri ut alii viderint, alii non viderint, licet et in hoc periculosa sit interpretatio, ut inter sanctorum merita discretionem quamlibet facere videamur, scilicet quantum ad fidem de Christo habitam; ergo abraham vidit in aenigmate, non vidit in specie. Vos autem impraesentiarum tenetis et habetis dominum vestrum, et ad voluntatem interrogatis, et convescimini ei.

Chrysostomus in Matth. Haec ergo quae apostoli viderunt et audierunt, praesentiam suam dicit, miracula, vocem et doctrinam. in hoc autem non solum malis, sed his qui boni fuerant eos praeponit: etenim antiquis iustis beatiores eos dicit: quoniam non solum quae iudaei non viderant hi vident, sed et quae iusti et prophetae cupierunt videre et non viderunt. illi enim fide solum consideraverunt; hi autem visu, et multo manifestius. Vides autem qualiter vetus testamentum copulat novo: non enim si prophetae alieni cuiusdam, et contrarii Dei servi fuissent, Christum cupivissent.

MATTHAEUS 13,18-23

4318 (Mt 13,18-23)

Glossa. Dixerat superius, quia iudaeis non est datum nosse regnum Dei, sed apostolis, et ideo concludit dicens vos ergo audite parabolam seminantis, quibus scilicet committuntur caeli mysteria.

Augustinus super genesim. Quod narravit evangelista, factum est, dominum scilicet talia locutum fuisse; ipsius autem domini narratio parabola fuit, de qua nunquam exigitur ut etiam ad litteram facta monstrarentur quae sermone proferuntur.

Glossa. Unde parabolam exponens subdit omnis qui audit verbum regni, idest praedicationem meam quae ad regnum caelorum adipiscendum valet, et non intelligit. Quomodo autem non intelligit, subiungit venit enim malus, idest diabolus, et rapit quod seminatum est in corde eius. Omnis, inquam, qui talis est, hic est qui secus viam seminatus est. Notandum est autem, quod seminatum diversis modis accipitur. dicitur enim et semen seminatum, et ager seminatus: quod utrumque hic invenitur. ubi enim ait rapit quod seminatum est, de semine intelligendum est; ubi autem sequitur secus viam seminatus est, non de semine, sed de loco seminis intelligendum est, idest homine, qui est quasi ager divini verbi semine seminatus.

Remigius. his autem verbis exponit dominus quid sit semen: verbum scilicet regni, idest evangelicae doctrinae. Sunt enim nonnulli qui verbum Dei nulla cordis devotione suscipiunt; et ideo semen verbi Dei quod in eorum cordibus seminatur, daemones quasi semen viae tritae subito auferunt. sequitur qui autem est seminatus supra petram, hic verbum audit etc. Semen enim, seu verbum Dei, quod in petra, idest corde duro et indomito seminatur, fructificare non potest quia multa est eius duritia, et parvum caeleste desiderium: unde propter nimiam duritiam non habet in se radicem.

Hieronymus. Attende autem quod dictum sit continuo scandalizatur. est ergo aliqua distantia inter eum qui multis tribulationibus poenisque compellitur Christum negare, et eum, qui ad primam persecutionem statim scandalizatur et corrui: de qua hic loquitur. sequitur qui autem seminatus est in spinis. Mihi videtur et illud quod iuxta litteram ad adam dicitur: inter spinas et tribulos panem tuum manducabis, hic significare mystice, quod quicumque saeculi se dederit voluptatibus, curisque istius mundi, panem caelestem et cibum verum inter spinas comedit.

Rabanus. Recte autem spinae vocantur, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, et quasi strangulando, spirituales virtutum fructus gignere non permittunt.

Hieronymus. Et eleganter adiunxit fallacia divitiarum suffocat verbum: blandae enim sunt divitiae, aliud agentes, aliud pollicentes. Lubrica est illarum possessio, dum huc illucque circumferuntur, et instabili gradu vel habentes deserunt, vel non habentes reficiunt. Unde et dominus divites asserit difficulter intrare in regnum caelorum, suffocantibus divitiis verbum Dei, et vigorem virtutum emollientibus.

Remigius. Et sciendum, quia his tribus generibus terrae nequam comprehenduntur omnes qui verbum Dei audire possunt, sed tamen ad salutem perducere non valent. Excipiuntur gentiles, qui nec audire meruerunt. sequitur qui vero in terram bonam seminatus est. Terra bona est fidelis conscientia electorum, sive mens sanctorum, quae verbum Dei cum gaudio et desiderio et cordis devotione suscipit, et inter prospera et adversa viriliter conservat, et ad fructum perducit: unde sequitur et facit fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud vero tricesimum.

Hieronymus. et notandum, quod sicut in terra mala tres fuere diversitates, scilicet secus viam, et petrosa, et spinosa loca; sic in terra bona trina diversitas est, centesimi, sexagesimi, et fructus tricesimi. Et in illa autem et in ista non mutatur substantia, sed voluntas; et tam incredulorum quam credentium corda sunt qui semen recipiunt: unde primo dixit venit malus, et rapit quod seminatum est in corde eius; et secundo et tertio ait hic est qui verbum audit. in expositione quoque terrae bonae, iste est qui audit verbum. Primum

ergo debemus audire, deinde intelligere, post intelligentiam fructus reddere doctrinarum, et facere vel centesimum fructum vel sexagesimum sive tricesimum.

Augustinus de Civ. Dei. quidam putant hoc sic esse intelligendum quod sancti pro suorum diversitate meritorum, alii tricenos homines liberent, alii sexagenos, alii centenos: quod in die iudicii futurum suspicari solent, non post iudicium. Qua opinione quidam cum videret homines impunitatem perversissime pollicentes, eo quod omnes isto modo ad liberationem pertinere posse videantur, respondit bene potius esse vivendum, ut inter eos quisque reperiat qui pro aliis intercessuri sunt liberandis: ne tam pauci sint, ut cito ad numerum suum pervenientes, multi remaneant qui erui iam de poenis illorum intercessione non possint, et in eis inveniatur quisquis sibi spem fructus alieni temeritate vanissima pollicetur.

Remigius. tricesimum ergo fructum facit qui fidem sanctae trinitatis docet; sexagesimum vero qui perfectionem bonorum operum commendat (senario enim numero omnis mundi ornatus completus est).; centesimum autem fructum facit qui vitam aeternam promittit: centenarius enim de laeva transit ad dexteram: per laevam autem vita praesens designatur, per dexteram futura. aliter: semen verbi Dei tricesimum fructum facit, quando bonam cogitationem gignit; sexagesimum quando bonam locutionem, centesimum quando ad fructum boni operis perducit.

Augustinus de quaest. Evang. Vel aliter. centesimus fructus est martyrum propter sanctitatem vitae, vel contemptum mortis; sexagenarius virginum propter otium interius, quia non pugnant contra consuetudinem carnis: solet enim otium concedi sexagenariis post militiam, vel post actiones publicas; tricesimus vero coniugatorum, quia haec est aetas praeliantium, et ipsi habent acriorem conflictum, ne libidinibus superentur. Vel aliter. Confligendum est cum amore temporalium bonorum, ut ratio vincat; aut etiam edomitus subditusque esse debet, ut cum surgere coeperit, facile reprimatur; aut ita extinctus ut se omnino nulla ex parte commoveat. Ex quo fit ut ipsam etiam mortem propter veritatem alii fortiter spernant, alii aequanimiter, alii libenter: quae tria genera fructus sunt terrae, tricesimi et sexagesimi et centesimi. in horum aliquo genere inveniendus est tempore mortis suae, si quis de hac vita recte cogitat emigrare.

Hieronymus. Vel centesimus fructus virginibus, sexagesimus viduis et continentibus, tricesimus sancto matrimonio deputatur. Idem. nam ipsa digitorum coniunctio, et quasi molli se osculo complectens et foederans, maritum pingit et coniugem. Sexaginta ad viduas: eo quod in angustia et tribulatione sint positae: unde et inferiori digito deprimuntur; quia quanto maior est difficultas expertae quondam voluptatis illecebris abstinere, tanto maius est praemium. Porro centesimus numerus a sinistra transit ad dexteram; et iisdem quidem digitis, non eadem manu circulum faciens exprimit virginitatis coronam.

MATTHAEUS 13,24-30

4324 (Mt 13,24-30)

Chrysostomus in Matth. in praecedenti parabola locutus est dominus his qui verbum Dei non suscipiunt: hic autem de his qui suscipiunt corruptivum sermonem: etenim hoc est diabolicae machinationis veritati semper errorem inserere: unde dicitur aliam parabolam proposuit illis dicens.

Hieronymus. Proposuit autem aliam parabolam, quasi dives paterfamilias invitatos diversis reficiens cibus, ut unusquisque secundum naturam sui stomachi varia alimenta susciperet. non autem dixit alteram, sed aliam: si enim proposuisset alteram, expectare tertiam non poteramus. Praemisit aliam ut plures sequantur. Quae autem sit parabola, ostenditur cum subditur simile factum est regnum caelorum.

Remigius. Regnum caelorum appellat ipsum filium Dei: quod regnum simile dicitur esse homini qui seminavit bonum semen in agro suo.

Chrysostomus in Matth. deinde modum insidiarum diaboli ostendit, dicens cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Demonstrat hic quod error post veritatem existit: quod et rerum exitus testatur: etenim post prophetas fuerunt pseudoprophetae, et post apostolos pseudoapostoli, et post Christum antiChristus. Nisi enim diabolus viderit quid imitetur, vel quibus insidietur, non tentat. Quia igitur vidit quod hic reddit in fructu centum, ille sexaginta, alius triginta, et non poterat rapere et suffocare quod radicatam erat, per aliam deceptionem insidiatur, interserens sua, multis ea similitudinibus colorans, ut facile surripiat his qui habiles sunt ad deceptionem. Propter hoc non dicit quod seminet aliquod aliud semen, sed zizania, quae secundum visum assimilantur quodammodo frumento. Hinc etiam apparet diaboli malignitas: tunc enim seminavit quando universa erant completa, ut magis noceret agricolae studio.

Augustinus de quaest. Evang. dicit autem cum dormirent homines: quia cum negligentius agerent praepositi ecclesiae, aut dormitionem mortis acciperent apostoli, venit diabolus, et superseminavit eos quos malos filios dominus interpretatur. Sed recte quaeritur utrum haeretici sint, aut male viventes catholici. sed quod dicit eos in medio tritici seminatos, quasi videntur illi significari qui unius communionis sunt. Verumtamen quoniam agrum ipsum non ecclesiam, sed hunc mundum interpretatus est, bene intelliguntur haeretici, qui in hoc mundo permiscetur bonis; ut illis qui in eadem fide mali sint, palea potius quam zizania deputentur: quia palea etiam fundamentum habet cum frumento radicemque communem. schismatici autem videntur spicis corruptis etiam similiores vel paleis aristarum fractis vel scissis, et de segete abiectis. nec tamen consequens est ut omnis haereticus vel schismaticus ab ecclesia corporaliter separetur: multos enim portat ecclesia, quia non ita defendunt falsitatem sententiae suae, ut intentam multitudinem faciant; quod si fecerint, tunc pelluntur. cum ergo diabolus sparsis pravis erroribus falsisque opinionibus superseminasset, hoc est praecedente nomine christi, haereses superiecisset, magis ipse latuit, atque occultissimus factus est: hoc est enim quod dicit et abiit: quamquam in hac parabola dominus, sicut in expositione conclusit, non quaedam, sed omnia scandala, et eos qui faciunt iniquitatem, zizaniorum nomine significasse intelligatur.

Chrysostomus in Matth. ex posterioribus autem diligenter haeticorum formam describit, dicens cum autem crevisset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. In principio enim haeretici obumbrant seipsos; cum autem multam acceperint libertatem, et sermone aliquis cum eis participaverit, tunc venenum effundunt.

Augustinus de quaest. Evang. Vel aliter. Cum homo spiritalis esse coeperit diudicans omnia, tunc ei errores incipiunt apparere: discernit enim quidquid audierit aut legerit abhorrere a regula veritatis; sed donec in eisdem perficiatur spiritualibus, potest eum movere quare sub nomine christiano tam multae haeticorum exitere falsitates; unde sequitur accedentes autem servi patrisfamilias dixerunt ei: domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? utrum autem ipsi sint servi quos postea messorum appellat, an quia in expositione parabola messorum dicit esse angelos; nec quisquam dicere facile ausus fuerit angelos nescisse quis zizania superseminaverit; magis oportet intelligi, homines ipsos fideles servorum nomine hoc loco signatos. Nec mirum si et bonum semen ipsi dicuntur: ex diversis enim significationibus una res diversas similitudines recipit: sicut et de se ait, quod ipse sit ianua, quod ipse sit pastor.

Remigius. accedunt autem ad Deum sine corpore, sed corde et mentis desiderio: quo docente intelligunt, diaboli calliditate hoc esse factum: unde sequitur et ait illis: inimicus homo hoc fecit.

Hieronymus. diabolus propterea inimicus homo appellatur, quia Deus esse desiit: et in psalmo 9,20 scriptum est de eo: exsurge, domine, non confortetur homo. Quamobrem non dormiat qui ecclesiae praepositus est, ne per illius negligentiam inimicus homo superseminet zizania, hoc est haeticorum dogmata.

Chrysostomus in Matth. inimicus autem vocatur propter iacturam quam infert hominibus: vexatio enim diaboli adversus nos est: principium autem vexationis factum est non ab inimicitia quae est ad nos, sed quae est ad Deum.

Augustinus de quaest. Evang. cum autem servi Dei cognoverint hanc excogitasse diabolum fraudem, cum contra tanti nominis auctorem nihil se valere sentiret, ut fallacias suas eodem nomine obtegeret; potest sibi suboriri voluntas ut tales homines de rebus humanis auferant, si aliquam temporis habeant facultatem; sed utrum facere debeant, iustitiam Dei consulunt: unde sequitur servi autem dixerunt: vis imus et colligimus ea? .

Chrysostomus. Ubi intuenda est servorum diligentia et dilectio: etenim festinant zizania evellere: quod monstrat eorum de semine sollicitudinem: ad hoc enim solum respiciunt, non ut aliquis puniatur, sed ut seminata non pereant. Quid autem dominus responderit subditur et ait: non.

Hieronymus. Datur enim locus poenitentiae; et monemur, ne cito amputemus fratrem: quia fieri potest ut ille qui hodie noxio depravatus est dogmate, cras respiscat, et defendere incipiat veritatem: unde subditur ne forte colligentes zizania, eradicetis simul et triticum.

Augustinus de quaest. Evang. In quo eos patientissimos et tranquillissimos reddit: hoc enim dicitur, quia boni dum adhuc infirmi sunt, opus habent in quibusdam malorum commixtione; sive ut per eos exercentur, sive ut eorum comparatione magna illis exhortatio fiat, et invitentur ad melius. Aut forte simul eradicatur triticum cum auferuntur zizania: quia multi primo zizania sunt, et postea triticum fiunt; qui nisi patienter, cum mali sint, tolerantur, ad laudabilem mutationem non perveniunt. Itaque si evulsi fuerint, simul eradicatur et

triticum, quod futuri essent, si eis parceretur. Ideo dicit tales non esse auferendos de hac vita, ne cum malos conatur interficere, bonos interficiat, quod forte futuri sint; aut bonis obsit, quibus et invitis utiles sunt. Sed tunc opportune hoc fiet cum iam in fine non restat vel tempus commutandae vitae, vel proficiendi ad veritatem ex occasione atque comparatione alieni erroris: et ideo subdit sinite utraque crescere usque ad messem, idest usque ad iudicium.

Hieronymus. Videtur autem hoc esse contrarium illi praecepto: auferte malum de medio vestrum. Si enim prohibetur eradicatio, et usque ad messem tenenda est patientia, quomodo eiciendi sunt quidam de medio nostrum? sed inter triticum et zizania (quod nos appellamus lolium). quamdiu herba est et nec dum calamus venit ad spicam, grandis similitudo est, et in discernendo aut nulla, aut difficilis distantia. primo monet ergo dominus, ne verbi, quod ambiguum est, cito sententiam proferamus, sed Deo iudici reservemus: ut cum dies iudicii venerit, ille non suspicionem criminis, sed manifestum reatum de sanctorum coetu eiciat.

Augustinus contra epist. Parmeniani. Cum enim quisque christianorum intus in ecclesia constitutorum in aliquo tali peccato fuerit deprehensus ut anathemate dignus habeatur, fiat hoc (ubi periculum schismatis non timetur). cum dilectione non ad eradicandum, sed ad corrigendum. Quod si se non agnoverit, neque poenitendo correxerit, ipse foris exiet, et per propriam voluntatem ab ecclesiae communione dirimetur: unde dominus, cum dixisset sinite utraque crescere usque ad messem, subiunxit causam, dicens ne forte cum vultis colligere zizania, eradicetis simul et triticum; ubi satis ostendit, cum metus iste non subest, sed omnino de frumentorum stabilitate certa securitas manet; idest, quando ita cuiusque crimen notum est et omnibus execrabile apparet ut vel nullos prorsus vel non tales habeat defensores per quos possit schisma contingere; non dormiat severitas disciplinae: in qua tanto est efficacior emendatio pravitatis, quanto diligentior fuerit observatio caritatis. cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud boni restat quam dolor et gemitus. Sic igitur misericorditer corripiat homo quod potest; quod autem non potest, patienter ferat, et ex dilectione gemat atque lugeat, donec ille desuper emendet et corrigat; atque usque ad messem differat eradicare zizania, et paleam ventilare. Turba autem iniquorum, cum facultas est in populis praebuerit aliquod domini desuper flagellum, quo eos apparet pro suis meritis vapulare: tunc enim aures humiles praebet emendantis sermoni calamitas auditorum, et facilius in gemitum confitendi, quam in murmura resistendi afflictis corda compellit; quamquam etsi nulla calamitas tribulationis premat, cum facultas detur, utiliter corripitur in multitudine multitudinis: nam sicut separata saevire, sic in ipsa congregatione obiurgata gemere consuevit.

Chrysostomus in Matth. hoc autem dixit dominus prohibens occisiones fieri: neque enim oportet interficere haereticum: quia praelium inexplicabile in orbe terrarum induceretur: et ideo dicit ne eradicetis simul cum eis frumentum; idest, si moveritis arma, et occideritis haereticos, necesse est multos sanctorum simul submitti. Non ergo detinere haereticos et abscindere liberam eorum propalationem et synodos et studia dissolvere prohibet, sed interficere et occidere.

Augustinus ad vincentium. haec autem primitus mea sententia erat, neminem ad unitatem christi esse cogendum: verbo enim agendum, disputatione pugnandum, ratione vincendum, ne fictos catholicos haberemus quos apertos haereticos noveramus. Sed haec opinio mea non contradicentium verbis, sed demonstantium superabatur exemplis: harum enim legum quibus promulgandis reges serviunt domino in timore, ita profuit, ut nunc alii dicant: iam hoc volebamus; sed Deo gratias, qui nobis occasionem praebuit, et dilationum morulas amputavit. Alii dicant: hoc esse verum iam sciebamus; sed nescio qua consuetudine tenebamur: gratias Deo, qui vincula nostra disruptit. Alii dicant: nesciebamus hoc esse veritatem, nec eam discere volebamus, sed ad eam cognoscendam metus fecit intentos: gratias domino, qui negligentiam nostram stimulo terroris excussit. alii dicant: nos falsis rumoribus terrebamur intrare, quos falsos esse nesciremus nisi intraremus, nec intraremus nisi cogeremur: gratias Deo qui praedicationem nostram flagello abstulit, expertos docuit, quam vana et inania de ecclesia sua mendax fama iactaverit. Alii dicant: putabamus quidem nihil interesse, ubi fidem christi teneremus; sed gratias domino, qui nos a divisione collegit, et hoc uni Deo congruere ut in unitate colatur, ostendit. serviant ergo reges terrae Christo, leges edendo pro Christo.

Augustinus ad bonifacium comitem. Quis autem vestrum velit non solum aliquem haereticorum perire, verum etiam aliquid perdere? sed aliter non meruit habere pacem domus David, nisi absalon filius eius in bello quod contra patrem gerebat, fuisset extinctus: quamvis magna cura mandaverit suis ut eum quantum possent vivum salvumque servarent, et esset cui poenitenti paternus affectus ignosceret. Quid autem ei restitit nisi perditum flere, et sui regni pace acquisita, suam moestitiam consolari? sic ergo catholica mater ecclesia, si aliquorum perditione tam multos ceteros colligit, dolorem materni cordis lenit, et sanat tantorum liberatione populorum. ubi est autem quod isti clamare consueverunt: liberum est credere vel non credere? cui vim Christus intulit? quem coegit? ecce habent apostolum paulum: agnoscant in eo prius cogentem Christum, et postea docentem; prius ferientem, et postea consolantem. Mirum autem est quomodo ille qui

poena corporis ad evangelium coactus intravit, plus illis omnibus qui solo verbo vocati sunt, in evangelio laboravit. Cur ergo non cogeret ecclesia perditos filios ut redirent, si perditii filii coegerunt alios ut perirent? sequitur et in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum.

Remigius. Messis autem appellatur tempus metendi; per messem vero designatur dies iudicii, in quo separandi sunt boni a malis.

Chrysostomus in Matth. sed propter quid dicit colligite primum zizania? ut non timeant boni, quasi simul cum zizaniis tollatur frumentum.

Hieronymus. Quod autem dicit zizaniorum fasciculos igni tradi, et triticum congregari in horrea, manifestum est, haereticos quosque et hypocritas gehennae ignibus concremandos; sanctos vero, qui appellantur triticum, horreis, idest caelestibus mansionibus, recipi.

Augustinus de quaest. Evang. Quaeri autem potest cur non unum fascem aut unum acervum zizaniorum fieri dixerit; nisi forte propter varietatem haereticorum, non solum a tritico, sed etiam a seipsis discrepantium, ipsas uniuscuiusque haereses, in quibus sigillatim sua communione disiuncti sunt, nomine fasciculorum designavit: ut etiam tunc incipiant alligari ad comburendum, cum a catholica communione segregati, suas proprias quasi ecclesias habere coeperint, ut combustio eorum sit in fine saeculi, non alligatio fasciculorum. Sed si ita esset non tam multi respiscendo, et in catholicam ecclesiam remeando ab errore discederent. Quapropter alligatio fasciculorum in fine profutura est, ut non confuse, sed pro modo perversitatis suae uniuscuiusque erroris pertinacia puniatur.

Rabanus. Et notandum, quod ubi dicit seminavit bonum semen, notat bonam voluntatem, quae in electis est; ubi vero dicit inimicus venit, etc., cautelam habendam intimare voluit; quando autem crescentibus zizaniis, quasi patienter ferens ait inimicus homo hoc fecit, patientiam nobis commendavit; ubi vero ait ne forte colligentes zizania, donavit nobis discretionis exemplum; quando autem subiungit sinite utraque crescere usque ad messem, commendavit longanimitatem; ad ultimum iustitiam, cum dicit alligate ea in fasciculos ad comburendum.

MATTHAEUS 13,31-32

4331 (Mt 13,31-32)

Chrysostomus in Matth. quia dominus dixerat, quod de semine tres partes pereunt, et salvatur una; et in ipsa rursus quae salvatur, multa efficitur iactura, propter zizania quae superseminantur; ne dicerent: qui ergo erunt et quanti fideles? consequenter hunc timorem aufert per parabolam sinapis: et ideo dicitur aliam parabolam proposuit eis, dicens: simile est regnum caelorum grano sinapis.

Hieronymus. Regnum caelorum praedicatio evangelii est, et notitia scripturarum quae ducit ad vitam: de qua dicitur ad iudaeos: auferetur a vobis regnum Dei. Huiusmodi ergo regnum caelorum est simile grano sinapis.

Augustinus de quaest. Evang. granum namque sinapis ad fervorem fidei pertinet, vel eo quod dicatur venena expellere. sequitur quod accipiens homo seminavit in agro suo.

Hieronymus. Homo qui seminat in agro suo, a plerisque salvator intelligitur, qui in animis credentium seminat; ab aliis ipse homo seminans in agro suo, idest in corde suo. Quis autem est iste qui seminat nisi sensus noster et animus, qui suscipiens granum praedicationis, et fovens sementem humore fidei, facit in agro sui pectoris pullulare? sequitur quod minimum quidem est omnibus seminibus. Praedicatio evangelii minima est omnibus disciplinis: ad primam quidem doctrinam fidem non habet veritatis, hominem Deum, Deum mortuum, et scandalum crucis praedicans. Confer huiusmodi doctrinam dogmatibus philosophorum, et libris eorum, et splendori eloquentiae, compositionique sermonum; et videbis quanto minus sit ceteris seminibus semen evangelii.

Chrysostomus in Matth. vel minimum est semen evangelii, quia discipuli universis erant imbecilliores; sed tamen quia magna erat virtus in eis, expansa est eorum praedicatio ubique terrarum: et ideo sequitur cum autem creverit, maius est omnibus oleribus, idest dogmatibus.

Augustinus de quaest. Evang. dogmata autem sunt placita sectarum, idest ut placuit sectis.

Hieronimus. philosophorum enim dogmata cum creverint, nihil mordax, nihil vitale demonstrant: totum flaccidum marcidumque ebullit in olera et in herbas, quae cito arescunt et corruunt. Praedicatio autem evangelica, quae parva videbatur in principio, cum vel in animam credentis, vel in totum mundum sata fuerit, non exurgit in olera, sed crescit in arborem, ita ut volucres caeli (quas vel animas credentium, vel fortitudines Dei servitio mancipatas sentire debemus). veniant, et habitent in ramis eius: unde sequitur et fit arbor, ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius. Ramos puto evangelicae arboris, qui de grano sinapis creverunt, dogmatum esse diversitates, in quibus supradictarum volucrum unaquaeque requiescit. assumamus et nos pennas columbae, ut ad altiora volitantes, possimus habitare in ramis huius arboris, et nidos nobis facere doctrinarum, terrenaque fugientes ad caelestia festinare.

Hilarius in Matth. vel grano sinapis seipsum dominus comparavit, acri semini, et omnium seminum minimo, cuius virtus pressuris accenditur.

Gregorius moralium. ipse quidem est granum sinapis, qui in horto sepulturae plantatus, arbor magna surrexit: granum namque fuit cum moretetur, arbor cum resurgeret; granum per humilitatem carnis, arbor per potentiam maiestatis.

Hilarius in Matth. granum igitur hoc postquam in agro seminatum fuit, idest ubi a populo comprehensus et traditus morti, tamquam in agro fuit satione quadam corporis consepultus, ultra mensuram omnium olerum excrevit et universam prophetarum gloriam excedit. Oleris enim vice tamquam aegroto israel data est praedicatio prophetarum; sed iam in ramis arboris caeli volucres inhabitant. Apostolos scilicet ex christi virtute protensos, et mundum inumbrantes in ramis intelligimus, in quo gentes in spem vitae advolabunt, et aurarum turbine, idest diaboli spiritu flatuque vexatae, tamquam in ramis arboris conquiescent. **Gregorius** moralium. in istis etiam ramis volucres requiescunt; quia sanctae animae, quae quibusdam virtutum pennis a terrena cogitatione se sublevant, in eorum dictis atque consolationibus ab huiusmodi fatigatione vitae respirant.

MATTHAEUS 13,33

4333 (Mt 13,33)

Chrysostomus in Matth. ad idem ostendendum dominus apponit parabolam de fermento: unde dicitur aliam parabolam locutus est eis: simile est regnum caelorum fermento; quasi dicat: sicut fermentum multam farinam transmutat in suam virtutem, ita et vos totum mundum transmutabitis. Et vide christi prudentiam: ea enim quae sunt naturae inducit, demonstrans quoniam sicut illa possibile est fieri, ita et hoc. Non autem dixit quod posuit simpliciter, sed abscondit; ac si diceret: ita et vos cum subiecti fueritis impugnantibus vestris, tunc eos superabitis. Et sicut fermentum suffoditur quidem, non autem destruitur, sed paulatim ad suum habitum omnia transmutat, sic et in praedicatione vestra continget. Non itaque quia multas dixi superventuras vobis vexationes timeatis; ita enim fulgebitis et omnes superabitis. tria autem sata hic pro multis posuit: hunc enim numerum determinatum pro multitudine indeterminata accepit.

Hieronimus. satum autem est genus mensurae iuxta morem provinciae palaestinae, unum modium et dimidium accipiens.

Augustinus de quaest. Evang. Vel fermentum dicit dilectionem, eo quod fervere facit, et excitat; mulierem, sapientiam dicit. in farinae autem satis tribus intelligitur vel tria illa in homine, ex toto corde, ex tota anima, et ex tota mente; vel tria illa fructifera, centesimum, sexagesimum, et tricesimum; vel tria illa genera hominum: noe, daniel et iob.

Rabanus. Dicit autem donec fermentatum est totum, quia caritas in nostra mente recondita eo usque crescere debet ut totam mentem in sui perfectionem commutet: quod hic quidem inchoatur, in futuro vero perficitur.

Hieronimus. Vel aliter. Mulier ista, quae fermentum accipit et abscondit, praedicatio mihi videtur apostolica, vel ecclesia de diversis gentibus congregata. Haec tollit fermentum, intelligentiam scilicet scripturarum, et abscondit illud in farinae satis tribus, ut spiritus, anima et corpus in unum redacta, non discrepent inter se. Vel aliter. Legimus in platone tria esse in anima: rationale, irascibile et concupiscibile; et nos ergo si acceperimus fermentum evangelicum sacrarum scripturarum, in ratione possideamus prudentiam, in ira odium contra vitia, in desiderio cupiditatem virtutum: et hoc totum fiet per evangelicam doctrinam, quam nobis mater ecclesia praestitit. dicam et quorundam intelligentiam: mulierem istam et ipsi

ecclesiam interpretantur, quae fidem hominis farinae satis tribus commiscuit, scilicet credulitati patris et filii et spiritus sancti: cum in unum fuerit fermentata, non nos ad triplicem Deum, sed ad unius divinitatis perducit notitiam. Pius quidem sensus: sed nunquam parabola et dubia aenigmatum intelligentia possunt ad auctoritatem dogmatum proficere.

Hilarius in Matth. vel aliter. Fermento se dominus comparavit: fermentum enim de farina est, quod virtutem acceptam acervo sui generis reddit. Hoc autem fermentum acceptum mulier, synagoga scilicet, per iudicium mortis abscondit: hoc autem in farinae mensuris tribus, idest legis, prophetarum, evangeliorum aequalitate coopertum, omnia unum fecit: ut quod lex constituit, prophetae nuntiaverunt, idipsum evangeliorum profectioibus expleatur, quamquam ad trium gentium vocationem, ex sem, cham et iaphet, tres mensuras farinae esse referendas sensisse multos memini. Sed nescio an hoc ita opinari ratio permittat; cum etsi omnium gentium vocatio sit, in his tamen Christus non absconsus sit, sed ostensus; et in tanta infidelium multitudine non fermentatum sit totum.

MATTHAEUS 13,34-35

4334 (Mt 13,34-35)

Chrysostomus in Matth. post praemissas parabolas, ne aliquis opinaretur quod Christus nova induceret, induxit evangelista prophetam etiam hunc praedicentem doctrinae modum; et ideo dicit haec omnia locutus est iesus in parabolis ad turbas. Marcus autem ait: quoniam sicut poterant audire, loquebatur eis sermonem in parabolis. Unde non mireris si de regno disputans, grani et fermenti meminit: hominibus enim loquebatur idiotis et indigentibus ab his induci.

Remigius. Parabola graece, latine dicitur similitudo, per quam veritas demonstratur. ostendit quippe in ipsa similitudine quasdam figuras verborum, et imagines veritatis.

Hieronymus. Non autem discipulis, sed turbis parabolas loquebatur: et usque hodie turbae in parabolis audiunt: et ideo dicitur et sine parabolis non loquebatur eis.

Chrysostomus in Matth. quamvis enim multa sine parabolis non turbis dixerit, sed tamen tunc nihil.

Augustinus de quaest. Evang. Vel hoc dicitur non quia nihil proprie locutus est: sed quia nullum fere sermonem explicavit, ubi non per parabolam aliquid significaverit; quamvis in eo aliqua et proprie dixerit: ita ut saepe inveniatur totus sermo eius parabolis explicatus, totus autem proprie dictus nullus inveniatur. Explicatos autem sermones dico, quando ex aliqua occasione rerum incipit loqui quousque terminet quidquid ad ipsam rem pertinet, et transeat ad aliud. Nonnunquam sane alius evangelista contexit quod alius diversis temporibus dictum indicat: non enim omnino secundum rerum gestarum ordinem, sed secundum suae quisque recordationis facultatem, narrationem quam exorsus est, ordinavit. Quare autem in parabolis loqueretur, manifestat evangelista, cum subdit ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem: aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita a constitutione mundi.

Hieronymus. Hoc testimonium de psalmo 77,2 sumptum est. Legi in nonnullis codicibus eo loco ubi nos posuimus et vulgata editio habet ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem, ubi scriptum est: per isaiam prophetam dicentem.

Remigius. Unde porphyrius obiecit fidelibus: evangelista vester tantae insipientiae fuit ut quod reperitur in psalmis, ipse deputaverit isaias.

Hieronymus. Quia ergo minime inveniebatur in isaia, arbitror postea a prudentibus viris esse sublatum; sed mihi videtur in principio ita editum: quod scriptum est per asaph prophetam dicentem: septuagesimus enim septimus psalmus de quo sumptum est hoc testimonium, asaph prophetae inscribitur, et primum scriptorem non intellexisse asaph, et putasse scriptoris vitium, atque emendasse nomen isaias, cuius vocabulum manifestius erat. Sciendum est itaque, quod non solum David, sed etiam ceteri (quorum in psalmis et hymnis et canticis Dei, praescripta sunt nomina). prophetae sunt appellandi, asaph videlicet et idithum, et heman ephraites, et reliqui quos scriptura commemorat; quodque in persona domini dicitur aperiam in parabolis os meum, considerandum attentius et inveniendum describi egressum israelis ex aegypto, et omnia signa narrari quae in exodi continentur historia. ex quo intelligimus universa illa quae ibi scripta sunt, parabolice sentienda, et manifestare abscondita sacramenta: hoc enim salvator edicturum se esse promittit, dicens aperiam in parabolis os meum.

Glossa. quasi dicat: qui prius locutus sum per prophetas, modo in propria persona aperiam os meum in parabolis, et eructabo de thesauro mei secreti; emittam mysteria quae abscondita erant a constitutione mundi.

MATTHAEUS 13,36-43

4336 (Mt 13,36-43)

Chrysostomus in Matth. locutus fuerat dominus turbis in parabolis, ut eos ad interrogandum induceret; et quamvis multa in parabolis dixisset, nullus tamen eum interrogavit; et ideo eos dimisit: unde sequitur tunc dimissis turbis venit in domum. Nullus autem eum scribarum sequitur: unde manifestum est quod propter nihil aliud prius sequebantur quam ut eum caperent in sermone.

Hieronymus. dimittit autem turbas iesus, et domum revertitur, ut accedant ad eum discipuli, et secreto interrogent quae populus nec merebatur audire nec poterat.

Rabanus. Mystice autem dimissa turba tumultuantium iudaeorum, ingreditur ecclesiam gentium, et ibi fidelibus exponit sacramenta caelestia: unde sequitur et accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: edissere nobis parabolam zizaniorum agri.

Chrysostomus in Matth. Cum aliquando volentes discere formidaverint interrogare, nunc libere interrogant, et confisi sunt, quoniam audierant: vobis datum est nosse mysterium regni Dei; ideoque singulariter interrogant, non multitudinem aemulantes, quibus non erat datum. Dimittunt autem parabolam fermenti et sinapis, ut manifestiores; interrogant autem de parabola zizaniorum, quia habet convenientiam ad praemissam parabolam de semine, et aliquid amplius ostendit. dominus autem quae esset parabola exponit: unde sequitur qui respondens ait eis: qui seminat bonum semen, est filius hominis.

Remigius. Ideo autem dominus se filium hominis appellavit, ut hoc indicio nobis exemplum humilitatis relinqueret; sive quia futurum erat ut haeretici negarent eum verum hominem esse; sive ut per humanitatis fidem possimus conscendere ad divinitatis cognitionem. sequitur ager autem est mundus.

Glossa. cum autem ipse sit qui seminat agrum suum, manifestum est quia praesens mundus est eius. sequitur bonum vero semen hi sunt filii regni.

Remigius. Idest sancti et electi viri, qui inter filios regni computantur.

Augustinus contra faustum. Zizania autem exponit dominus non aliqua falsa veris scripturis immissa, sicut manichaeus interpretatur; sed omnes filios maligni, idest, imitatores diabolicae falsitatis: unde sequitur zizania autem sunt filii nequam; per quos omnes impios et malignos vult intelligi.

Augustinus de quaest. Evang. Omnis autem immunditia in segete zizania dicuntur. sequitur inimicus autem qui seminavit ea, est diabolus.

Chrysostomus in Matth. etenim hoc diabolicae est machinationis, veritati semper inserere errorem. sequitur messis vero consummatio saeculi est. Alio autem loco ait, de samaritanis loquens: levate oculos vestros, et considerate regiones, quoniam iam albae sunt ad messem; et rursus: messis quidem multa, operarii autem pauci: in quibus verbis messem dicit iam adesse. Qualiter ergo hic eam dicit esse futuram? sed sciendum, quod in alia significatione messem dicit: unde et ibi dicit, quod alius est qui seminat, et alius qui metit; hic autem eundem dicit esse qui seminat et qui metit: quoniam ibi non ad sui differentiam, sed apostolorum, prophetas induxit: etenim ipse Christus per prophetas seminavit in iudaeis et samaritanis. idem ergo nominat semen et messem secundum aliud et aliud. Cum enim de obedientia loquatur, et persuasionem ad fidem, tunc vocat messem, sicut in quo totum perficitur: sed cum inquit de fructu auditionis verbi Dei, tunc consummationem dicit messem, sicut hic.

Remigius. per messem enim designatur dies iudicii, in quo separandi sunt boni a malis; quod fiet ministerio angelorum: unde infra dicitur, quod veniet filius hominis cum angelis suis iudicare: propter quod sequitur messorum autem angeli sunt. sequitur sicut ergo zizania colliguntur et igni comburuntur, sic erit in consummatione saeculi: mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem.

Augustinus de Civ. Dei. numquid de regno illo ubi sunt nulla scandala? de regno ergo isto eius quod est hic, scilicet ecclesia, colligentur.

Augustinus de quaest. Evang. quod autem primo separantur zizania, hoc est quia tribulatione praecedente separabuntur impii a piis: quod per bonos angelos intelligitur fieri, quia officia vindictae possunt implere boni bono animo, quomodo lex, quomodo iudex; officia vero misericordiae mali implere non possunt.

Chrysostomus in Matth. Vel potest intelligi de regno caelestis ecclesiae; et tunc ostenditur hic duplex poena: videlicet quod excidunt a gloria, in hoc quod dicit et colligent de regno eius omnia scandala, scilicet ne scandala in regnum eius intrent; et quod comburuntur, in hoc quod subdit et mittent eos in caminum ignis.

Hieronymus. omnia autem scandala referuntur ad zizania. Hoc autem quod dicit et colligent de regno eius omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem, inter haereticos et schismaticos qui faciunt iniquitatem, voluit distinguere: ut per eos qui faciunt scandala intelligantur haeretici; per eos vero qui faciunt iniquitatem, intelligantur schismatici.

Glossa. vel aliter. Per scandala possunt intelligi illi qui praebent proximo occasionem offensionis, aut ruinae; per facientes iniquitatem quoscumque peccantes.

Rabanus. observa quod dicit et eos qui faciunt iniquitatem: non qui fecerunt, quia non qui conversi sunt ad poenitentiam, sed solum qui permanent in peccatis, aeternis cruciatibus mancipandi sunt.

Chrysostomus in Matth. Vide autem ineffabilem Dei amorem ad homines; est enim ad beneficia promptus, et ad poenam tardus: cum enim seminat, per seipsum seminat; cum autem punit, per alios: mittit enim ad hoc angelos suos. sequitur ibi erit fletus et stridor dentium.

Remigius. His verbis demonstratur vera corporum resurrectio: nihilominus ostenditur per hoc duplex poena inferni, scilicet nimii caloris, et nimii frigoris. sicut autem scandala referuntur ad zizania, ita iusti reputantur in filios regni; de quibus sequitur tunc iusti fulgebunt sicut sol in regno patris eorum. In praesenti enim saeculo fulget lux sanctorum coram hominibus, post consummationem autem mundi ipsi iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui.

Chrysostomus in Matth. Non quia ita solum sicut sol; sed quia hoc sidere aliud magis luculentum non noscimus, cognitis nobis utitur exemplis.

Remigius. Quod autem dicit tunc fulgebunt, intelligendum est quia et nunc fulgent in exemplum aliorum; sed tunc fulgebunt sicut sol ad laudandum Deum. sequitur qui habet aures audiendi audiat.

Rabanus. Idest, qui habet intellectum intelligat, quia mystice haec omnia intelligenda sunt.

MATTHAEUS 13,44

4344 (Mt 13,44)

Chrysostomus in Matth. parabola quas supra dominus posuerat de fermento et sinapi, ad virtutem evangelicae praedicationis referuntur, quoniam superavit orbem terrarum; nunc autem ut pretiositatem et magnificentiam eiusdem ostenderet, proponit parabolam de thesauro et margarita, dicens simile est regnum caelorum thesauro abscondito in agro. praedicatio enim evangelii occultata est in mundo, et si non vendideris omnia, non emes eam; et cum gaudio hoc oportet facere: unde sequitur quem qui invenit homo abscondit.

Hilarius in Matth. hic quidem thesaurus gratis invenitur. evangeliorum enim praedicatio in abscondito est; sed utendi et possidendi huiusmodi thesauri cum agro potestas non potest esse sine pretio: quia caelestes divitiae non sine damno saeculi possidentur.

Hieronymus. quod autem abscondit, non de invidia facit; sed more servantis et nolentis prodere, abscondit in corde, quem pristinis praetulit facultatibus.

Gregorius in Evang. Vel aliter. Thesaurus in agro absconditus est caeleste desiderium; ager vero in quo thesaurus absconditur, est disciplina studii caelestis: quem scilicet thesaurum cum invenit homo abscondit,

scilicet ut servet: quia studium caelestis desiderii a malignis spiritibus custodire non sufficit ei qui hoc ab humanis laudibus non abscondit. In praesenti etenim vita quasi in via sumus, qua ad patriam pergimus. Maligni autem spiritus iter nostrum quasi quidam latrunculi obsident. depraedari ergo desiderant qui thesaurum publice portant in via. Hoc autem dico, non ut proximi nostri opera nostra non videant; sed ut per hoc quod agimus, laudes exterius non quaeramus. Caelorum autem regnum idcirco terrenis rebus simile dicitur, ut ex his quae animus novit, surgat ad incognita; ut per hoc quod scit notum diligere, discat ignotum amare. sequitur et prae gaudio illius vadit, et vendit universa quae habet et emit agrum illum. Agrum profecto venditis omnibus comparat qui voluptatibus carnis renuntians, cuncta sua terrena desideria per disciplinae caelestis custodiam calcat.

Hieronymus. vel thesaurus iste, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, aut Deus verbum est, qui in carne christi videtur absconditus; aut sanctae scripturae, in quibus reposita est notitia salvatoris.

Augustinus de quaest. Evang. Hunc autem thesaurum dixit in agro absconditum, scilicet duo testamenta in ecclesia; quae cum quis ex parte intellectus attigerit, sentit illic magna latere; et vadit, et vendit omnia sua, et emit illum; idest, contemptu temporalium comparat sibi otium, ut sit dives cognitione Dei.

MATTHAEUS 13,45-46

4345 (Mt 13,45-46)

Chrysostomus in Matth. evangelica praedicatio non solum lucrum multiplex praebet ut thesaurus, sed et pretiosa est ut margarita: unde post parabolam de thesauro ponit parabolam de margarita, dicens iterum simile est regnum caelorum homini negotiatori, etc. In praedicatione enim duo oportet adesse: scilicet ab huius vitae negotiis separari, et vigilantes esse; quod negotiatio designat. una autem est veritas et non partita; et propter hoc una margarita dicitur inventa. et sicut qui margaritam habet, ipse quidem novit quod dives est, aliis vero non est cognitus, multoties eam manu detinens propter eius parvitatem, ita est in praedicatione evangelii: qui enim eam detinent, sciunt se divites esse; infideles autem hunc thesaurum nescientes, divitias nostras ignorant.

Hieronymus. Bonae autem margaritae possunt intelligi lex et prophetae. Audi ergo, marcion et manichaeae, quod bonae margaritae sunt lex et prophetae. Una ergo pretiosissima margarita est scientia salvatoris, et sacramentum passionis et resurrectionis illius; quod cum invenerit homo negotiator, similis pauli apostoli, omnia legis prophetarumque mysteria, et observationes pristinas, in quibus inculcate vixerat, quasi purgamenta contemnit, ut Christum lucrifaciat; non quod inventio bonae margaritae condemnatio sit veterum margaritarum; sed quod comparatione eius omnis alia gemma sit vilior. **Gregorius** in Evang. Vel per margaritam pretiosam intelligitur caelestis vitae dulcedo, quam inventam omnia vendens emit: quia qui caelestis vitae dulcedinem, in quantum possibilitas admittit, perfecte cognoverit, ea quae in terris amaverat, libenter cuncta derelinquit: deforme conspicitur quicquid de terrenae rei placebat specie, quia sola pretiosae margaritae claritas fulget in mente.

Augustinus de quaest. Evang. Vel homo cum quaerat bonas margaritas, invenit unam pretiosam: quia quaerens homines bonos, cum quibus utiliter vivat, invenit unum sine peccato iesum Christum; aut praecepta quaerens, quibus servatis, cum hominibus recte conversetur, invenit dilectionem proximi (in quo uno dicit apostolus omnia contineri).; aut bonos intellectus quaerens, invenit illud verbum quo cuncti continentur: in principio erat verbum, quod est lucidum candore veritatis, et solidum firmitate aeternitatis, et undique sibi simile pulchritudine veritatis; qui Deus penetrata testudine intelligendus est. quodlibet illorum vero trium sit, vel si aliud occurrere potuerit quod margaritae unius pretiosae nomine significetur; pretium eius est nos ipsi, qui ad eam possidendam non sumus liberi, nisi omnibus pro nostra liberatione contemptis quae temporaliter possidentur. Venditis enim rebus nostris, nullum aliud pretium maius accipimus quam nos ipsos (quia talibus implicati, nostri non eramus)., ut rursus nos pro illa margarita demus: non quia tantum valet, sed quia plus dare non possumus.

MATTHAEUS 13,47-50

4347 (Mt 13,47-50)

Chrysostomus in Matth. postquam per praedictas parabolas evangelicam praedicationem commendaverat, ut non confidamus in praedicatione solum, neque fidem nobis aestimemus sufficere ad

salutem, aliam parabolam terribilem subdit, dicens iterum simile est regnum caelorum sagenae missae in mare.

Hieronimus. impleto enim ieremiae vaticinio dicentis: ecce ego mittam ad vos piscatores multos, postquam autem audierunt petrus et andreas, iacobus et ioannes: sequimini me: faciam vos piscatores hominum, contexuerunt sibi ex veteri et ex novo testamento sagenam evangelicorum dogmatum, et miserunt eam in mare huius saeculi; quae usque hodie in mediis fluctibus tenditur, capiens de salsis et amaris gurgitibus quicquid inciderit, idest bonos homines et malos; et hoc est quod subdit ex omni genere piscium congreganti.

Gregorius in Evang. vel aliter. Sancta ecclesia sagenae comparatur, quia et piscatoribus est commissa, et per eam quisque ad aeternum regnum a praesentis saeculi fluctibus trahitur, ne aeternae mortis profundo mergatur: quae ex omni genere piscium congregat, quia ad peccatorum veniam sapientes et fatuos, liberos et servos, divites et pauperes, fortes et infirmos vocat: quae sagenae scilicet tunc universaliter impletur, cum in fine suo humani generis summa concluditur: unde sequitur quam, cum impleta esset educentes et secus littus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sicut enim mare saeculum, ita saeculi finem significat littus maris: in quo scilicet fine, boni pisces in vasis eliguntur, mali proiciuntur foras: quia et electus quisque in tabernacula aeterna recipitur, et interni regni luce perdita, ad exteriores tenebras reprobi protrahuntur. nunc enim malos bonosque communiter quasi permixtos pisces fidei sagenae continet; sed littus indicat sagenae ecclesiae quid trahebat.

Hieronimus. Dum enim sagenae extrahetur ad littus, tunc verum discernendorum piscium indicium demonstrabitur.

Chrysostomus in Matth. quid autem distat haec parabola a parabola zizaniorum? etenim illic hi quidem salvantur, hi autem pereunt, sicut et hic. Sed illic quidem propter pravorum dogmatum haeresim, et in anteriori parabola de semine, quia non attendebant quae dicebantur; hic autem propter vitae nequitiam, propter quam quamvis et piscatione capti, idest cognitione Dei fruentes, non possunt salvari. Ne autem audiens quoniam malos foras miserunt, aestimes hanc poenam non esse periculosam, per expositionem eius gravitatem ostendit, dicens: sic erit in consummatione saeculi: exibunt angeli, etc. Quamvis alibi dicat, quod ipse segregabit eos sicut separat pastor oves, hic angelos hoc facere dicit, sicut et in parabola zizaniorum.

Gregorius in Evang. Timendum est autem hoc potius quam exponendum: aperta enim voce tormenta peccantium dicta sunt, ne quis ad ignorantiae suae excusationem recurreret, si quid de aeterno supplicio obscure diceretur.

Rabanus. Cum enim venerit finis mundi, tunc verum discernendorum piscium indicium demonstrabitur; et quasi in quodam quietissimo portu boni mittentur in vasa caelestium mansionum; malos autem torrendos et exsiccandos, gehennae flamma suscipiet.

MATTHAEUS 13,51-52

4351 (Mt 13,51-52)

Chrysostomus in Matth. recedentibus turbis, dominus discipulis in parabolis loquitur; ex quibus sapientiores sunt facti, ita quod intelligunt quae dicuntur: quocirca dicit eis intellexistis haec omnia? dicunt ei: etiam.

Hieronimus. ad apostolos enim proprie sermo est, quos non vult audire tantum ut populum, sed etiam intelligere ut magistros futuros.

Chrysostomus in Matth. deinde quia intellexerunt, rursus eos laudat: unde sequitur ait illis: ideo omnis scriba doctus in regno caelorum similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova et vetera.

Augustinus de Civ. Dei. Non dixit: vetera et nova: quod utique dixisset, nisi maluisset meritum ordinem servare quam temporum. manichaei etiam dum sola Dei promissa nova tenere se arbitrantur, remanent in vetustate carnis, et novitatem inducunt erroris.

Augustinus de quaest. Evang. Utrum autem ista conclusione exponere voluit quem dixerit thesaurum in agro absconditum (quoniam sanctae scripturae intelliguntur, quae nomine duorum testamentorum novi et

veteris concluduntur).; an ostendere voluit, eum doctum habendum in ecclesia qui etiam scripturas veteres parabolis explicatas intellexerit, ab istis novis accipiens regulas, quia et ista dominus per parabolas enuntiavit; ut si ipse, in quo illa complentur et manifestantur, per parabolas adhuc loquitur, donec passio eius velum discindat, ut nihil sit occultum quod non reveletur; multo magis illa quae tam longe de illo scripta sunt, parabolis aperta esse noverimus: quae cum iudaei ad litteram accipiant, noluerunt esse docti in regno caelorum.

Gregorius in Evang. sed si per novum et vetus quod dicitur, utrumque testamentum accipimus, abraham doctum fuisse denegamus, qui novi et veteris testamenti etsi facta novit, minime verba nuntiavit. Moysen quoque docto patrifamilias comparare non possumus: quia etsi testamentum edocuit vetus, novi tamen dicta non protulit. Sed in eo quod hic dicitur, intelligi valet quia non de his qui fuerant, sed de his qui esse in ecclesia poterant, loquebatur; qui tunc nova et vetera proferunt, cum utriusque testamenti praedicamenta vocibus et moribus loquuntur.

Hilarius in Matth. discipulis enim est locutus, quos scribas propter scientiam nuncupat, eo quod intellexerint ea quae ille nova et vetera, idest in evangeliiis et lege protulit, quae sunt et eiusdem patrifamilias, uniusque utraque thesauri: ipsos etiam sub patrifamilias nomine sibi comparat, eo quod doctrinam de spiritus sancti thesauro suo novorum ac veterum sunt adepti.

Hieronymus. vel apostoli instructi scribae dicuntur, quasi notarii salvatoris, qui verba illius et praecepta signabant in tabulis cordis carnalibus rerum caelestium sacramentis, et pollebant opibus patrifamiliae, eicientes de thesauro doctrinarum suarum nova et vetera: ut quicquid in evangelio praedicabant, legis et prophetarum vocibus comprobarent. unde et sponsa dicit in cantico canticorum: nova cum veteribus, dilecte mi, servavi tibi.

Gregorius in Evang. vel aliter. Vetus est ut pro culpa humanum genus in aeterna poena intereat, et novum ut conversus in regnum vivat. Prius autem de regni similitudine thesaurum inventum ac margaritam bonam protulit; postmodum inferni poenas de malorum combustionem narravit: atque in conclusione subiungit ideo doctus scriba, etc.; ac si dicat: ille in sancta ecclesia doctus praedicator est qui et nova scit proferre de suavitate regni, et vetusta dicere de terrore supplicii: ut vel poenae terreant quos praemia non invitant.

MATTHAEUS 13,53-58

4353 (Mt 13,53-58)

Hieronymus. Post parabolas quas dominus ad populum est locutus, et quas soli apostoli intelligunt, transit in patriam suam, ut ibi apertius doceat: et hoc est quod dicitur et factum est, cum consummasset iesus parabolas istas transiit inde; et veniens in patriam suam docebat eos in synagogis eorum.

Augustinus de cons. Evang. A superiori sermone parabolarum istarum sic transit ut non ostendat consequentis ordinis necessitatem; praesertim quia Marcus ab istis parabolis non in quod Matthaeus, sed in aliud intendens, in quod et Lucas, ita contexuit narrationem ut credibilis ostendatur hoc esse potius consequenter gestum quod ipsi duo consequenter adiungunt, de navi scilicet in qua dormiebat iesus, et de miraculo expulso daemionum; quae Matthaeus superius recolens interposuit.

Chrysostomus in Matth. Patriam autem eius hic nazareth vocat: non enim fecit ibi virtutes multas, ut infra dicitur, sed in capharnaum fecit multa signa; sed doctrinam eis ostendit non minorem admirationem habentem quam signa.

Remigius. in synagogis autem docebat, ubi plurimi conveniebant: quia propter multorum salutem de caelis descendit ad terras. sequitur ita ut mirarentur et dicerent: unde huic sapientia haec et virtutes? sapientia refertur ad doctrinam; virtutes vero ad miraculorum operationem.

Hieronymus. mira stultitia nazaraeorum. Mirantur unde habeat sapientiam sapientia, et virtutes virtus; sed error in promptu est, quia fabri filium suspicantur: unde et dicunt nonne hic est fabri filius? .

Chrysostomus in Matth. Per omnia ergo erant insensati, vilipendentes eum ab eo qui aestimabatur esse pater; quamvis multa horum exempla habentes in antiquis temporibus, et patrum ignobilium nobiles videntes filios: etenim David cuiusdam agricolae iesse fuit filius, et amos cuiusdam pastoris, et ipse pastor. Oportebat enim propter hoc maxime eum honorare, quoniam a talibus existens talia loquebatur. et hoc enim manifestum quoniam non ex humana diligentia erat, sed ex divina gratia.

Augustinus in serm. Dom. Infra oct. Epiph. Est autem pater christi faber Deus, qui totius mundi opera fabricatus est, arcam noe disposuit, moysi tabernaculum ordinavit, arcam testamenti instituit. fabrum dixerim, qui mentem rigidam explanat, ac cogitationes superbas excidit.

Hilarius in Matth. Fabri etiam hic erat filius, ferrum ignea vincentis ratione, saeculi virtutem iudicio decoquentis, massamque formantis in omne opus utilitatis humanae; formam scilicet corporum nostrorum in diversa membrorum ministeria, et ad omnia aeternae vitae opera fingentis.

Hieronymus. Cum autem errent in patre, non est mirandum si errent in fratribus: unde subditur nonne eius mater dicitur maria, et fratres eius iacobus et ioseph et simon et iudas? et sorores eius nonne apud nos omnes sunt? .

Hieronymus contra helvidium. Fratres domini hic appellantur filii materterae eius mariae; et haec est mater iacobi et ioseph, idest maria cleophae uxor alphaei; et haec dicta est maria mater iacobi minoris.

Augustinus de quaest. Evang. Non ergo mirum est dictos esse fratres domini ex materno genere quoscumque cognatos: cum etiam ex cognatione ioseph dici potuerint fratres eius ab illis qui eum patrem domini esse arbitrabantur.

Hilarius in Matth. inhonoratur ergo dominus a suis; et quamquam docendi prudentia et operandi virtus admirationem commoveret, non tamen credunt haec in nomine domini agere, et paternae artis quodam opprobrio lacesunt. Inter tot ergo magnifica quae gerebat, corporis eius contemplatione commovebantur; et ideo dicunt unde huic omnia ista? sequitur et sic scandalizabantur in eo.

Hieronymus. Error iudaeorum salus nostra est, et haereticorum condemnatio: intantum enim cernebant hominem iesum Christum ut putarent filium fabri.

Chrysostomus in Matth. Intuere enim christi mansuetudinem: conviciatus est; sed cum multa mansuetudine respondit: unde sequitur iesus autem dixit eis: non est propheta sine honore nisi in patria sua et in domo sua.

Remigius. Prophetam seipsum appellat; quod et moyses manifestat cum dicit: prophetam suscitabit Deus de fratribus vestris vobis. et hoc sciendum, quia non solum Christus, qui est caput omnium prophetarum, sed etiam ieremias, daniel, et ceteri minores prophetae maioris honoris et dignitatis fuerunt apud exteros quam apud suos.

Hieronymus. Propemodum enim naturale est cives semper civibus invidere: non enim considerant praesentia viri opera, sed fragilis recordantur infantiae: quasi non et ipsi per eosdem aetatum gradus ad maturam aetatem venerint.

Hilarius in Matth. Inhonorabilem etiam prophetam in patria sua esse respondit, quia in iudaea esset usque ad crucis sententiam condemnandus, et quia penes solos fideles Dei virtus est: et propter eorum incredulitatem operibus divinae virtutis abstinuit: unde sequitur et non fecit ibi virtutes multas propter incredulitatem eorum.

Hieronymus. Non quod etiam incredulis illis facere non potuit virtutes multas; sed quod ne multas faciens virtutes, cives incredulos condemnaret.

Chrysostomus in Matth. Si autem admiratio ei adveniebat ex miraculis, quare non multa fecit? quia non ad ostentationem suam inspiciebat, sed ad ea quae aliis erant utilia. Hoc igitur non proveniente, despexit quod erat sui ipsius, ut non poenam eis augeat. Cur igitur vel pauca fecit signa? ut non dicant: si utique facta essent signa, nos credidissimus.

Hieronymus. potest etiam aliter intelligi: quod iesus despiciatur in domo, et in patria sua, hoc est in populo iudaeorum; et ideo ibi pauca signa fecerit, ne penitus inexcusabiles fierent; maiora autem signa quotidie in gentibus per apostolos facit non tam in sanatione corporum quam in animarum salute.

MATTHAEUS 14,1-5

Glossa. Quia supra evangelista ostenderat quomodo pharisaei christi miracula calumniabantur, concives autem eius haec admirantes, Christum tamen contemnebant, refert nunc quam opinionem ex auditis miraculis herodes de Christo conceperat: unde dicitur in illo tempore audivit herodes tetrarcha famam iesu.

Chrysostomus in Matth. Non absque causa hic tempus evangelista designat, sed ut discas tyranni superbiam et negligentiam: neque enim a principio didicit ea quae erant de Christo, sed post plurimum tempus: sic etiam multi qui in potestatibus sunt multa elatione circumdati, huiusmodi tarde addiscunt, quia non multam horum faciunt curam.

Augustinus de cons. Evang. Dixit autem Matthaeus in illo tempore, non: in illo die, vel ipsa hora: nam et Marcus quidem hoc eodem modo dicit, sed non eodem ordine; sed postquam discipulos ad praedicandum misit; nulla tamen facta necessitate, qua hoc consequenter gestum esse intelligeretur. Lucas etiam narrandi eum ordinem tenet quem et Marcus; nec ipse tamen rerum gestarum ordinem fuisse eundem credi cogit.

Chrysostomus in Matth. Vide ergo quam magnum quid est virtus: nam et defunctum iohannem herodes formidavit, et de resurrectione philosophatur: et ideo sequitur et ait pueris suis: hic est iohannes baptista: ipse surrexit a mortuis, et ideo virtutes operantur in eo.

Rabanus. Sed quanta est invidia iudaeorum, ex isto loco docemur. iohannem enim a mortuis potuisse resurgere nullo attestante herodes alienigena pronuntiavit; iudaei vero Christum quem prophetae praedixerant, non resurrexisse, sed furtim ablatum esse credere maluerunt. In quo insinuat, quod promptior est animus gentium ad credulitatem quam iudaeorum.

Hieronymus. quidam autem ecclesiasticorum interpretum quaerit quare herodes ista sit suspicatus, ut putet iohannem a mortuis resurrexisse: quasi alieni erroris nobis reddenda sit ratio, aut ex his verbis habeat occasionem haeresis metempsychoseos, quae post multos annorum circulos in diversa corpora dicit animas insinuari: cum eo tempore quo iohannes decollatus est, dominus triginta annorum esset.

Rabanus. Bene autem de resurrectionis virtute omnes senserunt, quod maioris potentiae sunt sancti futuri cum a mortuis resurrexerint, quam fuere dum adhuc carnis infirmitate gravarentur: propterea dicit et ideo virtutes operantur in eo.

Augustinus de cons. Evang. Lucas autem dicit: et ait herodes: iohannem ego decollavi. Quid est iste de quo audio talia? quia ergo haesitantem Lucas commemoravit herodem, intelligendum est, aut post hanc haesitationem confirmasse in animo suo quod ab aliis dicebatur, cum dixit pueris suis, sicut hic Matthaeus narrat, hic est iohannes baptista; aut ita pronuntianda sunt haec verba ut haesitantem adhuc indicent: utroque enim modo pronuntiari potest: ut aut confirmatum eum ex aliorum verbis accipiamus, aut adhuc eum haesitantem, ut Lucas commemorat.

Remigius. Forte autem quaeret aliquis quare dicat Matthaeus in illo tempore audivit herodes, cum longe superius dicat, quod mortuo herode, reversus est dominus ex aegypto. Sed haec quaestio solvitur, si intelligatur duos fuisse herodes: mortuo namque priore herode, successit ei archelaus filius eius, qui post decem annos relegatus est exilio apud viennam urbem galliae. Deinde caesar augustus iussit dividi illud regnum in tetrarchias, et tres partes dedit filiis herodis. Iste ergo herodes qui iohannem decollavit, est filius maioris herodis, sub quo dominus natus est; et ut hoc ostenderet evangelista, addit tetrarcha.

Glossa. Quia vero dixerat de opinione resurrectionis iohannis, cum nihil de morte dixisset, ideo revertitur, et narrat qualiter obierit.

Chrysostomus in Matth. et hanc historiam nobis evangelista non principaliter inducit, quia totum studium fuit ei dicere de Christo, et nihil aliud, nisi ad hoc conferre deberet. dicit ergo herodes tenuit iohannem et alligavit eum.

Augustinus de cons. Evang. Lucas quidem non eodem ordine recordatur, sed circa baptismum quo dominus baptizatus est; unde hoc praeoccupasse intelligitur, ut narret quod multo post factum est. Cum enim commemorasset iohannes verba de domino, quod ventilabrum in manu eius sit, continuo hoc subiecit, quod non continuo factum esse iohannes evangelista exponit, cum commemoret, postea quam baptizatus est iesus, iisse eum in galilaeam, et post rediisse in iudaeam, et ibi baptizasse circa iordanem, antequam iohannes in carcerem missus esset. sed nec Matthaeus nec Marcus eo ordine de iohanne in carcerem misso in sua narratione posuerunt: quod factum apparet in eorum scriptis: nam et ipsi dixerunt, tradito iohanne dominum iisse in galilaeam; et post multa quae fecit ibi, ex occasione famae venientis ad herodem de Christo, narrant omnia quae de iohanne fuerunt incluso et occiso. Causam autem quare positus sit in

carcerem, ostendit cum dicit propter herodiadem uxorem fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: non licet tibi habere eam.

Hieronymus. Vetus narrat historia, philippum herodis maioris filium, fratrem huius herodis, duxisse uxorem herodiadem filiam arethae regis arabum; postea vero socerum eius, exortis quibusdam contra generum simultatibus, tulisse filiam suam, et in dolorem prioris mariti, herodis inimici eius nuptiis copulasse. ergo Ioannes baptista, qui venerat in spiritu et virtute eliae, eadem auctoritate qua ille achab corripuerat et iezabel, arguit herodem et herodiadem, quod illicitas nuptias fecerint, et non liceat fratre vivente germano, uxorem eius ducere; malens periclitari apud regem, quam propter adulationem esse immemor praeceptorum Dei.

Chrysostomus in Matth. Non tamen uxori loquitur, sed viro eius, quoniam principalior erat hic; forsitan enim legem iudaeorum tenebat; et ideo Ioannes eum ab adulterio prohibuit. sequitur et volens eum occidere timuit populum.

Hieronymus. Seditionem quidem populi verebatur propter ioannem, a quo sciebat turbas in iordane plurimas baptizatas; sed amore vincebatur uxoris, ob cuius ardorem etiam Dei praecepta neglexerat.

Glossa. Timor enim Dei corrigit; timor hominum differt, sed voluntatem non aufert: unde et avidiores reddit ad crimen quos aliquando suspendit a crimine.

MATTHAEUS 14,6-12

4406 (Mt 14,6-12)

Chrysostomus in Matth. postquam enarravit evangelista incarcerationem ioannis, prosequitur de occisione ipsius, dicens die autem natalis herodis saltavit filia herodiadis in medio.

Hieronymus. nullum invenimus alium observasse diem natalis sui, nisi herodem et pharaonem: ut quorum erat par impietas, esset una solemnitas.

Remigius. Et sciendum, quod consuetudo est non solum divitum, sed etiam pauperum mulierum, ita pudice filias suas nutrire ut vix ab extraneis videantur. Haec autem impudica mulier impudice filiam suam nutrit, quam non docuit pudorem, sed saltationem. Nec minus reprehendendus est herodes, qui oblitus est domum suam esse aulam regiam, quam praedicta mulier fecerat theatrum: unde sequitur et placuit herodi: unde cum iuramento pollicitus est ei dare quodcumque postulasset ab eo.

Hieronymus. ego autem non excuso herodem quod invitus et nolens propter iuramentum homicidium fecerit, qui ad hoc forte iuravit ut futurae occisionis machinas praepararet: alioquin, si ob iusiurandum fecisse se dicit, si matris, si patris postulasset interitum, facturus fuerat, an non? quod in se ergo repudiaturus fuit, contemnere debuit in propheta.

Isidorus. In malis ergo promissis rescinde fidem. Impia est promissio quae scelere adimpletur. Illud non est observandum sacramentum quo malum incaute promittitur. sequitur at illa praemonita a matre sua, da mihi, inquit, hic in disco caput ioannis baptistae.

Hieronymus. Herodias enim timens ne herodes aliquando resipisceret, vel philippo fratri amicus fieret, atque illicitae nuptiae repudio solverentur, monet filiam ut in ipso statim convivio ioannis caput postulet: digno operi saltationis dignum sanguinis praemium.

Chrysostomus in Matth. Duplex est autem hic puellae accusatio: et quoniam saltavit, et quoniam ita ei placuit ut occisionem expeteret in mercedem. Vide autem qualiter crudelis et qualiter mollis est herodes: seipsum enim obnoxium iuramento facit, illam autem dominam petitionis constituit. Quia ergo scivit quod ex eius petitione malum eveniebat, tristatus est: unde sequitur et contristatus est rex. virtus enim etiam apud malos admiratione et laudibus digna est.

Hieronymus. Vel aliter. Consuetudinis scripturarum est ut opinionem multorum sic narret historicus quomodo eo tempore ab omnibus credebatur. sicut ioseph ab ipsa quoque maria appellabatur pater iesu, ita et nunc herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant. Dissimulator enim mentis suae, et artifex homicidii, tristitiam praeferebat in facie, cum laetitiam haberet in mente. sequitur propter iusiurandum, et propter eos qui pariter recumbebant iussit dari. Scelus excusat iuramento, ut sub occasione

pietatis impius fieret. Quod autem subicit et propter eos qui pariter discumbebant, vult omnes sceleris sui esse consortes, ut in luxurioso convivio cruentae epulae deferrentur.

Chrysostomus in Matth. Si autem testes habere periurationis formidavit, quanto magis timuisse oportebat tam iniquae occisionis tantos testes habere? **Remigius**. Sed in eo minus peccatum factum est causa maioris peccati: nam quia libidinosam voluntatem non extinxit, idcirco ad luxuriam usque pervenit; et quia luxuriam non coercuit, ideo ad reatum homicidii descendit: unde sequitur misitque et decollavit iohannem in carcere; et allatum est caput eius in disco.

Hieronymus. Legimus in romana historia, flaminium ducem romanorum, quod accubanti iuxta meretriculae, quae nunquam vidisse se diceret hominem decollatum, assensus sit ut reus quidam capitalis criminis in convivio truncaretur, a censoribus pulsum curia, quod epulas sanguini commiscuerit, et mortem, quamvis noxii hominis, in alterius delicias praestiterit, ut libido et homicidium pariter miscerentur. quanto sceleratior herodes et herodias, ac puella quae saltavit: in pretium sanguinis petiit caput prophetae, ut haberet in potestate linguam, quae illicitas nuptias arguebat. sequitur et datum est puellae et attulit matri suae.

Glossa. Ut habeat in potestate linguam quae illicitas nuptias arguebat.

Gregorius moralium. sed non sine admiratione gravissima perpendo, quod ille prophetiae spiritu intra matris uterum impletus, quo inter natos mulierum nemo maior surrexit, ab iniquis in carcerem mittitur; et pro puellae saltu capite truncatur; et vir tantae severitatis pro risu turpium moritur. Numquidnam credimus aliquid fuisse quod in eius vita illa sic despecta mors tergeret? sed idcirco Deus suos sic premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in summis. hinc ergo unusquisque colligat quid illi passuri quos reprobat, si sic cruciat quos amat.

Gregorius moralium. neque autem iohannes de confessione christi, sed de iustitiae veritate requisitus occubuit. Sed quia Christus est veritas, usque ad mortem pro Christo quasi pro veritate pervenit. sequitur et accedentes discipuli eius tulerunt corpus eius et sepelierunt illud.

Hieronymus. In quo ipsius iohannis et salvatoris discipulos intelligere possumus.

Rabanus. Narrat autem iosephus vinctum iohannem in castellum mecheronta adductum, ibique truncatum; ecclesiastica vero narrat historia sepultum eum in sebastia urbe palaestinarum, quae quondam samaria dicta est.

Chrysostomus in Matth. intende autem qualiter discipuli iohannis iam magis familiares facti sunt iesu: ipsi enim sunt qui annuntiaverunt ei quod factum est de iohanne: unde sequitur et venientes nuntiaverunt iesu. Etenim universos dimittentes ad ipsum confugiunt; et ita paulatim post calamitatem et responsionem a Christo datam directi sunt.

Hilarius in Matth. Mystice autem iohannes praetulit formam legis: quia lex Christum praedicavit, et iohannes profectus ex lege est, Christum ex lege praenuntians. herodes vero princeps est populi, et populi princeps subiectae sibi universitatis nomen causamque complectitur. iohannes ergo herodem monebat ne fratris sui uxorem sibi iungeret. Sunt enim atque erant duo populi: circumcisionis et gentium. Hi igitur fratres ex eodem sunt humani generis parente; sed israelem lex admonebat ne opera gentium et infidelitatem sibi iungeret, quae ipsis tamquam vinculo coniugalis amoris annexa est. Die autem natalis, idest rerum corporalium gaudiis, herodiadis filia saltavit: voluptas enim tamquam ex infidelitate orta, per omnia israel gaudia totis illecebris suae cursibus efferebatur, cui se etiam sacramento venalem populus addixit: sub peccatis enim et saeculi voluptatibus israelitae vitae aeternae munera vendiderunt. Haec matris suae, idest infidelitatis, instinctu oravit deferri sibi caput iohannis, idest gloriam legis; sed populus boni eius quod in lege erat conscius, voluptatis conditionibus non sine periculi sui dolore concedit; scitque se talem praeceptorum gloriam non oportuisse concedere; sed peccatis tamquam sacramento coactus, et principum adiacentium metu atque exemplo depravatus et victus, illecebris voluptatis moestus obtemperat. Igitur inter reliqua dissoluti populi gaudia, in disco iohannis caput offertur: damnum scilicet legis, voluptas corporum, et saecularis luxus augetur. igitur per puellam ad matrem defertur; ac sic probrosus israel etiam voluptati et infidelitati suae gloriam legis addixit. Finitis igitur legis temporibus, et cum iohanne sepultis, discipuli eius res gestas domino annuntiant, ad evangelia scilicet ex lege venientes.

Hieronymus. vel aliter. Nos usque hodie cernimus in capite iohannis prophetae, iudaeos Christum, qui caput prophetarum est, perdidisse.

Rabanus. Sed et linguam et vocem apud eos perdidit propheta.

Remigius. vel aliter. Decollatio iohannis signat minorationem famaе illius quae aestimatur a populo Christus, sicut exaltatio domini in cruce signat profectum fidei: unde Ioannes dixerat: illum oportet crescere, me autem minui.

MATTHAEUS 14,13-14

4413 (Mt 14,13-14)

Glossa. Salvator, audita nece sui baptistae, secessit in locum desertum: unde sequitur quod cum audisset iesus, secessit inde in navicula in locum desertum seorsum.

Augustinus de cons. Evang. hoc autem continuo post iohannis passionem evangelista factum esse commemorat: unde post haec, facta sunt illa quae primo narrata sunt; quibus motus herodes dixit: hic est iohannes. Illa enim posteriora debent intelligi quae ad herodem pertulit fama, ut moveretur, et haesitaret quisnam iste esse posset de quo audiret talia, cum iohannem ipse occidisset.

Hieronymus. non autem secedit in locum desertum, ut quidam arbitrantur, timore mortis; sed parcens inimicis suis, ne homicidium homicidio iungerent; vel in diem paschae suum interitum differens, in quo propter sacramentum immolandus est agnus, et postes credentium sanguine respargendi: sive ideo secessit ut nobis praeberet exemplum temeritatis ultro se tradentium vitandae: quia non omnes eadem constantia perseverant in tormentis qua se torquendos offerunt. Ob hanc causam in alio loco praecipit: cum persecuti vos fuerint in ista civitate, fugite in aliam. Unde eleganter quoque evangelista non dicit: fugit in locum desertum, sed secessit, ut persecutores vitaverit magis quam timuerit. Potest etiam aliam ob causam, audito iohannis interitu, secessisse in desertum locum, ut credentium probaret fidem.

Chrysostomus in Matth. vel ideo hoc fecit quia plura humanitus vult dispensare, nondum tempore existente denudandi suam manifeste deitatem; propter quod et discipulis dixit, quod nulli dicerent quod ipse esset Christus. Post resurrectionem autem volebat hoc fieri manifestum. Ideo autem quamvis per se noverit quod factum est, tamen antequam nuntiaretur ei, non secessit, ut demonstraret per omnia incarnationis veritatem: non enim solo visu, sed operibus hoc credi volebat. Recedens vero non abiit in civitatem, sed in desertum in navigio, ut nullus sequeretur. Turbae autem neque ita desistunt, sed sequuntur; et neque quod gestum est de iohanne eos terruit: unde sequitur et, cum audissent turbae, secutae sunt eum pedestres de civitatibus.

Hieronymus. secutae sunt autem eum pedestres, non in iumentis, non in vehiculis, sed proprio labore pedum, ut ardorem mentis ostenderent.

Chrysostomus in Matth. et propter hoc statim retributionem acceperunt: unde sequitur et exiens vidit turbam multam et misertus est eis et curavit languidos eorum: etsi enim multa erat affectio eorum qui civitates dimittebant, et diligenter eum quaerebant, sed tamen quae ab ipso fiebant, omnis studii superexcedunt retributionem. Ideoque causam talis curationis misericordiam ponit. est autem magna misericordia quod omnes curat, et fidem non expetit.

Hilarius in Matth. Mystice autem Dei verbum, lege finita, navem conscendens, ecclesiam adiit, in desertum descendit: relicta quippe conversatione israel, in vacua divinae cognitionis pectora transit. Turba autem hoc audiens, dominum de civitate sequitur in desertum, de synagoga videlicet ad ecclesiam tendens: quam videns misertus est, et omnem languorem infirmitatemque curat, obsessas scilicet mentes et corda infidelitatis vitio ad intelligentiam novae praedicationis emundat.

Rabanus. Illud quoque notandum, quod postquam dominus in desertum venerit, secutae sunt eum turbae multae: nam antequam veniret in solitudinem gentium, ab uno tantum populo colebatur.

Hieronymus. Relinquent autem civitates suas, hoc est pristinas conversationes et varietates dogmatum. Egressus autem iesus signat quod turbae quidem habebant eundi voluntatem, sed perveniendi vires non habuerunt; ideo salvator egreditur de loco, et obviam pergit.

MATTHAEUS 14,15-21

4415 (Mt 14,15-21)

Chrysostomus in Matth. turbarum fidem ostendit quod dominum etiam famem patientes expectabant usque ad vesperam: ideo sequitur vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli eius dicentes: desertus est locus, et hora iam praeteriit. Cibaturus quidem eos dominus expectat rogari, quasi ubique non insiliens prior ad miracula, sed vocatus. ideo autem nullus de turba accedit: venerabantur enim eum abundanter, et neque famis sensum accipiebant amore instantiae. sed neque discipuli accedentes dicunt: ciba eos; adhuc enim imperfectius erant discipuli dispositi; sed dicunt desertus est locus: quod enim videbatur iudaeis in eremo esse miraculum, cum dicerent: numquid potest parare mensam in deserto? hoc et per opera ostendit. Propter hoc autem et in desertum eos ducit, ut sine omni suspitione sit hoc miraculum, et nullus aestimet ex castello aliquo prope existenti inferri aliquid ad mensam. Sed quamvis desertus sit locus, tamen qui nutrit orbem terrarum, adest; etsi hora iam praeteriit, ut dicunt, tamen qui non erat horae suppositus, loquebatur. Et quamvis praeveniens discipulos dominus multos infirmos curaverit, tamen interim ita imperfecti erant quod neque quid de panibus facturus erat, poterant aestimare: unde subdunt dimitte turbas, ut euntes in castella emant sibi escas. Vide autem magistri sapientiam: non enim statim dixit eis: ego cibabo eos (neque enim hoc facile suscepissent).; sed subditur iesus autem dixit eis: non habent necesse ire; date illis vos manducare.

Hieronymus. in quo provocat apostolos ad fractionem panis, ut illis se non habere testantibus, magnitudo miraculi notior fieret.

Augustinus de cons. Evang. Potest autem movere, si dominus, secundum narrationem iohannis, prospectis turbis, quaesivit a philippo unde illis escae dari possent, quomodo sit verum quod Matthaeus hic narrat prius dixisse domino discipulos ut dimitteret turbas, quo possent alimenta emere de proximis locis. Intelligitur ergo, post haec verba dominum inspexisse multitudinem, et dixisse philippo quod iohannes commemorat, Matthaeus autem et alii praetermiserunt. Et omnino talibus quaestionibus neminem moveri oportet, cum ab aliquo evangelistarum dicitur quod ab alio praetermittitur.

Chrysostomus in Matth. discipuli vero neque per praemissa verba directi sunt, sed adhuc ut homini loquuntur: unde sequitur responderunt ei: non habemus hic nisi quinque panes et duos pisces. Addiscimus autem in hoc discipulorum philosophiam, qualiter contempserunt escam. Duodecim enim existentes, quinque panes habebant et duos pisces: contemptibilia enim illis erant corporalia, et a spiritualibus possidebantur. Quia igitur discipuli adhuc ad terram trahebantur, iam dominus inducere incipit quae ab ipso erant: unde sequitur qui ait eis: afferte illos mihi huc. Propter quid autem non facit panes ex nihilo, quibus turbam pascat? ut scilicet obstruat marcionis et manichaei os, qui creaturas alienant a Deo; et per opera doceat quoniam omnia quae videntur, eius opera et creationes sunt, et ut ostendat quoniam ipse est qui fructus tradidit, qui dixit a principio: terra germinet herbam virentem; neque enim hoc minus illo est. Non enim minus est de quinque panibus facere panes tantos, et de piscibus similiter, quam de terra educere fructum, et ab aquis reptilia, et alia animata; quod demonstrabat eum esse dominum terrae et maris. Oportet autem erudiri discipulorum exemplo: quoniam etsi pauca habuerimus, oportet ea retribuere indigentibus. Iussi namque discipuli afferre quinque panes, non dicunt: unde mitigabimus famem nostram? sed obediunt confestim: unde sequitur et cum iussisset turbam discumbere super faenum, acceptis quinque panibus et duobus piscibus, aspiciens in caelum benedixit ac fregit. Quare autem aspexit in caelum et benedixit? oportebat namque credi de eo quoniam a patre est; et quoniam ei aequalis est, aequalitatem demonstrabat, cum potestate omnia faceret. A patre autem esse se monstrabat per hoc quod ad ipsum omnia referens faciebat, invocans eum ad ea quae fiebant: et ideo ut utrumque ostendat, nunc quidem potestate, nunc autem orans miracula facit. Deinde considerandum, quod in minoribus quidem respicit in caelum, in maioribus autem potestate omnia facit. Quando enim peccata dimisit, mortuos suscitavit, mare refrenavit, occulta cordium redarguit, oculos condidit caeci nati, quae solius Dei sunt, nequaquam videtur orans; quando autem panes multiplicans fecit quod his omnibus minus est, tunc respexit in caelum; ut discas quoniam et in minoribus non aliunde virtutem habet quam a patre. Simul autem erudit nos non prius tangere mensam, donec gratias egerimus ei qui cibum dat nobis. propter hoc etiam et in caelum respicit: aliorum enim signorum multorum exempla habebant discipuli, huius autem nullum.

Hieronymus. Frangente autem domino, seminarium fit ciborum; si enim fuissent integri, et non in frustra discerpti, et non divisi in multiplicem segetem, tantam multitudinem alere non poterant. Turbae autem a domino per apostolos alimenta suscipiunt: unde sequitur et dedit discipulis panes, discipuli autem turbis.

Chrysostomus in Matth. In quo quidem non solum eos honoravit, sed voluit ut hoc miraculo facto, non increduli fiant, neque obliviscantur cum praeterierit, manibus ipsis testantibus. Ideoque turbas dimittit prius famis sensum accipere, et discipulos accedere et interrogare: et ab ipsis accepit panes ut multa essent testimonia eius quod fiebat, et multas rememorationes haberent miraculi. Ex hoc autem quod nihil amplius quam panes et pisces eis dedit, et ex hoc quod omnibus communiter ea apposuit, humilitatem, parsimoniam, et caritatem qua omnia aestimarent communia, eos erudit; quod et a loco docuit, cum super

faenum eos discumbere fecit: non enim nutrire solum corpora volebat, sed et animam erudire. Panes autem et pisces in discipulorum manibus augebantur: unde sequitur et manducaverunt omnes et saturati sunt. Sed neque usque ad hoc stetit miraculum: sed et superabundare fecit, non panes integros, sed fragmenta; ut ostendat quoniam illi panes neque quantum reliquiae erant, et ut absentes discant quod factum est, et ne ullus quod factum est aestimet esse phantasiam; unde sequitur et tulerunt reliquias duodecim cophinos plenos fragmentorum.

Hieronymus. unusquisque enim apostolorum de reliquiis salvatoris implet cophinum suum, ut ex reliquiis doceat vero fuisse panes qui multiplicati sunt.

Chrysostomus in Matth. Propter hoc duodecim cophinos superabundare fecit, ut et iudas suum cophinum portaret. Accipiens autem fragmenta, dedit discipulis et non turbis quae adhuc imperfectius dispositae erant quam discipuli. Iuxta numerum quinque panum, et comedentium virorum quinque millium multitudo est: unde sequitur manducantium autem fuit numerus quinque millia virorum, exceptis mulieribus et parvulis.

Chrysostomus in Matth. hoc enim erat plebis maxima laus; quoniam mulieres et viri astabant, quando hae reliquiae factae sunt.

Hilarius in Matth. Non autem quinque panes multiplicantur in plures, sed fragmentis fragmenta succedunt. Crescit deinde materies, nescio utrum in mensarum loco, aut in sumentium manibus.

Rabanus. hoc autem miraculum scripturus Ioannes praemisit quia proximum esset pascha; Matthaeus vero et Marcus hoc, interfecto iohanne, continuo factum esse commemorant: unde colligitur imminente paschali festivitate fuisse decollatum, et anno post sequente, cum paschale tempus rediret, mysterium dominicae passionis esse completum.

Hieronymus. omnia autem haec plena mysteriis sunt; hoc enim facit dominus non mane, non meridie, sed vespere, quando sol iustitiae occubuit.

Remigius. Per vesperam enim mors domini designatur: quia postquam ille verus sol in ara crucis occubuit, famelicus satiavit. Vel per vesperum ultima aetas saeculi designatur, in qua filius Dei veniens, turbas in se credentium refecit.

Rabanus. Quod autem discipuli rogant dominum ut dimittat turbas, ut emant sibi cibos per castella, signat fastidium iudaeorum contra turbas gentium, quos iudicabant magis aptos ut quaererent sibi cibum in conventiculis pharisaeorum, quam divinorum librorum uterentur pastu.

Hilarius in Matth. Sed dominus respondit non habent necesse ire, ostendens eos quibus medetur, venalis doctrinae cibo non egere neque necessitatem habere regredi ad iudaeam, cibosque mercari: iubetque apostolis ut escam darent. Numquid autem ignorabat non esse quod dari posset? sed erat omnis typica ratio explicanda: nondum enim concessum apostolis erat ad vitae aeternae cibum caelestem panem perficere ac ministrare: quorum responsio ad spiritualis intelligentiae ordinem tendit: quia adhuc sub quinque panibus, idest quinque libris legis, continebantur; et piscium duorum, idest prophetarum et iohannis praedicationibus alebantur.

Rabanus. Vel per duos pisces et prophetias et psalmos habemus: totum enim vetus testamentum in his tribus completur: lege, prophetis et psalmis.

Hilarius. Haec igitur primum, quia in his adhuc erant, apostoli obtulerunt; sed ex his evangeliorum praedicatio in maiorem suae virtutis abundantiam crescit. Accumbere post hoc supra faenum populus iubetur, non iam in terra iacens, sed lege suffultus: et tamquam terrae faeno, fructibus operis sui unusquisque substernitur.

Hieronymus. vel discumbere iubentur super faenum, et secundum alium evangelistam, per quinquagenos et centenos, ut postquam calcaverint carnem suam, et saeculi voluptates quasi arens faenum sibi subiecerint, tunc per quinquagenarii numeri praesentiam, ad perfectum centesimi numeri culmen ascendant. Aspicit autem ad caelum, ut illuc dirigendos oculos doceat. Frangitur autem lex cum prophetis, et in eius medio proferuntur mysteria; ut quod integrum non alebat, divisum per partes alat gentium multitudinem.

Hilarius. Dantur autem apostolis panes, quia per eos erant divinae gratiae dona reddenda. Idem autem edentium numerus invenitur qui futurus fuerat creditorum: nam, sicut in libro actuum continetur, ex israel populi infinitate virorum quinque millia crediderunt.

Hieronymus. comederunt autem quinque millia virorum, qui in perfectum virum creverant; mulieres autem et parvuli, sexus fragilis et aetas minor, numero indigni sunt: unde et in numerorum libro, servi, mulieres, et parvuli, et vulgus ignobile absque numero praetermittitur.

Rabanus. turbis autem esurientibus, non nova creat cibaria; sed acceptis eis quae habebant discipuli, benedixit: quia veniens in carne, non alia quam quae praedicta sunt, praedicabat; sed legis et prophetarum scripta mysteriis gravida esse demonstrat. Quod autem superest turbis, a discipulis tollitur; quia secretiora mysteria, quae a rudibus capi nequeunt, non sunt negligenter habenda, sed a duodecim apostolis; qui per duodecim cophinos signantur, et ab eorum successoribus diligenter inquirenda. Cophinis enim servilia opera aguntur; et Deus infirma mundi elegit, ut confundat fortia. Quinque autem millia, pro quinque sensibus corporis, hi sunt qui in saeculari habitu exterioribus recte uti noverunt.

MATTHAEUS 14,22-33

4422 (Mt 14,22-33)

Chrysostomus in Matth. diligentem examinationem eorum quae facta erant, tradere volens, eos qui praemisum signum viderant, iussit a se separari: quia etsi praesens visus fuisset, phantastice, et non in veritate, fecisse miraculum diceretur; non tamen ut absens: et ideo dicitur et statim compulit iesus discipulos ascendere in naviculam et praecedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas.

Hieronymus. Quo sermone ostenditur invitos eos a domino recessisse, dum amore praeceptoris ne ad punctum quidem temporis ab eo volunt separari.

Chrysostomus in Matth. considerandum autem, quod cum dominus magna operatur, dimittit turbas, docens nos nusquam gloriam multitudinis prosequi, neque attrahere multitudinem. et iterum docet, non debere turbis nos commiscere continuo, neque fugere multitudinem semper; sed alterutrum utiliter facere: unde sequitur et, dimissa turba, ascendit in montem solus orare: in quo nos docet quia solitudo bona est, cum nos Deum interpellare oporteat. Propter hoc etiam ad desertum vadit, et ibi pernoctat dum orat, erudiens nos in oratione tranquillitatem quaerere et a tempore et a loco.

Hieronymus. Quod autem ascendit solus orare, non ad eum referas qui de quinque panibus quinque millia hominum satiavit, sed ad eum qui audita morte iohannis secessit in solitudinem: non quod personam domini separemus, sed quod opera eius inter Deum hominemque divisa sunt.

Augustinus de cons. Evang. potest autem hoc videri contrarium quod Matthaeus dimissis turbis eum dicit ascendere in montem, ut illic solus oraret; iohannes autem in monte fuisse, cum easdem turbas pavit. Sed cum et ipse iohannes dicat, post illud miraculum fugisse eum in montem, ne a turbis teneretur quae eum volebant facere regem, utique manifestum est quod de monte in planiora descenderat, quando illi panes ministrati sunt. Nec illud repugnat quod Matthaeus dixit ascendit in montem solus orare; iohannes autem: cum cognovisset, inquit, quod venturi essent ut facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus: neque enim causa orandi contraria est causae fugiendi: quandoquidem et hinc dominus docet hanc esse nobis magnam causam orandi quando est causa fugiendi. Nec illud contrarium est quod Matthaeus prius dixit, eum iussisse ascendere discipulos in naviculam, ac deinde dimissis turbis ascendisse in montem solus orare; iohannes vero prius eum fugisse commemorat solum in montem, ac deinde: ut autem sero factum est, inquit, descenderunt discipuli eius ad mare, et cum ascendissent, etc.; quis enim non videat hoc recapitulando iohannem postea dixisse factum a discipulis quod iam iesus iusserat antequam fugisset in montem? .

Hieronymus. Recte autem quasi inviti et detrectantes apostoli a domino recesserant, ne illo absente naufragia sustinerent: sequitur enim vespere autem facto, solus erat ibi, idest in monte; navicula autem in medio mari iactabatur fluctibus; erat enim ventus contrarius.

Chrysostomus in Matth. Rursus autem discipuli tempestatem sustinent sicut et prius; sed tunc quidem habentes eum in navigio, hoc passi sunt, nunc autem soli existentes. Paulatim enim ad maiora eos ducit, et ad ferendum omnia viriliter instruit.

Hieronymus. Domino quidem in montis cacumine commorante, statim ventus contrarius oritur, et turbat mare, et periclitantur apostoli; et tamdiu imminens naufragium perseverat quamdiu iesus veniat.

Chrysostomus in Matth. tota autem nocte dimittit eos fluctuari, erigens eorum cor post timorem, in maius sui desiderium immittens eos, et in memoriam continuam: propter hoc non confestim eis astitit: unde sequitur quarta autem vigilia noctis venit ad eos ambulans supra mare.

Hieronymus. Stationes enim et vigiliae militares in trina horarum spatia dividuntur. Quando ergo dicit quarta vigilia noctis venisse ad eos dominum, ostendit tota nocte periclitatos.

Chrysostomus in Matth. Erudiens eos non cito solutionem inquirere advenientium malorum, sed ferre ea quae contingunt viriliter. Quando autem putaverunt erui, tunc intensus est timor; unde sequitur et videntes eum supra mare ambulantes turbati sunt dicentes quia phantasma est, et prae timore clamaverunt. semper enim hoc dominus facit: cum soluturus sit mala aliqua, difficilia et terribilia inducit. Quia enim non est longo tempore tentari, cum finiendi sunt agones iustorum, volens amplius eos lucrari, auget eorum certamina; quod et in abraham fecit, ultimum certamen tentationem filii ponens.

Hieronymus. Confusus autem clamor et incerta vox, magni timoris indicium est. Si autem, iuxta marcionem et manichaeum, dominus noster non est natus ex virgine, sed visus in phantasmate, quomodo nunc apostoli timent ne phantasma videant? .

Chrysostomus in Matth. Christus ergo non prius se revelavit discipulis donec clamaverunt: quanto enim magis intendebatur timor, tanto magis laetati sunt in eius praesentia: unde sequitur statimque iesus locutus est eis dicens: habete fiduciam: ego sum, nolite timere. Hoc autem verbum et timorem solvit, et fiduciam praeparavit.

Hieronymus. Quod autem dicit ego sum, nec subiungit quis sit; vel ex voce sibi nota poterant intelligere eum qui per obscuras noctis tenebras loquebatur, vel ipsum esse scire poterant quem locutum ad moysen noverant: haec dices filiis israel: qui est, misit me ad vos. in omnibus autem locis ardentissimae fidei ardore invenitur petrus. Eodem igitur fidei ardore quo semper, nunc quoque, tacentibus ceteris, credit se posse facere per voluntatem magistri quod non poterat per naturam: unde sequitur respondens autem petrus dixit: domine, si tu es, iube me venire ad te super aquas; quasi dicat: tu praecipe, et illico solidabuntur: unde et leve fiet corpus quod per se grave est.

Augustinus de verb. Dom. non enim possum hoc in me, sed in te. Agnovit petrus quid sibi esset a se, quid ab illo, cuius voluntate se credidit posse quod nulla humana infirmitas posset.

Chrysostomus in Matth. Vide autem quantus est fervor, quanta fides. non dixit: ora et deprecare; sed iube; non enim solum credidit quoniam potest Christus ambulare super mare, sed quoniam potest et alios inducere; et concupiscit velociter ad eum ire: hoc enim tam magnum quaesivit propter amorem solum, non propter ostentationem. Non enim dixit: iube me ire super aquas; sed iube me venire ad te. Patet autem quod cum in miraculo supra posito ostenderit quod dominatur mari, nunc ad mirabilius signum eos inducit: unde sequitur at ille ait: veni. Et descendens petrus de navicula, ambulabat super aquas ut veniret ad iesum.

Hieronymus. Qui putant domini corpus ideo non esse verum, quia super molles aquas quasi molle et aereum incesserit, respondeant quomodo ambulaverit petrus, quem utique verum hominem non negabunt.

Rabanus. Denique theodorus scripsit corporale pondus non habuisse dominum secundum carnem, sed absque pondere super mare ambulasse; sed contrarium fides catholica praedicat: nam dionysius dicit, quod non infusis pedibus corporale pondus habentibus et materiale onus, deambulabat super undam.

Chrysostomus in Matth. petrus autem quod maius est superans, scilicet undam maris, a minori turbatur, scilicet a venti impulsu: unde sequitur videns autem ventum validum timuit. talis est enim natura humana ut multoties in magnis recte se habens, in minoribus reprehendatur. Hic autem quod petrus timuit, differentiam monstrabat magistri et discipuli; sed et alios discipulos mitigabat. Si enim in duobus fratribus sessuris ad dexteram molestati sunt, multo magis hic molestati fuissent: nondum enim erant spiritu pleni; postea vero spirituales effecti, ubique petro primatum concedunt, et in concionibus eum praemittunt.

Hieronymus. Paululum etiam relinquitur tentationi, ut augeatur fides, et intelligat se non facultate postulationis, sed potentia domini conservatum. Ardebat enim in animo eius fides; sed humana fragilitas in profundum trahebat.

Augustinus de verb. Dom. Praesumpsit ergo petrus de domino, titubavit ut homo, sed redivit ad dominum: unde sequitur et, cum coepisset mergi, clamavit dicens: domine, salvum me fac. numquid autem dominus desereret titubantem, quem audierat invocantem? unde sequitur et continuo iesus extendens manum

apprehendit eum.

Chrysostomus in Matth. Ideo autem non iniunxit ventis quiescere, sed extendens manum, apprehendit eum, quoniam illius fide opus erat. Cum enim quae a nobis sunt defecerint, tunc ea quae a Deo sunt, stant. ut igitur monstraret quia non venti immissio, sed illius modica credulitas periculum operabatur, subditur et ait illi: modicae fidei, quare dubitasti? in quo manifestat quia neque ventus nocere potuisset, si fides firma fuisset. Sicut autem pullum ante tempus ex nido exeuntem et casurum, mater alis portans, rursus ad nidum reducit, ita et Christus facit: unde sequitur et, cum ascendissent in naviculam, cessavit ventus. Qui autem erant in navicula venerunt et adoraverunt eum dicentes: vere filius Dei es.

Rabanus. Quod quidem de nautis intelligendum est, sive de apostolis.

Chrysostomus in Matth. vide autem qualiter paulatim ad id quod est excelsius universos ducebat: supra enim increpavit mare; nunc autem magis virtutem suam demonstrat, super mare ambulando, et alii hoc idem facere iubendo, et periclitantem salvando; ideoque dicebant ei vere filius Dei es: quod supra non dixerant.

Hieronymus. Si ergo ad unum signum tranquillitate maris reddita, quae post nimias procellas interdum et casu fieri solet, nautae atque rectores vere filium Dei confitentur, cur arius ipsum in ecclesia praedicat creaturam? .

Augustinus de verb. Dom. mystice autem mons altitudo est. Quid autem altius caelo in hoc mundo? quis vero in caelum ascendit, novit fides nostra. cur autem solus ascendit in caelum? quia nemo ascendit in caelum nisi qui de caelo descendit: quamvis et cum in fine venerit, et nos in caelum levaverit, etiam tunc solus ascendet; quia caput cum corpore suo unus est Christus; nunc autem solum caput ascendit. Ascendit autem orare, quia ascendit ad patrem pro nobis interpellare.

Hilarius in Matth. Vel quod vespere solus est, solitudinem suam in tempore passionis ostendit, ceteris trepidatione dilapsis.

Hieronymus. ascendit etiam in montem solus, quia turba ad sublimia sequi non potest, nisi docuerit eam iuxta mare in littore.

Augustinus de verb. Dom. verumtamen dum Christus orat in excelso, navicula turbatur magnis fluctibus in profundo; et quia insurgunt fluctus, potest ista navicula turbari; sed quia Christus orat, non potest mergi. Naviculam quippe istam, ecclesiam cogitate; turbulentum mare, hoc saeculum.

Hilarius in Matth. Quod autem navem conscendere discipulos iubet, et ire trans fretum, dum turbas ipse dimittit, et dimissis turbis ascendit in montem orare; esse intra ecclesiam iubet, et periculum fieri usque in id tempus quo revertens in claritatis adventu populo omni qui ex israel erit reliquus salutem reddat, eiusque peccata dimittat; dimissoque eo, vel in caeleste regnum potius admissio, agens Deo patri gratias, in gloria eius et maiestate consistat. Sed inter haec discipuli vento ac mari deferuntur; et totius saeculi motibus, immundo spiritu adversante, iactantur.

Augustinus de verb. dom. Quando enim aliquis impiae voluntatis, maximae potestatis, persecutionem indicit ecclesiae, super naviculam christi grandis unda consurgit.

Rabanus. Unde bene dicitur, quia navis erat in medio mari, et ipse solus in terra: quia nonnumquam ecclesia tantis pressuris est afflicta ut eam dominus deseruisse videatur ad tempus.

Augustinus de verb. dom. Venit autem dominus ad visitandos discipulos suos, qui turbabantur in mari, quarta vigilia noctis, idest extrema parte noctis: vigilia enim una tres horas habet, ac per hoc nox quatuor vigiliis habet.

Hilarius. Prima igitur vigilia fuit legis, secunda prophetarum, tertia corporalis adventus, quarta in reditu claritatis.

Augustinus de verb. dom. Quarta igitur vigilia noctis, hoc est pene iam nocte finita, veniet in fine saeculi, iniquitatis nocte transacta, ad iudicandum vivos et mortuos. venit autem mirabiliter. Surgebant enim fluctus, sed calcabantur: quantumlibet enim potestates saeculi consurgant, premit earum caput nostrum caput.

Hilarius. veniens autem Christus in fine invenit ecclesiam fessam, et antichristi spiritu et totius saeculi motibus inveniet circumactam. Et quia de antichristi consuetudine ad omnem tentationum novitatem solliciti

erunt, etiam ad domini adventum expavescent, falsas rerum imagines metuentes. Sed bonus dominus timorem depellet dicens ego sum; et adventus sui fide metum naufragii imminentis repellet.

Augustinus de quaest. Evang. Vel quod dixerunt discipuli phantasma esse, signat quia quidam qui cesserint diabolo, de christi adventu dubitabunt. Quod autem petrus implorat auxilium a domino ne mergatur, signat quibusdam tribulationibus, etiam post ultimam persecutionem, purgaturum ecclesiam: quod et paulus signat dicens: salvus erit, sic tamen quasi per ignem.

Hilarius in Matth. Vel quod petrus ex omni consistentium in navi numero respondere audeat, et iuberi sibi ut supra aquas ad dominum veniat precatur, passionis tempore voluntatis suae designat affectum, dum vestigiis domini inhaerens, ad contemnendam mortem conatus est. Sed infirmitatem futurae tentationis timiditas eius ostendit: per metum enim mortis, usque ad negandi necessitatem coactus est. Clamor autem eius poenitentiae suae gemitus est.

Rabanus. Respexit dominus, et ad poenitentiam convertit; manum extendit et indulgentiam tribuit: et sic discipulus salutem invenit: quia non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei.

Hilarius. quod autem trepidante petro virtutem perveniendi ad se dominus non inducit, sed manu apprehensum sustinuit, haec est ratio: solus enim passurus pro omnibus omnium peccata solvebat; nec socium admittit quicquid universitati praestatur ab uno.

Augustinus de verb. Dom. in uno etiam apostolo, idest petro, in ordine apostolorum primo et praecipuo, in quo figurabatur ecclesia, utrumque genus significandum fuit; idest firmi in hoc quod super aquas ambulavit, et infirmi in hoc quod dubitavit: nam et unicuique sua cupiditas tempestas est. Amas Deum? ambulas supra mare: sub pedibus tuis est saeculi timor. Amas saeculum? absorbet te. Sed cum fluctuat cupiditate cor tuum, ut vincas cupiditatem, invoca christi divinitatem.

Rabanus. Aderit autem dominus, si sopitis tentationum periculis, protectionis suae fiduciam retribuatur; et hoc, diluculo appropinquante: cum enim humana fragilitas pressuris obsita suarum virium parvitatem considerat, erga se tenebras cernit; cum autem mentem ad supernum praesidium erexerit, repente exortum luciferi conspicit, qui totam vigiliam matutinam illuminat. Nec mirandum, si ascendente in naviculam domino ventus cessavit: in quocumque enim corde dominus per gratiam adest, mox universa bella quiescunt.

Hilarius. ascensu etiam christi in navim, ventum et mare esse sedatum, post claritatis suae reditum aeterna ecclesiae pax et tranquillitas indicatur: et quia tunc manifestius adveniet, recte admirantes universi locuti sunt: vere filius Dei es. Confessio enim universorum tunc absoluta et publica erit: Dei filium non iam in humilitate corporea, sed in gloria caelesti pacem ecclesiae reddidisse.

Augustinus de quaest. Evang. Signatur enim, claritatem eius tunc manifestam futuram per speciem iam videntibus qui per fidem nunc ambulant.

MATTHAEUS 14,34-36

4434 (Mt 14,34-36)

Remigius. Narraverat superius evangelista, dominum iussisse discipulos suos ascendere in naviculam, et praecedere eum trans fretum; nunc autem in coepta intentione perseverans, dicit quo in transfretando pervenerint, dicens et, cum transfretassent, venerunt in terram genesareth.

Rabanus. Terra genesar iuxta stagnum genesareth a loci ipsius natura nomen trahens, qua crispantibus aquis de seipso sibi excitare auram perhibetur: graeco enim vocabulo quasi generans sibi auram dicitur.

Chrysostomus in Matth. monstrat autem evangelista quod post multum tempus ad partes illas Christus venerat: et ideo sequitur et, cum cognovissent eum viri loci illius, miserunt in universam regionem illam.

Hieronymus. cognoverunt autem eum rumore, non facie; vel certe pro signorum magnitudine quae perpetrabat in populis, vultu plurimis notus erat. Et vide quanta fides sit hominum terrae genesareth, ut non praesentium tantum salute contenti sint, sed mittant ad alias per circuitum civitates.

Chrysostomus in Matth. Neque enim similiter ut prius ad domos trahebant, et tactum manus inquirebant; sed cum maiori fide eum alliciebant: unde sequitur et obtulerunt ei omnes male habentes et rogabant eum

ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Mulier enim quae fluxum sanguinis patiebatur, universos hanc sapientiam docuit, ut scilicet tangendo fimbriam vestimenti christi, salvarentur. patet etiam quod tempus quo Christus absens fuit, non solum fidem eorum non dissolvit, sed et maiorem reddidit, cuius virtute omnes salvati sunt: et ideo sequitur et quicumque tetigerunt salvi facti sunt.

Hieronymus. Si autem sciremus quid in nostra lingua resonat genesareth, intelligeremus quomodo iesus per typum apostolorum et navis, ecclesiam de persecutionis naufragio liberatam transducatur ad littus, et in tranquillissimo portu faciat requiescere.

Rabanus. Genesar enim interpretatur ortus principium. Tunc autem plena nobis tribuetur tranquillitas, quando paradisi per Christum nobis restituatur hereditas ac primae stolae iucunditas.

Hilarius. vel aliter. Finitis legis temporibus, et ex israel quinque millibus virorum intra ecclesiam collocatis, iam credentium populus occurrit: iam ipse ex lege per fidem salvus, reliquos ex suis infirmos aegrotosque offert domino; oblatique fimbrias vestimentorum contingere optabant, salvi per fidem futuri; sed ut ex veste tota fimbriae, ita ex domino nostro iesu Christo sancti spiritus gratiae virtus exiit, quae apostolis data, ipsis quoque tamquam ex eodem corpore exeuntibus, salutem his qui contingere cupiunt subministrat.

Hieronymus. Vel fimbriam vestimenti eius minimum mandatum intellige; quod qui transgressus fuerit, minimus vocabitur in regno caelorum; vel assumptionem corporis, per quam venimus ad verbum Dei.

Chrysostomus in Matth. nos autem non solum fimbriam aut vestimentum christi habemus, sed etiam corpus eius, ut comedamus. Si ergo qui fimbriam vestimenti eius tetigerunt, tantam acceperunt virtutem, multo magis qui totum ipsum sument.

MATTHAEUS 15,1-6

4501 (Mt 15,1-6)

Rabanus. Homines genesareth et minus docti credunt; sed qui sapientes videntur, ad pugnam veniunt: iuxta illud: abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis; unde dicitur tunc accesserunt ad eum ab hierosolymis scribae et pharisaei.

Augustinus de cons. Evang. ita autem conserit evangelista narrationis suae ordinem, dicens tunc accesserunt: ut quantum ipse transitus indicat, rerum etiam consequentium ordo servetur.

Chrysostomus in Matth. propter hoc autem evangelista hic tempus designat ut ostendat ineffabilem illorum nequitiam nulli cedentem: tunc enim venerunt quando plurima signa operatus est, quando infirmos ex tactu fimbriae curaverat. Quod autem ab hierosolymis venisse dicuntur scribae et pharisaei, sciendum est, quod per omnes tribus erant disseminati; sed qui in metropoli habitabant, peiores aliis erant, velut ampliori fruente honore, et maiorem superbiam possidentes.

Remigius. Duabus autem de causis reprehenduntur: et quia ab hierosolymis venerant, idest a loco sancto descenderant; et quia seniores populi et legis doctores erant; et non ad discendum, sed ad reprehendendum dominum venerant: subditur enim dicentes: quare discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum? .

Hieronymus. Mira pharisaeorum scribarumque stultitia. Dei filium arguunt, quare traditiones hominum et praecepta non servet.

Chrysostomus in Matth. vide autem qualiter et a sua interrogatione capiuntur: non enim dicunt: quare transgrediuntur legem moysi; sed traditionem seniorum: unde manifestum est, quod multa nova inducebant sacerdotes, quamvis moyses dixerit: non adicietis ad verbum quod ego propono vobis hodie, et non auferetis ab eo; et quando oportebat eos ab observationibus liberari, tunc amplioribus observationibus se alligabant, timentes ne aliquis eorum principatum auferret; terribiliores esse volentes, quasi et ipsi essent legislatores.

Remigius. quae autem fuerint traditiones, manifestat Marcus cum ait: pharisaei et omnes iudaei, nisi crebro lavent manus suas, non manducant panem. Unde et hic discipulos reprehendunt, dicentes non enim lavant manus suas cum panem manducant.

Beda. verba enim prophetarum carnaliter accipientes, quod dictum erat: lavamini, et mundi estote, de corpore solum lavando servabant; et ideo statuerant non nisi lotis manibus manducandum esse.

Hieronymus. Manus autem, id est opera non corporis sed animae lavandae sunt ut fiat in illis verbum Dei.

Chrysostomus in Matth. Ideo autem discipuli non lotis manibus manducabant, quia iam superflua despiciabant, ea solum quae sunt necessaria attendentes, et neque lavari, neque non lavari pro lege habentes, sed ut contingebat alterutrum facientes. Qui enim et ipsum necessarium cibum contemnebant, qualiter circa hoc studium haberent? **Remigius.** Vel reprehendebant pharisaei discipulos domini, non de ista lavatione, quae consueto more congruit, et necessariis temporibus agitur; sed de illa superflua quae de superstitiosa traditione seniorum fuerat reperta.

Chrysostomus in Matth. Christus autem non excusavit, sed confestim reaccusavit, demonstrans quoniam eum qui magna peccat, pro parvis peccatis aliorum sollicitum esse non oportet: unde sequitur ipse autem respondens ait illis: quare et vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? non autem dicit quod bene faciunt transgredientes, ut non det eis occasionem calumniae; neque tamen vituperat quod ab apostolis factum est, ne approbet eorum traditiones; neque rursus accusat seniores, ne tamquam iniuriatorem eum repulissent, sed increpat eos qui advenerant, tangens etiam seniores qui talem traditionem statuerant, dicens (.

Hieronymus).: cum vos propter traditionem hominum praecepta Dei negligatis, quare discipulos meos arguendos creditis, quod seniorum iussa parvipendant, ut Dei praecepta custodiant? nam Deus dixit: honora patrem et matrem. Honor in scripturis non tantum in salutationibus et officiis deferendis, quantum in eleemosynis ac munerum oblatione sentitur. Honora, inquit apostolus, viduas quae vere viduae sunt. Hic enim honor donum intelligitur. Praecepit ergo dominus, vel imbecillitates vel aetates vel penurias parentum considerans, ut filii honorarent etiam in vitae necessariis ministrandis parentes suos.

Chrysostomus in Matth. Voluit autem monstrare quod parentes essent valde honorandi, per hoc quod adiunxit et praemium et poenam. Sed dominus hic praemium praetermittens quod honorantibus repromittitur, scilicet esse longaevum super terram, ponit quod terribilius est, scilicet poenam: ut et ipsos stupefaceret, et alios attraheret: unde addit et qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur: in quo demonstrat eos morte dignos esse. Si enim qui verbo dehonora parentem, morte punitur, multo magis vos qui opere: et non solum dehonora parentes, sed et alios hoc docetis. Qui igitur neque vivere debetis, qualiter meos discipulos incusatis? quomodo autem Dei mandatum transgrediantur, manifestat cum subdit vos autem dicitis: quicumque dixerit patri vel matri: munus quodcumque est ex me, tibi proderit.

Hieronymus. Praemissam enim providentissimam Dei legem volentes scribae pharisaeique subvertere, ut impietatem sub nomine pietatis inducerent, docuerunt pessimos filios, ut si quis ea quae parentibus offerenda sunt, Deo voluerit vovere, qui verus est pater, oblatio domini praeponatur parentum muneribus.

Glossa. ut sit sensus: quod ego offero Deo, et mihi et tibi proderit; et ideo non debes sumere, scilicet res meas in tuos usus; sed pati ut Deo offeram.

Hieronymus. Vel certe ipsi parentes, qui Deo consecrata cernebant, ne sacrilegii crimen incurrerent, declinantes, egestate conficiebantur; atque ita fiebat ut oblatio liberorum sub occasione templi et Dei in lucra cederet sacerdotum.

Glossa. Ut sit sensus: quicumque, id est quisquis vestrum, o iuvenes, dixerit, id est dicere poterit vel dicet, patri vel matri: o pater, munus quod est ex me, Deo iam devotum, proderit tibi. Admirando; quasi diceret: non debes sumere, ne sis reus sacrilegii. Vel potest legi per defectum hoc modo: quicumque dixerit patri, etc., subaudi: faciet Dei mandatum, vel complebit legem, vel erit dignus vita aeterna.

Hieronymus. Potest autem et hunc breviter habere sensum. compellit, inquit, filios, ut dicant parentibus suis: quodcumque donum oblaturus eram Deo, in tuos consumis cibos, tibi prodest, o pater et mater; quasi diceret: non.

Glossa. Et sic propter istas persuasiones avaritiae vestrae, ille iuvenis non honorificabit patrem et matrem: unde sequitur et non honorificabit patrem et matrem; quasi diceret: vos filiis ista pessima suasistis; et propter hoc filius postea patrem et matrem non honorificabit; et ita mandatum Dei de sustentandis parentibus fecistis irritum propter traditionem vestram, scilicet avaritiae vestrae servientes.

Augustinus contra advers. Leg. et proph. Evidenter autem hic Christus ostendit, et illam esse Dei legem

quam haereticus blasphematur, et iudaeos habere suas traditiones a libris prophetis et legitimis alienas; quas apostolus appellat profanas fabulas et viles.

Augustinus contra faustum. multa etiam nos hic dominus docet: et iudaeos a Deo suo se non avertere, et eius mandata non tantum se non infringere, verum etiam illos a quibus infringerentur arguere, et non nisi per moysen ista mandasse.

Augustinus de quaest. Evang. Vel aliter. Munus quodcumque est ex me, tibi proderit; id est, munus quod offers causa mei, ad te iam pertinebit: quibus verbis significant filii iam sibi non necesse esse parentum pro se oblationem, quod ad eam aetatem pervenissent ut possent iam ipsi offerre pro se. In hac ergo aetate constitutos, ut possent parentibus suis hoc dicere, cum hoc dixissent, negabant pharisaei reos esse, si parentibus non praestarent honorem.

MATTHAEUS 15, 7-11

4507 (Mt 15,7-11)

Chrysostomus in Matth. monstraverat dominus quod pharisaei non erant digni accusare transgredientes mandata seniorum, cum Dei legem destruerent; rursus autem demonstrat hoc ipsum et a propheta: unde dicit hypocritae, bene prophetavit de vobis isaias dicens: populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.

Remigius. Hypocrita dicitur simulator, quia aliud opere simulat, et aliud corde gestat. Isti ergo bene hypocritae dicuntur, quia sub honore Dei terrena sibi lucra accumulare cupiebant.

Rabanus. Praevidebat autem isaias simulationem iudaeorum, quod in dolo pugnarent contra evangelium; et ideo dixit ex persona domini populus hic labiis me honorat, etc.

Remigius. Iudaeorum namque populus labiis et ore Deo appropinquare et honorare eum videbatur, quia unius Dei cultum se habere gloriabatur; sed corde longe a Deo recessit: quia visis signis atque miraculis, nec divinitatem eius cognoscere, nec eum suscipere voluerunt.

Rabanus. Item labiis eum honorabant quando dicebant: magister, scimus quia verax es; sed cor eorum longe ab eo fuit quando miserunt insidiatores, ut eum caperent in sermone.

Glossa. vel commendando exteriorem munditiam eum honorabant, sed dum interiori, quae vera est, carebant, cor eorum longe erat a Deo, et illis talis honor inutilis erat: unde sequitur sine causa autem colunt me docentes doctrinas et mandata hominum.

Rabanus. Non enim habebunt mercedem cum veris cultoribus, docentes doctrinas et mandata hominum, contemptis praeceptis divinis.

Chrysostomus in Matth. Augmentata ergo accusatione pharisaeorum a testimonio prophetae, et illis non emendatis, iam eis non loquitur, sed turbis: unde dicit et, convocatis ad se turbis, dixit eis: audite et intelligite. Quia turbis dogma excelsum et multa philosophia plenum propositurus erat, non simpliciter hoc enuntiat, sed susceptibilem facit sermonem. primo quidem et honore et sollicitudine exhibita circa turbas; quod ostendit evangelista dicens et convocatis ad se turbis. deinde etiam susceptibilem facit sermonem ex tempore: quia post mortuos suscitatos, post victoriam contra pharisaeos habitam, tunc legem proponit, ut facilius suscipiatur. et non solum simpliciter turbas advocavit; sed etiam eos attentiores fecit in hoc quod dixit audite et intelligite; id est, attendite et erigimini mente ad hoc audiendum. Non autem dixit eis: nihil est observatio escarum, neque quod moyses male iniunxerat; sed per modum admonitionis et consilii a rerum ipsarum natura testimonium accipiens ait non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem.

Hieronymus habet communicat.

Hieronymus. verbum communicat proprie scripturarum est, et publico sermone non teritur. Populus autem iudaeorum partem Dei se esse iactans, communes cibos vocat quibus omnes utuntur homines; verbi gratia, suillam carnem, ostreas, lepores et istiusmodi animantia, quae unguam non findunt, nec ruminant, nec squamosa in piscibus sunt. Unde et in actibus apostolorum scriptum est: quod Deus sanctificavit, tu ne commune dixeris. commune ergo quod ceteris hominibus patet, et quasi non de parte Dei, pro immundo

appellatur.

Augustinus contra faustum. Testamento autem veteri non est contraria ista sententia, qua dominus dicit non quod intrat in os; in qua apostolus: omnia munda mundis et: omnis creatura Dei bona est. Si possunt, hoc apostolum de ipsis dixisse naturis, intelligant manichaei; illas autem litteras, propter quasdam praefigurationes temporis congruentes, animalia quaedam non natura, sed significatione immunda dixisse. Itaque, verbi gratia, si de porco et agno requiratur, utrumque natura mundum est, quia natura omnis creatura Dei bona est; quadam vero significatione agnus mundus, porcus immundus est; tamquam si stultum et sapientem diceret, utrumque hoc verbum natura vocis et litterarum et syllabarum quibus constat, utique mundum est; significatione autem unum horum verborum, quod dicitur stultus, immundum dici potest, non natura sui, sed quoniam quoddam immundum significat. Et fortasse quod est in rerum figuris porcus, hoc est in hominum genere stultus: et tam illud animal quam istae duae syllabae, quod dicitur stultus, quoddam unum idemque significant. immundum quippe illud animal in lege positum est, eo quod non ruminet; non autem hoc eius vitium, sed natura est. sunt autem homines, qui per hoc animal significantur, immundi proprio vitio, non natura; qui cum libenter audiant verba sapientiae, postea de his omnino non cogitant. quod enim utile audieris, velut ab intestino memoriae, tamquam ad os cogitationis recordandi dulcedine revocare, quid aliud est quam spiritualiter ruminare? quod qui non faciunt, illorum animalium genere figurantur. Hae autem similitudines rerum in locutionibus vel observationibus figuratis rationales mentes utiliter et suaviter movent; sed priori populo multa talia non tantum audienda, verum etiam observanda praecepta sunt. Tempus enim erat quo non tantum dictis, sed etiam factis prophetizari oportebat ea quae posteriore tempore fuerant revelanda: quibus per Christum atque in Christo revelatis, fidei gentium onera observationum non sunt imposita, prophetiae tamen est auctoritas commendata. requiro autem a manichaeis, utrum ista domini sententia qua dixit, non inquinari his hominem quae in os eius intrant, vera aut falsa sit. Si falsam dicunt, cur eam eorum doctor adimantus a Christo prolatam dicens, ad expugnandum vetus testamentum obiecit? si autem vera est, cur adversus eam credunt se coinquinari? .

Hieronymus. Opponat autem prudens lector, et dicat: si quod intrat in os, non coinquinat hominem, quare idolothytis non vescimur? sciendum igitur, quod ipsi quidem cibi, et omnis Dei creatura per se munda sit; sed idolorum et daemonum invocatio ea facit immunda; apud eos scilicet qui cum conscientia idoli idolothytum manducant, et conscientia eorum, cum sit infirma, polluitur, ut apostolus dicit.

Remigius. Quicumque autem tantae fidei est ut intelligat creaturam Dei nullo modo inquinari posse, sanctificetur cibus per verbum Dei et orationem, et comedat quicquid vult: ita tamen quod haec licentia offenciculum non fiat infirmis, ut apostolus dicit.

MATTHAEUS 15,12-14

4512 (Mt 15,12-14)

Hieronymus. Ex uno sermone domini, omnis superstitio observationum iudaicarum fuerat elisa, qui in cibis sumendis abominandisque religionem suam sitam arbitrabantur.

Chrysostomus in Matth. praemissa itaque cum audissent pharisaei, nihil contradixerunt illi, quia vehementer eos convicerat, non redarguendo solum, sed et dolum illorum propalando: sed scandalizati sunt, pharisaei scilicet, non autem turbae: unde dicitur tunc accedentes discipuli eius, dixerunt ei: scis quia pharisaei, audito hoc verbo, scandalizati sunt? .

Hieronymus. Quia crebro teritur in ecclesiasticis scripturis scandalum, breviter dicendum quid significat scandalum. Nos offenciculum vel ruinam et impactionem pedis possumus dicere. quando ergo legimus: quicumque scandalizaverit, hoc intelligimus: qui dicto vel facto occasionem ruinae dederit.

Chrysostomus in Matth. Christus autem non solvit pharisaeorum scandalum, sed magis eos increpavit: unde sequitur at ille respondens ait: omnis plantatio quam non plantavit pater meus caelestis eradicabitur. Hoc autem manichaei de lege dictum esse dicunt; sed confutant eos quae antea dicta sunt. Si enim de lege dixisset, qualiter superius pro lege pugnasset, dicens: quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? qualiter etiam prophetam induxisset in medium? si etiam Deus dixit: honora patrem et matrem, qualiter hoc quod in lege dictum est, non est Dei plantatio? .

Hilarius in Matth. dicens ergo omnem plantationem quae non a patre sit, docet traditionem hominum eradicandam, cuius favore legis praecepta transgressi sunt.

Remigius. Omnis etiam falsa doctrina, et superstitiosa observatio cum suis actoribus permanere non potest; et quia a Deo patre non est, cum eisdem eradicabitur. Illa ergo sola permanebit quae a Deo patre est.

Hieronymus. numquid ergo eradicabitur et illa plantatio, de qua apostolus ait: ego plantavi, apollo rigavit? sed solvitur quaestio ex eo quod sequitur: Deus autem incrementum dedit. Dicit et ipse: Dei agricultura, Dei aedificatio estis; et alibi: cooperatores Dei sumus. si autem cooperatores Dei, igitur plantante paulo et rigante apolline, Deus cum operatoribus suis plantat et rigat. Abutuntur autem hoc loco qui diversas naturas introducunt, dicentes: si plantatio quam non plantavit pater, eradicabitur, ergo quam ille plantavit, non potest eradicari. Sed audiant illud ieremiae: ego vos plantavi vineam veram: quomodo versi estis in amaritudinem vitis alienae? plantavit quidem Deus, et nemo potest eradicare plantationem eius. Sed quoniam ista plantatio in voluntate proprii arbitrii est, nullus alius eam eradicare poterit, nisi ipsa tribuerit assensum.

Glossa. Vel plantatio ista doctores legis significat cum sequacibus suis, qui Christum non habebant fundamentum. Quare autem sunt eradicandi, subditur sinite illos: caeci sunt, et duces caecorum.

Rabanus. Caeci quidem sunt, idest luce mandatorum Dei privati; et sunt duces caecorum, quia alios in praecipitium trahunt, errantes, et in errorem mittentes; unde subditur caecus autem si caeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.

Hieronymus. Hoc etiam est quod apostolus praeceperat: haeticum hominem post primam et alteram correptionem devota, sciens quod perversus sit huiusmodi. In hunc sensum et salvator praecepit doctores pessimos dimittendos arbitrio suo, sciens eos difficulter ad veritatem posse trahi.

MATTHAEUS 15,15-20

4515 (Mt 15,15-20)

Remigius. Consueverat dominus parabolice loqui; et ideo petrus cum audisset: quod intrat in os, non coinquinat hominem, putavit illum parabolice fuisse locutum; et ideo interrogavit, ut subditur respondens autem petrus dixit ei: edissere nobis parabolam istam. Et quia ex persona ceterorum hoc dixerat, idcirco simul cum aliis a domino reprehensus est: unde sequitur at ille dixit: adhuc et vos sine intellectu estis? .

Hieronymus. corripitur autem a domino, quare parabolice dictum putet quod perspicue locutus est. Ex quo animadvertimus, vitiosum esse auditorem qui obscura manifeste, aut manifeste dicta, obscure velit intelligere.

Chrysostomus in Matth. Vel ideo dominus increpat eum, quia non erat ex incertitudine quod quaesierat, sed ex scandalo quo scandalizatus erat. Turbae enim non intellexerant quod dictum erat; discipuli autem scandalizati fuerant; unde a principio quasi pro pharisaeis interrogare volebant; sed quia audierant eum magna dicentem: omnis plantatio etc., repressi fuerunt. Sed petrus, qui ubique fervens erat, neque ita silet; quem dominus increpat, et increpationi rationem addidit dicens non intelligitis quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit et in secessum emittitur? .

Hieronymus. ex hac sententia quidam calumniantur quod dominus physicae disputationis ignarus, putet omnes cibos in ventrem ire, et in secessum digeri, cum statim infusae escae per artus et venas ac medullas nervosque fundantur. Sed sciendum, quod tenuis humor et liquens esca, cum in venis et artubus concocta fuerit et digesta, per occultos meatus corporis quos graeci poros, vocant, ad inferiora dilabatur et in secessum vadit.

Augustinus de vera relig. alimenta carnis corrupta, idest amittentia formam suam in membrorum fabricam migrant, et corrupta reficiunt, in aliam formam per convenientiam transeuntia, et per vitalem motum diiudicantur quodammodo, ut ex eis in structuram huius pulchri visibilis, quae apta sunt, assumantur, non apta vero per congruos meatus abiciantur: quorum aliud faeculentissimum redditur terrae ad alias formas assumendas, aliud per totum corpus exhalat, aliud totius animalis latentes nervos accipit et inchoatur in prolem.

Chrysostomus in Matth. Cum autem hoc dominus dicit, adhuc discipulis secundum iudaicam infirmitatem respondet: dicit enim, quoniam cibus non manet, sed egreditur; quamvis etsi maneret, non faceret immundum. Sed nondum haec audire poterant. propter hoc autem et moyses per tantum tempus dicit esse

immundos, quantum cibus intus manet: in vespere enim iubet lavari et mundum esse, quasi tempus digestionis et egestionis dimetiens.

Augustinus de trin. Duo autem quaedam hominis ora dominus complexus est: unum corporis, aliud cordis: nam cum dicit omne quod in os intrat, non coinquinat hominem, apertissime demonstravit os corporis; at in eo quod sequitur, os cordis ostendit, dicens quae autem procedunt de ore, de corde exeunt, et ea coinquant hominem.

Chrysostomus in Matth. Quae enim cordis sunt, intus in homine manent, et exeuntia inquinant, non manentia solum, immo tunc magis cum exierint; unde subiunxit de corde enim exeunt cogitationes malae: quas primo ponit, quia hoc erat iudaicum vitium, qui scilicet ei insidiabantur.

Hieronymus. principale igitur animae non, secundum platonem, in cerebro est, sed iuxta Christum in corde: et arguendi sunt ex hac sententia qui cogitationes a diabolo immitti putant, et non ex propria nasci voluntate. Diabolus adiutor esse, et incentor malarum cogitationum potest esse; auctor esse non potest. Si autem semper in insidiis positus levem cogitationum nostrarum scintillam suis fomitibus inflammaverit, non debemus opinari, eum quaeque occulta cordis rimari: sed ex corporis habitu et gestibus aestimare quid versemus intrinsecus. Verbi gratia, si pulchram mulierem nos crebro viderit inspicere, intelligit cor ab oculis vulneratum.

Glossa. ex cogitationibus autem malis proveniunt et mala facta et mala verba, quae lege prohibentur: unde subdit homicidia, quae prohibentur illo legis praecepto: non occides; adulteria, fornicationes, quae intelliguntur prohiberi illo praecepto: non moechaberis; furta, quae prohibentur illo praecepto: non furtum facies; falsa testimonia, contra illud praeceptum: non dices adversus proximum tuum falsum testimonium; blasphemiae, contra illud praeceptum: non assumes nomen Dei in vanum.

Remigius. Nominatis autem vitiis quae divina lege prohibentur, pulchre dominus subiungit haec sunt quae coinquant hominem; idest, immundum et impurum reddunt.

Glossa. Et quia huiusmodi verba domini ex pharisaeorum nequitia occasionem sumpserant, qui traditiones suas divinis praeceptis praeferebant, consequenter concludit inconvenientiam traditionis praemissae, dicens non lotis autem manibus manducare non coinquant hominem.

Chrysostomus in Matth. non autem dixit: escas in lege prohibitas manducare non coinquant hominem, ut non possent illi contradicere, sed concludit de illo de quo disputatio erat.

MATTHAEUS 15,21-28

4521 (Mt 15,21-28)

Hieronymus. Scribis et pharisaeis et calumniatoribus derelictis, transgreditur in partes tyri et sidonis, ut tyrios sidoniosque curaret: et ideo dicitur et egressus inde iesus, secessit in partes tyri et sidonis.

Remigius. Tyrus et sidon civitates fuere gentilium: nam tyrus metropolis fuerat chananaeorum, sidon terminus chananaeorum respiciens ad aquilonem.

Chrysostomus in Matth. Considerandum autem, quod quando ab escarum observatione iudaeos eripuit, tunc et gentibus ianuam aperuit, sicut et petrus prius in visione iussus est hanc legem solvere, et post ad cornelium mittitur. Si quis autem quaerat, cum discipulis suis dixerit: in viam gentium ne abieritis, qualiter hanc ambulat viam, primum quidem illud dicemus, quia non erat obnoxius praecepto quod discipulis dederat. Secundo autem quia neque ut praedicaturus abiit: unde et Marcus dicit quoniam occultavit seipsum.

Remigius. Ivit autem, ut tyrios sidoniosque curaret; sive ut huius mulieris filiam liberaret a daemonio; quatenus per eius fidem, scribarum et pharisaeorum nequitiam condemnaret: de qua quidem muliere subditur et ecce mulier chananaea a finibus illis egressa.

Chrysostomus in Matth. Dicit autem evangelista eam esse chananaeam, ut ostendat virtutem praesentiae christi. Chananaei enim, qui expulsi fuerant ut non perverterent iudaeos, hi iudaeis apparuerunt prudentiores, ut exirent a terminis suis, et accederent ad Christum. Cum autem haec mulier accessisset, nihil aliud quam misericordiam poposcit; unde sequitur clamavit dicens ei: miserere mei, domine fili David.

Glossa. Magna fides chananaeae hic notatur: Deum credit, ubi dominum vocat; hominem, ubi dicit filium David. Nihil ex merito postulat, sed solam misericordiam Dei efflagitat, dicens miserere. Nec dicit: miserere filiae, sed miserere mei: quia dolor filiae dolor est matris; et ut magis eum ad compassionem moveat, totum ei dolorem enarrat: unde sequitur filia mea male a daemonio vexatur: in quo vulnera medico detegit, et magnitudinem et qualitatem morbi: magnitudinem, cum dicit male vexatur; qualitatem cum dicit a daemonio.

Origenes. vide autem prudentiam feminae: non ivit ad homines seductores; non quaesivit inanes ligaturas; sed omnes relinquens diaboli cultus, venit ad dominum. Non petivit iacobum, non rogavit iohannem, non accessit ad petrum: sed suscepit in se poenitentiae patrociniū, et sola cucurrit ad dominum. Sed vide inexpertum negotium. Petit, et lantum suum producit in clamorem; et amator hominum Deus non respondet verbum: unde sequitur qui non respondit ei verbum.

Hieronymus. Non autem de superbia pharisaica, nec de scribarum supercilio, sed ne ipse sententiae suae contrarius videretur, per quam iusserat: in viam gentium ne abieritis: nolebat enim occasionem calumniantibus dare, perfectamque salutem gentium passionis et resurrectionis tempori reservabat.

Glossa. differendo etiam et non respondendo, patientiam mulieris et perseverantiam nobis ostendit. Ideo etiam non respondit, ut discipuli pro ea rogarent: ostendens per hoc, necessarias esse preces sanctorum ad aliquid impetrandum: unde sequitur et accedentes discipuli eius, rogabant eum dicentes: dimitte eam, quia clamat post nos.

Hieronymus. Discipuli adhuc illo tempore mysteria domini nescientes, vel misericordia moti, rogabant pro chananaea muliere, vel importunitate eius carere cupientes.

Augustinus de cons. Evan. affert autem aliquam repugnantiae quaestionem quod Marcus in domo dicit fuisse dominum cum ad illum venit mulier pro filia sua rogans, Matthaeus autem posset intelligi de domo tacuisse, eandem tamen rem commemorasse. Sed quoniam dicit discipulos domino ita suggestisse, dimitte illam, quoniam clamat post nos, nihil videtur aliud significare quam post ambulantem dominum, mulierem istam deprecatoriam vocem misisse. Intelligendum est ergo, dixisse quidem marcum quod intraverit ubi erat iesus, cum eum praedixisset fuisse in domo. Sed quia Matthaeus ait non respondit ei verbum, dedit agnoscere, quod tacuerunt ambo, et in eo silentio egressum fuisse iesum de domo illa; atque ita cetera contexuntur quae iam in nullo discordant.

Chrysostomus in Matth. Aestimo autem et discipulos ad calamitatem mulieris esse tristatos, sed tamen non sunt ausi dicere: da ei hanc gratiam, sed dimitte eam: sicut et nos cum volumus alicui persuadere, multoties contraria dicimus. ipse autem respondens ait: non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus israel.

Hieronymus. Non autem hoc dicit quin ad gentes non missus sit, sed quod primum ad israel missus est, ut illis non recipientibus evangelium, iusta fieret ad gentes transmigratio.

Remigius. Specialiter enim missus est ad salutem iudaeorum, ut etiam corporali praesentia eos doceret.

Hieronymus. Signanter autem dixit ad oves perditas domus israel, ut etiam ex hoc nunc erroneam ovem de alia parabola intelligamus.

Chrysostomus in Matth. sed quia mulier vidit nihil posse apostolos, inverecunda effecta est bona inverecundia: ante enim neque in conspectum venire audebat: unde dictum est clamat post nos. Quando autem videbatur ut angustiata recederet, tunc proprius venit: unde sequitur at illa venit et adoravit eum.

Hieronymus. Nota, quod ista chananitidis perseveranter primum filium David, deinde dominum vocat, et ad extremum, Deum adoravit.

Chrysostomus in Matth. ideoque non dixit: roga vel deprecare Deum; sed domine, adiuva me. quanto ergo magis mulier multiplicabat supplicationem, tanto et ipse multiplicabat negationem: et non adhuc iudaeos oves vocat, sed filios, illam autem canem: unde sequitur qui respondens ait: non est bonum sumere panem filiorum, et dare canibus.

Glossa. Filii sunt iudaei generati et nutriti sub cultu unius Dei per legem; panis est evangelium, miracula, et alia quae ad salutem nostram pertinent. non est ergo conveniens ut a filiis auferantur, et dentur gentibus, qui sunt canes, donec iudaei repudient.

Rabanus. Canes autem gentiles propter idololatriam dicuntur, qui esui sanguinis dediti, et cadaveribus mortuorum, vertuntur in rabiem.

Chrysostomus in Matth. Vide autem mulieris prudentiam, qualiter neque contradicere ausa est, neque tristata in aliorum laudibus, neque molestata in proprio convicio: unde sequitur at illa dixit: etiam, domine: nam et catelli edunt de micis quae cadunt de mensa dominorum suorum. Ille dixit non est bonum, haec autem dixit utique, domine; ipse iudaeos filios vocat, haec autem dominos; ipse canem eam nominavit, haec autem et opus canis adiecit; ac si dicat: si canis sum, non sum aliena: canem me dicis; ergo nutri me ut canem: non possum relinquere mensam domini mei.

Hieronimus. Mira autem huius mulieris fides, patientia et humilitas praedicantur: fides, qua credebatur sanari posse filiam suam; patientia, qua toties contempta in precibus perseverat; humilitas, quod se non canibus, sed catulis comparat. Scito me, inquit, filiorum panem non mereri, nec integros capere posse cibos, nec sedere ad mensam posse cum patre; sed contenta sum reliquiis catulorum, ut per humilitatem micarum ad panis integri veniam magnitudinem.

Chrysostomus in Matth. Propter hoc autem Christus tardabat: praesciebat enim eam hoc dicturam, nec occultari volebat tantam mulieris virtutem: unde sequitur tunc respondens iesus ait illi: o mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis; ac si dicat: fides tua maiora his audire potest; verum interim fiat tibi sicut vis. Vide autem qualiter non parum et haec mulier intulit in filiae medicinam: propter hoc enim neque Christus dixit: sana sit filia tua; sed magna est fides tua: fiat tibi sicut vis; ut discas quoniam simpliciter loquebatur, et non adulationis, sed multae fidei erant verba ipsius. Haec autem christi vox similis est illi voci qua dixit: fiat firmamentum: et factum est (*Gn 1,6*); unde sequitur et sanata est filia eius ex illa hora. Intende autem qualiter apostolis non impetrantibus impetrat ipsa: tam magnum quid est instantia orationis: etenim pro nostris noxis a nobis vult magis rogari, quam ab aliis pro nobis.

Remigius. His etiam verbis datur nobis exemplum catechizandi et baptizandi pueros: quoniam haec mulier non ait: salva filiam meam, aut adiuva eam; sed miserere mei et adiuva me. Hinc etenim descendit consuetudo in ecclesia ut fideles pro suis parvulis fidem Deo promittant, quando ipsi non sunt tantae aetatis et rationis ut per se fidem Deo promittere valeant; quatenus sicut fide istius mulieris sanata est filia eius, ita et fide virorum catholicorum peccata parvulis relaxentur. Allegorice autem haec mulier sanctam ecclesiam significat de gentibus congregatam. per hoc enim quod dominus, relictis scribis et pharisaeis, venit in partes tyri et sidonis, praefigurabatur quia relicturus erat iudaeos, et transiturus ad gentes. est autem haec mulier egressa a finibus suis, quoniam ecclesia sancta recessit a pristinis erroribus et vitiis.

Hieronimus. filiam autem chananaeae puta animas esse credentium, quae male a daemonio vexabantur, ignorantes creatorem, et adorantes lapidem.

Remigius. Filios autem dominus appellat patriarchas et prophetas illius temporis. Per mensam designatur sacra scriptura; per micas vero minima praecepta, vel interna mysteria, quibus sancta ecclesia pascitur; per crustas vero carnalia praecepta, quae iudaei observant. miccae autem sub mensa comedi dicuntur, quia ecclesia humiliter se submittit ad implenda divina praecepta.

Rabanus. non autem crustas, sed micas de pane puerorum edunt catelli: quia conversi ad fidem, qui erant despecti in gentibus, non litterae superficiem in scripturis, sed spiritualem sensum quo in bonis actibus proficere valeant, inquirunt.

Hieronimus. mira autem rerum conversio. Israel quondam filius, nos canes: pro diversitate fidei ordo nominum commutatur: de illis postea dicitur: circumdederunt me canes multi; nos audivimus cum muliere fides tua te salvam fecit.

Rabanus. quae merito magna dicitur: quia cum gentes nec lege fuerint imbutae, nec vocibus prophetarum instructae, ad praedicationem mox apostolorum, in auditu auris obedierunt; ideoque salutem impetrare meruerunt. Verum si ad primas ecclesiae rogantis lacrymas dominus salutem animae differt dare, non est desperandum, vel a petendo cessandum; sed magis precibus insistendum.

Augustinus de quaest. Evang. quod et puerum centurionis et filiam chananaeae mulieris, non veniens ad domos eorum sanat, significat gentes ad quas non venit, salvas fore per verbum suum. Quod ipsis rogantibus filii sanantur, intelligenda est persona ecclesiae, quae sibi est et mater et filii: nam simul omnes quibus constat ecclesia, mater dicitur; singuli autem iidem ipsi filii appellantur.

Hilarius in Matth. Vel haec mulier proselytorum formam praefert, fines suos egreditur, et ex gentibus,

scilicet in populi alterius nomen excedens: quae pro filia, videlicet gentium plebe, dominatu immundorum spirituum occupata, orat; et quia dominum cognovit ex lege, David filium nuncupat.

Rabanus. Item si quis conscientiam habet alicuius vitii sorde pollutam, filiam habet male a daemonio vexatam. Item si quis bona quae gessit, peccatorum peste foedavit, filiam habet immundi spiritus furiis agitatam; ideoque necesse est ut ad preces lacrymasque confugiat, sanctorumque intercessionem et auxilia quaerat.

MATTHAEUS 15,29-31

4529 (Mt 15,29-31)

Hieronymus. Sanata chananaeae filia, revertitur dominus ad iudaeam: unde dicitur et cum transisset inde iesus, venit secus mare galilaeae.

Remigius. Hoc mare diversis vocabulis appellatur: dicitur enim mare galilaeae propter galilaeam adiacentem; mare tiberiadis propter tiberiadem civitatem. sequitur et ascendens in montem, sedebat ibi.

Chrysostomus in Matth. considerandum autem, quod aliquando dominus circuit ut sanet infirmos: aliquando autem sedet expectans eos: et ideo convenienter hic subditur et accesserunt ad eum turbae multae, habentes secum mutos, claudos, caecos, debiles, et alios multos.

Hieronymus. In eo loco ubi latinus interpres transtulit debiles, in graeco scriptum est cyllous, quod non debilitatis generale, sed unius infirmitatis nomen est: ut quomodo claudus dicitur, qui pede claudicat uno, sic cyllous, appelletur qui unam manum debilem habet.

Chrysostomus in Matth. hi autem in duobus fidem suam demonstrabant; et in ascendendo montem, et in hoc quia aestimabant se nullo alio indigere nisi ut proicerentur ad pedes iesu; neque etiam adhuc tangunt fimbriam vestimenti, sed et ad altiorem fidem ascendunt unde dicitur et proiecerunt eos ad pedes eius. Et mulieris quidem filiam cum multa tarditate curavit, ut eius virtutem ostenderet: his autem, non quia meliores erant, sed ut infidelium iudaeorum ora obstrueret, confestim sanationem praebeat: unde sequitur et curavit omnes. multitudo autem eorum qui curabantur, et facilitas sanationis eos in stuporem mittebat: unde sequitur ita ut turbae mirarentur, videntes mutos loquentes.

Hieronymus. de debilibus tacuit, quia quid e contrario diceret uno verbo non habebat.

Rabanus. Mystice autem, cum filia chananaeae praefigurasset salutem gentium, venit in iudaeam: quia cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis israel salvus erit.

Glossa. Mare autem iuxta quod venit iesus, turbida huius saeculi volumina signat: quod est galilaeae, cum homines a vitiis ad virtutes transmigrant.

Hieronymus. Ascendit autem in montem, ut quasi avis teneros fetus provocet ad volandum.

Rabanus. ut scilicet auditores suos erigat ad superna et caelestia meditanda. Sedebatque ibi, ut demonstraret, non nisi in caelestibus requiem esse quaerendam. Eo autem sedente in monte, idest in caelorum arce, accedunt turbae fidelium, devota mente illi appropinquantes, ducentes secum mutos et caecos etc., eosque ad pedes iesu prociunt: quia peccata confitentes ipsi soli curandos subiciunt: quos ita curat ut turbae mirentur et magnificent Deum israel; quia fideles, quando viderint eos qui spiritualiter aegrotaverant, diversis operibus virtutum ditatos, laudem Deo decantant.

Glossa. Muti autem sunt qui non laudant Deum; caeci qui non intelligunt viam vitae; surdi qui non obtemperant; claudi per devia boni operis non recte euntes; debiles sunt qui infirmi sunt in bonis operibus.

MATTHAEUS 15,32-38

4532 (Mt 15,32-38)

Hieronymus. Prius Christus infirmorum debilitates abstulerat, postea vero sanatis offert cibos. Convocat

quoque discipulos suos, et quod facturus est loquitur: unde dicitur iesus autem convocatis discipulis suis dixit: misereor turbae. Hoc autem facit ut magistris exemplum tribuat, cum minoribus atque discipulis communicandi consilia; vel ut ex confabulatione intelligant signi magnitudinem.

Chrysostomus in Matth. Turbae enim cum ad sanationem venissent, non audebant petere panes: unde ipse amator hominum, et omnium curam gerens, etiam non petentibus dat: propter quod dicit misereor turbae. Ne autem dicatur quoniam venientes viaticum portaverant, dicit quia triduo iam perseverant mecum, et non habent quod manducent. Etsi enim quando venerunt, cibos habuerunt, tamen iam consumpti erant: et propter hoc non in prima aut secunda die hoc fecit, sed in tertia, quando iam omnia erant consumpta: ut prius ipsi in necessitate constituti, cum ampliori desiderio susciperent quod fiebat. Monstrat autem et quod de longe venerant, et nihil eis reliquum fuerat, in hoc quod dicit et dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in via. Cum autem nolit eos ieiunos dimittere, ideo tamen non statim signum facit, ut ex hac interrogatione et responsione attentiores discipulos faciat, et fidem suam ostendant, dicentes: fac panes. Et quamvis Christus plurima fecerit ut miraculi prius facti recordarentur, quia fecit eos ministros et partiti sunt cophinos, adhuc tamen imperfectius dispositi erant: quod patet per hoc quod sequitur et dicunt ei discipuli: unde ergo nobis in deserto panes tantos ut saturemus turbam tantam? ipsi quidem infirma cogitatione hoc dixerunt; per hoc tamen miraculum futurum insuspicabile facientes: ne aliquis enim suspicaretur quod ab aliquo propinquo castello accepti sunt cibi, propter hoc miraculum istud in solitudine fit, multum a castellis distante. Ipse autem Christus, ut discipulorum erigat mentem, eos interrogat; ut ex modo interrogationis eos commemoret illorum quae prius facta sunt: unde sequitur et ait illis iesus: quot panes habetis? at illi dixerunt: septem, et pisciculos paucos. Non autem addunt: sed haec quid sunt inter tantos? sicut antea dixerant; iam enim paulatim profecerant, licet non totum apprehendatur ab eis. Admirare autem in apostolis veritatis amorem, qualiter ipsi scribentes non occultant suos etiam magnos defectus; non enim est quantalibet accusatio, parum ante tali signo facto confestim oblivisci. admirare autem et aliam sapientiam eorum, qualiter ventrem superabant, non multam mensae curam facientes; in eremo enim existentes, et per tres dies ibi morantes, solum septem panes ibi habebant. Alia vero similiter prioribus fecit: etenim recumbere eos fecit in terra, et in manibus discipulorum crescere panes: unde sequitur et praecepit turbae ut discumberent super terram.

Hieronymus. De hoc autem supra diximus, et eadem repetere otiosi est: tantum in his quae discrepant immoremur.

Chrysostomus in Matth. finis autem utriusque miraculi non similis est: sequitur enim et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducaverant quatuor millia hominum, extra parvulos et mulieres. Quare autem minores fuerunt reliquiae in hoc miraculo quam in primo etsi non tot fuerint qui comederunt? aut igitur hoc est, quia sportae cophinis maiores erant; aut ut ex diversitate rememorentur et illius et huius miraculi: et propter hoc tunc quidem fecit cophinos reliquiarum numero aequales discipulis, nunc autem sportas panibus aequales.

Remigius. In hac autem evangelica lectione consideranda est in Christo operatio divinitatis et humanitatis: per hoc enim quod turbis miseretur, ostendit se humanae fragilitatis affectionem habere: in eo vero quod panes multiplicavit et turbas pavit, ostenditur divinitatis operatio. Destruitur ergo hic error eutychetis, qui in Christo dicebat unam naturam.

Augustinus de cons. Evang. sane non abs re est admonere in hoc miraculo; quod si aliquis evangelistarum hoc dixisset, qui de quinque panibus non dixisset, contrarius ceteris putaretur. sed quia illi qui miraculum de septem panibus narraverunt, nec illud de quinque tacuerunt; neminem movet, et utrumque factum homines intelligunt. Hoc ideo diximus, ut sicubi simile reperitur factum a domino, quod in aliquo alter alteri evangelistae ita repugnare videatur ut omnino solvi non possit, nihil aliud intelligatur quam utrumque factum esse, et aliud ab alio commemoratum.

Glossa. notandum autem, quod prius dominus aufert debilitates, et postea cibatur: quia prius sunt removenda peccata, et postea anima verbis domini nutrienda.

Hilarius in Matth. Sicut autem illa turba quam prius pavit, iudaicae credentium convenit plebi, ita haec populo gentium comparatur. Quod vero quatuor millia virorum congregantur, multitudo innumerabilium ex quatuor orbis partibus intelligitur.

Hieronymus. Isti etiam non sunt quinque millia, sed quatuor millia, qui numerus semper in laudibus ponitur; et quadrangulus lapis non fluctuat, non est instabilis: et ob hanc causam etiam evangelia in hoc numero consecrata sunt. in superiori ergo signo, quia propinqui erant et vicini quinque sensuum, non ipse dominus eorum recordatur, sed discipuli; hic autem ipse dominus misereri se dicit eorum quia triduo iam perseverant cum eo: quia scilicet patri, filio spirituique sancto credebant.

Hilarius. Vel quia omne passionis dominicae tempus cum domino agunt; sive quia venturi ad baptismum confitentur se credere in passione ac resurrectione eius; sive quia toto passionis dominicae tempore ieiuniis domino quadam compassionis societate iunguntur.

Rabanus. vel hoc dicitur quia in toto saeculo triplex tempus est quo gratia datur: primum ante legem, secundum sub lege, tertium sub gratia, quartum est in caelo, ad quod tendens reficitur in via.

Remigius. Vel quia peccata commissa per poenitentiam corrigentes, cogitatione, locutione et opere convertuntur ad dominum. Has turbas noluit dominus dimittere ieiunas, ne deficerent in via: quia peccatores per poenitentiam conversi, in cursu labentis saeculi pereunt, si absque sacrae doctrinae pabulo dimittantur.

Glossa. Septem panes sunt scriptura novi testamenti, in quo gratia spiritus sancti et revelatur et datur; neque sunt hordeacei, ut supra, quia non hic, ut in lege, vitale alimentum figuris quasi tenacissima palea tegitur; hic non duo pisces, ut in lege duo ungebantur, scilicet rex et sacerdos; sed pauci, idest sancti novi testamenti, qui de fluctibus saeculi erepti, et sustinent turbulentum mare, et exemplo suo nos reficiunt, ne in via deficiamus.

Hilarius. Turbae autem in terra recumbunt: nullis enim legis operibus fuerant ante substratae; sed peccatorum et corporum suorum inhaerebant.

Glossa. vel ibi super faenum, ut desideria carnis comprimantur, hic super terram, ubi et ipse mundus relinqui praecipitur. vel mons in quo dominus reficit, est altitudo christi; ibi ergo faenum super terram, quia ibi celsitudo christi, propter carnales, carnali spe et desiderio tegitur: hic remota omni cupiditate carnali, convivas novi testamenti spe permanentes solidatosque continet; ibi quinque millia, qui carnales quinque sensibus subdit: hic quatuor, propter quatuor virtutes quibus spiritualiter muniuntur: temperantiam, prudentiam, fortitudinem et iustitiam: quarum prima est cognitio rerum appetendarum et vitandarum; secunda, refrenatio cupiditatis ab his quae temporaliter delectant; tertia, firmitas contra molesta saeculi; quarta, quae per omnes diffunditur, dilectio Dei et proximi: et ibi et hic mulieres et parvuli excepti sunt: quia in veteri et novo testamento non admittuntur ad dominum qui non perdurant occurrere in virum perfectum, vel infirmitate virium, vel levitate mentis. Utraque refectio in monte celebrata est, quia utriusque testamenti scriptura et altitudinem caelestium praeceptorum mandat et praemium. utraque altitudinem christi praedicat. altiora mysteria, quae non capit communis turba, apostoli sufferunt et implent, scilicet perfectorum corda septiformis spiritus gratia ad intelligendum illustrata. Sportae iunco et foliis palmarum solent contexti; et significant sanctos, qui radicem cordis in ipso fonte vitae collocant ne arescant ut iuncus in aqua, et palmam aeternae retributionis in corde retinent.

MATTHAEUS 16,1-4

4601 (Mt 16,1-4)

Chrysostomus in Matth. sicut post miraculum quinque panum, dominus turbas dimisit, ita et nunc; nec autem pedes recedit, sed navigio, ne turba eum sequatur: unde dicitur et dimissa turba, ascendit in naviculam, et venit in fines mageddan.

Augustinus de cons. Evang. Marcus autem dicit, quod in dalmanutha; nec est dubitandum eumdem locum esse sub utroque nomine: nam plerique codices non habent, etiam secundum marcum, nisi mageddan.

Rabanus. est autem mageddan regio contra gerasam, et interpretatur poma, vel nuntia; et significat hortum, de quo dicitur: hortus conclusus, fons signatus, in quo crescunt poma virtutum, et ubi nuntiatur nomen domini. Docet autem, quod praedicatorum, ministrato verbo turbae, ipsi intra cubiculum cordis virtutum pomis debent refici. sequitur et accesserunt ad eum pharisaei et sadducaei tentantes et rogaverunt eum ut signum de caelo ostenderet eis.

Remigius. Admiranda quippe est caecitas pharisaeorum et sadducaeorum: sic enim postulabant signum de caelo, quasi ea non essent signa quae facere videbatur. quod autem signum postularent, ioannes manifestat: refert enim post refectionem de quinque panibus, turbam accessisse ad dominum et dixisse: quod signum facis, ut videamus, et credamus tibi? patres nostri manna in deserto comederunt, sicut scriptum est: panem de caelo dedit eis manducare. Ideoque et hic dicunt: ostende nobis signum de caelo; idest, fac ut uno vel duobus diebus manna pluatur, ut totus populus pascatur, sicut multo tempore factum est in deserto. Ipse vero inspiciens cogitationes eorum, ut Deus, et sciens quod si etiam signum de caelo eis

ostenderet, non crederent, noluit eis dare signum quod postulabant: unde sequitur at ille respondens ait illis: facta vespere dicitis: serenum erit, etc.

Hieronymus. hoc apud graecos in plerisque codicibus non habetur. Sensus autem manifestus est, quod ex elementorum ordine et consonantia possunt et sereni et pluviosi dies praenosci. Scribae autem et pharisaei, qui videbantur legis esse doctores, ex prophetarum vaticinio non poterant cognoscere salvatoris adventum.

Augustinus de quaest. Evang. potest etiam intelligi quod dixit dominus: facta vespere dicitis: serenum erit, etenim rubicundum est caelum: idest sanguine passionis christi, primo adventu indulgentia peccatorum datur. Et mane: hodie tempestas, rubet enim cum tristitia caelum; illud est quod secundo adventu igne praecedente venturus est.

Glossa. Vel aliter. Rutilat triste caelum; idest, patiuntur apostoli post resurrectionem; post quos me iudicare in futuro scire potestis; quia cum non parco meis bonis quin patiantur, non parcam aliis in futuro. Faciem ergo caeli diiudicare nostis, signa autem temporum non potestis. Signa temporum dixit de adventu suo vel passione, cui simile est roseum caelum vespere; et idem de tribulatione, ante adventum suum futura, cui simile est mane roseum cum tristitia caelum.

Chrysostomus in Matth. Sicut ergo in caelo aliud quidem est signum serenitatis, aliud pluviae, ita et in me putare oportet: nunc enim, scilicet in primo adventu, his signis quae in terra sunt, opus est; quae autem in caelo sunt, conservantur tempori secundi adventus. Nunc enim sicut medicus veni; tunc sicut iudex adero: propter hoc nunc occultus veni; tunc autem cum multa divulgatione quando virtutes caelorum movebuntur. Sed non est nunc tempus horum signorum: quia veni mori, et quae abiecta sunt pati: et ideo sequitur generatio mala et adultera signum quaerit; et signum non dabitur ei, nisi signum ionae prophetae.

Augustinus de cons. Evang. Hoc autem et alibi iam dixit Matthaenus: unde retinendum est, eadem dominum saepe dixisse; ut quod existente contrario solvi non poterit, bis dictum intelligatur.

Glossa. dicit autem generatio mala et adultera, idest incredula, pro spirituali carneum habens intellectum.

Rabanus. Non ergo generationi illi tentantium dominum signum caeleste datur, quale quaerebant, quibus multa signa dedit in terra; sed generationi quaerentium dominum, idest apostolis; quibus cernentibus, ascendit in caelum, et spiritum sanctum misit.

Hieronymus. quid autem sibi velit signum ionae, iam supra dictum est.

Chrysostomus in Matth. Cum autem hoc pharisaei audissent, oportebat interrogare, et dicere: quid est quod dicitur? sed ipsi non desiderio discendi, hoc a domino quaesierunt; et ideo dominus eos relinquit; unde sequitur et relictis illis, abiit.

Rabanus. Idest relicta generatione mala iudaeorum, abiit trans fretum, et gentium secutus est populus. nota, quod non, sicut in aliis legitur locis, dimissis turbis abiit; sed quia infidelitatis error insolentium animos obtinebat, dicitur quod eos reliquit.

MATTHAEUS 16,5-12

4605 (Mt 16,5-12)

Glossa. Sicut dominus pharisaeos reliquerat propter eorum infidelitatem, ita consequenter et doctrinam eorum a discipulis cavendam esse docet: unde sequitur et cum venissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt accipere panes.

Remigius. tanto enim amore magistri detinebantur ut nec etiam ad punctum vellent ab eo recedere. Animadvertendum est ergo quantum alieni essent ab appetitu deliciarum, cum tam parvam haberent de necessariis curam ut etiam obliti sint panes accipere, sine quibus humana fragilitas subsistere non potest. sequitur qui dixit illis: intuemini et cavete a fermento pharisaeorum et sadducaeorum.

Hilarius in Matth. in quo monentur apostoli non admisceri iudaeorum doctrinae: quia legis opera in effectum fidei et praefigurationem rerum consequentium constituta sunt: et in quorum tempora atque aetatem veritas contigisset, nihil ultra in veritatis similitudinem positum arbitrarentur: ne doctrina

pharisaeorum Christum nesciens, effectum evangelicae veritatis rumperet.

Hieronymus. qui enim cavet a fermento pharisaeorum et sadducaeorum, legis ac litterae praecepta non servat, traditiones hominum negligit, ut faciat Dei mandata. Hoc est fermentum de quo apostolus ait: modicum fermentum totam massam corrumpit. Istiusmodi fermentum etiam omni ratione vitandum est, quod habuit marcion, valentinus et omnes haeretici. fermentum enim hanc habet vim ut, si farinae mixtum fuerit, quod parum videbatur, crescat in maius, et ad saporem suum universam conspersionem trahat: ita et doctrina haeretica, si vel modicam scintillam iecerit in tuum pectus, in brevi ingens flamma concrevit, et totam hominis passionem ad se trahit.

Chrysostomus in Matth. Quare non dixit: attendite a doctrina pharisaeorum manifeste? quia vult commemorare ea quae facta sunt, scilicet de multiplicatione panum: etenim noverat eos esse oblitos. simpliciter autem de hoc eos incusare non videtur rationem habere: occasione autem ab eis recepta eos increpare, susceptibilem faciebat incusationem; et ideo quae cogitabant discipuli, evangelista in medium introducit, dicens at illi cogitabant intra se dicentes quia panes non accepimus.

Hieronymus. Quomodo autem panes non habebant qui statim impletis septem sportis, ascenderunt in naviculam, et venerunt in fines mageddan? ibi audiunt navigantes quod cavere debeant a fermento pharisaeorum et sadducaeorum. sed scriptura testatur, quod oblitus sunt eos secum tollere.

Chrysostomus in Matth. quia vero discipuli circa observationes iudaicas adhuc repebant, ideo dominus vehementer eos increpat ad utilitatem omnium: unde sequitur sciens autem iesus, dixit eis: quid cogitatis intra vos, modicae fidei, quia panes non habetis? **Glossa.** Quasi dicat: quid cogitatis me dixisse de terrenis panibus, de quibus non est vobis dubitandum, cum de tam paucis tantas feci abundare reliquias? .

Chrysostomus in Matth. hoc autem facit, ut sollicitudinem escarum ab eis abiciat. Sed quare non arguit eos, cum dixerunt: unde nobis in solitudine panes tanti? etenim opportunius videbatur hoc dici. Sed ideo tunc non reprehendit eos, ne videretur se ingerere ad signa facienda, et nolebat ante turbas eos increpare. Tunc etiam rationabilior haec accusatio fuit quando iam duplici miraculo de panibus facto tales erant ut adhuc de escis dubitarent. vide autem et increpationem cum mansuetudine: velut enim excusando respondet, pro his quos increpaverat dicens nondum intelligitis neque recordamini quinque panum? **Glossa** . Quasi dicat: neque mysterium intelligitis, neque virtutem in memoria habetis.

Chrysostomus in Matth. per quod in memoriam eis reducit ea quae praeterierunt, et ad futura attentiores facit.

Hieronymus. Per hoc autem quod dicit quare non intelligitis? ecce per occasionem docet eos quid significant quinque panes et septem, quinque millia hominum et quatuor millia, quae pasta sunt in eremo. Si enim fermentum pharisaeorum et sadducaeorum non corporalem panem, sed traditiones perversas et haeretica significat dogmata; quare cibi quibus nutritus est populus Dei, non veram doctrinam integramque significant? .

Chrysostomus in Matth. ut autem discas quantum in discipulis potuit increpatio christi, et qualiter eorum mentem erexerit dormientem, audi quid evangelista dicat: tunc intellexerunt quod non dixit cavendum a fermento panum, sed a doctrina pharisaeorum et sadducaeorum, quamvis eo hoc non interpretante. interpretatio ergo domini eos a iudaicis observationibus abduxit, desides existentes attentiores fecit, et a parva fide eos eripuit, ut non timeant si quando paucos panes habere videantur, neque pro pane solliciti sint, sed haec despiciant universa.

MATTHAEUS 16,13-19

4613 (Mt 16,13-19)

Glossa. Postquam discipulos a pharisaeorum doctrina removerat dominus, convenienter evangelicae doctrinae altitudinem in eis fundat: et ut maior solemnitas designetur, locus describitur cum dicitur venit autem iesus in partes caesareae philippi.

Chrysostomus in Matth. ideo autem non simpliciter caesaream nominat, sed caesaream philippi: quia est et alia caesarea quae est stratonis: non autem in illa, sed in hac discipulos interrogavit; longe eos a iudaeis abducens, ut ab omni timore eruti, libere dicant quae habebant in mente. Philippus autem iste, frater fuit herodis tetrarchae ithureae et trachonitidis regionis, qui in honorem tiberii caesaris caesaream philippi, quae

nunc paneas dicitur, appellavit.

Glossa. Confirmaturus autem in fide discipulos, prius opiniones et errores aliorum a mentibus eorum voluit remove: unde sequitur et interrogavit discipulos suos dicens: quem dicunt homines esse filium hominis?

Origenes in Matth. Interrogat Christus discipulos, ut ex apostolorum responsionibus nos discamus diversas opiniones fuisse tunc apud iudaeos de Christo; et ut nos semper scrutemur qualis opinio sit apud homines de nobis: ut si quid male dicitur de nobis, occasiones illius praecidamus: si quid autem boni, eius occasiones augeamus. Sed et discipuli episcoporum, apostolorum instruuntur exemplo, ut qualescumque opiniones audierint foris de episcopis suis, referant eis.

Hieronymus. Pulchre autem interrogat quem dicunt homines esse filium hominis? quia qui de filio hominis loquuntur, homines sunt; qui vero divinitatem eius intelligunt, non homines sed dii appellantur.

Chrysostomus in Matth. non autem dicit: quem me dicunt scribae et pharisaei esse? sed: quem me dicunt homines esse? plebis mentem quae ad malum inflexa non erat, investigans. etsi enim multo humilior quam oportebat eorum erat de Christo opinio, sed tamen a nequitia libera erat; pharisaeorum autem opinio de Christo erat plena multa malitia.

Hilarius in Matth. dicendo ergo quem dicunt homines esse filium hominis? significavit, praeter id quod in se videbatur, esse aliud sentiendum: erat enim hominis filius. Quod igitur de se opinandi iudicium desiderabat, non illud arbitramur quod de se ipse confessus est; sed occultum erat de quo quaerebatur, in quod se credentium fides debeat extendere. Est autem haec confessionis tenenda ratio: ut sicut Dei filium, ita et filium hominis meminerimus: quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem; et ideo signanter dixit quem dicunt homines esse filium hominis? .

Hieronymus. Non enim dixit: quem me esse dicunt homines? sed quem dicunt esse filium hominis? ne iactanter de se quaerere videretur. Et nota, quod ubicumque in veteri testamento scriptum est filius hominis, in hebraeo positum est filius adam.

Origenes in Matth. diversas autem iudaeorum opiniones de Christo discipuli referunt: unde dicitur at illi dixerunt: alii ioannem baptistam, aestimationem scilicet secuti herodis; alii autem eliam, videlicet aestimantes, quod aut secundam nativitatem susceperit elias, aut ex eo tempore in corpore vivens, in tempore apparuit illo; alii vero ieremiam, quem dominus in gentibus prophetam constituit: non intelligentes quoniam ieremias typus fuerat christi; aut unum ex prophetis, ratione simili, propter illa quae Deus ad ipsos locutus est per prophetas, non tamen in ipsis, sed in Christo sunt impleta.

Hieronymus. Sed tamen turbae sic errare potuerunt in elia et ieremia, quomodo herodes erravit in iohanne: unde miror quosdam interpretes causas errorum inquirere singulorum.

Chrysostomus in Matth. quia vero discipuli opinionem turbae recitaverant, evocat eos per secundam interrogationem ad opinandum aliquid maius de ipso: et ideo sequitur dicit illis iesus: vos autem quem me esse dicitis? vos, inquam, qui simul mecum estis semper, quia maiora signa vidistis quam turbae, non oportet vos in opinione convenire cum turbis: et propter hoc non a principio praedicationis eos de hoc interrogavit, sed postquam multa signa fecit, et multa locutus est de sua deitate.

Hieronymus. attende autem, quod ex hoc textu sermonis apostoli nequaquam homines sed dii appellantur; cum enim dixisset quem dicunt homines esse filium hominis? subiecit vos autem quem me esse dicitis? ac si dicat: illis, quia homines sunt, humana opinantibus, vos, qui dii estis, quem me esse existimatis? **Rabanus.** Non autem quasi nesciens, de se sententiam discipulorum, vel extraneorum inquiri; sed ideo discipulos quid de se sentiant interrogat, ut confessionem rectae fidei digna mercede remuneret. Ideo quid alii de se sentiant inquiri, ut expositis primo sententiis errantium, discipuli probarentur veritatem suae confessionis non de opinione vulgata, sed de ipso percepisse dominicae revelationis arcano.

Chrysostomus in Matth. Quando vero dominus de plebis opinione interrogat, omnes respondent; sed omnibus discipulis interrogatis, petrus tamquam os apostolorum et caput, pro omnibus respondet: unde sequitur respondens simon petrus, dixit: tu es Christus filius Dei vivi.

Origenes in Matth. Denegavit quidem petrus aliquid eorum esse iesum quae arbitrabantur iudaei, confessus est autem tu es Christus, quod nesciebant iudaei; sed, et quod maius est, filius Dei vivi, qui et per prophetas dixerat: vivo ego, dicit dominus; et ideo dicebatur vivus, sed secundum supereminentiam, quia supereminet omnibus habentibus vitam: quoniam solus habet immortalitatem et est fons vitae, quod proprie dicitur Deus pater; vita autem est quasi de fonte procedens, qui dixit: ego sum vita.

Hieronymus. Deum etiam vivum appellat, ad comparationem eorum deorum qui putantur dii, sed mortui sunt. Saturnum dico, iovem, venerem, et herculem, et cetera idolorum portenta.

Hilarius in Matth. est autem haec vera et inviolabilis fides, ex Deo Deum filium profectum esse, cui sit ex aeternitate patris aeternitas. hunc igitur assumpsisse corpus et hominem factum esse, perfecta confessio est. complexus est itaque omnia qui et naturam et nomen expressit: in quo summa virtutum est.

Rabanus. Mira autem distinctione factum est ut dominus ipse humilitatem assumptae humanitatis profiteatur, discipulus excellentiam divinae aeternitatis ostendat.

Hilarius. Dignum autem confessio petri praemium consecuta est, quia Dei filium in homine vidisset: unde sequitur respondens autem iesus dixit ei: beatus es, simon bar iona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui est in caelis.

Hieronymus. Reddit enim Christus apostolo vicem pro testimonio quod de se petrus dixerat tu es Christus filius Dei vivi. Dominus autem dixit ei beatus es, simon bar iona. quare? quia non revelavit tibi caro et sanguis; sed revelavit pater. Quod caro et sanguis revelare non potuit, spiritus sancti gratia revelatum est. Ergo ex confessione sortitur vocabulum quod revelationem ex spiritu sancto habeat, cuius et filius appellandus sit: siquidem bar iona in lingua nostra sonat filius columbae. alii simpliciter accipiunt, quod simon, scilicet petrus, filius sit ioannis, iuxta alterius loci interrogationem: simon ioannis, diligis me? et volunt scriptorum vitio depravatum: ut pro bar ioanna, idest filius ioannis, bar iona scriptum sit, una detracta syllaba; ioanna vero interpretatur Dei gratia. Utrumque autem nomen mystice intelligi potest: quod et columba spiritum sanctum, et gratia Dei donum significet spiritale.

Chrysostomus in Matth. Vanum est enim dicere: tu es filius ionae, vel ioanna, nisi ut ostendat quoniam ita naturaliter est Christus filius Dei sicut petrus filius ionae, eiusdem substantiae cum eo qui genuit.

Hieronymus. Illud autem quod ait quia caro et sanguis non revelavit tibi, apostolicae narrationi compara, in qua ait: continuo non acquievi carni et sanguini: carnem ibi et sanguinem iudaeos significans: ut hic quoque sub alio sensu demonstretur, quod ei non per doctrinam pharisaeorum, sed per Dei gratiam Christus Dei filius revelatus sit.

Hilarius in Matth. Vel aliter. beatus hic, quia ultra humanos oculos et intendisse et vidisse laudatus est, non id quod ex carne et sanguine est contuens, sed Dei filium caelestis patris revelatione conspiciens: dignusque iudicatus est ut primus agnosceret quod divinitas esset in Christo.

Origenes in Matth. Est autem in hoc loco quaerendum utrum cum prius mitterentur, iam cognoscebant discipuli quoniam ipse erat Christus. Hic enim sermo demonstrat, quoniam tunc primum confessus fuerit eum petrus Christum filium Dei vivi. Et vide, si potes huiusmodi quaestionem solvere, dicens, quoniam credere iesum esse Christum, minus est quam cognoscere: ut dicamus, quod quando mittebantur ad praedicandum, credebant quidem iesum esse Christum; postea autem proficientes etiam cognoverunt. aut ita est respondendum ut dicamus quoniam tunc quidem apostoli initia cognitionis habebant christi, et exigua cognoscebant de illo; postea autem profecerunt in agnitione ipsius, ut possent capere scientiam christi revelatam a patre: sicut et petrus qui beatificatur, non solum in eo quod dicit tu es Christus; sed in eo magis quod addidit filius Dei vivi.

Chrysostomus in Matth. nimirum autem, si non confessus esset petrus Christum proprie ex patre natum, non esset hic revelatione opus: neque aestimare Christum unum ex multis filiis adoptivis, beatitudine dignum esset: nam et ante hoc illi qui erant in navi dixerunt: vere filius Dei est hic. sed et nathanael dixit: rabbi, tu es filius Dei. Non tamen beati dicti sunt, quia non talem confessi sunt filiationem qualem petrus: sed unum ex multis eum aestimabant, non vere filium; vel etsi praecipuum quidem prae multis, non autem ex substantia patris. Vides autem qualiter et filium revelat pater et patrem filius. Non enim ab alio est dicere filium quam a patre, nec ab alio patrem quam a filio: quare et hinc manifestum est quod filius est consubstantialis et coadorandus patri. Ostendit autem Christus ex hinc iam multos credituros quod fuerat petrus confessus; unde subdit et ego dico tibi quia tu es petrus.

Hieronymus. Ac si dicat: quia tu mihi dixisti tu es Christus filius Dei vivi, et ego dico tibi, non sermone casso et nullum opus habente; sed dico tibi (quia meum dixisse, fecisse est)., quia tu es petrus; sicut enim ipse lumen apostolis donavit ut lumen mundi appellentur, et cetera quae a domino sortiti vocabula sunt; ita et simoni qui credebat in petram Christum, petri largitus est nomen.

Augustinus de cons. Evang. nullus tamen arbitretur quod hic petrus nomen acceperit: non enim accepit

hoc nomen nisi ubi Ioannes commemorat ei dictum esse: tu vocaberis cephias; quod interpretatur petrus.

Hieronymus. secundum autem metaphoram petrae, recte dicitur ei: aedificabo ecclesiam meam super te; et hoc est quod sequitur et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.

Chrysostomus in Matth. idest in hac fide et confessione aedificabo ecclesiam meam. Hinc ostendit multos iam credituros quod petrus confessus fuerat, et erigit eius sensum, et pastorem ipsum facit.

Augustinus in lib. retract. Dixi in quodam loco de apostolo petro, quod in illo tamquam in petra aedificata est ecclesia; sed scio me postea saepissime sic exposuisse quod a domino dictum est tu es petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, ut super hunc intelligeretur quem confessus est petrus dicens tu es Christus filius Dei vivi; ac si petrus ab hac petra appellatus, personam ecclesiae figuraret, quae super hanc petram aedificatur; non enim dictum est illi: tu es petra, sed tu es petrus; petra autem erat Christus, quem confessus simon, sicut ei tota ecclesia confitetur, dictus est petrus. Harum autem duarum sententiarum quae sit probabilior, eligat lector.

Hilarius in Matth. Est autem in nuncupatione novi nominis felix ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatione illius petra, quae infernales leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret: unde ad ostendendam firmitatem ecclesiae supra petram fundatae, subditur et portae inferi non praevalent adversus eam.

Glossa. Idest, non separabunt eam a caritate mea et fide.

Hieronymus. ego portas inferi, vitia reor atque peccata; vel certe haereticorum doctrinas, per quas illecti homines ducuntur ad tartarum.

Origenes in Matth. Sed et singulae spirituales nequitiae in caelestibus portae sunt inferorum, quibus contrariantur portae iustitiae.

Rabanus. portae quoque inferi, etiam tormenta et blandimenta sunt persecutorum; sed et prava infidelium opera ineptaque colloquia portae sunt inferi, quia iter perditionis ostendunt.

Origenes. Non autem exprimit utrum petrae non praevalent in qua aedificat Christus ecclesiam, aut ecclesiae quam aedificat supra petram; tamen manifestum est quia nec adversus petram, nec adversus ecclesiam portae praevalent inferorum.

Cyrillus in lib. thesauri. Secundum autem hanc domini promissionem, ecclesia apostolica petri ab omni seductione haereticaque circumventionem manet immaculata, super omnes praepositos et episcopos, et super omnes primates ecclesiarum et populorum in suis pontificibus, in fide plenissima et auctoritate petri. Et cum aliae ecclesiae, quorundam errore sint verecundatae, stabilita inquamabiliter ipsa sola regnat, silentium imponens, et omnium obturans ora haereticorum: et nos necessario salutis, non decepti superbia, neque vino superbiae inebriati, typum veritatis et sanctae apostolicae traditionis una cum ipsa confitemur et praedicamus.

Hieronymus. nemo autem putet haec de morte dici, quod apostoli conditioni mortis subiecti non fuerint, quorum martyria videat coruscare.

Origenes in Matth. si ergo et nos, patre nobis revelante qui est in caelis, quando scilicet conversatio nostra in caelis est, confessi fuerimus iesum Christum esse filium Dei vivi: et nobis dicitur: tu es petrus: petra enim est omnis qui imitator est christi. Adversus quem autem portae praevalent inferorum, ille neque petra dicendus est, supra quam aedificat Christus ecclesiam; neque ecclesia, neque pars ecclesiae, quam Christus aedificat supra petram.

Chrysostomus in Matth. deinde et alium petri dicit honorem, cum subditur et tibi dabo claves regni caelorum; quasi dicat: sicut pater tibi dedit me cognoscere, ita et ego tibi aliquid dabo, scilicet claves regni caelorum.

Rabanus. qui enim regem caelorum maiori prae ceteris devotione confessus est, merito prae ceteris ipse collatis clavibus regni caelestis donatus est; ut constaret omnibus, quia absque ea confessione ac fide regnum caelorum nullus posset intrare. claves autem regni caelorum ipsam discretionem et potentiam nominat: potentiam, qua liget et solvat; discretionem, qua dignos vel indignos discernat.

Glossa. unde sequitur et quaecumque ligaveris, idest quemcumque indignum remissione iudicaveris dum

vivit, indignus apud Deum iudicabitur; et quodcumque solveris, idest quemcumque solvendum iudicaveris dum vivit, remissionem peccatorum consequetur a Deo.

Origenes in Matth. Vide autem quantam potestatem habet petra super quam aedificatur ecclesia, ut eius etiam iudicia maneant firma, quasi Deo iudicante per eam.

Chrysostomus in Matth. Vide autem qualiter Christus reducit petrum ad excelsam de ipso intelligentiam. Haec enim ei se promittit daturum quae sunt propria Dei solius: scilicet peccata solvere, et ecclesiam immutabilem facere inter tot persecutionum et tentationum procellas.

Rabanus. Haec autem ligandi atque solvendi potestas quamvis soli petro data videatur a domino, tamen et ceteris apostolis datur, nec non etiam nunc in episcopis ac presbyteris omni ecclesiae. Sed ideo petrus specialiter claves regni caelorum et principatum iudiciariae potestatis accepit, ut omnes per orbem credentes intelligant quia quicumque ab unitate fidei vel societatis illius quolibet modo semetipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolvi, nec ianuam possunt regni caelestis ingredi.

Glossa. Specialiter etiam eam petro concessit, ut ad unitatem nos invitaret. Ideo enim eum principem apostolorum constituit, ut ecclesia unum principalem christi haberet vicarium, ad quem diversa membra ecclesiae recurrerent, si forte inter se dissentirent. Quod si diversa capita essent in ecclesia, unitatis vinculum rumperetur. Quidam autem dicunt, quod ideo dicit super terram: non enim data est potestas hominibus ligandi vel solvendi mortuos, sed vivos. qui autem mortuos solveret vel ligaret, non super terram, sed post terram hoc faceret. Ex sententiis constantin. Concilii. quomodo autem praesumunt quidam dicere de vivis tantummodo haec dicta esse? an ignorant quia iudicium anathematis nihil est aliud quam separatio? evitandi sunt autem illi qui pessimis culpis detinentur, sive in vivis sint, sive non. A nocente enim semper refugere necessarium est. Sed et augustini religiosae memoriae, qui inter africanos episcopos splenduit, diversae epistolae recitatae sunt, significantes quod oporteret haereticos et post mortem anathematizare. talem autem ecclesiasticam traditionem et alii africani episcopi servaverunt. Sed et sancta romana ecclesia quosdam episcopos post mortem anathematizavit, licet pro fide in vita sua non essent accusati.

Hieronymus. istum locum episcopi et presbyteri non intelligentes, aliquid sibi de pharisaeorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes, vel solvere se noxios arbitrentur; cum apud dominum non sententia sacerdotum sed reorum vita quaeratur. legimus in levitico de leprosis, ubi iubentur ostendere se sacerdotibus; et si lepram habuerint, tunc a sacerdote immundi fiant: non quod sacerdotes leprosos faciant et immundos, sed quod habeant notitiam leprosi et non leprosi, et possint discernere qui mundus quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum sacerdos immundum facit, sic et hic alligat vel solvit episcopus vel presbyter, non eos qui insontes sunt vel innoxii; sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, qui solvendus. **Origenes.** Sit ergo irreprehensibilis qui alterum ligat vel solvit, ut inveniatur dignus ligare vel solvere in caelo. Sed et ei qui potuerit virtutibus portas obstruere inferorum, quasi praemium dantur claves regni caelorum: omnis enim species virtutis, cum quis eam coeperit operari, quasi ipsa se adaperit ante eum, domino videlicet aperiente eam per gratiam suam, ut inveniatur eadem virtus et porta esse et clavis portae. Forsitan autem et unaquaeque virtus est regnum caelorum.

MATTHAEUS 16,20-21

4620 (Mt 16,20-21)

Origenes in Matth. Postquam petrus confessus est Christum filium Dei vivi, quia noluit hoc eos interim praedicare, subdit tunc praeceptum discipulis suis ut nemini dicerent quia ipse esset iesus Christus.

Hieronymus. Sed cum supra mittens discipulos ad praedicandum iusserit eis ut annuntiarent adventum suum, videtur esse contrarium quod hic praecipit ne se dicant esse iesum Christum. Mihi videtur aliud esse Christum praedicare, aliud iesum Christum. Et Christus commune dignitatis est nomen, iesus proprium vocabulum salvatoris.

Origenes in Matth. vel tunc leviter quidem de eo annuntiabant, quasi de magno et mirabili viro; Christum autem esse eum nondum annuntiabant. Qui autem vult etiam Christum eum praedicatum prius ab apostolis, dicet, quoniam leviter praemittere voluit eos mentionem nominis sui, ut interim facto silentio praedicationis huius, hoc ipsum quod leviter de Christo auditum fuerat, digeratur in sensibus auditorum. aut ita est solvenda quaestio: ut videantur ea quae superius de annuntiando Christo sunt dicta, non ad tempus

pertinere quod fuit ante christi resurrectionem, sed ad tempora post futura. Haec autem quae mandat ut nemini dicant, tunc apostolis convenire: inutile enim est ipsum quidem praedicare, crucem autem eius tacere. propterea praecepit eis ut nemini dicerent quia ipse est Christus, et praeparabat eos, ut postmodum dicant, quoniam ipse est Christus, qui crucifixus est, et resurrexit a mortuis.

Hieronymus. Quod ne quis putet nostrae tantum esse intelligentiae quod sequitur, causas tunc prohibita praedicationis exponit: sequitur enim exinde coepit iesus ostendere discipulis suis quia oportebat eum ire hierosolymam, et multa pati a senioribus et scribis et principibus sacerdotum, et occidi, et tertia die resurgere. est autem sensus: tunc me praedicate cum ista passus fuero: quia non prodest Christum publice praedicari, et eius vulgare in populis maiestatem, quem post paululum flagellatum visuri sunt et crucifixum.

Chrysostomus in Matth. quod enim semel radicum est et postea evulsum, si iterum plantetur, difficile retinebitur apud multos: quod autem infixum semel est, et mansit postea immobile, facile provehitur ad augmentum. propter hoc autem immoratur tristibus praedicandis, et sermonem multiplicat, ut aperiat discipulorum mentes.

Origenes. et vide quia non dixit: coepit dicere vel docere, sed ostendere; quia sicut corporalia ostendi dicuntur, sic ostendi dicuntur a Christo ea quae loquebatur. Non autem sic puto eis qui corporaliter eum multa patientem viderunt, ostensa fuisse ea quae videbantur, quomodo discipulis ostensus est rationabilis sermo de mysterio passionis et resurrectionis christi: et tunc quidem coepit ostendere; consequenter autem postea capacioribus factis plenius demonstravit: quia omne quod coepit iesus, hoc perfecit. Oportebat autem eum ire in ierusalem, ut occidatur quidem in hierosolymis quae sunt deorsum, regnet autem resurgens in ierusalem caelesti. postquam enim resurrexit Christus, et alii consurrexerunt ei, iam non deorsum quaeritur ierusalem, vel domus orationis in ea, sed sursum. Patitur autem multa a senioribus ierusalem terrena, ut glorificetur ab his qui capiunt beneficia eius caelestibus senioribus. Tertia autem die resurrexit a mortuis, ut eripiens maligno, acquirat eis qui liberati fuerint hoc donum, ut baptizentur spiritu et anima et corpore in nomine patris et filii et spiritus sancti, qui sunt tres dies simul perpetuo instantes eis qui per eos facti fuerunt filii lucis.

MATTHAEUS 16,22-23

4622 (Mt 16,22-23)

Origenes in Matth. Adhuc initia eorum quae ostendebantur dicente Christo, petrus indigna haec filio Dei vivi arbitrabatur; et quasi oblitus quoniam filius Dei vivi nihil dignum increpatione facit aut agit, coepit increpare; et hoc est quod dicitur et assumens eum petrus, coepit increpare illum.

Hieronymus. Saepe diximus nimii ardoris amorisque quam maximi fuisse petrum in dominum salvatorem. qui ergo post confessionem suam et praemium salvatoris quod audierat, non vult destrui confessionem suam, nec putat posse fieri ut Dei filius occidatur, assumit eum in affectum suum vel separatim ducit, ne praesentibus ceteris condiscipulis videatur magistrum arguere; et coepit illum increpare amantis affectu, et obstans dicere absit a te, domine. Vel, ut melius habetur in graeco, ileos si kyrie, u mi este si tuto; hoc est, propitius sis tibi, domine; non erit tibi hoc; quasi necessariam haberet propitiationem. Cuius affectum quidem suscipiens Christus, ignorantiam exprobrat; unde sequitur qui conversus dixit petro: vade post me, satana; scandalum mihi es.

Hilarius in Matth. sciens enim dominus diabolicae artis instinctum, petro ait vade retro post me, idest ut exemplum suae passionis sequatur. in eum vero per quem opinio haec suggerebatur, conversus, adiecit satana, scandalum mihi es. Non enim convenit existimare petro satanae nomen et accusationem scandali deputari, post indulta illa beatitudinis et potestatis tanta praeconia.

Hieronymus. Sed mihi error apostolicus de pietatis affectu veniens, nunquam incentivum videbitur diaboli. Prudens ergo lector consideret, petro illam beatitudinem ac potestatem in futuro promissam, non in praesenti datam; quam si statim dedisset ei, nunquam in eo pravae confessionis error invenisset locum.

Chrysostomus in Matth. Quid etiam mirabile est haec pati petrum, qui de his revelationem non suscepit? ut enim discas, quia neque illa quae de Christo confessus fuerat, ex se locutus est, vide qualiter in his quae non revelata sunt ei, turbationem patitur: humana enim et terrestri cogitatione, quae sunt christi considerans, aestimabat turpe et indignum esse ei quod pateretur. Et ideo dominus subiecit quia non sapis ea quae Dei sunt, sed ea quae hominum.

Hieronimus. Quasi dicat: meae voluntatis est et patris, ut pro hominum salute moriar; tu tuam tantum considerans voluntatem, non vis granum tritici cadere in terram ut multos afferat fructus; et ideo, quia contraria loqueris voluntati meae, debes adversarius appellari. Satanas enim interpretatur adversarius, sive contrarius. non tamen ut plerique putant, eadem satanas et petrus sententia condemnantur: petro enim dicitur vade retro me, satana; idest: sequere me, qui contrarius es voluntati meae; ille audit: vade, satana; et non ei dicit retro, ut subaudiatur: vade in ignem aeternum.

Origenes in Matth. Dixit ergo petro vade post me, quasi desistenti per ignorantiam ire post Christum. Satana autem dixit ei, quasi per ignorantiam aliquid habenti contrarium Deo. Beatus autem ad quem convertitur Christus, etiam si corripiendi causa convertitur. Sed quare dixit ad petrum scandalum mihi es, cum in psalmo 118,165 dicatur: pax multa diligentibus legem tuam, et non est illis scandalum? sed respondendum est, quoniam non solum iesus non scandalizatur, sed nec omnis homo qui in dilectione Dei perfectus est. Sed quantum ad se, qui tale aliquid vel agit vel loquitur, scandalum est alteri; licet ille inscandalizabilis sit. Aut certe omnem discipulum peccantem scandalum sibi appellat, sicut et paulus dicebat: quis scandalizatur, et ego non uror?

MATTHAEUS 16,24-25

4624 (Mt 16,24-25)

Chrysostomus in Matth. postquam petrus dixerat: propitius esto tibi; nequaquam erit tibi hoc, et audivit: vade retro me, satana, non fuit dominus hac solum increpatione contentus; sed ex superabundantia voluit ostendere inconvenientiam dicatorum a petro, et fructum suae passionis: unde subditur tunc iesus dixit discipulis suis: si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me; quasi dicat: tu dicis mihi: propitius esto tibi; ego autem dico tibi, quoniam non solum me prohibere a passione nocivum tibi est; sed neque salvari poteris, nisi patiaris et moriaris, et vitae abrenunties semper. Et vide quia non coactivum facit sermonem; non enim dixit: si nolueritis, oportet vos hoc pati, sed si quis vult. hoc autem dicens magis attrahebat: qui enim libertati auditorem dimittit, magis attrahit; qui vero violentiam infert, multoties impedit. Non autem solis discipulis suis; sed commune hoc dogma orbi terrarum proponit, dicens si quis vult, idest, si mulier, si vir, si rex, si liber, si servus. tria autem sunt quae dicuntur: abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

Gregorius in Evang. quia nisi quis a semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, non appropinquat. sed si nos ipsos relinquimus, quo ibimus extra nos? vel quis est qui vadit, si se deseruit? sed aliud sumus per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi. tunc ergo nosmetipsos relinquimus et abnegamus, cum vitam quod per vetustatem fuimus, et ad hoc nitimur ad quod per novitatem vocamur.

Gregorius super Ezech. Semetipsum etiam abnegat quicumque mutatur ad meliora, et incipit esse quod non erat, et desinit esse quod erat.

Gregorius moralium. semetipsum etiam abnegat qui calcato typo superbiae, ante Dei oculos se esse a se alienum demonstrat. **Origenes.** Quamvis autem videatur aliquis a peccato abstinere, tamen nisi in crucem christi crediderit, non potest dici Christo confixus, sive cruci: unde sequitur et tollat crucem suam.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. Qui negat alium, vel fratrem, vel famulum, vel quemcumque, et si flagellatum viderit, et quodcumque patientem, non assistit, non adiuvat: ita vult corpori nostro nos non ignoscere, ut si flagellaverint, vel quodcumque aliud fecerint, corpori non parcamus. Hoc enim est parcere: sicut patres tunc ignoscunt filiis, cum magistris eos tradentes, iusserint, ut non parcant. Ne autem aestimes quod usque ad verba tantum et contumelias oportet abnegare seipsum, ostendit usque ad quantum abnegare seipsum oporteat; quia usque ad mortem, etiam turpissimam, scilicet crucis: quod significat in hoc quod dicit et tollat crucem suam, et sequatur me. In Matth.

Hilarius. sequendus enim est dominus, cruce assumpta passionis suae; et si non sorte, tamen voluntate comitandus est.

Chrysostomus in Matth. Quia etiam latrones multa gravia patiuntur, ut non aestimes quod passio malorum sufficiat, adiungit causam patiendi cum dicit et sequatur me, ut propter eum omnia sustineas, et alias eius virtutes addiscas: hoc est enim sequi Christum ut oportet, diligentem esse circa virtutes, et pati omnia propter ipsum.

Gregorius in Evang. duobus etiam modis crux tollitur, cum aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus. Sed quia ipsis virtutibus quaedam vitia mixta sunt, dicendum nobis est, quod abstinentiam carnis nonnumquam vana gloria obsidet: quia dum tenuitas in corpore, dum pallor in vultu respicitur, virtus patefacta laudatur. Compassionem vero animi plerumque latenter obsidet pietas falsa, ut hanc nonnumquam usque ad condescendum vitis pertrahat: unde ad haec excludenda, subdit et sequatur me.

Hieronymus. Vel aliter. Tollit crucem suam qui mundo crucifigitur; cui autem mundus crucifixus est, sequitur dominum crucifixum.

Chrysostomus in Matth. deinde, quia grave videbatur quod dictum est, per ea quae consequuntur id mitigat, praemia ponens supereminentia laboribus, et malitiae poenas: unde sequitur qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam.

Origenes in Matth. quod dupliciter potest intelligi. primum sic: si quis amator vitae praesentis, parcat animae suae, timens mori, et putans animam suam per hanc mortem perire; iste volens hoc modo salvare animam suam, perdet eam, alienam illam faciens a vita aeterna. Si quis contemnens vitam praesentem, usque ad mortem pro veritate certaverit, perdet quidem animam suam quantum ad vitam praesentem; sed quoniam propter Christum perdet eam, magis eam salvam faciet in vitam aeternam. alio modo sic: si quis intelligit quae est vera salus, et acquirere vult eam ad salutem animae suae, iste abnegans semetipsum, perdit quantum ad voluptates carnales animam suam propter Christum; et perdens animam suam hoc modo, salvat eam per opera pietatis: dicendo enim qui voluerit, praecedentem et sequentem unum sensum esse ostendit. Si ergo quod superius dixit abneget semetipsum, de morte corporali dixit, consequenter hoc de sola morte intelligere debemus dictum esse. si autem abnegare seipsum est carnalem conversationem reicere, et perdere animam est deponere voluptates carnales.

MATTHAEUS 16,26-8

4626 (Mt 16,26-8)

Chrysostomus in Matth. quia dixerat: qui vult salvare, perdet, et: qui perdet, salvabit, utrobique salutem et perditionem ponens, ne aliquis aestimet aequalem esse hinc inde perditionem et salutem, subiungit quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiat? quasi dicat: ne dicas, quod qui pericula quae propter Christum imminent, effugit, salvet animam suam, id est vitam temporalem. sed pone etiam cum anima, id est vita temporali, totum orbem terrarum: quid ex his homini erit amplius, anima in perpetuum pereunte? si enim famulos tuos videres in laetitia, te autem in malis ultimis constitutum: quid lucraberis ex eorum dominio? hoc etiam in anima tua reputa, cum carne lasciviente, ipsa futuram perditionem expectat.

Origenes in Matth. Puto etiam quod mundum lucretur qui non abnegat semetipsum, nec perdit animam suam quantum ad voluptates carnales, et ipse facit animae suae detrimentum; ideo duobus nobis propositis, magis est eligendum ut mundum perdamus, et lucremur animas nostras.

Chrysostomus in Matth. Sed si regnaveris super universum orbem terrarum, non poteris animam tuam emere: unde sequitur aut quam dabit homo commutationem pro animam sua? ac si dicat: divitias si perdidideris, poteris dare divitias alias ad eas redimendas; animam autem perdens, non poteris animam aliquam dare, sed neque aliquid aliud. Quid autem mirabile est si in anima hoc contingit? etenim in corpore hoc videtur contingere. Etsi enim decem millia diademata corpori insanabiliter aegroto circumposueris, non curatur. **Origenes.** Et prima quidem facie commutatio animae est in substantia, ut det substantiam suam homo pauperibus, et salvet animam suam. Sed puto quod non habet aliquid homo quod dans quasi commutationem animae suae, liberet eam de morte. Deus autem pro animabus hominum dedit commutationem pretiosum sanguinem filii sui.

Gregorius in Evang. Vel aliter potest continuari: quia sancta ecclesia aliud habet tempus persecutionis, et aliud pacis; redemptor noster ipsa eius tempora distinguit in praeceptis: nam persecutionis tempore ponenda est anima; pacis autem tempore ea quae amplius dominari possunt, frangenda sunt desideria terrena: unde dicitur quid enim prodest homini? .

Hieronymus. Provocatis autem discipulis ut abnegarent se et tollerent crucem suam, grandis fit error audientium. Idcirco tristibus laeta succedunt, et dicit filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum

angelis suis. Times mortem? audi gloriam triumphantis. Vereris crucem? ausculta angelorum ministeria.

Origenes. quasi dicat: nunc quidem filius hominis venit, sed non in gloria: non enim decebat eum in gloria constitutum peccata nostra portare; sed tunc veniet in gloria cum ante praeeparaverit discipulos suos, factus sicut illi, ut illos faceret sicut et ipse, conformes gloriae suae.

Chrysostomus in Matth. Non autem dixit in tali gloria in quali est pater, ne alteritatem gloriae suspiceris; sed ait gloria patris, ut eadem gloria ostendatur. Si autem gloria una est, manifestum quod et substantia una est. Quid ergo times, petre, mortem audiens? tunc me videbis in gloria. Si autem ego in gloria, et vos. sed tamen dicens gloriam, terribilia immiscuit, in medium iudicium introducens: unde sequitur et tunc reddet unicuique secundum opera eius.

Hieronimus. Non est enim distinctio iudaei et gentilis, viri et mulieris, pauperum et divitum, ubi non personae, sed opera considerantur.

Chrysostomus in Matth. Hoc autem dixit, non solum peccatoribus poenas commemorans, sed iustis bravia et coronas.

Hieronimus. Poterat autem apostolorum tacita cogitatio istiusmodi scandalum sustinere. occisionem et mortem nunc dicis esse futuram; quod autem promittis te affuturum in gloria, in tempora longa differtur. Praevidens ergo occultorum cognitor quid possent obicere, praesentem timorem praesenti compensat praemio, dicens amen dico vobis: sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec veniat filius hominis in regno suo.

Chrysostomus in Matth. Volens ergo monstrare quid est illa gloria in qua postea venturus est, eis in praesenti vita revelavit, sicut possibile erat eos discere, ut neque in domini morte iam doleant.

Remigius. Quod ergo hic dicitur, impletum est in tribus discipulis, quibus dominus transfiguratus in monte, gaudia aeternae repromissionis ostendit; qui viderunt eum in regno suo venientem, idest in ea claritate fulgentem, in qua, peracto iudicio, videbitur ab omnibus sanctis.

Chrysostomus in Matth. Propter hoc autem non praedicat nomina eorum qui ascensuri erant in montem, quia reliqui valde concupiscerent sequi, exemplum illius gloriae visuri, et graviter tulissent velut despecti.

Gregorius in Evang. vel regnum Dei, praesens ecclesia vocatur: et quia nonnulli ex discipulis eius usque adeo in corpore victuri erant ut ecclesiam Dei constructam conspicerent, et contra huius mundi gloriam erectam, consolatoria promissione nunc dicitur sunt quidam de hic stantibus.

Origenes. moraliter autem verbum Dei his qui noviter inducuntur ad fidem, formam habet servi; perfectis autem venit in gloria patris sui. Angeli autem illius sunt prophetarum sermones, quos non est possibile ante spiritualiter intelligere nisi cum spiritualiter intellectum fuerit verbum christi, ut videantur simul apparere in maiestate. tunc autem dabit unicuique de gloria sua secundum actum eius: quia quanto quis melior fuerit in actibus suis, tanto spiritualius intelligit Christum vel prophetas ipsius. Stantes autem ubi stat iesus, sunt qui fundatas habent apud iesum animae bases: ex quibus qui melius stant dicuntur non gustare mortem, donec videant verbum Dei quod venit in regno suo, videntes eminentiam Dei, quam videre non possunt qui diversis involuti sunt peccatis; quod est mortem gustare, qua peccans anima moritur. Sicut enim vita est et panis vivus qui de caelo descendit, sic et inimica eius mors panis est mortuus. ex istis autem panibus quidam modicum manducant, tantum gustantes; quidam autem abundantius: qui enim raro et modicum peccant, tantummodo gustant mortem; qui autem perfectius susceperint spiritualem virtutem, non gustant eam, sed vivo pane semper vescuntur. Quod autem dicit donec videant, non definit tempus, ut postquam transierit illud donec, fiat quod ante non fuerat factum; sed rem quae necessaria est, exponit: qui enim semel videt eum in gloria eius, iam nequaquam gustabit mortem.

Rabanus. Sanctos autem mortem gustare testatur, a quibus mors corporis quasi libando gustatur, vita vero animae possidendo tenetur.

MATTHAEUS 17,1-4

4701 (Mt 17,1-4)

Remigius. Claritatem suae visionis, quam promiserat dominus discipulis suis, in hac transfiguratione

habita in monte post sex dies complevit: unde dicitur et post sex dies assumpsit petrum et iacobum et iohannem fratrem eius.

Hieronimus. Quaeritur autem quomodo post sex dies assumpsit eos, cum Lucas evangelista octonarium numerum ponat. Sed facilis est responsio: quia hic medii ponuntur dies, ibi primus additur et extremus.

Chrysostomus in Matth. Ideo autem non confestim facta promissione eos sursum ducit, sed post sex dies, ut reliqui discipuli nihil patiantur humanum, idest aliquem invidiae motum; vel ut horum dierum spatio vehementiori concupiscentia repleti, qui assumendi erant, sollicita mente accederent.

Rabanus. Merito autem post sex dies gloriam illam ostendit, quia post sex aetates futura est resurrectio.

Origenes. vel quia in sex diebus totus factus est visibilis mundus; qui transcendit omnes res mundi, potest ascendere super montem excelsum, et gloriam aspicere verbi Dei.

Chrysostomus in Matth. Ideo autem hos tres assumpsit, quoniam aliis potiores erant. Intende autem qualiter Matthaeus non occultat eos qui sibi praepositi sunt: hoc enim et Ioannes facit, praecipuas petri laudes commemorans. ab aemulatione enim et vana gloria mundus fuit apostolorum chorus.

Hilarius in Matth. In tribus autem assumptis, de trium origine: sem, cam et iaphet, futura electio populi ostenditur.

Rabanus. vel tres solummodo discipulos secum ducit, quia multi sunt vocati, pauci vero electi. vel quia qui nunc fidem sanctae trinitatis incorrupta mente servant, tunc aeterna eius visione laetantur.

Remigius. Ostensurus autem dominus gloriam suae claritatis discipulis, duxit eos in montem: unde sequitur et duxit illos in montem excelsum seorsum: in quo docet quia necesse est omnibus qui Deum contemplari desiderant, ut non in infimis voluptatibus iaceant, sed amore supernorum semper ad caelestia erigantur; et ut ostendat discipulis quatenus gloriam divinae claritatis non in huius saeculi profundo quaerant, sed in caelestis beatitudinis regno. Ducuntur autem seorsum, quia sancti viri toto animo et fidei intentione separati sunt a malis, funditusque separabuntur in futuro; vel quia multi vocati, pauci vero electi. sequitur. Et transfiguratus est ante eos.

Hieronimus. Qualis enim futurus est tempore iudicandi, talis apostolis apparuit. nemo autem putet pristinam eum formam et faciem perdidisse, vel amisisse corporis veritatem, et assumpsisse corpus spirituale vel aereum; sed quomodo transfiguratus sit, evangelista demonstrans dicit et resplenduit facies eius sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt alba sicut nix. Ubi splendor faciei ostenditur, et candor describitur vestium, non substantia tollitur, sed gloria commutatur. Certe transformatus est dominus in eam gloriam qua venturus est postea in regno suo. Transformatio splendorem addidit, faciem non subtraxit, etsi corpus spirituale fuerit: unde et vestimenta mutata sunt, quae intantum fuere candida, ut alius evangelista dixerit, qualia fullo super terram non posset facere; huiusmodi autem corporale est et tactui subiacet, non spirituale et aereum, quod illudat oculos, et tantum in phantasmate aspiciatur.

Remigius. Si autem facies domini resplenduit sicut sol, et sancti sicut sol fulgebunt, numquid erit aequalis claritas domini et servorum? nequaquam. Sed quia nihil lucidius invenitur sole, idcirco ad manifestandum exemplum futurae resurrectionis, et facies domini resplendere, et iusti fulgere dicuntur sicut sol.

Origenes in Matth. mystice autem, cum aliquis transcenderit sex dies, secundum quod diximus, videt transfiguratum iesum ante oculos cordis sui. Diversas enim habet verbum Dei formas; apparens unicuique secundum quod videnti expedire cognoverit; et nemini supra quod capit, semetipsum ostendit: unde non dixit simpliciter transfiguratus est, sed coram eis. In evangeliiis enim iesus simpliciter intelligitur ab eis qui non ascendunt per excitationem verborum spiritualium super excelsum sapientiae montem; eis autem qui ascendunt, iam non secundum carnem cognoscitur, sed Deus verbum intelligitur. Coram his ergo transfiguratur iesus, et non coram illis qui sunt deorsum in conversatione terrena viventes. Hi autem coram quibus transfiguratur, facti sunt filii Dei, et ostenditur eis sol esse iustitiae; et vestimenta ipsius fiunt candida sicut lumen; quae sunt sermones et litterae evangeliorum, quibus iesus est indutus, secundum illa quae ab apostolis dicuntur de eo.

Glossa. vel vestimenta christi sanctos significant, de quibus isaias: omnibus his velut vestimento vestieris; et nivi comparantur, quia candidi erunt virtutibus, et omnis vitiorum aestus ab eis remotus erit. sequitur et apparuerunt illis moyses et elias cum eo loquentes.

Chrysostomus in Matth. Hoc autem multas habet rationes. Et prima quidem est haec. quia enim turbae

dicebant eum esse eliam vel ieremiam, aut unum ex prophetis, capita prophetarum secum ducit, ut saltem hinc videatur differentia servorum et domini. Alia ratio est: quia enim continue iesum accusabant iudaei tamquam transgressorem legis, et blasphemum, patris sibi gloriam usurpantem; ut ostendatur ab utraque accusatione innoxius, eos qui in utroque fulserunt, in medium ducit. Etenim moyses legem dedit, et elias pro gloria Dei aemulator fuit. Alia ratio est: ut discant quoniam mortis et vitae potestatem habet: propter hoc et moysen, qui morte defecerat, et eliam, qui nondum mortem passus fuerat, in medium ducit. Aliam causam et ipse evangelista revelat, scilicet monstrare crucis gloriam, et mitigare petrum et alios discipulos passionem timentes: loquebantur enim, ut alius evangelista dicit, de excessu quem completurus erat in ierusalem: unde eos in medium ducit qui se morti exposuerunt pro his quae Deo placebant, et pro plebe credentium: etenim tyrannis uterque se libere praesentavit: moyses quidem pharaoni, elias autem achab. Ducit autem et propter hoc eos in medium: volebat enim quod discipuli illorum privilegia zelarent, ut scilicet fierent mansueti sicut moyses, et zelantes sicut elias.

Hilarius in Matth. quod etiam moyses et elias ex omni sanctorum numero assistunt, medius inter legem et prophetas Christus in regno est: cum his enim israelem, quibus testibus praedicatus est, iudicabit.

Origenes in Matth. Si quis etiam intelligit spiritualem legem convenientem sermonibus iesu, et in prophetis absconditam christi sapientiam; ille vidit moysen et eliam in gloria una cum iesu.

Hieronymus. Considerandum est etiam, quod scribis et pharisaeis de caelo signa poscentibus dare noluit; hic vero, ut apostolorum augeat fidem, dat signum de caelo. elia inde descendente quo conscenderat, et moyse ab inferis resurgente: quod et achaz per isaïam praecipitur, ut petat sibi signum de inferno vel de excelso. **Origenes.** Quid autem fervidus petrus dixerit, subditur respondens autem petrus dixit ad iesum: domine, bonum est nos hic esse. Quia enim audivit quod oportet eum hierosolymam ire, adhuc timet pro Christo; sed post increpationem non audet dicere rursus: propitius esto tibi; sed idem occulte per alia signa insinuat. Quia enim videbat multam quietem et solitudinem, cogitavit convenientem ibi stationem esse ex loci dispositione: quod significat dicens bonum est nos hic esse. Vult etiam ibi semper esse; ideo tabernaculorum meminit, dicens si vis, faciamus hic tria tabernacula. Cogitavit enim quod si hoc fieret, non ascenderet hierosolymam; et si non ascenderet, Christus non moreretur: ibi enim sciebat scribas insidiari ei. Cogitabat etiam quod elias aderat, qui in monte ignem descendere fecit, et moyses, qui intravit nebulam, et Deo locutus est: unde occultari poterant, ut nullus persecutorum sciret ubi essent.

Remigius. Vel aliter. Visa domini maiestate et duorum servorum, petrus adeo delectatus est ut cuncta temporalia oblivioni traderet, et ibi in perpetuum vellet manere. Si autem tunc petrus sic accensus est, quanta erit suavitas et dulcedo videre regem in decore suo, et interesse choris angelorum et omnium sanctorum? in eo sane quod ait petrus, domine, si vis, devotionem subditi et obedientis servi ostendit.

Hieronymus. Erras tamen, petre, et sicut alius evangelista testatur, nescis quid dicas. Noli tria tabernacula quaerere, cum unum sit tabernaculum evangelii, in quo lex et prophetae recapitulanda sunt. Si autem quaeris tria tabernacula, nequaquam servos cum domino conferas; sed fac tria tabernacula, immo unum patri et filio et spiritui sancto: ut quorum est una divinitas, unum sit in pectore tuo tabernaculum.

Remigius. Erravit etiam, quia voluit ut regnum electorum constitueretur in terra; quod dominus promiserat dare in caelis. Erravit etiam, quia oblitus est se et socios suos esse mortales; et absque gustu mortis voluit subire aeternam felicitatem.

Rabanus. Et in eo quod caelesti conversationi tabernacula facienda putavit; in qua domus necessaria non erat, cum scriptum sit: templum non vidi in ea.

MATTHAEUS 17,5-9

4705 (Mt 17,5-9)

Hieronymus. Qui carnale e frondibus aut tentoriis quaerebant tabernaculum, nubis lucidae operiuntur umbraculo; unde dicitur adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbravit eos.

Chrysostomus in Matth. Cum dominus comminatur, nubem tenebrosam ostendit, sicut in sina; hic autem quia non terrere volebat, sed docere, nubes apparuit lucida.

Origenes in Matth. Lucida autem nubes obumbrans sanctos, est virtus paterna, vel forte spiritus sanctus: dicam etiam salvatorem nostrum esse lucidam nubem, quae obumbrat evangelium et legem et prophetas;

sicut intelligunt qui possunt aspicere lumen ipsius in praemissis.

Hieronymus. Quia vero imprudenter interrogaverat petrus, propterea domini responsionem non meretur; sed pater respondet pro filio, ut verbum domini: qui me misit, ipse de me testimonium perhibet.

Chrysostomus in Matth. neque autem moyses loquitur, neque elias, sed pater omnibus maior vocem emittit ex nube, ut discipuli credant quod a Deo vox erat. Semper enim apparere solet Deus in nube, sicut scriptum est: nubes et caligo in circuitu eius; et hoc est quod dicitur et ecce vox de nube.

Hieronymus. Vox quidem patris de caelo loquentis auditur, qui testimonium perhibeat filio, et petrum, errore sublato, doceat veritatem; immo per petrum ceteros apostolos: unde subdit dicens hic est filius meus dilectus: huic est faciendum tabernaculum, huic obtemperandum; hic est filius, illi servi sunt; debent et ipsi vobiscum in penetralibus cordis sui domino tabernaculum praeparare.

Chrysostomus in Matth. ne igitur timeas, petre. Si enim potens est Deus, manifestum quia et filius similiter potens est; si autem diligitur, ne timeas: nullus enim eum quem diligit prodit, nec tu aequaliter eum diligis genitori. neque autem solum diligit eum quia genuit, sed quia unius est voluntatis cum ipso: sequitur enim in quo mihi complacui; ac si diceret: in quo requiesco, quem accepto, quia omnia quae sunt patris, cum diligentia exequitur, et est voluntas una ipsius et patris: quare et si crucifigi vult, non contradicas.

Hilarius in Matth. hunc esse filium, hunc dilectum, hunc complacitum, sed et hunc audiendum, vox de nube significat, dicens ipsum audite: ut scilicet idoneus ipse praeceptorum talium auctor qui saeculi damnum, crucis voluntatem, obitum corporis, et post haec regni caelestis gloriam facti confirmasset exemplo.

Remigius. Dicit ergo ipsum audite, ac si aliis verbis diceret: recedant umbrae legales, et typi prophetarum; et solum coruscum lumen evangelii sequamini. Sive ideo ait ipsum audite, ut illum esse ostenderet quem moyses praedixerat, dicens: prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris: tamquam me audietis ipsum. Sic ergo dominus undique habuit testes, ex caelo vocem patris, ex paradiso eliam, ex inferis moysen, ex hominibus apostolos, ut in nomine iesu omne genuflectatur, caelestium, terrestrium et infernorum.

Origenes in Matth. Vox autem de nube, aut ad moysen et eliam loquitur, qui desiderabant videre filium Dei et audire eum, aut discipulos docet.

Glossa. notandum autem, quod bene convenit mysterium secundae regenerationi (quae scilicet erit in resurrectione, ubi caro resuscitabitur). cum mysterio primae, quae est in baptisate, ubi anima resuscitatur. in baptisate enim christi, operatio totius trinitatis ostensa est; fuit enim ibi filius incarnatus, apparuit in columbae specie spiritus sanctus, et pater fuit ibi in voce declaratus: et similiter in transfiguratione, quae est sacramentum secundae regenerationis, tota trinitas apparuit: pater in voce, filius in homine, spiritus sanctus in nube. Quaeritur autem quare spiritus sanctus ibi in columba, hic in nube declaratus est. Dona siquidem sua per species declarare solet. Innocentiam autem in baptisate donat, quod per avem simplicitatis designatur. Daturus est autem claritatem et refrigerium in resurrectione; ideo in nube refrigerium, in fulgore nubis claritas resurgentium corporum designatur. sequitur et audientes discipuli ceciderunt in faciem suam, et timuerunt valde.

Hieronymus. Triplicem autem ob causam pavore terrentur: vel quia se errasse cognoverant, vel quia nubes lucida operuerat eos, aut quia Dei patris vocem loquentis audierant: humana enim fragilitas conspectum maioris gloriae ferre non sustinet, ac toto animo et corpore contremiscens ad terram cadit: quanto enim quis ampliora quaesierit, tanto magis ad inferiora collabatur, si ignoraverit mensuram suam.

Remigius. In eo vero quod sancti apostoli in faciem ceciderunt, fuit indicium sanctitatis: quia sancti in faciem cadere dicuntur, impii vero retrorsum.

Chrysostomus in Matth. Sed cum ante in christi baptismo, quando talis etiam vox de caelo delata est, nullus ex turba quae aderat, tale aliquid passus est, quomodo discipuli in monte ceciderunt? quia scilicet et solitudo, et altitudo, et silentium erat multum, et transfiguratio stupore plena, et lumen purum, et nubes extensa; ex quibus omnibus stupor in eis congregabatur.

Hieronymus. Quia vero illi iacebant et surgere non poterant, ipse clementer accedit, et tangit eos, ut tactu fuget timorem, et debilitata membra solidentur; et hoc est quod dicitur et accessit iesus, et tetigit eos. Quos autem manu sanaverat, etiam sanavit imperio: unde sequitur dixitque eis: surgite, et nolite timere. Primum timor expellitur, ut postea doctrina tribuatur. sequitur levantes autem oculos suos, neminem viderunt nisi

solum iesum: quod rationabiliter factum est, ne si moyses et elias perseverassent cum domino, patris vox videretur incerta cui potissimum daret testimonium. Vident etiam iesum stantem ablata nube, et moysen et eliam evanuisse: quia postquam legis et prophetarum umbra discesserat, utrumque in evangelio reperitur. sequitur et descendantibus illis de monte praecepit iesus, dicens: nemini dixeritis visionem hanc, donec filius hominis a mortuis resurgat. Non vult ergo in populis praedicari, ne et incredibile esset pro rei magnitudine, et post tantam gloriam apud rudes animos sequens crux scandalum faceret.

Remigius. Sive quia, si maiestas illius divulgaretur in populo, populi impedirent dispensationem passionis eius, resistendo principibus sacerdotum, et sic redemptio humani generis retardaretur.

Hilarius in Matth. Silentium etiam rerum gestarum quas viderant imperat, ut cum essent spiritu sancto repleti, tunc gestorum spiritualium testes essent.

MATTHAEUS 17,10-13

4710 (Mt 17,10-13)

Hieronymus. Traditio pharisaeorum est iuxta malachiam prophetam, quod elias veniat ante salvatoris adventum, et reducat cor patrum ad filios et filiorum ad patres, et restituat omnia in antiquum statum. aestimant ergo discipuli transformationem gloriae hanc esse quam in monte viderant; et ideo dicitur et interrogaverunt eum discipuli eius dicentes: quid ergo scribae dicunt, quod eliam oporteat primum venire? ac si dicerent: si iam venisti in gloriam, quomodo praecursor tuus non apparet? maxime autem hoc dicunt, quia eliam viderant recessisse.

Chrysostomus in Matth. Non autem adventum eliae discipuli de scripturis sciebant; sed scribae eis manifestabant, et ferebatur hic sermo in plebe indocta, sicut et de Christo. Non autem ut oportebat, adventus christi et eliae a scribis interpretabatur. Scripturae enim duos dant christi adventus; eum scilicet qui factus est, et eum qui futurus est. Sed scribae plebem evertentes, secundum adventum solum commemorabant plebi, et dicebant quoniam si hic est Christus, oportebat eliam praevenire. Est igitur solutio quam Christus inducit. sequitur at ille respondens ait: elias quidem venturus est, et restituet omnia. dico vobis, quia elias iam venit. Ne autem existimes eum in sermone errasse si quandoque dicit eliam venturum, et quandoque venisse: cum enim dicit quod elias venturus est et restaurabit omnia, de ipso elia in propria persona loquitur: qui quidem restaurabit omnia, dum corrigit infidelitatem iudaeorum qui tunc invenientur, quod est convertere corda patrum ad filios idest iudaeorum ad apostolos.

Augustinus de quaest. Evang. Vel restituet omnia, idest eos quos antichristi persecutio perturbaverit: vel ut ipse restituat moriendo quae debet.

Chrysostomus in Matth. Si autem tot bona erunt ex eliae praesentia, quare tunc non eum misit? dicemus, quia et tunc Christum aestimantes eliam, non crediderunt ei. tunc autem eliae credent, quia cum post tantam expectationem venerit, annuntians iesum, facilius suscipient quae ab eodem dicuntur. Cum vero dicit quod elias iam venit, ioannem eliam vocat, propter ministerii modum: sicut enim elias secundi adventus praecursor erit, ita ioannes praecursor factus est primi. propter hoc autem ioannem eliam nominat, ut ostendat primum suum adventum veteri testamento et prophetiae convenire.

Hieronymus. Ipse ergo qui venturus est in secundo salvatoris adventu iuxta corporis fidem, nunc per ioannem venit in virtute et spiritu. sequitur et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quaecumque voluerunt, hoc est, spreverunt et decollaverunt eum.

Hilarius in Matth. Ut domini adventum praenuntians, passionem quoque praecurreret et iniuriae et vexationis exemplo; unde sequitur sic et filius hominis passurus est ab eis.

Chrysostomus in Matth. In quo opportune suam passionem commemorat ex passione ioannis, multam eis praebens consolationem.

Hieronymus. Quaeritur ergo, cum herodes et herodias ioannem interfecerint, quomodo ipsi quoque iesum crucifixisse dicantur, cum legamus eum a scribis et pharisaeis interfectum. Et breviter respondendum, quod in ioannis necem pharisaeorum factio consenserit: et in occisione domini herodes iunxerit voluntatem suam; qui illum atque despectum remisit ad pilatum, ut eum crucifigeret.

Rabanus. ex indicio autem passionis suae, quam dominus eis saepius praedixit, et praecursoris sui, quam

iam completam cernebant, discipuli cognoscebant iohannem sibi in eliae vocabulo demonstratum esse: unde sequitur tunc intellexerunt discipuli quia de iohanne baptista dixisset eis.

Origenes in Matth. Quod autem dixit propter iohannem elias iam venit, non anima eliae est intelligenda, ne incidamus in dogma transcorporationis, quod alienum est ab ecclesiastica veritate; sed, sicut angelus praedixit: venit in spiritu et virtute eliae.

MATTHAEUS 17,14-17

4714 (Mt 17,14-17)

Origenes in Matth. Concupiscens petrus spectabilem illam vitam, et praeponens utilitatem suam utilitatibus plurimorum, dicebat bonum est nos hic esse. Sed quoniam caritas non quaerit quae sua sunt, hoc quod videbatur bonum petro, non fecit iesus; sed quasi de monte excelso divinitatis descendit ad turbam: ut qui non poterant ascendere sursum propter infirmitatem animarum suarum, illis proficiat; unde dicitur et cum venisset ad turbam: nisi enim cum discipulis suis electis venisset ad turbam, non accessisset ad eum ille de quo subditur accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum dicens: domine, miserere filio meo. Ubi considerandum est, quod quandoque qui patiuntur, credunt, et deprecantur pro sua salute; quandoque autem pro eis alii faciunt: sicut nunc qui genibus volvitur, pro filio rogat; quandoque vero a semetipso salvator etiam a nullo rogatus, sanat. primo autem quaeramus quid est quod sequitur quia lunaticus est, et male patitur. medici ergo loquuntur quae volunt: quia nec immundum spiritum arbitrantur, sed corporalem aliquam passionem; et dicunt humida moveri in capite secundum aliquam compassionem ad lumen lunare, quod humidam habet naturam. nos autem qui evangelio credimus, dicemus hanc passionem immundum spiritum in hominibus operari. Observat enim quaedam schemata lunae, et sic operatur, ut ab observatione lunae pati homines mentiatur, et per hoc culpabilem Dei creaturam ostendat: sic et alii daemones secundum aliqua stellarum schemata insidiantur hominibus, ut iniquitatem in excelso loquantur, quasdam stellas dicentes maleficas, quasdam beneficas: cum nulla stella a Deo sit facta ut male faciat. In hoc autem quod subditur nam saepe cadit in ignem, et crebro in aquam.

Chrysostomus in Matth. Considerandum est, quod nisi providentia hic homo esset munitus, dudum periisset: daemon enim qui ipsum in ignem et in aquam mittebat, interfecisset eum omnino, nisi Deus eum refrenasset.

Hieronymus. quod autem dicit et obtuli eum discipulis tuis, et non potuerunt curare eum, latenter accusat apostolos: cum impossibilitas curandi interdum non ad imbecillitatem curantium, sed ad eorum qui curandi sunt, fidem referatur.

Chrysostomus in Matth. Inspice autem et aliunde eius insipientiam, qualiter coram turba interpellat iesum adversus discipulos. sed ipse eos liberat ab accusatione, defectum curationis imputans illi: ex multis enim monstratur eum infirmum in fide fuisse. Non tamen tantum in eius personam invehitur, ne ipsum conturbaret; sed in omnes iudaeos. Probabile est enim multos praesentium de discipulis inconvenientia cogitasse; et ideo sequitur respondens iesus ait: o generatio incredula et perversa, quousque ero vobiscum? usquequo patiar vos? per hoc autem quod dicit usquequo ero vobiscum? ostendit desideratam ab eo esse mortem, et concupiscibilem recessum.

Remigius. Sciendum quoque, quia dominus non tantum tunc coeperat pati improbitatem iudaeorum, sed a longo prius tempore: et ideo hic dicit usquequo patiar vos? ac si dicat: quia longo tempore coepi pati vestras improbitates, ideo indigni estis mea praesentia.

Origenes in Matth. vel quoniam non potuerant eum sanare discipuli, quasi adhuc modicae fidei constituti, propterea dixit o generatio incredula; et quod ait perversa, ostendit quoniam ex perversitate malitia est introducta extra naturam. Puto autem, quod propter perversitatem totius humani generis, quasi gravatus malitia eorum, dixit usquequo ero vobiscum? .

Hieronymus. Non autem credendum est quod taedio superatus sit, et mansuetus ac mitis in verba furoris eruperit; sed quod in similitudinem medici, si aegrotum videat contra sua praecepta se gerere, dicat: usquequo ascendam in domum tuam? usquequo artis perdam industriam, me aliud iubente, et te aliud perpetrante? quod autem non sit iratus homini sed vitio, ac per unum hominem iudaeos arguat infidelitatis, patet ex hoc quod infert afferte huc illum ad me.

Chrysostomus in Matth. Postquam enim discipulos excusaverat, ducit patrem pueri ad spem benignam

credendi, quod ab hoc malo eripietur; et ut inducatur pater ad fidem futuri miraculi, videns daemonem tumultum pati ex hoc solum quod vocabatur, increpavit eum; unde sequitur et increpavit eum iesus. Non ille qui patiebatur, sed daemon increpatur.

Remigius. in quo facto reliquit exemplum praedicatoribus, ut vitia persequantur, homines vero sublevent.

Hieronymus. Sive increpavit puerum, quia propter peccata sua a daemone fuerat oppressus. sequitur et exiit ab eo daemon et curatus est puer ex illa hora.

Rabanus. mihi autem videtur, iuxta tropologiam, lunaticus esse qui per horarum momenta mutatur ad vitia; et nunc quidem in ignem fertur, quo adulterantium corda succensa sunt, nunc in aquas, scilicet voluptatum, vel cupiditatum, quae non valent extinguere caritatem.

Augustinus de quaest. Evang. vel ignis ad iram pertinet, eo quod alta petat; aqua ad voluptates carnis.

Origenes in Matth. De inconstantia autem peccatoris dicitur: stultus ut luna mutatur. Et est videre in talibus impetus quosdam quasi operum bonorum subrepere; aliquando autem quasi quadam abreptione spiritus a passionibus comprehenduntur, et cadunt a statu bono in quo stare putabantur. Forsitan ergo angelus, qui sortitus est huius lunatici custodiam pater huius appellatur, deprecans quasi pro filio medicum animarum, ut liberet eum qui non potest sanari a passione per verbum humile discipulorum christi, quia non recipit eorum admonitionem veluti surdus; et ideo opus est ei christi sermo, ut iam de cetero sine ratione non agat.

MATTHAEUS 17,18-20

4718 (Mt 17,18-20)

Chrysostomus in Matth. acceperant discipuli a domino potestatem spirituum immundorum; et quia oblatum daemonicum curare non potuerant, videtur quod in dubitationem devenerint, ne forte gratiam, quae erat eis tradita, perdidissent; et ideo dicit tunc accesserunt ad iesum discipuli eius secreto, et dixerunt: quare nos non potuimus eicere illum? interrogant quidem singulariter, non propter verecundiam, sed quia de ineffabili et magna re erant eum interrogaturi. sequitur dixit illis iesus: propter incredulitatem vestram.

Hilarius in Matth. crediderant quidem apostoli, nondum tamen erant perfectae fidei: nam domino in monte demorante, et ipsis cum turbis residentibus, quidam tepor eorum fidem retardaverat.

Chrysostomus in Matth. Unde manifestum est hinc quoniam et discipuli in fide infirmati sunt, sed non omnes; columnae enim illae non aderant, scilicet petrus, iacobus et iohannes.

Hieronymus. Hoc est autem quod in alio loco dominus dicit: quaecumque in nomine meo petieritis, credentes accipietis. Ergo quoties non accipimus, non praestantis est impossibilitas, sed poscentium culpa.

Chrysostomus in Matth. Sciendum tamen, quod sicut multoties accedentis fides accipere sufficit effectum miraculi; ita multoties facientium miracula sufficit virtus, etiam non credentibus illis qui expetierint miracula operari: etenim qui circa cornelium, ex propria fide allexerunt gratiam spiritus sancti; ille autem mortuus qui proiectus est in sepulchrum elisei, sola virtute corporis sancti resuscitatus est. Contigit et tunc discipulos infirmari in fide: imperfectius enim dispositi erant ante crucem; et ideo fidem dicit hic esse causam signorum: unde subditur amen quippe dico vobis: si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: transi hinc, et transibit.

Hieronymus. Putant aliqui fidem grano sinapis comparatam parvam dici, cum apostolus dicat: etsi habuero tantam fidem ita ut montes transferam. Magna est ergo fides quae grano sinapis comparatur.

Gregorius moralium. granum quippe sinapis nisi teratur, nequaquam virtus eius agnoscitur: sic si virum sanctum tritura persecutionis opprimat, mox in fervorem virtutis vertitur quidquid in illo antea despicabile infirmumque videbatur.

Origenes in Matth. Vel ideo omnis fides grano sinapis comparatur, quoniam contemnitur quidem fides ab hominibus, et modicum aliquid et vile apparet; cum vero consecutum fuerit huiusmodi semen bonam animam quasi terram, fit arbor magna. Sic autem magna est praedicta lunatici infirmitas, et fortis ad curandum inter omnia mala, ut monti assimiletur, nec expellatur nisi per omnem fidem eius qui passiones huiusmodi sanare voluerit.

Chrysostomus in Matth. Unde et de translatione montium mentionem facit, et ultra procedit dicens et nihil impossibile erit vobis.

Rabanus. Sic enim fides mentem nostram capacem donis caelestibus facit, ut quaecumque volumus, facillime a fideli domino impetrare possimus.

Chrysostomus in Matth. si autem dixeris: ubi apostoli montes transtulerunt? illud dicam, quia multa maiora fecerunt, mortuos plurimos suscitantes. dicuntur autem post apostolos sancti quidam apostolis minores, montes necessitate imminente transtulisse. Si autem apostolorum tempore montes non sunt translati, hoc non fuit quia non potuerunt sed quia noluerunt, utilitate non imminente. nec dominus dixit quod hoc essent facturi, sed quod hoc facere possent. Probabile tamen est factum esse, sed scriptum non est; neque enim omnia miracula quae fecerunt, scripta sunt.

Hieronymus. Vel montis translatio non eius significatur quem oculis carnis aspicimus, sed illius qui a domino translatus fuerat ex lunatico, qui per prophetam corrumpere dicitur omnem terram.

Glossa. Ut sit sensus: dicetis monti huic, idest superbo diabolo: transi hinc, idest ab obsessio corpore in altum maris, idest in profundum inferni, et transibit; et nihil impossibile erit vobis, idest nulla incommoditas insanabilis.

Augustinus de quaest. Evang. vel aliter. Ne discipuli in miraculis faciendis extollerentur in superbiam, admoniti sunt potius per humilitatem fidei, quasi per sinapis granum, elationem terrenam, quae montis nomine significata est, curare transferre.

Rabanus. Dum autem docet apostolos quomodo daemon debeat expelli, omnes instituit ad vitam: ut scilicet noverimus graviora quaecumque vel immundorum spirituum vel hominum tentamenta ieiuniis et orationibus esse superanda, iram quoque domini hoc remedio singulari posse placari; unde subdit hoc autem genus non eicitur nisi per orationem et ieiunium.

Chrysostomus in Matth. Quod dicit non solum de genere lunaticorum, sed et de universo genere daemonum. ieiunium enim multam sapientiam imponit, et hominem quasi angelum de caelo constituit, et incorporeas potestates impugnat. Sed et oratione opus est, quasi principaliori. Qui enim orat ut oportet, et ieiunat, non multis indiget; et ita non fit avarus, sed ad eleemosynam promptus est. Qui etiam ieiunat, levis est, et vigilanter orat, et concupiscentias perniciosas extinguit, et propitium Deum facit, et animam superbam humiliat. Qui ergo orat cum ieiunio, duplices habet alas, etiam ipsis ventis leviores. Neque enim oscitat et torpet orans (quod et multi patiuntur).; sed est igne vehementior, et terra fixior; ideoque talis maxime demoniis adversatur; nihil enim est homine decenter orante potentius. Si autem infirmum est tibi corpus ad continue ieiunandum, non tamen ad orandum; et si ieiunare non potes, potes tamen non lascivire. Non parvum autem est hoc, neque multum a ieiunio distans.

Origenes in Matth. si ergo aliquando oportuerit nos circa curationem tale aliquid patientium permanere, non adiuremus, neque interrogemus, neque loquamur quasi audienti spiritui immundo; sed abigamus ieiuniis et orationibus nostris spiritus malignos.

Glossa. Vel hoc genus daemonii, idest ista carnalium voluptatum mutabilitas, non vincitur nisi spiritus oratione confirmetur, et caro per ieiunium maceretur.

Remigius. Vel ieiunium hic intelligitur generale, quo non solum abstinemus a cibis, sed ab omnibus illecebris carnalibus, et peccatorum passionibus. Similiter oratio intelligenda est generalis, quae in piis et bonis operibus consistit: de qua dicit apostolus: sine intermissione orate.

MATTHAEUS 17,21-22

4721 (Mt 17,21-22)

Remigius. Saepe dominus mysteria suae passionis discipulis praedixit, ut quando acciderent, tanto levius ea ferrent quanto praecognita haberent: et ideo hic dicitur conversantibus autem eis in galilaea, dicit illis iesus: filius hominis tradendus est in manus hominum, et occident eum.

Origenes in Matth. Videntur quidem haec illis quae supra dixerat similia esse, ut facile quis dicat, dominum

eadem ipsa repetere; quod non est ita; tradendum enim superius non est dictum: hic autem non solum tradendum, sed etiam in manus hominum tradendum audivimus. traditum igitur apostolus filium narrat a Deo patre; sed etiam contrariae potestates eum in manus hominum tradiderunt.

Hieronimus. Semper autem prosperis miscet tristia: si enim contristat eos quia occidendus est, debet laetificare quod subditur et die tertia resurget.

Chrysostomus in Matth. Neque enim multum tempus dixit quo in morte maneret; sed tertia die se dixit resurrecturum.

Origenes in Matth. praedicente autem haec domino, tristati sunt discipuli: unde sequitur et contristati sunt vehementer, non attendentes ad illud quod dixerat et tertia die resurget, nec considerantes quis esset cui ad destruendam mortem trium dierum tempus sufficeret.

Hieronimus. Porro quod contristabantur vehementer, non de infidelitate venit: verum pro dilectione magistri, nihil de eo sinistrum et humile patiuntur audire.

MATTHAEUS 17,23-26

4723 (Mt 17,23-26)

Glossa. Quia discipuli audita domini passione contristati erant, ne aliquis passionem christi necessitati ascriberet, non humilitati, subiungit factum, in quo christi libertas et humilitas demonstratur: unde dicitur et cum venissent capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant ad petrum, et dixerunt ei: magister vester non solvit didrachma? .

Hilarius in Matth. dominus didrachma solvere postulatur, idest denarios: hoc enim omni israel lex pro redemptione corporis et animae constituerat in ministerio templi servientium.

Chrysostomus in Matth. cum enim primogenita aegyptiorum interfecit Deus, tunc tribum levi pro eis accepit. Deinde quia primogenitis qui erant apud iudaeos, minor huius tribus numerus erat, pro deficientibus in numerum, siclum iussit inferri, et ex tunc tenuit consuetudo ut primogenita vectigal hoc inferrent. Quia igitur primogenitus erat Christus, videbatur autem discipulorum primus esse petrus, ad eum accedunt. et, ut mihi videtur, non in unaquaque civitate hoc expetebant: ideoque in capharnaum adeunt Christum, quia eius patria existimabatur.

Hieronimus. Vel aliter. post augustum caesarem iudaea facta est tributaria, omnes censi capite ferebantur: unde et ioseph cum maria cognata sua professus est in bethlehem. Rursus, quoniam dominus nutritus erat in nazareth, quod est oppidum galilaeae subiacens capharnaum urbi, ibi deposcitur tributum; et pro signorum magnitudine hi qui exigebant, non audebant ipsum repetere, sed discipulum conveniunt.

Chrysostomus in Matth. Et neque hunc cum multa vehementia, sed mansuetius: neque enim incusantes, sed interrogantes dixerunt magister vester non solvit didrachma? .

Hieronimus. sive malitiose interrogant utrum reddat tributa, an contradicat caesaris voluntati.

Chrysostomus in Matth. quid igitur petrus? ait: etiam. Et his quidem dixit quoniam solvit; Christo autem non dixit, erubescens fortassis pro his ei loqui.

Glossa. Vel aliter. Et petrus respondit etiam; idest, ita est quod non solvit. Voluit autem petrus domino intimare, quod herodiani peterent census; sed dominus praevenit eum: unde sequitur et cum intrasset in domum, praevenit eum iesus, dicens: reges terrae a quibus recipiunt tributum vel census, idest redditum de capite, a filiis suis, an ab alienis? .

Hieronimus. Ante quidem quam petrus suggerat, dominus interrogat, ne scandalizentur discipuli ad postulationem tributi, cum videant eum nosse quae absente se gesta sunt. sequitur at ille dixit: ab alienis. Dixit illi iesus: ergo liberi sunt filii.

Origenes in Matth. Sermo iste duplicem habet sensum. Secundum unum enim filii regum terrae liberi sunt apud reges terrae; extranei autem extra terram liberi non sunt propter eos qui deprimunt eos, sicut aegyptii filios israel. Secundum alterum autem, propter hoc ipsum quod aliqui sunt alieni a filiis regum terrae, sed

sunt filii Dei; liberi sunt qui manent in verbis iesu, et cognoverunt veritatem, et veritas liberavit eos a servitute peccati. Filii autem regum terrae liberi non sunt; quoniam qui facit peccatum, servus est peccati.

Hieronymus. dominus autem noster et secundum carnem et secundum spiritum filius erat regis; vel ex David stirpe generatus, vel omnipotentis patris verbum; ergo tributa quasi filius regis non debebat.

Augustinus de quaest. Evang. Dicit enim in omni regno liberos esse filios, idest non esse vectigabiles. Multo ergo magis liberi esse debent in quolibet regno terreno filii regni ipsius, sub quo sunt omnia regna terrena.

Chrysostomus in Matth. Si autem non erat filius, inaniter hoc exemplum induxit. Sed dicet aliquis: filius est, sed non proprius; est ergo alienus; et si hoc exemplum non habet veritatem: ipse enim de propriis filiis disputat, ad quorum differentiam alienos vocat qui non ex parentibus substantialiter nati sunt. Intende autem qualiter et hinc Christus certificatur eam cognitionem quae petro revelata est a Deo, per quam dixit: tu es Christus filius Dei vivi.

Hieronymus. quamvis ergo liber esset, quia tamen humilitatem carnis assumpserat, debuit omnem iustitiam adimplere: unde sequitur ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare.

Origenes in Matth. consequens quoque est intelligere quoniam quoties exurgunt quidam qui per iustitiam tollant nostra terrena, reges huius terrae eos transmittunt, ut exigant a nobis quae sunt ipsorum; et suo exemplo prohibet dominus aliquod scandalum fieri etiam huiusmodi hominibus, sive ne amplius peccent, sive ut salventur. Filius enim Dei, qui nullum opus fecit servile, quasi habens formam servi quam propter hominem suscepit, tributum et censum dedit.

Hieronymus. quid primum in hoc loco mirer nescio: utrum praescientiam, an magnitudinem salvatoris: praescientiam, quod noverat habere piscem in ore staterem, et quod primus ipse capiendus esset; magnitudinem atque virtutem, si ad eius verbum stater in ore piscis creatus est; et quod futurum erat, ipse loquendo fecerit. Ipse ergo Christus propter eximiam caritatem, et crucem sustinuit, et tributa reddidit: nos infelices qui christi censemur nomine, et nihil tanta dignum facimus maiestate: pro illius honore et tributa non reddimus, et quasi filii regis a vectigalibus immunes sumus. Hoc etiam simpliciter intellectum aedificat auditorem, dum audit dominum tantae fuisse paupertatis ut unde tributa pro se et apostolo redderet, non habuerit. quod si quis obicere voluerit, quomodo iudas in oculis portabat pecuniam, respondebimus: rem pauperum in usus suos convertere nefas putavit, nobisque idem tribuit exemplum.

Chrysostomus in Matth. vel ideo non ex repositis iubet dare, ut ostendat quod maris et piscium dominetur.

Origenes in Matth. vel quoniam iesus non habuit imaginem caesaris (princeps enim huius saeculi nihil habebat in eo), propterea non ex proprio sed ex mari imaginem caesaris accepit. non autem suscepit ipse staterem, neque fecit eum sibi possessionem, ne sit aliquando imago caesaris apud imaginem invisibilis Dei. Vide etiam christi prudentiam: qualiter nec retinuit tributum, nec simpliciter iubet dari; sed prius ostendit se non esse obnoxium, et tunc dat: quorum unum fecit, scilicet dare tributum, ut illi, scilicet exactores, non scandalizentur; hoc autem, scilicet ut ostendat se liberum, ut non scandalizentur discipuli. alio vero loco contemnit pharisaeorum scandalum, quando de escis disputabant; docens nos scire tempora secundum quae oportet non contemnere eos qui scandalizantur, et secundum quae oportet contemnere. **Gregorius** super Ezech. considerandum enim est quia in quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur nasci scandalum, quam veritas relinquatur.

Chrysostomus in Matth. sicut autem stupefcis de christi virtute, ita admirare petri fidem, quoniam rei tam difficili obedivit. Ideoque de fide eum remunerans, copulavit eum sibi in tributi datione; quod fuit abundantis honoris: et hoc est quod dicitur invenies staterem: illum sumens da eis pro me et te.

Glossa. Consuetudo enim erat ut unusquisque pro se didrachma redderet. stater vero est pondus duorum didrachmatum.

Origenes in Matth. Mystice autem in agro consolationis (sic enim interpretatur capharnaum). consolatur omnem discipulum, et liberum filium esse pronuntiat, et dat ei virtutem piscandi primum piscem, ut ascendente eo, consolationem accipiat petrus super eum quem piscatus est.

Hilarius in Matth. cum autem primum piscem admonetur petrus inquirere, ascensuri ostenduntur et plures. Beatus ille primus martyr stephanus, primus ascendit, et staterem in ore continuit; in quo didrachma novae praedicationis tamquam duo denarii habebantur: Dei enim gloriam et dominum Christum in passione

contuens praedicabat.

Hieronymus. Vel iste piscis primus captus, est primus adam, qui per secundum adam liberatur: et id quod in ore eius, hoc est in confessione, fuit inventum, pro petro et domino redditur.

Origenes. cum etiam videris avarum hominem ab aliquo petro correctum, quod abstulit de ore eius verbum pecuniae; dices eum ascendisse de mari, idest de fluctibus sollicitudinum avaritiae, ad hamum rationalem; et comprehensum atque salvatum ab aliquo petro, qui eum docuit veritatem, ut pro statere habeat imaginem Dei, idest eloquia eius.

Hieronymus. Et pulchre illud ipsum quidem datur pretium; sed divisum est: quia pro petro quasi pro peccatore pretium reddebatur; dominus autem noster peccatum non fecit. Ostenditur autem similitudo carnis, dum eodem et dominus et servus pretio liberantur.

MATTHAEUS 18,1-6

4801 (Mt 18,1-6)

Hieronymus. Quia discipuli viderant pro petro et domino idem tributum redditum, ex aequalitate pretii arbitrati sunt omnibus apostolis petrum esse praelatum.

Chrysostomus in Matth. Unde passi sunt aliquid humanum; quod evangelista designat dicens in illa hora accesserunt discipuli ad iesum dicentes: quis, putas, maior est in regno caelorum? verecundati siquidem passionem confiteri quam passi sunt, non dicunt manifeste: petrum cur praehonorasti nobis? sed indeterminate interrogant quis maior est? quando autem tres praehonoratos viderunt, scilicet petrum, iacobum et ioannem in transfiguratione, nihil tale passi sunt; quando vero in unum solum contulit honorem, tunc doluerunt. tu autem considera primum quidem quod nihil eorum quae sunt in terris, quaerunt; deinde quod postea hanc passionem deposuerunt. nos autem neque ad defectus eorum contingere possumus: neque enim quaerimus quis maior est in regno caelorum? sed: quis maior est in regno terrae? **Origenes** in Matth. In his autem imitatores discipulorum esse debemus, si quando aliquid in nobis dubium quaeritur et non invenitur, ut cum omni consensu accedamus ad iesum, qui potens est illuminare corda hominum ad intelligendum solutionem omnium quaestionum. interrogemus etiam aliquem doctorum, qui praepositi habentur in ecclesiis. Sciebant autem discipuli hoc interrogantes, quia non est aequalitas sanctorum in regno caelesti; sed quomodo maior, et qualiter vivens minimus, hoc discere cupiebant. vel sciebant quis esset minimus et quis magnus, ex eo quod supra dominus dixerat; sed ex multis magnis quis esset maior; hoc eis non erat manifestum.

Hieronymus. videns autem iesus cogitationes eorum, voluit desiderium gloriae humilitatis contentione sanare: unde sequitur et advocans iesus parvulum, statuit eum in medio eorum.

Chrysostomus in Matth. mihi videtur valde parvulum in medio statuere, omnibus passionibus exutum.

Hieronymus. Ut in eo et aetatem quaereret, et similitudinem innocentiae demonstraret. Vel certe parvulum statuit in medio eorum seipsum, qui non venerat ministrari, sed ministrare, ut eis humilitatis tribueret exemplum. Alii parvulum interpretantur spiritum sanctum, quem posuerit in cordibus discipulorum, ut superbiam in humilitatem mutaret. sequitur et dixit: amen dico vobis: nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum caelorum. non praecipit apostolis ut aetatem habeant parvulorum, sed innocentiam; et quod illi per annos possident, hi possideant per industriam; ut malitia non sapientia parvuli sint; ac si dicat: sicut iste parvulus, cuius vobis exemplum tribuo, non perseverat in iracundia, laesus non meminit, videns pulchram mulierem, non delectatur, non aliud cogitat et aliud loquitur; sic et vos, nisi talem habueritis innocentiam et animi puritatem, in regnum caelorum non poteritis intrare.

Hilarius in Matth. Pueros etiam credentes omnes per audientiae fidem nuncupavit: hi enim patrem sequuntur, matrem amant, velle malum nesciunt, curam operum negligunt, non insolescunt, non oderunt, non mentiuntur, dictis credunt, et quod audiunt, verum habent. Littera ergo sic legitur.

Glossa. Nisi conversi fueritis ab hac elatione et indignatione, in qua modo estis, et efficiamini omnes ita innocentes et humiles per virtutem sicut parvuli sunt per aetatem, non intrabitis in regnum caelorum; et quandoquidem aliter non intratur; quicumque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic maior est in regno caelorum: quanto enim quis erit humilior, tanto maior efficitur in regno caelorum.

Remigius. Idest, in cognitione gratiae, vel ecclesiastica dignitate, vel certe in aeterna beatitudine.

Hieronimus. Vel aliter. Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, idest qui se in exemplum mei humiliaverit, hic intrabit in regnum caelorum. sequitur et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.

Chrysostomus in Matth. Ac si dicat: non solum si tales efficiamini, mercedem accipitis, sed et si alios tales propter me honorabitis; et honoris qui est ad illos retributionem vobis determino regnum. magis autem quod multo maius est ponit, dicens me suscipit.

Hieronimus. qui enim talis fuerit ut christi imitetur humilitatem et innocentiam, in eo Christus suscipitur: et prudenter, ne cum delatum fuerit apostolis, se putent honoratos, adiecit, non suo illos merito, sed magistri honore suscipiendos.

Chrysostomus in Matth. deinde facile susceptibilem hunc sermonem facit, poenam inducens: unde sequitur qui autem scandalizat unum de pusillis istis, etc.; ac si diceret: sicut qui hos honorant propter me, mercedem habent, ita et qui hos dehonoraunt, ultimam sustinebunt vindictam. Si autem convicium scandalum vocat, ne mireris, multi enim pusillanimes ex eo quod despiciuntur, scandalizati sunt.

Hieronimus. Nota, quod qui scandalizatur, parvulus est: maiores enim scandala non recipiunt. Et quamquam generalis possit esse sententia adversus omnes qui aliquem scandalizant, tamen, iuxta consequentiam sermonis, etiam contra apostolos dictum intelligi potest; qui interrogando quis maior esset in regno caelorum, videbantur inter se de dignitate contendere: et si in hoc vitio permansissent, poterant eos quod ad fidem vocabant, per suum scandalum perdere, dum apostolos viderent inter se de honore pugnare.

Origenes in Matth. quomodo autem qui conversus est, et factus quasi puer et minimus, est et potens scandalizari? hoc sic possumus explanare. Omnis qui filio Dei credit, et conversatur secundum evangelicos actus, conversus ambulat quasi puer; qui autem non convertitur ut fiat sicut puer, hunc impossibile est intrare in regnum caelorum. in omni autem credentium multitudine sunt quidam nuper conversi ut fiant sicut parvuli, nondum autem sunt facti; hi pusilli habentur in Christo, et sunt scandali receptores.

Hieronimus. quod autem dicitur expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo eius, secundum ritum provinciae loquitur, quo maiorum criminum ista apud veteres iudaeos poena fuerat, ut in profundum ligato saxo demergeretur. Expedit autem ei: quia multo melius est pro culpa brevem recipere poenam, quam aeternis servari cruciatibus.

Chrysostomus in Matth. consequens autem erat prioribus dicere: me non suscipit, quod erat omni poena amarius; sed quia crassi erant, et praedicta poena eos non movebat, comparatione exempli cogniti manifestat praeparatam poenam; propter hoc enim dicit quod expedit ei hoc sustinere, quoniam eos alia gravior poena expectat.

Hilarius in Matth. Mystice autem molae opus labor est caecitatis: nam clausis iumentorum oculis aguntur in gyrum; et sub asini quidem nomine frequenter gentes cognominatas reperimus, qui caeci laboris ignorantia continentur. iudaeis autem scientiae iter in lege praestitum est; qui si christi apostolos scandalizaverint, rectius, alligata collo mola asinaria, demersi in mari fuissent, idest gentium labore depressi ignorantia saeculi demonstrarentur: quia illis tolerabilius fuerat nescisse Christum, quam prophetarum dominum non recepisse.

Gregorius moralium. vel aliter. Quid per mare nisi saeculum, quid per molam asinariam nisi actio terrena significatur? quae cum colla mentis per stulta desideria stringit, hanc in laboris circuitum mittit. Sunt utique nonnulli qui dum terrenas actiones deserunt, et ad contemplationis studia humilitate postposita ultra intelligentiae vires surgunt, non solum se in errorem deiciunt, sed infirmos quosque de gremio veritatis dividunt. Qui ergo unum de minimis meis scandalizat, melius ei fuerat, ligata collo mola asinaria, in mare proici: quia nimirum perversae menti expedientius esse potuisset ut occupata mundo terrena negotia ageret, quam per contemplationis studia ad multorum perniciem vacaret.

Augustinus de quaest. Evang. Vel aliter. Qui scandalizaverit unum ex pusillis istis, idest ex humilibus, quales vult esse discipulos suos, non obtemperando, vel etiam contradicendo, expedit ei ut mola asinaria suspendatur in collo eius, et praecipitur in profundum maris, idest congruit ei ut cupiditas rerum temporalium, cui stulti et caeci alligantur, eum devinctum pondere suo deducat ad interitum.

MATTHAEUS 18, 7-9

4807 (Mt 18,7-9)

Glossa. Dixerat dominus, quod expedit ei qui scandalizat, ut suspendatur mola asinaria in collo eius: cuius rationem assignans, subdit vae mundo a scandalis, idest propter scandala.

Origenes in Matth. hoc non de elementis mundi intelligamus; sed hic homines, qui sunt in mundo, dicuntur mundus. Non sunt autem discipuli christi de hoc mundo: unde non potest eis esse a scandalis vae: nam etsi multa sunt scandala, non tangunt eum qui non est de hoc mundo. Si autem adhuc est de hoc mundo, propterea quod diligit mundum, et quae sunt in eo; tanta scandala comprehendunt eum quantis fuerat obligatus in mundo. sequitur necesse est enim ut veniant scandala.

Chrysostomus in Matth. cum autem dicit necesse est, non destruit libertatem arbitrii, neque necessitati aliquarum rerum supponit; sed quod omnino futurum est, praedicit. Scandala quidem sunt prohibitiones rectae viae. non autem praedicatio christi scandala inducit: neque enim quia praedixit, propter hoc fit; sed quia omnino futurum erat, propter hoc praedixit. Sed dicet aliquis: si omnes corrigantur, et nullus sit qui scandala afferat, nonne mendacii arguetur hic sermo? nequaquam: quia enim praevidebat inemendatos futuros homines esse, propter hoc dixit necesse est ut veniant scandala: idest omnino venient. Si autem corrigendi essent, non dixisset.

Glossa. vel necesse est ut veniant scandala, quia sunt necessaria, idest utilia, ut per hoc qui probati sunt, manifesti fiant.

Chrysostomus in Matth. Scandala enim erigunt homines, et acutiores eos faciunt; et eum qui cadit, velociter erigunt, in quantum scilicet ingerunt sollicitudinem.

Hilarius in Matth. vel humilitas passionis scandalum mundo est, quod sub deformitate crucis aeternae gloriae dominum voluit accipere. Et quid mundo tam periculosum quam non recepisse Christum? ideo vero necesse ait venire scandala, quia ad sacramentum reddendae nobis aeternitatis, omnis in eo passionis humilitas esset complenda.

Origenes. vel venientia scandala sunt angeli satanae. Nec tamen putes secundum naturam vel substantiam esse huiusmodi scandala; sed libertas arbitrii in quibusdam genuit scandalum, nolens suscipere pro virtute laborem. Non potest autem esse verum bonum, nisi habeat impugnationem mali. Sic ergo necesse est venire scandala, sicut necesse est sustinere malitiam caelestium; qua tanto magis irritantur, quanto magis verbum christi in hominibus invalescens expellit ab eis malignas virtutes. Quaerunt autem organa per quae scandala operentur, quibus est magis vae: nam multo peius erit ei qui scandalizat quam ei qui scandalizatur: unde sequitur verumtamen vae homini illi per quem scandalum venit.

Hieronymus. ac si dicat: vae homini illi qui vitio suo facit ut per se fiat quod necesse est ut in mundo fiat. Simulque per generalem sententiam percutitur iudas qui proditori animi praeparaverat.

Hilarius. vel sub hominis nuncupatione actorem scandali huius quod est circa passionem christi, iudaicum populum designat, per quem omne huic mundo periculum comparatur, ut Christum in passione abnegent, quem lex et prophetae passibilem praedicaverunt.

Chrysostomus in Matth. ut autem discas quod non sunt absolutae necessitatis scandala, audi quae sequuntur: si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, etc. Non autem hoc de membris corporalibus dicit, sed de amicis, quos in ordine necessariorum membrorum habemus: nihil est enim ita nocivum ut conversatio mala.

Rabanus. Scandalum quippe sermo graecus est, quod nos offendiculum vel ruinam et impactionem pedis dicere possumus. Ille ergo scandalizat fratrem qui ei dicto factove minus recto occasionem ruinae dedit.

Hieronymus. igitur omnis truncatur affectus, et universa propinquitas amputatur: ne per occasionem pietatis unusquisque credentium scandalis pateat. Si, inquit, ita est tibi coniunctus ut manus, pes et oculus, et est utilis atque sollicitus et acutus ad perspicendum, scandalum autem tibi faciat, et propter morum dissonantiam te pertrahat in gehennam: melius est ut propinquitate eius careas et emolumentis carnalibus, quam dum vis lucrifacere cognatos et necessarios, causam habeas ruinarum. novit enim unusquisque credentium quid sibi noceat, vel in quo sollicitetur ac saepe tentetur: melius est enim vitam solitariam

ducere, quam ob vitae praesentis necessaria vitam aeternam perdere.

Origenes. vel sacerdotes rationabiliter possunt dici ecclesiae oculus, quoniam speculatores habentur; diaconi autem ceterique, manus, quia per eos opera spiritualia geruntur; populus autem sunt pedes corporis ecclesiae; quibus omnibus parcere non oportet, si scandalum ecclesiae facti fuerint. Vel actus animae, peccans manus intelligitur; et incessus animae, peccans pes, et visus animae, peccans oculus: quos oportet praecidere, si scandalum praebent; frequenter enim ipsa opera membrorum pro membris in scriptura ponuntur.

MATTHAEUS 18,10-14

4810 (Mt 18,10-14)

Hieronymus. Supra dixerat dominus per manum et pedem et oculum, omnes propinquitates et necessitudines quae scandalum facere poterant amputandas. Austeritatem itaque sententiae subiecto praecepto temperavit, dicens videte ne contemnatis unum ex his pusillis; ac si dicat: quantum in vobis est nolite contemnere; sed post vestram salutem etiam illorum quaerite sanitatem. Sin autem perseverantes in peccatis videritis, melius est vos salvos fieri quam perire cum multis.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. Sicut fugere malos, ita honorare bonos magnum habet lucrum. Supra ergo docuit scandalizantium abscindere amicitias; hic autem docet exhibere sanctis honorem et procuracionem.

Glossa. Vel aliter. Quia tantum malum provenit ex scandalizatis fratribus, videte ne contemnatis unum ex his pusillis.

Origenes in Matth. pusilli autem sunt qui nuper in Christo sunt nati; aut tales qui permanent sine profectu, quasi nuper nati. Non autem habuit necesse mandare Christus de perfectioribus fidelibus non contemnendis, sed de pusillis; sicut et supra dixerat: si quis scandalizaverit unum ex pusillis istis. alius autem forte dicit: pusillum hic dicit perfectum, secundum quod alibi ait: qui minimus fuerit in vobis, hic erit maior.

Chrysostomus in Matth. vel quia perfecti parvuli apud multos aestimantur, scilicet pauperes et contemptibiles.

Origenes. Sed huic expositioni non videtur convenire quod dicitur: si quis scandalizaverit unum de pusillis istis: perfectus enim non scandalizatur nec perit. Sed qui hanc expositionem aestimat veram, dicit quod iusto homini anima vertibilis est, et scandalizatur aliquando, etsi non facile.

Glossa. ideo autem non sunt contemnendi, quia adeo cari sunt Deo quod angeli sunt eis ad custodiam deputati: unde sequitur dico enim vobis, quia angeli eorum in caelis semper vident faciem patris mei qui in caelis est.

Origenes. Quidam volunt ex eo dari hominibus angelum adiutorem ex quo per lavacrum regenerationis nati sunt infantes in Christo; dicentes non esse credibile, incredulis et errantibus praeesse angelum sanctum; sed tempore infidelitatis et peccatorum est homo sub angelis satanae. Alii autem volunt mox cum quis fuerit natus eorum qui praecogniti sunt a Deo, accipere sibi praepositum angelum.

Hieronymus. Magna enim dignitas animarum ut unaquaeque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui angelum delegatum.

Chrysostomus in Matth. Hic autem non de quibuscumque angelis loquitur, sed de superioribus. Cum enim dicat vident faciem patris mei, nihil aliud ostendit quam magis liberam praesentiam et maiorem eorum apud Deum.

Gregorius in Evang. Dionysius autem dicit, quod ex minoribus angelorum agminibus ad explendum ministerium vel visibiliter vel invisibiliter mittuntur: nam superiora illa agmina usum exterioris ministerii nequaquam habent.

Gregorius moralium. et faciem ergo patris angeli semper vident; et tamen ad nos veniunt: quia ad nos spirituali praesentia foras exeunt, et tamen ibi se unde recesserant, per internam contemplationem servant:

neque enim sic a divina visione foras exeunt ut internae contemplationis gaudiis priventur.

Hilarius in Matth. Salvandorum igitur per Christum orationes angeli Deo quotidie offerunt: ergo periculose ille contemnitur cuius desideria ac postulationes ad aeternum et invisibilem Deum angelorum famulatu ac ministerio pervehuntur.

Augustinus de Civ. Dei. Vel angeli nostri dicuntur qui sunt angeli Dei. Dei sunt, quia Deum non reliquerunt; nostri sunt, quia suos cives nos habere coeperunt. Sicut ergo nunc illi vident Deum, ita et nos sumus visuri facie ad faciem: de qua visione dicit Ioannes: videbimus eum sicuti est. Facies enim Dei manifestatio eius intelligenda est; non aliquod tale membrum, quale nos habemus in corpore, atque isto nomine nuncupamus.

Chrysostomus in Matth. rursus aliam rationem ponit, quare pusilli non sint contemnendi, priore maiorem, dicens venit enim filius hominis salvare quod perierat.

Remigius. Quasi dicat: non contemnatis pusillos, quia ego pro hominibus homo fieri dignatus sum. cum enim dicit quod perierat, subintelligendum est genus humanum: omnia enim elementa suum ordinem servant; sed homo erravit, quia suum ordinem perdidit.

Chrysostomus in Matth. Deinde ad hanc rationem parabolam copulat, per quam et patrem inducit salutem hominum volentem, dicens quid vobis videtur si fuerint alicui centum oves? **Gregorius** in Evang. Hoc ad ipsum auctorem hominum pertinet: quia enim centenarius perfectus est numerus, ipse centum oves habuit, cum angelorum et hominum substantiam creavit.

Hilarius in Matth. Ovis autem una homo intelligendus est, et sub homine universitas sentienda est; in unius enim adae errore, omne hominum genus aberravit. igitur et quaerens hominem Christus est, et nonagintanovem relictas caelestis gloriae multitudo est.

Gregorius. dicit autem evangelista eas relictas in montibus, ut significet in excelsis: quia nimirum oves quae non perierant, in sublimibus stabant.

Beda. Ovem ergo dominus invenit, quando hominem restauravit; et super eam inventam maius gaudium est in caelo, quam super nonagintanovem: quia maior materia divinae laudis est in restauratione hominum, quam in creatione angelorum. Mirabiliter enim angelos creavit, sed mirabilius hominem restauravit.

Rabanus. Nota, quod unum deest a novem ut decem sint, et a nonagintanovem ut centum sint. Variari ergo per breviter et magnitudinem numeri possunt, quibus unum deest ut perficiantur; ipsum vero unum sine varietate in se manens, cum accesserit, ceteros perficit. et ut perfecta summa ovium integraretur in caelo, homo perditus quaerebatur in terra.

Hieronymus. Alii vero nonagintanovem ovibus, iustorum putant numerum intelligi, et in una ovicula peccatorum, secundum quod in alio loco dixerat: non veni vocare iustos, sed peccatores.

Gregorius. Considerandum autem nobis est cur dominus plus de conversis peccatoribus quam de stantibus iustis gaudium esse fateatur: quia scilicet plerumque pigri remanent ad exercenda bona praecipua qui valde sibi securi sunt, quod nulla commiserunt mala graviora. at contra nonnumquam hi qui se aliquid egisse illicite meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti inardescunt in amorem Dei; et quia se errasse a Deo considerant, damna praecedentia lucris subsequentibus recompensant; sic et dux in praelio plus eum militem diligit qui post fugam conversus hostem fortiter premit, quam illum qui nunquam terga praebuit, et nunquam aliquid fortiter fecit. Sed et sunt quidam iusti, de quibus tantum est gaudium ut eis nullus poenitens praeponi possit; qui etsi non sint sibi malorum conscii, tamen licita respuunt, et in omnibus se humiliant. Quantum ergo gaudium est si humiliter plangat iustus, cum gaudium sit si quod male gessit, damnat iniustus? **Beda.** Vel per nonagintanovem oves quas in montibus reliquit, superbos significat, quibus ad perfectionem unitas deest. Cum ergo invenerit peccatorem, magis super eum gaudet, id est suos gaudere facit, quam super iustos falsos.

Hieronymus. quod autem subditur sic non est voluntas, refertur ad superius propositum, de quo dixerat: videte ne contemnatis unum de pusillis istis; et docet idcirco parabolam positam, ut pusilli non contemnantur. In eo autem quod dicit non est voluntas ante patrem, etc., ostendit quod quotiescumque perierit aliquis ex pusillis, non voluntate patris perit.

MATTHAEUS 18,15-17

4815 (Mt 18,15-17)

Chrysostomus in Matth. quia superius vehementer sermonem adversus scandalizantes proposuit, undique eos terrens, ne rursus hi quibus scandala inferuntur, sic fiant resupini ut totum contemnent, in aliud vitium incidant, scilicet negligentiae; ac per omnia sibi parci volentes, in elationem incidant; hic dominus eos comprimit, et redargutionem fieri iubet, dicens si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum.

Augustinus de verb. dom. Admonet nos quidem dominus noster non negligere invicem peccata nostra, non quaerendo quid reprehendas, sed videndo quid corrigas. Debemus enim amando corripere, non nocendi aviditate, sed studio corrigendi. Si neglexeris, peior eo factus es. Ille iniuriam faciendo, gravi seipsum vulnere percussit; tu vulnus fratris contemnens: peior es tacendo, quam ille conviciando.

Augustinus de Civ. Dei. Plerumque enim a malis docendis et admonendis, aliquando etiam obiurgandis et corripiendis male dissimulatur; vel cum laboris piget, vel cum eorum inimicitias devitamus, ne impediatur et noceant in istis temporalibus rebus, sive quas adipisci adhuc nostra cupiditas appetit, sive quas adhuc amittere formidat infirmitas. Si autem propterea quisque obiurgandis et corripiendis male agentibus parcat, quia opportunus tempus inquiritur, vel eisdem ipsis metuit, ne deteriores ex hoc efficiantur, vel ad bonam vitam et piam erudiendos impediatur alios infirmos, aut premant atque avertant a fide; non videtur esse cupiditatis occasio, sed consilium caritatis. longe autem graviores habent causam ecclesiarum praepositi qui in ecclesiis constituti sunt ut non parcant obiurgando peccata: nec ideo tamen ab huiusmodi culpa penitus alienus est qui, licet praepositus non sit, in eis tamen quibus vitae huius necessitate coniungitur, multa monenda vel arguenda novit et negligit: devitans eorum offensiones propter illa quibus in hac vita non indebite utitur, sed plusquam debuit delectatur.

Chrysostomus in Matth. Considerandum autem, quod quandoque dominus eum qui contristavit, ad eum qui contristatus est ducit, sicut cum dicit: si recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid adversum te, vade reconciliari fratri tuo. Quandoque autem eum qui iniusta passus est, iubet dimittere proximo; sicut ibi: dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Hic autem alium excogitat modum: eum enim qui contristatus est, ducit ad eum qui contristavit; et ideo dicit si peccaverit in te frater tuus: quia enim ille qui iniusta fecit, non facile veniret ad excusationem, verecundatus, hunc qui passus est ad illum trahit; et non simpliciter, sed ut corrigat quod factum est; unde dicit vade et corripe eum.

Rabanus. Non passim iubet peccanti dimittere, sed audienti, id est obedienti et poenitentiam agenti: ne vel difficilis sit venia, vel remissa indulgentia.

Chrysostomus in Matth. non autem dicit: accusa, neque: increpa, neque: vindictas expete; sed argue, id est, rememora sibi peccatum, dic ei quae ab eo passus es. Ipse enim ira et verecundia detinetur, ebrius factus quasi gravi somno. unde oportet te, qui sanus es, ad illum qui aegrotat abire.

Hieronimus. Sciendum tamen, quod si peccaverit in vos frater vester, et in qualibet causa vos laeserit, dimittendi habetis potestatem, immo necessitatem: quia praecipitur ut debitoribus nostris debita dimittamus: propter quod et hic dicitur si peccaverit in te frater tuus. Si autem in Deum quis peccaverit, non est nostri arbitrii. Nos e contrario, in Dei iniuria benigni sumus, in nostris contumeliis exercemus odia.

Chrysostomus in Matth. Ideo autem praecipit arguere ei qui passus est iniuriam, et non alii; quia ille qui fecit iniuriam, ab eo mansuetius sustinet; et maxime cum solus eum corripiat. Cum enim qui vindictam expetere debebat, hic salutis videtur diligentiam habere, maxime hoc eum potest propitium facere.

Augustinus de verb. dom. Quando ergo in nos aliquis peccat, habeamus magnam curam, non pro nobis, nam gloriosum est iniuriam oblivisci; sed obliviscere iniuriam tuam, non vulnus fratris tui: ergo corripe inter te et ipsum solum, studens correctionis, parcens pudori. Forte enim prae verecundia incipit defendere peccatum suum et quem vis facere correctiorem, facis peiorem.

Hieronimus. Corripiendus est enim seorsum frater, ne si semel pudorem atque verecundiam amiserit, permaneat in peccato.

Augustinus de verb. Dom. apostolus autem dicit: peccantem coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant. Aliquando ergo scias corripiendum esse fratrem inter te et fratrem solum, aliquando autem coram omnibus. Quid autem ante facere debeamus, intendite et videte. Si peccaverit, inquit, in te frater tuus,

corripi eum inter te et ipsum solum. Quare? quia in te peccavit? quid est: in te peccavit? tu scis quia peccavit: quia enim secretum fuit quando in te peccavit, secretum quaere cum corrigis quae peccavit. Nam si solus nosti quia peccavit in te, et eum vis coram omnibus arguere, non es corrector, sed proditor. Peccavit ergo in te frater tuus; sed si tu solus nosti, tunc vere in te solum peccavit: nam si multis audientibus tibi fecit iniuriam, et in illos peccavit, quos testes suae iniquitatis effecit. Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quae peccantur coram omnibus: ipsa corripienda sunt secretius quae peccantur secretius. distribuite tempora, et concordate scripturas. quare autem proximum corrigis? quia tu doles quod peccaverit in te? absit. si autem amore tui id facis, nihil facis; si amore illius facis, optime facis. Denique in ipsis verbis attende cuius amore id facere debeas: utrum tui, an illius: sequitur enim si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Ergo propter illum fac, ut lucreris illum. Agnosce, quia in hominem peccando periisti: nam si non perieras, quomodo te lucratus est? nemo ergo contemnat quando peccat in fratrem.

Chrysostomus in Matth. In quo etiam demonstratur quod inimicitia damnum est commune; et propter hoc non dixit quod ille lucratus est seipsum, sed quod tu lucratus es eum: ex quo ostendit quoniam et tu et ille damnum passi eratis ex discordia.

Hieronymus. Per salutem enim alterius nobis quoque acquiritur salus.

Chrysostomus in Matth. quid autem facere debeas si non persuadeatur, subditur si autem te non audierit, adhibe tecum unum vel duos. Quanto enim inverecundior fuerit et pertinacior, tanto magis nos ad medicinam studere oportet, non ad iram et odium. Etenim medicus cum viderit morbum non remitti, non desistit, sed tunc magis praeparatur ad curandum. Vide qualiter non vindictae gratia haec correptio fit, sed emendationis: et propter hoc non confestim iubet duos accipere, sed quando ipse corrigi non voluerit; neque tunc ad eum mittit multitudinem, sed unum vel duos; et ad hoc legis testimonium inducit, dicens ut in ore duorum testium vel trium stet omne verbum; quasi dicat: habes iam testimonium quia totum fecisti quod tuum erat.

Hieronymus. Vel intelligendum est hoc modo: si te audire noluerit, adhibeatur unus frater tantum: quod si nec illum audierit, adhibeatur et tertius: vel corrigendi studio, ut scilicet vel admonitione aut pudore corrigatur; vel conveniendi sub testibus.

Glossa. Vel si dixerit, non esse peccatum, ut probent illud esse peccatum.

Hieronymus. Porro si nec illos audire voluerit, tunc multis dicendum est, ut detestationi eum habeant; ut qui non potuit pudore salvari, salvetur opprobriis: unde sequitur quod si non audierit eos, dic ecclesiae.

Chrysostomus in Matth. idest his qui ecclesiae praesident.

Glossa. Vel dic toti ecclesiae, ut maiorem erubescerentiam patiat. Post haec omnia sequitur excommunicatio, quae fieri debet per os ecclesiae, idest per sacerdotem; quo excommunicante, tota ecclesia cum eo operatur: unde sequitur si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.

Augustinus de verb. Dom. Idest, noli illum iam deputare in numero fratrum tuorum; nec sic tamen salus eius negligenda est: nam et ipsos ethnicos, idest gentiles et paganos, in numero quidem fratrum non deputamus, sed tamen eorum salutem semper inquirimus.

Chrysostomus in Matth. nihil tamen tale praecipit dominus observandum in his qui extra ecclesiam sunt, quale praecipit hic de fratribus corripiendis. Sed de exterioribus dicit: si quis percusserit te in una maxilla, praebe ei et aliam; quod et paulus dicit: quid mihi est de his qui foris sunt, iudicare? fratres autem et arguere et avertere iubet.

Hieronymus. quod autem dicit sicut ethnicus et publicanus, ostenditur maioris esse detestationis qui sub nomine fidelis agit opera infidelium, quam hi qui aperte gentiles sunt. Publicani enim vocantur qui saeculi sectantur lucra, et exigunt vectigalia per negotiationes et fraudes, ac furta scelerata atque periuria.

Origenes in Matth. Videamus autem ne forte sententia haec, non de quocumque peccato posita sit: quid enim si aliquis peccaverit aliquod peccatorum quae sunt ad mortem: puta masculorum concubitor factus, adulter, homicida, aut mollis: numquid talem rationis est arguere solum ad solum? et, si audierit, statim eum dicere lucrifacium: et non prius expulerit eum de ecclesia, nisi postquam coram testibus argutus, et ab ecclesia, perstiterit in actu priori? alius autem respiciens ad immensam misericordiam christi, dicit quoniam cum verba christi nullam faciant differentiam peccatorum, contra christi misericordiam faciunt qui haec ad minima tantum peccata pertinere distinguunt. Alius contra, caute ipsa verba considerans, non de omni peccato haec dicta defendet: quoniam qui grandia illa peccata facit, non est frater, sed nominatur frater;

cum quo, secundum apostolum, non oportet nec cibum sumere. sicut autem negligentibus peccandi occasionem dant qui ad omne peccatum hoc pertinere exponunt, sic e contra qui docet in minimis et non mortiferis peccatis peccantem post argutionem testium vel ecclesiae, fieri oportere sicut ethnicum et publicanum, aliquid crudelitatis videtur inducere. utrum enim omnino pereat, pronuntiare non possumus. Primum, quia qui ter argutus non obedivit, potest in quarto obedire; deinde, quia aliquando non secundum opera hominis redditur ei, sed amplius quam peccavit, quod expedit in hoc mundo; demum quia non dixit solum sit sicut ethnicus et publicanus; sed sit tibi. Qui ergo in peccato levi correctus ter, non se emendat, nos quidem debemus eum habere sicut ethnicum et publicanum, abstinentes ab eo, ut confundatur. an autem etiam a Deo quasi publicanus et ethnicus iudicetur, non est nostrum pronuntiare, sed est in iudicio Dei.

MATTHAEUS 18,18-20

4818 (Mt 18,18-20)

Hieronymus. Quia dixerat: si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus; et poterit contempti fratris haec esse responsio, vel tacita cogitatio: si me despicias, et ego te despicio; si me condemnas, et tu mea sententia condemnaberis; potestatem tribuit apostolis ut sciant qui talibus condemnantur, humanam sententiam divina sententia corroborari: unde dicitur amen dico vobis: quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo.

Origenes in Matth. Non dixit: in caelis, sicut petro, sed in caelo, uno: quia non sunt tantae perfectionis sicut petrus.

Hilarius in Matth. Per hoc tamen ad terrorem maximi metus, quo ad praesens omnes continentur, immobile severitatis apostolicae iudicium demonstravit, ut quos in terris alligaverint, idest peccatorum nodis innexos reliquerint, et quos solverint, concessionem scilicet veniae acceperint in salutem, hi in caelis ligati sint vel soluti.

Chrysostomus in Matth. et notandum, quod non dixit primati ecclesiae: liga talem; sed: si ligaveritis, indissolubilia erunt ligamina; quasi hoc eius iudicio dimittens. Vide autem qualiter incorrigibilem duplicibus colligavit necessitatibus: scilicet et poena quae est hic, scilicet proiectione ab ecclesia, quam supra posuit, dicens: sit tibi sicut ethnicus; et supplicio futuro, quod est ligatum esse in caelo: ut multitudine iudiciorum dissolvat fratris iram.

Augustinus de verb. Dom. vel aliter. Coepisti habere fratrem tuum tamquam publicanum, ligans eum in terra: sed ut iuste alliges, vide: nam iniusta vincula dirumpit iustitia. Cum autem correxeris, et concordaveris cum fratre tuo, solvisti illum in terra: cum solveris in terra, solutus erit in caelo. Multum praestas non tibi sed illi, quia multum nocuit non tibi sed sibi.

Glossa. Non solum autem de excommunicatione, sed etiam de omni petitione quae fit a consentientibus in unitate ecclesiae, dat confirmationem, cum subdit iterum dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram, vel poenitentem recipiendo, vel superbum abiciendo, de omni re quam petierint, quae non est contraria ecclesiae unitati, fiet illis a patre meo qui in caelis est. Per hoc autem quod dicit qui in caelis est, eum super omnia esse ostendit, et per hoc complere eum posse quod petitur. Vel in caelis est, idest in sanctis; quod valet ad probandum, quod fiet illis quicquid petierint quod dignum sit, quia illum apud se habent a quo petunt. Unde rata est sententia consentientium, quia Deus cum eis habitat; et ideo sequitur ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Chrysostomus in Matth. Vel quia dixerat fiet illis a patre meo, ut ostendat se etiam esse datorem simul cum patre, subdit ubi sunt enim duo vel tres.

Origenes in Matth. Non autem dixit in medio eorum ero, sed sum: mox enim ut aliqui consenserint, Christus invenitur in eis.

Hilarius. Ipse enim qui pax atque caritas est, sedem atque habitationem in bonis atque pacificis voluntatibus collocabit.

Hieronymus. Vel aliter. Omnis superior sermo ad concordiam nos provocaverat; igitur et praemium pollicetur, ut sollicitius festinemus ad pacem, cum se dicat inter duos vel tres medium fore.

Chrysostomus in Matth. non autem dixit simpliciter ubi congregati fuerint; sed addit in nomine meo; quasi dicat: si quis me principalem causam amicitiae ad proximum habuerit, cum eo ero, si et in aliis virtuosus erit. Quomodo ergo non ibi consentientes consequuntur id quod petunt? primo quidem, quia non expedientia petunt. Secundo, quia indigni sunt qui petunt, et ea quae sunt a seipsis non inferunt: unde dicit si duo ex vobis, qui evangelicam ostenditis conversationem. Tertio, quia adversus eos qui contristaverunt orant vindictam quaerentes. quarto, quia petunt misericordiam peccantibus qui non poenituerunt.

Origenes. et ista est etiam causa propter quam non exaudimur orantes, quia non consentimus nobis per omnia super terram, neque dogmate neque conversatione. sicut enim in musicis, nisi fuerit convenientia vocum, non delectat audientem, sic in ecclesia, nisi consensum habuerit, non delectatur Deus in ea, nec audit voces eorum.

Hieronymus. Possumus autem et hoc spiritualiter intelligere, quod ubi spiritus et anima corpusque consenserint, et non intra se bellum diversarum habuerint voluntatum, de omni re quam petierint, impetrent a patre: nulli enim dubium est quin bonarum rerum postulatio sit, ubi corpus vult habere ea quae spiritus.

Origenes. vel in quo duo testamenta consentiunt sibi, eius invenitur oratio de omni re acceptabilis Deo.

MATTHAEUS 18,21-22

4821 (Mt 18,21-22)

Hieronymus. Supra dixerat dominus: videte ne contemnatis unum de pusillis istis: et adiecerat: si peccaverit in te frater tuus, etc.; et praemium repromiserat, dicens: si duo ex vobis, etc., unde provocatus apostolus petrus interrogat; et hoc est quod dicitur tunc accedens ad eum petrus, dixit: domine, quoties peccaverit in me frater meus, et dimittam ei? et cum interrogatione profert sententiam, dicens usque septies? .

Chrysostomus in Matth. Putavit quidem petrus aliquid se magnum dicere. sed quid amator hominum Christus responderit, subditur dicit illi iesus: non tibi dico usque septies; sed usque septuagies septies.

Augustinus de verb. Dom. audeo dicere: et si septuagies octies peccaverit, ignoscas; et si centies; et omnino quoties peccaverit, ignosce. Si enim Christus millia peccatorum invenit, et tamen omnia donavit, noli subducere misericordiam. Ait enim apostolus: donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam, sicut et Deus in Christo donavit nobis.

Chrysostomus in Matth. Cum ergo dicit usque septuagies septies, non numerum determinatum ponit, ut numero concludat remissionem; sed quod continue et semper est significavit.

Augustinus de verb. dom. Non tamen sine causa dominus septuagies septies dixit: nam lex decem praeceptis commendatur: lex enim per decem, peccatum per undecim significatur, quia transgressio denarii est. septem autem solet pro toto computari, quia septem diebus volvitur tempus. Duc autem septies undecim, fiunt septuagies septies. Omnia ergo peccata dimitti voluit, quia ea septuagesimo septimo numero praesignavit.

Origenes in Matth. vel quia numerus sex videtur esse operis et laboris, septimus autem repausationis, dicit remissionem fieri oportere fratribus in hoc mundo degentibus, et secundum res huius mundi peccantibus. Si autem aliquis ultra ea peccata peccaverit, iam non habebit remissionem.

Hieronymus. Vel intelligendum est septuagies septies, idest quadringentis nonaginta vicibus: ut toties peccanti fratri dimitteret quoties ille peccare posset.

Rabanus. Aliter tamen datur venia petenti fratri: ut nobis scilicet socia caritate communicet, sicut ioseph fratribus; aliter inimico persequenti, ut bonum ei velimus, et si licet, faciamus, ut David lugens saul.

MATTHAEUS 18,23-35

4823 (Mt 18,23-35)

Chrysostomus in Matth. Ne aliquis existimaret magnum quid et grave dominum iniunxisse, cum dicit dimittendum usque septuagies septies, adiecit parabolam.

Hieronimus. Familiare enim est syris, et maxime palaestinis, ad omnem sermonem suum parabolam iungere: ut quod per simplex praeceptum ab auditoribus teneri non potest, per similitudinem exemploque teneatur: unde dicitur ideo assimilatum est regnum caelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.

Origenes in Matth. filius Dei, sicut est sapientia, iustitia et veritas, ita ipse est regnum; non autem alicuius eorum quae sunt deorsum, sed omnium quae sunt sursum: in quorum sensibus iustitia et ceterae virtutes regnant; qui facti sunt caeli per hoc quod portant caelestis imaginem. Hoc ergo regnum caelorum, id est filius Dei quando factus est in similitudinem carnis peccati, tunc similis factus est homini regi, qui unius hominem sibi.

Remigius. Vel regnum caelorum congrue sancta ecclesia intelligitur, in qua dominus operatur hoc quod in ista parabola loquitur. Nomine autem hominis aliquando designatur pater, sicut ibi: simile est regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo; aliquando vero designatur filius: hic autem utrumque intelligi potest, et pater et filius qui sunt unus Deus. Deus autem rex dicitur, cuncta quae creavit regendo et gubernando.

Origenes. servi autem hi soli sunt, quantum ad istas parabolas, qui dispensatores verbi habentur, et quibus hoc est commissum, ut negotientur.

Remigius. vel per servos huius hominis regis designantur omnes homines, quos ad laudandum se creavit, quibusque legem naturae dedit; cum quibus rationem ponit, quando vitam et mores et actus singulorum discutit, ut unicuique secundum quod gessit tribuat; unde sequitur et cum coepisset rationem ponere, oblatum est ei unus qui debebat decem millia talenta.

Origenes. omnis autem vitae nostrae ratio ponenda est a rege, quando omnes nos praesentari oportuerit ante tribunal christi. Nec hoc dicimus ut suspicio sit ne forte res ipsa necessarium habeat longum tempus. Volens enim Deus ventilare omnium mentes, cito omnia ab omnibus omni tempore gesta, singulis quibuscumque faciet in mentem venire, ineffabili quadam virtute. dicit autem et cum coepisset rationem ponere, quia initium iudicii est ut incipiat a domo Dei. In principio ergo ponendae rationis oblatum est debitor talentorum multorum, qui scilicet multa fecerat damna, et magna ei erant iniuncta, et nullum attulit lucrum: qui forsitan tot talenta perdidit quantos perdidit homines; et ideo talentorum multorum est factus debitor, quoniam secutus est mulierem super talentum plumbi sedentem, cuius nomen iniquitas.

Hieronimus. Scio quosdam istum qui debebat decem milia talenta, diabolum interpretari, cuius uxorem et filios venundandos, perseverante illo in malitia, insipientiam et malas cogitationes intelligi volunt. Sicut enim uxor iusti dicitur sapientia, sic uxor iniusti et peccatoris appellatur stultitia. Sed quomodo ei dimittat dominus decem milia talenta, et ille nobis conservis suis decem denarios non dimiserit, nec ecclesiasticae interpretationis est, nec a prudentibus viris recipienda.

Augustinus de verb. Dom. Ideo dicendum est quod, quia lex in decem praeceptis commendatur, ille debebat decem millia talentorum: per quod omnia peccata significat, quae secundum legem fiunt.

Remigius. homo autem sua voluntate et sponte peccans, suo conatu nullo modo surgere valet: et non habet unde reddat, quia nihil in se invenit per quod se a peccatis solvat: unde sequitur cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus venundari, et uxorem eius et filios et omnia quae habebat, et reddi. Uxor quidem stulti est stultitia, et carnis voluptas seu cupiditas.

Augustinus de quaest. Evang. Per hoc ergo significatur, transgressorem decalogi pro cupiditate et pravis operibus tamquam uxore et filiis, poenas solvere debuisse; quod est pretium eius: pretium enim venditi est supplicium damnati.

Chrysostomus in Matth. hoc autem non ex crudelitate iussit, sed ex ineffabili affectione. Vult enim eum terrere per has minas, ut supplicet, et non vendatur; quod et factum ostenditur, cum subditur procidens autem servus ille rogabat eum, dicens: patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

Remigius. his autem verbis humiliatio et satisfactio peccatoris demonstratur dum dicitur procidens. in hoc vero quod dicit patientiam habe in me, vox exprimitur peccatoris poscentis tempus vivendi, et spatium corrigendi. Est autem larga Dei benignitas et clementia erga peccatores conservos: quoniam ipse semper

paratus est per baptismum aut poenitentiam peccata dimittere: unde sequitur misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum dimisit ei.

Chrysostomus in Matth. vide autem divini amoris superabundantiam: petit servus solius temporis dilationem; ipse autem maius eo quod petiit dedit: dimissionem et concessionem totius mutui. Volebat autem et a principio dare; sed nolebat solum suum esse donum, sed et supplicationis illius, ut non incoronatus abscedat. Ideo autem antequam rationem poneret, debitum non dimisit, quia docere voluit a quantis debitis eum liberat, ut saltem ita ad conservos mansuetior fieret. Et quidem usque ad haec quae praemissa sunt acceptabilis fuit: etenim confessus est, et promisit se reddere debitum, et procidens rogavit, et debiti magnitudinem cognovit. Sed quae postea fecit indigna fuere prioribus: sequitur enim egressus autem servus ille invenit unum de conservis suis qui debebat ei centum denarios.

Augustinus de verb. Dom. quod autem dicitur quod debebat ei centum denarios, ab eodem numero, scilicet decem, sumitur, qui est numerus legis: nam et centum centies fiunt decem millia, et decies deni sunt centum; et illa decem millia talentorum et illi decies deni a legitimo numero non recedunt: in quo utroque invenies peccata. uterque est ergo debitor, uterque veniae deprecator: omnis enim homo et debitor est Dei, et debitorem habet fratrem suum.

Chrysostomus in Matth. Tanta autem differentia est peccatorum quae committuntur in hominem et quae committuntur in Deum, quanta est differentia decem millium talentorum et centum denariorum; magis autem et multo plus; quod patet ex differentia personarum, et a paucitate peccantium. Homine enim vidente, et desistimus, et pigritamur peccare; Deo autem vidente secundum unumquemque diem non absistimus; sed agimus formidabiliter omnia et loquimur. Non hinc autem solum graviora apparent peccata in Deum, sed etiam e beneficio quo sumus potiti ab ipso: fecit enim nos esse, et omnia propter nos operatus est: animam rationalem nobis inspiravit, filium suum misit, caelum nobis aperuit, et nos filios suos fecit. Numquid ergo si unaquaque die moreremur pro illo retribuere ei aliquod dignum? nequaquam; sed hoc rursus ad utilitatem nostram pertineret. Nos autem e contrario in legibus eius offendimus.

Remigius. Sic ergo per debitorem decem millium talentorum designantur illi qui maiora crimina committunt; per debitorem autem centum denariorum, qui minora committit.

Hieronymus. Quod ut manifestius fiat, dicamus sub exemplo: si quis vestrum commiserit adulterium, homicidium, sacrilegium, maiora crimina decem millium talentorum roganti dimittuntur, si et ipse dimittat minora peccantibus.

Augustinus de verb. Dom. sed ille servus ingratus, iniquus, noluit praestare quod illi indigno praestitum fuit: sequitur enim et tenens suffocabat eum, dicens: redde quod debes.

Remigius. Idest acriter insistebat, ut vindictam ab eo exigeret.

Origenes in Matth. ideo, ut arbitror, suffocabat, quoniam a rege exierat: non enim suffocaret conservum suum, si non exisset a rege.

Chrysostomus in Matth. Per hoc etiam quod dicitur egressus, ostenditur quod non post multum tempus, sed confestim; adhuc quasi in auribus habens beneficium, in malitiam abusus est liberatione a proprio domino sibi data. Quid igitur ille fecerit, subditur et procidens conservus eius rogabat eum, dicens: patientiam habe in me, et omnia reddam tibi.

Origenes. Considera subtilitatem scripturae: quoniam servus multorum debitor talentorum procidens adoravit regem; qui autem centum debebat denarios, procidens non adorabat, sed rogabat conservum, dicens patientiam habe.

Chrysostomus in Matth. Sed neque haec verba ingratus servus reveritus est, quibus salvatus est: sequitur enim ille autem noluit.

Augustinus de quaest. Evang. Idest, tenuit contra eum hunc animum, ut supplicium illi vellet. sed abiit.

Remigius. Idest, magis ira exarsit, ut ab eo vindictam exigeret. Et misit eum in carcerem donec redderet debitum; idest, apprehenso fratre, vindictam ab eo exegit.

Chrysostomus in Matth. Vide domini caritatem, et servi crudelitatem: hic pro decem millibus talentis, hic autem pro centum denariis; hic conservum, hic autem dominum rogabat; et hic quidem totalem absolutionem accepit, ille autem solam dilationem petebat: nec tamen hoc dedit. Condoluerunt qui non

debebant: unde sequitur videntes autem conservi eius quae fiebant, contristati sunt valde.

Augustinus de quaest. Evang. Per conservos intelligitur ecclesia, quae illum solvit, et illum ligat.

Remigius. Vel conservi forte angeli sunt intelligendi, aut praedicatores sanctae ecclesiae; sive quicumque fideles, qui videntes aliquem fratrem remissionem peccatorum adeptum, non velle misereri conservi sui, contristantur de eius perditione. sequitur et venerunt et narraverunt domino quae facta fuerant. Veniunt quidem non corpore, sed corde. Domino autem narrare, est dolores et contristationes cordis in suo affectu demonstrare. sequitur tunc vocavit eum dominus suus. Vocavit quidem per sententiam mortis, et ab hoc saeculo migrare iussit; et dixit ei: serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me.

Chrysostomus in Matth. Et quando quidem decem millia talenta debebat, non vocavit eum nequam, neque est conviciatus, sed misertus; quando autem contra conservum ingratus est effectus, tunc dicitur serve nequam; et hoc est quod dicitur nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui? **Remigius.** et sciendum, quia servus ille nullum responsum legitur domino dedisse: in quo demonstratur quod in die iudicii, et statim post hanc vitam, omne argumentum excusationis cessabit.

Chrysostomus in Matth. Quia vero beneficio non est factus melior, relinquatur ut poena corrigatur: unde sequitur et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Non autem simpliciter dixit tradidit eum, sed iratus: quod non posuit quando iussit eum vendi: non enim hoc erat irae, sed magis amoris ad correptionem; nunc autem haec sententia est supplicii et poenae.

Remigius. Tunc enim dicitur Deus irasci quando adversus peccatores vindicat. Tortores autem dicuntur daemones quia semper ad hoc parati sunt ut perditas animas suscipiant, et in poena aeternae damnationis eas torqueant. Numquid autem postquam aliquis demersus fuerit in aeternam damnationem, poterit invenire spatium corrigendi aut aditum exeundi? non; sed quousque ponitur pro infinito; et est sensus: semper solvet, sed nunquam persolvat, et semper poenam luet.

Chrysostomus in Matth. Per hoc ergo ostenditur quod continue, idest aeternaliter, punietur, neque reddet aliquando. quamvis autem irrevocabilia sint charismata et Dei vocationes, tamen tantum valuit malitia ut et hanc legem solvere videatur.

Augustinus de verb. Dom. dicit enim Deus: dimittite, et dimittetur vobis; sed ego prior dimisi; dimitte vel postea: nam si non dimiseris, revocabo te, et quicquid tibi dimiseram, replicabo tibi: non enim fallit aut fallitur Christus, qui subiecit, dicens sic et pater meus caelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris. Melius est enim ut clames ore, et dimittas in corde, quam sis blandus ore et crudelis in corde. Ideo enim dominus subdit de cordibus vestris, ut si per caritatem imponitis disciplinam, de corde lenitas non recedat. Quid enim tam pium, quam medicus ferens ferramentum? saevit in vulnus, ut homo curetur: quia si vulnus palpatur, homo perditur.

Hieronymus. Ideo et dominus addidit de cordibus vestris, ut omnem simulationem fictae pacis averteret. Praecipit ergo dominus petro, sub comparatione regis, domini et servi qui debitor decem millium talentorum a domino rogans veniam impetraverat, ut ipse quoque dimittat et conservis suis minora peccantibus.

Origenes in Matth. Vult etiam docere faciles nos esse ad indulgendum eis qui nocuerunt nobis; maxime si satisfaciant, et deprecentur sibi veniam dari.

Rabanus. allegorice autem servus hic qui decem millia talentorum debuit, iudaicus est populus decalogo legis astrictus: cui dominus saepius dimisit debita, quando in angustiis constituti illius misericordiam deprecabantur; sed liberati omnes debitores atrociter repetebant, et a gentili populo, quasi sibi obnoxio, circumcisionem et caeremonias legis expetebant; sed et prophetas et apostolos crudeliter trucidabant. unde tradidit eos dominus in manus romanorum, vel malignorum spirituum, quia aeternis cruciatibus eos punirent.

MATTHAEUS 19,1-8

4901 (Mt 19,1-8)

Chrysostomus in Matth. dominus prius iudaeam relinquens propter illorum aemulationem, nunc ibidem iam immoratur: quia passio in proximo futura erat. Non tamen ad iudaeam interim ascendit, sed in terminos iudaeae: unde dicitur et factum est, cum consummasset iesus sermones istos, migravit a galilaea.

Rabanus. Hic ergo incipit narrare quae in iudaea fecit, docuit, sive passus est: et primo quidem trans iordanem ad orientem; deinde etiam trans iordanem, quando venit iericho et bethphage et ierusalem: unde sequitur et venit in fines iudaeae trans iordanem.

Chrysostomus super Matth. quasi iustus dominus omnium, qui sic diligit alios servos, ut alios non contemnat.

Remigius. Sciendum est autem, quod omnis illa israelitarum provincia, generaliter iudaea dicebatur, ad comparationem aliarum gentium. Verumtamen meridiana eius plaga in qua habitabat tribus iuda, et tribus beniamin, specialiter dicebatur iudaea, ad distinctionem aliarum regionum, quae in ipsa provincia continebantur, idest samaria, galilaea, decapolis, et reliquae aliae. sequitur et secutae sunt eum turbae multae.

Chrysostomus super Matth. perducebant eum quasi parvuli filii patrem peregre longe proficiscentem. ipse autem tamquam pater proficiens, pignora caritatis filiis reliquit remedia sanitarum: unde dicitur et curavit eos.

Chrysostomus in Matth. considerandum etiam, quod neque doctrinae verborum continue dominus insistit, nec signorum operationi; sed nunc quidem hoc, nunc quidem illud facit: ut a signis credibilis appareret in his quae dicebat; ex sermonum autem doctrina utilitas quae erat in signis ostenderetur.

Origenes in Matth. Sanabat autem dominus turbas trans iordanem, ubi baptismus dabatur. Vere enim omnes a spiritualibus infirmitatibus salvantur etiam in baptismo; et quidem multi sequuntur Christum sicut turbae, tamen non surgentes, ut Matthaeus, qui surgens secutus est dominum.

Rabanus. Curat etiam galilaeos in iudaeae finibus ut peccata gentium in eam veniam quae iudaeae parabatur, admitteret.

Chrysostomus in Matth. Curabat siquidem Christus homines, et illis benefaciens, et per eos multis aliis. Horum enim sanatio aliis erat occasio divinae cognitionis, sed non pharisaeis qui ex signis duriores fiebant: unde sequitur et accesserunt ad eum pharisaei tentantes eum, et dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam quacumque ex causa? .

Hieronymus in Matth. Ut quasi cornuto eum teneant syllogismo, et quodcumque respondeat, pateat captioni. Si dixerit dimittendam uxorem qualibet ex causa, et ducendam aliam: pudicitiae praedicator sibi videtur dicere contraria. Sin autem responderit non omnem ob causam debere dimitti, quasi sacrilegii reus tenebitur, et adversus doctrinam moysi et Dei facere.

Chrysostomus in Matth. Intuere autem ex modo etiam interrogationis malitiam. Dominus enim supra de lege hac disputaverat; ipsi autem quasi iam nullo dicto interrogant, scilicet opinantes quod oblitus esset eorum quae dixerat.

Chrysostomus super Matth. sicut autem si videas hominem assidue amicitias medicorum colentem, intelligis quia infirmus est, sic et cum videas virum sive mulierem de dimittendis uxoribus aut viris interrogantes, cognosce quia vir ille lascivus est, mulier illa meretrix est: nam in matrimonio castitas delectatur, libido autem quasi vinculo coniugii alligata torquetur. Sciebant autem quoniam nullam causam idoneam habebant circa dimittendas uxores, praeter solam turpitudinem, et alias atque alias sibi iungebant. Timuerunt autem interrogare ex quibus causis, ne seipsos infra angustias certarum causarum astringerent; sed interrogaverunt si ex omnibus causis licet: scientes, quia modum nescit nec infra terminos unius coniugii capit libido; sed quanto magis exercetur, magis accenditur.

Origenes in Matth. Tentato autem domino, nullus discipulorum eius, qui positus est ad docendum, graviter ferat si tentatus fuerit a quibusdam: tamen et tentatoribus respondet dogmata pietatis.

Hieronymus. Sic autem responsionem temperat ut decipulam eorum transeat, scripturam sanctam adducens in testimonium, et naturalem legem, primamque Dei sententiam secundae opponens: unde sequitur qui respondens ait eis: non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos? hoc in exordio genesis scriptum est. dicendo autem masculum et feminam, ostendit secunda vitanda coniugia: non enim ait: masculum et feminas, quod ex priorum repudio quaerebatur; sed masculum et feminam, ut unius coniugii consortia neceantur.

Rabanus. Salubri autem consilio Dei factum est ut sui corporis portionem vir amplectetur in femina, nec a se putaret esse diversum quod de se cognosceret fabricatum.

Chrysostomus super Matth. Si ergo ad hoc marem et feminam ex uno creavit ut sint unum, quare ergo et de cetero vir et mulier non ex uno utero nascuntur, sicut volatilia quaedam? quia Deus masculinum quidem creavit et feminam propter necessitatem filiorum generandorum; tamen semper fuit castitatis amator et continentiae auctor. Ideo illum typum non servavit in omnibus; ut si quidem vult homo nubere, secundum primam dispositionem creationis humanae, intelligat quid est vir et uxor; si autem noluerit nubere, non habebit necessitatem nubendi propter coniunctionem nativitatis, ne forte videatur per suam continentiam alterum perdere, qui nolebat esse continens; sicut dominus post coniunctum matrimonium iubet ne alter altero nolente se separet.

Chrysostomus in Matth. non solum autem ex modo creationis, sed etiam ex modo legislationis monstravit quoniam unum oportet uni coniungi, et numquam rescindi: unde sequitur et dixit: propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae.

Hieronymus. similiter ait uxori, non: uxoribus; et expresse subditur erunt duo in carne una. Praemium enim est nuptiarum ex duobus unam carnem, scilicet prolis fieri.

Glossa. Vel in carne una, idest in carnali copula.

Chrysostomus super Matth. si ergo quia ex viro est uxor, et ex una carne sunt ambo, relinquet homo patrem suum et matrem; maior nunc caritas debet esse inter fratres et sorores: quia hi quidem ex eisdem parentibus exeunt, illi autem ex diversis. sed hoc magnum est nimis, quia fortior est Dei constitutio quam virtus naturae. non enim praecepta Dei naturae subiecta sunt; sed natura Dei praeceptis obtemperat. deinde fratres ex uno nascuntur, ut diversas vias petant, vir autem et uxor ex diversis nascuntur, ut in unum conveniant. ordo etiam naturae Dei ordinationem sequitur. quod enim est in arboribus humor, hoc est in hominibus amor. Humor autem de radicibus ascendit in herbam et sursum transmittitur in semen. Ideo parentes quidem diligunt, sed non sic diliguntur a filiis: homo enim non ad parentes, sed ad procreandos filios transmittit affectum: et hoc est quod dicitur propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae.

Chrysostomus in Matth. vide etiam sapientiam doctoris. interrogatus enim si licet, non confestim dixit: non licet, ut non turbarentur; sed per probationem hoc constituit. Deus enim a principio masculinum et feminam fecit, et non simpliciter eos coniunxit, sed matrem iussit dimittere et patrem; et non simpliciter virum mulieri dixit advenire, sed coniungi; ex ipso modo locutionis indivisibilitatem ostendens. Sed et maiorem copulam adiunxit, cum dixit et erunt duo in carne una.

Augustinus super gen. ad litt. Haec tamen verba cum primi hominis fuisse scriptura testetur, dominus tamen hic Deum hoc dixisse declarat, ut hinc intelligeremus propter extasim quae praecesserat in adam, hoc divinitus tamquam prophetam dicere potuisse.

Remigius. Mysterium enim hoc esse apostolus dicit in Christo et ecclesia; dominus enim iesus Christus quasi patrem deseruit cum de caelis ad terram descendit, et matrem deseruit, idest synagogam, propter infidelitatem; et adhaesit uxori suae, sanctae scilicet ecclesiae; et sunt duo in carne una, idest Christus et ecclesia in uno corpore.

Chrysostomus in Matth. Postquam vero veteris legis et verba et facta induxit, cum potestate iam et ipse interpretatur et legem inducit dicens itaque iam non sunt duo, sed una caro. Sicut enim qui spiritualiter se diligunt, una anima esse dicuntur, dicente scriptura: omnium credentium erat cor unum et anima una, sic vir et uxor qui carnaliter se diligunt, una caro esse dicuntur. quemadmodum igitur carnem incidere est sordidum, ita et mulierem dividere est iniquum.

Augustinus de Civ. Dei. Unum etiam dicuntur, vel propter coniunctionem, vel propter originem feminae, quae de masculini lateris creata est.

Chrysostomus in Matth. ulterius autem et Deus induxit, dicens quod ergo Deus coniunxit, homo non separet, demonstrans, quod et praeter naturam et praeter legem est uxorem dimittere: praeter naturam quidem, quia una caro dividitur; praeter legem autem, quoniam Deo copulante et iubente non dividi, uxor dimittitur.

Hieronymus. Deus enim coniunxit, unam faciendo carnem viri et feminae: hanc ergo homo non potest separare sed solus Deus. Homo separat, quando propter desiderium secundae uxoris prima dimittitur: Deus separat, qui et coniunxerat, quando ex consensu propter servitutem Dei sic habemus uxores quasi non habentes.

Augustinus contra faustum. ecce iudaei ex libris moysi convincuntur non esse uxorem dimittendam, qui secundum voluntatem legis moysi arbitrabantur se facere cum dimitterent. Simul et illud hic, ipso Christo attestante, cognoscimus, Deum fecisse et coniunxisse masculum et feminam, quod manichaei negando damnantur, christi evangelio resistentes.

Chrysostomus super Matthaem. gravis est autem fornicariis interpretatio castitatis; sed contra rationem respondere non possunt; veritati tamen credere non acquiescunt. Conferunt ergo se ad patrocinium moysi; sicut homines malam causam habentes confugiunt ad potentes viros, ut si per iustitiam non possunt, vincant per personam; unde sequitur dicunt illi: quid ergo moyses mandavit dari libellum repudii, et dimittere? .

Hieronymus. Aperiant calumniam quam paraverant: licet dominus non propriam sententiam protulerit, sed veteris historiae et mandatorum Dei fuerit recordatus.

Chrysostomus in Matth. Si autem dominus alienus esset a veteri testamento, non decertasset pro moyse, neque quae sua sunt monstrasset veteribus convenire. Sed ineffabilis christi sapientia et pro his excusando respondit: unde sequitur et ait illis: quoniam moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras. In quo liberat moysen ab accusatione, et totum in illorum caput convertit.

Augustinus contra faustum. quanta enim erat duritia, quae nec per libelli interpositionem, ubi dissuadendi locus iustis et prudentibus tribuebatur, solvi et flecti posset ad recipiendam vel revocandam coniugii caritatem? porro qua calliditate reprehendunt manichaei moysen, tamquam coniugia dirimentem per libellum repudii, et laudant Christum tamquam eius vinculum confirmantem? cum secundum suam sacrilegam scientiam, moysen laudare debuerint separantem quod coniunxerat diabolus, et Christum vituperare diaboli ligamenta solidantem.

Chrysostomus in Matth. denique quia grave erat quod dictum erat, statim reducit sermonem ad antiquam legem, dicens ab initio autem non fuit sic.

Hieronymus. Quod dicit, huiusmodi est. Numquid potest Deus sibi esse contrarius, ut aliud ante iusserit, et sententiam suam novo frangat imperio? non ita sentiendum est; sed moyses cum videret propter desiderium coniugum secundarum, quae illis ditiores vel iuniores vel pulchriores essent, primas uxores interfici, aut malam vitam ducere, maluit indulgere dissidium, quam odia et homicidia perseverare. simulque considera, quod non dixit propter duritiam cordis vestri permisit vobis Deus, sed moyses; ut, iuxta apostolum, consilium esset hominis, non imperium Dei.

Chrysostomus super Matth. propterea bene dixit, quod moyses hoc permisit, non praecepit. Quod enim praecipimus, semper volumus; quod autem permittimus, nolentes indulgemus; quia malam voluntatem hominum ad plenum prohibere non possumus. Permisit ergo vobis facere mala, ne faceretis peiora; ergo hoc vobis permittendo, non vobis Dei iustitiam demonstravit, sed a peccato abstulit culpam peccandi: ut quasi secundum legem agentibus vobis, peccatum vestrum non videatur esse peccatum.

MATTHAEUS 19,9

4909 (*Mt 19,9*)

Chrysostomus in Matth. quia os illorum oppilaverat, iam cum auctoritate legis inducit, dicens dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.

Origenes in Matth. forte autem dicet aliquis, quoniam iesus dicens quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, permisit uxorem dimittere, quemadmodum moyses: quem retulit propter duritiam cordis iudaeorum hoc praecepisse. Sed ad hoc respondendum, quoniam, si secundum legem adultera lapidatur, non secundum hoc intelligitur res turpis, propter quam moyses permittit libellum repudii; nec enim in causa adulterii oportebat libellum dare repudii. Sed forsitan moyses omnem culpam mulieris turpem rem appellavit; quae si inventa fuerit in uxore, scribitur ei libellus repudii. Quaerendum est autem: si propter solam causam fornicationis dimittere iubet uxorem, quid est, si mulier non fuerit fornicata, sed aliud quid gravius fecerit: puta venefica inveniatur, aut interfecit filiorum? sed dominus exponens rem, alibi dixit: qui dimiserit, excepta causa fornicationis, facit eam moechari, dans ei occasionem secundarum nuptiarum.

Hieronymus. Sola ergo fornicatio est quae uxoris vincit affectum; immo cum illa unam carnem in aliam

diviserit, et se fornicatione separaverit a marito, non debet teneri, ne virum quoque sub maledictione faciat, dicente scriptura: qui adulteram tenet, stultus et impius est.

Chrysostomus super Matth. sicut enim crudelis est et iniquus qui castam dimittit, sic fatuus et iniquus qui retinet meretricem; nam patronus turpitudinis est qui crimen celat uxoris.

Augustinus de adulterinis coniugiis. non tamen erit turpis nec difficilis, etiam post patrata et purgata adulteria, reconciliatio coniugii, ubi per claves regni caelorum non dubitatur fieri remissio peccatorum: non ut post viri divortium adultera revocetur, sed ut post christi consortium adultera non vocetur.

Chrysostomus super Matth. omnis autem res per quas causas nascitur, per ipsas solvitur. Matrimonium autem non facit coitus, sed voluntas: et ideo non solvit illud separatio corporis, sed separatio voluntatis. Ideo qui dimittit coniugem suam, et aliam non accipit, adhuc maritus est: nam etsi corpore iam separatus est, tamen adhuc voluntate coniunctus est. Cum ergo aliam acceperit, tunc plane dimittit: et ideo dominus non dicit: qui dimittit, moechatur; sed qui alteram ducit.

Rabanus. Una ergo solummodo carnalis est causa, idest fornicatio; una spiritualis, hoc est timor Dei, ut uxor dimittatur. Nulla autem causa est ut, vivente ea quae relicta est, alia ducatur.

Hieronymus. Poterat autem accidere ut aliquis calumniam faceret innocenti uxori, et ob secundam copulam nuptiarum veteri crimen impingeret. Ideo sic priorem dimittere iubetur uxorem ut secundam, prima vivente, non habeat. Nec non quia poterat evenire ut, iuxta eandem legem, uxor quoque marito daret repudium, eadem cautela praecipitur ne secundum accipiat virum: et quia meretrix, et quae semel fuerat adultera, opprobrium non timebat, secundo non nubere praecipitur viro. Quod si talem duxerit, sub adulterii crimine sit: unde sequitur et qui dimissam duxerit, moechatur.

Glossa. accipientem terret: quia adultera non timet opprobrium.

MATTHAEUS 19,10-12

4910 (Mt 19,10-12)

Hieronymus. Grave pondus uxor est, si excepta causa fornicationis, eam dimittere non licet. Quid enim si temulenta fuerit, si iracunda, si malis moribus, tenenda erit? videntes ergo apostoli grave uxorum iugum, proferunt motum animi sui: unde dicitur dicunt ei discipuli eius: si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.

Chrysostomus in Matth. levius enim est contra concupiscentiam praeliari et contra seipsum, quam ad mulierem malam.

Chrysostomus super Matth. Non autem dixit dominus, quia expedit; sed magis consensit quod non expedit; sed infirmitatem carnis consideravit; unde sequitur qui dixit eis: non omnes capiunt verbum istud, idest, non omnes hoc possunt.

Hieronymus. Nemo autem putet sub hoc verbo quod addit sed quibus datum est, vel fatum vel fortunam introduci: quod hi sunt virgines quos ad hoc casus adduxit. Sed his datum est a Deo qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt.

Chrysostomus super Matth. ideo ergo non omnes capere possunt, quia non omnes volunt. Palma proposita est: qui concupiscit gloriam, non cogitet de labore. Nemo vinceret, si omnes periculum timerent. Ex eo ergo quod quidam a proposito continentiae cadunt, non debemus circa virtutem castitatis fieri pigriores; sicut et qui in pugna cadunt non exanimant ceteros. Quod ergo dicit quibus datum est, illud ostendit, quia nisi auxilium gratiae acciperemus, nihil nobis valeret. Hoc autem auxilium gratiae volentibus non denegatur: dicit enim dominus: petite et accipietis.

Chrysostomus in Matth. deinde possibile hoc esse ostendens, ait sunt enim eunuchi; quasi dicat: excogita: si ab aliis excisus esses, quid utique faceres? voluptate quidem privatus esses, mercedem autem non haberes.

Chrysostomus super Matth. Sicut enim peccatum opus sine voluntate non facit, ita et iustitia ex opere non consummatur, nisi et voluntas affuerit. Illa est ergo gloriosa continentia, non illa quam transgredi non potest

necessitas debilitatis corporis, sed quam complectitur voluntas sancti propositi.

Hieronimus. Triplex ergo genus eunuchorum posuit; quorum duo sunt carnales, et tertii spirituales. Alii enim sunt qui de utero matris sic nascuntur; alii quos vel captivitas facit, vel deliciae matronales; tertii sunt qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum, et qui cum possint esse viri, propter Christum eunuchi fiunt. Istitis promittitur praemium; superioribus autem, quibus necessitas castimonia est, non voluntas, nihil omnino debetur.

Hilarius in Matth. in uno enim eorum posuit naturam, scilicet in eo qui nascitur; in altero necessitatem, scilicet in eo qui factus est; in tertio voluntatem, qui scilicet spe regni caelestis talis esse decrevit.

Chrysostomus super Matth. Quod autem aliqui sic nascuntur, hac ratione fit sicut et nascuntur sex digitos habentes aut quatuor. Si enim Deus sicut ab initio constituit unamquamque naturam, sic dimitteret illam immutabiliter semper in suo ordine permanere, in oblivionem deduceretur coram hominibus operatio Dei. Ideo ergo interdum natura rerum convertitur contra suam naturam, ut semper Deus naturae opifex in memoriam reducat.

Hieronimus. Possumus et aliter dicere: eunuchi sunt ex matris utero qui frigidiores naturae sunt, nec libidinem appetentes, et alii qui ab hominibus fiunt, quos aut pharisaei faciunt, aut propter idolorum cultum emolliuntur in feminas, vel persuasione haeretica simulant castitatem, ut mentiantur religionis veritatem. sed nullus eorum consequitur regnum caelorum, nisi qui se propter Christum castraverit: unde sequitur qui potest capere, capiat; ut unusquisque consideret vires suas, utrum possit virginalia et pudicitiae implere praecepta. Per se enim castitas blanda est, et quemlibet ad se alliciens; sed considerandae sunt vires, ut qui potest capere, capiat. Quae hortantis domini vox est, et milites suos ad pudicitiae praemium concitantis, quasi, qui potest pugnare, pugnet, et superet ac triumphet.

Chrysostomus in Matth. Cum autem dicit qui se castraverunt, non membrorum dicit abscissionem, sed malarum cogitationum interemptionem: maledictioni enim est obnoxius qui membrum abscindit: etenim quae homicidarum sunt talis praesumit; et manichaeis, qui detrahunt creaturis, tribuit occasionem, et eadem cum gentibus membra detruncantibus inique agit; abscindere enim membra daemoniacae tentationis est. Cum his autem quae dicta sunt neque concupiscentia mansuetior ita fit, sed molestior: aliunde enim habet fontes sperma quod in nobis est, et praecipue a proposito incontinenti, et mente negligente; et si ipsa sobria fuerit, naturalium motuum nullum est nocumentum; nec ita abscissio membri comprimit tentationes et tranquillitatem facit, ut cogitationis frenum.

MATTHAEUS 19,13-15

4913 (Mt 19,13-15)

Chrysostomus super Matth. dominus de castitate sermonem fecerat; audientes autem quidam obtulerunt ei infantes castitate mundissimos: putabant enim quia dominus corpore mundos tantum laudaret; et hoc est quod dicitur tunc oblatis sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret.

Origenes in Matth. Iam enim ex praecedentibus virtutibus eius experti erant quoniam per impositionem manuum eius, et orationem repelluntur mala. Offerunt ergo ei pueros, considerantes quoniam impossibile est ut postquam per tactum dominus dederit eis divinam virtutem, ruina aut daemonium aliquod tangere eos possit.

Remigius. Consuetudo etiam fuit apud veteres ut parvuli offerrentur senioribus, quatenus eorum manu vel ore benedicerentur; et iuxta hanc consuetudinem parvuli oblatis sunt domino.

Chrysostomus super Matth. Caro autem, quia non delectatur in bono, facile obliviscitur bonum; malum autem quod audierit, retinet semper. Ante modicum autem tempus Christus accipiens puerum, dixit: nisi facti fueritis sicut parvulus iste, non intrabitis in regnum caelorum; et ecce statim oblatis discipuli puerilis innocentiae, vetabant pueros ad Christum quasi indignos accedere; unde sequitur discipuli autem increpabant eos.

Hieronimus. Non quia nollent eis salvatoris et manu et voce benedici; sed quod nondum habentes plenissimam fidem, putarent eum, in similitudinem aliorum hominum, offerentium importunitate lassari.

Chrysostomus in Matth. Vel discipuli expellebant pueros, causa dignitatis christi. Dominus autem docens

eos moderata sapere et tumorem conculcare mundanum, accepit parvulos, et in ulnis tenuit eos: et talibus regnum caelorum promittit: unde sequitur iesus autem ait eis: sinite parvulos, et nolite prohibere eos ad me venire: talium est enim regnum caelorum.

Chrysostomus super Matth. quis enim mereatur appropinquare Christo, si repellitur ab eo simplex infantia? ideo dixit nolite prohibere eos. Nam si sancti futuri sunt, quid vetatis filios ad patrem venire? si autem peccatores futuri sunt, ut quid sententiam condemnationis profertis, antequam culpam videatis? .

Hieronymus. Signanter autem dixit talium est regnum caelorum, non istorum, ut ostenderet, non aetatem regnare, sed mores; et his qui similem haberent innocentiam et simplicitatem praemium repromitti. sequitur et cum imposuisset eis manus, abiit inde.

Chrysostomus super Matth. praesens locus instruit omnes parentes, ut filios suos sacerdotibus offerant; non enim sacerdos manus imponit, sed Christus, in cuius nomine manus imponitur. Si enim qui escas suas per orationem offert Deo, sanctificatas eas manducat: sanctificatur enim per verbum Dei et orationem, ut apostolus dicit, quanto magis pueros offerri Deo et sanctificari necesse est? causa autem sanctificandarum escarum haec est, quoniam totus mundus in maligno positus est; unde et res corporales quae sunt magna pars mundi, in maligno positae sunt. Consequenter infantes quando nascuntur, et ipsi quantum ad carnem in maligno positi sunt.

Origenes in Matth. Pueros autem mystice dicimus qui in Christo adhuc carnales sunt, et lacte opus habentes. qui autem profitentur verbi doctrinam, simpliciores quidem, et quasi puerilem sermonem habentes quo nutriuntur, adhuc novitii sunt, qui offerunt salvatori pueros et infantes. Qui autem videntur esse perfectiores, et ideo sunt discipuli iesu, priusquam discant rationem iustitiae de pueris, reprehendunt eos qui per simplicem doctrinam pueros et infantes, idest minus adhuc eruditos, offerunt Christo. Dominus autem hortans discipulos suos iam viros constitutos condescendere utilitatibus puerorum, ut fiant pueris quasi pueri, ut pueros lucentur, dicit talium est enim regnum caelorum. nam et ipse, cum in forma Dei esset, factus est puer. Haec ergo debemus attendere, ne aestimatione sapientiae excellentioris et profectus spiritualioris, contemnamus quasi magni pusillos ecclesiae, prohibentes pueros venire ad iesum. Quoniam autem pueri non omnia quae dicuntur, sequi possunt, imposuit eis manum iesus, et virtutem relinquens in eis per tactum, abiit ab eis, quasi non potentibus sequi Christum, sicut ceteri discipuli eius perfecti.

Remigius. Manibus etiam impositis benedixit pueris, significans quod humiles spiritu sunt digni eius gratia et benedictione.

Glossa. Imposuit etiam eis manus, viris continentibus, ut gratiam sui auxilii conferendam significaret.

Hilarius in Matth. Infantes etiam gentium forma sunt, quibus per fidem et auditum salus redditur. verum ex affectu primo salvandi israel, a discipulis inhihentur accedere, quos dominus ait non oportere prohiberi. Munus enim spiritus sancti per impositionem manus, et precationem, cessante legis opere, erat gentibus largiendum.

MATTHAEUS 19,16-22

4916 (Mt 19,16-22)

Rabanus. Audierat forsitan homo iste a domino, tantum eos qui volunt parvulis similes esse, dignos introitu regni caelestis; et ideo certior cupiens esse, non per parabolas, sed aperte postulat exponi, quibus meritis vitam aeternam consequi possit. Et ideo dicitur et ecce unus accedens ait illi: magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam? .

Hieronymus. iste qui interrogat, et adolescens et dives erat et superbus, et non voto discentis sed tentantis interrogat: quod ex eo probare possumus quod dicente sibi domino si vis ad vitam ingredi, serva mandata, rursus fraudulenter interrogat, quae sunt illa mandata; quasi non et ipse legere, aut dominus posset eidem haec iubere contraria.

Chrysostomus in Matth. Ego autem avarum quidem eum et pecuniarum amatorem nequaquam recuso dicere, quia et Christus talem eum esse redarguit; simulatorem autem nequaquam, quia non est securum de incertis iudicare, et maxime accusando. Marcus autem hanc suspicionem destruit: dicit enim, quod occurrens, et genuflectens rogabat eum, et quoniam inspiciens eum iesus, amavit eum. Si etiam eum

tentans accessisset, demonstrasset nobis hoc evangelista, sicut in aliis facit. Si autem et ipse siluisset, Christus eum non permisisset latere, sed redarguisset manifeste, aut occulte insinuasset. Hoc autem non facit: sequitur enim qui dicit ei: quid me interrogas de bono? .

Augustinus de cons. Evang. Potest autem videri distare aliquid, quod hic secundum Matthaeum dicitur quid me interrogas de bono? secundum alios autem: quid me dicis bonum? nam quid me interrogas de bono? ad illud magis referri potest quod ait ille quaerens: quid boni faciam? ibi enim et bonum nominavit, et interrogatio est. magister autem bone, nondum est interrogatio. commodissime ergo intelligitur utrumque dictum: quid me dicis bonum? et interrogas de bono? .

Hieronymus. Quia vero magistrum vocaverat bonum, et non Deum vel Dei filium confessus erat, dixit quemvis sanctum hominem comparatione Dei non esse bonum: de quo dicitur: confitemini domino, quoniam bonus. Et ideo dicit unus est bonus Deus. ne quis autem putet in eo quod bonus Deus dicitur, excludi a bonitate filium Dei, legimus in alio loco: pastor bonus ponit animam suam pro ovibus suis.

Augustinus de trin. Vel quia ille vitam aeternam quaerebat (vita autem aeterna est in illa contemplatione, qua non ad poenam videtur Deus, sed ad gaudium sempiternum). et non intelligebat cum quo loquebatur, quoniam tantummodo eum filium hominis arbitrabatur; ideo dicit quid me interrogas de bono, et vocas me, secundum quod vides, magistrum bonum? haec forma filii hominis apparebit in iudicio, non tantum iustis, sed et impiis; et ipsa visio malum eis erit, quia poenalis erit. Est autem visio formae meae, in qua aequalis sum Deo. Ille ergo unus Deus, pater, filius et spiritus sanctus, ipse est solus bonus; quia nemo videt eum ad luctum et planctum, sed tantum ad salutem et laetitiam veram.

Hieronymus. Salvator etiam noster bonitatis testimonium non renuit, sed magistri absque Deo exclusit errorem. Quae autem utilitas est ut ita responderet? reducit enim eum paulatim, et erudit liberari ab omni adulatione; et ab his quae sunt super terram eum abducens, Deo adhaerere suadet, et futura quaerere, et nosse eum qui vere est bonus, et radix et fons universorum bonorum.

Origenes in Matth. Respondet etiam sic Christus, propter eum qui dicit: quid boni faciam? quando enim declinamus a malo et facimus bonum, quantum ad comparationem ceterorum hominum, dicitur bonum quod facimus: quantum autem ad veritatem secundum quod hic dicitur unus est bonus, bonum nostrum non est bonum. dicere autem potest quis quoniam sciens dominus propositum interrogantis non esse ut faciat vel humanum bonum, dixit quid me interrogas de bono? ac si dicat: cum sis imparatus ad ea quae dicuntur bona, cur me interrogas de bono? post hoc autem dicit si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Ubi considera, quoniam adhuc quasi extra vitam constituto respondit si vis ad vitam ingredi: secundum enim unum modum homo est extra vitam, qui est extra eum qui dixit: ego sum vita. Alias autem omnis qui super terram est, quamvis iustissimus, potest quidem in umbra esse vitae, non autem in ipsa vita, cum sit corpore mortis circumdatus. Introibit autem quis in vitam, abstinens se ab operibus mortuis, appetens autem opera viva. Sunt autem et verba mortua et verba viva, et cogitationes mortuae et cogitationes vivae: et ideo dicit si vis ad vitam ingredi, serva mandata.

Augustinus de verb. Dom. Nec etiam dixit: si vis venire ad vitam aeternam; sed si vis ingredi ad vitam, eam definiens vitam quae fuerit aeterna vita. Hic ergo considerandum est, quemadmodum amanda sit aeterna vita, quando sic amatur misera ista et quandoque finienda vita.

Remigius. Demonstratur autem his verbis quia lex suis impletoribus non solum bona temporalia dabat, sed et vitam aeternam. et quia hoc audierat, sollicitus factus interrogavit: unde sequitur dicit illi: quae? .

Chrysostomus in Matth. Hoc autem non tentans dixit; sed aestimans alia quaedam praecepta esse praeter legalia quae vitae causa fierent ei.

Remigius. iesus vero quasi infirmo condescendens, clementissime legis praecepta exposuit: unde sequitur iesus autem dixit: non homicidium facies: quorum praeceptorum expositio est sequens sententia, qua dicitur et diliges proximum tuum sicut teipsum. etenim apostolus dicit: qui diligit proximum, legem implevit. quaerendum est autem: quare dominus tantum secundae tabulae praecepta commemoravit? idcirco scilicet quia forte iste studiosus erat in dilectione Dei; sive quia dilectio proximi gradus est ascendendi ad dilectionem Dei.

Origenes in Matth. forsitan autem ista praecepta sufficiunt ut in principium, ut ita dicam, vitae ingrediatur quis; non autem sufficiunt haec vel alia similia istis ad interiora vitae introducere quemquam. Qui autem praeterierit unum istorum mandatorum, nec in principium vitae intrabit.

Chrysostomus in Matth. Quia ergo dominus ea praecepta commemoraverat quae erant in lege, ideo

sequitur dicit illi adolescens: haec omnia servavi a iuventute mea. et neque hic stetit; sed rursus interrogat quid adhuc mihi deest? quod et ipsum signum est vehementis desiderii.

Remigius. Illis autem qui in gratia perfecti esse volunt, ostendit qualiter ad perfectionem venire possunt: unde sequitur ait illi iesus: si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes, et da pauperibus. Notanda sunt ista verba: non enim ait: vade et manduca omnia quae habes; sed vade et vende. Et non ait: aliqua, sicut ananias et saphira; sed omnia. Et pulchre subiungit quae habes: illa enim habemus quae iuste possidemus. illa ergo quae iuste possidentur, vendenda sunt; quae vero iniuste, sunt eroganda illis quibus fuerant ablata. Nec ait: da proximis aut divitibus a quibus accipies similia; sed da pauperibus.

Augustinus de operibus monachorum. Nec attendendum in quibus monasteriis, vel in quo loco indigentibus fratribus hoc quod habebat aliquis impenderit: omnium enim christianorum una respublica est. et ideo quisquis christianus necessaria ubilibet erogaverit, ubicumque etiam ipse quod necessarium est sibi, accipit, de eo quod est christi accipit.

Rabanus. Ecce duas vitas hominibus propositas audivimus: activam, ad quam pertinet non occides, et cetera legis mandata; et contemplativam, ad quam pertinet si vis perfectus esse. Activa ad legem pertinet, contemplativa ad evangelium: quia sicut vetus novum praecessit testamentum, ita bona actio praecedat contemplationem.

Augustinus contra faustum. nec tamen illi soli qui ut sint perfecti vendunt vel dimittunt omnia sua, pertinent ad regnum caelorum; sed huic militiae christianae, propter quoddam commercium caritatis, subiungitur etiam quaedam stipendiaria multitudo; cui dicitur in fine: esurivi et dedistis mihi manducare: quo absit ut istos a mandatis evangelicis alienos a vita aeterna separandos iudicemus.

Hieronymus contra vigilantium. Quod autem vigilantius asserit, eos melius facere qui utantur rebus suis, et paulatim fructus possessionum pauperibus dividant, quam illos qui possessionibus venundatis semel omnia largiantur: non a me ei, sed a Deo respondebitur si vis perfectus esse, vade et vende. Iste, quem tu laudas, secundus, aut tertius gradus est; quem et nos recipimus, dummodo sciamus prima secundis et tertiis praeferenda. Gennadius de eccles. dogmat. Bonum est enim facultates cum dispensatione pauperibus erogare: melius est pro intentione sequendi dominum insimul donare, et absolutum sollicitudine egere cum Christo.

Chrysostomus in Matth. et quia de pecuniis erat sermo, a quibus denudari admonuit, ostendit quod ampliora his retribuet quanto terra maius est caelum: et ideo dicit et habebis thesaurum in caelo. In thesauro enim copiam et permanentiam retributionis ostendit.

Origenes in Matth. Si autem omne mandatum in hoc verbo impletur: diliges proximum tuum sicut teipsum, perfectus autem est qui impleverit omne mandatum, quomodo dominus dicenti adolescenti: haec omnia servavi a iuventute mea, quasi nondum perfecto, dicit si vis perfectus esse? forte autem quod ait: diliges proximum tuum, non a domino positum est, sed ab aliquo additum, quia nec Marcus nec Lucas hunc locum exponentes hoc addiderunt. vel aliter. Scriptum est in evangelio secundum hebraeos, quod cum dominus dixisset ei vade et vende omnia quae habes, coepit dives scalpere caput suum, et non placuit ei. Et dixit ad eum dominus: quomodo dicis: feci legem et prophetas? quoniam scriptum est in lege: diliges proximum tuum sicut teipsum? et ecce multi fratres tui filii abrahamae amicti sunt stercore morientes prae fame; et domus tua plena est multis bonis, et non egreditur omnino aliquid ex ea ad eos. Volens ergo dominus arguere divitem illum, dicit si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes et da pauperibus. Sic enim apparebit si diligis proximum tuum sicut teipsum. Sed si perfectus est qui habet omnes virtutes, quomodo fit perfectus qui vendit omnia sua, et pauperibus dat? ponamus enim aliquem hoc fecisse, quomodo statim erit sine ira, sine concupiscentia, suscipiens omnes virtutes, et deponens malitiam universam? sapienti ergo videbitur forsitan dicere, quoniam qui pauperibus tradidit bona sua, ipsorum orationibus adiuvatur, accipiens ad suam spiritualem inopiam illorum spiritualem abundantiam, et fit hoc modo perfectus, quamvis aliquas humanas habuerit passiones. Aut ita: iste qui mutavit pro divitiis paupertatem ut fiat perfectus, credens sermonibus christi, adiuvabitur, ut sapiens fiat in Christo, iustus et castus et absque omni passione; non tamen sic ut in ipso tempore quo tradidit bona sua pauperibus, fiat omnino perfectus; sed ex illo die incipiet speculatio Dei adducere eum ad omnes virtutes. aliter autem ad expositionem moralem transibit, dicens substantiam esse uniuscuiusque actus animae eius. Imperat ergo Christus vendere omnem substantiam malam, et quasi tradere eam virtutibus operantibus eam quae ab omni bono pauperes sunt. Sicut enim pax apostolorum revertitur ad ipsos, nisi fuerit filius pacis, sic universa peccata revertuntur ad actores eorum, cum non fuerit quis utens malis eorum: et sic neque dubitatio erit, quin statim erit perfectus qui sic vendidit omnes proprias facultates. Manifestum est autem quod qui talia agit, habet thesaurum in caelo, et ipse factus caelestis. In suo enim caelo habebit thesaurum gloriae Dei, et divitias in omni sapientia Dei. Talis autem poterit sequi Christum, quia non distrahitur ab aliqua mala possessione quo minus Christum

sequatur.

Hieronymus. Multi etiam divitias relinquentes, dominum non sequuntur; nec hoc ad perfectionem sufficit, nisi post contemptas divitias salvatorem sequantur: idest, relictis malis, faciant bona. facilius enim sacculus contemnitur quam voluntas: et ideo sequitur et veni, sequere me; sequitur enim dominum qui imitator est eius, et per vestigia illius graditur. sequitur cum autem audisset adolescens verba haec, abiit tristis. Haec est tristitia quae ducit ad mortem. Causaque tristitiae redditur: erat enim habens multas possessiones; idest spinas et tribulos, qui sementem dominicam suffocaverunt.

Chrysostomus in Matth. Non enim similiter detinentur qui pauca habent, et qui multis abundant: quoniam abiectio divitiarum maiorem accendit flammam, et violentior fit cupido.

Augustinus ad paulinum et thesiam. Nescio autem quomodo cum superflua terrena diliguntur, arctius adepta quam concupita constringunt; nam unde iuvenis iste tristis discessit, nisi quia magnas habebat divitias? aliud est enim iam nolle incorporare quae desunt, aliud iam incorporata divellere: illa enim velut extranea repudiantur, ista velut membra praeceduntur. Secundum historiam autem, iste adolescens laudabilis quidem est, quia non occidit, non adulteratus est; vituperabilis autem, quia contristatus est in verbis christi vocantibus eum ad perfectionem. Adolescens quippe erat secundum animam et propterea, relinquens Christum, abiit.

MATTHAEUS 19,23-26

4923 (Mt 19,23-26)

Glossa. Occasione huius avari, de quo praedictum est, habuit sermonem dominus de avaro; unde dicitur iesus autem dixit discipulis suis: amen dico vobis, etc.

Chrysostomus in Matth. Quod quidem dixit, non pecuniis quidem detrahens, sed eis qui detinentur ab ipsis; et discipulos pauperes existentes monens non verecundari ob inopiam.

Hilarius in Matth. Habere enim divitias criminis non est; sed modus in habendo retinendus est. Nam quomodo communicandum est necessitatibus sanctorum, si communicanda materia non relinquitur?

Rabanus. Sed inter pecunias habere et pecunias amare nonnulla distantia est; tutius autem est nec habere nec amare divitias.

Remigius. Unde dominus exponens huius loci sensum, dixit: difficile est confidentibus in divitiis intrare in regnum caelorum. Illi enim in divitiis confidunt qui omnem suam spem in divitiis collocant.

Hieronymus. Quia vero divitiae habitae difficile contemnantur, non dixit quod impossibile est divitem intrare in regnum caelorum, sed difficile. ubi difficile ponitur, non impossibilitas praetenditur, sed raritas demonstratur.

Hilarius. periculosa enim cura est velle ditescere, et grave onus innocentia subiit incrementis opum occupata; rem enim saeculi famulatus Dei non sine saeculi vitiis assequetur. Hinc difficile est divitem regnum caelorum adire.

Chrysostomus in Matth. quia vero dixerat difficile divitem intrare in regnum, procedit ad ostendendum quod est impossibile: unde sequitur et iterum dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum caelorum.

Hieronymus. secundum hoc nullus divitum salvus erit. sed si legamus isaiam, quomodo cameli madian et epha veniant ad ierusalem cum donis atque muneribus, et qui quondam curvi erant et vitiorum gravitate distorti ingrediantur portas ierusalem, videbimus quomodo et isti cameli, quibus divites comparantur, cum deposuerint gravem sarcinam peccatorum et totius corporis pravitatem, intrare possunt per angustam et arctam viam quae ducit ad vitam.

Chrysostomus super Matthaem. gentium etiam animae assimilatae sunt tortuosis camelis, in quibus erat gibbus idololatriae: quoniam cognitio Dei erectio est animarum. Acus autem est filius Dei, cuius prima pars subtilis est secundum divinitatem, alia vero crassior secundum incarnationem eius. tota autem recta est et nullam habet deflexionem, per cuius vulnus passionis gentes ingressae sunt in vitam aeternam. Hac acu consuta est immortalitatis tunica: ipsa est acus quae spiritui consuit carnem: haec acus iudaicum populum

iunxit et gentium: haec acus amicitiam angelorum et hominum copulavit. Facilius est ergo gentiles transire per foramen acus, quam divites iudaeos intrare in regnum caelorum. si enim gentes cum tanto labore divelluntur ab irrationabilibus idolorum culturis, quanto magis iudaei divelluntur a rationabilibus Dei culturis? **Glossa.** Aliter dicitur, quia hierosolymis quaedam porta erat, quae foramen acus dicebatur, per quam camelus, nisi deposito onere et flexis genibus, transire non poterat: per quod significatur, divites non posse transire viam arctam quae ducit ad vitam, nisi sordibus peccatorum et divitiis depositis, saltem non amando.

Gregorius moralium. Vel nomine divitis quemlibet elatum, cameli appellatione propriam condescensionem significat. camelus autem per foramen acus transiit, cum redemptor noster usque ad susceptionem mortis, per angustias passionis intravit, quae passio velut acus extitit, quia dolore corpus pupugit. Facilius autem camelus foramen acus quam dives regnum caelorum ingreditur: quia nisi ipse prius per passionem suam formam nobis humilitatis ostenderet, nequaquam se ad humilitatem ipsius superba nostra rigiditas inclinaret.

Chrysostomus in Matth. Discipuli autem inopes existentes turbantur, pro salute aliorum dolentes, et doctorum iam viscera assumentes: unde sequitur audientes autem discipuli, mirabantur dicentes: quis ergo poterit salvus esse? .

Augustinus de quaest. Evang. Cum autem pauci sint divites in comparatione multitudinis pauperum, intelligendum est, quod omnes qui divitias cupiunt, in divitum numero haberi discipuli animadvertunt.

Chrysostomus in Matth. Dei autem opus hoc esse consequenter ostendit, quoniam multa opus est gratia ut homo in divitiis dirigatur; unde sequitur aspiciens autem iesus dixit eis: apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omniaabilia sunt. Per hoc quod dicit aspiciens, significat evangelista quod mansueti oculo timidam eorum mentem mitigavit.

Remigius. non autem hoc sic intelligendum est quod possibile sit apud Deum quod dives cupidus, avarus et superbus intret in regnum caelorum; sed ut convertatur, et sic intret.

Chrysostomus in Matth. neque etiam hoc ideo dicitur ut resupinus iaceas, et sicut ab impossibilibus abstineas; sed magnitudinem iustitiae considerans insilias, Deum rogans.

MATTHAEUS 19,27-30

4927 (Mt 19,27-30)

Origenes in Matth. Audiverat petrus verbum christi dicentis: si vis perfectus esse, vade et vende omnia quae habes; deinde consideravit adolescentem cum tristitia abeuntem, et difficultatem divitum ingrediendi in regnum caelorum; ideo quasi qui non facilem rem consummaverat, fiducialiter quaesivit. Etsi enim minima cum fratre reliquit; sed non minima aestimata sunt apud Deum, considerantem quoniam ex tanta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt, ut etiam si multas habuissent possessiones, omnia reliquissent. Et puto quod magis petrus confidens de affectu suo quam de ipsa quantitate rerum relictarum, fiducialiter interrogavit; unde dicitur tunc respondens petrus dixit ei: ecce nos reliquimus omnia.

Chrysostomus in Matth. qualia omnia, o beate petre? arundinem, rete, navigium. Omnia quidem haec dicit, non propter munificentiam, sed ut per interrogationem hanc inopem inducat plebem. Quia enim dominus dixerat: si vis perfectus esse; ne dicat aliquis inopum: quid igitur? si non habuero, non possum esse perfectus? interrogat petrus, ut tu inops discas quoniam in nullo hinc diminutus es. Qui enim claves regni caelorum acceperat, pro his quae ibi sunt iam confidit, et pro orbe terrarum universo interrogat. Intuere autem et qualiter respondet diligenter, sicut Christus inquisivit: etenim Christus duo a divite expetiit: dare pauperibus quae habebat, et sequi se: propter hoc ipse addidit et secuti sumus te.

Origenes in Matth. potest dici secundum omnia quae pater revelavit petro esse filium suum, secuti sumus te, iustitiam, sanctificationem, et huiusmodi. Propter hoc quasi victor athleta interrogat quae sint praemia certaminis.

Hieronymus. Quia ergo non sufficit tantum relinquere, iungit quod perfectum est: et secuti sumus te. Fecimus quidem quod iussisti; quid ergo nobis dabis praemii? et hoc est quod dicitur quid ergo erit nobis? sequitur iesus autem dixit illis: amen dico vobis quod vos qui secuti estis me, etc.

Hieronymus. Non dixit: qui reliquistis omnia; hoc enim et socrates fecit philosophus, et multi alii divitias contempserunt, sed qui secuti estis me; quod proprie apostolorum est atque credentium.

Hilarius in Matth. Secuti sunt quidem discipuli Christum in regeneratione, idest in lavacro baptismi, in fidei sanctificatione: haec enim illa regeneratio est quam apostoli sunt secuti, quam lex indulgere non potuit.

Hieronymus. Vel aliter debet construi: vos qui secuti estis me, sedebitis in regeneratione; idest quando mortui ex corruptione resurgent incorrupti, sedebitis et vos in solis iudicantium condemnantes duodecim tribus israel: quia vobis credentibus, illi credere noluerunt.

Augustinus de Civ. Dei. sic enim caro nostra regenerabitur per incorruptionem, quemadmodum anima nostra regenerabitur per fidem.

Chrysostomus super Matth. futurum enim erat ut in die iudicii responderent iudaei: domine, non te cognovimus filium Dei in corpore constituti. Quis hominum videre poterat thesaurum in terra absconditum, solem nube celatum? responderunt ergo discipuli: et nos homines fuimus, rustici et obscuri in plebe; vos sacerdotes et scribae: sed in nobis bona voluntas facta est quasi lucerna rusticitatis nostrae; in vobis autem malitia facta est quasi caligo scientiae vestrae.

Chrysostomus in Matth. Propter hoc autem non dixit: et gentes et orbem terrarum, sed tribus israel; quia in eisdem erant educati et legibus et consuetudinibus apostoli et iudaei. Cum ergo dixerint iudaei quoniam propter hoc non potuimus credere in Christo, quia lex prohibuit, discipuli in medium inducentur qui eandem susceperunt legem. Sed dicet aliquis: quid magnum promisit eis, si id quod ninivitae habent et regina austri, hoc et ipsi habebunt? maxima quidem alia praemia ante et post eis promittit; sed et hic occulte insinuat aliquid plus illis. De illis enim simpliciter dixit, quod surgent, et condemnabunt generationem hanc; de his autem: cum sederit filius hominis, sedebitis et vos. Manifestum est ergo quod conregnabunt et communicabunt in gloria illa: honorem enim et gloriam ineffabilem significavit per thronos. Qualiter autem haec promissio completa est? numquid enim et iudas sedebit? nequaquam. Lex a domino posita est per ieremiam prophetam: loquar super gentem et regnum, ut aedificem et plantem illud. Sed si fecerit malum in conspectu meo, poenitebo et ego de bonis quae locutus sum ut facerem eis; quasi dicat: si indignos seipsums promissione faciant, non adhuc faciam quod promisi. Indignum autem seipsum principatu iudas ostendit; et propter hoc tunc loquens discipulis, non simpliciter eis promisit: neque enim dixit: vos sedebitis; sed adiunxit qui secuti estis me: ut et hinc iudam excludat, et eos qui postea futuri erant attraheret: non enim ad illos solos dictum est, neque ad iudam iam indignum effectum.

Hilarius in Matth. Sequela ergo christi apostolos super duodecim thronos iudicandis duodecim tribubus israel in duodecim patriarcharum gloriam copulavit.

Augustinus de Civ. Dei. Ex hoc enim loco discimus, cum suis discipulis iudicaturum iesum: unde et alibi iudaeis dicit: ideo iudices vestri erunt. Nec quoniam super duodecim sedes sessuros esse ait, duodecim solos homines cum ipso iudicatos putare debemus. Duodenario quippe numero universa quaedam significata est iudicantium multitudo, propter duas partes numeri septenarii quo significatur plerumque universitas; quae duae partes, idest tres et quatuor, altera per alteram multiplicatae duodecim faciunt: alioquin quoniam in locum iudae traditoris, apostolum Matthiam legimus ordinatum, apostolus paulus, qui plus illis omnibus laboravit, ubi ad iudicandum sedeat non habebit: qui profecto cum aliis sanctis ad numerum iudicum se pertinere demonstrat, cum dicit: nescitis quia angelos iudicabimus? .

Augustinus in lib. De poenitentia. In hoc ergo numero iudicantium omnes intelliguntur qui propter evangelium sua omnia dimiserunt, et secuti sunt dominum.

Gregorius moralium. quisquis enim stimulo divini amoris excitatus hic possessa reliquerit, illic proculdubio culmen iudicariae potestatis obtinebit: ut simul tunc iudex cum iudice veniat qui nunc consideratione iudicii sese spontanea paupertate castigat.

Augustinus de Civ. Dei. De ipsis quoque iudicandis, in hoc numero duodenario similis causa est: non enim quia dictum est iudicantes duodecim tribus israel, tribus levi quae decimatertia est, ab eis iudicanda non erit; aut solum illum populum, non etiam gentes ceteras iudicabunt.

Chrysostomus super Matth. vel per hoc quod dicit in generatione, praemittit Christus tempus christianitatis futurum post ascensionem suam, quando scilicet homines regenerantur per baptismum, et illud est tempus quando Christus sedet in sede maiestatis suae. et vide, quia non de tempore futuri iudicii dicit, sed de vocatione gentium universarum: non enim dixit: cum venerit filius hominis sedens super sedem maiestatis suae; sed in regeneratione cum sederit in sede maiestatis suae: quod ex tunc fuit ex quo gentes credere coeperunt in Christum: secundum illud: regnabit dominus super gentes, Deus sedet super sedem sanctam suam. Et ex tunc apostoli sederunt super duodecim thronos, idest in omnibus christianis: omnis enim

christianus qui suscipit verbum petri, thronus fit petri: et sic de aliis apostolis. sedent ergo apostoli in his thronis, idest in duodecim partes distinctis, secundum differentias animarum et diversitates cordium, quas solus Deus cognoscit. Sicut enim iudaeorum populus in duodecim tribus fuit divisus, sic et universus populus christianus dividitur in duodecim tribus, ut quaedam animae sint de tribu ruben, et sic de aliis, propter diversas virtutes. Non enim omnes gratiae in omnibus aequaliter sunt; sed unus praecedat in ista, alius in illa. Et sic apostoli iudicabunt duodecim tribus israel, idest omnes iudaeos, per hoc quod verbum apostolorum est a gentibus receptum. Omnes autem christiani sunt quidem duodecim sedes apostolorum, sed una sedes christi. Christi enim omnes virtutes sunt quasi una sedes; quia in omni virtute aequaliter ipse solus perfectus est. Unusquisque etiam apostolorum in aliquo bono speciali fit perfectior, ut petrus in fide: et ideo petrus requiescit in fide, ioannes in innocentia; et sic de aliis. Et quod de retributione apostolis in hoc mundo danda Christus loquatur, demonstrat quod sequitur: et omnis qui reliquerit domum vel fratres. Si enim in hoc saeculo centuplum recipiunt, sine dubio et apostolorum etiam in hoc saeculo merces futura promittebatur.

Chrysostomus in Matth. Vel discipulis promittit futura, quia excelsiores erant iam, et nihil praesentium quaerebant; aliis autem quae sunt hic repromittit.

Origenes in Matth. Vel aliter. Si quis reliquerit omnia, et secutus fuerit Christum, quae promissa sunt petro, et ipse recipiet. si autem non omnia reliquit, sed quaedam, quae specialiter referuntur, hic multiplicia recipiet, et vitam possidebit aeternam.

Hieronymus. Ex occasione autem huius sententiae, quidam introducunt mille annos post resurrectionem, dicentes, tunc nobis centuplum omnium rerum quas dimisimus et vitam aeternam esse reddendam; quod si in ceteris digna sit promissio, in uxoribus appareat turpitudine, ut qui unam pro domino dimiserit, centum recipiat in futuro. Sensus igitur iste est: qui carnalia pro salvatore dimiserit, spiritualia recipiet; quae comparatione et merito sui quasi parvo numero centenarius numerus compararetur.

Origenes. Sed in hoc saeculo, quia pro fratribus carnalibus multos inveniet fratres secundum fidem: sic et parentes, omnes episcopos et presbyteros: et filios, omnes aetatem filiorum habentes. Sunt autem et angeli fratres, et sorores omnes quae exhibuerunt se Christo virgines castas; tam istae quae nunc habentur in terris, quam illae quae iam vivunt in caelis. Agros autem et domos multiplices intellige in requie paradisi et civitate Dei. Super haec autem omnia possidebunt vitam aeternam.

Augustinus de Civ. Dei. Hoc etiam quod hic dicitur centuplum accipiet, exponens quodammodo apostolus ait: quasi nihil habentes et omnia possidentes. Centum enim pro ipsa universitate ponuntur aliquando.

Hieronymus. Quod autem dicit et omnis qui reliquerit fratres, congruit illi sententiae qua dixerat: veni separare hominem a patre suo. Qui enim propter fidem christi ac praedicationem evangelii omnes affectus contempserint atque divitias et saeculi voluptates, isti centuplum accipient et vitam aeternam possidebunt.

Chrysostomus in Matth. cum autem dicit qui reliquerit uxorem, non hoc ait ut simpliciter nuptiae divellantur, sed ut omnibus praeferamus fidei pietatem. Videtur autem mihi et persecutionis tempus occulte insinuare: quia enim multi futuri erant filios ad impietatem trahentes, cum hoc acciderit, neque pro patribus neque pro viris habeantur.

Rabanus. Verum, quia multi virtutum studia, non eadem qua incipiunt intentione pietatis consummant; sed vel tepescunt, vel accelerate labuntur, sequitur multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.

Origenes. Per hoc exhortatur eos qui nuper accedunt ad verbum divinum, ut festinent ad perfectum ascendere prae multis qui videntur senuisse in fide. Potest etiam hic sensus destruere eos qui gloriantur eo quod christianis parentibus sunt enutriti in ipsa christianitate; neque pusillanimes fiant, quod christianitatis dogmata novissime receperint. Habet etiam alium intellectum, ut sint primi israelitae, qui facti sunt novissimi propter infidelitatem; gentes autem novissimae, primi. Cauter autem dicit multi; non enim omnes primi erunt novissimi, nec omnes novissimi primi. Adhuc autem multi hominum qui natura novissimi sunt, efficiuntur per vitam angelicam quibusdam angelis superiores; et quidam angeli qui fuerunt primi, facti sunt novissimi propter culpam.

Remigius. Potest etiam specialiter referri ad tristitiam divitis, qui primus videbatur, legis praecepta implendo; sed quia terrenam substantiam praetulit Deo, novissimus factus est. Sancti vero apostoli novissimi videbantur; sed relinquendo omnia, per humilitatis gratiam facti sunt primi. Sunt etiam plurimi qui post studia bonorum operum a bonis operibus deficiunt; et cum fuerint primi, fiunt novissimi.

MATTHAEUS 20,1-16

5001 (Mt 20,1-16)

Remigius. Quia dixerat dominus: multi erunt primi novissimi, et novissimi primi, ut hanc sententiam confirmaret, subiunxit similitudinem, dicens simile est regnum caelorum homini paterfamilias.

Chrysostomus super Matth. homo paterfamilias Christus est, cui caeli et terra quasi una est domus; familia autem caelestium et terrestrium et inferiorum creaturarum. Vineam autem eius iustitia est, in qua diversae species iustitiarum positae sunt quasi vites: puta mansuetudo, castitas, patientia, ceteraeque virtutes; quae omnes generaliter iustitia appellantur. Homines autem vineae cultores ponuntur; unde dicitur qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Deus enim iustitiam suam dedit in sensibus nostris, non propter suam utilitatem, sed propter nostram. Scitote ergo quia mercenarii sumus conducti. Sicut ergo nemo ideo conducit mercenarium ut hoc solum faciat quod manducat, sic et nos non ideo vocati sumus a Christo ut haec solum operemur quae ad nostrum pertinent usum, sed ad gloriam Dei; et sicut mercenarius prius aspicit opus suum, deinde quotidianum cibum, sic et nos primum debemus aspiceret quae ad gloriam Dei pertinent, deinde quae ad nostram utilitatem; et sicut mercenarius totam diem circa domini opus impendit, unam autem horam circa suum cibum, sic et nos omne tempus vitae nostrae debemus impendere circa gloriam Dei, modicam autem partem circa usus nostros terrenos. Et sicut mercenarius ea die qua opus non fecerit, erubescit intrare in domum et petere panem, quomodo tu non confunderis intrare in ecclesiam et stare ante conspectum Dei, quando nihil bonum in conspectu Dei gessisti? **Gregorius** in Evang. vel paterfamilias, idest conditor noster, habet vineam, universam scilicet ecclesiam, quae ab abel iusto usque ad ultimum electum qui in fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot palmites misit. Ad erudiendam autem dominus plebem suam, quasi ad excolendam vineam suam, nullo tempore destitit operarios mittere: quia et prius per patres, et postmodum per legis doctores, deinde per prophetas, ad extremum vero per apostolos, quasi per operarios in vineae cultum laboravit; quamvis in quolibet modulo vel mensura quisquis cum fide recta bonae actionis extitit, huius vineae operarius fuit.

Origenes in Matth. Totum autem hoc saeculum praesens, unum diem dicere possumus; magnum quidem quantum ad nos, modicum autem quantum ad Dei vitam.

Gregorius. Mane autem mundi fuit aetas ab adam usque ad noe; et ideo dicitur qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Et modum conductionis subiungit dicens conventionem autem factam cum operariis ex denario diurno.

Origenes. salutis autem arbitror nomen esse denarium.

Remigius. Denarius enim dicitur qui antiquitus pro decem nummis imputabatur, et figuram regis habet. Recte ergo per denarium designatur observari decalogi praemium. Pulchre ergo dicitur conventionem factam ex denario diurno, quia unusquisque in agro sanctae ecclesiae pro spe futurae remunerationis laborat.

Gregorius. Tertia vero hora a noe fuit usque ad abraham; de qua dicitur et egressus circa horam tertiam vidit alios in foro stantes otiosos.

Origenes. forum autem est quicquid est extra vineam, idest extra ecclesiam christi.

Chrysostomus super Matth. in hoc enim mundo vendendo et emendo vivunt homines, et invicem sibi fraudem facientes, vitam suam sustentant. **Gregorius.** Qui autem sibi vivit, qui carnis suae voluptatibus pascitur, recte otiosus arguitur, quia fructum divini operis non sectatur.

Chrysostomus super Matthaem. Vel otiosi sunt peccatores, illi enim mortui dicuntur. Otiosus autem est qui opus Dei non operatur. Vis ergo non esse otiosus? non aliena tollas, et de tuis des; et operatus es in vinea domini, misericordiae vitem colens. sequitur et dixit illis: ite et vos in vineam meam. Nota, quod solis primis convenit specialiter dare denarium; alios autem sub incerto pacto conduxit, dicens quod iustum fuerit dabo vobis. sciens enim dominus quia praevaricaturus fuerat adam, et omnes postmodum in diluvio erant perituri, certum fecit pactum ad eum, ne quando dicat, ideo se neglexisse iustitiam, quia nesciebat quae praemia fuerat recepturus. Istis autem non fecit pactum, quia tantum paratus est retribuere quantum mercenarii recipere non sperabant.

Origenes in Matth. vel operarios tertiae horae non invitavit ad totum opus; quidquid autem poterant operari, suo arbitrio servavit. Poterant enim aequale opus facere in vinea eis qui ex mane sunt operati,

quicumque in tempore brevi volebant operantem virtutem ad opus extendere, quae ante non fuerat operata.

Gregorius in Evang. sexta quoque hora est ab abraham usque ad moysen; nona est a moyse usque ad adventum domini: unde sequitur iterum autem exiit circa sextam et nonam horam, et fecit similiter.

Chrysostomus super Matth. Ideo autem coniunxit sextam et nonam, quia in sexta et nona generationem vocavit iudaeorum, et frequentavit cum hominibus disponere testamenta, quasi definito salutis omnium tempore iam appropinquante.

Gregorius. undecima vero hora est ab adventu domini usque ad finem mundi. operator ergo mane, hora tertia, sexta et nona, antiquus ille et hebraicus populus designatur, qui in electis suis ab ipso mundi exordio, dum recta fide Deum studuit colere, quasi non destitit in vineae cultura laborare. Ad undecimam vero gentiles vocantur: unde sequitur circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dixit illis: quid hic statis tota die otiosi? qui enim transacto tam longo mundi tempore pro vita sua laborare neglexerant, quasi tota die otiosi stabant. sed pensate quid inquisiti respondeant: sequitur enim dicunt ei: quia nemo nos conduxit. Nullus quippe ad eos patriarcha, nullus propheta ad eos venerat. Et quid est dicere nemo nos conduxit, nisi vitae nobis nemo viam praedicavit? .

Chrysostomus super Matth. Quae est enim conductio nostra, et conductionis merces? promissio vitae aeternae: gentes enim solae neque Deum sciebant neque Dei promissa.

Hilarius in Matth. hi igitur mittuntur ad vineam: unde sequitur dixit eis: ite et vos in vineam meam.

Rabanus. Postquam autem operis diurni ratio reddita est, ad remunerationis tempus opportunum, dicit cum autem sero factum esset; hoc est, cum dies totius mundi ad vesperam consummationis inclinata esset.

Chrysostomus super Matth. considera, quia sero, non alio mane mercedem reddit; ergo adhuc stante saeculo isto iudicium est futurum, et unicuique merces sua reddenda; et hoc propter duas rationes. Prima est quia ipsa beatitudo futura est merces iustitiae; ideo non in illo saeculo fit iudicium, sed ante illud. deinde ante adventum diei illius praemittitur iudicium, ne videant peccatores diei illius beatitudinem. sequitur dicit dominus procuratori suo; idest: filius spiritui sancto.

Glossa. Vel si volueris, dicit pater filio; qui scilicet pater operatur per filium, et filius per spiritum sanctum, non propter aliquam differentiam substantiae aut dignitatis.

Origenes in Matth. Vel dicit dominus procuratori suo, idest alicui angelorum qui super mercedes retribuendas est positus, sive alicui ex multis procuratoribus, secundum quod scriptum est in epist. ad galatas, sub curatoribus et tutoribus esse heredem in tempore quo parvulus est.

Remigius. Vel dominus iesus Christus ipse est paterfamilias et vineae procurator, sicut et ipse est et ostium et ostiarius. Ipse enim est venturus ad iudicium, ut unicuique reddat secundum quod gessit. Vocat ergo operarios et reddit illis mercedem, quando omnes congregabuntur in iudicio, ut unusquisque accipiat secundum opera sua.

Origenes. primi autem operarii testimonium habentes per fidem, non acceperunt Dei promissionem, pro nobis aliquid melius prospiciente patrefamilias, ut non sine nobis perficiantur. Et quia misericordiam consecuti sumus, primi mercedem speramus accipere, qui sumus christi; post nos autem qui ante nos operati sunt: et ideo dicitur voca operarios, et redde illis mercedem suam, incipiens a novissimis usque ad primos.

Chrysostomus super Matth. Semper enim libentius aliquid damus illis quibus gratis donamus, quia pro solo nostro honore donamus. Ergo omnibus sanctis Deus reddens mercedem, iustus ostenditur; gentibus autem dans, misericors, dicente apostolo: gentes autem super misericordiam honorare Deum. Et ideo dicitur incipiens a novissimis usque ad primos. Aut certe ut ostendat Deus inestimabilem misericordiam suam, primum novissimis et indignioribus reddit mercedem, postea primis: nimia enim misericordia ordinem non aspexit.

Augustinus de spiritu et littera. Vel ideo velut priores reperiuntur minores, quia minores ditati sunt. sequitur cum venissent autem qui circa undecimam horam venerant, etc. **Gregorius** in Evang. Eundem denarium accipiunt qui laboraverunt ad undecimam (quem expectaverunt toto desiderio). et qui laboraverunt ad primam: quia aequalem vitae aeternae retributionem sortiti sunt cum his qui ab initio mundi vocati fuerant, hi qui in fine mundi ad Deum venerunt.

Chrysostomus super Matth. Non autem iniuste: nam et qui in prima parte saeculi natus est, non amplius vixit quam statutum tempus vitae suae; et quid illi nocuit, si post illius exitum mundus stetit? et qui circa finem nascuntur, non minus vivent quam dies qui numerati sunt eis; et quid illis prodest ad compendium laboris, si cito mundus finitur, cum pensum vitae suae compleant ante mundum? deinde non est in homine quando nascatur prius aut postea; sed potestatis divinae. Nec ille quidem sibi priorem debet locum defendere qui prius natus est, nec ille contemptibilior debet esse qui postea. sequitur et accipientes murmurabant adversus patremfamilias, dicentes. Si autem verum est quod diximus, quia primi et posteriores tempus suum vixerunt, et non amplius neque minus, et unicuique mors sua est consummatio ipsius: quid est quod dicunt portavimus pondus diei et aestus? quia scilicet magna est nobis virtus ad faciendam iustitiam, cognoscere prope esse finem mundi. Unde et Christus nos armans, dicebat: appropinquabit regnum caelorum. Illis autem infirmitas erat scire mundi spatia esse longinqua. quamvis ergo non per omne saeculum vixerint, tamen totius saeculi gravamina pertulisse videntur. Aut pondus totius diei dicit onerosa legis mandata; aestum autem urentem erroris tentationem quam conflabant spiritus maligni in eos, ad aemulationem gentium eos irritantes: a quibus omnibus gentiles liberi extiterunt, Christo credentes, et per compendium gratiae ad plenum salvati.

Gregorius in Evang. vel pondus diei et aestus ferre, est per longioris vitae tempora carnis suae calore fatigari. Sed potest quaeri: quomodo murmurare dicti sunt, qui ad regnum vocantur caelorum? etenim regnum nullus qui murmurat accipit, nullus qui accipit, murmurare potest.

Chrysostomus in Matth. Non autem oportet ea quae in parabolis sunt, secundum totum quod dicitur, investigare; sed intentionem, propter quam composita est, intelligere, et nihil ultra scrutari. Non ergo inducit hoc ut ostendat aliquos esse invidia morsos, sed ut ostendat hos tanto potitos esse honore quod et invidiam aliis poterant generare. **Gregorius**. Vel quia antiqui patres usque ad adventum domini, quantumlibet iuste vixerint, ducti ad regnum non sunt, eorum hoc ipsum murmurasse est. Nos autem qui ad undecimam venimus, post laborem non murmuramus: quia post mediatoris adventum in hoc mundo venientes, ad regnum ducimur mox ut de corpore eximus.

Hieronymus. vel omnis retro vocatio gentilibus invidet, et in evangelii torquetur gratia.

Hilarius in Matth. Et secundum insolentiam populi iam sub moyse contumacis hoc murmur operantium est. sequitur at ille respondens uni eorum, dixit: amice, non facio tibi iniuriam.

Remigius. Per hunc unum possunt intelligi omnes qui ex iudaeis crediderunt; quos amicos propter fidem nominat.

Chrysostomus super Matth. non autem dolebant quasi defraudati de mercede sua; sed quia illi amplius quam merebantur, acceperant. Sic enim dolent invidi quando alteri aliquid additur, quasi eis subtrahatur. Ex quo patet quod ex vana gloria nascitur invidia. Ideo enim dolet esse secundus, quia desiderat esse prior; et ideo invidiae motum removet, dicens nonne ex denario convenisti mecum? .

Hieronymus. Denarius figuram regis habet. recepisti ergo mercedem quam tibi promiseram, hoc est imaginem et similitudinem meam: quid quaeris amplius? et non tam ipse plus accipere quam alium nihil accipere desideras? tolle quod tuum est, et vade.

Remigius. idest: recipe mercedem tuam, et vade in gloriam. Volo autem et huic novissimo, idest gentili populo, dare secundum meritum, sicut et tibi.

Origenes in Matth. forsitan autem adae dicit amice, non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario convenisti mecum? tolle quod tuum est, et vade. Tuum est salus, quod est denarius. Volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. Non incredibiliter potest quis arbitrari, hunc novissimum esse apostolum paulum, qui una hora operatus est, et similiter omnes qui ante eum fuerunt.

Augustinus de sancta virgin. quia vero ipsa vita aeterna pariter erit omnibus sanctis aequalis, denarius omnibus est attributus, qui est omnium merces; quia vero in ipsa vita aeterna distincte fulgebunt lumina meritorum, multae mansiones sunt apud patrem; ac in denario quidem impari non vivet alius alio prolixius: in multis autem mansionibus honoratur alius alio clarius.

Gregorius. et quia ipsa regni perceptio, eius est bonitas voluntatis, recte subiungitur aut non licet mihi quod volo facere? stulta enim est quaestio hominis contra bonitatem Dei murmurare. Conquerendum quippe esset, non si dat quod non debet, sed si non daret quod deberet; unde aperte subditur an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? **Remigius**. Per oculum enim vult intentionem intelligi. Iudaei

namque nequam habuerunt oculum, id est intentionem malam, quia de salute gentium dolebant. ad quid autem sensus huius parabolae tendat, manifestat cum subditur sic erunt primi novissimi, et novissimi primi: eo scilicet quod iudaei de capite vertantur in caudam, et nos de cauda mutamur in caput.

Chrysostomus super Matth. Aut ideo primos dicit novissimos, et novissimos primos, non ut novissimi digniores sint quam primi, sed ut coaequantur, et nulla sit inter eos differentia temporis causa. Quod autem dicit multi sunt vocati, pauci vero electi, non ad superiores sanctos pertinet, sed ad gentes: quoniam ex ipsis gentibus, qui multi vocati sunt, pauci sunt eligendi.

Gregorius in Evang. ad fidem enim plures veniunt, et ad caeleste regnum pauci perducuntur: plerique enim Deum vocibus sequuntur, moribus fugiunt. Ex hoc ergo duo pensare debemus. Primum est ut de se quisque minime praesumat, quia etsi iam ad fidem vocatus est, utrum ad regnum eligendus sit, nescit. Secundum vero est ut unusquisque proximum suum quem iacere in vitiis conspicit, desperare non audeat: quia divinae misericordiae divitias ignorat. vel aliter. Mane nostrum pueritia est; hora tertia, adolescentia intelligi potest, quia quasi iam sol in altum proficit dum calor aetatis crescit; sexta autem, iuventus est, quia velut in centro sol figitur, dum in ea plenitudo roboris solidatur; nona autem, senectus intelligitur, in qua velut sol ab alto axe descendit, quia aetas a calore iuventutis deficit; undecima vero est ea aetas quae decrepita vel veterana vocatur.

Chrysostomus in Matth. quod autem non omnes simul conduxit, sed alios mane, alios hora tertia, et sic de aliis, ex differentia mentis eorum processit. tunc enim eos vocavit quando erant obedituri; nam et latronem vocavit quando obediturus erat. Si autem dicant: quia nemo nos conduxit, sicut dictum est, non oportet omnia scrutari quae in parabolis sunt. Item hoc non dicit dominus, sed operarii: quod ipse enim omnes, quantum ad se pertinet, a prima aetate vocet, significatur cum dicitur: exiit primo mane operarios conducere.

Gregorius. qui ergo usque ad ultimam aetatem Deo vivere neglexerunt, usque ad horam undecimam otiosi steterunt; et tamen tales paterfamilias vocat, et plerumque ante remunerantur: quia prius ad regnum de corpore exeunt, quam hi qui modo in pueritia vocati esse videbantur.

Origenes in Matth. Non autem dicitur: quid hic statis tota die otiosi? his qui spiritu incipientes, carne consumuntur, si postea regredi volunt ut iterum spiritu vivant: quod non dicimus dissuadentes ne ad domum paternam revertantur lascivi filii, qui vivendo luxuriose evangelicae doctrinae substantiam consumpserunt; sed quoniam non similes sunt eis qui peccaverunt in iuventute sua, dum non adhuc didicissent quae fidei erant.

Chrysostomus in Matth. Quod autem dicit: erunt primi novissimi, et novissimi primi, eos occulte insinuat qui a principio claruerunt, et postea virtutem contempserunt; et rursus eos qui a malitia reducti sunt, et multos superexcesserunt. composita est ergo haec parabola, ut eos avidiores faceret qui in ultima senectute convertuntur, ne aestimarent se minus aliquid habituros.

MATTHAEUS 20,17-19

5017 (Mt 20,17-19)

Chrysostomus in Matth. dominus a galilaea veniens, non repente hierosolymam ascendit, sed prius miracula fecit, pharisaeos confutavit, et discipulos de vitae perfectione et remuneratione instruxit; nunc iam ascensurus ierusalem, rursus eis de passione loquitur: unde dicitur et ascendens iesus hierosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto.

Origenes in Matth. In duodecim adhuc erat et iudas: adhuc enim forsitan dignus erat cum aliis seorsum audire quae passurus erat magister.

Chrysostomus super Matth. omnis autem salus hominum in christi morte posita est, nec est aliquid propter quod magis Deo gratias agere debeamus quam propter mortem ipsius. ideo duodecim apostolis in secreto mortis suae annuntiavit mysterium; quia semper pretiosior thesaurus in melioribus vasis includitur. Si autem alii audissent passionem christi futuram, viri forsitan turbarentur propter infirmitatem fidei, et mulieres propter mollitiem suae naturae, ex qua in tali negotio ad lacrymas excitantur.

Chrysostomus in Matth. Dictum est quidem, et ad multos, tamen occulte sicut ibi: solvite templum hoc; et supra: signum non dabitur ei nisi signum ionae prophetae. Discipulis autem manifeste exposuit dicens ecce ascendimus hierosolymam.

Chrysostomus super Matth. Quod dicit ecce, constantiae sermo est, ut memoriam praesentiae huius in cordibus recondant. Dicit autem ascendimus; ac si dicat: videte quia voluntarie vado ad mortem. Cum ergo videritis me in cruce pendentem, ne aestimetis me hominem esse tantum: nam etsi posse mori, hominis est, velle tamen mori, hominis non est.

Origenes. hoc igitur considerantes, scire debemus quoniam frequenter, etiam cognoscentes quoniam et tentationes aliquas subituri sumus, nos ipsos offerre debemus. sed supra dictum est: si quis vos persecutus fuerit in una civitate, fugite in aliam: sapientis in Christo est ut cognoscat quale tempus exigit declinationem, quale autem obviationem periculorum.

Hieronymus. Crebro autem de passione sua discipulis dixerat; sed quia multis in medio disputationis poterat labi de memoria quod audierant, iturus hierosolymam et secum ducturus apostolos, ad tentationem eos parat, ne cum venerit persecutio, et crucis ignominia, scandalizentur.

Chrysostomus super Matth. tribulatio enim cum supervenerit expectantibus nobis, levior invenitur quam esset futura si repentina venisset.

Chrysostomus in Matth. praedicat etiam eis, ut discant quoniam praescius ad passionem venit et volens. sed a principio quidem mortem praedixit eis solam; quando autem exercitati sunt, adducit alia, scilicet quoniam tradent eum gentibus.

Rabanus. Tradidit enim iudas dominum iudaeis, et ipsi tradiderunt eum gentibus, idest pilato, et potestati romanorum. Ideo autem dominus in mundo noluit prosperari, sed gravia pati, ut ostenderet nobis, qui per delectationem cecidimus, cum qua amaritudine redire debeamus; unde sequitur ad illudendum et flagellandum et crucifigendum.

Augustinus de Civ. Dei. Passione ostendit quid sustinere pro veritate, resurrectione quid sperare in trinitate debeamus: unde dicitur et tertia die resurget.

Chrysostomus in Matth. quae quidem huius gratia dixit, ut cum tristia viderint, resurrectionem expectarent: unde subdit et tertia die resurget.

Augustinus de trin. Una enim mors, scilicet salvatoris secundum corpus, duabus mortibus nostris saluti fuit, scilicet animae et corporis; et una eius resurrectio duas nobis resurrectiones praestitit. haec autem ratio simpli ad duplum, oritur quidem a ternario numero, unum quippe et duo tria sunt.

Origenes in Matth. hic autem non referuntur discipuli dixisse aut fecisse aliquid, cum audissent tristia haec Christo futura, recordantes quae dominus dixit ad petrum, ne audiant talia vel peiora. Et nunc quidem qui divinas litteras scire se arbitrantur scribae condemnant iesum morte, et in linguis suis flagellant et crucifigunt eum per hoc quod tollere volunt doctrinam ipsius; ille autem paululum deficiens, surgit apparens his qui acceperunt posse videre.

MATTHAEUS 20,20-23

5020 (Mt 20,20-23)

Hieronymus. Quia post omnia dixerat dominus et tertia die resurget, putavit mulier post resurrectionem illico regnaturum; et aviditate feminea praesentia cupit, immemor futurorum: unde dicitur tunc accessit ad eum mater filiorum zeBedaei cum filiis suis.

Chrysostomus super Matth. haec mater filiorum zeBedaei est salome, cuius apud alterum evangelistam ponitur nomen; vere pacifica, quae vere filios genuit pacis. Magna laus mulieris ex hoc loco colligitur: quia non solum filii reliquerunt patrem, sed ipsa reliquerat virum suum et secuta fuerat Christum: quia ille sine ista vivere poterat, ista autem sine Christo salva esse non poterat; nisi forte quis dicat, quia intra tempus vocationis apostolorum et passionis christi mortuus est zeBedaeus; et sic illa sexu fragilis, aetate defecta, christi vestigia sequebatur: quia fides nunquam senescit et religio fatigationem non sentit. Audacem autem fecerat eam ad petendum naturae affectus; unde dicitur adorans et petens aliquid ab eo: idest, reverentia exhibita petit, ut quod petierit sibi detur. sequitur qui dixit ei: quid vis? non interrogat quasi nesciens; sed ut illa exponente, manifestum faceret irrationabilem esse petitionem: unde subditur ait illi: dic ut sedeant hi duo filii.

Augustinus de cons. Evang. Quod autem hic per matrem dictum esse Matthaeus expressit, Marcus ipsos filios zebedaei perhibet dixisse, cum illa illorum voluntatem attulisset ad dominum; unde magis ipsos quam illam dixisse quod dictum est, Marcus breviter intimavit.

Chrysostomus in Matth. Videbant enim seipsos honoratos prae aliis, et audierant quod super duodecim thronos sedebitis, unde primatum ipsius cathedrae petebant accipere. et quod quidem plus alii honoris apud Christum habebant, noverant; timebant vero petrum sibi praeferri; unde et alius evangelista dicit, quod quia prope erant ierusalem, putabant quod regnum Dei esset in ianuis, idest aliquid sensibile. unde manifestum est quod nihil spiritale petebant, nec intelligentiam superioris regni habebant.

Origenes in Matth. si enim in regno mundi in honore esse videntur qui sedent cum rege, non fuit mirum si mulier muliebri simplicitate vel imperitia talia se debere petere aestimavit; et ipsi fratres adhuc imperfecti, et nihil altius cogitantes de regno christi, talia arbitrati sunt de his sedebunt cum iesu.

Chrysostomus super Matth. vel aliter. Non dicimus quod recte peteret haec mulier; sed hoc dicimus, quia non terrena, sed caelestia filiis suis optabat: non enim sentit sicut ceterae matres, quae corpora natorum suorum amant, animas autem contemnunt: desiderant illos valere in saeculo isto, et non curant quid sint passuri in illo, ut ostendant quia corporum sunt parentes, non animarum. Aestimo autem quod hi fratres cum audissent dominum de passione ac resurrectione sua prophetantem, coeperunt dicere intra se, cum essent fideles: ecce rex caelestis descendit ad regna tartarea, ut regem mortis destruat. Cum autem victoria fuerit consummata, quid aliud restat nisi ut regni gloria subsequatur? **Origenes.** destructo enim peccato, quod regnabat in corporibus mortalibus hominum, et omni principatu malignarum virtutum, eminentiam regni in hominibus Christus recipit; quod est ipsum sedere in sede gloriae suae. Quod autem omnia Deus facit ad dexteram et sinistram, hoc est ut iam nullum malum sit ante eum: et qui quidem praecellunt prae ceteris appropinquantibus Christo, sunt a dextris eius; qui autem inferiores sunt, a sinistris sunt eius. dexteram autem christi vide si potes intelligere invisibilem creaturam; sinistram autem visibilem et corporalem. Appropinquantium enim Christo quidam dexteram sortiuntur, ut intelligibilia; alii sinistram, ut sensibilia.

Chrysostomus super Matth. Qui autem seipsum donavit hominibus, quomodo regni sui societatem non donabit? petentis negligentia reprehenditur, ubi de dantis misericordia non dubitatur. Si nos rogamus magistrum, forsitan ceterorum fratrum corda concutimus: etsi enim vinci a carne non possunt, quasi iam spiritales, tamen percuti possunt, quasi adhuc carnales. ergo submittamus matrem nostram, ut suo nomine deprecetur pro nobis. Si enim reprehensibilis inventa fuerit, facile merebitur veniam; ipse enim sexus excusat errorem. Si autem non fuerit importuna, facilius impetrabit mater pro filiis suis rogans. Ipse enim dominus, qui maternos animos filiorum miseratione implevit, facilius audiet maternum affectum. Tunc dominus occultorum cognitor non ad verba intercedentis mulieris respondit, sed ad consilia suggerentium filiorum. Bonum quidem erat eorum desiderium, sed inconsiderata petitio; ideo etsi impetrare non debebant, simplicitas tamen petitionis eorum confundi non merebatur, quia de amore domini talis petitio nascebatur: propterea ignorantiam in eis dominus reprehendit: unde sequitur respondens autem iesus dixit: nescitis quid petatis.

Hieronymus. nec mirum si ista arguatur imperitiae, cum et de petro dicatur: nesciens quid diceret.

Chrysostomus super Matth. Nam frequenter dominus patitur discipulos suos aliquid non recte aut dicere, aut agere, aut cogitare, ut ex illorum culpa occasionem inveniat exponendi regulam pietatis, sciens quia error eorum non nocet praesente magistro, et non solum in praesenti, sed etiam in futuro doctrina eius aedificat.

Chrysostomus super Matth. hoc autem dicit ostendens quod vel nihil spiritale petebant, vel si novissent quod petebant, non ausi fuissent tantum quid petere quod superexcedit superiores virtutes.

Hilarius in Matth. Nesciunt etiam quid petant, quia nihil de gloria apostolorum ambigendum erat: iudicaturos enim eos sermo superior exposuit.

Chrysostomus super Matth. vel nescitis quid petatis: quasi dicat: ego vos vocavi ad partem dexteram de sinistra, et vos vestro consilio curritis ad sinistram. Ideo forsitan per mulierem res agebatur. Contulit enim se diabolus ad consueta arma mulierum; ut sicut adam per mulierem spoliavit, ita et istos separaret per matrem. Sed iam non poterat per mulierem perditio introire in sanctos, ex quo de muliere salus cunctorum processit. vel ideo dicit nescitis quid petatis: non enim solum debemus cogitare qualem gloriam consequamur, sed quomodo evadamus ruinam peccati; quia et in saeculari bello, qui semper de praeda victoriae cogitat, difficile vincit: ideo petendum erat: da nobis auxilium gratiae tuae, ut omne malum vincamus.

Rabanus. Nesciebant etiam quid peterent: quia sedem gloriae a domino, quam nondum merebantur, inquirunt. delectabat eos culmen honoris; sed prius habebant exercere viam laboris: unde subditur potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? .

Hieronymus. Calicem in scripturis divinis passionem intelligimus, ut in psalmo 115,13: calicem salutaris accipiam; statimque infert quis iste sit calix: pretiosa in conspectu domini mors sanctorum eius.

Chrysostomus super Matth. Sciebat autem dominus quia passionem ipsius poterant imitari; sed ideo interrogat, ut omnes audiamus, quia nemo potest cum Christo regnare, nisi passionem christi fuerit imitatus: res enim pretiosa non nisi pretioso pretio comparatur. Passionem autem domini dicimus non solum persecutionem gentilium, sed omnem violentiam quam patimur contra peccata certantes.

Chrysostomus in Matth. Dicit ergo potestis bibere? ac si dicat: vos mihi de honore et coronis loquimini; ego autem vobis de agonibus et sudoribus: non enim hoc est praemiorum tempus. Ex modo autem interrogationis eos attrahit: non enim dixit: potestis sanguinem vestrum effundere? sed potestis bibere calicem? deinde addit: quem ego bibiturus sum.

Remigius. Ut ex communione ad ipsum avidiores fiant. At illi qui iam martyrii libertatem constantiamque retinebant, bibituros se pollicentur: unde sequitur dicunt ei: possumus.

Chrysostomus super Matth. vel dicunt hoc non tam ex fiducia suae fortitudinis quam ex ignorantia: inexpertis enim levis videtur esse tentatio passionis et mortis.

Chrysostomus in Matth. Vel hoc ex desiderio promittunt. Neque enim hoc dixissent, nisi expectassent audire quod petebant. Dominus autem eis prophetat magna bona, idest martyrio dignos efficiendos. sequitur ait illis: calicem quidem meum bibetis.

Origenes in Matth. non ita respondit Christus: calicem meum bibere potestis; sed ad futuram eorum perfectionem respiciens, dixit calicem quidem meum bibetis.

Hieronymus. quaeritur autem quomodo calicem martyrii filii zeBedaei, iacobus videlicet et iohannes, biberint, cum scriptura narret iacobum tantum apostolum ab herode capite truncatum, iohannes autem propria morte vitam finierit. Sed si legimus in ecclesiastica historia, quod ipse iohannes propter martyrium sit missus in ferventis olei dolium, et relegatus in patmos insulam sit, videbimus martyrio animum non defuisse; et bibisse iohannem calicem confessionis, quem et tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem.

Hilarius in Matth. dominus ergo collaudans eorum fidem ait, martyrio quidem eos secum compati posse; sed laevae eius ac dexterarum assidere aliis a Deo patre fuisse dispositum: unde sequitur sedere autem ad dexteram meam, etc. Et quidem, quantum arbitramur, ita honor iste aliis est reservatus, quod tamen nec apostoli ab eo erunt alieni, qui in duodecim patriarcharum sede consistentes, israelem iudicabunt; et quantum sentire ex ipsis evangeliiis licet, in regno caelorum moyses et elias assidebunt; quibus comitantibus, cum gloriae suae habitu in monte apparuit.

Hieronymus. sed mihi hoc nequaquam videtur: sed ideo sedentium in regno caelorum vocabula non dicuntur, ne paucis nominatis ceteri putarentur exclusi; regnum enim caelorum non est tantum dantis, sed accipientis. non enim est personarum acceptio apud Deum; sed quicumque talem se praebuerit ut regno caelorum dignus fiat, hoc accipiet, quod non personae, sed vitae paratum est. Si itaque tales estis qui consequimini regnum caelorum quod pater meus victoribus praeparavit, vos quoque accipietis illud. Ideo tamen non dixit neque: non sedebitis, ne duos confunderet; neque: sedebitis, ne ceteros irritaret.

Chrysostomus in Matth. vel aliter. Videtur invidiosus omnibus esse locus ille, non solum hominibus, sed etiam angelis: sic enim praecipuum unigeniti ponit id paulus dicens: ad quem autem angelorum dixit unquam: sede a dextris meis? dominus ergo non quasi existentibus quibusdam qui assessuri sunt, sed condescendens interrogantium suspicioni respondit. Hoc enim unum solum quaerebant prae aliis: stare apud ipsum; sed dominus respondet: moriemini quidem propter me: non tamen hoc sufficit vos facere primum ordinem obtinere. si enim aliquis alius venerit cum martyrio, ampliorem virtutem possidens, non quia vos amo, illum expellam, et vobis dabo primatum. Propter hoc autem ut non infirmus ipse ostendatur, non dixit simpliciter: non est meum dare; sed non est meum vobis dare, sed quibus paratum est; his scilicet qui ab operibus possunt fieri clari.

Remigius. Vel aliter. Non est meum dare vobis, idest superbis talibus quales vos estis, sed humilibus

corde, quibus paratum est a patre meo.

Augustinus de trin. Vel aliter. Secundum formam servi discipulis dominus respondet sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis. Quod autem paratum est a patre eius, et ab ipso filio est paratum, quia et ipse et pater unum sunt.

MATTHAEUS 20,24-28

5024 (Mt 20,24-28)

Chrysostomus in Matth. donec christi sententia incerta erat, non tristabantur alii discipuli; sed tunc tristati sunt quando eos increpavit: unde dicitur et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus.

Hieronymus. Non ad mulieris audaciam referunt postulantis, sed ad filios, quod ignorantes mensuram suam, non modica cupiditate exarserunt.

Chrysostomus in Matth. Intellexerunt enim quia haec petitio discipulorum fuit, quando eos dominus increpavit. quando autem eos a domino praeonoratos viderunt in transfiguratione, etsi secundum mentem dolebant, in medium efferre non audebant, honorantes doctorem.

Chrysostomus super Matth. sicut autem duo carnaliter petierunt, ita et decem carnaliter contristati sunt: nam velle quidem esse super omnes vituperabile est; sustinere autem alium super se minus est gloriosum.

Hieronymus. Humilis autem magister et mitis nec cupiditatis duos arguit postulantes, nec decem reliquos indignationis increpat et livoris: unde sequitur iesus autem vocavit eos ad se.

Chrysostomus in Matth. Quia enim turbati erant, vocatione eos consolatur, de propinquo eis loquendo: etenim duo a societate decem seipsos separantes, propius stabant, seorsum domino loquentes; non tamen sicut prius pueros in medium ducens eos consolatur, sed a contrario inseruit, dicens scitis quia principes gentium dominantur eorum.

Origenes in Matth. idest, non contenti tantum regere suos subiectos, sed violenter eis dominari nituntur. Inter vos autem, qui estis mei, non eunt haec: quoniam sicut omnia carnalia in necessitate sunt posita, spiritualia autem in voluntate, sic et qui principes sunt spirituales, principatus eorum in dilectione subditorum debet esse positus, non in timore corporali.

Chrysostomus in Matth. Ostendit autem in hoc, quod gentilium est primatus cupere; et sic gentium comparatione eorum animam aestuantem convertit.

Chrysostomus super Matth. et opus quidem desiderare bonum, bonum est, quia nostrae voluntatis est, et nostra est merces; primatum autem honoris concupiscere vanitas est: hoc enim consequi, iudicium Dei est; propter quod ex primatu honoris nescimus si mercedem iustitiae meremur. neque enim apostolus laudem habebit apud Deum quia apostolus fuit; sed si opus apostolatus sui bene implevit: nec apostolus pro merito suo antecedenti honoratus est ut esset apostolus; sed ad hoc ministerium aptus est iudicatus secundum motum animae suae. Primatus etiam fugientem se desiderat, et desiderantem se horret. Conversatio ergo melior desideranda est, non dignior gradus. Volens ergo dominus, duorum fratrum **zebedaei** et aliorum indignationem extinguere, introducit differentiam inter principes mundiales et ecclesiasticos, ostendens quia primatus in Christo nec ab aliquo appetendus est non habente, nec alteri invidendus est habenti; quia principes mundi ideo sunt ut dominantur minoribus suis, et eos servituti subiciant et expolient, et usque ad mortem eis utantur ad suam utilitatem et gloriam: principes autem ecclesiae fiunt, ut serviant minoribus suis, et ministrent eis quaecumque acceperunt a Christo; ut suas utilitates negligant, et illorum procurent, et mori non recusent pro salute inferiorum. Primatum ergo ecclesiae concupiscere neque iustum est, neque utile. Nullus sapiens vult ultro se subicere servituti et periculo tali, ut det rationem pro omni ecclesia; nisi forte qui non timet Dei iudicium, abutens primatu suo ecclesiastico saeculariter, ita ut convertat illum in saecularem.

Hieronymus. Denique sui proponit exemplum, ut si dicta parvipenderent, erubescerent ad opera; unde subdit sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.

Origenes in Matth. nam etsi angeli et martha ministraverunt ei, tamen non ideo venit ut ministretur, sed ut ministret; et tantum crevit ministrans, ut impleretur quod sequitur: et daret animam suam redemptionem pro multis, scilicet qui crediderunt in eum: daret, inquam, in mortem. Sed quoniam solus erat inter mortuos liber

et fortior omni potestate mortis, omnes sequi se volentes liberavit a morte. Ecclesiarum ergo principes imitari debent Christum accessibilem, et mulieribus loquentem, et pueris manus imponentem, et discipulis pedes lavantem; ut ipsi similiter faciant fratribus. Nos autem tales sumus ut etiam principum mundi excedere videamus superbiam, vel non intelligentes, vel contemnentes mandatum christi; et quaerimus sicut reges acies praecedentes, et terribiles nos et accessu difficiles maxime pauperibus exhibemus, nullam affabilitatem habentes, vel habere ad nos permittentes.

Chrysostomus in Matth. quantumcumque ergo te humiliaveris, non poteris tantum descendere quantum dominus tuus.

MATTHAEUS 20,29-34

5029 (Mt 20,29-34)

Chrysostomus super Matth. sicut testimonium studiosi agricolae est messis fecunda, ita assidui doctoris est documentum ecclesia plena: unde et hic dicitur et egredientibus illis ab iericho, secuta est eum turba multa. neminem labor itineris impedit, quia amor spiritualis fatigationem non sentit; neminem possessionum suarum recordatio retrahit, quia ingrediebantur in possessionem regni caelestis. Vere enim non habet super terram quod amet qui bonum caeleste in veritate gustaverit. Opportune autem oblatis sunt ante faciem christi duo caeci, ut apertis oculis quasi testes virtutis ascenderent cum eo in ierusalem: unde sequitur et ecce duo caeci. Hi currentium strepitum audiebant, et personas non videbant, nihil solum habentes de toto corpore nisi vocem: et ideo, quia pedibus eum sequi non poterant, voce sequebantur: unde dicitur audierunt quia iesus transiret, et clamaverunt dicentes: domine, miserere nostri, fili David.

Augustinus de cons. Evang. Hoc autem factum Marcus commemorat; sed de uno caeco factum: quae ita solvitur quaestio: nam duorum caecorum quos Matthaeus interposuit, unum fuisse in illa civitate famosissimum, ex hoc satis apparet quod et nomen eius et patris eius Marcus commemoravit: barthimaeus enim timaei filius ex aliqua magna felicitate deiectus notissimus fuit; qui non solum caecus, verum etiam mendicus sedebat. hinc est ergo quod ipsum solum voluit commemorare Marcus, cuius illuminatio tam claram famam huic miraculo comparavit, quam erat illius nota calamitas. Lucas vero quamvis omnino eodem modo factum, tamen in alio caeco intelligendus est par commemorare miraculum. Ille quippe hoc factum dicit, cum appropinquaret iericho; alii cum egrederetur ab iericho. sequitur turba autem increpabat eos, ut tacerent.

Chrysostomus super Matth. videbant enim sordidas vestes, et non considerabant conscientiae claritatem. ecce fatua sapientia hominum: existimant enim iniuriam pati magnos, si a pauperibus honorentur. Quis enim pauper ausus est divitem publice salutare? **Hilarius**. vel silentium non causa honoris exigunt; sed quod acerbe a caecis audiunt quod negabant, scilicet dominum esse David filium.

Origenes in Matth. vel qui crediderant increpabant eos, ut non appellarent eum contemptibili nomine filium David, sed potius dicerent: fili Dei, miserere nostri.

Hilarius. Invitabantur autem magis vetiti, quam compescebantur: fides enim quando vetatur, magis accenditur; et ideo in periculis segura est, et in securitate periclitatur: unde sequitur at illi magis clamabant dicentes: miserere nostri, fili David. Primo enim clamabant, quia caeci erant; secundo magis clamabant, quia vetabantur ad lumen accedere.

Chrysostomus in Matth. Christus autem permittebat eos vetari, ut plus eorum desiderium appareret. hinc autem disce quoniam, etsi abiecti fuerimus, cum studio accedentes ad Deum, per nosipsos, assequemur quod petimus. sequitur et stetit iesus, et vocavit eos, et ait: quid vultis ut faciam vobis? .

Hieronymus. ideo autem stetit iesus, quia caeci quo pergerent ignorabant. Multae foveae erant in iericho, multae rupes et praerupta in profundum vergentia; idcirco dominus stat, ut venire possint.

Origenes in Matth. Vel iesus non pertransit, sed stat, ut stante eo, non transfluat beneficium; sed quasi de fonte stante misericordia defluat usque ad eos.

Hieronymus. vocari autem iubet, ne turbae prohibeant; et interrogat quid velint, ut ex responsione eorum, manifesta debilitas appareat, et virtus ex remedio cognoscatur.

Chrysostomus super Matth. vel interrogat propter fidem; ut dum caeci Christum filium Dei confitentur, confundantur videntes qui eum tantum hominem putant. Dominus quidem Christum vocaverant; et verum dixerant; sed dicentes filium David, dissipabant quod bene confessi sunt: nam abusive et homines domini dicuntur; vere autem nemo dominus, nisi Deus. Cum ergo dicunt domine, fili David, abusive Christum secundum hominem honorant; si autem solummodo dominum dicerent, deitatem confiterentur; ideo interrogat: quid vultis? tunc illi iam non dixerunt: domine, fili David; sed tantum domine, sequitur enim dicunt illi: domine, ut aperiantur oculi nostri. Filius enim David caecos illuminare non potest, filius Dei potest. Quamdiu ergo dixerunt domine, fili David, suspensa est sanitas; mox autem ut dixerunt domine, infusa est sanitas: sequitur enim misertus autem eorum iesus tetigit oculos eorum; et confestim viderunt. Tetigit autem ut homo carnaliter, sanavit ut Deus.

Hieronimus. Praestat enim artifex quod natura non dederat; aut certe quod debilitas tulerat, misericordia donat.

Chrysostomus in Matth. hi autem sicut ante donationem fuerunt perseverantes, ita et post donationem non fuerunt ingrati.

Chrysostomus super Matth. Bonum enim munus obtulerunt Christo sanati: sequitur enim et secuti sunt eum. Hoc enim Deus a te requirit secundum prophetam, sollicitum te ambulare cum domino Deo tuo.

Hieronimus. Qui ergo in iericho contracti sedebant, et clamare tantum noverant, postea sequuntur iesum non tam pedibus quam virtutibus.

Rabanus. Iericho autem, quae interpretatur luna, defectum nostrae mutabilitatis significat.

Origenes in Matth. Mystice autem iericho intelligitur mundus, in quem Christus descendit. Qui autem sunt in iericho, exire nesciunt de sapientia mundi, nisi viderint non solum iesum exeuntem de iericho, sed etiam discipulos eius. haec ergo videntes, secutae sunt eum turbae multae, mundum et mundana omnia contemnentes, ut Christo duce ascendant in ierusalem caelestem. Duos caecos possumus dicere iudam et israel, qui ante christi adventum caeci fuerunt, quia non videbant verbum verum, quod erat in lege et prophetis; tamen sedentes secus viam legis et prophetarum, et secundum carnem tantum intelligentes, clamabant tantum ad eum qui factus est ex semine David secundum carnem.

Hieronimus, vel duos caecos plerique pharisaeos et sadducaeos intelligunt. Vel aliter. Duo caeci sedentes iuxta viam significant de utroque populo quosdam iam cohaerentes per fidem dispensationi temporali secundum quam Christus via est, et desiderantes illuminari; idest, aliquid de verbi aeternitate intelligere: quod transeunte domino impetrare cupiebant, idest, per meritum fidei, qua creditur filius Dei, et natus homo, et passus propter nos: per hanc enim dispensationem quasi transit iesus, quia actio temporalis est. Oportebat autem ut tantum clamarent donec resistentis sibi turbae strepitum vincerent; idest, tam perseverando animum intenderent orando atque pulsando, quousque consuetudinem desideriorum carnalium (quae tamquam turba obstrepat cognitioni lucem veritatis aeternae videre conanti). vel ipsam hominum carnalium turbam, studia spiritualia impediens, fortissima intensione superarent.

Augustinus de verb. Dom. bonos enim christianos volentes facere praecepta Dei, christiani mali et tepidi prohibent; clamant tamen illi non deficientes: cum enim quisque christianus coeperit bene vivere mundumque contemnere, in ipsa sui novitate patitur reprehensores frigidus christianos; sed si perseveraverit, ipsi iam obsequuntur qui ante prohibebant.

Augustinus de quaest. Evang. itaque audiens iesus, qui ait: pulsanti aperietur, stans, eos tangit et illuminat: quia enim fides incarnationis temporalis ad aeterna intelligenda nos praeparat, transeunte iesu admoniti sunt ut illuminarentur, et ab eo stante illuminati sunt: temporalia enim transeunt, aeterna stant.

Chrysostomus super Matth. quidam interpretantur duos caecos gentiles: unum ex cham, alium ex iaphet: qui secus viam sedebant, idest iuxta veritatem conversabantur, sed veritatem invenire non poterant; vel secundum rationem verbi consistentes, quia notitiam verbi nondum acceperant.

Rabanus. agnita autem fama nominis christi, participes eius fieri quaerebant. Contradicebant multi: primo iudaei, ut in actibus legimus; deinde etiam gentiles persecutione instabant: nec tamen eos qui erant ad vitam praedeterminati, salute privare volebant.

Chrysostomus super Matth. consequenter autem gentium oculos mentis tetigit iesus, dans eis gratiam

spiritus sancti; quae illuminatae secutae sunt eum operibus bonis.

Origenes in Matth. Et nos ergo sedentes iuxta scripturarum viam, et intelligentes in quibus caeci sumus, si ex affectu petierimus, tanget oculos animarum nostrarum, et recedet a mentibus nostris tenebra ignorantiae, ut eum in scientiae lumine sequamur, qui dedit nobis posse videre propter nihil aliud nisi ut eum sequamur.

MATTHAEUS 21,1-9

5101 (Mt 21,1-9)

Remigius. Narravit superius evangelista dominum egressum a galilaea, et coepisse ascendere hierosolimam. Postquam ergo narravit quid in via gesserit, in incepta intentione perseverans dicit et cum appropinquasset hierosolymis, et venisset bethphage. Bethphage viculus fuit sacerdotum, situs in latere montis oliveti, distans uno milliario a ierusalem. Sacerdotes enim, qui per certos dies in templo deserviebant, completo officio vicis suae, illuc divertebant ad manendum: similiter et illi qui accipiebant officium, illuc divertebant: quia praeceptum fuit in lege, ut nullus diebus sabbatorum plus quam mille passus incederet.

Origenes in Matth. unde et interpretatur bethphage, maxillarum domus: quoniam maxilla propria erat pars sacerdotum in lege. sequitur tunc iesus misit duos discipulos.

Chrysostomus super Matth. non dixit discipulis: dicatis: dominus tuus his opus habet, vel dominus vester: ut intelligant, quia ipse sit solus dominus, non solum animalium, sed omnium hominum: nam et peccatores conditione quidem sui sunt, voluntate autem sua diaboli.

Chrysostomus in Matth. Neque parvum enim existimes quod factum est. quis enim suasit dominis iumentorum non velle contradicere, volentes silere, et concedere? et in hoc discipulos erudit quoniam poterat et iudaeos prohibere, sed noluit; sed et docet ut quodcumque petium fuerit darent. Si enim qui ignorabant Christum, ita concesserunt, multo magis discipulos convenit omnibus dare. quod autem dicitur et confestim dimittet eos, .

Chrysostomus super Matth.: intelligendum est, quod animal postquam ingressum est in ierusalem, ad dominum suum remissum est a Christo.

Glossa. Vel dominus iumentorum confestim dimittet eos in domini servitio mancipandos. Adhibetur autem huic facto prophetae testimonium, ut appareat dominum omnia quae de ipso scripta erant, implevisse; sed invidia caecatos scribas et pharisaeos ea quae ipsi legebant intelligere noluisse: et ideo sequitur hoc autem totum factum est ut adimpleretur quod dictum est per prophetam, scilicet zachariam.

Chrysostomus super Matth. sciens enim propheta malitiam iudaeorum, quia contradicturi erant Christo ascendenti in templum, praemonuit, ut per hoc signum cognoscerent regem suum dicentem dicite filiae sion.

Rabanus. filia sion historialiter dicitur ierusalem civitas, quae sita est in monte sion; mystice autem est ecclesia fidelium, pertinens ad supernam ierusalem.

Chrysostomus super Matth. Ecce ostendentis est verbum; idest, non carnali aspectu, sed spirituali intellectu opera virtutum eius aspiciat. Ante tempora quidem multa dicebat ecce, ut ostenderet quia ille de quo loquebatur, antequam nasceretur, iam erat rex tuus. Cum ergo videritis eum, nolite dicere: non habemus regem nisi caesarem. Venit tibi, si intellexeris, ut salvet te; si non intellexeris, venit contra te. Mansuetus, non ut propter potentiam timeretur, sed ut propter mansuetudinem amaretur: unde non sedet in curru aureo, pretiosa purpura fulgens; nec ascendit super fervidum equum discordiae amatorem et litis; sed super asinam tranquillitatis et pacis amicam: unde sequitur sedens super asinam et pullum filium subiugalis.

Augustinus de cons. Evang. In hoc autem testimonio prophético aliquanto diversa est evangelistarum locutio. Hoc enim Matthaeus sic adhibet ut asinam dicat commemorasse prophetam: non autem ita se habet vel quod Ioannes interponit, vel codices ecclesiasticae interpretationis lxx. cuius rei causa mihi videtur quod Matthaeus hebraea lingua perhibetur evangelium conscripsisse; manifestum est autem interpretationem illam quae dicitur lxx in nonnullis aliter se habere, quam inveniunt in hebraeo qui eam linguam noverunt, et qui interpretati sunt singuli eosdem libros hebraeos. Huius autem distantiae causa si

quaeratur, nihil probabilius aestimo quam eos lxx illo spiritu interpretatos, quo et illa quae interpretabantur dicta fuerant, quod ex ipsa eorum mirabili, quae praedicatur, consensione firmatum est. Ergo et ipsi nonnulla in eloquio variando, et voluntati Dei, cuius verba erant, non credendo, nihil aliud demonstrare voluerunt quam hoc ipsum, quod in evangelistarum concordia, quadam diversitate narratur; qua nobis ostenditur non esse mendacium, si quisquam ita diverso modo aliquid narret, ut ab eius voluntate cui consentiendum est, non recedat; quod noscere in moribus utile est propter cavenda mendacia; et ipsi fidei, ne putemus quasi consecratis sonis ita muniri veritatem, tamquam Deus nobis, quemadmodum ipsam rem, sic verba quae propter illam sunt dicenda commendat; cum potius ita res sermonibus proferatur ut istos omnino quaerere non deberemus, si rem sine his nosse possemus, sicut illam novit Deus, et in eo angeli eius. sequitur euntes autem discipuli fecerunt sicut praecepit illis iesus, et adduxerunt asinum et pullum. Ceteri autem evangelistae de asina tacent. Non deberet autem permovere lectorem nec si Matthaueus de pullo tacuisset, sicut illi de asina tacuerunt: quanto minus moveri oportet, quia unus ita commemoravit asinam, de qua ceteri tacuerunt, ut tamen pullum non taceret, de quo illi dixerunt? ubi enim utrumque potest intelligi factum, nulla repugnantia est, nec si alius aliud commemoraret: quanto minus ubi unus unum, alius utrumque? sequitur et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt.

Hieronymus. Sed videtur quod super utrumque animal in parvo itineris spatio dominus sedere nequiverit: ergo cum historia aut impossibilitatem habeat aut turpitudinem, ad altiora transmittimur, id est ad mysticum sensum.

Remigius. licet potuerit fieri ut super utrumque animal dominus sederit.

Chrysostomus in Matth. Mihi autem videtur quod non propter mysterium solum super asinam sedit, sed et mensuram nobis sapientiae tribuens: demonstrat scilicet quod non super equos ferri necesse est, sed sufficit asino uti, et eo quod necessitatis est, esse contentum. Interroga autem iudaeos: quis rex super asinam delatus intravit hierosolimam? sed non utique alium habent dicere, nisi istum solum.

Hieronymus. Turbae ergo quae egressae fuerant de iericho, et secutae salvatorem, supposuerunt vestimenta sua, et straverunt viam ramis arborum: et ideo sequitur plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via pedibus asini, necubi offendat in lapidem, nec calcet spinam, nec labatur in foveam. sequitur alii autem caedebant ramos de arboribus, et sternebant in via: de arboribus scilicet fructiferis, quibus mons oliveti consitus est. Cumque opere cuncta fecissent, vocis quoque tribuunt testimonium: unde sequitur turbae autem quae praecedebant et quae sequebantur, clamabant dicentes: hosanna filio David. quid autem significet hosanna, nunc perstringam breviter. In psalmo 117, qui manifeste de adventu salvatoris scriptus est, inter cetera hoc quoque legimus: o domine, salvum me fac, o domine, bene prosperare. Benedictus qui venturus es in nomine domini. Pro eo quod in lxx habetur interpretibus, o kyrie soston di, id est: o domine, salvum fac, in hebraeo legimus: anna, iehova, hosi anna, quod manifestius interpretatus est symmachus dicens: obsecro, domine, salva, obsecro. Nemo ergo putet ex duobus verbis, graeco scilicet et hebraeo, sermonem esse compositum; sed totum hebraicum est.

Remigius. Et est compositum ex integro et corrupto. Hosi enim latine dicitur salva, sive salvifica; anna vero apud illos interiectio est obsecrantis: nam sicut apud illos ab obsecrante dicitur anna, sic apud latinos dicitur heu.

Hieronymus. Significavit enim quod adventus christi salus mundi sit; unde sequitur benedictus qui venit in nomine domini. Salvatore quoque idipsum in evangelio comprobante: ego, inquit, veni in nomine patris mei.

Remigius. quia scilicet in omnibus bonis operibus non suam, sed patris gloriam quaesivit.

Glossa. Et sensus est: benedictus, id est gloriosus sit, qui venit, id est incarnatus est, in nomine domini, id est patris, eum glorificando. Iterum repetunt: hosanna, id est salva, obsecro; et determinant ubi se vellent salvari, in altissimis, id est in caelestibus, non in terrenis. Vel per hoc quod iungitur hosanna, id est salus in excelsis, perspicue ostenditur quod adventus christi non tantum hominis salus, sed totius mundi sit, terrena iungens caelestibus.

Hieronymus. Vel humanam quidem christi dispensationem laudant in eo quod dicebant hosanna filio David: benedictus qui venit in nomine domini; restitutionem autem eius in sancta, in eo quod dicebant: hosanna in excelsis.

Chrysostomus super Matth. hosanna etiam quidam interpretantur gloriam, alii vero redemptionem: nam et gloria illi debetur, et redemptio illi convenit qui omnes redemit.

Hilarius in Matth. Laudationis enim verba, redemptionis in eo expriment potestatem; filium autem David

nuncupant, in quo agnoscerent aeterni regni hereditatem.

Chrysostomus in Matth. nunquam antea dominus sibi adhibuit ministeria iumentorum, nec ramorum virentia circa se ornamenta constituit, nisi modo quando ierusalem ut pateretur ascendit. Excitavit enim videntes ut facerent quod prius volebant: ergo potestas eis data est, non mutata voluntas.

Hieronymus. Mystice autem appropinquat dominus hierosolymis egrediens de iericho, turbis inde eductis quamplurimis, quia magnus magnis ditatus mentibus salute credentium rediens, ingredi cupit urbem pacis, et locum visionis Dei. Et venit bethphage, idest ad domum maxillarum, et confessionis portabat typum; et erat situs in monte oliveti, ubi est lumen scientiae, laborum et dolorum requies. per castellum enim, quod contra apostolos erat, mundus iste designatur: contra apostolos enim erat, nec lumen doctrinarum volebat accipere.

Remigius. Dominus ergo de monte oliveti discipulos ad castellum misit, quia de primitiva ecclesia praedicatores in mundum direxit. Duos quippe misit propter duos ordines praedicatorum, quod manifestat apostolus dicens: qui operatus est petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes, sive quia duo sunt praecepta caritatis, sive propter duo testamenta, sive propter litteram et spiritum.

Hieronymus. sive propter theoreticam et practicam, idest scientiam et opera. Asina autem ista quae subiugalis fuit, et edomita, et iugum legis traxerat, synagoga intelligitur. Pullus asinae lascivus et liber, gentium populus: iudaea enim secundum Deum mater est gentium.

Rabanus. unde Matthaëus solus, qui iudaeis evangelium scripsit, asinam domino refert adductam, ut eidem etiam genti hebraeae, si poeniteat, non desperandam monstret esse salutem.

Chrysostomus super Matth. propter quasdam autem similitudines, animalibus assimilati sunt homines, Dei filium non cognoscentes. Est enim animal immundum, et prae ceteris pene iumentis magis irrationale et stultum et infirmum et ignobile et oneriferum. Sic fuerunt homines ante christi adventum, passionibus diversis immundi, irrationabiles, verbi ratione carentes, stulti propter Dei contemptum, infirmi secundum animam; ignobiles, quia oblitii generationis caelestis, facti fuerunt servi passionum et daemonum; oneriferi, quia sufferebant sarcinam erroris a daemonibus vel pharisaeis impositam. Ligata autem erat asina, idest diabolici erroris vinculo impedita, ut non haberet libertatem eundi quo vellet: nam antequam peccemus, liberum habemus arbitrium sequi voluntatem diaboli an non; quod si semel peccantes obligaverimus nos operibus eius, iam nostra virtute evadere non possumus; sed sicut navis fracto gubernaculo illuc ducitur ubi tempestas voluerit, sic et homo divinae auxilio gratiae perditum per peccatum, non quod vult agit, sed quod diabolus vult. et nisi Deus valida manu misericordiae suae solverit eum, usque ad mortem in peccatorum suorum vinculis permanebit: et ideo dicit discipulis solvite, scilicet per doctrinam vestram, et per miracula vestra; quia omnes iudaei et gentes per apostolos sunt liberati; et adducite mihi, idest, ad gloriam meam illos convertite.

Origenes in Matth. Unde et ascendens in caelum iussit discipulis suis ut solverent peccatores, dans eis spiritum sanctum. Absoluti autem et proficientes, et nutriti verbi divinitate, digni habentur remitti in locum ex quo erant assumpti, non iam ad opera priora, sed ut praedicaent eis filium Dei; et hoc est quod significat dicens et confestim dimittet eos.

Hilarius in Matth. Vel per asinam et pullum duplex vocatio ex gentibus ostenditur. Erant enim samaritani sub quadam observantiae suae consuetudine servientes, qui scilicet significantur per asinam; erant etiam indomitae gentes et feroces, qui scilicet significantur per pullum. Igitur duo mittuntur, ut solvant ligatos erroris vinculis: per philippum enim samaria credidit, per petrum cornelius Christo, tamquam primitiae gentium, adductus est.

Remigius. Sicut autem tunc dictum est apostolis si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia dominus his opus habet, sic nunc praedicatoribus est praeceptum, ut si aliquid adversitatis obstiterit, a praedicatione non cessarent.

Hieronymus. vestis autem apostolica quae iumento superponitur, vel doctrina virtutum, vel discretio scripturarum intelligi potest, sive ecclesiasticorum dogmatum veritates; quibus nisi anima instructa fuerit et ornata, sessorem habere dominum non meretur.

Remigius. Dominus autem super asellum sedens, hierosolymam tendit; quia praesidens sanctae ecclesiae, vel animae fidei, et eam in hoc saeculo regit, et post hanc vitam ad visionem caelestis patriae introducit. apostoli autem et ceteri doctores vestimenta posuerunt super asinam: quia gloriam quam acceperunt a Christo gentibus dederunt. Turba autem vestimenta sternebat in via: quia credentes ex

circumcisione, gloriam quam habebant ex lege, contemnebant. Ramos autem de arboribus praecidebant: quia ex prophetis acceperunt exempla de Christo, quasi de arboribus virentibus. Vel turba, quae vestimenta stravit in via, significat martyres, qui vestimenta sua, idest corpora, quae tegumenta sunt animarum, pro Christo ad martyrium tradiderunt. Vel significantur illi qui corpora sua per abstinentiam domant. illi autem ramos arborum praecidunt qui dicta et exempla sanctorum patrum quaerunt ad suam, vel filiorum salutem.

Hieronymus. Quod autem ait turbae autem quae praecedebant, et quae sequebantur, utrumque populum ostendit, et qui ante evangelium, et qui post evangelium domino crediderunt, consona iesum confessionis voce laudare.

Chrysostomus super Matth. Et illi quidem prophetantes de Christo venturo clamaverunt; hi autem laudantes clamant de adventu christi iam adimpleto.

MATTHAEUS 21,10-16

5110 (Mt 21,10-16)

Hieronymus. Introeunte iesu cum turba, tota hierosolymorum civitas commovetur, mirans frequentiam, nesciens virtutem: unde dicitur et cum intrasset hierosolymam, commota est universa civitas, dicens: quis est hic? .

Chrysostomus super Matth. Merito autem commovebantur videntes rem mirabilem. homo laudabatur quasi Deus, sed Deus laudabatur in homine. Puto autem quod nec ipsi qui laudabant, sciebant quid laudabant; sed spiritus subito ingressus in eos, veritatis verba fundebat.

Origenes in Matth. Sed et quando intravit iesus hierosolymam veram, admirantes virtutes caelestes, dicebant: quis est iste rex gloriae? .

Hieronymus. Aliis autem vel ambigentibus vel interrogantibus, nisi plebecula confitetur: unde sequitur populi autem dicebant: hic est iesus propheta a nazareth galilaeae. a minoribus incipiunt, ut ad maiora perveniant. Prophetam enim dicunt quem moyses sui similem dixerat esse venturum, et qui proprie apud graecos scribitur cum tu arthru martyria, idest cum articuli testimonio. a nazareth autem galilaeae, quia ibi educatus fuerat, ut flos campi nutrireretur in flore virtutum.

Rabanus. Notandum autem, quod hic introitus eius in ierusalem fuit ante quinque dies paschae. narrat enim ioannes, quod ante sex dies paschae venerit in bethaniam, et in crastinum asino sedens venerit in ierusalem; ubi notanda est concordia non solum in rebus, sed etiam in temporibus veteris et novi testamenti. Decima enim die mensis primi, agnus qui in pascha immolaretur, domum introduci iussus est: quia et dominus decima die eiusdem mensis, hoc est ante quinque dies paschae, civitatem, in qua pateretur, erat ingressurus. sequitur et intravit iesus in templum Dei.

Chrysostomus super Matth. hoc erat proprium boni filii ut ad domum curreret patris, et illi honorem redderet; et tu imitator christi factus, cum ingressus fueris in aliquam civitatem, primo ad ecclesiam curras. Hoc etiam erat boni medici ut ingressus ad infirmam civitatem salvandam, primum ad originem passionis intenderet: nam sicut de templo omne bonum egreditur, ita de templo omne malum procedit: si enim sacerdotium integrum fuerit, tota ecclesia floret; si autem corruptum fuerit, tota fides marcida est: sicut enim cum videris arborem pallentibus foliis, intelligis quia vitium habet in radice; sic cum videris populum indisciplinatum, sine dubio cognosce quia sacerdotium eius non est sanum. sequitur et eiciebat omnes vendentes et ementes.

Hieronymus. Sciendum quidem est, quod iuxta mandata legis in venerabili toto orbe templo domini, et de cunctis pene regionibus iudaeorum illuc populo conflente, innumerabiles immolabantur hostiae, maxime festis diebus, taurorum, arietum, hircorum; pauperibus, ne absque sacrificio essent, pullos columbarum et turtures offerentibus. Accidebat autem ut qui de longe venerant, victimas non haberent. excogitaverunt igitur sacerdotes quomodo praedam de populo facerent; et omnia animalia quibus opus erat ad sacrificia, venderent; et ut venderent non habentibus, et ut ipsi rursus empta susciperent. Hanc ergo stropham, idest fraudem se in diversa vertentem, crebro venientium inopia dissipabat, qui indigebant sumptibus, et non solum hostias non habebant, sed nec unde emerent. Posuerunt itaque nummularios, qui mutuam sub cautione darent pecuniam. Sed quia erat lege praeceptum ut nemo usuras acciperet, et prodesse non poterat pecunia fenerata, quae commodi nihil haberet, et interdum perderet sortem, excogitaverunt et aliam technam, idest artem, ut pro nummulariis collibystas facerent, cuius verbi proprietatem latina lingua non

exprimit. Collyba dicuntur apud illos, quae nos appellamus tragemata, vel vilia munuscula; verbi gratia, frixi ciceris, uvarumque passarum, et poma diversi generis. Igitur quia usuras accipere non poterant, collibystae pro usuris accipiebant varias species; ut quae in nummo non licebant, in his rebus exigerent, quae nummis coemuntur: quasi non hoc ipsum Ezechiel praedicaverit dicens: usuram et superabundantiam non accipietis. istiusmodi dominus cernens in domo patris, negotiationem seu latrocinium, ardore spiritus concitatus, tantam hominum multitudinem eiecit de templo.

Origenes in Matth. In quo non debent vendere et emere, sed orationibus tantum vacare qui congregantur, quasi in domo orationis: unde sequitur et dicit eis: scriptum est: domus mea domus orationis vocabitur.

Augustinus in regula. nemo ergo in oratorio aliquid agat nisi ad quod factum est, unde et nomen accepit. sequitur vos autem fecistis illam speluncam latronum.

Hieronymus. Latro enim est, et templum Dei in latronum convertit speluncam, qui luca de religione sectatur. mihi autem inter omnia signa quae fecit dominus, hoc videtur esse mirabilius, quod unus homo, et illo tempore contemptibilis, intantum ut postea crucifigeretur, scribis et pharisaeis contra se saevientibus et videntibus luca sua destrui, potuerit ad unius flagelli verbera tantam eicere multitudinem. Igneum enim quiddam atque sidereum radiabat ex oculis eius, et divinitatis maiestas lucebat in facie.

Augustinus de cons. Evang. Manifestum est, hoc non semel, sed iterum a domino esse factum; sed primum commemoratum est a iohanne, hoc autem ultimum a ceteris tribus.

Chrysostomus in Matth. in quo maior est accusatio iudaeorum: quoniam cum bis hoc idem fecisset, morabantur tamen in sua dementia.

Origenes in Matth. mystice autem templum Dei est ecclesia christi. Sunt autem multi in ea non, sicut decet, viventes spiritualiter, sed secundum carnem militant; qui domum orationis de lapidibus vivis constructam, faciunt speluncam esse latronum actibus suis. Si autem oportet tres species eiectas a templo cautius exponere, possumus dicere: quicumque in populo christiano ad nihil aliud vacant, nisi circa emptiones et venditiones, rarius autem in orationibus permanent, vel in aliis actibus rectis, ipsi sunt vendentes et ementes in templo Dei. Diaconi qui non bene tractant ecclesiarum pecunias et divites fiunt de rebus pauperum, ipsi sunt nummularii, pecuniarum mensas habentes, quas Christus evertit. Quod autem mensis ecclesiarum pecuniarum diaconi praesint, docemur in actibus apostolorum. Episcopi autem qui tradunt ecclesias quibus non oportet, ipsi sunt qui vendunt columbas, idest gratiam spiritus sancti, quorum cathedras Christus evertit.

Hieronymus. iuxta simplicem enim intelligentiam, columbae non erant in cathedris, sed in caveis; nisi forte columbarum institores sedebant in cathedris: quod absurdum est, quia in cathedris magistrorum magis dignitas indicatur; quae ad nihilum redigitur, cum mixta fuerit lucris. Observa etiam propter avaritiam sacerdotum, altaria Dei, nummulariorum mensas appellari. Quod autem de ecclesiis diximus, unusquisque de se intelligat: dicit enim apostolus: vos estis templum Dei. Non sit ergo in domo pectoris vestri negotiatio, non donorum cupiditas, ne ingrediatur iesus iratus et rigidus, et non aliter mundet templum suum nisi flagello adhibito, ut de spelunca latronum domum faciat orationum.

Origenes in Matth. Vel in secundo adventu eiciet, vel evertet quos invenerit in templo Dei indignos.

Chrysostomus super Matth. Ideo etiam nummulariorum mensas evertit: quod significat quod in templo Dei non debent esse nummi, nisi spirituales, qui Dei habent imaginem, non qui portant imaginem terrenam. Cathedras vendentium columbas evertit, loquens ipso facto: quid faciunt in templo multae columbae venales, ex quo una columba gratuita descendit in templum corporis mei? quod autem verbis turbae clamaverunt, dominus factis ostendit: unde sequitur et accesserunt ad eum caeci et claudi in templo, et sanavit eos.

Origenes in Matth. In templo enim Dei, idest in ecclesia, non sunt omnes videntes, neque recte ambulantes; sed qui ex eis intelligunt quia nullius est opus nisi christi ut sanentur, accedentes ad verbum Dei sanantur.

Remigius. quod autem in templo sanantur, significat quod homines non nisi in ecclesia sanari possunt, cui data est potestas ligandi atque solvendi.

Hieronymus. Nisi autem mensas nummulariorum subvertisset cathedrasque columbas vendentium, caeci et claudi lucem pristinam et concitum gradum in templo non meruissent recipere.

Chrysostomus in Matth. principes autem sacerdotum neque ita persuadebantur, sed ex reliquis miraculis et praeconiis puerorum eum extollentibus indignabantur; unde sequitur videntes principes sacerdotum.

Hieronymus. Cum enim manum non audeant in eum inicere sacerdotes, tantum opera calumniantur, et testimonium populi atque puerorum qui clamabant: hosanna filio David; benedictus qui venit in nomine domini: quod videlicet hoc non dicitur nisi soli filio Dei. Videant ergo episcopi, et quilibet sancti homines, cum quanto periculo dici sibi ista patiantur, si vero domino, cui dicebatur, quia nondum solida erat credentium fides, pro crimine impingitur.

Chrysostomus super Matth. Sicut autem columna si modicum obliquata fuerit, accepto pondere amplius vadit in latus, sic et cor hominis cum perversum fuerit, si alicuius viri iusti opera videat vel audiat, non confirmatur, sed magis ad invidiam concitatur. Hoc modo sacerdotes concitati sunt contra Christum, dicentes audis quid isti dicunt? .

Hieronymus. sed christi responsio moderata fuit. non dixit quod scribae audire cupiebant: bene faciunt pueri, ut mihi testimonium perhibeant: nec rursus: errant, pueri sunt, debetis aetati ignoscere: sed profert exemplum de octavo psalmo, ut, tacente domino, testimonium scripturarum puerorum dicta firmaret: unde sequitur iesus autem dicit eis: utique. Nunquam legistis, etc.

Chrysostomus super Matth. tamquam si dicat: esto, mea culpa est, quia isti clamant. Numquid mea culpa est, quia ante tot millia annorum hoc futurum propheta praedixit? infantes autem et lactentes nec intelligere aliquem nec laudare possunt. Dicuntur ergo infantes non aetate, sed simplicitate cordis: lactentes autem, quoniam quasi lactis suavitate, ita mirabilium delectatione excitati clamabant. Lac enim dicitur opus miraculorum: quia miracula nullum laborem videntibus ponunt, sed videntes admiratione delectant, et ad fidem molliter invitant. Panis autem est doctrina perfectae iustitiae; quam accipere non possunt nisi exercitati sensus circa res spirituales.

Chrysostomus in Matth. hoc autem et typus gentium erat, et apostolis non parva consolatio: ut enim non angustiarentur qualiter idiotae existentes possent praedicare, praevenientes pueri eorum eiecerunt timorem: quoniam scilicet dabit eis sermonem qui hos fecit laudem cantare. Hoc etiam miraculum significat quod Christus conditor erat naturae: quia pueri significativa loquebantur, et prophetis consona; viri autem insipientia et insania plena.

MATTHAEUS 21,17-22

5117 (Mt 21,17-22)

Chrysostomus super Matth. malum hominem melius locum dando potest aliquis vincere quam respondendo: quia malitia non instruit sermonibus, sed excitatur: et ideo dominus recedendo compescere studuit quos respondendo non compescuit: unde dicitur et relictis illis, abiit foras extra civitatem in bethaniam.

Hieronymus hinc autem intelligendum est quod dominus tantae fuerit paupertatis, et ita nulli adulatus sit, ut in urbe maxima nullum hospitem, nullam invenerit mansionem; sed in vico parvulo apud lazarum sororesque eius habitaret; eorum quippe viculus bethania est; unde sequitur ibique mansit.

Chrysostomus super Matth. Ut scilicet ibi maneret corporaliter ubi et spiritualiter repausabat: nam sanctorum virorum est quod non gaudent ubi epulae largae sunt, sed ubi sanctitas floret.

Hieronymus. Discussis autem noctis tenebris, cum in civitatem reverteretur dominus esuriit: unde sequitur mane autem revertens in civitatem, esuriit, veritatem scilicet humanae carnis ostendens.

Chrysostomus super Matth. quando enim concessit carni quod proprium erat pati, tunc demonstrat eius passionem.

Rabanus. Nota autem maiorem studiosi operatoris affectum, dum dicitur mane revertisse in civitatem, ut praedicaret, et ut aliquos Deo patri acquireret.

Hieronymus. Dominus autem passurus in populis, et baiulaturus scandalum crucis, voluit discipulorum animos signi anticipatione firmare: unde sequitur et videns arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil

invenit in ea nisi folia tantum.

Chrysostomus in Matth. Non propter hoc veniebat quia esuriebat, sed propter discipulos: quia enim ubique benefaciebat, nullum autem puniebat, oportebat et punitricis eius virtutis demonstrationem tribuere. Noluit autem in hominibus hoc ostendere, sed in planta.

Hilarius in Matth. Et in hoc quidem bonitatis dominicae argumentum reperimus: nam ubi afferre voluit procuratae per se salutis exemplum, virtutis suae potestatem in humanis corporibus exercuit, spem futurorum et animae salutem, curis praesentium aegritudinum commendans; nunc vero, ubi in contumaces formam severitatis constituebat, futuri speciem damno arboris indicavit: unde sequitur et ait illi: numquam ex te fructus nascatur in sempiternum.

Hieronymus. vel in saeculum, utrumque enim eona, graecus sermo significat.

Chrysostomus in Matth. Suspicionis autem discipulorum erat existimare propter hoc eam esse maledictam, quia non habebat fructum: cur igitur maledicta est? discipulorum gratia, ut discant quoniam poterat siccare eos qui crucifixerunt eum; unde sequitur et arefacta est continuo ficulnea. Ideo autem non in alia planta, sed in omnium humidissima miraculum hoc fecit, ut et hinc maius hoc miraculum appareat. Cum autem in plantis vel in brutis fit aliquid tale, non quaeras qualiter iuste siccata est ficus, si tempus non erat (hoc enim quaerere est ultimae dementiae, quia scilicet in talibus non invenitur culpa et poena): sed miraculum inspicere, et admirare miraculi factorem; unde sequitur et videntes discipuli mirati sunt, dicentes: quomodo continuo aruit? **Glossa.** Non facit creator iniuriam possidenti; sed creatura suo arbitrio ad utilitatem aliorum mutatur.

Chrysostomus in Matth. et ut discas quoniam propter eos hoc factum est, scilicet ut ad confitendum eos erigat, audi quid deinceps dicatur: sequitur enim respondens autem iesus ait illis: amen dico vobis, si habueritis fidem.

Hieronymus. Latrant contra nos gentilium canes, asserentes apostolos non habuisse fidem, quia montes transferre non potuerunt. quibus respondemus multa facta esse signa a domino quae scripta non sunt: igitur et haec credimus fecisse apostolos; sed ideo scripta non esse ne infidelibus contradicendi maior daretur occasio: alioquin interrogemus eos, utrum credant his signis quae scripta narrantur, an non? et cum incredulos viderimus, consequenter probabimus, nec maioribus eos credituros fuisse qui minoribus non crediderunt.

Chrysostomus. hoc autem quod dominus dicit, orationi adscribit et fidei: unde iterum dicit omnia quaecumque petieritis in oratione credentes accipietis: discipuli enim christi, nihil eorum quae non oportet petunt: et quasi credentes magistro, nihil aliud petunt nisi magna et caelestia.

Rabanus. Quotiescumque autem petentes non exaudimur, ideo fit quia vel contra auxilium nostrae salutis petimus, vel quia eorum pro quibus petimus, perversitas ne impetremus obsistit; vel in futurum petitionis nostrae differtur effectus, ut desideria crescant, et perfectius capiant gaudia quae requiruntur.

Augustinus de cons. Evang. considerandum autem, quod miratos esse discipulos de hoc quod arbor aruerat, et eis dominum respondisse quod dictum est de fide, non ipso secundo die quo maledixerit arbori, sed tertio die Marcus dicit: ipso quippe die secundo commemoravit Marcus de templo eiectos vendentes, quod primo die factum praetermiserat; ipso ergo secundo die dicit, facta vespera, egressum de civitate; et cum mane transirent, vidisse discipulos mane factam ficum aridam. Matthaeus autem sic loquitur tamquam secundo die hoc totum sit factum; unde intelligitur quod cum Matthaeus dixisset arefacta est continuo ficulnea, praetermissis ceteris ad secundam diem pertinentibus, adiunxit statim et videntes discipuli admirati sunt; ita tamen quod alio die viderit dominus ficulneam, et alio die discipuli mirati sunt: intelligitur enim non tunc aruisse quando viderunt arefactam, sed continuo quando maledicta est: non enim arescentem, sed penitus arefactam viderunt, ac sic eam continuo in verbo domini aruisse intellexerunt.

Origenes in Matth. Mystice autem relinquens dominus principes et scribas, factus est extra ierusalem terrenam, quae ideo cecidit. Venit autem in bethaniam ad domum obedientiae, id est ecclesiam: ubi cum requievisset post principium constituendi ecclesiam, revertitur in civitatem quam paulo ante reliquerat, et revertens esuriit.

Chrysostomus super Matth. Si autem quasi homo esurisset cibum carnalem, nunquam mane esurisset: sed mane esurit qui aliorum esurit salutem.

Hieronymus. Arborem autem quam vidit in via, intelligimus synagogam, quae iuxta viam erat: quia legem

habebat, non tamen credebat in viam, idest in Christum.

Hilarius in Matth. Quae ficus arbori comparatur, quia credentes primi ex israel apostoli crasso modo, ceteros resurrectionis gloria et tempore anteibunt.

Chrysostomus super Matth. Ficus etiam propter multitudinem granorum sub uno cortice, est quasi congregatio multorum fidelium. Nihil autem invenit in ea nisi folia tantum, idest traditiones pharisaicas, iactationem legis absque fructibus veritatis.

Origenes in Matth. Et quoniam arbor illa erat figuraliter animam habens, quasi audienti dicit nunquam ex te fructus nascatur in sempiternum: ideo infructuosa est synagoga iudaeorum; et hoc erit usque ad consummationem saeculi, donec intraverit gentium multitudo; et aruit ficulnea, adhuc peregrinante in hac vita Christo, et videntes discipuli oculis spiritualibus mysterium fidei siccatae, mirati sunt; sed et discipuli christi fideles, et non haesitantes, relinquentes eam, siccam faciunt, cum vitalis virtus transierit ab eis ad gentes; sed et a singulis qui adducuntur ad fidem, tollitur mons ille satanas et mittitur in mare, idest in abyssum.

Chrysostomus super Matth. vel in mare, idest in istum mundum, ubi sunt aquae salsae, idest populi iniqui.

Rabanus. Exclusionem enim suam ab electis amplius saeviendo vindicat in reprobis.

Augustinus de quaest. Evang. vel hoc sibi servus Dei dicere debet de monte superbiae, ut eam a se repellat: vel quia per eos evangelium praedicatum est, ipse dominus, qui mons appellatus est, a iudaeis in gentes tamquam in mare iacitur.

Origenes. Omnis etiam qui obedit verbo Dei, bethania est, et requiescit Christus in eo: malos quidem et peccatores reliquit; quando autem fuerit apud iustos, fit et apud alios post illos et cum illis: non enim dicitur quod relinquens bethaniam venit in civitatem. Esurit autem semper dominus in iustis, volens manducare fructum spiritus sancti in eis, qui sunt caritas, gaudium et pax. Erat autem secus viam haec ficus quae folia tantum habuit sine fructu.

Chrysostomus super Matth. Idest iuxta mundum: si enim homo iuxta mundum vixerit, non potest in se fructum iustitiae tenere.

Origenes. si autem venerit dominus in tentationibus, fructum requirens, et inventus fuerit aliquis nihil iustitiae habens, nisi professionem tantummodo fidei, quod est folia sine fructu: mox exsiccatur, hoc ipsum etiam quod videtur fidelis amittens; sed et unusquisque discipulorum ficum aescere facit, manifestum faciens, eum esse vacuum a Christo: sicut petrus dixit ad simonem: cor tuum non est rectum coram Deo. Melius est enim fallacem ficum, quae vivere aestimatur, non autem fructificet, siccari verbis discipulorum christi, et fieri manifestam, quam ut furetur per figmentum innocentium corda. Est autem et in unoquoque infideli mons secundum mensuram infidelitatis suae, qui verbis discipulorum christi tollitur.

MATTHAEUS 21,23-27

5123 (Mt 21,23-27)

Chrysostomus super Matth. quia viderant sacerdotes Christum cum magna gloria introeuntem in templum, invidia torquebantur. Itaque non sufferentes in pectore suo invidiae stimulantis ardorem, prorumpunt in vocem; unde dicitur et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentes principes sacerdotum et seniores populi dicentes: in qua potestate haec facis? .

Chrysostomus in Matth. Quia enim signis detrahare non habebant, ex his quae inhibebantur in templo vendere, afferunt reprehensionem; ac si dicerent: numquid magistralem suscepisti thronum? sacerdos consecratus es, quoniam tantam demonstrasti potestatem? .

Chrysostomus super Matth. Per hoc autem quod subdunt aut quis dedit tibi hanc potestatem? ostendunt multas esse personas quae dant hominibus potestatem, sive corporalem, sive etiam spiritualem; quasi dicerent: de sacerdotali familia genitus non es; senatus tibi hoc non concessit; caesar non donavit. Si autem credidissent quia omnis potestas ex Deo est, nunquam interrogassent: quis dedit tibi hanc potestatem? omnis enim homo secundum se aestimat alterum: fornicarius neminem aestimat castum; castus non facile de fornicario suspicatur; sic qui non est ex Deo sacerdos, nullius sacerdotium putat ex Deo.

Hieronymus. Vel his verbis eadem quam supra calumniam struunt, quando dixerunt: in beelzebub principe daemoniorum eicit daemona. Quando enim dicunt in qua potestate haec facis? dubitant de Dei potestate, et subintelligi volunt, diaboli esse quod faciat. Addentes quoque quis tibi dedit hanc potestatem? manifestissime Dei filium negant, quem putant non suis, sed alienis viribus signa facere. poterat autem dominus aperta responsione tentatorum calumniam confutare; sed prudenter interrogavit, ut suo ipsi vel silentio vel scientia condemnarentur: unde sequitur respondens iesus dixit eis: interrogabo vos et ego unum sermonem.

Chrysostomus super Matth. Non quidem ut respondentes audiant, sed ut impediti non interrogent: quia ipse praeceperat: nolite sanctum dare canibus. deinde etiam si dixisset, nihil proficeret: quia non potest sentire quae lucis sunt tenebrosa voluntas: interrogantem enim oportet docere, tentantem autem rationabili laqueum ponit in sua interrogatione; et quia eum vitare non poterant, subdit quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestate haec facio. Est autem interrogatio talis: baptismus iohannis unde erat? ex caelo, an ex hominibus? .

Augustinus super iohan. Accepit quidem iohannes ut baptizare posset ab eo quem postmodum baptizavit; baptismus autem quem accepit, baptismus iohannis hic dicitur. Solus tale donum accepit: nullus ante ipsum iustorum, nullus post ipsum accepit baptismum, qui baptismus diceretur ipsius. Venit enim iohannes baptizare in aqua poenitentiae, viam domino praeparando, non interius mundando, quod purus homo non potest.

Hieronymus. Ipsi autem sacerdotes quid in sua malitia pertractaverint, ostenditur cum subditur at illi cogitabant inter se. si enim respondissent baptisma iohannis esse de caelo, consequens erat responsio: quare ergo non estis baptizati a iohanne? si autem dicere voluissent humana deceptione compositum et nihil habere divinum, seditionem populi formidabant. omnes enim congregatae multitudines, iohannis receperant baptisma, et sic habebant eum ut prophetam. Respondit itaque impiissima factio, et humilitatis verbo, quo nescire se diceret, versa est ad insidias cooperiendas: unde sequitur et respondentes iesu, dixerunt: nescimus. in hoc quod nescire se responderant, mentiti sunt: consequens ergo erat iuxta responsionem eorum, dominum quoque dicere: nec ego scio. Sed mentiri veritas non potest; sequitur enim ait illis et ipse: nec ego dico vobis in qua potestate haec facio. Ex quo ostendit et illos scire, sed respondisse nolle: et se nosse, et ideo non dicere, quia illi quod sciant taceant.

Origenes in Matth. Sed dicet aliquis contra hoc, quia ridiculum erat interrogare in qua potestate haec faceret iesus: nec enim poterat fieri ut responderet quia in potestate diaboli faceret; sed nec ipse responderet quod erat verum, quoniam in potestate propria facit. Si quis autem dicat, quoniam interrogabant principes ut illum terrerent, ut puta, si facit aliquis quod nobis non placet in nostris, dicimus ei: quis te iussit hoc facere? eum terrentes ut recedat ab actu: sed quid est quod et Christus ita respondit: dicite mihi vos hoc, et ego vobis dicam in qua potestate haec facio? forte ergo sic intelligitur hic locus. Generaliter quidem sunt duae potestates diversae: una ex parte Dei, altera ex parte diaboli: specialiter autem sunt plures; non enim una potestas omnibus prophetis facientibus signa cooperabatur; sed alia istis, alia illis; et ad res forsitan inferiores inferior, ad res autem eminentiores eminentior. Principes autem sacerdotum videbant iesum multa prodigia facientem; et ideo potestatis sibi cooperantis speciem et proprietatem volebant audire a Christo. Alii quidem qui signa fecerunt, in primis quidem in ista potestate fecerunt; proficientes autem in alia potestate maiori; tamen salvator universa fecit in una potestate, quam accepit a patre. Quoniam autem non erant digni talia audire mysteria, propterea non dat eis responsum, sed contra interrogat.

Rabanus. Ob duas enim causas scientia veritatis est occultanda quaerentibus: cum scilicet is qui quaerit aut minus capax est ad intelligendum, aut odio vel contemptu veritatis indignus est cui debeat aperiri quod quaerit.

MATTHAEUS 21,28-32

5128 (Mt 21,28-32)

Hieronymus. Post praemissa, infert dominus parabolam, qua et illos impietatis arguat, et ad gentes regnum Dei doceat transferendum, dicens quid autem vobis videtur? .

Chrysostomus super Matth. quos reos proponit in causa, ipsos et iudices petit, ut a nullo mereantur solvi

qui seipsos condemnant. magna est fiducia iustitiae ubi adversario ipsi causa committitur. In parabolis ergo figurat personas eorum, ut non intelligant quomodo ipsi adversus se sententiam dicerent; sequitur enim homo quidam habebat duos filios. Quis ille nisi Deus, qui omnes homines creavit; qui cum sit natura dominus, tamen vult magis diligi quasi pater, quam timeri ut dominus? maior filius, gentium populus erat; minor vero, populus iudaeorum: quoniam gentes quidem erant ex tempore noe, iudaei autem ex abraham. Sequitur et accedens ad primum dixit: fili, vade hodie, operare, in vinea mea. Hodie, idest tempore saeculi huius. Locutus est autem non in facie, ut homo, sed in corde, ut Deus, sensibus ingerens intellectum. operari autem in vinea est iustitiam facere: nescio autem si totam quis hominum sufficiat operari.

Hieronymus. Primo ergo dicitur gentilium populo per naturalis legis notitiam: vade, et operare in vinea mea; hoc est, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; qui superbe respondit: unde sequitur ille autem respondens ait: nolo.

Chrysostomus super Matth. gentes enim a principio relinquentes Deum et iustitiam eius, et transeuntes ad idola et peccata, in cogitationibus suis respondere videntur: nolumus facere Dei iustitiam.

Hieronymus. Postea vero in adventu salvatoris, gentium populus, acta poenitentia, operatus est in vinea Dei, et sermonis contumaciam labore correxit; et hoc est quod dicitur postea poenitentia motus abiit. sequitur accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens ait: eo, domine. Secundus enim filius, populus iudaeorum est, qui respondit moysi: omnia quaecumque dixerit nobis dominus, faciemus.

Chrysostomus super Matth. Sed postea aversi, mentiti sunt Deo, secundum illud: filii alieni mentiti sunt mihi; et hoc est quod dicitur et non ivit. Interrogat ergo dominus consequenter: quis ex duobus fecit voluntatem patris? dicunt ei: primus. Vide quomodo adversus se protulerunt sententiam, dicentes priorem filium voluntatem patris fecisse, idest populum gentium: quia melius est non promittere Deo iustitiam et facere, quam promittere et mentiri.

Origenes in Matth. unde potest considerari dominum esse locutum in parabola ista ad eos qui modicum aut nihil promittunt, operibus autem ostendunt; et contra eos qui magna promittunt, nihil autem secundum promissionem suam agunt.

Hieronymus. sciendum est autem, in veris exemplaribus non haberi novissimum, sed primum, ut proprio iudicio condemnentur. si autem novissimum voluerimus legere, ut quidam habent, manifesta est interpretatio, ut dicamus intelligere quidem veritatem iudaeos, sed tergiversari, et nolle dicere quid sentiunt; sicut et baptismum iohannis scientes esse de caelo, dicere noluerunt.

Chrysostomus super Matth. eorum autem iudicium dominus abundanter confirmat: unde sequitur dixit iesus: amen dico vobis, quia publicani et meretrices praecedent vos in regno Dei; ac si dicat: non solum populus gentium melior est vobis, sed etiam publicani et meretrices.

Rabanus. Potest autem regnum Dei evangelium vel ecclesia praesens intelligi; in quo gentes iudaeos praecedunt, quia citius credere voluerunt.

Origenes in Matth. Per hoc autem non excluditur quin iudaei aliquando intrent in regnum Dei; sed cum plenitudo gentium intraverit tunc omnis israel salvus fiet.

Chrysostomus super Matth. Puto autem, quod ex persona omnium virorum peccatorum publicani ponuntur, et ex persona omnium mulierum peccatricum, meretrices: quia avaritia praecipue in viris abundat, fornicatio autem in mulieribus: mulier enim in quiete sedet inclusa; fornicatio autem maxime ex otio nascitur; vir autem quoniam in actibus rerum diversarum est assidue, in avaritiae peccatum facile incurrit; in fornicationem autem non facile, nisi multum sit lascivus: nam occupatio virilium sollicitudinum, voluptatem plerumque excludit; unde proprium est hoc adolescentium nihil agentium. Consequenter exponit causam eius quod dixerat, dicens venit enim iohannes ad vos in via iustitiae, et non credidistis ei.

Rabanus. Viam iustitiae iohannes praedicans venit, quia Christum, qui consummatio legis est, digito monstravit.

Chrysostomus super Matth. vel venit in via iustitiae sic manifeste ut conversatio eius venerabilis peccatorum corda concuteret; unde sequitur publicani autem et meretrices crediderunt ei. Considera quomodo conversatio bona praedicatoris praedicationi praestet virtutem, ut etiam indomita domet corda. sequitur vos autem videntes, nec poenitentiam habuistis postea, ut crederetis ei; ac si diceret: illi fecerunt

quod maius est, credendo; isti autem neque poenitentiam fecerunt, quod minus est. in hac autem expositione, quam secundum multorum expositionem tractavimus, aliquid mihi videtur esse contrarium. Si enim duo filii, iudaei et gentes, intelligendi sunt; postquam sacerdotes interrogati responderunt priorem filium patris voluntatem fecisse, concludens Christus parabolam, sic debuit dicere: amen dico vobis, quia gentes praecedent vos in regnum Dei. nunc autem dicit quia publicani et meretrices praecedent vos in regno Dei; quod magis popularium hominum ostendit conditionem quam gentium: nisi forte intelligamus ut prius dictum est: intantum gentium populus magis placet Deo quam vos, ut etiam publicani et meretrices sint acceptabiliores Deo quam vos.

Hieronymus. unde alii putant non gentilium et iudaeorum esse parabolam: sed simpliciter peccatorum et iustorum: eo quod illi quidem per mala opera Deo servire negaverant, postea poenitentiae baptismum acceperant a iohanne; pharisaei autem, qui iustitiam praeferebant, et legem Dei se facere iactabant, iohannis contempto baptisate, eius praecepta non fecerunt.

Chrysostomus super Matth. Hoc autem ideo introducit, quia sacerdotes non discendi causa, sed tentandi interrogaverant: in qua potestate hoc facis? multi autem ex populis crediderant: et ideo introducit parabolam duorum filiorum, ostendens eis per eam, quia meliores sunt populares, qui a principio saecularem profitentur vitam, quam sacerdotes, qui a principio profitentur Deo servire: quoniam populares quidem aliquando compuncti convertuntur ad Deum; sacerdotes autem impenitentibus constituti, nunquam desinunt peccare in Deum. Prior enim filius populus est: non enim populus est propter sacerdotes, sed sacerdotes propter populum.

MATTHAEUS 21,33-44

5133 (Mt 21,33-44)

Chrysostomus in Matth. post priorem parabolam, aliam ponit, ut ostendat eorum accusationem esse maiorem, et venia indignam: unde dicitur aliam parabolam audite. Homo erat paterfamilias qui plantavit vineam.

Origenes in Matth. Homo paterfamilias Deus est, qui dicitur homo in quibusdam parabolis; sicut si pater cum parvulo filio suo loquatur infantilia, ut descendat ad verba filii sui, et instruat eum.

Chrysostomus super Matth. homo autem dicitur nomine non natura; similitudine, non veritate: praescius enim filius, quia propter appellationem humani nominis, quasi homo purus fuerit blasphemandus, etiam Deum patrem invisibilem hominem appellavit, qui angelorum et hominum natura dominus est, benevolentia pater.

Hieronymus. Plantavit autem vineam, de qua loquitur isaias: vinea domini sabaoth, domus israel est. sequitur et sepem circumdedit ei, vel murum urbis, vel angelorum auxilia.

Chrysostomus super Matth. vel per sepem intellige custodiam patrum iustorum, qui tamquam murus facti sunt populo israel.

Origenes. Vel custodia Dei fuit sepes ipsius; torcular autem locus libationum, de quo sequitur et fodit in ea torcular.

Hieronymus. Altare scilicet, aut torcularia illa, quorum titulo tres psalmi praenotantur, 8, 80, 83, scilicet martyres.

Hilarius in Matth. vel prophetas quasi quaedam torcularia aptavit, in quos musti modo quaedam ubertas spiritus sancti ferventius influeret.

Chrysostomus super Matth. vel torcular est verbum Dei, quod cruciat hominem, contradicente carnis natura. sequitur et aedificavit turrim.

Hieronymus. idest templum, de quo dicitur per michaeam: et tu turris nebulosa, filia sion.

Hilarius in Matth. vel in turre eminentiam legis extruxit, quae et in caelum ex solo egressa proveheret, et ex qua speculari christi posset adventus. sequitur et locavit eam agricolis.

Chrysostomus super Matth. Quando scilicet per legem constituti sunt sacerdotes et levitae, et procuracionem regendi populum susceperunt. Sicut autem colonus, quamvis de suo munere obtulerit domino, non sic eum placat sicut si de vinea eius redditus ei obtulerit, sic et sacerdos non tantum propter suam iustitiam placet Deo, quomodo si populum Dei in sanctitate docuerit: quoniam ipsius iustitia una est, populi autem multiplex. sequitur et peregre profectus est.

Hieronymus. non loci mutatione: nec enim Deus alicubi abesse potest, quo complentur omnia: sed abire videtur a vinea, ut vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat.

Chrysostomus in Matth. vel peregre profectus est, cum longanimitatem habuit, non semper eorum peccatis poenam inducens.

Origenes in Matth. Vel quia dominus, qui fuerat cum illis in nube diei et in columna ignis per noctem, nequaquam postea similiter apparuit illis. In isaia ergo iudaicus populus vinea nominatur, et comminatio patrisfamilias contra vineam fit; in evangelio autem vinea non culpatur, sed eius coloni. Sed forte in evangelio vinea est regnum Dei, idest doctrina, quae scripturis inserta est sanctis; vita autem irreprehensibilis hominum, est vineae fructus. Littera autem scripturae est vineae sepes circumposita, ut non videantur ab his qui foris sunt, fructus qui sunt in absconso. profunditas autem eloquiorum Dei est vineae torcular; in quod qui profecerunt de eloquiis Dei, infundunt studia sua quasi fructus. Turris autem aedificata, est verbum de ipso Deo et de dispensationibus christi. Hanc vineam tradidit colonis, idest populo ante nos, tam sacerdotibus quam laicis. Et peregre profectus est, ad suam profectionem dans occasionem colonis. appropinquat autem tempus fructuum, et secundum unumquemque, et generaliter populo universo. Primum enim vitae tempus est secundum infantiam; et tunc nihil vinea ostendit, nisi tantum habens in se vitalem virtutem; cum autem inceperit posse loqui, tempus est generationis. Quantum autem proficit anima pueri, tantum et vinea, idest verbum Dei; et post profectum, vinea operatur fructum maturum caritatis, et gaudii, et pacis, et huiusmodi. sed et populo qui acceperunt legem per moysen, tempus fructuum appropinquat aliquando: unde sequitur cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus eius.

Rabanus. Unde tempus fructuum posuit, non proventuum: nullus enim est fructus populi contumacis.

Chrysostomus in Matth. Servos dicit prophetas, qui offerunt, quasi sacerdotes domini, populi fructus et obedientiae ostensionem per opera. Hi autem non solum malitia potiti sunt in non dando fructum, sed etiam in indignando ad eos qui venerunt; et sanguine manus impleverunt; unde sequitur agricolae autem apprehensis servis eius, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt.

Hieronymus. Caeciderunt quidem, ut ieremiam; occiderunt, ut isaiam; lapidaverunt, ut naboth et zachariam, quem interfecerunt inter templum et altare.

Chrysostomus super Matth. per singulos autem gradus malitiae, Dei misericordia addebatur; et per singulos gradus divinae misericordiae malitia iudaeorum crescebat; et sic contra Dei clementiam malignitas humana certabat: unde sequitur iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter.

Hilarius in Matth. missi autem plures prioribus, illud tempus designant quo post singulorum prophetarum praedicationem plurimus simul numerus prophetantium emissus est.

Rabanus. vel servi qui missi sunt, ipse legifer moyses intelligitur, et aaron primus sacerdos Dei, quos caesos flagello linguae vacuos emisserunt: alios autem servos, prophetarum choros intellige.

Hilarius. In filio autem ad ultimum misso, domini nostri adventus significatur: sequitur enim novissime autem misit ad eos filium suum.

Chrysostomus in Matth. Quare autem non confestim misit? ut ex his quae ad alios fecerant, seipsos accusarent, et furorem dimittentes, verecundarentur propter filium advenientem: unde sequitur verebuntur filium meum.

Chrysostomus. hunc autem misit, non quasi ad obnoxios poenae sententiam baiulantem, sed poenitentiae veniam: misit eum eos confundere, non punire.

Hieronymus. Quod autem dicit verebuntur filium meum, non de ignorantia venit. Quid enim nesciat paterfamilias, qui hoc loco Deus intelligitur? sed semper ambigere Deus dicitur, ut libera voluntas homini reservetur.

Chrysostomus in Matth. Vel hoc dicit, annuntians quid fieri debebat, quoniam oportebat eos verecundari; per hoc enim vult ostendere peccatum eorum magnum, et omni excusatione privatum.

Origenes in Matth. Vel illud quod ait verebuntur forte filium meum, videtur impletum in illis iudaeis qui intelligentes Christum, crediderunt in eum. hoc autem quod sequitur: agricolae autem videntes filium, dixerunt inter se: hic est heres; venite, occidamus eum, in illis impletum est qui videntes Christum, et cognoscentes filium Dei, nihilominus crucifixerunt eum.

Hieronymus. Interrogemus arium et eunomium: ecce pater dicitur ignorare. Quidquid pro patre responderint, hoc intelligant de filio, qui se dicit ignorare consummationis diem.

Chrysostomus super Matth. dicunt autem quidam, quia post incarnationem dictus est Christus filius ex baptismo, sicut ceteri sancti; quos ex hoc loco convincit dominus, ubi dicitur: mittam filium meum. Quando ergo adhuc cogitabat ad transmittendum filium post prophetas, iam filius erat: deinde se eo modo dicitur filius sicut omnes sancti ad quos factum est verbum Dei, debuit et prophetas dicere filios sicut et Christum, aut et Christum servum dicere sicut et ceteros prophetas.

Hieronymus. post hoc autem quod dicunt hic est heres, manifeste dominus probat iudaeorum principes non per ignorantiam, sed per invidiam Dei filium crucifixisse. Intellexerunt enim eum esse illum cui pater per prophetam dicit: postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam. Hereditas quippe filio sancta ecclesia data est: quam non moriens pater illi reliquit; sed ipse sua morte mirabiliter acquisivit.

Chrysostomus super Matth. tamen postquam introivit in templum, et vendentes animalia quae ad sacrificium pertinebant, foras eiecit, tunc praecipue cogitaverunt eum occidere: unde dicunt venite, occidamus eum. Dicebant enim intra se: necesse est ut populus per istum dimittat consuetudinem hostiarum, quae ad nostrum pertinent lucrum, et acquiescat offerre sacrificium iustitiae, quod ad gloriam pertinet Dei: et sic iam non erit populus iste possessio nostra, sed Dei. si autem occiderimus eum dum non est qui iustitiae fructum a populo quaerat, semper durabit consuetudo offerendarum hostiarum; et sic populus iste erit nostra possessio, et hoc est quod sequitur et nostra erit hereditas. Haec est cogitatio communis omnium sacerdotum carnalium, qui non sunt solliciti quomodo vivat populus sine peccato; sed aspiciunt quid in ecclesia offeratur, et hoc aestimant sacerdotii sui lucrum.

Rabanus. Vel hereditatem, occiso eo, praeripere moliebantur iudaei, cum fidem quae per eum est, extinguere, et suam magis quae ex lege est iustitiam praeferre, ac gentibus imbuendis conabantur inserere. sequitur et apprehensum eum, eiecerunt extra vineam, et occiderunt.

Hilarius. in Matth. Christus enim extra ierusalem, tamquam extra vineam in sententiam damnationis abiectus est.

Origenes in Matth. Vel quod dicit eiecerunt extra vineam, tale mihi videtur: quantum ad se, alienum eum esse iudicaverunt a vinea et colonis. sequitur cum ergo venerit dominus vineae, quid faciet agricolis illis? .

Hieronymus. interrogat quidem eos dominus, non quod ignoret quid responsuri sint, sed ut propria responsione damnentur. sequitur aiunt illi: malos male perdet, et vineam suam locabit aliis agricolis.

Chrysostomus super Matth. quod autem verum responderunt, non est illorum qui iuste iudicaverunt, sed ipsius causae: veritas enim ipsis violentiam fecit. **Origenes.** Sicut enim caiphas, sic et isti non ex se prophetaverunt contra se, quoniam tollenda ab eis erant eloquia Dei, et danda gentibus fructum in tempore daturis. Vel dominus, quem occiderunt, statim venit resurgens a mortuis, et malos quidem colonos male perdidit, aliis autem colonis, idest apostolis, vineam suam consignavit, idest eis qui ex iudaico populo crediderunt.

Augustinus de cons. Evang. Marcus autem hoc ab ipsis non responsum esse commemorat; sed dominum hoc consequenter locutum, post interrogationem suam, ipsum sibi quodammodo respondisse. Sed facile potest intelligi, vel illorum vocem ita subiectam ut non interponeretur illi responderunt, sed tamen intelligeretur: aut ideo responsionem istam domino potius attributam, quia cum verum dixerunt, etiam de illis hoc ipse respondet, qui veritas est.

Chrysostomus in Matth. vel non est contradictionis: etenim utraque facta sunt: quia scilicet et ipsi primo hoc responderunt, et postea dominus iteravit.

Augustinus de cons. Evang. sed illud magis movet quod Lucas non solum eos hoc respondisse non dicit,

verum etiam contrariam retulisse responsionem: ita enim narrat: quo audito (scilicet hac sententia ex ore domini prolata). dixerunt: absit. Restat ergo ut intelligamus, in plebe quae audiebat, quosdam respondisse quod Matthaeus commemorat, quosdam vero illud quod Lucas dicit, idest absit. Nec moveat quod Matthaeus principes sacerdotum et seniores populi dixit accessisse ad dominum; et sic sine interpositione alicuius personae sermo contexitur usque ad hoc quod de locata agricolis vinea commemoratur: potest enim putari, omnia haec cum principibus sacerdotum locutum fuisse; sed Matthaeus brevitatis causa tacuit, quod Lucas non tacuit; parabolam scilicet istam non ad eos solos dictam qui de potestate interrogaverant, sed ad plebem in qua erant qui dicerent perdet illos et vineam suam dabit aliis: quae vox recte etiam ipsius domini fuisse intelligitur, sive propter veritatem, sive propter membrorum eius cum suo capite unitatem. Erant etiam qui talia respondentibus dicerent: absit, quia intelligebant contra seipsos parabolam esse dictam.

Chrysostomus super Matth. Vel aliter. Lucas quidem secundum responsionem oris eorum narravit; Matthaeus autem secundum responsionem cordis: nam vere visibiliter quidem in facie contradixerunt dicentes: absit. In conscientia autem susceperunt, dicentes malos male perdet. Sicut cum homo deprehensus fuerit in malo, verbis quidem excusat, intus autem eius conscientia recognoscit.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. Dominus propter hoc eis parabolam proposuit ut ipsi non intelligentes, contra se sententiam proferrent; sicut et ad David dictum est per nathan. Rursus autem intelligentes quae dicta sunt contra se esse, dixerunt: absit.

Rabanus. Moraliter autem cuique vinea locatur colenda, cum baptismi mysterium datur, quod operando exerceat. Mittitur servus unus, alter et tertius, cum lex, psalmus, prophetia legitur, ad quorum monita bene operetur. Sed missus caeditur et eicitur, cum sermo contemnitur, vel, quod peius est, blasphematur. Heredem quantum ad se occidit, qui filium Dei conculcaverit, et spiritui gratiae contumeliam fecerit. Perdito malo cultore, vinea alii datur, cum donum gratiae, quod superbus spreverit, humilis accipit.

Chrysostomus super Matth. deinde quasi non acquiescentibus illis, testimonium scripturae inducit. Sequitur enim dicit illis iesus: numquam legistis in scripturis: lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? idest, si parabolam meam non intelligitis, vel istam scripturam cognoscatis.

Hieronymus. Variis autem parabolis res eadem contexitur; quos enim supra operarios et agricolas appellavit, nunc aedificatores, idest caementarios vocat.

Chrysostomus in Matth. Lapidem autem Christum vocat, aedificatores autem doctores iudaeorum, qui Christum reprobaverunt, dicentes: hic non est a Deo.

Rabanus. Sed illis nolentibus, idem lapis caput anguli firmavit: quia de utroque populo quotquot ipse voluit, sua fide coniunxit: unde sequitur hic factus est in caput anguli.

Hilarius in Matth. est enim caput anguli factus: quia est inter legem et gentes lateris utriusque coniunctio.

Chrysostomus in Matth. Deinde ut discant quoniam nihil eorum quae fiebant, Deo contrarium erat, subdit a domino factum est.

Origenes in Matth. Idest, iste lapis donum est, donatum a Deo aedificio universo et admirabile caput in oculis nostris, qui possumus eum videre oculis mentis.

Chrysostomus super Matth. quasi diceret: quare non intelligitis, in cuius aedificii angulo ponendus est ille lapis, non in vestro, quando reprobatus est, sed in alio? si autem aliud aedificium est futurum, ergo vestra aedificatio est contemnenda. Unde subdit ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur gentibus facientibus fructum eius.

Origenes in Matth. regnum Dei dicit mysteria regni Dei, idest divinas scripturas, quas tradidit dominus primo quidem populo illi priori cui credita sunt eloquia Dei, secundo autem gentibus facientibus fructum: nemini enim datur verbum Dei nisi facienti fructum de eo; et nemini in quo peccatum regnat, datur regnum Dei; quomodo ergo illi datum est a quo et ablatum est? sed considera quomodo quod datur, intelligitur gratis datum. Quibus ergo locavit, non omnino quasi electis et fidelibus dedit; quibus autem donavit, cum iudicio electionis donavit.

Chrysostomus super Matth. Lapis autem dicitur Christus non solum propter firmitatem, sed etiam quia est inimicorum magna confractio: unde sequitur et qui ceciderit super lapidem istum, etc.

Hieronymus. qui peccator est, et tamen in illum credit, cadit quidem super lapidem et confringitur, sed non omnino conteritur; reservatur enim per patientiam ad salutem; super quem vero ille ceciderit, hoc est cui lapis ille irruerit, et qui Christum penitus negaverit, sic conteret eum ut nec testa quidem remaneat, in qua hauriatur aquae pusillum.

Chrysostomus super Matth. Aliud est enim confringi, et aliud comminui: de eo enim quod confringitur, aliquid remanet; quod autem comminuitur, quasi in pulverem convertitur. Quod autem cadit ad lapidem, non frangitur secundum quod est lapidis virtus, sed in quantum fortiter cadit, aut propter pondus suum, aut propter altitudinem casus; sic et christianus peccans, non tantum perit, quantum potest perdere Christus, sed quantum ipse se perdit per opera sua: aut propter magnitudinem peccati, aut propter altitudinem dignitatis. infideles autem pereunt tantum quantum potest eos perdere Christus.

Chrysostomus in Matth. Vel hic duas perditiones eorum ostendit: unam ab eo quod offenderunt, et scandalizati sunt; quam designat dicens qui ceciderit super lapidem; aliam a captivitate eis superventura; quam manifestat dicens super quem vero ceciderit.

Augustinus de quaest. Evang. Vel de his dicit quod cadent super eum, qui illum modo contemnunt vel iniuriis afficiunt: ideo nondum penitus intereunt, sed tamen confringuntur, ut non recti ambulent: super quos cadet, dum veniet desuper in iudicio cum poena perditionis: ideo dixit conteret eos, ut sint impii, tamquam pulvis, quem proicit ventus a facie terrae.

MATTHAEUS 21,45-46

5145 (Mt 21,45-46)

Hieronymus. Quamvis duro corde iudaei propter incredulitatem essent, tamen intelligebant contra se omnes domini sententias dirigi: unde dicitur et cum audissent principes sacerdotum et pharisaei parabolas eius, cognoverunt quod de ipsis diceret.

Chrysostomus super Matth. haec est autem differentia bonorum hominum et malorum: bonus enim comprehensus in peccato, gemit quia peccavit; malus autem fremit, non quia peccavit, sed quia comprehensus est in peccato, et non solum poenitentiam non agit, sed magis adversus corripientem irascitur, unde et isti comprehensi, magis ad malitiam sunt excitati; sequitur enim et quaerentes tenere eum, timuerunt turbas, quoniam sicut prophetam eum habebant.

Origenes in Matth. Sapiunt quidem aliquo de eo quod verum est, prophetam eum aestimantes; non autem magnitudinem eius intelligunt, secundum quod erat filius Dei. Turbas autem sic sapientes de eo, et paratas pro eo pugnare timent principes: neque enim ad eorum scientiam pertingere possunt, nihil dignum sentientes de eo. Deinde sciendum est, quoniam volentium iesum tenere, differentia est. Aliter enim principes et pharisaei quaerebant eum tenere; aliter sponsa quae dicit: tenui eum, nec dimittam, adhuc tentura melius, sicut dicit: ascendam in palmam, et tenebo altitudinem eius. Omnes enim non recte sapientes de divinitate, tenere volunt iesum, et perdere eum. Et alia quidem verba, praeter verbum christi, possibile est comprehendere et tenere; verbum autem veritatis nemo potest comprehendere, idest intelligere; neque tenere, idest convincere; neque separare a sensu credentium; neque mortificare, idest destruere.

Chrysostomus super Matth. omnis etiam homo malus quantum ad voluntatem suam, et manus mittit in Deum et occidit eum. Qui enim praecepta Dei conculcat, qui murmurat contra Deum, et turbato vultu aspicit caelum, nonne, si fieri potuisset, manus mitteret in Deum et occideret eum ut iam licenter peccaret?

Rabanus. Sed tamen quod timent mittere manum in iesum propter turbam, quotidie in ecclesia geritur, cum quilibet solo nomine frater, fidei et pacis unitatem, quam non diligit, propter bonos cohabitantes, vel erubescit impugnare, vel timet.

MATTHAEUS 22,1-14

5201 (Mt 22,1-14)

Chrysostomus in Matth. quia dixerat: dabitur genti facienti fructum eius, hic ostendit cui genti: unde dicitur et respondens iesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens: simile factum est regnum caelorum, etc.

Glossa. dicit autem respondens, idest obvians pravae cogitationi eorum de morte sua.

Augustinus de cons. Evang. parabolam autem istam solus Matthaeus narrat: simile quidem etiam Lucas commemorat; sed non est hoc, sicut et ipse ordo indicat.

Gregorius in Evang. hic per nuptias, praesens ecclesia; illic per coenam, aeternum et ultimum convivium designatur; quia et in hanc nonnulli exituri intrant; ad illud quisquis semel intraverit, ulterius non exiit. At si quis forte contendat hanc eandem esse lectionem, intelligi forsitan potest quia de proiecto eo, qui cum nuptiali veste non intraverat, quod Lucas tacuit, Matthaeus dixit; quod vero per illum coena, per hunc autem prandium dicitur, nequaquam obsistit: quia cum ad horam nonam apud antiquos prandium fieret quotidie, ipsum quoque prandium coena vocabatur.

Origenes in Matth. regnum autem caelorum simile est, secundum eum quidem qui regnat, homini regi; secundum eum autem qui conregnat, filio regis; secundum ea vero quae sunt in regno regis, servis et invitatis ad nuptias; inter quod est et exercitus regis. Additum est autem homini regi, ut hominibus quasi homo loquatur, et dispenset homines non cupientes dispensari a Deo. Sed tunc cessabit regnum caelorum esse simile homini, cum cessante zelo et contentione et ceteris passionibus et peccatis, cessaverimus secundum hominem ambulare, et videbimus eum sicuti est. Nunc enim videmus eum non sicuti est, sed sicuti per nostram dispensationem factus fuerit nobis.

Gregorius. tunc autem Deus pater Deo filio nuptias fecit quando hunc in utero virginis humanae naturae coniunxit. Sed quia ex duabus personis fieri solet nuptiarum coniunctio, absit hoc ab intellectibus nostris ut personam redemptoris nostri ex duabus personis credamus esse unitam. Ex duabus quippe atque in duabus hunc naturis existere dicimus, sed ex duabus personis credere compositum ut nefas vitamus. Securius ergo dici potest, quia in hoc rex pater regi filio nuptias fecit, quod ei per incarnationis mysterium sanctam ecclesiam sociavit. Uterus autem genitricis virginis huius sponsi thalamus fuit.

Chrysostomus super Matth. Vel aliter. Cum resurrectio fuerit facta sanctorum, tunc suscipiet hominem vita, quae est Christus, mortalitatem eius sua immortalitate absorbens. Nunc enim quasi arrhas futuri coniugii spiritum sanctum accipimus; tunc autem ipsum Christum plenius in nobis habebimus.

Origenes. vel coniunctionem sponsi ad sponsam, idest christi ad animam, verbi susceptionem intellige; partus autem opera bona.

Hilarius. Merito autem a patre iam sunt hae nuptiae factae, quia aeternitatis huius societas et novi corporis desponsata coniunctio habetur iam perfecta in Christo. sequitur et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias; et noluerunt venire.

Chrysostomus super Matth. ergo quando misit servos suos, iam invitati prius erant. Invitati sunt enim homines a tempore abraham, cui christi incarnatio promittebatur.

Hieronymus. Misit autem servum suum; nec dubium quin moysen, per quem legem invitatis dedit. si autem servos legerimus, ut plura habent exemplaria, ad prophetas referendum est: quia invitati per eos, venire contempserunt. sequitur iterum misit alios servos, dicens: dicite invitatis, etc. Servi qui secundo missi sunt, melius est ut prophetae intelligantur, quam apostoli; ita tamen si servus supra fuerit scriptus; sin autem servos ibidem legas, hic servi secundi, apostoli sunt intelligendi.

Chrysostomus super Matth. Quos misit cum eis dixit: in viam gentium ne abieritis.. sed potius ite ad oves perditas domus israel.

Origenes in Matth. vel qui primi mittuntur servi vocare invitatos ad nuptias habentur prophetae convertentes ex populo per suas prophetias ad laetitiam et restitutionem ecclesiae ad Christum. Qui autem noluerunt venire in primis invitati, sunt qui noluerunt audire verba prophetarum. Iterum alii transmissi, alia congregatio prophetarum est.

Hilarius in Matth. Vel servi primo missi, qui invitatos vocarent, apostoli sunt; qui autem admonentur ut veniant, invitati antea, populus israel est: in gloriam enim aeternitatis per legem est advocatus. Apostolorum ergo erat proprium commonefacere eos quos invitaverant prophetae. qui vero iterum cum praeceptorum conditione mittuntur, apostolici viri sunt successores eorum. **Gregorius** in Evang. Sed quia hi qui prius invitati sunt, ad nuptiarum convivium venire noluerunt, in secunda invitatione iam dicitur ecce prandium meum paravi.

Hieronimus. Prandium paratum, et tauri, et altilia occisa, vel per metaphoram opes regiae describuntur, ut ex carnalibus intelligantur spiritualia; vel certe dogmatum magnitudo et doctrina Dei lege plenissima sentiri potest.

Chrysostomus super Matth. Cum ergo dominus apostolis dixit: euntes praedicate, dicentes quia appropinquavit regnum caelorum, hoc significavit quod hic dicitur prandium meum paravi: idest, ex lege et prophetis scripturarum mensas ornavi: unde sequitur tauri mei et altilia occisa sunt.

Gregorius. per tauros autem patres veteris testamenti significantur; qui ex permissione legis inimicos suos virtutis corporeae cornu feriebant. Altilia vero saginata dicimus: ab eo enim quod est alere, altilia, quasi alitilia, vel quasi alita vocamus. Per altilia ergo patres novi testamenti figurantur; qui dum gratiam pinguedinis internae dulcedinis percipiunt, a terrenis desideris ad sublimia contemplationis suae penna sublevantur. Dicit ergo tauri mei et altilia occisa sunt; ac si diceret: patrum praecedentium mortes aspice, et remedia vitae vestrae cogitate.

Chrysostomus super Matth. Vel aliter. Ideo dicit et saginata et tauros, non quia et tauri non fuerint saginati, sed quia non omnes saginati fuerunt tauri; ergo saginata tantummodo dicit propheta, qui fuerunt spiritu sancto repleti; tauros autem qui prophetae fuerunt et sacerdotes, sicut ieremias et Ezechiel: ut enim tauri duces sunt gregis, ita et sacerdotes principes sunt populi.

Hilarius. Vel aliter. Tauri gloriosa martyrum species est, qui confessioni Dei, tamquam hostia electa, sunt immolati; saginata vero sunt homines spirituales, tamquam caelesti pane ad evolandum aves pastae, ceteros accepti cibi ubertate expleturae. **Gregorius.** Notandum vero, quod in priore invitatione nil de tauris et altilibus dicitur; in secunda autem iam tauri et altilia mactata memorantur: quia omnipotens Deus, cum verba eius audire volumus, adiungit exempla: ut omne quod impossibile credimus, tanto nobis ad superandum fiat facilius, quanto per hoc transisse et alios audimus.

Origenes in Matth. Vel quia prandium quod paratur, est eloquium Dei; fortia quaeque eloquiorum Dei, tauri intelligantur; suavia vero et delectabilia eorum, sunt saginata. Si quis enim proferat quaedam dicta modica et non firma, et non magnam virtutem rationis habentia, videntur macra esse quae proferuntur; saginata autem sunt cum ad unamquamque propositionem exempla multa rationis probatione repleta inducuntur: puta si aliquis de castitate sermonem loquitur, recte intelligitur turtur; sed cum ipsum sanctitatis sermonem cum rationis probatione de scripturis repletum protulerit, ita ut delectet et confirmet animum audientis, protulit eum saginatum.

Chrysostomus super Matth. Quod autem dicitur et omnia parata sunt, intelligitur quia quicquid quaeritur ad salutem, iam adimpletum est in scripturis: qui enim ignorans est, invenit ibi quod discat; qui contumax est, invenit ibi quod timeat; qui laborat, invenit ibi promissa, quibus excitetur ad opus.

Glossa. Vel omnia parata sunt, idest, introitus regni paratus est per fidem meae incarnationis, qui ante fuerat clausus.

Chrysostomus super Matth. Vel omnia parata dicit quae pertinent ad mysterium dominicae passionis et nostrae redemptionis. dicit autem venite ad nuptias, non pedibus, sed fide et moribus. sequitur illi autem neglexerunt. Quare autem neglexerint, manifestat cum subditur et abierunt alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam.

Chrysostomus in Matth. Quamvis autem videantur rationabiles occasiones esse; sed hinc discimus quod etiam si necessaria sint quae detinent, omnibus tamen praeponere spiritualia oportet. Mihi autem videtur quod his occasionibus usi, negligentiae velamina proponebant.

Hilarius in Matth. Ambitione enim saeculi, tamquam villa, homines occupantur; plures vero propter pecuniae cupiditatem negotiatione detinentur.

Chrysostomus super Matth. Vel aliter. Cum labore manuum nostrarum aliquid facimus, puta exercentes agrum vel vineam, aut opus ligni vel ferri, villam colere videmur; cum autem non labore manuum nostrarum alia lucra sequimur, totum hoc negotiatio appellatur. O miserrimus mundus, et miseri qui eum sequuntur. semper enim mundialia opera homines excluserunt a vita.

Gregorius in Evang. Qui ergo intentus labori terreno, vel mundi actionibus deditus, mysterium incarnationis dominicae pensare, et secundum illud vivere dissimulat, quasi ad villam vel negotium pergens, venire ad regis nuptias recusat; et plerumque, quod est gravius, nonnulli vocati gratiam non solum respuunt, sed

etiam persequuntur: unde subditur reliqui vero tenuerunt servos eius, et contumeliis affectos occiderunt.

Chrysostomus super Matth. Vel per occupationem villae, populares iudaeorum significat, quos mundi delectatio separavit a Christo; per occupationem vero negotiationis, sacerdotes, ceterosque ministros templi significavit, quos lucri obtentu venientes ad ministerium legis et templi, avaritia separavit a fide; de quibus non dixit quod malignati sunt, sed neglexerunt: qui enim odio aut invidia crucifixerunt Christum, illi malignati sunt: qui autem negotiis impediti non crediderunt, illi neglexisse dicuntur, non malignari. De sua tamen morte dominus tacet, quia in priori parabola dixerat; sed ostendit mortem discipulorum suorum, quos post ascensum ipsius occiderunt iudaei, stephanum lapidantes, et iacobum alphaei occidentes: propter quae ierusalem destructa est a romanis. Et notandum, quod ira in Deo non proprie, sed translative dicitur; tunc enim irasci dicitur quando ulciscitur; unde et hic dicitur rex autem cum audisset, iratus est.

Hieronymus. Quando invitabat ad nuptias, et agebat opera clementiae, hominis nomen appositum est: nunc autem quando ad ultionem venit, homo siletur, et rex tantum dicitur.

Origenes in Matth. dicant autem qui peccant in Deum legis et prophetarum et totius creationis, utrum iste qui et homo dicitur et iratus proponitur, ipse est pater christi. quod si dixerint hunc ipsum esse, cogendi sunt confiteri quoniam multa in eo secundum passibilem hominum naturam esse dicuntur: non quia ipse passibilis est, sed quia morem gerit passibilis naturae hominum. Et secundum hanc consequentiam suscipere convenit et iram Dei et poenitentiam et cetera huiusmodi in prophetis. sequitur et missis exercitibus suis.

Hieronymus. Per hos exercitus, romanos intelligimus sub duce vespasiano et tito, qui, occisis iudaeae populis, praeveratricem incenderunt civitatem.

Chrysostomus super Matth. Romanus autem exercitus dicitur exercitus Dei: quia domini est terra et plenitudo eius; nec etiam venissent romani ierusalem, nisi eos dominus excitasset.

Origenes in Matth. Vel angelorum agmina sunt exercitus regis nostri. missis ergo exercitibus extinxisse homicidas dicitur, quia in hominibus omne iudicium per angelos exercetur. Homicidas ergo perdit, quia persequentes interimat; civitatem eorum igni succendit, quia illorum non solum animae, sed caro quoque in qua habitaverunt, aeternae gehennae flamma cruciantur.

Origenes. Vel civitas impiorum est, secundum unumquodque dogma, congregatio eorum qui conveniunt in sapientia principum huius saeculi: quam succendit rex et exterminat, quasi ex malis aedificationibus consistentem. **Gregorius.** Sed is qui invitantem se contemni conspicit, filii sui nuptias vacuas non habebit: quandoque enim sermo Dei inventurus est ubi requiescat: unde subditur tunc ait servis suis.

Origenes. Idest apostolis, aut angelis, qui praepositi erant in vocatione gentium. nuptiae quidem paratae sunt.

Remigius. idest, omne sacramentum humanae dispensationis iam peractum atque completum est. Sed qui invitati erant, idest iudaei, non fuerunt digni: quia Dei iustitiam ignorantes, et suam statuere volentes, indignos se iudicaverunt aeternae vitae. reprobato ergo iudaico populo, ad has nuptias gentilis populus est susceptus: unde sequitur ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis vocate ad nuptias.

Hieronymus. Gentilis enim populus non erat in viis, sed in exitibus viarum.

Remigius. Qui sunt errores gentilium.

Chrysostomus super Matth. vel viae sunt omnes professiones huius mundi, ut puta philosophiae, militiae, et huiusmodi. Dicit ergo ite ad exitus viarum: ut cuiuslibet conditionis homines vocent ad fidem. Adhuc, sicut castitas via est quae ducit ad Deum, sic fornicatio via est quae ducit ad diabolum; et sic de virtutibus et vitiis. lubet ergo, ut cuiuscumque conversationis vel conditionis homines invitent ad fidem.

Hilarius in Matth. Per viam etiam tempus saeculi intelligendum est; atque ideo ad exitus viarum iubentur ire, quia omnibus retroacta donantur.

Gregorius. vel aliter. In scriptura sacra vias actiones accipimus; exitus viarum intelligimus defectus actionum, quia illi plerumque facile ad eum veniunt quos in terrenis actionibus prospera nulla comitantur.

Origenes. vel aliter. Puto hanc primam vocationem fuisse ad nuptias aliquarum ingenuarum animarum: principaliter enim Deus vult venire ad epulationem divini eloquii eos qui ad intelligendum sunt ingeniosiores;

et quoniam qui huiusmodi sunt, nolunt ad istam vocationem venire, transmittuntur alii servi provocantes eos, et promittentes quod, si venerint, percipient prandium paratum a rege. Sicut enim in corporalibus alia est quae nubit sponsa, alii invitatores, alii qui invitantur ad nuptias, sic Deus scit diversos ordines animarum, earumque virtutes, et causas ob quas hi quidem in constitutione sponsae accipiuntur, alii in ordine servorum vocantium, alii in numero invitatorum ad nuptias. Sed qui principaliter quidem fuerant invitati, primos invitatores quasi pauperes sensu neglexerunt, et abierunt sua sequentes, in quibus magis sunt delectati quam in his quae rex per servos quos promittebat. Sed hi leviores sunt his qui servis transmissis iniuriuntur et interficiunt; qui scilicet praeparatione contentiosorum verborum ausi sunt tenuisse servos missos, qui non sunt praeparati ad solvendas quaestiones eorum versutas; et contumeliis afficiuntur, vel interficiuntur ab eis. sequitur et egressi servi eius in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt bonos et malos.

Origenes. Eredientes servi, sive de iudaea et ierusalem apostoli christi, sive ab interioribus angeli sancti, et venientes ad vias diversas diversorum morum, congregaverunt quoscumque invenerunt; et non curant, utrum aliquando ante vocationem mali fuerint aut boni. Bonos autem intelligere hic simpliciter convenit humiliores et rectiores ex eis qui veniebant ad cultum Dei, quibus conveniebat quod apostolus ait: cum gentes quae legem non habent, ea quae legis sunt faciunt, ipsi sibi sunt lex.

Hieronimus. Inter ipsos enim gentiles infinita est diversitas; cum alios sciamus esse procliviores ad vitia, alios ad honestatem morum virtutibus deditos.

Gregorius. vel hoc dicit, quia in hac ecclesia nec mali sine bonis, nec boni sine malis esse possunt. Bonus autem non fuit qui malos tolerare recusavit. sequitur et impletae sunt nuptiae discumbentium.

Origenes in Matth. nuptiae, scilicet christi et ecclesiae, sunt impletae dum restituti Deo qui ab apostolis sunt inventi recubuerunt ad epulandum in nuptiis. Sed quoniam bonos et malos oportuit quidem vocari, non autem ut mali permanerent mali, sed ut deponerent vestimenta contraria nuptiis et induerent nuptialia indumenta, scilicet viscera misericordiae et benignitatis; ideo rex egreditur, ut videat discumbentes priusquam apponatur eis prandium, ut retineat habentes nuptialia vestimenta, et delectet; condemnetque contrarios: unde sequitur intravit autem rex, ut videret discumbentes.

Chrysostomus super Matth. non quia alicubi ipse non est; sed ubi vult per iudicium aspicere, ibi dicitur praesens; ubi autem non vult, absens videtur. Dies autem aspectionis est dies iudicii, quando visitaturus est christianos, qui super mensam scripturarum recumbunt.

Origenes. ingrediens autem invenit quemdam qui non mutaverat proprios mores: unde sequitur et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. Singulariter dixit, quia unius sunt generis omnes qui servant malitiam post fidem, quam habuerant ante fidem.

Gregorius. Quid autem debemus intelligere per nuptialem vestem nisi caritatem? quia hanc in se dominus habuit, dum ad sociandae sibi ecclesiae nuptias veniret. Intrat ergo ad nuptias, sed sine veste nuptiali, qui in ecclesia fidem habet, sed caritatem non habet.

Augustinus contra faustum. Vel sine veste nuptiali nuptias adit qui quaerit ibi gloriam non sponsi, sed suam.

Hilarius in Matth. Vel vestis nuptialis est gratia spiritus sancti, et candor habitus caelestis, qui bonae interrogationis confessione susceptus, usque in coetum regni caelorum immaculatus et integer est reservandus.

Hieronimus. Vel vestis nuptialis praecepta sunt domini, et opera quae complentur ex lege et evangelio, novique hominis efficiunt vestimentum; quod qui in die iudicii inventus fuerit sub nomine christiano non habere, statim corripitur: unde sequitur et ait illi: amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem? amicum vocat, quia est invitatus ad nuptias, quasi sit amicus per fidem. Arguit autem impudentiae, quod veste sordida munditias polluerit nuptiales.

Origenes. Et quoniam qui peccat et non induit dominum iesum Christum, non habet excusationem aliquam, ideo sequitur at ille obmutuit.

Hieronimus. In tempore enim illo non erit locus impudentiae, nec negandi facultas; cum omnes angeli et mundus ipse testes sint peccatorum.

Gregorius. non autem solum reiectus est a nuptiis qui iniuriam nuptiis fecit, sed adhuc a ministris regis super vincula constitutis ligatus incessionem, qua non est usus ad bonum, et apprehensoria virtute, qua

nullum opus ad bonum implevit; et condemnatus est in loco ab omni lumine alieno, qui vocatur tenebrae exteriores: unde sequitur tunc rex dixit ministris: ligatis manibus et pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.

Gregorius. ligantur tunc pedes et manus per distractionem sententiae, qui modo a pravis operibus ligari noluerunt per meliorationem vitae, vel tunc ligat poena quos modo a bonis operibus ligavit culpa.

Augustinus de trin. Pravarum vero atque distortarum voluntatum implicatio vinculum est quo alligatur qui hoc agit, ut proiciatur in tenebras exteriores.

Gregorius. interiores autem tenebras dicimus caecitatem cordis, exteriores vero tenebras aeternam noctem damnationis.

Chrysostomus super Matth. vel per hoc designatur differentia tormentorum in peccatoribus. Sunt enim primae tenebrae exteriores, interiores autem minores, et novissima loci. sequitur ibi erit fletus et stridor dentium.

Hieronymus. In fletu oculorum et stridore dentium, per metaphoram membrorum corporalium, magnitudo ostenditur tormentorum. Manus quoque ligatas et pedes, fletum oculorum, et stridorem dentium, ad comprobendam resurrectionis intellige veritatem.

Gregorius in Evang. ut illic dentes strideant, qui de edacitate gaudebant; illic oculi defleant, qui hic per illicitas concupiscentias versabantur; quatenus singula membra supplicio subiaceant, quae hic singulis quibusque vitiis subiecta serviebant.

Hieronymus. et quia in convivio nuptiali non initium, sed finis quaeritur, subditur multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

Hilarius in Matth. In invitante enim sine exceptione, publicae bonitatis humanitas est; in invitatis vero, vel vocatis, de iudicio meritorum probitatis electio est.

Gregorius. Nonnulli enim bona nec incipiunt, nonnulli vero in bonis quae inceperunt, minime persistunt. Tanto ergo sibi unusquisque sollicito metuat quanto ignorat quae restant.

Chrysostomus super Matth. Vel aliter. quoties Deus tentat ecclesiam suam, ingreditur ad eam, ut videat discumbentes; et si invenerit aliquem non habentem vestem nuptialem, interrogat eum: ut quid factus es christianus, si haec opera negligebas? talem ergo Christus tradit ministris suis, idest aliquibus magistris seductionis; et ligant manus eius, idest opera, et pedes, idest motus animae; et mittunt eum in tenebras, idest in errores vel gentium, vel iudaeorum, vel haeresim: propinquiores enim sunt tenebrae gentilium, quia veritatem spernunt quam non audierunt; sed exteriores iudaeorum, qui audierunt, sed non crediderunt; sed magis exteriores haereticorum, qui audierunt et didicerunt.

MATTHAEUS 22,15-22

5215 (Mt 22,15-22)

Chrysostomus super Matth. sicut si aliquis claudere voluerit aquae currentis meatum, si exclusa fuerit per aliquam violentiam, aliunde sibi semitam quaerit, sic iudaeorum malignitas, ex una parte confusa, alium sibi aditum adinvenit: unde dicitur tunc abeuntes pharisaei consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Abierunt, inquam, ad herodianos. Quale consilium, tales et consiliatores; et ideo sequitur et mittunt ei discipulos suos cum herodianis.

Glossa. Tamquam ignotis, ut facilius deciperent, et per eos illum caperent; cum timentes turbam, hoc per se non praesumerent facere.

Hieronymus. nuper quidem sub caesare augusto iudaea subiecta romanis, quando in toto orbe est celebrata descriptio, stipendiaria facta fuerat; et erat in populo magna seditio, dicentibus aliis pro securitate et quiete, qua romani pro omnibus militarent, debere tributa persolvi; pharisaeis vero qui sibi applaudebant in iustitia, e contrario nitentibus non debere populum Dei, qui decimas solveret, et primitias daret, et cetera quae in lege scripta sunt, humanis legibus subiacere. Caesar autem augustus herodem filium antipatris alienigenam et proselytum regem iudaeis constituerat, qui tributis praeesset, et romano pareret imperio.

Mittunt igitur pharisaei discipulos suos cum herodianis, idest militibus herodis, seu quos illudentes pharisaei, quia romanis tributa solvebant, herodianos vocabant, et non divino cultui deditos.

Chrysostomus in Matth. propter hoc autem suos discipulos et herodis milites simul mittunt, ut quodcumque dixerit reprehendatur: cupiebant enim magis adversum herodianos eum aliquid dicere: quia enim eum detinere timebant propter turbas, voluerunt ei periculum immittere ex hoc quod esset publicis tributis obnoxius.

Chrysostomus super Matth. Haec est autem hypocritarum prima simulatio, quia laudant quos perdere volunt; et ideo in laudem prorumpunt, dicentes magister, scimus quia verax es. Magistrum eum vocant, ut quasi honoratus et laudatus mysterium sui cordis simpliciter eis aperiat, tamquam volens eos habere discipulos.

Glossa. Tripliciter autem contingit aliquem veritatem non docere. Primo ex parte ipsius docentis: quia scilicet veritatem vel non novit, vel non amat; et contra hoc dicunt scimus quia verax es. secundo ex parte Dei, cuius timore postposito, quidam veritatem de eo, quam noverunt, non pure annuntiant; et contra hoc dicunt et viam Dei in veritate doces. tertio ex parte proximi, ex cuius timore vel amore aliquis veritatem tacet; et ad hoc excludendum dicunt et non est tibi cura de aliquo, scilicet homine: non enim respicis personam hominum.

Chrysostomus in Matth. Hoc de herode et caesare occulte insinuabant.

Hieronymus. blanda quidem et fraudulenta interrogatio illuc provocat respondentem ut magis Deum quam caesarem timeat: unde dicunt dic ergo nobis: quid tibi videtur? licet censum dare caesari, an non? ut si dicat non debere tributa solvi, statim audientes herodiani, seditionis reum contra romanum principem eum teneant.

Chrysostomus in Matth. Quia enim sciebant quod quidam hanc discordiam meditantes occisi erant, volebant et ipsum per sermones hos in talem suspicionem immittere. sequitur cognita autem iesus nequitia eorum, ait: quid me tentatis, hypocritae? .

Chrysostomus super Matth. non secundum sermones eorum pacificos blande respondit; sed secundum conscientiam eorum crudelem, aspera dixit: quia Deus voluntatibus respondet, non verbis.

Hieronymus. Prima ergo virtus est respondentis, interrogantium mentes cognoscere, et non discipulos, sed tentatores vocare. hypocrita ergo vocatur qui aliud est, et aliud simulat.

Chrysostomus super Matth. dicit ergo eis hypocritae, ut considerantes eum humanorum cordium cognitorem, quod facere cogitabant, perficere non auderent. Vide ergo quod pharisaei blandiebantur ut perderent; sed iesus confundebat eos ut salvaret: quia utilior est homini Deus iratus quam homo propitius.

Hieronymus. Sapientia enim semper sapienter agit, ut suis potissimum tentatores sermonibus confutentur: et ideo sequitur ostendite mihi numisma census. at illi obtulerunt ei denarium. Hoc genus nummi est quod pro decem nummis computabatur, et habebat imaginem caesaris; unde sequitur et ait illis iesus: cuius est imago haec et superscriptio? qui putant interrogationem salvatoris ignorantiam esse, et non dispensationem, discant ex praesenti loco, quod utique poterat scire iesus, cuius imago esset in nummo. sequitur dicunt ei: caesaris. Caesarem non putemus augustum, sed tiberium significari, sub quo et passus est dominus. omnes autem reges romani a primo caio caesare, qui imperium arripuerat, caesares appellantur. sequitur reddite ergo quae sunt caesaris caesari, idest nummum, tributum et pecuniam.

Hilarius in Matth. si enim nihil quod caesaris est, penes nos resederit, conditione reddendi ei quae sua sunt non tenebimur. Porro autem si rebus illius incumbamus, si iure potestatis suae utimur, extra querelam iniuriae est reddere caesari quod caesaris est.

Chrysostomus in Matth. Tu autem cum audieris reddite quae sunt caesaris caesari, illa scito eum dicere solum quae in nullo pietati nocent: quia si aliquid tale fuerit, non adhuc caesaris est, sed diaboli tributum. Deinde ut non dicant quoniam hominibus nos subicis, subdit et quae sunt Dei Deo.

Hieronymus. Idest decimas, primitias, oblationes et victimas, sicut et ipse dominus reddidit caesari tributa pro se et petro; et Deo reddidit quae Dei sunt, patris faciens voluntatem.

Hilarius in Matth. Deo etiam quae eius sunt reddere nos oportet, idest corpus et animam et voluntatem. Numisma enim caesaris in auro est, in quo est eius imago depicta. Dei autem numisma homo est, in quo

est Dei imago figurata: ideo divitias vestras date caesari, Deo autem innocentiae vestrae conscientiam servate.

Origenes in Matth. ex hoc loco discimus salvatoris exemplo, ut non his quae a multis dicuntur, et propterea gloriosa videntur, occasione pietatis attendamus: sed quae convenienter secundum ordinem rationis dicuntur. possumus autem et moraliter intelligere locum istum, quoniam debemus corpori quaedam dare, quasi tributum caesari, idest necessaria. Quaecumque autem sunt convenientia animarum naturae, idest ea quae ducunt ad virtutem, debemus Deo offerre. Qui ergo supra modum docent legem Dei, et de rebus debitis corpori nihil curare praecipunt, sunt pharisaei qui reddere caesari tributum vetabant, prohibentes scilicet nubere, et abstinere a cibis quos Deus creavit: qui vero supra modum aestimant oportere corporibus indulgere, ipsi sunt herodiani. Salvator autem noster vult ut nec virtus minoretur dum supra modum carni servimus, nec carnis natura gravetur, dum abundantius virtutibus adhaeremus. Vel princeps mundi, idest diabolus, dicitur caesar: non enim possumus reddere Deo quae Dei sunt, nisi prius reddiderimus principi quae sunt sua, idest, nisi deposuerimus malitiam universam. Hoc etiam discamus ex loco praesenti; quod contra tentantes nec omnino tacere debemus, nec simpliciter respondere, sed circumspecte, ut praecidamus occasionem quaerentium in nobis occasionem, et doceamus irreprehensibiliter quae possunt salvare volentes salvari.

Hieronymus. Qui autem credere debuerant, ad tantam sapientiam mirati sunt quod calliditas eorum insidiandi non invenisset locum: unde sequitur et audientes mirati sunt et, relicto eo, abierunt, infidelitatem pariter cum admiratione reportantes.

MATTHAEUS 22,23-33

5223 (Mt 22,23-33)

Chrysostomus in Matth. confutatis pharisaeorum discipulis cum herodianis, sadducaei se immittunt; cum tamen ex confusione priorum eos oporteret effici pigriores. Sed praesumptio inverecundum quid est et pertinax et impossibilia tentans: propter hoc et evangelista stupens eorum dementia, hoc ipsum significat, dicens in illa die accesserunt ad eum sadducaei.

Chrysostomus super Matth. quando recedebant pharisaei, accedebant sadducaei; forte tali consilio, quia decertabant quis eum ante deprehendere posset: vel si ratione eum non possent superare, saltem per ipsam frequentiam subverterent sensum eius.

Hieronymus. Duae haereses erant in iudaeis: una pharisaeorum, et altera sadducaeorum; pharisaei traditionum et observationum iustitiam praeferebant, unde et divisi vocabantur a populo; sadducaei autem, qui interpretantur iusti, et ipsi vindicabant sibi quod non erant; ac prioribus et corporis et animae resurrectionem credentibus confitentibusque, et angelos et spiritum sequentes, iuxta actus apostolorum, omnia denegabant; unde et hic dicitur: qui dicunt resurrectionem non esse.

Origenes in Matth. non solum autem carnis resurrectionem negabant, sed etiam animae immortalitatem tollebant.

Chrysostomus super Matth. videns enim diabolus quia iustitiam Dei omnino extinguere non potuit, introduxit haeresim sadducaeorum, qui dicerent non esse resurrectionem mortuorum; quae res omne propositum faciendae iustitiae frangit: quis enim contentus erit adversus seipsum quotidie luctamina exercere, nisi ad spem resurrectionis aspiceret? **Gregorius** moralium. Sunt autem nonnulli qui considerantes quod spiritus a carne solvitur, quod caro in putredinem vertitur, quod putredo in pulverem reducitur, quod pulvis in elementa solvitur, ut nequaquam ab humanis oculis videatur, resurrectionem fieri posse desperant; et dum arida ossa inspiciunt, haec vestiri carnibus, rursumque ad vitam virescere, posse fieri diffidunt.

Augustinus in enchir. Non autem perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in quemlibet pulverem cineremve solvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque animalium, aut etiam hominum, cibum cedat, carnemque mutetur, animae illi humanae in puncto temporis redditur quae eam primitus ut homo fieret, viveret et cresceret, animavit.

Chrysostomus super Matth. ad defensionem autem sui erroris invenisse se argutissimam rationem sadducaei putabant: unde sequitur et interrogaverunt eum, dicentes: magister, moyses dixit: si quis mortuus

fuerit, etc.

Chrysostomus in Matth. Quia enim immitigabile malum mors erat apud iudaeos, qui omnia pro praesenti vita faciebant, in legem deduxit moyses, defuncti sine filiis uxorem fratri dari oportere, ut defuncto filius nasceretur ex fratre, et non excideret nomen eius; quod erat quaedam mortis mitigatio; non autem alius quam frater vel propinquus iubebatur accipere uxorem defuncti: quoniam non ita putaretur qui ex tali coniunctione erat nasciturus, esse filius eius qui obiit; et iterum extraneus non ita haberet necessitatem statuere domum eius qui obierat, sicut frater, cui etiam ea cognatione hoc facere iustum erat. sequitur erant autem apud nos septem fratres.

Hieronymus. Qui resurrectionem corporum non credebant, et animam putabant interire cum corporibus, recte istiusmodi fingunt fabulam, quae deliramenti arguat eos qui resurrectionem asserant mortuorum. Turpitudinem ergo fabulae opponunt, ut resurrectionis denegent veritatem: unde concludunt in resurrectione ergo cuius erit? potest autem fieri ut vere in gente eorum hoc aliquando acciderit.

Augustinus de quaest. Evang. per hos autem septem fratres mystice intelliguntur homines impii, qui fructum iustitiae non potuerunt afferre in terra per omnes septem mundi aetates, quibus ista terra consistit: postea enim et ipsa terra transiet, per quam omnes illi quasi septem steriliter transierunt. sequitur respondens autem iesus, ait illis: erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei.

Chrysostomus super Matth. sapienter primum arguit stultitiam eorum, quia non legebant; secundo ignorantiam, quia non cognoscebant Deum. ex diligentia enim dilectionis nascitur scientia Dei: ignorantia autem negligentiae filia est.

Hieronymus. Propterea ergo errant, quia scripturas nesciunt; et quia scripturas nesciunt, consequenter ignorant virtutem Dei.

Origenes in Matth. duas autem res dicit eos nescire: unam quidem scripturas, alteram autem virtutem Dei, per quam resurrectio fit, et nova vita in ea. Vel dominus arguens sadducaeos nescire virtutem Dei, se eos non cognoscere arguebat: ipse enim erat virtus Dei, et non cognoscebant eum, quasi nescientes scripturas quae loquuntur de eo: propterea nec resurrectionem credebant, quam facturus fuerat ipse. Quaeritur autem, cum salvator dicat erratis nescientes scripturas, an dicat quod in quibusdam scripturis positum est quod sequitur: in resurrectione neque nubent neque nubentur: quod in veteri testamento non legitur scriptum. Nos autem dicimus, quia scriptum est non in ipsis sermonibus manifeste ista dicentibus, sed in mysterio indicantibus secundum intellectum moralem: nam cum sit lex umbra futurorum bonorum, dicens quodlibet de viris et uxoribus, de spiritualibus nuptiis principaliter dicit. Sed nec hoc invenio alicubi scripturam dicentem, sanctos post exitum fore sicut angelos Dei: nisi forte quis et hoc moraliter intelligat, secundum illud quod dicitur: tu autem ibis ad patres tuos; item: appositus est ad populum suum. Dicit autem aliquis: ideo eos increpabat, quia non legebant ceteras scripturas quae sunt extra legem et ideo errabant. Alius autem dicit, quod nesciebant mosaicae legis scripturas ex eo quod divinum sensum earum non scrutabantur.

Chrysostomus super Matth. Vel quod dicit in resurrectione neque nubent neque nubentur, retulit ad hoc quod dixerat nescitis virtutem Dei; quod autem dixit ego sum Deus abraham, etc., ad illud quod dixit nescitis scripturas. Et quidem calumniatoribus primum oportet in aliqua quaestione auctoritatem scripturae proferre, deinde rationem exponere; interrogantibus autem per ignorantiam, prius rationem exponamus; postea auctoritate confirmemus: quoniam calumniatores convincere oportet, interrogatores autem docere; ideo his interrogantibus per ignorantiam, prius rationem exposuit, dicens in resurrectione, etc.

Hieronymus in hoc autem quod dicitur neque nubent neque nubentur, latina consuetudo graeco idiomati non respondet. Nubere enim apud latinos proprie dicuntur mulieres. Sed nos simpliciter dictum intelligamus quod nubere de viris, et nubi de mulieribus dictum sit.

Chrysostomus super Matth. in hoc quidem saeculo, quia morimur, ideo nascimur; quia nascimur, ideo uxores ducimus, ut quod moriendo minuitur, nascendo suppleatur: ibi autem moriendi necessitas tollitur, unde et nascendi causa soluta est.

Hilarius in Matth. et quidem suffecerat adversus sadducaeos opinionem illecebrae corporeae recidisse, et officiis cessantibus inania haec corporum gaudia sustulisse; sed adiecit sed sunt sicut angeli Dei in caelo.

Chrysostomus in Matth. Per quod ad interrogatum convenienter respondet: quia enim haec erat eis causa aestimandi resurrectionem non esse, quia credebant eamdem fore resurgentium conditionem; hanc causam removet, ostendens eos alterius conditionis futuros.

Chrysostomus super Matth. notandum vero, quod cum de ieiuniis et eleemosynis ceterisque virtutibus spiritualibus locutus fuit, nunquam angelorum similitudinem introduxit, nisi cum de absolute a coitu loqueretur; quoniam sicut omnes actus carnales opera sunt animalium, praecipue tamen actus libidinis; sic omnes virtutes sunt res angelicae, praecipue tamen castitas, per quam vincitur natura virtutibus.

Hieronimus. Quod ergo infertur sed sunt sicut angeli in caelo, spiritalis conversatio repromittitur. dionysius. Tunc enim quando incorruptibiles et immortales erimus, visibili quidem ipsius Dei apparitione in castissimis contemplationibus adimplebimur; intelligibilis autem luminis dationem participabimus in impassibili et in immateriali mente secundum imitationem supercaelestium mentium: propter quod dicitur, quod erimus angelis aequales.

Hilarius in Matth. Eadem autem calumniam quam sadducaei afferunt de coniugio, afferre plures solent, in quam formam muliebris sexus resurgat. Sed qualis in scripturis auctoritas est de angelis opinandi, talem in resurrectione speciei nostrae sensum oportet esse de feminis.

Augustinus de Civ. Dei. Sed mihi melius videntur sapere qui utrumque sexum resurrecturum esse non dubitant: non enim libido ibi erit, quae confusionis causa est; nam priusquam peccassent, nudi erant; natura autem servabitur, quae tunc quidem et a concubitu et a partu immunis erit: erunt tamen membra feminea non accommodata usui veteri sed decori novo; quo non allicitur aspicientis concupiscentia, quae nulla erit, sed Dei laudatur sapientia atque clementia, qui et quod non erat fecit, et liberavit a corruptione quod fecit.

Hieronimus. Nemo enim dicit de lapide et arbore, et his rebus quae non habent membra genitalia, quod non nubent neque nubentur; sed de his qui cum possint nubere, tamen aliqua ratione non nubunt.

Rabanus. Haec autem quae dicta sunt de resurrectionis conditionibus, propositae reddidit quaestioni; de ipsa vero resurrectione contra eorum infidelitatem convenienter loquitur.

Chrysostomus in Matth. et quia illi interrogando, moysen praemiserant, per moysen eos confutat: unde subdit de resurrectione autem mortuorum non legisit.

Hieronimus. Ad comprobandum resurrectionis veritatem multis aliis exemplis manifestioribus uti potuit, ex quibus est illud: resuscitabuntur mortui, et resurgent qui in monumentis sunt; et in alio loco: multi dormientium de terrae pulvere resurgent. quaeritur ergo quid sibi voluerit dominus hoc proferre testimonium quod videtur ambiguum, vel non satis ad resurrectionis pertinens veritatem; et quasi hoc prolato probaverit quod volebat, statim intulerit non est Deus mortuorum, sed viventium. Supra diximus autem sadducaeos nec angelum, nec spiritum, nec resurrectionem corporum confitentes, et animarum quoque interitum praedicasse: hi quinque tantum libros moysi recipiebant, prophetarum vaticinia respicientes. stultum autem erat inde proferre testimonia cuius auctoritatem non sequebantur. porro ad aeternitatem animarum probandam, de moyse ponit exemplum: ego sum Deus abraham; statimque infert: non est Deus mortuorum, sed viventium: ut cum probaverit animas permanere post mortem (neque enim poterat fieri ut eorum esset Deus qui nequaquam subsisterent)., convenienter introduceretur et corporum resurrectio, quae cum animabus bona malaque gesserunt.

Chrysostomus in Matth. Sed qualiter alibi ait: ut vivorum et mortuorum dominetur? sed hoc non est simile ei quod hic dicitur: mortuorum enim ibi dicitur esse dominus, eorum scilicet qui victuri sunt; non autem eorum qui semel disparuerunt, et ultra non resurgent.

Hieronimus. considerandum etiam, quod sermo hic ad moysen factus fuerat, sanctis istis patriarchis iam pridem quiescentibus, erant ergo quorum Deus erat: nihil enim habere poterant, si non erant: quia in natura rei est ut esse id necesse sit cuius sit alterum; atque ita habere Deum, viventium est; cum Deus aeternitas sit, et non sit eorum quae mortua sunt, habere id quod aeternum est: et quomodo esse illi futuri semper negabuntur, quorum se esse profiteatur aeternitas? **Origenes** in Matth. Deus etiam est qui dicit: ego sum qui sum. Sic ergo impossibile est ut dicatur eorum Deus esse qui non sunt. Et vide, quia non dicit: ego sum Deus abraham, isaac et iacob; sed Deus abraham, Deus isaac et Deus iacob. In alio autem loco sic dixit: Deus hebraeorum misit me ad te. Qui enim perfectissime sunt circa Deum, quantum ad comparisonem ceterorum hominum, totum habent Deum in se: propterea non communiter, sed singulariter dicitur eorum Deus; ut puta si dicamus: ager ille illorum est, ostendimus quod unusquisque eorum non habet eum in toto. Si autem dicimus, quod ager illius est, demonstramus quia totum agrum possidet ille. Ubi ergo dicitur Deus hebraeorum, imperfectio demonstratur eorum: quia unusquisque eorum aliquid modicum de Deo habebat. Dicitur autem Deus abraham, Deus isaac et Deus iacob, quia singuli eorum totum habebant Deum. Non autem ad modicam laudem respicit patriarcharum quod Deo vivebant.

Augustinus contra faustum. Opportune itaque eadem voce nunc convincuntur manichaei, qua tunc convicti sunt sadducae: nam et ipsam resurrectionem alio quidem modo, sed tamen etiam ipsi negant.

Augustinus super iohannem. ideo autem specialiter Deus abraham, Deus isaac et Deus iacob dicitur, quia in istis tribus omnes modi generationis filiorum Dei vocantur. Generat enim Deus multoties de bono praedicatore bonum filium, et de malo malum: quod significatur per abraham, qui de libera uxore fidelem filium habuit, et de ancilla infidelem genuit. Aliquando vero generat per bonum praedicatorem, bonum et malum filium: quod significatur in isaac, qui de libera unum bonum, et alterum malum generavit. Aliquando generat bonos per bonum et malum praedicatorem; quod significatur per iacob, qui bonos filios genuit et de liberis et de ancillis.

Chrysostomus super Matth. Et vide quomodo sit infirmior congressio iudaeorum contra Christum. Prima fuit cum terrore, dicendo: in qua potestate haec facis? contra quam necessaria fuit constantia cordis. Secunda fuit cum dolo, contra quam necessaria fuit acuta sapientia. Haec autem fuit cum praesumptione ignara, quae praecedentibus facilius est. Hominem enim putantem se aliquid scire, cum nesciat, viro scienti facile est convincere. Sic et operatio inimici in primis gravis est; sed si quis forti animo sustinuerit, inveniet eum infirmiore. sequitur et audientes turbae mirabantur in doctrina eius.

Remigius. Non quidem sadducae, sed turbae mirantur. Hoc etiam quotidie agitur in ecclesia: cum enim divina inspiratione adversarii ecclesiae superantur, turbae fidelium laetantur.

MATTHAEUS 22,34-40

5234 (Mt 22,34-40)

Hieronimus. Quia supra pharisaei in ostensione denarii fuerant confutati, et adversae partis viderant factionem subrutam, debuerant ex hoc moveri, ne ultra molirentur insidias; sed malevolentia et livor nutrit impudentiam; unde dicitur pharisaei autem audientes quod silentium imposuisset sadducaeis, convenerunt in unum.

Origenes in Matth. silentium autem sadducaeis imposuit iesus, volens ostendere quoniam mendacii vocem obmutescere facit claritas veritatis. sicut enim proprium est iusti tacere cum sit tempus tacendi, et loqui cum sit tempus loquendi, non tamen obmutescere, sic proprium est omnium qui mendacii sunt doctores, obmutescere quidem quantum ad rem, non autem tacere.

Hieronimus. pharisaei ergo et sadducae, qui inter se contrarii sunt, ad tentandum iesum pari mente consentiunt.

Chrysostomus super Matth. Vel convenerunt in unum pharisaei, ut multitudine vincerent quem rationibus superare non poterant; a veritate nudos se professi sunt, qui multitudine se armaverunt. Dicebant enim apud se: unus loquatur pro omnibus, et omnes loquamur per unum; ut si quidem vicerit, omnes videamur vicisse, si autem convictus fuerit, vel solus videatur confusus; et ideo sequitur et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum.

Origenes. omnes ergo qui non discendi, sed tentandi causa interrogant aliquem doctorum, aestimare debemus illius pharisaei fratres, secundum illud: quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.

Augustinus de cons. Evang. non moveat autem quod Matthaeus hic dicit tentantem fuisse a quo dominus interrogatus est; Marcus autem hoc tacet, et in fine ita concludit, quod ei dominus iesus sapienter respondenti dixerit: non longe es a regno Dei. Fieri enim potest ut quamvis tentans accesserit, domini tamen responsione correctus sit. aut certe ipsam tentationem, de qua loquitur iacobus non accipiamus malam tamquam decipere volentis inimicum, sed cautam potius tamquam experiri amplius volentis ignotum: neque frustra scriptum est: qui facile credit, levis est corde. Quid autem interroget, subditur magister, quod est mandatum magnum in lege? **Origenes.** Tentans dicebat magister, quoniam non tamquam discipulus christi proferebat hanc vocem. si quis ergo non discit aliquid a verbo, nec tradit se ei ex toto animo suo; dicit autem ei magister, frater pharisaei est Christum tentantis. Cum ergo ante salvatoris adventum legeretur lex, forsitan quaerebatur quod est mandatum magnum in ea: neque enim interrogasset hoc pharisaeus, nisi diu apud illos de hoc quaesitum fuisset et non inventum, donec veniens iesus hoc doceret.

Chrysostomus super Matth. De magno tamen mandato interrogat qui nec minimum observabat. ille debet

interrogare de maiori iustitia qui iam minorem complevit.

Hieronymus. vel non de mandatis interrogat, sed quod sit primum mandatum magnumque: ut cum omnia quae Deus mandaverit, magna sint, quicquid ille respondeat, occasionem habeat calumniandi.

Chrysostomus super Matth. dominus autem sic ei respondit ut interrogationis eius fictam conscientiam statim primo responso percuteret: unde sequitur ait illi iesus: diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et in tota mente tua. Diliges, inquit; non: timebis, quia diligere magis est quam timere: timere enim servorum est, diligere filiorum; timor sub necessitate est, dilectio in libertate. Qui in timore servit Deo, poenam quidem evadit, mercedem vero iustitiae non habet, quia invitus fecit bonum propter timorem. Non vult ergo Deus ut timeatur serviliter ab hominibus quasi dominus; sed ut diligatur quasi pater, qui adoptionis spiritum donavit hominibus. diligere autem Deum ex toto corde, est ut cor tuum non sit inclinatum ad alicuius rei dilectionem magis quam Dei. Diligere autem Deum in tota anima, est certissimum animum habere in veritate, et firmum esse in fide. Alius est enim amor cordis, et alius est amor animae. Amor cordis quodammodo carnalis est, ut etiam carnaliter diligamus Deum; quod facere non possumus, nisi recedamus ab amore mundialium rerum. Cordis ergo amor sentitur in corde; amor vero animae non sentitur, sed intelligitur, quia in iudicio animae consistit. Qui enim credit apud Deum esse omne bonum, et nihil boni esse extra ipsum, hic diligit Deum in tota anima. Tota vero mente diligere Deum est ut omnes sensus Deo vacent: cuius enim intellectus Deo ministrat, cuius sapientia circa Deum est, cuius cogitatio ea quae Dei sunt tractat, cuius memoria quae bona sunt recordatur, tota mente diligit Deum.

Augustinus de doct. Christ. Vel aliter. Deum ex toto corde diligere praeciperis, ut omnes cogitationes tuas; ex tota anima, ut omnem vitam tuam; ex tota mente tua, ut omnem intellectum tuum in illum conferas, a quo habes ea quae confers. nullam ergo vitae nostrae partem reliquit quae vacare debeat, et quasi locum dare ut alia re velit frui. Sed quicquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur quo totus dilectionis impetus currit: tunc enim est optimus homo cum tota vita sua pergit in incommutabile bonum.

Glossa. Vel ex toto corde, idest intellectu, anima, idest voluntate, mente, idest memoria, ut nihil ei contrarium velis, sentias, aut recorderis.

Origenes in Matth. vel aliter. Ex toto corde, id est secundum totam recordationem et operationem et cogitationem; ex tota anima, idest ut parati sint eam ponere pro pietate Dei; in tota mente, nihil aliud scilicet proferentes nisi quae Dei sunt. Et vide si potes cor quidem accipere pro intellectu, quo intelligibilia speculamur, mentem autem ad proferendas res: mente enim proferimus singulas res, et per unumquodque quod significatur quasi mente nostra inambulamus atque proferimus. Si autem tentanti pharisaeo dominus non respondisset, aestimare possemus non esse unum mandatum maius altero. Sed dominus respondens subdit hoc est maximum et primum mandatum: ubi discimus sententiam de mandatis, quod est magnum, et sunt inferiora usque ad minima. Respondet autem dominus non solum, quod est magnum mandatum; sed etiam primum, non pro ordine scripturae, sed pro dignitate virtutis. Hi autem soli huius mandati in se suscipiunt magnitudinem et primatum qui non solum diligunt dominum Deum suum, sed etiam illa tria susceperint, scilicet ex toto corde etc. Docuit autem, quod non solum est magnum et primum, sed etiam quod esset secundum simile priori: unde sequitur secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum. si autem qui diligit iniquitatem, odit animam suam, manifestum est quod non diligit proximum sicut seipsum, cum nec seipsum diligit.

Augustinus de doct. christ. Manifestum est autem omnem hominem proximum esse putandum, quia erga neminem operandum est malum. iam vero si vel cui praebendum, vel a quo praebendum est nobis officium misericordiae, recte proximus dicitur, manifestum est hoc praecepto, quo tenemur diligere proximum, etiam sanctos angelos contineri, a quibus nobis tanta misericordiae impenduntur officia, quanta nobis in scripturis animadvertere facile est. Ex quo et ipse dominus noster proximum se nobis dici voluit, quoniam seipsum dominus iesus significat opitulatum esse semivivo iacenti in via.

Augustinus de trin. qui autem amat homines, aut quia iusti sunt, aut ut iusti sint, amare debet; sic enim et seipsum amare debet, aut quia iustus est, aut ut iustus sit: sic enim diligit proximum sicut seipsum sine ullo periculo.

Augustinus de doct. Christ. si autem teipsum non propter te debes diligere, sed propter illum ubi dilectionis tuae rectissimus finis est, non succenseat aliquis homo, si et ipsum propter Deum diligis. Quisquis ergo recte proximum diligit, hoc cum eo debet agere ut etiam ipse toto corde diligit Deum.

Chrysostomus super Matth. Qui autem hominem amat, simile est sicut qui Deum amat: quia imago Dei est homo, in quo Deus diligitur, sicut rex in sua imagine honoratur. Et propter hoc dicitur hoc mandatum simile esse primo.

Origenes. vel aliter. Quod mandatum sequens primo est simile, significat idem esse officii et meriti in utroque: neque enim aut Dei sine Christo, aut christi sine Deo potest utilis esse dilectio ad salutem. sequitur in his duobus mandatis tota lex pendet et prophetae.

Augustinus de quaest. Evang. Pendet, dixit, idest illuc refertur ubi habet finem.

Rabanus. ad duo enim haec praecepta pertinet totus decalogus: praecepta quidem primae tabulae ad dilectionem Dei, praecepta secundae ad dilectionem proximi.

Origenes in Matth. Vel quia qui omnia implevit quae scripta sunt de Dei dilectione et proximi, dignus est magnas gratias a Deo percipere, ut intelligat omnem legem et prophetas.

Augustinus de trin. Cum autem sint duo praecepta, in quibus pendet lex et prophetae, dilectio Dei et proximi, non immerito scriptura plerumque pro utroque unum ponit: sive dilectionem Dei, sicut est illud: scimus enim quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum; sive dilectionem proximi, sicut est istud: omnis lex in uno sermone impletur: diliges proximum tuum sicut teipsum. Sed hoc ideo quia qui proximum diligit, consequens est etiam ut Deum diligit: ex una enim eademque caritate Deum proximumque diligimus; sed Deum propter Deum; nos autem et proximum propter Deum.

Augustinus de doct. Christ. Sed tamen quoniam excellentior et supra nostram naturam est divina substantia, praeceptum quo diligimus Deum a proximi dilectione distinctum est; quod si te totum intelligas, idest animam et corpus, et proximum tuum, idest animam et corpus, nullum diligendarum rerum genus in his duobus praeceptis praetermissum est. Cum enim praecurrat dilectio Dei, sequatur dilectio proximi, eiusque dilectionis modus praescriptus sit, ut eum sicut te ipsum diligas; simul et tui abs te dilectio praetermissa non est.

MATTHAEUS 22,41-46

5241 (Mt 22,41-46)

Chrysostomus in Matth. iudaei aestimantes Christum esse hominem purum, eum tentabant; nec eum tentassent, si filium Dei credidissent. Volens ergo Christus ostendere quod cognoscebat fallaciam cordis eorum, et quia Deus erat, nec manifeste voluit dicere veritatem, ne occasionem blasphemiae invenientes iudaei amplius insanirent, nec omnino tacere, quia ad hoc venerat ut veritatem annuntiaret: ideo talem interrogationem eis proposuit, ut ipsa interrogatio eis ostenderet quis esset; unde dicitur congregatis autem pharisaeis, interrogavit eos iesus, dicens: quid vobis videtur de Christo? cuius filius est? .

Chrysostomus in Matth. discipulos quidem primum interrogavit quid alii dicerent de Christo, et tunc quid ipsi dicerent; hos autem non ita. Profecto enim seductorem eum dixissent et malum. Existimabant autem quoniam Christus purus homo erat; et ideo dixerunt eum esse filium David; et hoc est quod subditur dicunt ei: David. ipse autem hoc reprehendens, inducit prophetam dominationem eius et proprietatem filiationis, et cohonorationem quae est ad patrem, testantem; unde dicitur quomodo ergo David in spiritu vocat eum dominum, dicens: dixit dominus domino meo: sede a dextris meis, donec poenam, etc.

Hieronymus. Testimonium hoc de psalmo 109, i sumptum est. dominus ergo David vocatur, non secundum id quod de eo natus est, sed secundum id quod natus ex patre semper fuit, praeveniens ipsum carnis suae patrem. Vocat autem eum dominum suum, non errore incerto, nec propria voluntate, sed spiritu sancto.

Remigius. Quod autem dicit sede a dextris meis, non intelligendum est quod Deus corporeus sit, ut dexteram vel sinistram habeat; sed a dextris Dei sedere est in honore et aequalitate paternae dignitatis manere.

Chrysostomus super Matth. Puto autem quod hanc interrogationem non solum contra pharisaeos, sed etiam contra haereticos posuit: nam secundum carnem vere filius erat David, dominus autem secundum divinitatem.

Chrysostomus in Matth. non autem in hoc stat; sed ut timeant, subdit donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum: ut saltem ita eos inducat.

Origenes in Matth. Deus etiam non ad perditionem solum ponit scabellum pedum christi inimicos ipsius, sed ad eorum salutem.

Remigius. donec autem pro infinito ponitur, ut sit sensus: sede semper, et inimici tui in sempiternum subicientur pedibus tuis.

Glossa. Quod autem a patre inimici subiciuntur filio, non infirmitatem filii, sed unitatem naturae significat: nam et filius subicit inimicos patri, quia patrem clarificat super terram. Et ex hac auctoritate concludit si ergo David vocat eum dominum, quomodo filius eius est? .

Hieronymus. interrogatio haec nobis proficit usque hodie contra iudaeos: et hi enim qui confitentur Christum esse venturum, hominem simplicem et sanctum virum asserunt de genere David. Interrogemus ergo eos docti a domino: si simplex homo est, et tantum filius David, quomodo David vocat eum dominum suum? iudaei autem ad diluendam interrogationis veritatem, frivola multa confingunt, vernaculum abraham asserentes, cuius filius fuit damascus eliezer, et ex ipsius persona scriptum psalmum, quod post caedem quinque regum, dominus Deus domino suo abraham dixerit: sede ad dexteram meam, donec ponam, etc. Quos interrogemus quomodo dixerit abraham ea quae sequuntur; et respondere cogamus quando abraham ante luciferum genitus sit, et quomodo sacerdos fuerit secundum ordinem melchisedech, pro quo melchisedech obtulerit panem et vinum, et a quo decimas praedae acceperit.

Chrysostomus in Matth. hoc tantum imposuit finem ipsorum disputationibus, quasi magnum et sufficiens pracludere eorum ora: unde sequitur et nemo poterat respondere ei verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. Siluerunt enim ex tunc non volentes, sed non habendo aliquid dicere.

Origenes. Si autem interrogatio eorum fuisset ex voluntate discendi, nunquam eis talia proposuisset ut amplius non essent ausi eum interrogare.

Rabanus. ex hoc autem intelligimus venena invidiae superari posse, sed difficile quiescere.

MATTHAEUS 23,1-4

5301 (Mt 23,1-4)

Chrysostomus super Matth. postquam dominus sacerdotes responsione prostravit, et incorrigibilem eorum conditionem ostendit: sicut clerici, si male fecerint, inemendabiles sunt, laici vero delinquentes facile emendantur: tunc convertit sermones ad apostolos, et ad populum: unde dicitur tunc locutus est iesus ad turbas et ad discipulos suos. infructuosum namque est verbum in quo sic alter confunditur ut alter non erudiatur.

Origenes in Matth. Sunt autem meliores discipuli christi reliquis turbis; et invenies in ecclesiis quosdam affectuosius accedentes ad verbum Dei esse discipulos christi, ceteros autem populum esse ipsius. Et interdum quaedam discipulis solis dicit, quaedam vero turbis simul atque discipulis, sicut haec; unde sequitur dicens: super cathedram moysi, etc. Qui legem moysi profitentur, et interpretari se gloriantur, hi sedent super cathedram moysi. Qui ergo non recedunt a littera legis, scribae dicuntur; qui autem maius aliquid profitentes, dividunt seipsos quasi meliores a multis, pharisaei dicuntur, quod interpretatur divisi; qui autem moysen secundum spiritualem virtutem intelligunt et exponunt, sedent quidem super cathedram moysi, sed non sunt scribae et pharisaei; sed his meliores dilecti christi discipuli. Post adventum autem christi sedent super cathedram ecclesiae, quae est cathedra christi.

Chrysostomus super Matth. Videndum est tamen quomodo quis super cathedram sedeat: quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum. Ideoque malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem.

Chrysostomus in Matth. Ne autem aliquis dicat quoniam propter hoc desidior factus sum ad agendum quia malus est doctor, hanc destruit occasionem, cum subdit omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate et facite; non enim sua dicunt, sed quae Dei sunt, quae per moysen Deus in legem deduxit. Et intueri quanto circa moysen utitur honore, eam iterum quae ad vetus est testamentum concordiam ostendens.

Origenes. Si autem scribae et pharisaei sedentes super cathedram moysi, sunt iudaeorum doctores, secundum litteram docentes legis mandata; quomodo iubet nos dominus secundum omnia quae dicunt illi,

facere, cum apostoli in actibus vetent fideles vivere secundum litteram legis? sed illi docent secundum litteram, legem spiritualiter non intelligentes. quaecumque ergo dicunt nobis ex lege, intelligentes sensum legis facimus et servamus, nequaquam facientes secundum opera eorum; non enim sicut lex docet faciunt, nec intelligunt velamen esse super litteram legis. Vel cum omnia audieris, non omnia intelligas praecepta legis, puta multa quae de escis sunt et quae de hostiis et similia; sed ea quae corrigunt mores. sed quare non de lege gratiae hoc mandavit, sed de doctrina moysi? quia scilicet nondum erat tempus praecepta novae legis ante tempus passionis manifestare. Mihi autem videtur quod et aliquid aliud praedispensans hoc dicit: quia enim accusaturus erat scribas et pharisaeos in sequentibus sermonibus, ne videretur apud stultos ex hoc eorum principatum cupere, vel propter inimicitiam hoc facere, primum a se hanc suspicionem removet, et tunc eos incipit reprehendere, ut turbae non in eadem vitia incidant; et ideo etiam ne existiment quod, quia debent eos audire, ideo eos debeant in operibus imitari: subditur enim secundum vero opera eorum nolite facere. Quid est autem doctore illo miserabilius cuius vitam discipuli cum non sequuntur salvantur, cum imitantur perduntur? .

Chrysostomus super Matth. sicut autem aurum de terra eligitur, et terra relinquitur, sic et auditores doctrinam accipiant, et mores relinquunt; frequenter enim de homine malo bona doctrina procedit. Sicut autem sacerdotes melius iudicant propter bonos malos docere, quam propter malos bonos negligere, sic et subditi propter bonos sacerdotes etiam malos honorent, ne propter malos boni etiam contemnantur: melius est enim malis iniusta praestare, quam bonis iusta subtrahere.

Chrysostomus in Matth. considera vero unde incipit eos reprehendere; nam sequitur dicunt enim et non faciunt. Maxime enim accusatione dignus est qui doctrinae auctoritatem habens, legem transgreditur: primo quidem quia praevaricatur qui alios corrigere debet; deinde quia peccans, maiore poena dignus est, propter honorem; tertio quia plus corrumpit, velut in ordine doctoris peccans. rursus autem et aliam eorum reprehensionem ponit, quoniam graves sunt sibi subiectis: unde sequitur alligant enim onera gravia: in quo duplicem eorum malitiam ostendit: unam quidem in hoc quod sine venia expetunt a subiectis summam diligentiam vitae; aliam vero in hoc quod sibiipsis multam concedunt licentiam. oportet autem bonum principem e contrario se habere; in his enim quae secundum seipsum sunt, gravem iudicem esse; in subiectis autem mansuetum. Intende autem qualiter et eorum reprehensionem aggravat: non enim dixit: non possunt, sed nolunt; neque dixit: portare, sed digito movere: idest, neque prope fieri, neque tangere.

Chrysostomus super Matth. et quidem quantum ad pharisaeos et scribas, de quibus loquitur, onera gravia et importabilia dicit legis mandata, de quibus petrus dicit: ut quid vultis imponere iugum super cervices discipulorum, quod neque nos neque patres nostri portare potuimus? onera enim legis quibusdam rationibus fabulosis commendantes, auditoribus quasi vincula super humeros cordis eorum alligabant, ut velut rationis vinculo constricti, non reicerent ea a se; ipsi autem nec ex modica parte ea implebant; idest (ut non dicam pleno opere). sed nec modico tactu, idest digito.

Glossa. Vel alligant onera, idest, undecumque traditiones colligunt, quae conscientiam non levant, sed gravant.

Hieronymus. humeri autem et digitus et onera et vincula, quibus alligant onera, spiritualiter sunt intelligenda. Hic etiam generaliter dominus adversus omnes magistros loquitur qui grandia iubent, et minora non faciunt.

Chrysostomus super Matth. Tales autem sunt qui grave pondus venientibus ad poenitentiam imponunt; et sic dum poena praesens fugitur, contemnitur poena futura. Si enim fascem super humeros adolescentis, quem non potest baiulare, posueris, necesse habet ut aut fascem reiciat, aut sub pondere confringatur: sic et homini, cui grave pondus poenitentiae imponis, necesse est ut aut poenitentiam reiciat, aut suscipiens, dum sufferre non potest, scandalizatus amplius peccet. Deinde etsi erramus modicam poenitentiam imponentes, nonne melius est propter misericordiam reddere rationem, quam propter crudelitatem? ubi paterfamilias largus est, dispensator non debet esse tenax. Si Deus benignus, ut quid sacerdos eius austerus? vis apparere sanctus? circa tuam vitam esto austerus, circa aliorum benignus: audiant te homines parva mandantem, et gravia facientem. talis est autem sacerdos qui sibi indulget, et alios exigit, quemadmodum malus descriptor tributi in civitate, qui se relevat et onerat tribuentes.

MATTHAEUS 23,5-12

5305 (Mt 23,5-12)

Chrysostomus in Matth. supra dominus arguerat scribas et pharisaeos crudelitatis et negligentiae;

consequenter autem arguit eos inanis gloriae, quae fecit eos a Deo recedere; unde dicit omnia autem opera sua faciunt ut videantur ab hominibus.

Chrysostomus super Matth. In omni re nascitur quod ipsam exterminat, sicut ex ligno vermis, et ex vestimento tinea: unde sacerdotum ministerium, qui positi sunt ad aedificationem sanctitatis, corrumpere diabolus nititur, ut hoc ipsum bonum, dum propter homines fit, fiat malum. Tolle hoc vitium de clero, et sine labore omnia resecabis: ex hoc enim fit ut difficile clerici peccantes poenitentiam agant. Vult autem dominus in hoc ostendere causam propter quam non poterant credere Christo; hoc est quia omnia faciunt ut videantur ab hominibus: impossibile enim est ut credat Christo caelestia praedicanti qui gloriam hominum concupiscit terrenam. Legi enim aliquem interpretantem hunc locum: supra cathedram, idest in honore et gradu quo fuerat moyses, constituti sunt scribae et pharisaei indigne, qui legem prophetantem de Christo venturo praedicabant aliis, ipsi autem non recipiebant praesentem. propter hoc hortatur populum audire legem quam praedicabant, idest credere in Christum praedicatum a lege, et non imitari scribas et pharisaeos incredulos. et reddit causam quare praedicabant ex lege Christum venturum, et non credebant in eum: quia scilicet omnia opera sua faciunt ut ab hominibus videantur, idest quia non praedicabant Christum venturum desiderio adventus eius, sed ut doctores legis esse ab hominibus viderentur.

Origenes in Matth. Ad hoc autem opera sua faciunt ut ab hominibus videantur, visibilem suscipientes circumcisionem, et visibiliter corporalia fermenta auferentes de domibus suis, et similiter his similia agentes. Christi vero discipuli legem in occultis implent, quasi in occulto constituti iudaei, ut apostolus dicit.

Chrysostomus in Matth. Vide autem hic, quod cum quadam intensione eos incusat. Non enim simpliciter ait quod faciant opera sua ut videantur ab hominibus, sed addidit omnia. Deinde monstrat quod neque in magnis vane gloriabantur, sed in quibusdam vilibus rebus: unde subditur dilatant enim phylacteria sua et magnificent fimbrias.

Hieronymus. Dominus enim cum dedisset mandata legis per moysen, ad extremum intulit: ligabis ea in manu tua, et erunt semper ante oculos tuos; et est sensus: praecepta mea sint in manu tua, ut opere compleantur; sint ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis. Hoc pharisaei male interpretantes, scribebant in membranis decalogum moysi, idest decem legis verba, complicantes ea, et ligantes in fronte, et quasi coronam capitis facientes, ut semper ante oculos moverentur. Iusserat quoque aliud moyses, ut in quatuor angulis palliorum hyacinthinas fimbrias facerent, ad israelis populum discernendum: ut quomodo in corporibus circumcisio signum iudaicae gentis daret, ita vestis haberet aliquam differentiam. Superstitiosi vero magistri captantes auram popularem, atque ex mulierculis captantes lucra, faciebant grandes fimbrias, et acutissimas in eis spinas ligabant, ut videlicet ambulantes et sedentes interdum pungerentur, et quasi hac commonitione retraherentur ad ministeria servitutis Dei. Pictariola ergo illa decalogi, phylacteria vocabant, idest conservatoria: eo quod quicumque habuissent ea, quasi ob custodiam et munimentum sui haberent: non intelligentibus pharisaeis quod haec in corde portanda sunt, non in corpore; alioquin et armaria et arcae habent libros, et notitiam Dei non habent.

Chrysostomus super Matth. illorum autem exemplo adhuc multi aliqua nomina hebraica angelorum confingunt, et scribunt, et alligant; quae non intelligentibus metuenda videntur; quidam vero aliquam partem evangelii scriptam circa collum portant. Sed nonne quotidie evangelium in ecclesia legitur, et auditur ab omnibus? cui ergo in auribus posita evangelia nihil prosunt, quomodo eum possunt circa collum suspensa salvare? deinde ubi est virtus evangelii? in figuris litterarum, an in intellectu sensuum? si in figuris, bene circa collum suspendis; si in intellectu, ergo melius in corde posita prosunt, quam circa collum suspensa. alii vero sic exponunt hunc locum: quia dilatabant verba sua de propriis observantiis, quasi phylacteria, idest conservatoria salutis, ea populo assidue praedicantes. fimbrias autem vestimentorum magnificentas dicit supereminentias eorumdem mandatorum.

Hieronymus. Cum autem superflue phylacteria dilatent, et magnas faciant fimbrias, gloriam cupientes ab hominibus, consequenter arguuntur in reliquis; unde dicitur amant enim primos accubitus in coenis, et primas cathedras in synagogis.

Rabanus. Notandum, quod non salutari in foro, non primo sedere vel discumbere vetat eos quibus hoc officii ordine convenit: sed eos qui haec, sive habita sive non habita, indebite amant, a fidelibus quasi improbos dicit esse cavendos.

Chrysostomus super Matth. Non enim vituperat eos qui in primo loco recumbunt, sed eos qui amant primos discubitus; ad voluntatem vituperationem referens, non ad factum. Sine causa enim loco se humiliat qui corde se praefert: aliquis enim iactator audiens laudabile esse in ultimo loco discumbere, discumbit post omnes, et non solum iactantiam cordis non dimittit, sed adhuc aliam iactantiam humilitatis acquirit, ut qui vult videri iustus, et humilis videatur. Multi enim superbi corpore quidem in novissimo recumbentes, cordis

autem elatione videntur sibi in capite recumbere; et multi sunt humiles in capite recumbentes, et conscientia se in ultimo esse existimant.

Chrysostomus in Matth. Intende ubi in eis vana gloria dominabatur: in synagogis scilicet, in quas intrabant alios directuri: in coenis hoc pati qualitercumque tolerabile erat, quamvis doctorem in admiratione esse oporteat, non in ecclesia solum, sed ubique. Si autem diligere talia est incusatio, quam malum est studere ut his aliquis potiatur? .

Chrysostomus super Matth. primas etiam salutationes amant, non solum in tempore, ut eos primum salutemus, sed etiam in voce, ut clamantes dicamus: ave, rabbi; et in corpore, ut flexis capitibus eis incurvemur; et in loco, ut in publico salentur: unde dicit et salutationes in foro.

Rabanus. Quamvis in hoc culpa non careant, si iidem in foro litibus interesse qui in cathedra moysi magistri synagogae cupiunt appellari, et vocari ab hominibus rabbi.

Chrysostomus super Matth. Idest, vocari volunt, et non esse: nomen appetunt, et officium negligunt.

Origenes in Matth. in ecclesia etiam christi inveniuntur mensarum suscipientes primatum, ut diacones fiant: consequenter autem primas cathedras eorum qui dicuntur presbyteri, praeripere ambiunt; quidam autem machinantur ut episcopi vocentur ab hominibus, hoc est rabbi. Christi autem discipulus diligit quidem in spiritualibus coenis recubitus primos, ut meliora spiritualium ciborum manducet; diligit etiam cum apostolis sedentibus super duodecim thronos, primas cathedras, actibus bonis dignum se praebere festinans cathedris huiusmodi; sic autem et salutationes diligit quae fiunt in nundinis caelestibus, idest caelestibus primitivorum congregationibus. Vocari autem rabbi neque ab hominibus, neque ab aliquo alio diligit iustus, quia unus est magister omnium; unde subdit vos autem nolite vocari rabbi.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. Praemissorum, de quibus pharisaeos incusaverat, alia quidem sicut parva et vilia praetermisit, quasi discipulis de his instrui non indigentibus; sed quod erat omnium malorum causa, idest thronum appetere magistralem, hoc in medium ducit ad discipulos instruendum: unde subdit vos autem nolite vocari rabbi: unus est enim magister vester.

Chrysostomus super Matth. quasi dicat nolite vocari rabbi, ne quod Deo debetur, vobis praesumatis. nolite et alios vocare rabbi, ne divinum honorem hominibus deferatis. Unus est enim magister omnium, qui omnes homines naturaliter docet. Si enim homo hominem erudiret, omnes homines discerent qui habent doctores; nunc autem quia non homo docet, sed Deus, multi quidem docentur, pauci autem discunt. Non enim homo intellectum praestat homini docendo, sed a Deo praestitum per admonitionem exercet.

Hilarius in Matth. Et ut meminerint discipuli se filios parentis unius, et per novae nativitatis generationem terreni ortus excessisse primordia, subdit omnes autem vos fratres estis.

Hieronymus contra helvidium. Omnes autem homines affectu fratres dici possunt: quod in duo dividitur: in speciale et commune. in speciale, quia omnes christiani fratres vocantur; porro in commune, quia omnes homines ex uno patre nati, pari inter nos germanitate coniungimur. sequitur et patrem nolite vocare vobis super terram.

Chrysostomus super Matth. in mundo enim, quamvis homo hominem generat, tamen unus est pater qui omnes creavit. Non enim initium vitae habemus ex parentibus, sed transitum vitae per eos accipimus.

Origenes in Matth. sed quis non vocat patrem in terris? qui per omnem actum secundum Deum impletum dicit: pater noster, qui es in caelis.

Glossa. Quia vero apparebat quis esset omnium pater, in hoc quod dixerat qui es in caelis, vult exponere quis sit omnium magister: unde praeceptum de magistro iterum repetit, dicens ne vocemini magistri, quia magister vester unus est: Christus.

Chrysostomus in Matth. non tamen, dum dicitur Christus magister, excluditur pater; sicut neque ex hoc quod Deus pater noster dicitur, hominum pater excluditur Christus.

Hieronymus contra helvidium. Quaeritur autem quare adversum hoc praeceptum apostolus doctorem gentium se esse dixerit, aut quomodo in monasteriis vulgato sermone se invicem patres vocant. quod sic solvitur. Aliud est esse natura patrem, vel magistrum, aliud indulgentia. nos si hominem patrem vocamus, honorem aetati deferimus, non auctorem nostrae ostendimus vitae. Magister enim dicitur ex consortio veri

magistri: et ne infinita replicem, quomodo unus per naturam Deus, et unus filius non praeiudicat ceteris, ne per adoptionem dii vocentur et filii, ita et unus pater et magister non praeiudicat aliis ut abusive vocentur et patres et magistri.

Chrysostomus in Matth. non solum autem dominus primatus cupere prohibet, sed ad contrarium auditorem inducit; unde subdit qui maior est vestrum, erit minister vester.

Origenes in Matth. Vel aliter. Et si ministrat quis verba divina, sciens quia Christus in eo fructificat, nequaquam se magistrum, sed ministrum profitetur; unde sequitur qui maior est vestrum, erit minister vester: quoniam et ipse Christus cum esset vere magister, ministrum se esse professus est, dicens ego sum in medio vestrum, quasi qui ministrat. Bene autem post omnia quibus vanae gloriae vetavit concupiscentiam, addidit dicens qui autem se exaltaverit, humiliabitur; et qui se humiliaverit, exaltabitur.

Remigius. quod sic intelligitur. Omnis qui se de suis meritis extollit, apud Deum humiliabitur; et qui se de beneficiis humiliat, apud Deum exaltabitur.

MATTHAEUS 23,13

5313 (Mt 23,13)

Origenes in Matth. Christus quasi vere filius Dei illius qui legem dedit, secundum similitudinem benedictionum quae sunt in lege, dixit et ipse beatitudines eorum qui salvantur; secundum similitudinem autem maledictionum positarum in lege, ponit vae adversus peccatores, dicens vae vobis, scribae et pharisaei hypocritae. Qui fatentur bonitatis esse adversus peccatores ista pronuntiare, intelligant quia simile est propositum Dei in maledictionibus legis; sive autem illa maledictio, sive istud vae, non ex pronuntiante contingit peccanti, sed ex peccatis, quibus dignum se praebet ad susceptionem istorum, quae Deus disciplinae causa praenuntiavit, ut convertantur homines ad bonum: sicut pater increpans filium, profert verba maledictionis; nec tamen vult illum dignum fieri maledictionibus illis, sed magis ab eis divertere. huius autem vae causam subdit: qui clauditis regnum caelorum ante homines; vos autem non intratis, nec introeuntes sinitis intrare. Haec duo praecepta naturaliter inseparabilia sunt: quoniam hoc ipsum sufficit ad expulsionem quod alios non permittit intrare.

Chrysostomus super Matth. regnum caelorum dicuntur scripturae, quia in illis insitum est regnum caelorum: ianua est intellectus earum. Vel regnum caelorum est beatitudo caelestis; ianua autem est Christus, per quem introitur in eam. Clavicularii autem sunt sacerdotes, quibus creditum est verbum docendi et interpretandi scripturas; clavis autem est verbum scientiae scripturarum, per quam aperitur hominibus ianua veritatis. apertio autem eius est interpretatio vera. Vide autem, quia non dixit vae vobis qui aperitis, sed qui clauditis; ergo non sunt scripturae clausae, licet sint obscurae.

Origenes. Pharisaei ergo et scribae nec intrabant, nec eum volebant audire qui dixit: si quis per me introierit, salvabitur; et nec intrantes, id est eos qui credere poterant propter ea quae a lege et prophetis ante fuerant declarata de Christo, introire sinebant, cum omni terrore ianuam claudentes; adhuc derogabant doctrinae eius, et subvertebant omnem prophetica scripturam de eo, et blasphemabant omne opus ipsius quasi falsum et a diabolo factum. Sed et omnes qui mala conversatione sua dant exemplum peccandi in populo; et qui faciunt iniuriam, scandalizantes pusillos, claudere videntur ante homines regnum caelorum. Et hoc peccatum invenitur quidem in popularibus, maxime autem in doctoribus, qui docent quod decet secundum iustitiam evangelii homines, non autem faciunt quod docent. bene autem viventes et bene docentes aperiunt hominibus regnum caelorum; et dum ipsi intrant, alios provocant introire. sed et multi non permittunt intrare in regnum caelorum intrare volentes, quando et sine ratione excommunicant quosdam propter aliquem zelum, qui meliores sunt quam ipsi; et ipsi quidem non permittunt eos introire. Illi autem qui sobrii sunt mente, patientia sua tyrannidem eorum vincentes, quamvis vetiti, tamen intrant et hereditant regnum. Sed et qui cum multa temeritate seipsos dederunt ad professionem docendi priusquam discerent, et iudaicas fabulas imitantes, detrahunt eis qui ea quae sursum sunt in scripturis requirunt, claudunt quantum ad se ante homines regnum caelorum.

MATTHAEUS 23,14

5314 (Mt 23,14)

Chrysostomus in Matth. De reliquo dominus de gula eos reprehendit: et quod deterius est, quoniam non a divitibus, sed a viduis accipiebant unde ventrem implerent; et illorum inopiam contereabant quam relevare oportebat; unde dicitur vae vobis, scribae et pharisaei hypocritae, qui comeditis domos viduarum.

Glossa. Idest, qui vestra superstitione nihil intenditis nisi ut praedam de subiecta plebe faciatis.

Chrysostomus super Matth. sexus autem mulierum incautus est, quia non omnia quae videt aut audit, cum ratione considerat; mollis etiam est, quia facile flectitur vel de malo ad bonum, vel de bono ad malum. virilis autem sexus et cautior et durior est. Propterea simulatores sanctitatis circa mulieres maxime negotiantur: quia nec intelligere eorum simulationes possunt, et facile ad eorum dilectionem inclinantur religionis causa. Praecipue tamen circa viduas negotiantur: primo quidem quia mulier non facile decipitur habens consiliarium virum; deinde quia non facile de facultatibus suis aliquid dant, cum sint in potestate viri. Propterea ergo dominus, dum iudaicos sacerdotes confundit, christianos monet ne viduis mulieribus amplius commorentur quam ceteris: quia etsi voluntas mala non sit, tamen suspicio mala est.

Chrysostomus in Matth. deinde et huius rapinae modus erat gravior: additur enim orationes longas orantes. quicumque enim malum facit, dignus est poena; sed qui a religione causam accipit nequitiae, graviori est obnoxius poenae: unde sequitur propter hoc amplius accipietis iudicium.

Chrysostomus super Matth. Primum quidem pro eo quod estis iniqui; alterum pro eo quod figmentum accipitis sanctitatis: avaritiam enim vestram, religionis colore depingitis; et quasi praestatis diabolo arma Dei, ut ametur iniquitas, dum pietas aestimatur.

Hilarius in Matth. Vel quia hinc procedit regni caelestis observatio, ut in obeundis viduarum domibus retineatur ambitio; ideo accipient amplius iudicium, quia poenam proprii peccati et reatum alienae ignorantiae debebunt.

Glossa. vel quia servus sciens et non faciens, vapulabit multis.

MATTHAEUS 23,15

5315 (Mt 23,15)

Chrysostomus in Matth. post praemissa, rursus eos dominus aliter incusat: et quia inefficaces sunt ad multorum salutem, cum multo labore indigeant ut ad salutem unum convertant; et quia non solum desides sunt circa eos quos convertunt, sed eorum etiam destructores, dum eos corrumpunt pravae vitae exemplis: unde dicitur vae vobis, scribae et pharisaei hypocritae, qui circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum.

Hilarius in Matth. Maris autem et terrae peragratoe significat in totius orbis finibus eos esse christi evangelio obtretracturos, et legis iugo contra iustificationem fidei aliquos subdituros. Proselyti enim sunt ex gentibus in synagogam recepti, quorum futurorum raritas in uno indicatur. Neque enim post christi praedicationem doctrinae eorum fides relicta est; sed quisquis acquisitus fuerit ad fidem iudaeorum, filius fit gehennae.

Origenes in Matth. Quicumque enim post salvatorem iudaizant, docentur imitari affectum eorum qui dixerunt in illo tempore: crucifige eum; unde sequitur et cum factus fuerit, facitis eum filium gehennae duplo quam vos.

Hilarius. Ideo autem poenae duplicatae erit filius, quia neque sit remissionem peccatorum gentilium consecutus, et societatem eorum qui Christum persecuti sunt, sit secutus.

Hieronymus. vel aliter. Scribae et pharisaei totum lustrantes orbem, id studii habebant, de gentibus facere proselytum; idest, advenam incircumcisum miscere populo Dei.

Chrysostomus super Matth. non autem propter misericordiam, volentes eum salvare quem docebant; sed aut propter avaritiam, ut additis in synagogis iudaeis, sacrificiorum adderetur oblatio; aut propter vanam gloriam. qui enim seipsum mergit in gurgite peccatorum, quomodo alterum a peccatis velit eripere? numquid magis misericors potest alteri aliquis esse quam sibi? ex ipsis ergo actibus ostenditur qui propter Deum aliquem vult convertere, aut propter vanitatem. **Gregorius** moralium. quia vero hypocritae, quamvis

perversa semper operentur, loqui tamen recta non desinunt; bene loquendo quidem in fide vel conversatione filios pariunt, sed eos bene vivendo nutrire non possunt: quanto enim se libentius terrenis actibus inserunt, tanto negligentius eos quos genuerant, agere terrena permittunt. Et quia obduratis cordibus vivunt, ipsos etiam quos generant filios nulla pietate debiti amoris agnoscunt: unde et hic hypocritis dicitur et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam vos.

Augustinus contra faustum. Hoc autem, non quia circumcidebantur, dixit; sed quia eorum mores imitabantur, a quibus imitandis suos cohibuerat, dicens: super cathedram moysi, etc. In quibus verbis utrumque debet adverti: et quantus honor delatus sit doctrinae moysi, in cuius cathedra etiam mali sedentes, bona docere cogebantur; et inde fieret proselytus filius gehennae, non quidem verba legis audiendo, sed eorum facta sectando. propterea autem duplo quam illi, quia hoc negligebat implere quod propria voluntate susceperat, non ex iudaeis natus, sed sponte iudaeus factus.

Hieronymus. vel quia ante, dum esset gentilis, simplicitate errabat, et erat semel filius gehennae; videns autem magistrorum vitia et intelligens destruere eos opere quod verbo docebant, revertitur ad vomitum suum, et gentilis factus, quasi praevaricator maiori poena dignus erat.

Chrysostomus super Matth. Vel quia forte sub cultura idolorum constitutus, vel propter homines iustitiam servabat; factus autem iudaeus, malorum magistrorum provocatus exemplo, fiebat peior magistris.

Chrysostomus in Matth. Cum enim virtuosus fuerit magister, discipulus imitatur; cum autem fuerit malus, superexcedit. filius autem vocatur gehennae, quomodo filius perditionis, et filius huius saeculi; unusquisque enim cuius opera facit, huius filius appellatur.

Origenes in Matth. ex hoc autem loco discimus quoniam et eorum qui in gehenna futuri sunt, erit differentia tormentorum; quando alter est simpliciter filius gehennae, alter vero dupliciter. Sed et hic videre oportet si generaliter est fieri aliquem filium gehennae, ut puta iudaeum aut gentilem, aut etiam specialiter, ut per singulas species peccatorum fiat quis filius gehennae: ut iustus quidem secundum numerum iustitiarum suarum augeatur in gloria, peccator autem secundum numerum peccatorum suorum multiplicetur in gehenna.

MATTHAEUS 23,16-22

5316 (Mt 23,16-22)

Hieronymus. Sicut in phylacteriis et fimbriis dilatatis opinio sanctitatis captabat gloriam, et per occasionem gloriae quaerebant lucra, sic alia traditionis fraude inventa, impietatis arguit transgressores. si quis enim in contentione, seu in aliquo iurgio, vel in causae ambiguo, iurasset in templo, et postea convictus esset mendacii, non tenebatur criminis: et hoc est quod dicit vae vobis, duces caeci, qui dicitis: quicumque iuraverit per templum, nihil est; quasi dicat: nihil debet. Sin autem iurasset in auro et pecunia, quae in templo sacerdotibus offerebatur, statim id in quo iurabat, cogebatur exsolvere: unde sequitur qui autem iuraverit in auro templi, debet vel debitor est.

Chrysostomus super Matth. templum quidem ad gloriam Dei pertinet, et ad hominum spiritualem salutem; aurum autem templi, etsi ad gloriam Dei pertineat, tamen magis ad delectationem hominum et ad utilitatem sacerdotum offertur. Iudaei ergo aurum quo ipsi delectabantur, et dona quibus pascebantur, sanctiora dicebant esse quam ipsum templum: ut homines promptiores facerent ad offerenda dona quam ad preces fundendas in templo. Unde convenienter reprehendit dominus, dicens stulti et caeci: quid enim maius est: aurum, an templum, quod sanctificat aurum? multi autem nunc christiani sic insipienter intelligunt. ecce enim si aliqua causa fuerit, modicum videtur facere qui iurat per Deum; qui autem iurat per evangelium, maius aliquid fecisse videtur. Quibus similiter dicendum est stulti et caeci: nam scripturae propter Deum scriptae sunt, non Deus propter scripturas. Maior ergo est Deus, qui sanctificat evangelium, quam evangelium quod sanctificatur ab eo.

Hieronymus. rursus si quis iurasset in altari, periurii reum nemo retinebat; si autem iurasset in dono vel in oblationibus, hoc est in hostia, vel in victimis, in simila, et ceteris quae offeruntur Deo super altare; hoc studiosissime repetebant. Totum autem faciebant non ob Dei timorem, sed ob divitiarum cupiditatem: unde sequitur et qui iuraverit in altari, nihil est; qui autem iuraverit in dono quod super illud est, debet. Arguit enim eos dominus stultitiae et fraudulentiae: quod multo maius sit altare quam hostiae, quae sanctificantur ab altari: unde sequitur caeci: quid enim maius est: donum, an altare, quod sanctificat donum? **Glossa.** Et ne forte in tantam insaniam prorumperent ut dicerent, aurum sanctius esse templo, et donum altari, eos alia

ratione convincit: quia videlicet in iuramento quod fit per templum et altare, continetur iuramentum quod fit per aurum vel per donum: et hoc est quod subdit qui ergo iurat in altari, iurat in eo, et in omnibus quae super illud sunt.

Origenes in Matth. Similiter quoniam iudaei consuetudinem habebant per caelum iurare, ad reprehensionem eorum subdit qui iurat in caelo, iurat in throno Dei, et in eo qui sedet super ipsum. non ergo, sicut arbitrantur, evadunt periculum in eo quod non per Deum iurant, sed per thronum Dei, scilicet caelum.

Glossa. Qui enim per subiectam creaturam iurat, et per divinitatem praesidentem creaturae iurat.

Origenes. est autem iuramentum confirmatio verbi de quo iuratur. Iuramentum ergo intelligendum est testimonium scripturarum, quod profertur ad confirmationem verbi quod loquimur: ut sit quidem templum Dei scriptura divina; aurum autem sensus positus in ea. Sicut autem aurum quod fuerit extra templum, non est sanctificatum: sic omnis sensus qui fuerit extra divinam scripturam, quamvis admirabilis videatur, non est sanctus. Non ergo debemus ad confirmandam doctrinam nostros intellectus assumere, nisi ostenderit eos esse sanctos, ex eo quod in scripturis continentur divinis. Altare autem est hominis cor, quod principale habetur in homine. vota autem, et dona quae ponuntur super altare, est omne quod supponitur cordi, ut orare, psallere, eleemosynas facere et ieiunare. Sanctum ergo facit omne votum hominis cor eius, ex quo votum ei offertur. ideo non potest honorabilius esse votum quam cor hominis, ex quo transmittitur votum. Si ergo conscientia hominis non pungat, fiduciam habet ad Deum, non propter dona, sed quia, ut ita dicam, altare cordis sui bene construxit. tertium est ut dicamus quod super templum, idest super omnem scripturam, et super altare, idest super omne cor, est intellectus quidam qui dicitur caelum, et thronus ipsius dicitur Dei, in quo est videre facie revelata, cum venerit quod perfectum est, faciem veritatis.

Hilarius in Matth. Adveniente etiam Christo, inutilem docet esse fiduciam legis: quia non in lege Christus, sed lex sanctificatur in Christo; in quo veluti sedes thronusque sit positus; atque ita stulti caecique sunt, qui, sanctificante praetermisso, sanctificata venerantur.

Augustinus de quaest. Evang. Templum etiam et altare, ipsum Christum intelligimus; aurum et donum, laudes et sacrificia precum, quae in eo et per eum offerimus. non enim ille per haec, sed ista per illum sanctificantur.

MATTHAEUS 23,23-24

5323 (Mt 23,23-24)

Chrysostomus in Matth. supra dominus dixerat, quod ligabant graviora onera, et aliis imponebant quae ipsi nec tangere volebant; hic autem rursus ostendit, quod in parvis quaerentes diligentiam, magna contemnebant: unde dicitur vae vobis, scribae et pharisaei hypocritae, qui decimatis mentam et anethum et cyminum.

Hieronimus. Pharisei enim, quia praeceperat dominus propter alimoniam sacerdotum et levitarum, quorum pars erat dominus, omnium rerum offerri in templo decimas, ut intellectus mysticos dimittamus, hoc unum habebant studii, ut quae vilia fuerant comportarentur; cetera quae erant maiora, parvipendebant; unde sequitur et reliquistis quae graviora sunt legis: iudicium et misericordiam et fidem. Ex hoc capitulo arguit eos avaritiae, quod studiose etiam vilius olerum decimas exigant, et iudicium in disceptatione negotiorum, misericordiamque in pauperes, et fidem in Deum, quae magna sunt, praetermittant.

Chrysostomus super Matth. Vel quia sacerdotes avaritia pleni, si quis decimas alicuius rei minimae non obtulisset, corripiebant eum quasi magnum crimen fecisset: si quis autem alterum laedebat, aut in Deum peccabat, non curabant eum corrumpere; de lucro quidem suo solliciti, et de gloria Dei ac salute hominum negligentes. servare enim iustitiam, et facere misericordiam, et habere fidem propter suam gloriam Deus mandavit; decimas autem offerre propter utilitatem sacerdotum, ut sacerdotes quidem populo in spiritualibus obsequantur, populi autem in carnalibus sacerdotibus subministrent. Sic et modo fit, quia omnes de honore suo sunt solliciti, de honore autem Dei nulli; portiones etiam suas vigilanter defendunt, sed circa obsequium ecclesiae curam impendere non attendunt. Si populus recte decimas non obtulerit, murmurant omnes; si peccantem populum viderint, nemo murmurat contra eos. Sed quia scribarum et pharisaeorum, ad quos loquebatur, quidam populares erant, non est incongruum ut aliam expositionem faciamus, propter eos qui decimas dabant: nam et qui accipit decimas, recte decimare dicitur, et qui dat. scribae ergo et pharisaei minimarum quidem rerum decimas offerebant, ostendendae religionis gratia; in

iudiciis autem erant iniusti, in fratres sine misericordia, in veritatem increduli.

Origenes in Matth. sed quoniam contingens erat ut audientes quidam dominum ista loquentem, contemnerent minimarum rerum decimationem, sapienter addidit et haec oportuit facere, hoc est iudicium, misericordiam et fidem, et illa non omittere, idest decimationem mentae, anethi et cymini.

Remigius. Ostendit quippe dominus his verbis quoniam omnia praecepta legis tam maxima quam minima, sunt implenda. redarguuntur autem qui eleemosynas de fructibus terrae faciunt, putantes se minime posse peccare; quibus nihil prosunt eleemosynae, nisi a peccatis studeant cessare.

Hilarius in Matth. Et quia minoris periculi esset decimationem oleris, quam benevolentiae officium praeterire, irridet eos consequenter dominus, dicens duces caeci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

Hieronymus. camelum puto esse magnitudinem praeceptorum: iudicium, misericordiam et fidem; culicem decimationem mentae, anethi, et cymini et reliquorum olerum vilium. haec autem praecepta Dei, quae magna sunt, devoramus atque negligimus; et operationem religionis in parvis, quae lucrum habent, cum diligentia demonstramus.

Origenes. vel excolantes culicem, idest, expellentes a se minima delicta, quae culices nominavit; camelum autem glutientes, idest, committentes maxima delicta, quae nominat camelos, animalia videlicet tortuosa et grandia. Scribae autem moraliter sunt qui amplius nihil aestimant positum in scripturis quam simplex sermo demonstrat; pharisaei autem sunt omnes qui iustificat seipsos, et dividunt se a ceteris, dicentes: noli mihi appropinquare, quoniam mundus sum. Menta autem et anethum et cyminum, ciborum conditurae sunt, non principales cibi. Sic in conversatione nostra, quaedam sunt necessaria ad iustificationem, ut iudicium, misericordia et fides; alia sunt quasi condientia actus nostros, et suaviores eos facientia: ut abstinentia risus, ieiunium, flexio genuum et huiusmodi. Quomodo autem non aestimantur caeci qui non vident? quoniam nihil prodest cautum esse dispensatorem in rebus minimis, cum principalia negliguntur. Hos ergo sermo praesens confundit, non quidem levia prohibens observare, sed principalia praeciens cautius custodire.

Gregorius moralium. vel aliter. Culex susurrando vulnerat, camelus autem sponte se ad suscipienda onera inclinat. Liquaverunt ergo culicem iudaei, qui seditiosum latronem dimitti petierunt; camelum vero glutierunt quia eum qui ad suscipienda nostrae mortalitatis onera sponte descenderat, extinguere clamando conati sunt.

MATTHAEUS 23,25-26

5325 (Mt 23,25-26)

Hieronymus. Diversis verbis, eodem sensu quo supra, arguit pharisaeos simulationis et mendacii; quod aliud ostendant hominibus foris, aliud domi agant: unde dicitur vae vobis, scribae et pharisaei hypocritae, qui mundatis quod de foris est calicis et paropsidis. Non hoc dicit quod in calice et paropside eorum superstitio moraretur, sed quod foris hominibus ostenderent sanctitatem: quod manifestum est ex eo quod addidit, dicens intus autem pleni estis rapina et immunditia.

Chrysostomus super Matth. vel hoc dicit, quia iudaei quoties ingressuri erant in templum, aut sacrificia oblaturi, aut per dies festos, seipsos et vestimenta sua et utensilia lavabant; et a peccatis nemo seipsum purgabat; cum Deus neque corporis munditiam laudet, neque sordes condemnet. Pone tamen quod Deus odit sordes corporum et vasorum, quae necesse est ut ipso usu sordidentur; quanto magis sordes conscientiae horret, quam si volumus, semper mundam servamus? .

Hilarius in Matth. arguit ergo eos qui iactantiam inutilis studii sequentes, utilitatis perfectae ministerium derelinquunt. Calicis namque usus interior est; qui si obsorduerit, quid proficiet lotus exterior? atque ideo interioris conscientiae nitor est obtinendus, ut ea quae corporis sunt, forinsecus abluantur: et ideo subdit pharisaeae caece, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat et id quod de foris est, mundum.

Chrysostomus super Matth. non autem hoc dicit de sensibili calice aut paropside, sed de intelligibili: qui si numquam tetigerit aquam, mundus potest esse apud Deum; si autem peccaverit, et tota aqua pelagi et fluminum se laverit, sordidus est, et miser ante Deum.

Chrysostomus in Matth. attende autem, quod ubi de decimis loquebatur, convenienter dixit: haec oportuit facere, et illa non omittere. Decima enim eleemosyna quaedam est. Quid autem nocet eleemosynam dare? non tamen hoc dixit sicut legalem observationem inducens. hic autem, ubi de purgationibus et immunditiis disputat, non hoc addit; sed ostendit quod de necessitate ad interiorem munditiam exterior sequitur; quod quidem extra est calicis, et paropsidis, corpus vocans; quod autem intus est, animam.

Origenes in Matth. Hic sermo nos instruit, ut festinemus esse iusti, non apparere. Qui enim studet ut appareat iustus, quae a foris sunt, mundat, et quae videntur curat; cor autem et conscientiam negligit. Qui autem studet ea quae intus sunt, idest cogitationes, mundare, consequens est ut etiam ea quae a foris sunt, faciat munda. Sed omnes falsi dogmatis professores, calices sunt a foris quasi mundati, propter speciem religionis quam simulant; ab intus autem pleni rapina et simulatione, dum rapiunt homines ad errorem. calix etiam est vas ad potum, paropsis ad cibum. Omnis ergo sermo per quem potamus spiritualiter, vel omnis narratio per quam nutrimur, vasa sunt potus et cibi. Qui ergo student compositum proferre sermonem magis quam salutari sensu repletum, calix eius a foris mundatus est, ab intus autem sordibus vanitatis impletus. sed et litterae legis et prophetarum calices spiritualis potus et paropsides necessariarum escarum sunt. Scribae quidem et pharisaei student sensum exteriorem mundum demonstrare; discipuli autem christi sensum spiritualem mundare festinant.

MATTHAEUS 23,27-28

5327 (Mt 23,27-28)

Origenes in Matth. Sicut habetur superius, intus pleni rapina et intemperantia, similiter hic pleni sunt hypocrisi et iniquitate; qui comparantur ossibus mortuorum et immunditiae universae: unde dicit vae vobis, scribae et pharisaei hypocritae, qui similes estis sepulchris dealbatis.

Chrysostomus super Matth. Merito quidem iustorum corpora templa dicuntur, quia anima in corpore iusti dominatur, sicut Deus in templo; vel quia ipse Deus in corporibus habitat iustis. Corpora autem peccatorum sepulcra dicuntur mortuorum, quia anima mortua est in corpore peccatoris: nec enim vivens putanda est quae nihil vivum aut spirituale agit in corpore.

Hieronymus. Sepulcra autem forinsecus levigata sunt calce, et ornata marmoribus in auro, coloribusque distinctis; intus autem plena sunt ossibus mortuorum: unde dicitur quae apparent hominibus speciosa: intus autem plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcitia. sic autem et perversi magistri, qui alia docent et alia faciunt, munditiam habitu vestis et verborum humilitate demonstrant; intus autem pleni sunt omni spurcitia et avaritia et libidine: et hoc manifeste exprimit inferens sic et vos a foris quidem apparetis hominibus iusti; intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.

Origenes. omnis enim iustitia simulata mortua est, quae propter Deum non fit; magis autem nequam iustitia est; sicut mortuus homo, non est homo; et sicut mimi, qui personas suscipiunt aliorum, et non sunt ipsi quos simulant. tanta ergo sunt ossa in eis et immunditiae, quanta bona simulant ex malo affectu. videntur autem a foris iusti coram hominibus; non eis quos scriptura appellat deos, sed coram eis qui sicut homines moriuntur.

Gregorius moralium. ante districtum vero iudicem excusationem ideo de ignorantia habere non possunt, quia dum ante oculos hominum omnem modum sanctitatis ostendunt, ipsi sibi sunt testimonio quia bene vivere non ignorant.

Chrysostomus super Matth. dic autem, hypocrita: si bonum est esse malum, ut quid non vis apparere quod vis esse? nam quod turpe est apparere, turpius est esse; quod autem formosum est apparere, formosius est esse. Ergo aut esto quod appares, aut appare quod es.

MATTHAEUS 23,29-31

5329 (Mt 23,29-31)

Hieronymus. Prudentissimo syllogismo arguit eos esse filios homicidarum, dum ipsi opinione bonitatis et gloriae in populo, aedificant sepulcra prophetarum, quos maiores eorum interfecerunt: et hoc est quod dicit

vae vobis, scribae et pharisaei hypocritae, qui aedificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta iustorum.

Origenes in Matth. Non satis rationabiliter comminari videtur adversus eos qui aedificant sepulcra prophetarum: quantum enim ad hoc laudabile aliquid faciebant: quomodo ergo erant digni suscipere vae? .

Chrysostomus in Matth. non ergo eos incusat quoniam sepulcra aedificant, sed intentioni eorum detrahit, cum qua aedificant: quoniam non propter honorem eorum qui occisi fuerant, sed sicut pompam sibi statuentes in occisionibus illorum, et formidantes ne forte tempore procedente, sepulcris destructis, tabescat tantae audaciae memoria.

Chrysostomus super Matth. vel quia dicebant apud se: si bene fecerimus pauperibus, non multi vident, et pro tempore vident: nonne ergo melius aedificia facimus, quae omnes aspiciunt, non solum in hoc tempore, sed etiam in posterum? o insipiens homo: quid tibi prodest post mortem ista memoria, si ubi es torqueris, et ubi non es laudaris? dum autem iudaeos castigat dominus, christianos docet; nam si ad illos solos dixisset haec, dicta fuissent tantum, non etiam scripta; nunc autem et dicta sunt propter illos, et scripta propter istos. Si ergo iuxta alia bona fecerit homo aedificia sancta, additamentum est bonis operibus; si autem sine aliis bonis operibus, passio est gloriae saecularis. Non enim gaudent martyres quando ex illis pecuniis honorantur in quibus pauperes plorant. Semper etiam iudaei praeteritorum sanctorum cultores fuerunt, et praesentium contemptores, magis autem et persecutores. Non enim sustinentes increpationes prophetarum suorum, persequerentur eos et occidebant; postea vero nascentes filii intelligebant culpas patrum suorum, et ideo quasi de morte innocentium prophetarum dolentes aedificabant memorias eorum; et ipsi tamen similiter persequerentur et interficerent suos prophetas, increpantes eos propter peccata sua; et ideo subditur et dicitis: si fuissetis in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum.

Hieronymus. Hoc autem etsi sermone non dicant, opere loquuntur, ex eo quod ambitiose, et magnifice aedificant memorias occisorum.

Chrysostomus super Matth. Qualia ergo cogitabant in corde, talia loquebantur et factis. Naturalem autem consuetudinem omnium malorum hominum hic Christus exponit: quia alter alterius culpam cito intelligit, suam autem difficile: homo enim in causa alterius tranquillum habet cor, in sua vero turbatum. In causa ergo alterius de facili possumus omnes iusti iudices esse. Ille autem vere iustus et sapiens est qui sibi ipsi iudex fieri potest. sequitur itaque testimonio estis vobismetipsis quia filii estis eorum qui prophetas occiderunt.

Chrysostomus in Matth. qualis autem est incusatio, filium esse homicidae eum qui non communicat menti patris? patet quod nulla: unde manifestum est quod propterea hoc dicit, quia occulte insinuat malitiae similitudinem.

Chrysostomus super Matth. testimonia enim sunt de filiis mores parentum: si enim pater fuerit bonus et mater mala, aut e converso, filii interdum patrem sequuntur, interdum matrem. Si autem ambo fuerint aequales, fit quidem aliquando ut de bonis parentibus mali exeant filii, aut e converso, sed raro. Sic enim hoc est sicut cum extra regulam naturae nascitur homo aut sex digitos habens, aut oculos non habens.

Origenes in Matth. Sed et in propheticis dictis narratio secundum historiam est corpus, spiritualis autem sensus est anima; sepulcra ipsae litterae scripturarum et libri. Qui ergo solam historiam attendunt, corpora prophetarum colunt in litteris posita, quasi in quibusdam sepulcris; et dicuntur pharisaei, idest praecisi, quasi animam prophetarum praecedentes a corpore.

MATTHAEUS 23,32-36

5332 (Mt 23,32-36)

Chrysostomus in Matth. quia dixerat contra pharisaeos et scribas, quod filii essent eorum qui occiderunt prophetas, nunc manifestat quod in malitia eis similes erant, et quod fictio erat hoc quod dicebant quod non communicassent operibus eorum, si fuissent in tempore illo: et ideo dicit et vos implete mensuram patrum vestrorum. Non quidem hoc dicit quasi iniungens, sed quasi praedicens quod futurum erat.

Chrysostomus super Matth. prophetizat enim illis futurum esse ut sicut patres eorum interfecerunt prophetas, sic et ipsi interficerent Christum, et apostolos et ceteros sanctos: ut puta si contra aliquem litiges

adversarium, dicit illi: fac mihi quod es factururus; non iubet ut faciat, sed ostendis te intelligere quod cogitat facere. Et quidem quantum ad veritatem, excesserunt mensuram patrum suorum: illi enim homines occiderunt, isti Deum crucifixerunt. sed quia voluntate sua descendit in mortem, non imputat illis suae mortis peccatum: imputat autem illis mortem apostolorum ceterorumque sanctorum: et ideo dicit implete, et non: superimplete; nam benigni et iusti iudicis est suas iniurias contemnere, et aliorum iniurias vindicare.

Origenes in Matth. Implent etiam mensuram paternae iniquitatis per hoc ipsum quod non credunt in Christum. causa autem incredulitatis fuit quoniam animum suum dederunt circa historias corporales, nihil spirituale in eis volentes intelligere.

Hilarius in Matth. Quia ergo mensuram paternae voluntatis implebunt, ideo et serpentes et viperina generatio sunt: unde sequitur serpentes, genimina viperarum, quomodo fugietis a iudicio gehennae? .

Hieronymus. Hoc ipsum et Ioannes baptista dixerat. Sicut ergo de viperis, inquit, nascuntur viperae, sic de homicidis patribus vos nati estis homicidae.

Chrysostomus super Matth. genimina autem viperarum dicuntur, quoniam talis est viperarum natura ut filii rumpant uterum matris, et sic procedant; et sic iudaei semper parentes condemnant, reprehendentes eorum facta. Dicit autem quomodo fugietis a iudicio gehennae? numquid sepulcra sanctorum aedificantes? sed primus gradus pietatis est sanctitatem diligere, deinde sanctos: sine causa enim iustos honorat qui iustitiam spernit. non possunt sancti amici esse illorum quibus Deus est inimicus. An forsitan nomen vacuum vos liberabit, quia videmini esse in populo Dei? puto autem quod melior est inimicus apertus, quam amicus falsus; sic et apud Deum odibilior est qui servum Dei se dicit, et mandata diaboli facit. apud Deum quidem qui hominem occidere disponit, antequam occidat, homicida habetur: voluntas enim est quae aut remuneratur pro bono, aut condemnatur pro malo. Opera autem testimonia sunt voluntatis. non ergo quaerit Deus opera propter se ut sciat quomodo iudicet, sed propter alios, ut omnes intelligant quia iustus est Deus. Providet autem Deus occasionem peccandi malis, non ut peccare faciat, sed ut peccatorem ostendat, et bonis praebeat occasionem, per quam ostendat propositum voluntatis suae. Sic ergo scribis et pharisaeis dedit occasionem ostendendi voluntatem suam: unde concludit ideo ecce mitto ad vos prophetas et sapientes et scribas.

Hilarius in Matth. idest apostolos, qui de futurorum revelatione prophetae sunt, de christi agnitione sapientes, de legis intelligentia scribae.

Hieronymus. Vel observa iuxta apostolum scribentem ad corinthios, varia dona esse discipulorum christi: alios prophetas, qui ventura praedicant; alios sapientes, qui noverunt quando debent proferre sermonem; alios scribas in lege doctissimos; ex quibus lapidatus est stephanus, paulus occisus, petrus crucifixus, flagellati in actibus apostolorum discipuli: et persecuti sunt eos de civitate in civitatem, expellentes de iudaea, ut ad gentium populos transmigrarent.

Origenes in Matth. vel scribae qui mittuntur a Christo sunt secundum evangelium, quos et spiritus vivificat, et littera non occidit, sicut littera legis, quam sequentes in vanas superstitiones incurrunt. Simplex autem evangelii narratio sufficit ad salutem. Scribae autem legis, scribas novi testamenti adhuc per detractionem flagellant in synagogis suis; sed et haeretici, qui sunt spirituales pharisaei, linguis suis christianos flagellant, et persequuntur de civitate in civitatem, interdum corporaliter, aliquando autem spiritualiter, volentes eos expellere quasi de propria civitate legis et prophetarum et evangelii in aliud evangelium.

Chrysostomus in Matth. deinde ut ostendat quoniam non impune hoc faciunt, ineffabilem eis ex his timorem incutit: unde subditur ut veniat super vos omnis sanguis.

Rabanus. Idest, omnis debita ultio pro effuso sanguine iustorum.

Hieronymus. De abel quidem nulla est ambiguitas quin is sit quem cain frater occiderit. iustus autem non solum ex domini nunc sententia, sed ex genesis testimonio comprobatur, ubi accepta eius a Deo narrantur munera. Quaerimus autem quis fuerit iste zacharias filius barachiae, quia multos legimus zacharias; et ne libera nobis tribueretur erroris facultas, additum est quem occidistis inter templum et altare. alii zachariam filium barachiae dicunt qui in duodecim prophetis undecimus est, patrisque in eo nomen consentit: sed ubi occisus sit inter templum et altare, scriptura non loquitur, maxime cum temporibus eius vix ruinae templi fuerint. alii zachariam patrem ioannis intelligi volunt.

Origenes. Venit enim ad nos quaedam traditio talis, quasi sit aliquis locus in templo ubi virginibus quidem licet adorare Deum; expertae autem thorum virilem non permittebantur in eo consistere. Maria autem postquam genuit salvatorem, ingrediens ad orandum stetit in illo virginum loco. Prohibentibus autem eis, qui

noverant eam iam filium genuisse, zacharias dixit, quoniam digna est virginum loco, cum adhuc sit virgo. Ergo quasi manifestissime adversus legem agentem occiderunt eum inter templum et altare viri generationis illius: et sic verum est verbum christi quod dixit ad praesentes quem occidistis.

Hieronimus. Hoc tamen quia de scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur qua probatur. alii istum volunt esse zachariam qui occisus sit a ioas rege iudae inter templum et altare, idest in atrio templi. Sed observandum, quod ille zacharias non fuit filius barachiae, sed ioiadae sacerdotis. sed barachias in lingua nostra benedicens Deum dicitur; et sacerdotis ioiadae iustitia hebraeo nomine demonstratur. In evangelio vero quo utuntur nazareni, pro filio barachiae filium ioiadae scriptum reperimus.

Remigius. Quaerendum est autem quomodo usque ad sanguinem zachariae dixerit, cum plurimorum sanctorum sanguis postea fuerit effusus? solvitur autem sic. Abel pastor ovium fuit in campo occisus; zacharias fuit sacerdos et in atrio templi interfectus. Ideo ergo dominus hos duos commemorat, quoniam per hos omnes sancti martyres designantur, laicalis scilicet et sacerdotalis ordinis.

Chrysostomus in Matth. Abel etiam commemoravit, ostendens quoniam ex invidia essent Christum et discipulos eius occisuri. zachariae autem mentionem fecit, quoniam duplex praesumptio fuit in eius occisione: non enim solum in sanctum hominem facta est, sed et in loco sancto.

Origenes. zacharias etiam interpretatur memoria Dei. Omnis ergo qui memoriam Dei disperdere festinat, in eis quos scandalizat, zachariae sanguinem videtur effundere filii barachiae. Per benedictionem enim Dei, memores sumus Dei. Ab impiis etiam memoria interficitur Dei, quando et templum Dei a lascivis corrumpitur, et altare eius per negligentiam orationum sordidatur. Abel autem luctus interpretatur. qui ergo non recipit quod scriptum est: beati qui lugent, sanguinem effundit abel, hoc est veritatem luctus salutaris. Effundunt etiam aliqui veritatem scripturarum quasi sanguinem earum: quia omnis scriptura, nisi secundum veritatem intelligatur, mortua est.

Chrysostomus in Matth. et ut omnem excusationem illis adimeret, ne dicerent: quoniam ad gentes eos misisti, propter hoc scandalizati sumus, praedixerat quod ad eos essent mittendi discipuli: et ideo de ultione eorum subditur amen dico vobis: venient haec omnia super generationem istam.

Glossa. non hos tantum praesentes dicit, sed omnem generationem praecedentem et futuram: quia omnes una civitas sunt, et unum corpus diaboli.

Hieronimus. Regula autem scripturarum est duas generationes, bonorum et malorum, nosse. De generatione bonorum dicitur: generatio iustorum benedicetur; de malis vero in praesenti loco generatio viperarum. Ergo et isti, quia similia sicut cain et ioas, contra apostolos gesserunt, de una generatione esse referuntur.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. Quia gehennae poenam, quam eis comminatus fuerat, tardabat, comminatur etiam eis praesentia mala, cum dicit venient haec omnia super generationem istam.

Chrysostomus super Matth. sicut enim omnia bona quae in singulis generationibus a constitutione mundi omnes sancti merebantur, illis novissimis sunt donata qui receperunt Christum; sic omnia mala quae in singulis generationibus a constitutione mundi pati meruerunt omnes iniqui, super novissimos iudaeos venerunt, quia Christum repulerunt. aut ita. Sicut omnis iustitia praecedentium sanctorum, immo omnium sanctorum, tantum mereri non potuit quantum gratiae datum est hominibus in Christo, sic omnium peccata impiorum tantum malum mereri non potuerunt quantum venit super iudaeos, ut corpore talia paterentur, qualia passi sunt a romanis: et sic postmodum omnes generationes eorum usque in finem saeculi proicerentur a Deo, et ludibrium fierent gentibus universis. quid enim peius potest fieri quam filium cum misericordia et humilitate venientem non suscipere, sed tali modo interficere? vel ita. Omnis gens vel civitas non statim cum peccaverit, punit eam Deus, sed expectat per multas generationes; quando autem placuerit Deo perdere civitatem illam aut gentem, videtur omnium generationum praecedentium peccata reddere illis: quoniam quae omnes merebantur, haec sola passa est; sic et generatio iudaeorum pro patribus suis videtur punita. vere autem non pro illis, sed pro se condemnati sunt.

Chrysostomus in Matth. qui enim multos iam peccantes vidit, et incorrectus permansit, eadem rursus vel graviora faciens, maiori est poenae obnoxius.

5337 (Mt 23,37-39)

Chrysostomus in Matth. post praedicta, ad civitatem convertit dominus sermonem, ex hoc erudire volens auditores; unde dicit ierusalem, ierusalem. haec autem duplicatio miserentis est, et valde diligentis.

Hieronymus. Ierusalem autem non saxa et aedificia civitatis, sed habitatores vocat, quam patris plangit affectu.

Chrysostomus super Matth. Praevicens ruinam civitatis illius, et plagam quae a romanis superventura erat, recordabatur quidem sanguinis sanctorum suorum qui effusus erat ab illis, et postmodum effundendus: unde addit quae occidis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt. missum ad te isaïam occidisti, et servum meum ieremiam lapidasti, Ezechielem tractum per lapides excerebrasti: quomodo salvaberis, quae ad te medicum non venire permittis? et non dixit: occidisti, aut: lapidasti; sed occidis et lapidas, idest, quasi hanc propriam et naturalem consuetudinem habes ut occidas et lapidas sanctos. eadem enim fecit apostolis quae fecerat aliquando prophetis.

Chrysostomus in Matth. Deinde, cum vocasset eam, et abominabiles eius occisiones dixisset, quasi se excusando dixit quoties volui congregare filios tuos? quasi dicat: neque praedictis occisionibus me a tua benevolentia avertisti; sed volui te mihi adiungere, non semel aut bis, sed multoties. magnitudinem autem amoris sub similitudine gallinae ostendit.

Augustinus de quaest. Evang. Hoc enim genus animantis magnum affectum in filios habet, ita ut eorum infirmitate affecta infirmetur et ipsa: et, quod difficile in ceteris animantibus invenies, alis suis filios protegens contra milvum pugnat; sic et mater nostra, Dei sapientia, per carnis susceptionem infirmata quodammodo, secundum illud apostoli: quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, protegit infirmitatem nostram, et resistit diabolo, ne nos rapiat.

Origenes in Matth. Filios autem ierusalem dicit, secundum quod dicimus semper civium successores praecedentium filios. dicit autem quoties volui, cum sit manifestum semel eum docuisse in corpore iudaeos: semper enim Christus praesens fuit et in moyse et in prophetis et in angelis, ministrantibus saluti humanae per singulas generationes. Si quis autem non fuerit congregatus ab eo, iudicabitur quasi noluerit congregari.

Rabanus. Cessent igitur haeretici Christo principium ex virgine dare; omittant alium legis et prophetarum Deum praedicare.

Augustinus in enchir. Ubi est autem illa omnipotentia qua in caelo et in terra omnia quaecumque voluit fecit, si colligere filios ierusalem voluit, et non fecit? an non potius illa quidem filios suos ab ipso colligi noluit, sed ea quoque nolente, filios eius collegit ipse quos voluit? .

Chrysostomus in Matth. deinde comminatur poenam quam semper formidaverunt, scilicet civitatis et templi eversionem, dicens ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.

Chrysostomus super Matth. Sicut enim corpus, anima recedente, prius quidem frigescit, deinde putrescit et solvitur, sic et templum nostrum, Dei spiritu recedente, prius seditionibus et indisciplinatione replebitur, deinde veniet ad ruinam.

Origenes. semper etiam eis qui noluerunt congregari sub alis eius, comminatur Christus ecce relinquetur vobis domus vestra deserta, idest anima et corpus. Sed et si quis ex vobis noluerit congregari sub alis christi, ex tempore illo ex quo congregationem refugit actu magis quam corpore, non videbit pulchritudinem verbi, donec poenitens a proposito malo dicat benedictus qui venit in nomine domini. Tunc enim verbum Dei benedictum venit super cor hominis quando fuerit quis conversus ad Deum; unde sequitur dico enim vobis: non me videbitis amodo donec dicatis: benedictus qui venit in nomine domini.

Hieronymus. Quasi dicat: nisi poenitentiam egeritis, et confessi fueritis ipsum esse me, de quo prophetae cecinerunt, filium omnipotentis patris, faciem meam non videbitis. Habent ergo iudaei datum sibi tempus poenitentiae. Confiteantur benedictum qui venit in nomine domini; et christi ora conspicient.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. per hoc occulte secundum adventum significavit: quoniam tunc omnino eum adorabunt. quod autem dicit amodo, ad tempus crucis refertur.

MATTHAEUS 24,1-2

5401 (Mt 24,1-2)

Origenes in Matth. Postquam omnia quae super ierusalem ventura erant, Christus praedixit, exiit de templo qui conservaverat templum, ne caderet donec fuit in eo; unde dicitur et egressus iesus de templo, ibat. Sed et unusquisque cum sit templum Dei propter spiritum Dei inhabitantem in se, ipse fit causa suae desertionis ut egrediatur ab eo Christus. sequitur et accesserunt ad eum discipuli eius, ut ostenderent ei aedificationes templi. Dignum est videre quomodo ostendunt ei structuras templi, quasi nunquam viderit templum. Ad quod respondendum est, quod cum Christus prophetizasset superius ruinam templi futuram, audientes discipuli mirati sunt, talem ac tantam templi structuram ad nihilum redigendam; propterea ostendunt ei, ut flecterent eum ad misericordiam loci illius, ne faceret quod fuerat comminatus. Sed et cum sit humanae naturae admirabilis constructio, facta videlicet templum Dei, discipuli ceterique sancti etiam modo miranda opera Dei erga figmentum humanum confitentem, ante conspectum christi intercedunt, ne deserat genus humanum propter peccata ipsorum. sequitur ipse autem respondens dixit eis: videtis haec omnia? amen dico vobis: non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruat.

Rabanus. iuxta historiam manifestus est sensus: quia quadragesimo secundo anno post passionem domini, sub vespasiano et tito romanis principibus, civitas eversa est cum templo.

Remigius. Divinitus autem procuratum est ut revelata iam luce gratiae, templum cum suis caeremoniis tolleretur: ne forte aliquis parvulus in fide, dum videret omnia illa quae a domino fuerant instituta et a prophetis sanctificata adhuc permanere, paulatim recedendo a sinceritate fidei, ad carnalem iudaismum transiret.

Chrysostomus in Matth. sed qualiter verum est quod non mansit lapis super lapidem? vel enim desolationem eius ostendens omnimodam, hoc dixit; vel secundum illum locum ubi erat: sunt enim eius partes usque ad fundamenta destructae. Cum his et illud dicam, quoniam ex his quae facta sunt, et de reliquis oportet credere quod peribunt perfecte.

Hieronymus. Mystice autem recedente domino de templo, omnia legis aedificia et compositio mandatorum ita destructa est ut nihil a iudaeis possit impleri, et capite sublato universa inter se membra compungent.

Origenes. omnis etiam homo, qui suscipiens in se verbum Dei, templum est; si post peccatum adhuc servat ex parte vestigia fidei et religionis, templum est ex parte destructum et ex parte consistens. Qui autem postquam peccaverit, curam sui non habet, paulatim minuitur, donec ad plenum recedat a Deo vivente: et sic non relinquetur lapis super lapidem, mandatorum Dei, qui non destruat.

MATTHAEUS 24,3-5

5403 (Mt 24,3-5)

Remigius. Perseverans dominus in itinere, pervenit ad montem oliveti; et quibusdam discipulis in via ostendentibus et laudantibus aedificationem templi, ipse palam praedixerat omnia esse destruenda: idcirco cum pervenissent ad montem oliveti, accesserunt ad eum interrogantes; unde dicitur sedente autem eo super montem oliveti.

Chrysostomus in Matth. propter hoc autem secreto accesserunt, quia de magnis erant interrogaturi: etenim cupiebant discere diem adventus eius, quia vehementer desiderabant gloriam eius videre.

Hieronymus. et interrogant tria. Primo, quo tempore ierusalem destruenda sit, dicentes dic nobis, quando haec erunt? secundo, quo tempore Christus venturus sit; unde dicunt et quod signum adventus tui? tertio, quo tempore consummatio saeculi sit futura; unde dicunt et consummationis saeculi? .

Chrysostomus in Matth. Lucas autem ait unam esse interrogationem, quae est de hierosolyma, quasi aestimantibus discipulis tunc futurum esse christi adventum et finem mundi quando hierosolyma destrueretur. Marcus autem non omnes eos de consummatione hierosolymae interrogasse, sed petrum, iacobum, iohannem et andream, quasi liberius et securius Christo loquentes.

Origenes in Matth. Puto autem montem oliveti mysterium esse ecclesiae quae ex gentibus est.

Remigius. Mons enim oliveti non habet infructuosas arbores, sed oliveta, quibus lumen nutritur ad fugandas tenebras, et quibus fessis requies, infirmis salus praestatur. Sedens autem dominus supra montem oliveti contra templum, de ruina ipsius et excidio iudaicae gentis disputat, ut etiam ipso situ corporis monstret quia quietus manens in ecclesia, impiorum superbiam condemnat.

Origenes. agricola enim residens in monte oliveti, verbum Dei est in ecclesia confirmatum, Christus scilicet, qui semper oleastri ramos inserit in bonam olivam patrum. Qui habent fiduciam ante Christum, discere volunt signum adventus christi et consummationis saeculi. Est autem duplex adventus verbi in animam. Primus quidem stulta praedicatio de Christo, quando praedicamus Christum natum et crucifixum; secundus autem adventus est in viris perfectis, de quibus dicitur: sapientiam loquimur inter perfectos; et huic secundo adventui adiungitur consummatio saeculi in viro perfecto, cui mundus crucifixus est.

Hilarius in Matth. et quia tria a discipulis quaesita sunt, distinctis et temporis et intelligentiae significationibus separantur. Respondetur ergo primo de civitatis casu, et deinde confirmatur veritate doctrinae, ne quis fallax ignorantibus possit obrepere; unde sequitur et respondens iesus, dixit eis: videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes: ego sum Christus.

Chrysostomus in Matth. neque enim de hierosolymae destructione, neque de secundo adventu respondit statim; sed de malis quibus statim obviandum erat.

Hieronymus. Unus autem eorum de quibus loquitur fuit simon samaritanus, quem in actibus apostolorum legimus, qui se magnam dicebat esse virtutem, haec quoque inter cetera in suis voluminibus scripta dimittens: ego sum sermo Dei, ego omnipotens, ego omnia Dei. Sed et ioannes apostolus in epistola sua 1 loquitur: audistis quia antiChristus venturus est; nunc autem antichristi multi sunt. Ego reor omnes haeresiarchas antiChristos esse, et sub nomine christi ea docere quae contraria sunt Christo. Nec mirum si aliquos ab his videamus seduci, cum dominus dixerit et multos seducent.

Origenes. multi autem sunt qui seducuntur: quia larga est porta quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. hoc autem solum sufficit ad cognoscendum seductionem antiChristorum, qui dicunt ego sum Christus, quod numquam legitur Christus dixisse. Sufficiebant enim ad credendum quod ipse est Christus, opera Dei, et sermo quem docebat, et virtus ipsius. Omnis etiam sermo qui profitetur expositionem scripturarum secundum fidem earum, et non habet veritatem, antiChristus est. Veritas enim Christus est, et simulata veritas antiChristus. Sed et omnes virtutes invenimus esse Christum, omnes simulatas virtutes antiChristum: quoniam omnes species boni quascumque habet Christus in se in veritate ad aedificationem hominum, omnes eas habet diabolus in specie ad seductiones sanctorum. Opus ergo est nobis Deo auxiliatore, ne quis nos seducat, vel sermo, vel virtus. Malum enim est invenire aliquem secundum mores vitae errantem; multo autem peius arbitror esse non secundum verissimam regulam scripturarum sentire.

MATTHAEUS 24,6-8

5406 (Mt 24,6-8)

Augustinus ad hesychium. interrogantibus discipulis ea dominus respondit quae iam ex illo tempore fuerant secutura, sive de excidio ierusalem, unde orta est ipsius interrogationis occasio; sive de adventu suo per ecclesiam, in qua usque ad finem venire non cessat; in suis enim veniens agnoscitur, dum eius quotidie membra nascuntur; sive de ipso fine in quo apparebit vivos iudicaturus et mortuos. cum itaque signa dicat quae ad ista tria pertinent, quod eorum trium signorum ad aliquid horum referendum sit, diligenter considerandum est, ne forte quod pertinet ad unum, referendum putemus ad alterum.

Chrysostomus in Matth. hic autem loquitur de praeliis quae hierosolymis erant futura, cum dicit audituri enim estis praelia et opiniones praeliorum.

Origenes in Matth. qui audit ipsas voces quae fiunt in praeliis, audit praelia; qui autem de praeliis longe gestis audit, opiniones vel rumores audit praeliorum.

Chrysostomus in Matth. Quia vero per hoc turbari etiam discipuli poterant, ideo subdit videte ne turbemini. Deinde quia aestimabant post illud bellum quo ierusalem destrueretur, statim finem mundi esse venturum, eos in vera opinione stabilit, dicens oportet enim haec fieri, sed nondum statim est finis.

Hieronymus. Idest, non putemus diem instare iudicii, sed in tempus aliud reservari; cuius signum

perspicue in consequentibus ponitur. consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum.

Rabanus. Vel admonentur apostoli ne his advenientibus terreantur, ut hierosolymam iudaeamque deserant; quia non statim finis, sed in quadragesimum annum desolatio provinciae, ultimumque urbis et templi sequetur excidium: de quibus subditur consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum. constat autem hic acerbissimos dolores, quibus omnis vastata est provincia, ad litteram contigisse.

Chrysostomus in Matth. deinde ut ostendat quoniam et ipse praeliabitur contra iudaeos, non solum bella praenuntiat, sed et plagas divinitus illatas: unde subdit et erunt pestilentiae et fames et terraemotus per loca.

Rabanus. Notandum quod in hoc quod dicit consurget gens in gentem, ostenditur perturbatio hominum; erunt pestilentiae, ecce inaequalitas corporum; erit fames, ecce sterilitas terrae; terraemotus per loca, ecce respectus irae desuper.

Chrysostomus in Matth. et non simpliciter haec fient secundum consuetudinem antea in hominibus existentem; sed ex ira quae erit desuper: et propter hoc non simpliciter dixit ea esse ventura, neque repente; sed cum quadam significatione subdit haec autem omnia sunt initia dolorum, idest iudaicorum malorum.

Origenes. vel aliter: sicut aegrotant corpora ante mortem, sic necesse est ante corruptionem mundi ut quasi languens terra frequentius terraemotibus conquassetur, aer etiam vim mortiferam concipiens pestilens fiat; et vitalis virtus terrae deficiens, suffocet fructus. Consequens autem est ut propter inopiam ciborum, in avaritiam et bella homines excitentur; sed quia insurrectiones et lites interdum fiunt propter avaritiam, interdum autem propter concupiscentiam principatus, et gloriam vanam; adhuc profundiore dabit aliquis causam eorum quae ante finem mundi sunt ventura. Sicut enim adventus christi in pluribus gentibus divina virtute fecit pacem, sic consequens est ut propter abundantiam iniquitatis refriguerit caritas multorum; et ideo dereliquerit illos Deus, et Christus eius, iterum fieri praelia, dum non prohibentur a sanctitate operationes seminatrices bellorum: sed et adversariae virtutes dum non vetantur a sanctis et a Christo, absque prohibitione operabuntur in cordibus hominum, ut excitent gentem adversus gentem, et regnum adversus regnum. Si autem, sicut quibusdam placet, et fames et pestilentiae ab angelis satanae fiunt, haec etiam tunc invalescent ab adversis virtutibus, quando non fuerint sales terrae et lux mundi, christi discipuli, destruentes quae ex daemonum malitia seminantur. et aliquando quidem in israel fames et pestilentiae fiebant propter peccata, quas orationes sanctorum solvebant. bene autem per loca: non enim insimul vult Deus perdere humanum genus; sed iudicans per partes, dat poenitentiae locum. si autem incipientibus huiusmodi malis, non fuerit facta correptio, proficient ad peius: unde sequitur haec autem omnia initia sunt dolorum, generalium scilicet in universo mundo, et eorum qui secuturi sunt adversus impios, ut in doloribus acutissimis crucientur.

Hieronymus. Mystice autem videtur regnum contra regnum consurgere, et pestilentia eorum quorum sermo serpit ut cancer, et fames audiendi verbum Dei, et commotio universae terrae, et a vera fide separatio, in haereticis magis intelligi, qui contra se invicem dimicantes, ecclesiae victoriam faciunt.

Origenes. oportet autem haec fieri antequam videamus perfectionem sapientiae quae est in Christo, sed non statim erit finis quem quaerimus: pacificus enim finis longe est ab hominibus istis.

Hieronymus. Quod autem dixit haec omnia initia sunt dolorum, melius transfertur parturitionum, ut quasi conceptus quidam adventus antichristi, non partus intelligatur.

MATTHAEUS 24,9-14

5409 (Mt 24,9-14)

Rabanus. Quo merito hierosolymis, ac provinciae iudaeorum universae tot irroganda fuerint adversa, dominus manifestat subdens tunc tradent vos, etc.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. Quia discipuli audientes ea quae de hierosolyma dicebantur, sic dispositi erant ut extra turbationem essent, quasi de alia poena audientes, sibi vero prospera superventura sperabant, quae advenire valde desiderabant; propter hoc eis gravia praenuntiat, in sollicitudine eos statuens. et prius quidem iusserat eos vigilare contra deceptionem seductorum; nunc autem tyrannorum violentiam eis praedicit, dicens tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos. Opportune enim eorum mala interposuit, mitigationem habentia a communibus malis: nec solum ita eos consolatus est, sed

ostendendo tribulationis causam, adiungens quod propter nomen eius haec essent passuri: unde sequitur et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.

Origenes in Matth. sed quomodo etiam in ultimis partibus terrae commorantibus gentibus odio habetur populus christi? nisi forte et hic aliquis dicat propter exaggerationem positum omnibus pro multis. Sed et hoc quod dicit tunc tradent vos, habet quaestionem: nam et priusquam haec fierent, traditi sunt christiani in tribulationes. sed aliquis respondebit, quoniam tunc maxime tradentur christiani in tribulationes quemadmodum unquam. Amant enim qui in calamitatibus sunt, causas earum discutientes invenire aliquid quod loquantur. consequens ergo est ut quasi derelinquentibus hominibus deorum culturam propter multitudinem christianorum, dicant fieri bella, fames, et pestilentias; sed et terraemotus causam dicant christianos, propter quod et persecutiones passae sunt ecclesiae.

Chrysostomus in Matth. postquam autem iam duplex praelium posuit, scilicet quod est a seductoribus, et quod est ab inimicis; consequenter tertium praelium ponit, quod est a falsis fratribus, unde subdit et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem. Vide autem et paulum haec plorantem et dicentem: foris pugnae, intus timores; et alibi: pericula in falsis fratribus; de quibus ibi dicit: tales sunt pseudoapostoli operarii subdoli. Unde et hic subdit et multi pseudoprophetae surgent, et seducent multos.

Remigius. Imminente enim captivitate ierusalem, multi insurrexerunt, christianos se esse dicentes, et multos seduxerunt: quos paulus nominat falsos fratres, ioannes vero antiChristos.

Hilarius in Matth. Ut nicolaus unus ex septem diaconibus fuit, qui multos mentita veritate pervertit.

Chrysostomus in Matth. Deinde quod his difficilium est ostendit, quia tales pseudoprophetae nullam mitigationem a caritate accipient; unde sequitur et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet caritas multorum.

Remigius. Idest vera dilectio erga Deum et proximum: nam quanto magis ab unoquoque iniquitas suscipitur, tanto magis in corde ipsius ardor caritatis extinguitur.

Hieronymus. Considerandum autem, quod non negavit omnium futuram esse caritatem, sed multorum: nam in apostolis et in eorum similibus permansura est caritas, de qua paulus dicit: quis nos separabit a caritate christi? propter quod et hic subdit qui autem perseveravit usque in finem, hic salvus erit.

Remigius. Usque in finem dicit usque ad terminum vitae suae: qui enim usque ad terminum vitae suae in confessione nominis christi perseveraverit, et in caritate salvus factus est.

Chrysostomus in Matth. deinde ne dicerent: qualiter ergo inter tot mala vivemus? quod plus est promittit: quod non solum viverent, sed etiam ubique docerent; unde subditur et praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe.

Remigius. Quia enim noverat dominus corda discipulorum contristanda esse de excidio ierusalem et perditione suae gentis, hoc solatio consolatur eos, quod multo plures credituri erant de gentibus quam de iudaeis perirent.

Chrysostomus in Matth. Quod autem et ante captionem hierosolymae ubique praedicatum est evangelium, audi quod ait paulus: in omnem terram exivit sonus eorum. Et vides eum a ierusalem ad hispaniam currentem. Si autem unus tantam portionem accepit, excogita reliqui quanta operati sunt. Unde et quibusdam scribens, de evangelio dicit quod fructificat et crescit in omni creatura quae sub caelo est. Hoc autem est maximum signum virtutis christi, quod in triginta annis vel parum amplius evangelii sermo fines orbis terrarum implevit. Quamvis autem evangelium ubique praedicatum fuerit, non tamen omnes crediderunt: propter quod subdit in testimonium omnibus gentibus idest in accusationem his qui non crediderunt. Qui enim crediderunt, testabuntur adversus eos qui non crediderunt, et condemnabunt eos. Convenienter autem postquam praedicatum est evangelium per orbem terrarum, tunc hierosolyma perit: unde sequitur et tunc veniet consummatio; idest finis hierosolymorum. Qui enim viderunt christi virtutem ubique refulgentem et in brevi tempore orbem terrarum supergressam, quam veniam habere debuerunt in ingratitude permanentes? **Remigius.** Potest autem et totus locus iste referri ad consummationem saeculi. tunc enim plurimi scandalizabuntur recedentes a fide, videntes multitudinem et divitias malorum, et miracula antichristi, et consocios persequentur; et antiChristus mittet pseudoprophetas qui seducent multos; et abundabit iniquitas, quoniam numerus malorum augebitur; et refrigescet caritas, quoniam numerus bonorum minuetur.

Hieronymus. Signum etiam dominici adventus est in toto orbe evangelium praedicari, ut nullus sit excusabilis.

Origenes in Matth. Quod autem dicitur eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum, sic salvare quis poterit, quia nunc quidem in unum consenserunt omnes gentes adversus christianos. cum autem contigerint quae Christus praedixit, tunc fient persecutiones iam non ex parte sicut ante, sed generaliter ubique adversus populum Dei.

Augustinus ad hesychium. Sed qui putant hoc quod dicitur praedicabitur evangelium regni in universo orbe, per ipsos apostolos factum esse, non ita esse certis documentis probatum est. Sunt enim in africa barbarae innumerabiles gentes, in quibus nondum praedicatum esse evangelium ex his qui ducuntur inde captivi, addiscere in promptu est. Neque tamen ullo modo recte dici potest, istos ad promissionem Dei non pertinere. Non enim romanos solum, sed omnes gentes dominus semini abrahamae iurando promisit. In quibus ergo gentibus nondum est ecclesia, oportet quod sit, non ut omnes qui ibi fuerint credant: quomodo enim illud implebitur eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum, nisi in omnibus gentibus sint et qui oderint et quos oderint? non est igitur ab apostolis praedicatio ista completa, quando adhuc sunt gentes in quibus nondum coepit impleri. Quod autem dixit apostolus: in omnem terram exivit sonus eorum, quamvis locutio sit praeteriti temporis, verbis tamen quod futurum erat dixit, non quod iam factum atque completum: sicut et ipse propheta, quo usus est teste, fructificare et crescere dixit evangelium in universo mundo, ut ita signaret usque quo crescendo esset venturum. si ergo latet quando evangelio universus orbis implebitur, proculdubio latet quando finis erit: ante quippe non erit.

Origenes in Matth. Cum ergo omnis gens audiverit evangelii praedicationem, tunc erit saeculi finis; et hoc est quod sequitur et tunc erit consummatio. Multae enim non solum barbarorum, sed etiam nostrarum gentium nondum audierunt christianitatis verbum.

Glossa. Utrumque autem dictorum tueri potest, si tamen diverso modo diffusio praedicationis evangelii intelligatur. Si enim intelligatur quantum ad fructum praedicationis, qui est ut in singulis gentibus fundetur ecclesia credentium in Christum, ut .

Augustinus exponit, est signum quod oportet praecedere ante finem mundi; non tamen praecessit ante destructionem hierosolymae. Si autem intelligatur quantum ad famam praedicationis, sic ante finem hierosolymae fuit completum, discipulis christi per quatuor mundi partes dispersis. Unde .

Hieronymus dicit: non puto aliquam remansisse gentem quae christi nomen ignoret; et quamquam non habuerit praedicatorem, tamen ex vicinis gentibus opinionem fidei non potest ignorare.

Origenes in Matth. moraliter autem qui visurus est, secundum verbum Dei, adventum gloriosum illum in animam suam, necesse est ut secundum mensuram profectus sui insidias a contrariis operationibus patiat, quasi magnus athleta, et Christus in eo ab omnibus odiatur: non tantum a gentibus secundum carnem, quantum a gentibus spiritualium nequitiarum. Sed et in quaestionibus pauci erunt veritatem plenius attingentes; plures autem scandalizabuntur, et cadent ab ea, proditores et accusatores alterutrum propter dissensionem dogmatum veritatis; quod causa fiet ut odiant se invicem. multi etiam erunt non sane tradentes de futuris sermonem, et quomodo non oportet interpretantes prophetas: quos pseudopphetas dicit, seducentes multos; et ferventem dilectionem quae prius fuerat in simplicitate fidei, refrigescere facient. Sed qui potuerit manere in apostolicae traditionis proposito, ipse salvabitur; et sic praedicatum evangelium in animas omnium, erit in testimonium omnibus gentibus, idest omnibus cogitationibus incredulis animarum.

MATTHAEUS 24,15-22

5415 (Mt 24,15-22)

Chrysostomus in Matth. quia supra occulte insinuavit hierosolymae finem, consequenter idem manifeste ostendit, prophetiam inducens quae destructionem iudaeorum credere facit; unde dicit cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat.

Hieronymus. Hoc autem quod dictum est qui legit intelligat, ponitur ut ad intelligentiam mysticam provocemur. legimus autem in daniele hoc modo: et in dimidio hebdomadis auferetur sacrificium et libamina, et in templo desolationum abominatio erit usque ad consummationem temporis, et consummatio dabitur super solitudinem.

Augustinus ad hesychium. Lucas quidem, ut ostenderet tunc factam fuisse abominationem desolationis quae a daniele praedicta est, quando expugnata est ierusalem, eodem loco haec domini verba

commemorat: cum videritis circumdari ab exercitu ierusalem, tunc scitote quia appropinquabit desolatio eius.

Chrysostomus super Matth. Unde abominationem desolationis videtur mihi exercitum dicere, quo scilicet desolata est civitas sancta ierusalem.

Hieronymus. aut potest intelligi de imagine caesaris, quam pilatus posuit in templo, aut de hadriani equestri statua, quae in ipso sancta sanctorum loco stetit usque in praesentem diem. Abominatio enim secundum veterem scripturam idolum nuncupatur; et idcirco additur desolationis, quod in desolato templo atque deserto idolum positum sit.

Chrysostomus in Matth. Vel quia ille qui desolavit civitatem et templum, statuam intus posuit. Ut autem discant quoniam viventibus quibusdam eorum haec erunt, propter hoc dixit cum videritis. Ex quo admirare christi virtutem et discipulorum fortitudinem, qui in talibus temporibus praedicabant, in quibus omnia iudaica impugnabantur. apostoli autem ex iudaeis existentes, leges introduxerunt novas adversus romanos tunc dominantes. Infinita milia iudaeorum ceperunt romani, et duodecim viros non superaverunt nudos et inermes. Quia vero multoties contigerat in gravibus praeliis iudaeos restauratos fuisse, sicut temporibus sennacherib et antiochi; ne aliquis suspicetur tale aliquid futurum, suis fugiendum esse praecepit cum subdit tunc qui in iudaea sunt fugiant ad montes.

Remigius. Haec enim omnia imminente desolatione ierusalem, constat fuisse impleta: appropinquante namque romano exercitu, omnes christiani qui in provincia erant, sicut historia ecclesiastica refert, divino miraculo moniti, longius recesserunt, et transeuntes iordanem, venerunt in pellam civitatem, et ibi sub tutela agrippae regis, cuius mentio in actibus apostolorum fit, aliquanto tempore manserunt: ipse autem agrippa, cum parte iudaeorum quae sibi obtemperabat, romano subditus erat imperio.

Chrysostomus in Matth. deinde ostendens inevitabilia mala futura esse iudaeis et infinitam calamitatem, subdit et qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua; eligibilis enim erat nudo corpore salvari, quam intrare domum ut tolleret vestimentum, et occidi: propter quod et de eo qui est in agro subdit et qui in agro est, non revertatur tollere tunicam suam. si enim qui in civitate sunt fugiunt, multo magis qui foris sunt non oportet ad civitatem refugere. Et quidem pecunias contemnere facile est, et providere sibi in vestimentis non difficile; quae autem a natura sunt, qualiter aliquis fugiet? qualiter enim praegnans fiet levis ad fugam, aut lactans poterit eum quem peperit deserere? propter quod subdit vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus: his quidem, quia pigriores sunt, et quia facile fugere non possunt, onere conceptionis gravatae; his autem, quia detinentur vinculo compassionis filiorum, et non possunt simul salvare eos quos lactant.

Origenes in Matth. Vel quoniam non erit tunc tempus miserendi neque super praegnantem, neque super lactantem, neque super infantes earum. Et quasi ad iudaeos loquens, qui arbitrabantur in sabbato non oportere ambulare viam amplius quam est sabbati iter, subdit orate autem ut non fiat fuga vestra hieme, vel sabbato.

Hieronymus. Quia scilicet in altero duritia frigoris prohibet ad solitudines pergere, et in montibus desertisque latitare; in altero autem transgressio legis est, si fugere voluerint; aut mors imminens, si remanserint.

Chrysostomus in Matth. Vide autem quoniam adversus iudaeos est hic sermo: non enim apostoli sabbatum erant observaturi, neque ibi mansuri, cum vespasianus hoc egit; etenim plures eorum iam praemortui erant. Si autem aliquis remanserat, in aliis partibus orbis terrarum tunc conversabatur. propter quid autem hoc orandum esse dixerit, subdit erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet.

Augustinus ad hesychium. Apud lucam sic legitur: erit autem pressura magna super terram, et ira populo huic; et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes. Nam et iosephus, qui iudaicam scripsit historiam, talia mala dicit populo tunc accidisse ut vix credibilia videantur. Unde non immerito dictum est, talem tribulationem nec fuisse a creaturae initio, nec futuram; sed etsi tempore antichristi talis aut maior forsitan erit, intelligendum est de illo populo dictum, quod eis talis amplius futura non erit. si enim antiChristum illi primitus et praecipue recepturi sunt, facturus est tunc idem populus tribulationem potius quam passurus.

Chrysostomus in Matth. interrogo autem iudaeos, unde tam intolerabilis ira divinitus venit super eos, omnibus quae ante factae sunt difficilior. nam manifestum est quoniam propter crucis manifestationem. Sed adhuc ostendit ipsos graviore poena fuisse dignos, in hoc quod dicitur et nisi breviati fuissent dies illi, non

fieret salva omnis caro; ac si diceret: si amplius durasset praelium romanorum adversus civitatem, universi periissent iudaei: omnem enim carnem iudaicam dicit, et qui foris et qui intus erant: non enim solum eos qui in iudaea erant impugnabant romani, sed et eos qui ubique dispersi erant persequebantur.

Augustinus. quidam autem convenienter mihi intellexisse videntur mala ipsa significata nomine dierum, sicut sunt dicti dies mali in aliis scripturae divinae locis: neque enim dies ipsi mali sunt, sed ea quae fiunt in eis: ipsa enim dicta sunt breviori, ut Deo tolerantiam donante, minus sentirentur; ac si quae magna essent, fierent brevia.

Chrysostomus in Matth. ne vero iudaei dicerent, quoniam propter praedicationem et discipulos christi haec mala evenerunt, ostendit quod nisi illi essent, radicitus periissent; unde subditur sed propter electos breviabuntur dies illi.

Augustinus. Non enim debemus ambigere, quando eversa est ierusalem, fuisse in illo populo electos Dei, qui ex circumcissione crediderant, sive fuerant credituri, electi ante constitutionem mundi, propter quos breviarentur dies illi, ut tolerabilia mala fierent. Non autem desunt qui existimant ita breviores dies illos futuros, quod cursu solis celeriore brevientur, sicut fuit longior dies orante iesu nave.

Hieronymus. Nec recordantur illius scripti: ordinatione tua perseverat dies. Sed iuxta temporum qualitatem, idest abbreviatos non mensura sed numero, ne temporum mora concutiatur credentium fides.

Augustinus. non tamen putemus hebdomadas danielis, vel propter dierum breviaciones fuisse turbatas, vel illo iam tempore non fuisse completas, sed in fine temporum esse complendas: apertissime enim Lucas testatur danielis prophetiam tunc fuisse completam quando eversa est ierusalem.

Chrysostomus in Matth. Intellige autem spiritus sancti dispensationem, quoniam nihil horum scripsit iohannes, ut non videretur ex ipsa eorum quae facta sunt historia scribere; etenim post captionem ierusalem vixit multo tempore. Sed qui ante mortui sunt et nihil horum viderunt, ipsi scribunt, ut undique fulgeat praenuntiationis virtus.

Hilarius in Matth. Vel aliter. totum indicium adventus futuri dominus ponit, dicens cum videritis abominationem. de antichristi enim temporibus haec locutus est propheta. Abominatio ex eo dicta est quod adversus Deum veniens honorem Dei sibi vindicet: desolationis autem abominatio, quia bellis et caedibus terram desolaturus sit, atque ob id a iudaeis susceptus loco sanctificationis instituitur, ut ubi sanctorum precibus Deus invocabatur, ibi ab infidelibus receptus Dei honore venerabilis sit; et quia proprius iste iudaeorum error erit, ut qui veritatem respuerunt, suscipiant falsitatem, iudaeam deseri monet, et transfugere in montes, ne admixtione plebis illius antiChristo crediturae, vis aut contagium afferatur. Quod autem ait et qui in tecto sunt, non descendant tollere aliquid de domo sua, sic intelligitur: tectum est domus fastigium, et habitationis totius excelsa perfectio. Qui igitur in consummatione domus suae, idest in cordis sui perfectione constiterit, regeneratione spiritus novi celsus, non descendere in humiliora rerum saecularium cupiditate debebit. et qui in agro erit, non revertatur tollere tunicam suam; idest positus in operatione praecepti, non ad curas pristinas revertatur, ob quas veterum exinde peccaminum, quibus antea contegebatur, erit tunicam relaturus.

Augustinus ad hesychium. in tribulationibus enim cavendum est ne quisquam devictus ad carnalem vitam de spirituali sublimitate descendat; aut qui profecerat in anteriora se extendens, deficiendo in posteriora respiciat.

Hilarius in Matth. quod autem dicitur vae praegnantibus et nutrientibus in illis diebus; non de fetarum onere dominum admonuisse credendum est, sed animarum peccatis repletarum ostendisse gravitatem, quod neque in tecto positae, neque in agro manentes, repositae irae tempestatem vitare possint. Illis quoque vae erit qui nutrientur: infirmitatem enim animarum quae ad cognitionem Dei tamquam lacte educantur, in his ostendit; et idcirco vae ipsis erit, quia ad fugiendum antiChristum graves, et ad sustinendum imperitae, nec peccata effugerunt, nec cibum veri panis acceperunt.

Augustinus de verb. Dom. vel praegnans est qui res alienas concupiscit; nutriens est qui iam rapuit quod concupiverat: istis enim vae erit in die iudicii. quod autem dominus dixit orate ne fiat fuga vestra hieme, vel sabbato, .

Augustinus de quaest. Evang., idest ne in laetitia vel tristitia rerum temporalium quis inveniatur in die illa.

Hilarius in Matth. Vel ne aut in peccatorum frigore, aut in otio bonorum operum reperiamur, quia gravior vexatio incumbet; nisi quod causa electorum Dei diebus illis sit brevitatem afferenda, ut vim malorum

coarctatum tempus exsuperet.

Origenes in Matth. Mystice autem in loco sancto omnium scripturarum, tam veteris testamenti quam novi, antiChristus, qui est falsum verbum, stetit frequenter; qui autem hoc vident, ex iudaeae littore fugiant ad sublimes veritatis montes. Et si quis inventus fuerit ascendisse supra tectum verbi, et stare super fastigium eius, non descendat inde, occasione ut auferat aliquid de domo sua. et si fuerit in agro in quo absconditus est thesaurus, et reversus fuerit retro, incurret in seductionem verbi mendacis; et maxime si spoliaverit se vestimentum vetus, idest veterem hominem, et iterum conversus fuerit tollere ipsum. Tunc autem anima in utero habens, quae necdum fructificavit ex verbo, incurrit in vae: proicit enim conceptum, et evacuatur a spe, quae est in actibus veritatis; similiter autem si videatur formatum et fructificatum verbum, non autem fuerit enutritum sufficienter. orent autem qui fugiunt in montes, ne fuga eorum fiat hieme vel sabbato: quoniam in tranquillitate animae constitutae possunt impetrare viam salutis: et in sabbato, quando homo bona opera non facit, fuga vestra non fiat; nemo enim in periculo falsi dogmatis facile superatur, nisi qui nudus fuerit ab operibus bonis. Quae est autem maior tribulatio quam videre fratres nostros seduci, et quod aliquis videat seipsum moveri et conturbari? dies autem intelliguntur praecepta et dogmata veritatis: omnes autem intellectus a scientia falsi nominis venientes, additamenta sunt dierum quae Deus abbreviavit per quos vult.

MATTHAEUS 24,23-28

5423 (Mt 24,23-28)

Chrysostomus in Matth. cum complisset dominus ea quae de hierosolymis sunt, ad suum de cetero pervenit adventum, et dicit eius signa non illis utilia solum, sed et nobis, et his qui post nos erunt omnibus: unde dicit tunc si quis vobis dixerit: ecce hic est Christus aut illic, nolite credere. Sicut autem cum supra dixit evangelista: in diebus illis venit Ioannes baptista, non tempus quod immediate est consequens exposuit, cum triginta anni in medio essent, ita et hic cum dicit tunc, totum medium tempus praetermisit, quod futurum erat a captione hierosolymae usque ad initia consummationis mundi. Dans autem eis signa sui secundi adventus, de loco eos certificat et de seductoribus: non enim sicut in priori adventu in bethlehem apparuit, et in parvulo angulo orbis terrarum, et nullo sciente a principio, ita et tunc erit; sed manifeste veniet, ita quod non indigeat quod aliquis eius adventum annuntiet; propter quod dicit si quis vobis dixerit: ecce hic est Christus aut illic, non credatis.

Hieronymus. In quo ostendit quod secundus adventus non in humilitate, ut primus, sed in gloria demonstrandus est. stultum est itaque eum in parvo loco vel in abscondito quaerere, qui totius mundi lumen est.

Hilarius in Matth. et tamen, quia in magna vexatione positi erunt homines, pseudoprophetae, tamquam praesentem in Christo opem sint indicaturi, multis in locis Christum esse atque haberi mentientur, ut in antichristi famulatum depressos vexatosque deducant; et ideo subdit surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae.

Chrysostomus in Matth. Hic de antiChristo loquitur et de quibusdam eius ministris, quos pseudoChristos et pseudoprophetas appellat, quales et tempore apostolorum multi fuerunt; sed ante secundum adventum christi, erunt multo prioribus amariores: unde subdit et dabunt signa magna et prodigia.

Augustinus in lib. 83 quaest. Admonet autem hic dominus, ut intelligamus quaedam miracula etiam sceleratos homines facere, qualia sancti facere non possunt: nec tamen ideo potioris loci apud Deum arbitrandi sunt. non enim acceptiores erant Deo quam populus israel magi aegyptiorum, quia non poterat ille populus facere quod illi faciebant; quamvis moyses in virtute Dei maiora potuerit. Sed ideo non omnibus sanctis ista attribuuntur, ne perniciosissimo errore decipiantur infirmi, existimantes in talibus factis maiora dona quam in operibus iustitiae, quibus vita aeterna comparatur. Cum ergo talia faciunt magi qualia nonnunquam faciunt sancti, diverso fine et diverso iure fiunt: isti enim faciunt quaerentes gloriam suam, illi quaerentes gloriam Dei; et illi faciunt per quaedam potestatibus concessa in ordine suo, quasi privata commercia vel beneficia: isti autem in publica administratione iussu eius cui cuncta creatura subiecta est. Aliter enim cogitur possessor equum dare militi, aliter tradit emptori, vel cuilibet donat aut commodat; et quemadmodum plerique mali milites, quos imperialis disciplina commendat, signis imperatoris sui nonnullos possessores territant, et ab eis aliquid quod publice non iubetur extorquent; ita nonnunquam mali christiani, per nomen christi vel per verba vel sacramenta christiana exigunt aliquid a potestatibus; cum autem malis iubentibus voluntate cedunt, ad seducendos homines cedunt, quorum errore laetantur. Quapropter aliter faciunt miracula magi, aliter boni christiani, aliter mali christiani: magi per privatos contractus, boni christiani

per publicam iustitiam, mali christiani per signa publicae iustitiae. nec hoc etiam oportet mirari; quia omnia quae visibiliter fiunt, etiam per inferiores potestates aeris huius, non absurde fieri posse creduntur.

Augustinus de trin. nec ideo tamen putandum est transgressoribus angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed Deo potius, a quo eis potestas datur; nec sane creatores, illi mali angeli dicendi sunt: sed pro subtilitate sua semina rerum istarum nobis occultiora noverunt, et ea per congruas temperationes elementorum latenter spargunt, atque ita et gignendarum rerum et accelerandorum incrementorum praebent occasiones: nam et multi homines noverunt ex quibus herbis aut carnibus aut succis aut humoribus ita obrutis vel commixtis quae animalia nasci soleant: sed haec ab hominibus tanto difficilius fiunt, quanto desunt sensuum subtilitates et corporum mobilitates in membris terrenis et pigris. **Gregorius** moralium. Cum ergo antiChristus coram carnalium oculis miranda prodigia fecerit, post se tunc homines trahet: quia qui bonis praesentibus delectantur, potestati illius se absque retractione subicient; unde sequitur ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.

Origenes in Matth. exaggeratorius sermo est dicens si possibile est: non enim pronuntiavit, neque dixit ut in errorem mittantur electi: sed ostendere vult quoniam frequenter valde persuasorii sunt sermones haereticorum, et commovere potentes etiam eos qui sapienter agunt.

Gregorius moralium. vel quia electorum cor et trepida cogitatione concutitur, et tamen eorum constantia non movetur, una sententia dominus utrumque complexus est: quasi enim iam errare est in cogitatione titubare. Sed si fieri potest subiungitur, quia fieri non potest ut in errorem electi capiuntur.

Rabanus. vel non ideo hoc dicit quod electio divina frustretur, sed qui humano iudicio electi videbantur, illi in errorem mittentur. **Gregorius** in Evang. Minus autem iacula feriunt quae praevidentur; et propter hoc subditur ecce praedixi vobis. Dominus enim noster perituri mundi praecurrentia mala denuntiat, ut eo minus perturbent venientia quo fuerint praescita: propter quod consequenter concludit si ergo dixerint vobis: ecce in deserto est, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere.

Hilarius in Matth. nam pseudoprophetae, de quibus supra dixerat, nunc in desertis Christum esse dicent, ut homines errore depravent; nunc in penetralibus asserent eum esse, ut homines dominantis antichristi potestate concludant. sed dominus se nec loco occultandum, nec a singulis seorsum contuendum esse profitetur, sed ubique et in conspectu omnium praesentem se futurum esse denuntiat: unde sequitur sicut enim fulgur exit ab oriente et paret usque in occidentem, ita erit adventus filii hominis.

Chrysostomus in Matth. sicut enim supra praedixit qualiter antiChristus venturus est, ita et per hoc ostendit qualiter ipse sit venturus. Sicut enim fulgur non indiget annuntiante aut praecone, sed in instanti momento temporis monstratur secundum universum orbem terrarum etiam his qui in thalamis sedent, ita et adventus christi simul apparebit ubique propter gloriae fulgorem. consequenter autem dicit et aliud signum sui adventus, cum subdit ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae: per aquilas multitudinem angelorum, martyrum et sanctorum omnium designans.

Hieronymus. De exemplo enim naturali quod quotidie cernimus, christi instruimur sacramento: aquilae enim et vultures, etiam transmarina dicuntur sentire cadavera, et ad escam huiuscemodi congregari. Si ergo irrationabiles volucres naturali sensu tantis terrarum spatiis separatae, parvum cadaver sentiant ubi iaceat; quanto magis omnis multitudo credentium debet ad Christum festinare, cuius fulgur exit ab oriente et paret usque ad occidentem? possumus autem per corpus, idest ptoma, quod significantius latine dicitur cadaver ab eo quod per mortem cadat, passionem christi intelligere.

Hilarius. unde ut nec loci in quo venturus esset, essemus ignari, dicit ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur et aquilae. sanctos de volatu spirituali corporis aquilas nominavit, quorum congregantibus angelis conventum futurum in loco passionis ostendit; et digne illic claritatis adventus expectabitur ubi nobis gloriam aeternitatis passione corporeae humilitatis operatus est.

Origenes in Matth. Et vide, quia non dixit ubicumque fuerit corpus, ibi congregabuntur vultures, aut corvi, sed aquilae: volens ostendere magnificos et regales omnes qui in passione domini crediderunt.

Hieronymus. Aquilae enim appellantur quibus iuventus renovata est ut aquilae, et qui assumunt pennas, ut ad christi veniant passionem.

Gregorius moralium. potest etiam intelligi: ubicumque fuerit corpus, ac si dicat: quia caelesti sede incarnatus praesideo, electorum animas, cum carne solvero, ad caelestia sublevabo.

Hieronymus. Vel aliter. Quod hic dicitur, de pseudoprophetae intelligi potest. multi enim tempore captivitatis

iudaicae principes extitere qui Christos se esse dicerent, intantum ut obsidentibus romanis, tres intus fuerint factiones. Sed melius de consummatione mundi dicitur, ut expositum est. Potest autem et tertio de haeticorum contra ecclesiam pugna intelligi, et de istiusmodi antichristis, qui sub opinione falsae scientiae contra Christum dimicant.

Origenes in Matth. generaliter enim unus est antiChristus, species autem eius multae; tamquam si dicamus: mendacium nihil differt a mendacio. Sicut autem veri christi fuerunt sancti prophetae, sic intellige secundum unumquemque pseudoChristum, multos eius falsos prophetas, qui antichristi alicuius falsos sermones praedicant quasi veros. Quando ergo dicet aliquis ecce hic est Christus, ecce illic, non quasi extra scripturam foras aspiciendum est: ex lege enim et prophetis et apostolis proferunt quae videntur defendere mendacium. vel per hoc quod dicit ecce hic est Christus, ecce illic, ostendunt non Christum, sed aliquem fictum eiusdem nominis, ut puta secundum marcionis doctrinam, aut valentini et basilidis.

Hieronymus. si quis ergo promiserit vobis quod in deserto gentilium et philosophorum dogmate Christus moretur, aut in haeticorum penetralibus, qui Dei pollicentur arcana, nolite credere, sed quod ab oriente usque in occidentem fides catholica in ecclesiis fulget.

Augustinus de quaest. Evang. Orientis et occidentis nomine totum orbem voluit signare, per quem futura erat ecclesia. Secundum autem illum sensum quo dixit: amodo videbitis filium hominis venientem in nubibus, convenienter etiam nunc fulgur nominavit, quod maxime solet emicare de nubibus. Constituta ergo auctoritate ecclesiae per orbem terrarum clara atque manifesta, convenienter discipulos admonet, atque omnes fideles, ne schismaticis atque haeticis credant. Unumquodque schisma aut unaquaeque haeresis locum suum habet, in orbe terrarum aliquam tenens partem; aut obscuris atque occultis conventiculis curiositatem hominum decipit; quo pertinet quod ait si quis vobis dixerit: ecce hic est Christus, aut illic; quod significat terrarum partes aut provinciarum; aut in penetralibus aut in deserto; quod significat occulta et obscura conventicula haeticorum.

Hieronymus. vel per hoc quod dicit in deserto, et in penetralibus ostenditur quod persecutionis et angustiarum tempore semper pseudoprophetae decipiendi inveniunt locum.

Origenes in Matth. vel quando secretas et non vulgatas scripturas proferunt ad confirmationem mendacii sui, videntur dicere: ecce in solitudine verbum est veritatis. Quoties autem canonicas proferunt scripturas, in quibus omnis christianus consentit, videntur dicere: ecce in domibus est verbum veritatis. sed nos exire non debemus a prima ecclesiastica traditione. Vel eos sermones qui sunt omnino extra scripturam ostendere volens, dixit si dixerint vobis: ecce in solitudine est, nolite exire, de regula fidei. Eos autem qui simulant divinas scripturas, ostendere volens, dixit si dixerint vobis: ecce in penetralibus est, nolite credere. Veritas enim similis est fulguri egredienti ab oriente, et apparenti usque ad occidentem. Vel hoc dicit, quoniam veritatis fulgur ex omni scripturarum loco defenditur. Exit ergo veritatis fulgur ab oriente, idest ab initiis christi, et apparet usque ad passionem ipsius, in qua est occasus eius; vel a primo initio creaturae mundi, usque ad novissimam apostolorum scripturam. Vel oriens quidem est lex, occidens autem finis legis et prophetiae iohannis. Sola autem ecclesia neque subtrahit huius fulguris verbum et sensum, neque addit quasi prophetiam aliquid aliud. Vel hoc dicit, quia non debemus attendere eis qui dicunt ecce hic est Christus; non autem ostendunt eum in ecclesia, in qua tota totus est adventus filii hominis dicentis: ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.

Hieronymus. provocamur autem ad passionem christi, ut ubicumque in scripturis legitur, congregemur, ut per illam venire possimus ad verbum Dei.

MATTHAEUS 24,29-30

5429 (Mt 24,29-30)

Glossa. Postquam dominus praemunivit fideles contra seductionem antichristi et ministrorum eius, ostendens se manifeste esse venturum, nunc ordinem et modum sui adventus demonstrat dicens statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur.

Chrysostomus in Matth. Tribulationem dicit dierum antichristi et pseudoprophetarum: tribulatio enim tunc erit magna tot existentibus deceptoribus. Sed non extendetur per temporis longitudinem. Si enim iudaicum bellum propter electos decurtatum est, multo magis propter eos haec tribulatio abbreviabitur: et propter hoc non simpliciter dixit post tribulationem; sed addit statim: ipse enim confestim aderit.

Hilarius in Matth. Gloriam autem adventus sui indicat obscuritate solis, et defectione lunae, et casu stellarum; nam sequitur et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo.

Origenes in Matth. Dicit autem aliquis: sicut in magnis ignibus succendi incipientibus tenebrae ex fumo plurimo videntur extolli, sic in consummatione mundi ab igne, qui succendendus est, obscurabuntur etiam luminaria magna; marcescente autem stellarum lumine, reliquum earum corpus, cum exaltari non valeat, sicut primum cum a lumine ipso portatum extollebatur, cadet de caelo. His accidentibus consequens est caelorum rationabiles virtutes stuporem et commotionem aliquam pati, et conturbari, remotas a primis functionibus suis; unde sequitur et virtutes caelorum commovebuntur, et tunc parebit signum filii hominis in caelo, in quo scilicet caelestia facta sunt, idest virtus quam operatus est filius suspensus in ligno; et in caelo apparebit maxime signum illius, ut homines de omnibus tribubus quae prius non crediderunt christianitatem annuntiari, tunc recognoscentes per signum illud manifestatam, plangent, et lamentabuntur propter ignorantiam suam, atque peccata; unde sequitur et tunc plangent omnes tribus terrae. Alius autem aliter arbitrabitur: quoniam sicut lucernae paulatim deficit lumen, sic caelestium luminum deficiente nutrimento, sol obscurabitur, et luna, et stellarum lumen deficiet, et quod remanserit in eis, quasi terrenum cadet de caelo. Sed quomodo potest dici de sole quoniam obscurabitur lumen eius, cum isaias propheta profectum aliquem solis in consummatione fore declaret? similiter et de luna isaias profert quoniam erit sicut sol. De stellis autem quidam dicere tentant, aut omnes aut plures earum maiores esse tota terra. quomodo ergo cadent de caelo, cum magnitudini earum non sufficiat terra? .

Hieronimus. non ergo diminutione luminis huiusmodi accident; alioquin solem legimus septuplum habiturum luminis; sed comparatione verae lucis omnia visui apparebunt tenebrosa.

Rabanus. Nihil tamen prohibet intelligi veraciter tunc solem et lunam cum ceteris sideribus ad tempus suo lumine privari, sicut de sole factum constat tempore dominicae passionis; unde et ioel dicit: sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies domini magnus et manifestus. ceterum, peracto die iudicii et clarescente futurae gloriae vita, cum fuerit caelum novum et terra nova, tunc fiet quod isaias propheta dicit: erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis erit septempliciter. quod autem de stellis dictum est: et stellae cadent de caelo, in marco ita scriptum est: et stellae caeli erunt decedentes, idest suo lumine carentes.

Hieronimus. Per virtutes autem caelorum, angelorum multitudines intelligimus.

Chrysostomus in Matth. Qui valde decenter commovebuntur vel concutientur, videntes tantam transmutationem fieri, et conservos suos puniri, et orbem terrarum terribili assistentem iudicio.

Origenes in Matth. Sicut autem in dispensatione crucis, sole deficiente, tenebrae factae sunt super terram; sic et signo filii hominis apparente in caelo, deficient lumina solis, lunae et stellarum, quasi consumpta ex multa virtute signi illius; unde sequitur tunc apparebit signum filii hominis in caelo. Signum autem crucis hic intelligamus, ut videant, iuxta zachariam et ioannem, iudaei quem compunxerant et signum victoriae.

Chrysostomus in Matth. Si autem sol quidem obtenebraretur, crux non appareret, nisi multo solaribus radiis luculentior esset. Ne autem discipuli verecundentur et doleant de cruce, eam signum nominat cum quadam claritate. Apparebit autem signum crucis, ut iudaeorum inverecundiam confutet: adveniet enim Christus in iudicio non vulnera solum, sed mortem exprobratissimam ostendens; unde sequitur et tunc plangent omnes tribus terrae. Visa enim cruce considerabunt quod mortuo eo nihil profecerant, et quoniam crucifixerunt eum quem adorari oportebat.

Hieronimus. Recte autem dicit tribus terrae: hi enim plangent qui municipatum non habent in caelis, sed scripti sunt in terra.

Origenes in Matth. moraliter autem dicit aliquis obscurandum solem, esse diabolum, qui in consummatione est arguendus, cum sit tenebrae, simulat autem solem: luna autem quae videtur homini illuminari sole, est omnis ecclesia malignantium, quae frequenter lumen se habere et dare promittit, tunc autem redarguta cum reprobatis dogmatibus suis claritatem suam amittet; sed et quicumque, sive in dogmatibus sive in virtutibus falsis, hominibus quidem veritatem promittebant, mendaciis autem seducebant, hi convenienter dicendi sunt stellae cadentes de caelo, ut ita dicam, suo, ubi erant in altitudine constitutae, extollentes se adversus scientiam Dei. Ad commendationem autem sermonis huius utemur exemplo proverbiorum dicente: lumen iustorum semper inextinguibile est; lumen autem impiorum extinguetur. tunc claritas Dei apparebit in omni qui portavit imaginem caelestis; et caelestes laetabuntur, terreni autem plangent. Vel ecclesia est sol, luna et stellae, cui dictum est: speciosa ut luna, electa ut sol.

Augustinus ad hesychium. tunc enim sol obscurabitur et luna non dabit lumen suum, quia ecclesia non apparebit, impiis tunc persecutoribus ultra modum saevientibus. Tunc stellae cadent de caelo, et virtutes caelorum commovebuntur: quoniam multi qui gratia Dei fulgere videbantur, persequentibus cedent et cadent; et quidem fideles fortissimi turbabuntur. Hoc autem post tribulationem dierum illorum dicitur esse futurum, non quia transacta tota illa persecutione accidant ista, sed quia praecedet tribulatio, ut sequatur quorundam defectio: et quia per omnes dies illos ita fiet, propterea post tribulationem dierum illorum, sed tamen eisdem diebus, fiet.

MATTHAEUS 24,30

5430 (Mt 24,30)

Chrysostomus in Matth. quia crucem audiverant, ne rursus existimarent aliquid turpe esse futurum, subiungit et videbunt filium hominis venientem in nubibus caeli cum virtute multa et maiestate.

Augustinus ad hesychium. cuius quidem prior sensus est, ut cum hoc quisque audierit vel legerit, ipsum esse adventum accipiat, quando venturus est ad vivos et mortuos iudicandos in corpore suo; in quo sedet ad dexteram patris, in quo etiam mortuus est et resurrexit, et ascendit in caelum: et, sicut in actibus apostolorum legitur: nubes suscepit eum ab oculis eorum; et quia illic dictum est ab angelis: sic veniet, quomodo vidistis eum euntem in caelum, merito credendus est non solum in eodem corpore, verum etiam in nube venturus.

Origenes in Matth. videbunt ergo oculis corporalibus filium hominis in specie humana venientem in nubibus caeli, idest supernis. Sicut enim quando transformatus est, vox venit de nube; sic cum veniet iterum in speciem transformatus gloriosam, et non super unam nubem, sed super multas, quae erunt vehiculum eius. Et siquidem ut ne terram calcaret filius Dei hierosolymam ascendens, diligentes eum, straverunt vestimenta sua in via, neque asellum qui portabat eum volentes terram calcare; quid mirum, si pater et Deus omnium nubes sternat caelestes sub corpore filii descendentis ad opus consummationis? dicit autem aliquis, quoniam sicut in factione hominis accepit Deus limum de terra, et finxit hominem, sic ut appareat gloria christi, accipiens dominus de caelo et de caelesti corpore, incorporavit primum quidem in transfiguratione in nubem lucidam; in consummatione autem in nubes lucidas: propter quod nubes caeli dicuntur, secundum quod et limus terrae est dictus: et decet patrem talia miranda dare filio suo, qui se humiliavit; et propterea exaltavit illum non solum secundum spiritum, sed etiam secundum corpus, ut super talibus nubibus veniret; et forsitan super nubibus rationabilibus, ne irrationabile esset vehiculum filii hominis glorificati. et primum quidem venit iesus cum virtute, ex qua faciebat signa et prodigia in populo; omnis autem illa virtus comparatione illius virtutis multae cum qua in fine venturus est, modica erat: virtus enim erat exinanientis seipsum. consequens est etiam ut ad maiorem gloriam reformatur quam fuit transformatus in monte: tunc enim propter tres tantummodo transformatus est: in consummatione autem mundi totius apparebit in gloria multa, ut videant eum omnes in gloria.

Augustinus. Sed quoniam scripturae scrutandae sunt, nec earum superficie debemus esse contenti, diligenter sunt inspicienda sequentia: post pauca enim sequitur cum videritis haec omnia fieri, scitote quia prope est iam in ianuis: tunc enim scimus prope esse, cum non aliqua videmus esse praemissorum, sed haec omnia, in quibus et hoc est quod videbitur filius hominis veniens. Et mittet angelos suos de quatuor partibus mundi; idest, de toto orbe terrarum congregabit electos suos: quae tota hora novissima facit veniens in suis membris tamquam in nubibus, vel in tota ipsa ecclesia tamquam in nube magna, sicut nunc venire non cessat; sed ideo cum potestate magna et maiestate, quia maior potestas et maiestas illius apparebit sanctis, quibus magnam virtutem dabit, ne tanta persecutione vincantur.

Origenes in Matth. vel cum magna virtute venit quotidie ad animam hominis credentis in nubibus propheticis; idest in scripturis prophetarum et apostolorum, qui verbum Dei super humanam naturam in intellectibus suis declarant; sic etiam eis qui intelligunt dicimus apparere gloriam multam; quae quidem videtur in secundo verbi adventu, quod est perfectorum: et sic fortasse omnia quae a tribus evangelistis dicta sunt de christi adventu, diligentius inter se collata et bene discussa, invenientur ad hoc pertinere quod quotidie venit in corpore suo, quod est ecclesia; de quo adventu suo alibi dixit: amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus caeli; exceptis his locis ubi ab eo ille adventus ultimus in seipso promittitur.

MATTHAEUS 24,31

5431 (Mt 24,31)

Origenes in Matth. Quia de planctu mentionem fecerat, qui ad hoc erit ut sponte contra se sententiam proferant, et seipsos condemnent; ne putetur quod in isto planctu mala eorum terminentur, subdit et mittet angelos suos cum tuba et voce magna.

Remigius. haec autem tuba non revera corporea est intelligenda, sed archangelica vox, quae adeo magna erit ut ad clamorem illius omnes mortui de terrae pulvere resurgant.

Chrysostomus in Matth. Sonus autem tubae pertinet ad resurrectionem, ad gaudium, ad repraesentandum stuporem qui tunc erit, ad dolorem illorum qui relinquentur et in nubibus non rapiuntur.

Origenes. Scriptum est autem in numeris quod ex quatuor ventis congregabunt sacerdotes tibicinantes eos qui sunt ex castris israel; secundum quorum comparationem de angelis christi consequenter dicitur et congregabunt electos eius a quatuor ventis.

Remigius. Idest, a quatuor climatibus mundi, idest oriente, occidente, aquilone et austro.

Origenes. et simpliciores quidem opinantur eos tantum qui tunc inventi fuerint in corpore, aggregandos; sed melius est dicere congregandos ab angelis christi esse omnes, non solum ab adventu christi et usque ad consummationem vocatos atque electos, sed omnes qui a constitutione fuerint mundi, qui viderunt, sicut abraham, christi diem, et exultaverunt in illa. quoniam autem non tantum illos qui in corpore fuerint comprehensi, dicit congregandos christi electos, sed etiam illos qui de corporibus sunt egressi, manifestat sermo dicens, congregatos electos non solum a quatuor ventis, sed etiam subdens a summis caelorum usque ad terminos eorum: quod nemini super terram existenti arbitror convenire. Vel caeli sunt scripturae divinae, aut auctores earum, in quibus habitat Deus. Summa autem scripturarum sunt initia illarum, termini autem consummationes earum. Congregantur ergo sancti a summis caelorum, idest ab eis qui vivunt in initiis scripturarum usque ad eos qui vivunt in consummationibus earum. Congregabuntur enim tuba, et voce magna, ut qui audierint et adverterint parent se ad viam perfectionis quae ducit ad filium Dei.

Remigius. Vel aliter. ne forte aliquis putaret quod solummodo a quatuor partibus mundi, et non a mediterraneis regionibus et locis; ideo addit a summis caelorum usque ad terminos eorum. Per summum enim caeli medium orbis intelligitur, quia medio orbis summum caeli praesidet. Per terminos autem caelorum, fines terrae significat, ubi longe distantibus circulis caeli terrae insidere videntur.

Chrysostomus in Matth. quod autem per angelos dominus electos vocat, ad electorum honorem pertinet: nam et paulus dicit quod rapiuntur in nubibus: quia eos quidem qui resurrexerunt congregabunt angeli; congregatos autem recipient nubes.

MATTHAEUS 24,32-35

5432 (Mt 24,32-35)

Chrysostomus in Matth. quia dixerat quod statim post tribulationem dierum illorum, quae praedicta sunt contingerent, ipsi autem quaerere poterant, post quantum tempus, ideo exponit exemplum ponens de ficu, dicens ab arbore fici discite parabolam: cum iam ramus eius tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est aestas.

Hieronimus. quasi dicat: sicut quando teneri fuerint in arbore ficus cauliculi, et gemma erumpit in florem, cortexque folia parturit, intelligitis aestatis adventum, et favonii ac veris introitum, ita cum omnia quae scripta sunt videritis, nolite putare iam adesse consummationem mundi; sed quasi praevia et praecursores quosdam venire, ut ostendat quod prope sit, et in ianuis; unde sequitur ita et vos cum videritis haec omnia, scitote quia prope est in ianuis.

Chrysostomus in Matth. per quod ostendit quod non multum erit temporis medium; sed statim adventus christi occurret. Per ramum autem et aliud quiddam praenuntiat, scilicet aestatem spiritualem, et tranquillitatem iustis post hiemem esse futuram; peccatoribus autem e contrario hiemem post aestatem.

Origenes in Matth. Sicut enim ficus in tempore quidem hiemis, vitalem virtutem habet in se absconditam, postmodum autem cum virtus ipsa vitalis prodire coeperit ad manifestationem praetereunte hieme, et ipsa

valetudine, eius ramus efficitur tener, et folia producit: sic et mundus, et unusquisque eorum qui salvantur ante christi adventum, quasi in hieme in se absconsam habent vitalem virtutem; Christo autem inspirante fiunt teneri et non duri cordis rami; et quae abscondita erant in eis, progrediuntur in folia, et manifestos fructus ostendunt: talibus autem prope est aestas, et adventus gloriae verbi Dei.

Chrysostomus in Matth. Propter hoc etiam istud posuit, ut credere faciat hunc sermonem omnino ita esse venturum: ubicumque enim quod omnino eventurum est dicit, naturales necessitates in exemplum inducit.

Augustinus ad hesychium. quod autem de signis evangelicis et propheticis, quae fieri cernimus, propinquum domini adventum sperare debeamus, quis negat? quotidie quippe magis magisque fit proximus; sed quanto intervallo propinquat, de hoc dictum est: non est vestrum scire tempora vel momenta. vide quando dixit apostolus: nunc propior est nostra salus quam cum credidimus; et ecce tot anni transierunt, nec tamen quod dixit falsum est; quanto magis nunc dicendum est propinquare domini adventum quando tantus factus est ad finem accessus? .

Hilarius in Matth. mystice autem synagoga ficus arbori comparatur: ramus igitur ficus antiChristus esse intelligitur, diaboli filius, peccati portio, legis assertor; qui cum virescere coeperit et frondescere quadam peccatorum exultantium viriditate, tunc proxima est aestas, idest, dies iudicii sentietur.

Remigius. Vel cum haec ficus rursus germinabit, idest cum synagoga verbum sanctae praedicationis accipiet, praedicantibus enoch et elia, intelligere debemus quia prope est dies consummationis.

Augustinus de quaest. Evang. Vel per arborem fici intellige genus humanum propter prurimum carnis. Cum iam ramus eius tener fuerit, idest, cum filii hominum per fidem christi, ad spirituales fructus profecerint, et in eis honor adoptionis filiorum Dei emicuerit.

Hilarius in Matth. ut autem fides certa esset futurorum, subiungitur amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec donec omnia fiant. Amen autem dicendo, professionem veritatis adiunxit.

Remigius. Et simplices quidem ad destructionem ierusalem referunt verba, et de illa generatione aestimant dicta quae passionem christi aspexit, quod non esset transitura priusquam fieret destructio civitatis illius. Nescio autem si verbum a verbo exponere possint, ab eo quod ait: non relinquetur hic lapis super lapidem, usque ad illud quod ait: prope est in ianuis: forsitan enim in quibusdam poterunt, in aliis autem non poterunt omnino.

Chrysostomus in Matth. haec ergo omnia de fine hierosolymorum dicta sunt, et quae de pseudopropheta et pseudochristis et alia omnia quae diximus usque ad christi adventum futura. Quod autem dixit generatio haec, non de ea quae tunc erat dixit, sed de ea quae est fidelium: consuevit enim scriptura generationem non solum a tempore designare, sed a loco, cultu et conversatione; sicut cum dicitur: haec est generatio quaerentium dominum. Ex hoc autem ostendit quod ierusalem peribit, et amplior pars iudaeorum destruetur; generationem autem fidelium nulla separabit tentatio.

Origenes in Matth. generatio tamen ecclesiae transibit aliquando totum hoc saeculum, ut haereditet futurum; tamen donec haec omnia fiant, non transibit. Cum autem omnia haec facta fuerint, transibit non solum terra, sed etiam caelum; unde sequitur caelum et terra: idest non solum homines quorum vita terrena est, et propterea terra dicuntur; sed etiam illi quorum conversatio est in caelis, et ideo caelum vocantur: transibunt autem ad futura, ut veniant ad meliora. Verba autem quae a salvatore sunt dicta, non transibunt: quoniam quae sua propria sunt, operantur et semper operabuntur; perfecti autem, et qui non recipiunt ut iam meliores efficiantur, transeunt quod sunt perveniunt ad illud quod non sunt; et hoc est quod subditur verba autem mea non praeteribunt. Et forte quidem verba moysi et prophetarum transiverunt, quoniam quae prophetizabantur ab illis, impleta sunt: verba autem christi semper sunt plena, et quotidie implentur, et adhuc sunt impleta in sanctis. aut forte neque moysi verba aut prophetarum dicere debemus impleta omnino: proprie enim et illa verba filii Dei sunt, et semper implentur.

Hieronymus. Vel hic per generationem omne hominum significat genus, aut specialiter iudaeorum. Deinde ut magis eos ad fidem praemissorum inducat, subdit caelum et terra transibunt; verba autem mea non praeteribunt, ac si dicat: facilius est fixa et immobilia destrui, quam sermonum meorum aliquid decidere.

Hilarius in Matth. Caelum enim et terra ex conditione suae creationis nihil habent in se necessitatis ut non sint: verba autem christi ex aeternitate deducta, id in se continent virtutis ut maneant.

Hieronymus. Caelum autem et terra transibunt in mutatione, non abolitione sui: alioquin quomodo sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, si caelum, in quo ista sunt, terraque non fuerint? **Rabanus.**

Caelum tamen quod transibit, non sidereum, sed aereum intelligere debemus, quod prius diluvio periit.

Chrysostomus in Matth. Elementa autem mundi in medium adducit, ostendens quoniam pretiosior caelo et terra est ecclesia: simul etiam et hinc conditorem se omnium ostendit.

MATTHAEUS 24,36-41

5436 (Mt 24,36-41)

Chrysostomus in Matth. cum dixisset dominus omnia quae praecedunt christi adventum, et ad ipsas ianuas narrationem duxisset, diem tacere voluit; unde dicit de die autem illa et hora nemo scit, neque angeli caelorum, nisi solus pater.

Hieronymus. In quibusdam autem latinis codicibus additum est neque filius, cum in graecis, et maxime adamantii et pieri exemplaribus hoc non habeatur adscriptum. Sed quia in nonnullis legitur, disserendum videtur.

Remigius. Marcus etiam evangelista non solum dicit angelos nescire, sed etiam filium.

Hieronymus. in quo gaudent arius et eunomius; dicunt enim: non potest aequalis esse qui novit et qui ignorat. Contra quos breviter ista dicenda sunt. Cum omnia tempora fecerit iesus, hoc est verbum Dei (omnia enim per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil).; in omnibus autem temporibus cum dies iudicii sit, qua consequentia potest eius ignorare partem cuius totum noverit? hoc quoque dicendum est. Quid est maius: notitia patris, an notitia iudicii? si maius novit, quomodo ignorat quod minus est? .

Hilarius in Matth. Numquid etiam Deus pater cognitionem illius diei filio denegavit, cum dictum ab eo sit: omnia mihi tradita sunt a patre meo? ergo non omnia sunt tradita, si est aliquid quod negatur.

Hieronymus. Igitur, quia probavimus non ignorare filium Dei consummationis diem, causa reddenda est cur ignorare dicatur. Post resurrectionem quidem interrogatus ab apostolis de hac die, manifestius respondit: non est vestrum scire tempora et momenta, quae pater posuit in sua potestate. In quo ostendit quod ipse sciat, sed non expedit nosse apostolis, ut semper incerti de adventu iudicis, sic quotidie vivant, quasi die illa iudicandi sint.

Augustinus de trin. quod ergo dicit: nescit, intelligendum est nescientes facit; idest, quod non ita sciebat ut tunc discipulis indicaret: sicut dictum est ad abraham: nunc cognovi quoniam times Deum: idest, nunc feci ut cognosceres: quia et ipse sibi in illa tentatione innotuit.

Augustinus de verb. Dom. Quod autem dixit patrem scire, ideo dixit, quia in patre et filius scit. Quid enim est in die quod non in verbo factum sit, per quod factus est dies? .

Augustinus in libro 83 quaest. bene autem accipitur quod dictum est, solum patrem scire, secundum praedictum modum sciendi, quia facit filium scire; filius autem nescire dicitur, quia non facit homines scire.

Origenes in Matth. Vel aliter. Donec ecclesia, quae est corpus christi, nescit diem illum et horam, tamdiu nec ipse filius dicitur diem illum et horam scire. Dicitur autem scire secundum propriam significationem, sicut est in consuetudine scripturarum. Apostolus enim salvatorem dicit nescientem peccatum, quia non peccavit. praeparat autem filius scientiam diei illius et horam coheredibus suae promissionis, ut omnes simul sciant, idest re ipsa experiantur in illa hora et die quae praeparavit Deus diligentibus se. Basilius. legi quoque in cuiusdam libro, filium hunc non unigenitum, sed adoptivum debere intelligi: non enim unigenito filio angelos praeposuisset; sic enim ait neque angeli caelorum, neque filius.

Augustinus ad hesychium. Sic ergo evangelium dicit de die illa et hora nemo scit; tu autem dicis: ego autem dico, neque mensem, neque annum adventus ipsius sciri posse: ita enim hoc videtur sonare tamquam non possit sciri quo anno venturus sit; sed possit sciri qua hebdomada annorum, vel qua decade; tamquam dici possit atque definiri inter illos septem annos, aut decem, aut centum vel quodlibet, seu maioris numeri seu minoris. Si autem hoc te non comprehendisse praesumis, hoc sentis quod ego.

Chrysostomus in Matth. ut autem addiscas quod non ignorantiae suae est quod de die et hora iudicii tacet, aliud signum inducit, cum subdit sicut autem fuit in diebus noe,.. Ita fiet adventus filii hominis. Hoc autem dixit ostendens quod repente venit, et inopinate, et pluribus lascivientibus: hoc enim et paulus dicit:

cum dixerint: pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, unde et hic subditur sicut enim erant in diebus illis ante diluvium, comedentes et bibentes.

Rabanus. non igitur hic iuxta marcionis et manichaei errorem, coniugia vel alimenta damnantur, cum in his successionis, in illis naturae sint posita subsidia; sed immoderatus licitorum usus arguitur.

Hieronymus. quaeritur autem quomodo supra scriptum est surget gens contra gentem, et regnum contra regnum et erunt pestilentiae et fames et terraemotus; et nunc ea futura memorentur quae pacis indicia sunt? sed aestimandum quod post pugnas, et cetera quibus vastatur genus humanum, brevis subsequutura pax sit, quae quieta omnia repromittat, ut fides credentium comprobetur.

Chrysostomus in Matth. vel lascivia erit et pax his qui insensibiliter dispositi sunt: propter hoc non dixit apostolus: cum fuerit pax; sed: cum dixerint: pax et securitas, insensibilitatem eorum ostendens, sicut illorum qui fuerunt in diebus noe: quoniam mali lasciviebant, non autem iusti; sed in tribulatione et tristitia pertransibant. hinc autem ostendit quoniam, cum antiChristus venerit, indecentes voluptates assumentur apud eos qui iniqui erunt, et de propria desperabunt salute: et ideo exemplum ponit huic rei conveniens. Cum enim arca fabricaretur, praedicabat quidem in medio, futura praedicens mala: mali autem non credentes, ac sic nullum fuisset futurum malum, lasciviebant: et quia futura apud multos non creduntur, ex praeteritis credibilia facit quae praedicit. Deinde aliud signum ponit per quod ostendit et quod inopinabiliter dies ille veniet, et quod ipse diem illum non ignorat, dicens tunc duo erunt in agro: unus assumetur, et alius relinquetur: ex quibus verbis ostenditur quod assumentur, et relinquentur et servi et domini, et qui in otio, et qui in labore.

Hilarius in Matth. Vel duos in agro, duos populos fidelium, et infidelium in saeculo, tamquam in vitae huius opere, dies domini deprehendet; separabuntur tamen relicto alio, et alio assumpto: in quo fidelium et infidelium discretio docetur: Dei enim ira ingravescente, sancti in promptuario recondentur, perfidi vero ad caelestis ignis materiam relinquentur. de molentibus etiam par ratio est; unde sequitur duae erunt molentes in mola: una assumetur et alia relinquetur. Mola enim opus legis est; sed quia pars iudeorum ut per apostolos credidit, ita per eliam est creditura, et iustificanda per fidem; ideo una per eandem fidem boni operis apprehendetur, alia vero infructuosa legis opere relinquetur, molens incassum, et non factura caelestis cibi panem.

Hieronymus. vel duo in agro pariter invenientur eundem habentes laborem, et quasi parem sementem; sed fructus laboris non aequae recipientes. In duobus etiam qui pariter molunt, vel synagogam intelligere debemus, et ecclesiam, quod simul molere videantur in lege, et de eisdem scripturis sanctis farinam terere praeceptorum Dei; vel ceteras haereses, quae aut de utroque testamento, aut de altero videntur molere farinam doctrinarum suarum. sequitur duo in lecto: unus assumetur et alius relinquetur.

Hilarius in Matth. duo autem in lecto, sunt eandem passionis dominicae requiem praedicantes; circa quam haereticorum et catholicorum eadem confessio est: sed quia unitatem divinitatis patris et filii catholicorum fides praedicabit, et haereticorum falsitas impugnet; fidem confessionis utriusque divini arbitrii iudicium comprobabit, unum assumendo et alium relinquendo.

Remigius. Vel his verbis tres ordines ecclesiae demonstrantur: per duos in agro ordo praedicatorum, quibus commissus est ager ecclesiae; per duos in mola ordo coniugatorum, qui dum per diversas curas nunc ad haec, nunc ad illa flectuntur, quasi molas in circuitu trahunt: per duos in lecto ordo continentium, quorum requies nomine lecti designatur. In his autem ordinibus sunt boni et mali, iusti et iniusti; et ideo ex eis quidam relinquentur, et quidam assumentur.

Origenes in Matth. Vel aliter. Corpus quidem quasi infirmum in lecto est carnalium passionum; anima autem molit in gravi mola mundi; vel corporis sensus in agro mundi operantur.

MATTHAEUS 24,42-44

5442 (Mt 24,42-44)

Hieronymus. Perspicue ostendit dominus, quia supra dixit: de die autem illa nemo novit nisi pater solus: quia scilicet non expediebat apostolis scire, ut pendulae expectationis incerti semper credant eum esse venturum, quem ignorant quando venturus sit; et ideo quasi ex superioribus concludens dicit vigilate ergo, quia nescitis qua hora dominus vester venturus sit. Et non dicit: quia nescimus, sed nescitis, scilicet ut ostendat se diem iudicii non ignorare.

Chrysostomus in Matth. Vult autem eos semper in sollicitudine esse: propter hoc dicit vigilate.

Gregorius in Evang. Vigilat qui ad aspectum veri luminis oculos apertos tenet; vigilat qui servat operando quod credit; vigilat qui a se torporis et negligentiae tenebras repellit.

Origenes in Matth. dicit autem qui simplicior est, quoniam de secundo adventu, in quo venturus fuerat, hunc dicebat sermonem; alius autem quod intelligibilem et futurum in sensum discipulorum verbi dicebat adventum: quia nondum erat in sensu eorum, quemadmodum erat futurus.

Augustinus ad hesychium. Non solum autem illis dixit vigilate, quibus tunc audientibus loquebatur; sed etiam illis qui fuerunt post illos annos, et ad nos ipsos, et qui erunt post nos usque ad novissimum eius adventum, quia ad omnes pertinet quodammodo: tunc enim unicuique veniet dies ille, cum venerit eius dies ut talis hinc exeat qualis iudicandus est illa die; ac per hoc vigilare debet omnis christianus, ne imparatum eum inveniat domini adventus: imparatum enim inveniet ille dies quem imparatum invenerit suae vitae ultima dies.

Origenes. Vani autem sunt omnes, sive qui consummationem mundi scire se profitentur quando erit, sive qui vitae propriae finem scire se gloriantur, quem nemo cognoscere potest, nisi spiritu sancto illuminatus.

Hieronimus. Praemisso autem patrisfamilias exemplo, cur reticeat consummationis diem, manifestius docet cum subdit illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

Origenes in Matth. Paterfamilias domus est sensus hominis, domus autem eius est anima, fur autem diabolus. Est autem omnis sermo contrarius qui non per naturalem introitum intrat ad animam negligentis, sed quasi qui foderit domum, primum destruens quaedam naturalia aedificia animae, idest naturales intellectus, et per ipsam diruptionem ingressus, spoliat animam. Aliquoties invenit quis furem in ipsa perfossione, et comprehendens eum, percussorem sermonem immittens, interficit ipsum. Non autem in die fur venit, quando illuminata est a sole iustitiae anima hominis studiosi; sed in nocte, idest in tempore adhuc malitiae permanentis: in qua cum fuerit aliquis, possibile est, etsi non habuerit virtutem solis, quod tamen illustretur ex aliquo splendore verbi, quod est lucerna; adhuc quidem manens in malitia, sed tamen habens propositum meliorum et vigilantiam ne perfodiatur hoc eius propositum. Vel in tempore tentationum, vel quarumcumque calamitatum maxime fur solet venire, volens perfodere animae domum.

Gregorius in Evang. vel nesciente paterfamilias fur domum perfodit, quia dum a sui custodia spiritus dormierit, improvisa mors veniens carnis nostrae habitaculum irrumpit, et eum quem dominum domus dormientem invenerit, necat: quia dum ventura damna spiritus minime praevidet, hunc mors ad supplicium nescientem rapit. Furi autem resisteret, si vigilaret; quia adventum iudicis, qui occulte animas rapit, praecavens, ei poenitendo occurreret, ne impenitens periret. Horam vero ultimam idcirco dominus voluit esse incognitam ut semper possit esse suspecta, ut dum illam praevidere minime possumus, ad illam sine intermissione praeparemur; propter quod sequitur ideoque estote parati quia, qua nescitis hora, filius hominis venturus est.

Chrysostomus in Matth. hic videtur confundere eos qui non tantum studium faciunt animae suae, quantum student circa pecunias qui furem expectant.

MATTHAEUS 24,45-51

5445 (Mt 24,45-51)

Hilarius in Matth. Quamvis dominus supra in communi nos ad indefessam vigilantiae curam fuerit adhortatus, specialem tamen populi principibus, idest episcopis, in expectatione adventuque suo sollicitudinem mandat. Hunc enim servum fidelem atque prudentem praepositum familiae significat, commoda atque utilitates populi sibi commissi curantem; unde dicit quis, putas, est fidelis servus et prudens quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? .

Chrysostomus in Matth. Quod autem dicit quis, putas, non est ignorantis: invenitur enim et pater interrogando loquens: ut cum dicit: adam, ubi es? **Remigius.** Nec enim signat haec interrogatio impossibilitatem perficiendae virtutis, sed difficultatem.

Glossa. rarus enim est fidelis servus, domino propter dominum serviens, oves christi non ad lucrum, sed pro amore christi pascens; prudens qui subditorum capacitatem, vitam et mores discutiat: quem constituat dominus, qui scilicet sit vocatus a Deo, et non se iniecerit.

Chrysostomus in Matth. Duo autem expetit ab huiusmodi servo, scilicet prudentiam et fidem: fidelem enim eum dicit, quoniam nihil quod domini sui est, sibi proprium fecit, nihil etiam de rebus sui domini vane et inaniter consumpsit. Prudentem autem eum vocat, quoniam cognovit id ad quod oportet dispensare quae data sunt.

Origenes in Matth. Vel qui in fide proficit, etsi nondum in ea perfectus est, communiter fidelis vocatur; et qui naturalem habet mentis velocitatem, dicitur prudens. Si quis autem consideret, inveniet fideles multos et studium fidei exercentes, non autem et prudentes: quoniam quae stulta sunt mundi elegit Deus. et iterum videbit alios veloces quidem esse et prudentes, modicae autem fidei. Convenire autem in unum fidelem atque prudentem, rarissimum est. ut autem in tempore det cibum, necessariam habet quis prudentiam; ut autem non adimat cibos indigentium, opus est fide: quoniam et secundum simplicem intellectum opus habemus ut fideles simus ad dispensandum ecclesiae redditus, et ut non devoremus quae sunt viduarum, et ut memores simus pauperum, et ne occasionem accipientes ex eo quod scriptum est: dominus constituit his qui evangelium praedicant, de evangelio vivere, amplius quaeramus quam cibum simplicem et necessaria vestimenta, et ut nec amplius teneamus nobis quam his qui necessitatem patiuntur. Prudentes autem, ut prudenter intelligamus indigentium causas, propter quas sunt indigentes, et uniuscuiusque dignitatem, quomodo educatus est, et quantum necessarium habet. Multa enim sapientia opus est ei qui bene vult dispensare ecclesiasticos redditus. Sit etiam fidelis servus et prudens, ut non effundat rationabilem et spiritualem cibum quibus non oportet, volens ostendere se esse prudentem; illis scilicet qui magis necessarium habent verbum quod mores eorum aedificet et vitam componat, quam quod illuminat scientiae lucem; aut ne eis qui possunt acutius audire, pigeat exponere altiora, ne exponentes vilia contemnantur ab his qui naturaliter sunt ingeniosi, aut per exercitationem saecularis sapientiae acuti.

Chrysostomus in Matth. Adaptatur etiam et ad principes saeculares haec parabola: unumquemque enim his quae habet, ad communem utilitatem uti oportet, non ad nocumentum conservorum, neque ad perditionem sui ipsius, sive habeat sapientiam, sive principatum, sive aliud quodcumque.

Rabanus. Dominus autem Christus est; familia autem supra quam constituit, est ecclesia catholica. Difficile est ergo invenire in uno, ut et prudens sit et fidelis, non autem impossibile: nec enim beatificaret eum qui non potest esse, cum subdit beatus ille servus quem, cum venerit dominus eius, invenerit sic facientem.

Hilarius in Matth. Idest praecepto domini sui obedientem, ut doctrinae opportunitate verbum vitae in aeternitatis cibum alendae familiae dispenset.

Remigius. notandum autem, quod sicut magna distantia est meritorum inter bonos praedicatores et bonos auditores, ita magna distantia est praemiorum. Bonos enim auditores, si vigilantes invenerit, faciet discumbere, ut Lucas dicit; bonos autem praedicatores super omnia bona sua constituat; unde sequitur amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituat eum.

Origenes in Matth. ut scilicet conregnet cum Christo, cui omnia sua tradidit pater; sicut boni patris filius, super omnem patris substantiam constitutus, participat huiusmodi dignitatem et gloriam fidelibus et prudentibus dispensatoribus suis, ut sint et ipsi super omnem creaturam.

Rabanus. Non ut soli, sed ut prae ceteris aeterna praemia habeant, tum pro sua vita, tum pro gregis custodia.

Hilarius in Matth. Vel super omnia bona constituatur; idest, in Dei gloria collocabitur: quia nihil est ultra quod melius sit.

Chrysostomus in Matth. deinde non solum ab honore qui imminet bonis, sed a poena quam minatur malis, erudit auditorem, cum subdit si autem dixerit malus servus ille in corde suo: moram facit dominus meus venire; et coeperit percutere conservos suos, etc.

Augustinus ad hesychium. ex moribus huius servi apparet animus eius: quos mores licet breviter, magister bonus curavit exprimere; idest superbiam, cum dicit et coeperit percutere conservos suos; atque luxuriam, cum dicit manducet autem et bibat cum ebriosis; ne quod dicebat moram facit dominus meus, desiderio sui domini dicere crederetur, quo ardebat ille qui dixit: sitivit anima mea ad te Deum vivum: quando veniam? dicendo enim: quando veniam? moras se perpeti moleste ferebat: quia etiam quod

tempore acceleratur, desiderio tardum videtur.

Origenes in Matth. Peccat autem in Deum quicumque episcopus qui non quasi conservus ministrat, sed quasi dominus et frequenter ut amarus dominus per vim dominatur; et non esurientes suscipit, sed epulatur cum ebriosis, et semper somniat quia post multum temporis venturus est dominus.

Rabanus. Typice etiam potest intelligi conservos percutere, conscientias infirmorum verbo vel pravo exemplo vitiare.

Hieronymus. Quod autem dicit veniet dominus servi illius in die qua non sperat, et hora qua ignorat, ad hoc dicit ut sciat, quando non putatur dominus, tunc eum esse venturum; et vigilantiae ac sollicitudinis dispensatores admonet. porro quod dicit dividet eum, non est intelligendum quod gladio eum dissecet, sed a sanctorum consortio eum separet.

Origenes in Matth. Vel dividet eum quando spiritus eius, idest spirituale donum, revertetur ad Deum qui dedit eum; anima autem cum corpore suo vadit in gehennam. Iustus autem non dividitur; sed anima eius vadit cum spiritu, idest spirituali dono, ad regna caelestia. Qui autem dividuntur, non habent postmodum in se partem spiritualis doni, quae erat a Deo; sed relinquetur pars quae erat ipsorum, idest anima, quae cum corpore punietur: unde sequitur et partem eius ponet cum hypocritis.

Hieronymus. Cum his videlicet qui erant in agro, et qui molebant, et nihilominus derelicti sunt. Saepe enim dicimus hypocritam aliud esse, et aliud ostendere; sicut et in agro et in mola idem facere videbatur, sed exitus diversae voluntatis apparuit.

Rabanus. Vel cum hypocritis suscipit partem suam, scilicet duplicem gehennae poenam, idest ignis et frigoris; unde sequitur ibi erit fletus et stridor dentium: ad ignem enim pertinet fletus oculorum, ad frigus stridor dentium.

Origenes. vel fletus erit eis qui male in hoc mundo ridentes fuerunt; et his qui requieverunt irrationabiliter, erit dentium stridor: nolentes enim dolores materialiter sufferre, compulsi tormentis, dentibus strident, illi scilicet qui manducaverunt acerbitatem malitiae. Ex his autem cognoscere est quoniam non solum qui fideles sunt et prudentes, constituit dominus super familiam suam, sed etiam malos; et quod non salvat eos hoc quod constituti sunt a domino super familiam eius; sed illud ut dent in tempore cibos, et ut abstineant a percussione et comensationibus.

Augustinus ad hesychium. hoc autem servo malo remoto, qui proculdubio domini sui odit adventum, constituamus ante oculos tres servos bonos, adventum domini sui desiderantes. si unus eorum citius, alter tardius dominus suum dicit esse venturum, tertius de hac re suam ignorantiam confitetur. Videamus tamen quis magis evangelio consonet. unus dicit: vigilemus et oremus, quia citius venturus est dominus. Alter dicit: vigilemus, quia brevis et incerta est vita ista, quamvis tardius venturus sit dominus. tertius dicit: vigilemus, quia brevis et incerta est vita ista, et nescimus tempus quando venturus est dominus. Quid autem aliud hic dicit, quam quod cum audimus evangelium dicere: vigilate, quia nescitis qua hora venturus sit dominus? omnes quidem prae desiderio regni Dei, hoc volunt esse verum quod putat primus; proinde si factum fuerit, gaudebit cum illo secundus et tertius; si autem factum non fuerit, metuendum est ne inter ipsas moras perturbentur qui crediderant quod dixerat primus, et incipiant domini adventum non tardum putare sed nullum. qui autem credit quod dicit secundus, tardius dominus esse venturum, si falsum fuerit, nulli turbabuntur in fide, sed inopinato gaudio perfruentur. Qui autem quid horum verum sit ignorare se confitetur, illud optat, hoc tolerat, in nullo eorum errat, quia nil eorum aut affirmat aut negat.

MATTHAEUS 25,1-13

5501 (Mt 25,1-13)

Chrysostomus in Matth. in superiori parabola dominus poenam ostendit eius qui percutiebat et inebriabatur, et bona domini sui dispergebat; in hac autem parabola punitionem inducit etiam ei qui utilitatem non affert, neque copiose haec quibus indiget, sibi praeparat; habebant enim fatuae virgines oleum, sed non copiose; unde dicitur tunc simile erit regnum caelorum decem virginibus.

Hilarius in Matth. ideo autem dicitur tunc, quia de magno die domini, de quo supra agebatur, omnis hic sermo est.

Gregorius in Evang. regnum autem caelorum praesentis temporis ecclesia dicitur, sicut et ibi: mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala.

Hieronymus. Similitudinem autem decem virginum fatuarum atque prudentum quidam simpliciter interpretantur in virginibus, quarum aliae, iuxta apostolum, et corpore et mente sunt virgines, aliae virginitatem tantum corporum reservantes, vel cetera non habent, vel parentum custodia reservante, nihilominus mente nupserunt. sed mihi videtur ex superioribus alius esse sensus qui dicitur; et non ad virginalia corpora, sed ad omne hominum genus hanc comparisonem pertinere.

Gregorius in Evang. In quinque enim corporis sensibus unusquisque subsistit geminatus; geminatus autem quinarius denarium perficit. Et quia ex utroque sexu fidelium multitudo colligitur, sancta ecclesia decem virginibus similis denuntiatur; ubi quia mali cum bonis, reprobi cum electis admixti sunt, recte similis virginibus prudentibus et fatuis perhibetur.

Chrysostomus in Matth. ideo autem ponit parabolam hanc in virginum persona, ut ostendat, quod licet virginitas magnum quid sit, tamen si ab operibus misericordiae sit deserta, cum adulteris foras eicietur.

Origenes in Matth. Vel sensus omnium qui receperunt verbum Dei, virgines sunt. tale enim est verbum Dei ut de sua munditia accomodet omnibus qui per suam doctrinam recesserunt ab idolorum cultura, accesserunt autem per Christum ad Dei culturam; unde sequitur quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsae. Accipiunt enim lampades suas, idest organa sua naturalia, et egrediuntur de mundo et de erroribus, et veniunt obviam salvatori, qui semper paratus est venire, ut ingrediatur simul cum dignis ad beatam sponsam ecclesiam.

Hilarius. vel sponsus atque sponsa, dominus noster est in corpore Deus: namque spiritui caro sponsa est. Lampades autem quas acceperunt, animarum splendentium lumen est, quae sacramento baptismi splenduerunt.

Augustinus de verb. Dom. vel lampades quae manibus gestantur, opera sunt; dictum est enim supra: luceant opera vestra coram hominibus. **Gregorius.** Qui autem recte credunt et iuste vivunt, assimilantur quinque prudentibus; qui autem profitentur quidem fidem iesu, non autem praeparant se bonis operibus ad salutem, reliquis quinque virginibus fatuis: unde subditur quinque autem ex eis erant fatuae et quinque prudentes.

Hieronymus. Sunt enim quinque sensus, qui festinant ad caelestia, et superna desiderant. De visu autem et auditu et tactu specialiter dictum est: quod vidimus, quod audivimus quod oculis nostris perspeximus et manus nostrae palpaverunt. De gustu: gustate, et videte quoniam suavis est dominus. De odoratu: in odorem unguentorum tuorum currimus. alii autem sunt quinque sensus terrenis faecibus inhiantes.

Augustinus. vel per quinque virgines significatur quinquepartita continentia a carnis illecebris: continendus est enim animi appetitus a voluntate oculorum, aurium, olfaciendi, gustandi et tangendi. Sed quia ista continentia partim coram Deo fit ut illi placeatur interiori gaudio conscientiae; partim coram hominibus tantum, ut gloria humana capiatur; quinque dicuntur sapientes, et quinque stultae: utraeque tamen virgines, quia utraque continentia est, quamvis diverso fomite gaudeat.

Origenes. sicut autem sequuntur se ipsas invicem virtutes ut qui unam habuerit, omnes habeat, sic et sensus omnes alterutrum se subsequuntur; propterea necesse est ut aut omnes quinque sensus sint prudentes, aut omnes fatui.

Hilarius. vel absolute in quinque prudentibus et quinque fatuis, fidelium atque infidelium est constituta divisio. **Gregorius.** Notandum vero est, quod omnes lampades habent, sed non omnes oleum habent; sequitur enim sed quinque fatuae, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum; prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus.

Hilarius. Oleum boni operis fructus est; vasa, humana sunt corpora, intra quorum viscera thesaurus bonae conscientiae recondendus est.

Hieronymus. Oleum ergo habent virgines quae iuxta fidem operibus adornantur; non habent oleum quae videntur simili quidem fide confiteri, sed virtutum opera negligunt.

Augustinus. Vel per oleum ipsam laetitiam significari arbitror, secundum illud: unxit te Deus tuus oleo exultationis. Qui ergo non propterea gaudet quia Deo intrinsecus placet, non habet oleum secum: gaudium

enim non habent, dum continenter vivunt, nisi in laudibus hominum. prudentes autem acceperunt oleum cum lampadibus: idest laetitiam bonorum operum, in vasis suis, idest in corde atque conscientia posuerunt, sicut apostolus monet: probet autem seipsum homo; et tunc gloriam habebit in seipso, et non in altero.

Chrysostomus in Matth. vel oleum hic vocat caritatem et eleemosynam, et quodcumque circa indigentes auxilium; lampades autem vocat virginitatis charismata; propter hoc stultas eas vocat, quoniam maiorem sustinentes laborem, propter minorem omnia perdiderunt; maiori enim labore vincitur carnis cupido quam pecuniarum.

Origenes. vel oleum est verbum doctrinae, quo vasa animarum implentur: nihil enim sic confortat sicut moralis sermo, qui oleum luminis appellatur. Prudentes ergo acceperunt huiusmodi oleum, quod satis sit eis, etiam tardante exitu et morante verbo venire ad consummationem eorum; fatuae autem acceperunt lampades in primis quidem accensas; sed tantum oleum non acceperunt ut eis sufficeret usque ad finem, negligentes circa susceptionem doctrinae, quae confortat fidem et bonorum actuum lumen illuminat; unde sequitur moram autem faciente sponso dormitaverunt omnes et dormierunt.

Augustinus. ex utroque enim genere hominum moriuntur hoc intervallo temporis, donec sub adventu domini fiat resurrectio mortuorum. **Gregorius**. Dormire etenim, mori est; ante somnum vero dormire, est ante mortem a salute languescere: quia per pondus aegritudinis pervenitur ad somnum mortis.

Hieronymus. vel dormitaverunt, idest mortuae sunt. consequenter autem dicitur dormierunt, quia postea suscitandae sunt. Per hoc autem quod dicit moram autem faciente sponso, ostendit quod non parum temporis inter priorem et secundum domini adventum praetergreditur.

Origenes. vel sponso tardante et non cito veniente verbo ad consummationem vitae, patiuntur aliquid sensus dormitantes, et quasi in nocte mundi agentes; et dormierunt, ut puta remissius agentes a sensu illo vitali; non tamen lampades perdiderunt, neque desperaverunt de conservatione olei illae prudentes; unde sequitur media autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit; exite obviam ei.

Hieronymus. Traditio iudaeorum est, Christum media nocte venturum in similitudinem aegyptii temporis, quando pascha celebratum est, et exterminator venit et dominus super tabernacula transiit, et sanguine agni postes nostrarum frontium consecrati sunt; unde reor et traditionem apostolicam permansisse, ut die vigiliarum paschae ante noctis dimidium, populum dimittere non liceat, expectantes christi adventum: postquam illud tempus transierit, securitate praesumpta festum cuncti agant diem; unde psalmista dicebat: media nocte surgebam ad confitendum tibi.

Augustinus. vel media nocte, idest nullo sciente aut sperante.

Hieronymus. Subito ergo quasi intempesta nocte, et securis omnibus, quando gravissimus sopor est, per angelorum clamorem et tubas praecedentium fortitudinum, christi resonabit adventus: quod significatur cum dicitur ecce sponsus venit, exite obviam ei.

Hilarius. tuba enim excitante, sponso tantum obviam proceditur: erunt enim iam ambo unum, idest caro et Deus, quia in gloriam spiritualem humilitas carnis transformata est.

Augustinus. vel quod dicit, sponso tantum obviam venire virgines, sic intelligendum puto ut ex ipsis virginibus constet ea quae dicitur sponsa; tamquam si omnibus christianis in ecclesia concurrentibus, filii ad matrem currere dicantur, cum ex ipsis filiis congregatis constet ea quae dicitur mater. Nunc enim desponsata est ecclesia, et virgo est ad nuptias perducenda illo tempore quo universa mortalitate in ea praetereunte, immortalis coniunctione habeatur.

Origenes in Matth. vel media nocte, idest in altitudine remissionis, factus est clamor, omnes suscitare volentium, sicut existimo, angelorum, qui sunt administratorii spiritus intus clamantes in sensibus omnium dormientium: ecce sponsus venit; exite obviam ei. Et suggestionem quidem hanc omnes audierunt, et surrexerunt; non autem omnes decenter imposuerunt lampadibus suis ornatum; unde sequitur tunc surrexerunt omnes virgines illae, et ornaverunt lampades suas. Ornantur autem lampades sensuum evangelicis usibus atque rectis. qui autem male utuntur sensibus, ornamentum nullum habent in sensibus.

Gregorius in Evang. Vel tunc quidem omnes virgines surgunt, quia et electi et reprobi a somno suae mortis excitantur; lampades ornant, quia sua secum opera numerant, pro quibus aeternam recipere beatitudinem expectant.

Augustinus de verb. Dom. aptaverunt enim lampades suas, idest rationes reddendas operum suorum.

Hilarius in Matth. Vel lampadarum assumptio, animarum est reditus in corpora, earumque lux est conscientia boni operis elucens, quae vasculis corporum continetur.

Origenes. Sed lampades fatuarum virginum extinguuntur, quia earum opera quae clara hominibus foris apparuerunt, in adventu iudicis intus obscurantur; unde sequitur fatuae autem sapientibus dixerunt: date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae extinguuntur. quid est autem quod tunc a prudentibus oleum petunt, nisi quod in adventu iudicis, cum se intus vacuas invenerint, testimonium foris quaerunt? ac si a sua fiducia deceptae, proximis dicant: quia nos quasi sine opere repelli conspiciatis, dicite de nostris operibus quod vidistis.

Augustinus. De consuetudine enim id semper inquit, unde gaudere animus solet. Itaque hominum, qui corda non vident, testimonium volunt habere apud Deum, qui cordis inspector est. Sed quorum facta aliena laude fulciuntur, eadem subtracta deficiunt: unde et earum lampades extinguuntur. Vel virgines quae lampades suas queruntur extingui, ostendunt eas ex parte lucere; et tamen non habent lumen indeficiens, nec opera perpetua. si quis igitur habet animum virginalem et amator est pudicitiae, non debet mediocriter esse contentus his quae cito exaescunt et orto caumate arefiunt; sed perfectas virtutes sequatur, ut lumen habeat sempiternum.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. Non solum hae virgines stultae erant quoniam hinc recesserunt misericordia carentes, sed quia aestimabant ibi se accepturas ubi importune quaesierunt. Quamvis autem illis virginibus prudentibus nihil misericordius sit, quae propter misericordiam maxime fuerunt approbatae; non tamen stultae virgines sua petitione potitae sunt. sequitur responderunt prudentes dicentes: ne forte non sufficiat nobis et vobis. Hinc autem discimus quod nullus nostrum adire poterit nisi operibus cum quibus inventi erimus.

Hieronymus. Non enim hoc virgines prudentes de avaritia, sed de timore respondent; unde quisque pro suis operibus mercedem accipiet; neque possunt in die iudicii aliorum virtutes, aliorum vitia sublevare. Dant autem prudentes consilium, ut non debeant sine oleo lampadarum sponso occurrere: et hoc est quod sequitur ite potius ad vendentes et emite vobis.

Hilarius. Vendentes hi sunt qui misericordia fidelium indigentes, reddunt ex se petita commercia indigentiae, sua satietate boni operis nostri conscientiam venundantes. Haec est enim indefessi luminis copiosa materia, quae misericordiae fructibus et emenda est, et recolenda.

Chrysostomus in Matth. vides ergo quanta nobis sit a pauperibus negotiatio; pauperes autem non sunt ibi, sed hic; ideoque hic oleum congregare oportet, ut illic utile sit, cum tempus nos vocet.

Hieronymus. Venditur etiam hoc oleum et multo emitur pretio, ac difficili labore conquiritur; quod non solum in eleemosynis, sed in cunctis virtutibus et consiliis intelligimus magistrorum. **Origenes.** Vel aliter. Etsi fatuae erant, tamen hoc intelligebant quoniam cum lumine debebant obviam ire sponso, omnes lampades sensuum habentes illuminatas. Videbant autem et illud, quoniam ex eo quod minus habebant oleum rationabile, iam propinquantibus tenebris lampades earum fuerant obscurandae. sed sapientes transmittunt fatuas ad olei venditores, videntes quoniam non tantum oleum, idest verbum doctrinae, congregaverant ut sufficeret ipsis ad vitam, et illas docerent; unde dicunt ite potius ad vendentes, idest ad doctores, et emite vobis: idest, ab eis accipite; et pretium est perseverantia, et amor discendi et diligentia, et labor cupientium discere.

Augustinus. vel non sunt putandae dedisse consilium; sed crimen earum ex obliquo commemorasse. Vendunt enim adulatores oleum, qui sive falsa, sive ignorata laudando, animas in errores mittunt, et eis vana gaudia tamquam fatuis consiliando, aliquam de his mercedem commodi temporalis accipiunt. Dicitur ergo ite ad vendentes, et emite vobis; idest, videamus nunc quid vos adiuvent qui vobis laudes vendere consueverunt. Dicunt autem ne forte non sufficiat nobis et vobis, quia alieno testimonio non iuvatur quisquam apud Deum, cui secreta cordis apparent; et vix quisque sibi sufficit cui testimonium perhibeat conscientia sua.

Hieronymus. Verum quia iam emendi tempus excesserat, et adveniente iudicii die locus non erat poenitentiae, non nova patrare opera, sed praeteritorum rationem coguntur exsolvere; unde sequitur dum autem irent emere, venit sponsus, et quae paratae erant intraverunt cum eo ad nuptias.

Hilarius in Matth. nuptiae autem, immortalitatis assumptio est, et inter corruptionem atque incorruptionem ex nova societate coniunctio.

Chrysostomus in Matth. Per hoc autem quod dicit dum irent emere, ostendit quia etsi misericordes efficiamur post mortem, nihil hinc lucrabimur ad effugiendum: sicut nec diviti profuit quod factus est misericors et sollicitus circa eos qui sibi attinebant.

Origenes in Matth. vel dicit dum irent emere: est enim invenire quosdam qui quando debuerunt, neglexerunt aliquid utile discere; in ipso autem exitu vitae suae, dum disponunt discere, comprehenduntur a morte.

Augustinus de verb. Dom. vel aliter. Euntibus illis emere, idest inclinantibus se in ea quae foris sunt, et solitis gaudere quaerentibus, quia gaudia interna non noverant, venit ille qui iudicat; et quae paratae erant, idest quibus coram Deo conscientia testimonium perhibebat, intraverunt cum eo ad nuptias; idest ubi munda anima, puro ac perfecto Dei verbo fecunda copulatur.

Hieronymus. post iudicii autem diem bonorum operum et iustitiae occasio non relinquitur; unde sequitur et clausa est ianua.

Augustinus. receptis enim illis qui sunt in angelicam vitam commutati, clauditur aditus ad regna caelorum; non enim post iudicium patet precum ac meritorum locus.

Hilarius. Et tamen cum iam poenitentiae nullum est tempus, fatuae occurrunt, aperiri sibi aditum rogant; unde sequitur novissime autem veniunt et reliquae virgines dicentes: domine, domine, aperi nobis.

Hieronymus. Egregia in domini appellatione confessio indicium fidei est. Sed quid prodest voce invocare quem operibus neges? **Gregorius** in Evang. dolore autem repulsionis compulsae appellationem ingeminatur dominationis, invocando patrem, cuius in vita sua misericordiam contempserunt.

Augustinus. non autem dictum est quod emerunt oleum; et ideo intelligendae sunt, nullo iam remanente de alienis laudibus gaudio, in angustiis et magnis afflictionibus redire ad implorationem Dei. sed magna eius est severitas post iudicium, cuius ante iudicium ineffabilis misericordia praerogata est; propter quod sequitur at ille respondens ait: amen dico vobis, nescio vos: ex illa scilicet regula, quia non habet ars Dei, idest eius sapientia, ut intrent in gaudium eius qui non coram Deo, sed ut placerent hominibus, conati sunt aliquid secundum praecepta eius operari.

Hieronymus. Novit enim dominus eos qui sunt eius, et qui ignorat ignorabitur; et licet virgines sint vel corporis puritate vel verae fidei confessione, tamen quia oleum non habent, ignorantur a sponso. Ex hoc autem quod infert vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam, intelligit universa quae dicta sunt esse praemissa, ut quia ignoramus iudicii diem, sollicite nobis lumen bonorum operum praeparemus.

Augustinus. non autem solum illius futuri temporis quo venturus est sponsus, sed suae quisque dormitionis diem et horam nescit, ad quam quisquis paratus est, etiam paratus invenitur cum illa vox sonuerit qua omnes evigilaturi sunt.

Augustinus ad hesychium. Non defuerunt autem qui docere voluerunt, has quinque et quinque virgines ad hunc eius adventum, qui nunc fit per ecclesiam, pertinere; sed haec non sunt temere pollicenda, ne aliquid occurrat quod valide contradicat.

MATTHAEUS 25,14-30

5514 (Mt 25,14-30)

Glossa. In praecedenti parabola demonstrata est eorum condemnatio qui oleum sibi sufficienter non praeparaverant, sive per oleum nitor operum, sive gaudium conscientiae, sive eleemosyna, quae est per pecuniam, intelligatur. Haec autem parabola inducitur contra eos qui non solum pecuniis, sed nec verbo, nec alio modo prodesse proximis volunt, sed omnia occultant; unde dicit sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua.

Gregorius in Evang. Homo autem iste qui peregre proficiscitur, redemptor noster est, qui in ea carne quam assumpserat, abiit in caelum. Carnis enim locus proprius terra est, quae quasi ad peregrinandum ducitur, cum per redemptorem nostrum in caelo collocatur.

Origenes in Matth. secundum enim divinitatis suae naturam non peregrinatur, sed secundum dispensationem corporis quod suscepit. Qui enim dicit discipulis suis: ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi, unigenitus Dei est, qui non est corporeo habitu circumclusus. Hoc autem dicentes non solvimus iesum; sed unicuique substantiae proprietatem eius salvamus. possumus et talia dicere, quod peregrinatur dominus per fidem ambulans, et non per speciem. Si autem peregrinantes a corpore cum domino fuerimus, tunc et ipse erit nobiscum. Simul etiam considera, quod non videtur redditio sermonis ita conscripta: sicut homo peregrinans, ita ego aut filius hominis: quoniam ipse est qui in parabola proponitur peregrinans quasi homo, non sicut filius Dei.

Hieronimus. Vocatis autem apostolis, doctrinam eis evangeliorum tradidit, non quasi pro largitate et paritate, alteri plus et alteri minus tribuens, sed pro accipientium viribus; quomodo et apostolus eos qui solidum cibum capere non poterant, lacte potasse se dicit; unde sequitur et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem.

Chrysostomus in Matth. In quinque et duobus et uno talento diversas gratias intelligimus, quae unicuique traditae sunt. **Origenes.** Si quando enim videris eorum qui acceperunt a Christo dispensationem eloquiorum Dei, alios quidem habere amplius, alios autem minus, et, ut ita dicam, neque in dimidio intelligentes rerum negotia comparatione meliorum; alios autem adhuc minus habere; videbis differentias eorum qui eloquia domini susceperunt a Christo: quoniam alia fuit virtus eorum quibus data sunt quinque talenta, alia quibus duo, alia quibus unum; et alter alterius non capiebat mensuram; et qui accepit talentum unum, accepit quidem datum non contemptibile: multum est enim et unum talentum talis domini. tamen tres sunt proprii servi, sicut tria sunt genera eorum qui fructum faciunt; et quinque quidem accepit talenta qui omnia sensibilia scripturarum potest adducere ad sensus diviniore; duo autem qui est corporalem doctrinam edoctus: duo enim videtur carnalis numerus esse; sed adhuc minus potenti unum talentum paterfamilias dedit.

Gregorius. vel aliter. Quinque talentis dona quinque sensuum, idest exteriorum scientia exprimitur; duobus vero intellectus et operatio designantur: unius autem talenti nomine, intellectus tantum designatur. sequitur et profectus est statim.

Glossa. non locum mutans, sed liberam eis operandi potestatem permittens, et suo arbitrio relinquens. sequitur abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque.

Hieronimus. acceptis enim terrenis sensibus, caelestium sibi notitiam duplicavit, ex creaturis intelligens creatorem, ex corporalibus incorporea, ex brevibus sempiterna.

Gregorius in Evang. Sunt etiam nonnulli qui, etsi interna ac mystica penetrare nesciunt, pro intentione tamen supernae patriae docent recta quae possunt de ipsis exterioribus quae acceperunt; dumque se a carnis petulantia, a terrenarum rerum ambitu, atque a visibilium voluptate custodiunt, ab his etiam alios admonendo compescunt.

Origenes in Matth. Vel qui habent sensus exercitatos, conversati salubriter, et ad maiorem scientiam seipsos erigentes, et studiose docentes, lucrati sunt alia quinque: quia nemo facile additamentum accipit virtutis alterius, nisi eius quam habet; et quanta ipsa scit, tanta alterum docet, et non amplius.

Hilarius in Matth. vel servus ille qui quinque talenta accepit, populus ex lege credentium est, ex qua profectus meritum ipsius recte impleta evangelicae fidei operatione duplicavit. sequitur similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo.

Gregorius. sunt enim nonnulli qui dum intelligendo et operando aliis praedicant, quasi duplicatum de negotio lucrum reportant: quia dum utrique sexui praedicatio impenditur, quasi accepta talenta geminantur. **Origenes.** Vel lucrati sunt alia duo, idest corporalem eruditionem, et aliam paulo sublimiorem.

Hilarius. vel ille servus cui duo talenta commissa sunt, gentium populus est, fide atque confessione et filii iustificatus, et patris; dominum nostrum iesum Christum Deum atque hominem ex spiritu et carne confessus. Haec ergo huic sunt duo talenta commissa. Sed ut populus iudaeorum omne sacramentum quod in quinque talentis, idest in lege, cognoverat, idipsum fide evangelii duplicavit; ita iste incremento duorum talentorum, intellectum atque operationem promeruit. sequitur qui autem unum acceperat, abiens fodit in terra, et abscondit pecuniam domini sui.

Gregorius in Evang. talentum quippe in terra abscondere, est acceptum ingenium in terrenis actibus implicare.

Origenes in Matth. vel aliter. Si quando videris aliquem qui virtutem habet docendi et animabus proficiendi, et hanc virtutem occultat, quamvis habeat quamdam religionem conversationis, non dubites dicere talem esse qui accepit unum talentum, et abscondit ipsum in terra.

Hilarius in Matth. Vel iste servus qui unum talentum accepit et in terra recondidit, populus est in lege persistens, qui propter invidiam salvandarum gentium in terra acceptum talentum abscondit: in terra enim talentum abscondere, est novae praedicationis gloriam sub obtrectatione corporeae passionis occultare. sequitur post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. In ratione autem ponenda iudicii examen est.

Origenes. et observa in hoc loco, quoniam non servi ad dominum vadunt ut iudicentur; sed dominus venit ad eos, cum tempus fuerit impletum; de quo dicit post multum vero temporis, idest, postquam dimisit aptos ad negotiandum animarum salutem; et ideo forsitan non facile invenitur quis ex eis qui apti fuerint ad huiusmodi opus, ut cito transeat de hac vita; sicut est manifestum ex eo quod et apostoli senuerunt: ex quibus dicitur ad petrum: cum senueris, extends manum tuam; de paulo autem dictum est ad philemonem: nunc autem ut paulus senex.

Chrysostomus in Matth. Vide et dominum ubique non confestim expetentem rationem, ut discas eius longanimitatem. Mihi autem videtur quod resurrectionem occulte insinuans, hoc dicit.

Hieronymus. Ideo ergo dicit post multum temporis, quia grande tempus est inter ascensionem salvatoris, et secundum eius adventum.

Gregorius. haec autem lectio huius evangelii considerare nos admonet, ne qui plus ceteris in hoc mundo accepisse aliquid cernuntur, ab auctore mundi gravius iudicentur: cum enim augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. Tanto ergo humilior quisque debet esse ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione. **Origenes.** Fiducia autem fecit eum qui quinque talenta acceperat, audere ut ad dominum prius accederet; sequitur enim et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.

Gregorius. Servus ergo qui geminata talenta retulit, laudatur a domino, et ad aeternam remunerationem perducitur: unde subditur: ait illi dominus: euge.

Rabanus. Euge interiectio est laetantis; per quod gaudium suum dominus insinuat, qui bene laborantem servum ad gaudium aeternum invitat; de quo propheta ait: laetificabis nos in gaudio cum vultu tuo.

Chrysostomus in Matth. Serve bone, quia de bono loquitur, quod est ad proximum, et fidelis, quia nihil eorum quae sunt domini sibi appropriavit.

Hieronymus. dicit autem super pauca fuisti fidelis, quia omnia quae in praesenti habemus, licet magna videantur et plurima, tamen comparatione futurorum parva et pauca sunt.

Gregorius. Sed tunc fidelis servus supra multa constituitur, quando devicta omnis corruptionis molestia, de aeternis gaudiis in illa caelesti sede gloriatur. Tunc etiam ad domini sui gaudium perfecte intronitur, quando in aeterna illa patria assumptus, atque angelorum coetibus admixtus, sic interius gaudet de munere ut non sit quod exterius doleat iam de corruptione.

Hieronymus. Quid autem potest maius dari fideli servo quam esse cum domino et videre gaudium domini sui? .

Chrysostomus in Matth. Per hoc enim verbum omnem beatitudinem ostendit.

Augustinus de trin. Hoc enim erit plenum gaudium nostrum, quo amplius non est, frui Deo trinitate, ad cuius imaginem facti sumus.

Hieronymus. Utrique autem servo et qui de quinque talentis decem fecerat, et qui de duobus quatuor, idem patrifamilias sermo blanditur; utrumque etiam simili recipit gaudio, non considerans lucri magnitudinem, sed studii voluntatem; unde sequitur accessit autem et qui duo talenta acceperat.

Origenes in Matth. quod autem dicit vel in eo qui quinque talenta acceperat, vel in isto qui duo, accedens, intellige accessum transitum de hoc mundo ad illum: et vide quoniam eadem dicta sunt ambobus, ne forte

et qui minorem habuit virtutem, et totam illam quam habuit, secundum quod oportebat, exercuit, nihil minus habiturus sit apud Deum quam ille qui fuerit in maiori virtute: hoc enim solum quaeritur, ut quicquid habuerit homo ex Deo, toto eo utatur ad gloriam Dei. **Gregorius** in Evang. Servus autem qui operari de talento noluit, ad dominum cum verbis excusationis redit: unde subditur accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: domine, scio quia homo durus es.

Hieronymus. vere enim hoc quod scriptum est: ad excusandas excusationes in peccatis, etiam huic servo contingit, ut ad pigritiam et negligentiam, superbiae quoque crimen accederet. Qui enim debuit simpliciter inertiam confiteri et orare patremfamilias, e converso calumniatur, et dicit se prudenti fecisse consilio, ne dum lucra pecuniae quaereret, etiam de sorte periclitaretur. **Origenes.** Videtur enim mihi iste servus fuisse inter credentes quidem, non autem fiducialiter agentes, sed latere volentes, et omnia facientes ut non cognoscantur quasi christiani. Adhuc videntur mihi qui huiusmodi sunt timorem Dei habere, et sapere de eo quasi de aliquo austero et implacabili: hoc enim significat cum dicit domine, scio quia homo durus es. Intelligimus autem, quod vere dominus noster metit ubi non seminavit; quoniam iustus seminat in spiritu, ex quo metet vitam aeternam. Metit etiam ubi non seminat, et congregat ubi non spargit: quia sibi computat esse collata quaecumque in pauperibus fuerint seminata.

Hieronymus. ex eo etiam quod hic servus ausus est dicere metis ubi non seminasti, intelligimus etiam gentilium et philosophorum bonam vitam recipere dominum. **Gregorius.** Sunt autem plerique intra ecclesiam, quorum iste servus imaginem tenet, qui melioris vitae vias aggredi metuunt; et tamen iacere in sui corporis ignavia non pertimescunt; cumque se peccatores considerant, sanctitatis vias arripere trepidant, et remanere in suis iniquitatibus non formidant.

Hilarius in Matth. Vel per hunc servum intelligitur populus iudaeorum in lege persistens, qui dicit: timui te; tamquam metu veterum praeceptorum ab usu evangelicae libertatis abstineat, dicatque ecce quod tuum est, velut in his quae a domino praecepta sunt fuerit immoratus; cum tamen sciverit, metendos illic iustitiae fructus ubi lex sata non sit, et colligendos ex gentibus qui non ex abrahamae sint stirpe dispersi.

Hieronymus. Sed quod putaverat se pro excusatione dixisse, in culpam propriam vertitur; unde sequitur respondens autem dominus eius dixit ei: serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino. servus autem malus appellatur, quia calumniam domino fecit: piger, quia talentum noluit duplicare: ut in altero superbiae, in altero negligentiae condemnetur. Si, inquit, durum et crudelem me noveras, et aliena sectari; tu scires me mea diligentius quaesitum, et dares pecuniam meam, sive argentum nummulariis: utrumque enim argyrium, graecus sermo significat. Eloquia domini, eloquia casta, argentum igne examinatum. pecunia ergo et argentum, praedicatio evangelii et sermo divinus est; qui dari debuit nummulariis, id est vel ceteris doctoribus, quod fecerunt apostoli, per singulas provincias presbyteros et episcopos ordinantes; vel cunctis credentibus, qui possunt pecuniam duplicare et cum usuris reddere, ut quicquid sermone didicerant, opere explerent.

Gregorius. sicut ergo periculum doctorum aspicitur, si dominicam pecuniam teneant, ita et auditorum: quia cum usuris ab eis exigitur quod audierunt, ut scilicet ex eo quod audiunt, etiam studeant intelligere non audita.

Origenes. Non autem confessus est dominus se esse durum, sicut ille arbitrabatur; ceteris autem eius sermonibus concessit. Sed vere durus est his qui misericordia Dei abutuntur ad negligentiam suam, non ad conversionem. **Gregorius** in Evang. pigrum vero servum qua sententia dominus feriat, audiamus: tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta.

Origenes. Potest quidem dominus suae divinitatis virtute auferre sufficientiam ab eo qui pigrius est ea usus, et dare ei qui eam multiplicavit. **Gregorius.** Opportunum autem videbatur ut ei potius qui duo quam qui quinque talenta acceperat daretur: illi enim dari debuit qui minus habebat. Sed cum per quinque talenta exteriorum scientia designetur, per duo autem intellectus et operatio; plus habuit qui duo quam qui quinque talenta acceperat: quia qui per talenta quinque exteriorum administrationem meruit, ab intellectu aeternorum adhuc vacuus fuit. Unum ergo talentum, per quod intellectum significari diximus, illi dari debuit qui bene exteriora quae acceperat, ministravit: quod quotidie in sancta ecclesia cernimus, ut etiam interna intelligentia polleant qui exteriora fideliter administrant.

Hieronymus. Vel datur ei qui decem talenta fecerat, ut intelligamus, licet aequale sit domini gaudium in utriusque labore, eius scilicet qui quinque et qui duo duplicavit, tamen maius deberi praemium ei qui plus in domini pecunia laboravit. **Gregorius.** Generalis etiam mox sententia subditur, qua dicitur omni enim habenti dabitur, et abundabit; ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo. Quisquis autem caritatem habet, alia etiam dona percipit; quisquis autem caritatem non habet, etiam dona quae percepisse videbatur, amittit.

Chrysostomus in Matth. Qui etiam gratiam sermonis et doctrinae ad proficiendum habet, non utens ea, gratiam perdit; qui autem studium adhibet, amplius attrahit donum.

Hieronymus. Multi etiam cum sint sapientes naturaliter, et habeant acumen ingenii, si fuerint negligentes, et desidia bonum naturae corruperint, ad comparationem eius qui paululum tardior labore et industria compensavit quod minus habuit, perdunt bonum naturae; et praemium quod eis fuerat repromissum, vident transire ad alios. potest etiam sic intelligi. Ei qui fidem habet, et bonam in domino voluntatem, etiam si quid minus, ut homo, in opere habuerit, dabitur a bono iudice; qui autem fidem non habuerit, etiam ceteras virtutes quas videbatur naturaliter possidere, perdet. et eleganter inquit quod videtur habere, auferetur ab eo: quicquid enim sine fide christi est, non ei debet imputari qui male eo usus est, sed illi qui etiam malo servo naturae bonum tribuit.

Gregorius in Evang. Vel quisquis caritatem non habet, etiam ea quae percepisse videbatur, amittit.

Hilarius in Matth. habentibus etiam usum evangeliorum et legis honor redditur; non habenti autem fidem christi, etiam quod ex lege sibi esse videbatur honoris auferetur.

Chrysostomus in Matth. servus autem malus non solum damno punitur, sed etiam intolerabili poena, et cum poena accusabili denuntiatione; unde sequitur et inutilem servum eicite in tenebras exteriores.

Origenes in Matth. ubi scilicet nulla illuminatio est, forsitan nec corporalis; nec est respectio Dei illic, sed quasi indigni speculatione Dei, qui talia peccaverunt, condemnantur in his quae exteriores tenebrae appellantur. Legimus etiam aliquem ante nos exponentem de tenebris abyssi quae est extra mundum, ut quasi indigni toto mundo in abyssum illam foras eiciantur, in qua sunt tenebrae, nemine eas illuminante.

Gregorius. Et sic per poenam in tenebras exteriores cadet qui per suam culpam sponte in interiores tenebras decedit.

Hieronymus. Quid autem sit fletus et stridor dentium, supra diximus.

Chrysostomus in Matth. Vide autem quia non solum qui rapit aliena aut qui mala operatur, punitur ultima poena, sed etiam qui bona non facit. **Gregorius** in Evang. Habens igitur intellectum, curet omnino ne taceat; habens rerum affluentiam, a misericordia non torpescat; habens artem qua regitur, usum illius cum proximo partiatur; habens loquendi locum, apud divitem pro pauperibus intercedat. Talenti enim nomine cuilibet reputabitur quod vel minimum acceperit. **Origenes.** Si autem displicet tibi quod dicitur, si propter quod non docuit, quis iudicatur, recordare illud apostoli: vae mihi est, si non evangelizavero.

MATTHAEUS 25,31-45

5531 (Mt 25,31-45)

Rabanus. Post parabolas de fine mundi, iam exequitur dominus modum futuri iudicii.

Chrysostomus in Matth. est autem haec pars delectabilissima, quam continue in animo vertentes, cum studio audiamus, et omni compunctione; nam et ipse Christus terribilius et lucidius hunc pertractat sermonem. Idcirco non dicit de cetero: simile factum est regnum caelorum; sed revelate seipsum ostendit, dicens cum autem venerit filius hominis in maiestate sua.

Hieronymus. post biduum quidem pascha facturus, et tradendus cruci, et illudendus ab hominibus, recte promittit gloriam triumphantis, ut secutura scandala pollicitationis praemio compensaret. Et notandum, quod qui in maiestate cernendus est, filius hominis sit.

Augustinus super ioannem. in forma humana videbunt eum impii, videbunt et ad dexteram positi: in iudicio enim apparebit in forma quam ex nobis accepit; sed postea futurum est ut videatur in forma Dei, quam sciunt omnes fideles.

Remigius. Destruitur autem his verbis illorum error qui dixerunt, dominum non in eadem forma servi manere. Maiestatem autem appellat divinitatem, qua aequalis est patri et spiritui sancto.

Origenes in Matth. Vel quia cum gloria huc revertetur, ut corpus eius sit quale fuit cum transfiguratus fuit in monte. sedes autem eius aut quidam perfectiores sanctorum dicuntur, de quibus scriptum est: quoniam illic

sederunt sedes in iudicio; aut quaedam virtutes angelicae, de quibus dicitur: sive throni, sive dominationes.

Augustinus de Civ. Dei. Descendet enim cum angelis, quos advocabit de supernis locis ad faciendum iudicium; unde dicitur et omnes angeli eius cum eo.

Chrysostomus in Matth. Omnes enim angeli cum ipso aderunt, testantes et ipsi quantum administraverunt missi a domino ad hominum salutem.

Augustinus de poenitentia. vel angelorum nomine significavit homines qui cum Christo iudicabunt: angeli enim nuntii sunt; nuntios autem rectissime accipimus omnes qui salutem caelestem hominibus nuntiaverunt. sequitur et congregabuntur ante eum omnes gentes.

Remigius. His verbis vera hominis futura demonstratur resurrectio.

Augustinus de Civ. Dei. Haec autem congregatio per ministerium angelicum fiet, quibus dicitur: congregate illi sanctos eius.

Origenes in Matth. Vel non localiter intelligamus quod congregabuntur ante eum omnes gentes, sed quia iam non erunt dispersae in dogmatibus falsis et multis de eo. Manifesta enim fiet divinitas christi, ut non solum nullus iustorum, sed nec aliquis peccatorum ignoret: non enim in aliquo loco apparebit filius Dei, et in altero non apparebit; sicut ipse secundum comparisonem fulguris voluit demonstrare. quamdiu ergo iniqui nec se cognoscunt nec Christum, vel iusti per speculum in aenigmate vident, tamdiu non sunt segregati boni a malis; cum autem propter manifestationem filii Dei, omnes ad intellectum venerint suum, tunc salvator segregabit bonos a malis; unde sequitur et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis: quia et peccatores cognoscent sua delicta, et iusti manifeste videbunt semina iustitiae suae ad qualem eos perduxerint finem. Oves autem dicti sunt qui salvantur, propter mansuetudinem, quam didicerunt ab eo qui dicit: discite a me quia mitis sum; et propter quod usque ad occisionem parati fuerunt venire, imitantes Christum, qui sicut ovis ad occisionem ductus est. haedi autem dicuntur mali, qui aspera et dura saxa ascendunt, et per praecipitia eorum incedunt.

Chrysostomus in Matth. vel hos vocat haedos, illos autem oves, ut horum infructuositatem ostendat, nullus enim fit ab haedis fructus; illorum autem utilitatem; multus enim est ovium fructus et a lana et a lacte et a fetibus qui parturiuntur. Nomine autem ovis in scripturis divinis simplicitas, et innocentia solet designari. Pulchre ergo in hoc loco per oves electi designantur.

Hieronimus. Haedus autem lascivum est animal et fervens semper ad coitum, et semper pro peccatis offertur in lege; nec dicit capras, quae possunt habere fetus et tonsae egrediuntur de lavacro.

Chrysostomus in Matth. Deinde segregat eos etiam situ; nam sequitur et statuet oves quidem a dextris, haedos autem a sinistris.

Origenes in Matth. sancti enim, qui dextera opera operati sunt, acceperunt pro mercede suorum dexterorum dexteram regis, in qua requies et gloria est; mali vero propter opera sua pessima et sinistra, ceciderunt in sinistram, idest in tristitiam tormentorum. sequitur tunc dicit rex eis qui a dextris eius erunt: venite; ut quicquid minus fuerit eis, cum perfectius uniti fuerint Christo consequantur. Addit autem benedicti patris mei, ut eminentia benedictionis eorum manifestetur: quia prius benedicti sunt a domino, qui fecit caelum et terram.

Rabanus. Vel vocantur benedicti quibus pro bonis meritis debetur aeterna benedictio. Patris autem sui dicit esse regnum, quia ad eum refert potestatem regni a quo ipse rex est genitus; unde per auctoritatem regiam, qua ipse solus exaltabitur in die illa, proferet iudicii sententiam; unde signanter dicitur. tunc dicit rex.

Chrysostomus in Matth. nota autem, quod non dixit: accipite, sed possidete, sive hereditate, sicut familiaria bona sive paterna, sicut vestra vobis antiquitus debita; unde dicitur paratum vobis regnum a constitutione mundi.

Hieronimus. Haec autem iuxta praescientiam Dei accipienda sunt, apud quem futura iam facta sunt.

Augustinus de Civ. Dei. Excepto autem illo regno, de quo in fine dicturus est possidete paratum vobis regnum, licet longe impari modo, etiam praesens ecclesia dicitur regnum eius; in quo adhuc cum hoste confligitur, donec veniatur ad illud pacatissimum regnum, ubi sine hoste regnabitur.

Augustinus de poenitentia. Sed dicit aliquis: regnare nolo, sufficit mihi salvum esse; in quo primum eos

fallit, quia eorum nec salus est ulla quorum iniquitas perseverat; deinde si est aliqua differentia inter regnantes et non regnantes, oportet tamen ut in uno regno sint omnes, ne in hostium aut aliorum numero deputentur, et ceteris regnantibus ipsi pereant. omnes enim romani romanum regnum possident, quamvis non omnes in eo regnent.

Chrysostomus in Matth. pro quibus ergo sancti, caelestis regni bona accipiant, manifestatur cum subditur esurivi et dedistis mihi manducare.

Remigius. et notandum, quod in hoc loco sex opera misericordiae a domino commemorantur; quae quicumque implere studuerit, regnum a constitutione mundi praeparatum electis percipere merebitur.

Rabanus. Mystice autem qui esurientem et sitientem iustitiam pane verbi reficit, vel potu sapientiae refrigerat, et qui errantem per haeresim vel per peccatum in domum matris ecclesiae recipit, et qui infirmum in fide assumit, verae dilectionis observat iura.

Gregorius moralium. hi autem quibus iudex veniens in dextera consistentibus dicit esurivi, etc., sunt qui ex parte electorum iudicantur et regnant, qui vitae maculas lacrymis tergunt; qui mala praecedentia factis sequentibus redimunt, quidquid illicitum aliquando fecerant, ab oculis iudicis eleemosynarum superductione cooperiunt. Alii vero sunt qui non iudicantur et regnant, qui etiam praecepta legis perfectionis virtute transcendunt.

Origenes in Matth. humilitatis autem causa laude beneficiorum suorum indignos se proclamant, non obliti eorum quae fecerunt. ipse autem eis ostendit suam compassionem in suis; unde sequitur tunc respondebunt ei iusti, dicentes: domine, quando te vidimus, etc.

Rabanus. Hoc quidem dicunt non diffidentes de verbis domini; sed stupent de tanta sublimatione, et de maiestatis suae magnitudine; vel quia videbitur eis parvum esse bonum quod egerant, secundum illud apostoli: non sunt condignae passionis huius temporis ad futuram gloriam quae revelabitur in nobis. sequitur et respondens rex dicit eis: amen dico vobis: quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

Hieronymus. Libera quidem nobis erat intelligentia, quod in omni paupere Christus esuriens pasceretur, sitiens potaretur, et sic de aliis; sed ex hoc quod sequitur quamdiu fecistis uni de his fratribus meis minimis, etc., non mihi videtur generaliter dixisse de pauperibus, sed de his qui pauperes spiritu sunt; ad quos extendens manum dixerat: fratres mei sunt qui faciunt voluntatem patris mei.

Chrysostomus in Matth. sed si fratres eius sunt, quare eos minimos vocat? propter hoc quia sunt humiles, quia pauperes, quia abiecti. Non autem per hos, monachos solum intelligit, qui ad montes secesserunt; sed unumquemque fidelem, etiam si fuerit saecularis, et fuerit esuriens, aut aliud huiusmodi, vult misericordiae procuracione potiri: fratrem enim baptisma facit et mysteriorum communicatio. sequitur tunc dicit et his qui a sinistris eius erunt: discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.

Origenes in Matth. sicut iustis dixerat: venite, ita et iniustis dicit discedite; nam propinqui sunt verbo qui servant Dei mandatum, et vocantur ut adhuc propinquiores efficiantur; longe autem ab eo sunt, etsi videantur ei assistere, qui non faciunt mandata ipsius: propter hoc audiunt discedite, ut qui modo vel videntur esse ante eum, postea nec videantur. Considerandum est autem, quoniam in sanctis dictum est: benedicti patris mei; non autem nunc dicitur: maledicti patris mei; nam benedictionis quidem ministrator est pater, maledictionis autem unusquisque sibi est auctor, qui maledictione digna est operatus. Qui autem recedunt a iesu, decidunt in ignem aeternum, qui alterius est generis ab hoc igne quem habemus in usu. Nullus enim ignis inter homines est aeternus, sed nec multi temporis. Et considera quoniam regnum quidem non angelis praeparatum dicit, ignem autem aeternum diabolo et angelis eius: quia quantum ad se, homines non ad perditionem creavit; peccantes autem coniungunt se diabolo; ut sicuti qui salvantur, sanctis angelis coaequantur, sic qui pereunt diaboli angelis coaequantur.

Augustinus de Civ. Dei. Ex hoc autem patet quod idem ignis erit hominum supplicio attributus et daemonum. Si autem erit corporali tactu noxius ut eo possint corpora cruciari, quomodo in eo erit poena spirituum malignorum, nisi quia sunt quaedam daemonibus corpora, sicut quibusdam visum est, ex isto aere crasso atque humido? si autem aliquis nulla habere daemones corpora asserat, non est de hac re contentiosa disputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis, etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi profecto incorporei, et nunc potuerunt concludi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari? adhaerebunt ergo daemones, licet incorporei, corporalibus ignibus cruciandi, accipientes ex ignibus poenam, non dantes ignibus vitam. Ignis autem ille corporeus erit, et cruciabit huiusmodi corpora cum

spiritibus; daemones autem spiritus sine corporibus.

Origenes in Matth. Vel forsitan ignis ille talis substantia est ut invisibilia comburat, ipse invisibilis constitutus, secundum quod ait apostolus: quae videntur, temporalia sunt; quae autem non videntur, aeterna. Ne autem mireris audiens esse invisibilem ignem et punientem, cum videas interius calorem hominibus accidentem, et non mediocriter cruciantem. sequitur esurivi enim et non dedisti mihi manducare. Scriptum est ad fideles: vos estis corpus christi. sicut ergo anima habitans in corpore, cum non esuriat quantum ad suam substantiam spiritualem, esurit tamen corporis cibum, quia copulata est corpori suo, sic et salvator patitur quae patitur corpus eius ecclesia, cum sit ipse impassibilis. Et hoc considera, quia loquens ad iustos, per singulas species eorum beneficia dinumerat; ad iniustos autem praescindens narrationem, adunavit utrumque, dicens infirmus fui et in carcere, et non visitastis me; quoniam misericordis iudicis erat bene facta quidem hominum largius praedicare et ampliari; malefacta autem eorum transitorie memorari et abbreviare.

Chrysostomus in Matth. Intuere autem quia non in uno tantum vel duobus, sed in omnibus misericordiam deseruerunt: non enim esurientem solum non cibaverunt, sed neque, quod levius erat, infirmum visitaverunt. Et vide qualiter levia iniungit; non enim dixit: in carcere eram, et non eripuistis me; infirmus eram, et non curastis me; sed non visitastis, et non venistis ad me. In esuriendo etiam non pretiosam petit mensam, sed necessarium cibum. Omnia ergo sufficientia sunt ad poenam. Primo quidem facilitas petitionis, panis enim erat; secundo miseria eius qui petebat, pauper enim erat; tertio compassio naturae, homo enim erat; quarto desiderium promissionis, regnum enim promisit; quinto dignitas eius qui accipiebat, Deus enim erat qui pauperes accipiebat; sexto superabundantia honoris, quoniam dignatus est ab hominibus accipere; septimo iustitia dationis, ex suis enim a nobis accipit: sed contra universa haec homines per avaritiam excaecantur. **Gregorius** moralium. isti autem quibus hoc dicitur, sunt mali fideles, qui iudicantur et pereunt; alii vero, scilicet infideles, non iudicantur et pereunt: non enim eorum tunc causa discutitur qui ad conspectum districti iudicis iam cum damnatione suae infidelitatis accedunt; professionem vero fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur ut pereant. Isti enim saltem verba iudicis audiunt, quia eius fidei saltem verba tenuerunt; illi in damnatione sua aeterni iudicis nec verba suscipiunt, quia eius reverentiam nec verbo tenus servare voluerunt: nam et princeps terrenam rempublicam regens aliter punit civem interius delinquentem, atque aliter hostem exterius rebellantem: in illo enim iura sua consulit; contra hostem vero bellum movet, et de poena eius quid lex habeat non requirit.

Chrysostomus in Matth. verbis autem iudicis redarguti, cum mansuetudine loquuntur: sequitur enim tunc respondebunt ei et ipsi dicentes: domine, quando te vidimus? **Origenes** in Matth. considera, quia iusti immorantur in unoquoque verbo, iniusti autem non ita per singula, sed cursim dicunt: quoniam proprium est iustorum bene facta sua relata sibi in facie, diligenter et per singula refutare causa humilitatis; malorum autem hominum est culpas suas excusationis causa aut nullas esse ostendere, aut leves et paucas. Sed et responsio christi hoc ipsum signat; unde sequitur tunc respondebit illis, dicens: amen dico vobis. Volens enim iustorum bene facta ostendere grandia, peccatorum autem culpas non grandes, ad iustos quidem dicit: ex eo quod fecistis uni ex minimis meis fratribus; ad iniustos autem non adiecit: fratribus: revera enim fratres eius sunt qui perfecti sunt. Gratius est autem apud Deum opus bonum quod fit in sanctioribus quam in minus sanctis; et levior culpa est negligere minus sanctos quam sanctiores.

Augustinus de Civ. Dei. nunc autem de novissimo iudicio agitur, quando Christus de caelo venturus est, vivos et mortuos iudicaturus. Divini iudicii ultimum hunc diem dicimus, idest novissimum tempus: nam per quot dies istud iudicium protendatur incertum est; sed scripturarum sanctarum more dies poni solet pro tempore. Ideo autem dicimus ultimum iudicium vel novissimum, quia et nunc iudicat, et ab humani generis initio iudicavit, a ligno vitae separans primos homines, et angelis peccantibus non parcens; in illo autem finali iudicio simul et homines, et angeli iudicabuntur: fiet enim virtute divina ut cuique opera sua vel bona vel mala cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam.

MATTHAEUS 25,46

5546 (Mt 25,46)

Augustinus de fide et operibus. nonnulli seipsos seducunt, dicentes ignem aeternum dictum, non ipsam poenam aeternam. hoc praevidens dominus, sententiam suam ita conclusit dicens et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti vero in vitam aeternam.

Origenes in Matth. Attende quoniam, cum prius dixisset: venite, benedicti, deinde: discedite, maledicti,

propterea quod proprium boni Dei est primum recordari benefacta bonorum quam malefacta malorum, hic prius nominat poenam malorum, deinde vitam bonorum: ut primum quae timoris sunt, evitemus mala; postea quae honoris sunt, appetamus bona. **Gregorius** moralium. Si ergo tanta poena mulctatur qui non dedisse convincitur, qua poena feriendus est qui redarguitur abstulisse aliena? .

Augustinus de Civ. Dei. Est autem vita aeterna summum bonum nostrum, et finis civitatis Dei; de quo fine dicit apostolus: finem vero vitam aeternam. Sed rursus, quia vita aeterna ab his qui familiaritatem non habent cum scripturis sanctis, potest accipi etiam in vita malorum propter animae immortalitatem, vel propter interminabiles poenas impiorum; profecto finis civitatis huius, in quo summum habebitur bonum, vel pax in vita aeterna, vel vita aeterna in pace dicendus est, ut ab omnibus possit intelligi.

Augustinus de trin. quod enim dixit dominus famulo suo moysi: ego sum qui sum, hoc contemplabimur cum vivemus in aeternum. ita enim dominus ait: haec est vita aeterna ut cognoscant te verum Deum. Haec enim nobis contemplatio promittitur actionum omnium finis, atque aeterna perfectio gaudiorum, de qua dicit iohannes: videbimus eum sicuti est.

Hieronymus. Prudens autem lector intende, quod et supplicia aeterna sunt: et vita perpetua metum deinceps non habeat ruinarum.

Gregorius dialog. inquit: ideo peccantibus minatus est, ut eos a peccatis compesceret; quibus respondemus: si falsa minatus est ut iniustitiam corrigeret, etiam falsa promiserat, ut ad iustitiam provocaret; et sic dum satagunt Deum perhibere misericordem, non verentur praedicare fallacem. at, inquit, sine fine puniri non debet culpa cum fine: quibus respondemus, quod recte dicerent, si iudex iustus non corda hominum, sed facta pensaret. Ad districti ergo iudicis iustitiam pertinet ut numquam careant supplicio quorum mens in hac vita numquam voluit carere peccato.

Augustinus de Civ. Dei. Nullius etiam legis iustitia attendit ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta unde puniretur admisit. Nullus enim extitit qui censeret tam cito nocentium finienda esse tormenta, quam cito factum est homicidium vel adulterium. Qui vero pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, numquid moram qua occiditur, eius supplicium leges existimant, et non quod eum in sempiternum auferant a societate viventium? iam vero damnum, ignominia, exilium, servitus, cum plerumque sic infligantur ut nulla venia relaxentur, nonne pro huius vitae modo similia poenis videntur aeternis? ideo quippe aeterna esse non possunt, quia nec ipsa vita quae his plectitur, porrigitur in aeternum. Sed inquit: quomodo ergo verum est quod ait Christus: in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis, si temporale peccatum supplicio punitur aeterno? nec attendunt non propter aequale temporis spatium, sed propter vicissitudinem mali; idest, ut qui mala fecerit, mala patiat, eandem dictam mensuram fuisse. Factus est autem homo malo dignus aeterno, qui hoc in se peremit bonum quod esse posset aeternum.

Gregorius dialog. at inquit: nullus iustus crudelitibus pascitur, et delinquens servus a iusto domino idcirco caedi praecipitur, ut a nequitia corrigatur. Iniqui autem gehennae ignibus traditi, quo fine semper ardebunt? quibus respondemus, quod omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia autem iustus est, ab iniquorum ultione non sedatur; et tamen ad aliquid iniqui semper concremantur, ut scilicet iusti tanto in aeternum magis divinae gratiae debitores se esse cognoscant, quanto in aeternum mala puniri conspiciunt, quae eius adiutorio vitare potuerunt.

Augustinus de Civ. Dei. Sed nullum est, inquit, corpus quod dolere possit, mori non possit. necesse est autem ut vivat dolens, non est necesse ut occidat dolor; quia nec corpora ista mortalia omnis dolor occidit; et ut dolor aliquis possit occidere, illa causa est, quoniam sic connexa est anima huic corpori ut summis doloribus cedat atque discedat; tunc autem tali corpori anima et eo connectitur modo ut illud vinculum nullo dolore vincatur. Non ergo tunc nulla, sed sempiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit, Deum non habendo, nec doloribus corporis carere moriendo. inter huiusmodi autem aeternitatem supplicii negantes misericordior fuit **Origenes**, qui et ipsum diabolum et angelos eius post graviora pro meritis et diuturna supplicia ex illis cruciatibus eruendos et sociandos sanctis angelis credit. sed illum et propter hoc et propter alia nonnulla non immerito reprobavit ecclesia: quia et hoc quod misericors videbatur amisit, faciendo veras miserias, quibus poenas luerent, et falsas beatitudines in quibus securum et sempiternum boni gaudium non haberent. Longe autem aliter aliorum misericordia errat affectu, qui hominum illo iudicio damnatorum miserias temporales, hominum vero qui vel citius, vel tardius liberantur, aeternam felicitatem putant. Cur autem haec misericordia ad universam naturam manat humanam, et cum ad angelicam ventum fuerit, mox arescit? **Gregorius** dialog. at inquit: ubi est quod sancti sunt, si pro inimicis suis, quos tunc ardere viderint, non orant? orant quidem pro inimicis suis eo tempore quo possunt ad fructuosam poenitentiam eorum corda convertere; quomodo autem tunc orabitur pro illis qui iam nullatenus possunt ab iniquitate commutari? .

Augustinus de Civ. Dei. Item sunt alii ab aeterno supplicio liberationem non omnibus hominibus promittentes, sed tantummodo christi baptisate ablutis, qui participes sunt corporis eius, quomodolibet vixerunt: propter illud quod ait dominus: si quis manducaverit ex hoc pane, non morietur in aeternum. Item sunt qui non omnibus habentibus christi sacramentum, sed solum catholicis, quamvis male viventibus, hoc pollicentur, qui non solum sacramento, sed re ipsa manducaverunt corpus christi, in corpore eius quod est ecclesia constituti, etiam si postea, in aliquam haeresim vel in gentilium idololatriam fuerint lapsi. Sunt autem qui propter id quod scriptum est supra: qui perseveravit usque in finem, hic salvus erit, non nisi in catholica ecclesia perseverantibus hoc promittunt, quod merito fundamenti, idest fidei, per ignem salventur; quo igne in ultimo iudicio punientur mali. Sed omnibus his contradicit apostolus dicens: manifesta sunt opera carnis, quae sunt immunditia, fornicatio, et his similia; quae praedico vobis quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Si quis autem temporalia in corde suo praeponit Christo, etsi videatur habere fidem christi, non est tamen in eo fundamentum Christus, cui alia praeponuntur: quanto magis si committat illicita, non praeposuisse, sed postposuisse Christum, convincitur? comperi etiam quosdam putare eos solum arsuos illius aeternitate supplicii, qui pro peccatis dignas eleemosynas facere negligunt; ideo iudicem ipsum noluisse existimant aliud commemorare se esse dicturum, nisi eleemosynas sive factas, sive non factas. sed qui digne pro peccatis suis eleemosynas facit, prius eas facere incipit a seipso: indignum est enim ut ipse sibi non faciat qui facit in proximum, cum audiat dicentem Deum: diliges proximum tuum sicut teipsum; itemque audiat: miserere animae tuae, placens Deo. Hanc eleemosynam, idest ut Deo placeat, non faciens animae suae, quomodo dignas pro peccatis suis facere eleemosynas dicendus est? propter hoc ergo eleemosynae faciendae sunt, ut cum de praeteritis peccatis deprecamur, exaudiamur; non ut in eis perseverantes, licentiam male faciendi nos per eleemosynas comparare credamus. Ideo autem dominus a dextris eleemosynas ab eis factas, in sinistris, non factas se imputaturum esse praedixit, ut hinc ostenderet quantum valent eleemosynae ad priora delenda, non ad perpetua impune committenda peccata.

Origenes in Matth. Vel non unius tantum iustitiae species remuneratur, sicut existimant multi. In quibuscumque enim causis mandatum christi quis fecerit, Christum cibatur et potatur, qui fidelium iustitiam et veritatem manducat et bibit. Item Christo argenti teximus vestimentum, accipientes sapientiae texturam, adeo ut per doctrinam aliquos doceamus, et induamus eos viscera misericordiae. quando etiam praeparamus cor nostrum diversis virtutibus ad receptaculum eius, vel illorum quae sunt ipsius, ipsum peregrinantem suscipimus in domum pectoris nostri. Item cum fratrem infirmum sive in fide sive in bono opere visitaverimus, aut per doctrinam, aut per increpationem, aut per consolationem, ipsum Christum visitamus. deinde omne quod hic est, carcer est christi, et eorum qui sunt eius, qui sunt in hoc mundo degentes, quasi etiam in carcere naturae necessitate constricti. cum ergo bonum opus in eis fecerimus, visitamus eos in carcere, et Christum in eis.

MATTHAEUS 26,1-2

5601 (Mt 26,1-2)

Hilarius in Matth. Post sermonem quo venturum se dominus in reditu claritatis ostenderat, nunc passurum esse se admonet, ut sacramentum crucis admixtum esse gloriae aeternitatis cognoscerent: unde dicitur factum est, cum consummasset iesus sermones hos omnes.

Rabanus. De consummatione saeculi et de die iudicii: vel quia ab initio evangelii usque ad passionem omnia faciendo et praedicando compleverat.

Origenes in Matth. Non simpliciter autem dixit omnes, sed hos omnes: adhuc enim oportebat eum etiam alios loqui sermones priusquam traderetur. dixit discipulis suis: scitis quia post biduum pascha fiet.

Rabanus. Sicut ex iohannis narratione colligitur, ante sex dies paschae venit iesus in bethaniam, inde venit ierusalem sedens super asellum, postea geruntur ea quae narrantur hierosolymis gesta. Ex illo ergo die quo venit in bethaniam, intelligimus consummatum quatrimum, ut occurreret dies ante biduum paschae. Hoc autem inter pascha et azyma distat, quod pascha ipse solus dies appellatur in quo agnus occidebatur ad vesperam, hoc est decimaquarta luna primi mensis; decimaquinta autem luna, quando egressus est populus de aegypto, succedebat festivitas azymorum. verum evangelistae unum pro altero ponere solent.

Hieronymus. Pascha autem, quod hebraice dicitur phase, non a passione, ut plerique arbitrantur, sed a transitu nominatur; eo quod exterminator videns sanguinem in foribus israelitarum pertransierit, nec percusserit eos; vel ipse dominus praebens auxilium populo suo desuper ambulaverit.

Remigius. Sive quia auxiliante domino populus israeliticus liberatus ab aegyptiaca servitute transivit ad libertatem.

Origenes in Matth. non autem dixit: post biduum pascha erit, aut veniet, ne ostenderet illud pascha futurum quod fieri solebat secundum legem, sed pascha fiet, hoc est quale nunquam factum fuerat.

Remigius. Mystice enim pascha dicitur, sive quia ea die Christus transivit de mundo ad patrem, de corruptione ad incorruptionem, de morte ad vitam: sive quia salubri transitu a daemionica servitute mundum redemit.

Hieronymus. Post duos etiam dies clarissimi luminis veteris et novi testamenti verum pro mundo celebratur pascha. transitus etiam noster, idest phase, ita celebratur, si terrena dimittentes ad caelestia festinemus.

Origenes in Matth. praedicat autem discipulis se tradendum, cum subdit et filius hominis tradetur ut crucifigatur, praemuniens eos ne priusquam audiant quae fuerant futura, subito videntes tradi magistrum ad crucem, obstupescant. Ideo autem impersonaliter posuit tradetur, quia Deus tradidit eum propter misericordiam circa genus humanum, iudas propter avaritiam, sacerdotes propter invidiam, diabolus propter timorem ne avelleretur de manu eius genus humanum per doctrinam ipsius: non advertens, quoniam maius fuerat eripiendum genus humanum per mortem ipsius, quam ereptum fuerat per doctrinam et miracula.

MATTHAEUS 26,3-5

5603 (Mt 26,3-5)

Glossa. Ostendit evangelista apparatus et machinationem dominicae passionis, quam Christus praenuntiaverat; unde dicit tunc congregati sunt principes sacerdotum.

Remigius. Quod autem dicit tunc, superioribus verbis coniungitur, idest antequam pascha celebraretur.

Origenes in Matth. Non autem veri sacerdotes et seniores, sed illius qui videbatur populus Dei, vere autem erat populus gomorrhae, non intelligentes summum sacerdotem Dei, insidiati sunt ei: et non cognoscentes primogenitum universae creaturae, etiam seniore omnibus consiliati sunt contra eum.

Chrysostomus in Matth. iniqua vero negotia tentantes ad principem sacerdotum veniunt, inde volentes potestatem accipere unde prohibere oportebat. Multi autem erant tunc principes sacerdotum; lex vero unum esse volebat; unde manifestum est quod iudaica dissolutio accipiebat principium. Moyses enim unum principem sacerdotum esse iussit, et eo mortuo alterum fieri; postea vero annui facti sunt. Eos igitur ait hic principes sacerdotum qui de principibus sacerdotum erant.

Remigius. Condemnantur autem isti, et quia congregati sunt, et quia principes sacerdotum fuerant: quo enim plures ad peragendum aliquod malum conveniunt, et quo sublimiores et nobiliores fuerint, eo deterius habetur malum quod committitur, et eo maior poena illis praeparatur. ad ostendendam autem domini simplicitatem et innocentiam, addit evangelista ut iesum dolo tenerent, et occiderent: in quo enim nullam mortis causam invenire poterant, consilium fecerunt ut dolo tenerent, et occiderent.

Chrysostomus in Matth. Consiliati sunt ergo ut tenerent eum occulte et interimerent; formidabant autem populum, ideoque expectabant festivitatem praeterire; propter quod sequitur dicebant autem: non in die festo. Diabolus enim nolebat in pascha Christum pati, ut non manifestam eius constitueret passionem. Principes autem sacerdotum non ea quae Dei sunt timuerunt, ne scilicet peccato in hoc tempore peracto maior eius inquinatio fieret, sed ubique quae humana sunt cogitabant: unde sequitur ne forte tumultus fieret in populo.

Origenes in Matth. propter diversa studia populi, diligentis Christum et odientis, credentis et non credentis.

Leo papa in serm. 7 de passione. Providentibus ergo principibus ne in sancto die tumultus oriretur, non festivitati sed facinori studebant; seditiones enim turbarum fieri in praecipua solemnitate metuebant, non ut populus non peccaret, sed ne Christus evaderet.

Chrysostomus in Matth. Sed tamen furore ferventes immutati sunt a suo consilio: quia enim traditorem

invenerunt, in ipsa festivitate Christum occiderunt.

Leo papa. Divino autem intelligimus dispositum fuisse consilio ut iudaeorum principes, qui saeviendi in Christum occasiones saepe quaesierant, non nisi in solemnitate paschali exercendi furoris sui acciperent potestatem. Oportebat enim ut manifesto implerentur affectu quae diu figurata fuerant promissa mysteria, ut ovem significativam vera removeret ovis, et uno expleretur sacrificio variarum differentia victimarum. Ut ergo umbrae cederent corpori, et cessarent imagines sub praesentia veritatis, hostia in hostiam transit, sanguine sanguis aufertur, et legalis festivitas dum mutatur impletur.

MATTHAEUS 26,6-13

5606 (Mt 26,6-13)

Glossa. Ostenso consilio principum de christi occisione, vult exequi evangelista completionem eius, ostendens qualiter iudas habuit conventionem cum iudaeis, ut Christum traderet; sed prius causam prodicionis praemittit. Doluit enim quia non erat venumdatum unguentum quod mulier super caput christi effudit, ut de pretio aliquid tolleret: unde voluit hoc damnum prodicione magistri recompensare. Dicit ergo cum autem esset iesus in bethania in domo simonis leprosi.

Hieronymus. non quod leprosus illo tempore permaneret; sed quia antea leprosus, postea a salvatore mundatus est, nomine pristino permanente ut virtus curantis appareat. sequitur accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi.

Rabanus. est autem alabastrum genus marmoris candidi variis coloribus intincti, quod ad vasa unguentaria cavare solent, eo quod optime servare ea incorrupta dicatur.

Hieronymus. Alius autem evangelista pro alabastro unguenti pretiosi nardum pisticum posuit, hoc est verum et absque dolo.

Rabanus. Pistis enim graece, latine dicitur fides; unde pisticum, idest fidele. erat enim illud unguentum fidele, idest purum, et non adulteratum. sequitur et effudit super caput ipsius recumbentis.

Origenes in Matth. forsitan quis diceret quatuor fuisse mulieres de quibus scripserunt evangelistae; ego autem magis consentio tres fuisse: et unam quidem de qua scripserunt Matthaheus et Marcus, alteram autem de qua scripsit Lucas, aliam de qua scripsit Ioannes.

Hieronymus. Nemo enim putet eamdem esse quae super caput unguentum, et quae super pedes effudit: illa enim lacrymis lavit et crine tersit, et manifeste meretrix appellatur; de hac autem nihil tale scriptum est: nec enim poterat statim capite domini meretrix digna fieri.

Ambrosius super lucam. Potest ergo non eadem esse, ne sibi contraria dixisse evangelistae videantur. Potest etiam quaestio meriti et temporis diversitate dissolvi, ut adhuc illa peccatrix sit, iam ista perfectior.

Chrysostomus in Matth. Et secundum hoc apud tres evangelistas, scilicet Matthaenum, marcum et lucam, una et eadem esse videtur. Non autem absque ratione leprae simonis meminit evangelista; sed ut ostendat unde fiduciam sumens haec mulier accessit ad Christum: quia enim lepra immunda passio esse videbatur, videns quod iesus illum hominem curaverat apud quem manebat, confidit quod et animae eius immunditiam facile expurgaret; et aliis mulieribus pro curatione corporis ad Christum accedentibus, sola ipsa honoris gratia ad Christum accessit, et propter animae curationem, cum nihil in corpore infirmum haberet. Quapropter maxime aliquis eamdem admirari debet. Apud ioannem autem non est eadem mulier, sed altera quaedam mirabilis lazari soror.

Origenes in Matth. Quoniam Matthaheus quidem et Marcus in domo simonis leprosi hoc factum fuisse exponunt; ioannes autem, quod venit iesus ubi erat lazarus; et non simon, sed maria et martha ministrabant. Adhuc, secundum ioannem, ante sex dies paschae venit in bethaniam, quando fecerunt ei coenam maria et martha; hic autem quando recumbit in domo simonis, post biduum pascha erat futurum. Et apud Matthaenum et marcum, discipuli indignantur ex bono proposito; apud ioannem autem solus iudas furandi affectu; apud lucam autem murmurat nemo.

Gregorius in Evang. vel dicendum, quod hanc eamdem quam Lucas peccatricem mulierem, ioannes

mariam nominat.

Augustinus de cons. Evang. Lucas autem quamvis simile factum commemoret ei quod hic dicitur, nomenque conveniat eius apud quem convivabatur dominus, nam et ipsum simonem dicit; tamen, quia non est contra naturam vel morem hominum unum nomen habere duos homines, potius credibile est fuisse illum alium simonem, non leprosum, in cuius domo haec in bethania gerebantur. Nihil igitur aliud arbitror nisi quod non quidem aliam fuisse mulierem quae peccatrix tunc accessit ad pedes iesu, sed eandem mariam bis hoc fecisse: semel scilicet quod Lucas narravit: nam et loannes mariam commendans commemoravit antequam veniret in bethaniam: erat, inquit, languens lazarus in bethania de castello mariae, et marthae sororis eius. Maria autem erat quae unxit dominum unguento, et extersit pedes eius capillis suis, cuius frater lazarus infirmabatur. Iam itaque hoc maria fecerat. quod autem in bethania rursus fecit, aliud est quod ad lucae narrationem non pertinet, sed pariter narratur a tribus, ioanne scilicet, Matthaео et marco. Quod autem Matthaеus et Marcus caput domini unguento illo perfusum dicunt, loannes autem pedes, ostenditur non esse contrarium, si accipiamus non solum caput, sed et pedes domini perfudisse mulierem: nisi forte quoniam Marcus fracto alabastro perfusum caput commemorat, tam quisque calumniosus est ut aliquid in vase fracto neget remanere potuisse, unde etiam pedes domini perfunderet. Ille autem qui sic calumniatur, prius accipiat perfusos pedes antequam illud fractum esset, ut in integro remaneret unde etiam caput perfunderetur, ubi fractura illa totum effuderat.

Augustinus de doct. Christ. Neque ullo modo quisquam fieri crediderit domini pedes ita unguento pretioso a muliere perfusos ut luxuriosorum et nequam hominum solent. In omnibus enim talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. Quisquis enim rebus sic utitur ut metas consuetudinis bonorum inter quos versatur excedat; aut aliquid significat, aut flagitiosus est. Itaque quod in aliis personis plerumque flagitium est, in divina vel prophetica persona magnae cuiusdam rei signum est. Odor enim bonus fama bona est, quam quisquis bonae vitae operibus habuerit, dum vestigia christi sequitur, quasi pedes eius pretiosissimo odore perfundit.

Augustinus de cons. Evang. Sed hoc videri potest esse contrarium quod Matthaеus et Marcus posteaquam dixerunt pascha post biduum futurum, deinde commemoraverunt quod erat iesus in bethania, ubi de unguento eadem narraturus loannes dicit: ante sex dies paschae. Sed qui ita moventur, non intelligunt Matthaеum et marcum illud quod in bethania de unguento factum erat, recapitulando posuisse. non enim quisquam eorum cum dixisset post biduum pascha futurum, sic adiunxit ut diceret: post haec cum esset bethaniae.

Chrysostomus in Matth. sed quia discipuli audierant magistrum dicentem: misericordiam volo et non sacrificium, apud se cogitabant: si holocausta non acceptat, multo minus olei huiusmodi usum; unde sequitur videntes autem discipuli indignati sunt, dicentes: ut quid perditio haec? potuit enim istud venundari multo, et dari pauperibus.

Hieronymus. scio quosdam hunc locum calumniari, quare loannes iudam solum dixerit contristatum, eo quod oculos tenuerit et fur ab initio fuerit, et Matthaеus scribat omnes discipulos indignatos, nescientes tropum qui vocatur, syllipsis, quo et pro multis unus, et pro uno multi soleant appellari: nam et paulus in epistola ad hebraeos dicit: secti sunt, cum unum tantummodo, scilicet isaiam, sectum autemet.

Augustinus de cons. Evang. Potest etiam intelligi, quod et alii discipuli aut senserunt hoc, aut dixerunt, aut eis iuda dicente persuasum sit, atque omnium voluntatem Matthaеus et Marcus etiam expresserint; sed iudas propterea dixerat quia fur erat, ceteri vero propter pauperum curam: loannes autem de solo illo id commemorare voluit, cuius ex hac occasione furandi consuetudinem credidit intimandam.

Chrysostomus in Matth. discipuli ergo ita existimabant; sed dominus mentem mulieris videns permittit, multa enim erat eius religio, et ineffabile studium: idcirco condescendens concessit super caput suum unguentum effundi. sicut enim pater eius odorem victimae et fumum patiebatur, ita et Christus mulierem devote ungentem, cuius discipuli mentem nesciebant, querelam facientes; unde sequitur sciens autem iesus ait illis: quid molesti estis huic mulieri? **Remigius.** per quod aperte ostendit quod apostoli aliquid moleste locuti fuerant adversus eam. Pulchre autem subdit opus bonum operata est in me; ac si dicat: non est perditio unguenti, sicut vos dicitis; sed opus bonum, idest pietatis et devotionis obsequium.

Chrysostomus in Matth. ideo autem non simpliciter dixit bonum opus operata est in me; sed prius posuit quid molesti estis huic mulieri? erudiens nos quodcumque geritur bonum a quocumque, etsi non valde diligenter factum fuerit, suscipere et augere et fovere, et non ex principio omnem diligentiam expetere. Quisquis enim eum interrogasset antequam fecisset hoc mulier, non mandasset hoc fieri; sed post effusum unguentum non habebat locum discipulorum increpatio; et ideo ipse, ut non obtunderet desiderium mulieris, omnia haec in consolationem mulieris dixit. sequitur nam pauperes semper habebitis vobiscum.

Remigius. Ostendit enim dominus his verbis quasi ex quadam ratione, quoniam non erat illi culpandi qui sibi adhuc in mortali corpore conversanti aliquid de suis facultatibus ministrarent: cum pauperes semper habendi essent in ecclesia, quibus fideles cum vellent, benefacere possent; ipse vero brevi tempore corporaliter mansurus erat cum eis; unde sequitur me autem non semper habebitis.

Hieronymus. Oritur autem hic quaestio, quare dominus post resurrectionem dixerit ad discipulos: ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem mundi. Et nunc loquitur me autem non semper habebitis. Sed mihi videtur in hoc loco de praesentia dicere corporali, quod nequaquam cum eis ita futurus sit post resurrectionem quomodo nunc, in omni convictu et familiaritate.

Remigius. Vel solvitur ita ut intelligatur quod soli iudae dictum sit; sed ideo non dixit: habetis, sed habebitis, quia in persona iudae omnibus imitatoribus illius dictum est. Ideo autem dicit non semper, cum nec ad tempus habeant: quia mali videntur habere Christum in praesenti saeculo; quando miscent se membris christi, et accedunt ad mensam eius; sed non semper sic habebunt, quando solis electis dicturus est: venite, benedicti patris mei. sequitur mittens enim haec unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Consuetudo erat illius populi ut corpora mortuorum diversis aromatibus condirentur, quatenus diutius illaesa conservarentur. et quia futurum erat ut haec mulier corpus domini mortuum vellet perungere, et tamen non posset, quia resurrectione anticiparetur, idcirco divina providentia actum est ut vivum domini corpus perungeret. Hoc est ergo quod dicit mittens haec; idest, cum haec mulier corpus meum vivum perungit, me moriturum et sepeliendum ostendit.

Chrysostomus in Matth. quia ergo sepulcrum et mortem commemoraverat, ut non videatur in tristitiam mittere mulierem, rursus eam consolatur per ea quae consequuntur amen dico vobis: ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam eius.

Rabanus. idest, in quocumque loco dilatabitur ecclesia per totum mundum, dicetur et quod hoc fecit. Illud et appositum notat, quod sicut iudas contradicens adeptus est perfidiae infamiam, sic et ista piae devotionis gloriam.

Hieronymus. Attende notitiam futurorum, quod passurus post biduum, et moriturus, sciat evangelium suum in toto orbe celebrandum.

Chrysostomus in Matth. Ecce autem quod dixit, factum est; et ubicumque terrarum abieris, videbis hanc mulierem famosam effectam; quod virtus praedicentis effecit. Et regum quidem multorum et ducum victoriae silentur; et multi qui civitates construxerunt, et gentes multas servituti subegerunt, neque ex auditu, neque ex nomine sunt cogniti: quoniam autem haec mulier oleum effudit in domo leprosi cuiusdam, duodecim viris praesentibus, hoc omnes concinunt per orbem terrarum; et tempus tantum pertransiit, et memoria eius quod factum est non est tabefacta. Sed quare nihil speciale promisit mulieri, sed sempiternam memoriam? quia ex his quae dixit intelligi potuit: si enim opus bonum fecit, manifestum est quod et mercedem dignam suscipiet.

Hieronymus. Mystice autem passurus pro omni mundo moratur in bethania in domo obedientiae, quae quondam fuit simonis leprosi. Simon quoque ipse obediens dicitur, qui iuxta aliam intelligentiam mundus interpretari potest, in cuius domo curata est ecclesia.

Origenes in Matth. oleum autem ubique in scripturis aut opus misericordiae intelligitur, quo lucerna verbi enutrita clarescit; aut doctrina, cuius auditu verbum fidei quod est accensum nutritur. Generaliter ergo omne quo quis ungitur, oleum appellatur, olei autem aliud est unguentum; item unguenti aliud est pretiosum: sic omnis actus iustus opus bonum dicitur; operis autem boni aliud est quod facimus propter homines vel secundum homines; aliud quod propter Deum et secundum Deum. Item hoc ipsum quod facimus propter Deum, aliud proficit ad usum hominum, aliud tantum ad gloriam Dei: ut puta aliquis benefacit homini naturali iustitia motus, non propter Deum, quomodo faciebant interdum et gentes: opus illud oleum est vulgare, non magni odoris; et ipsum tamen acceptabile apud Deum, quoniam, ut dicit petrus apud clementem, opera bona quae fiunt ab infidelibus in hoc saeculo eis prosunt, non in alio ad consequendum vitam aeternam. Qui autem propter Deum faciunt, magis illis in illo saeculo proficit: hoc est unguentum boni odoris. Sed aliud fit ad utilitatem hominum, ut puta eleemosyna, et cetera huiusmodi. Hoc qui facit in christianos, pedes domini ungit: quia ipsi sunt domini pedes: quod praecipue solent facere poenitentes pro remissione peccatorum suorum. Qui autem castitati studet, et in ieiuniis et in orationibus permanet, et ceteris quae tantum ad gloriam Dei proficiunt, hoc est unguentum quod ungit domini caput, et hoc est unguentum pretiosum, ex cuius odore tota repletur ecclesia; et hoc est opus proprium non poenitentium, sed perfectorum. Aut doctrina, quae necessaria est hominibus, hoc est unguentum quo pedes domini unguuntur: agnitio autem fidei, quae ad solum pertinet Deum, est unguentum quo ungitur caput christi, quo consepelimur Christo per

baptismum in mortem.

Hilarius in Matth. Mulier autem haec in praefiguratione plebis gentium est, quae in passione christi gloriam Deo reddidit: caput enim perunxit: caput autem christi Deus est, nam unguentum, boni operis est fructus. Sed discipuli favore salvandi israelis vendi hoc in usum pauperum dicunt debuisse; pauperes autem iudaeos fide indigentes, instinctu prophetico nuncupant, quibus dominus ait plurimum esse temporis quo habere curam pauperum possent. Ceterum nonnisi ex praecepto suo salutem gentibus posse praestari, quae secum, infuso mulieris huius unguento, sunt consepultae, quia regeneratio nonnisi cum mortuis in baptismi professione reddetur: et idcirco ubi praedicabitur hoc evangelium, narrabitur opus eius: quia cessante israel, evangelii gloria fide gentium praedicatur.

MATTHAEUS 26,14-16

5614 (Mt 26,14-16)

Glossa. Posita occasione proditoris, consequenter de prodicione iudae agit evangelista; unde dicit tunc abiit unus de duodecim.

Chrysostomus in Matth. tunc scilicet quando hoc audivit quoniam praedicabitur hoc evangelium ubique: timuit enim: nam virtutis ineffabilis erat quod dictum est.

Augustinus de cons. Evang. Ita enim sermo dirigitur dicente domino scitis quia post biduum pascha fiet.. Tunc congregati sunt principes sacerdotum.. Tunc abiit unus de duodecim. Inter illud enim quod dictum est: ne tumultus fieret in populo, et hoc quod dicitur tunc abiit unus de duodecim, interpositum est illud de bethania, quod recapitulando dictum est.

Origenes in Matth. Abiit autem adversus unum principem sacerdotum, qui factus fuerat sacerdos in aeternum, ad multos principes sacerdotum, ut venderet pretio volentem redimere totum mundum.

Rabanus. Abiit autem dicit, quia non coactus, non invitatus, sed sponte sceleratum iniit consilium.

Chrysostomus in Matth. Addit autem unus de duodecim, ac si diceret: de primo choro eorum qui sublimiter electi sunt; et ad designationem eius adiungit qui dicitur iudas iscariones: erat enim et alius iudas.

Remigius. Iscariota namque fuit villa, unde ortus est iste iudas.

Leo papa in serm. 9 de passione. Qui non timoris perturbatione Christum deseruit, sed pecuniae cupiditate distraxit: amore enim pecuniae vilis est omnis affectio, et anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit; nullumque est iustitiae in illo corde vestigium in quo sibi avaritia facit habitaculum. Hoc perfidus iudas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, ita stulte impius fuit ut dominum venderet et magistrum: unde dixit principibus sacerdotum quid vultis mihi dare, et ego vobis tradam? .

Hieronymus. infelix iudas damnum quod ex effusione unguenti se fecisse credebat, vult magistri pretio compensare; nec certam tamen postulat summam, ut saltem lucrosa videretur proditio; sed quasi vile tradens mancipium, in potestate eminentium posuit quantum vellent dare.

Origenes in Matth. hoc autem faciunt omnes qui accipiunt aliquid corporalium aut mundalium rerum ut tradant, et eiciant ab anima sua salvatorem et verbum veritatis quod erat in eis. Sequitur at illi constituerunt ei triginta argenteos: tantam mercedem constituentes, quantos annos salvator conversatus fuerat in hoc mundo.

Hieronymus. ioseph autem, non, ut putant multi iuxta septuaginta interpretes, triginta aureis venditus est, sed iuxta hebraicam veritatem, triginta argenteis: neque enim poterat servus pretiosior esse quam dominus.

Augustinus de quaest. Evang. Quod autem dominus triginta argenteis venditus est, significavit per iudam iudaeos, iniquosque, qui persequentes carnalia et temporalia quae ad quinque pertinent sensus corporis, Christum habere noluerunt; et quia sexta mundi aetate fecerunt, sexies quinque eos quasi pretium venditi domini accepisse signatum est, et quia eloquium domini argentum est, illi autem ipsam legem etiam carnaliter intellexerunt, tamquam in argento impresserant saecularis principatus imaginem, quam amisso domino tenuerunt. sequitur et exinde quaerebat opportunitatem ut eum traderet.

Origenes in Matth. Qualem autem opportunitatem quaerebat iudas, Lucas manifestius explanat dicens: et quaerebat opportunitatem ut traderet eum sine turba; idest, quando populus non erat circa eum, sed secretus erat cum discipulis; quod et fecit, tradens eum post coenam, cum secretus esset in praedio gethsemani: et inde usque nunc opportunitas ista videtur his qui volunt prodere Dei verbum in tempore persecutionis, quando multitudo credentium non est circa verbum veritatis.

MATTHAEUS 26,17-19

5617 (Mt 26,17-19)

Glossa. Prosecutus fuerat evangelista de his quae erant praeambula ad christi passionem, scilicet de praenuntiatione passionis, de consilio principum et de tractatu proditoris: nunc autem tempus et seriem passionis incipit prosequi, dicens prima autem die azymorum.

Hieronymus. Prima dies azymorum quartadecima dies mensis primi est, quando agnus immolatur, et luna plenissima est, et fermentum abicitur.

Remigius. Et notandum, quod apud iudaeos primo die pascha celebratur, reliqui vero septem sequentes dies azymorum vocabantur; sed nunc dies azymorum dicitur pro die paschae.

Chrysostomus in Matth. Vel hanc primam diem azymorum dicit, quia septem dies azymorum erant: assueverunt enim iudaei a vespera semper numerare diem; unde huius diei facit mentionem, secundum quam in vespera pascha erat immolandum, quod quinta feria fuit.

Remigius. Sed forte dicet aliquis: si ille typicus agnus figuram huius veri agni gestabat, quare non ea nocte passus est Christus quando solebat agnus immolari? sed sciendum, quia eadem nocte mysteria sanguinis et corporis sui discipulis celebranda tradidit; et sic tentus et ligatus a iudaeis, suae immolationis, idest passionis, sacravit exordium. sequitur accesserunt ad iesum discipuli dicentes: ubi vis paremus tibi comedere pascha? inter eos autem discipulos qui accesserunt ad iesum, interrogantes et iudam fuisse aestimo proditorem.

Chrysostomus in Matth. Ex hoc autem manifestum est quoniam non erat ei domus neque tugurium: ego autem aestimo neque discipulos habuisse: profecto enim eum illuc rogassent venire. sequitur at iesus dixit: ite in civitatem ad quemdam.

Augustinus de cons. Evang. Eum scilicet quem Marcus et Lucas dicunt patremfamilias vel dominum domus. Quod ergo interposuit Matthaeus ad quemdam, tamquam ex persona sua studio brevitatis illud compendio voluit insinuare: nam neminem sic loqui ut dicat ite ad quemdam, quis nesciat? ac per hoc cum Matthaeus verba domini posuisset dicentis ite in civitatem, interposuit ipse ad quemdam: non quia ipse dominus hoc dixerit; sed ut ipse nobis insinuaret tacito nomine, fuisse quemdam in civitate ad quem domini discipuli mittebantur, ut praepararent pascha: manifestum est enim discipulos a domino non ad quemlibet, sed ad quemdam hominem, idest ad certum aliquem missos esse.

Chrysostomus in Matth. vel dicendum, quod per hoc quod dicit ad quemdam, ostendit quod ad ignotum hominem mittit, monstrans hinc quoniam poterat non pati. Qui enim menti huius persuasit ut eos susciperet, quid non utique operatus esset in his qui eum crucifigebant, si tamen voluisset non pati? ego autem non hoc admiror solum quoniam eum suscepit, ignotus existens: sed quoniam suscipiendo Christum, multorum odium contempsit.

Hilarius in Matth. Vel ideo hominem cum quo pascha celebraturus esset non nominat, nondum enim christiani nominis honor credentibus erat praestitus.

Rabanus. Vel nomen praetermittit, ut omnibus verum pascha celebrare volentibus, Christumque hospitio suae mentis suscipere, danda facultas designetur.

Hieronymus. in hoc etiam morem veteris testamenti nova scriptura conservat: frequenter enim legimus: dixit ille illi, et in loco illo et illo; et tamen nomen personarum locorumque non ponitur. sequitur et dicite ei: magister dicit: tempus meum prope est.

Chrysostomus in Matth. Hoc autem dixit discipulis, passionem commemorans, ut ex multiplici passionis

enuntiatione exercitati meditarentur quod futurum erat; simul autem demonstrans quod volens ad passionem venit. sequitur apud te facio pascha: in quo demonstrat quoniam usque ad ultimum diem non erat contrarius legi. Addidit autem cum discipulis meis, ut sufficiens fieret praeparatio, et ut ille ad quem mittebat non existimaret eum occultari velle. sequitur et fecerunt discipuli sicut constituit illis iesus, et paraverunt pascha.

Origenes in Matth. Forsitan autem aliquis requiret, ex eo quod iesus celebravit more iudaico pascha, quia convenit et nos imitatores christi similiter facere: non considerans quod iesus factus est sub lege, non ut eos, qui sub lege erant, sub lege relinqueret, sed ut ex lege educeret; quanto ergo magis non convenit illos introire in legem, qui prius fuerant extra legem? sed spiritualiter celebrantes quae in lege corporaliter celebranda mandantur, ut in azymis sinceritatis et veritatis celebremus pascha, secundum voluntatem agni dicentis: nisi manducaveritis carnem meam, et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam in vobis.

MATTHAEUS 26,20-25

5620 (Mt 26,20-25)

Hieronymus. Quia supra dominus de passione sua praedixerat, nunc etiam de proditore praedicit, dans ei poenitentiae locum, ut cum intelligeret sciri cogitationes suas et occulta cordis consilia, poeniteret eum facti sui; unde dicitur vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.

Remigius. Cum duodecim dicit, quia iudas adhuc erat in numero qui iam recesserat merito.

Hieronymus. omnia enim sic agit iudas ut tollatur suspicio proditoris.

Remigius. Et notandum quia pulchre vespere facto discubuisse dicitur, quoniam ad vesperam agnus immolari solebat.

Rabanus. Ideo etiam vespere discubuit cum discipulis, quia in passione christi, quando verus sol ad occasum properavit, refectio aeterna omnibus fidelibus praeparata fuit.

Chrysostomus in Matth. Designat autem evangelista quod comedentibus illis disputat iesus de traditione iudae, ut et a tempore et a mensa ostendat malitiam proditoris; et ideo sequitur et edentibus illis, dixit: amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est.

Leo papa in serm. 7 de passione. In quo notam sibi esse proditoris sui conscientiam demonstravit, non aspera ac aperta impium increpatione confundens, sed levi et tacita admonitione conveniens, ut facilius corrigeret poenitudo quem nulla deformasset abiectio.

Origenes in Matth. Vel dixit generaliter, ut testimonio percussi cordis singulorum qualitas probaretur, et ut iudae ostenderet malitiam, qui nec cognitori consiliorum suorum credebat; esto quia in primis putavit latere quasi hominem, qui postquam vidit conscientiam suam positam in verbis ipsius, quorum primum infidelitatis erat, secundum impudentiae: et ut etiam discipulorum ostenderet bonitatem, quia plus credebant verbis christi quam conscientiae suae; unde sequitur et contristati valde coeperunt singuli dicere: numquid ego sum, domine? unusquisque enim discipulorum sciebat ex his quae docuerat iesus, quoniam ad malum vertibilis est humana natura, et in colluctatione adversus rectores huius mundi tenebrarum; et propter hanc causam unusquisque eorum timens interrogavit: unde et de omnibus futuris timendum est nobis infirmis. Videns autem dominus de seipsis timentes discipulos, demonstravit proditorem inditio propheticae vocis dicentis: qui manducavit panem mecum, ampliavit adversum me supplantationem; unde sequitur at ipse respondens ait: qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.

Hieronymus. o mira domini patientia. Prius dixerat: unus vestrum me tradet; perseverat proditor in malo; manifestius arguit, et tamen nomen proprium non designat. Iudas enim, ceteris contristatis et retrahentibus manum, et interdicientibus cibos ori suo, temeritate et impudentia qua proditurus erat, etiam manum cum magistro mittit in paropsidem, ut audacia bonam conscientiam mentiretur.

Chrysostomus in Matth. Mihi autem videtur et hoc Christum fecisse, quod scilicet iudas cum eo in paropside intingeret, magis eum confundens, et in amorem suum attrahens.

Rabanus. Quod autem dicit hic Matthaeus in paropside, Marcus dicit: in catino. Paropsis enim est vas escarum quadrangulatum a paribus assibus, idest aequis lateribus, dictum; catinum vero vas fictile aptum

ad immittendum liquorem; et potuit fieri ut in mensa vas fictile quadrangulatum contineretur.

Origenes in Matth. haec est autem propria consuetudo hominum nimis malorum, ut post salem et panem insidentur hominibus, maxime nihil inimicitiae ab eis habentibus. Si autem et post spiritualem mensam, abundantius videbis multitudinem malitiae eius, non recordatus nec in corporalibus bonis magistri dilectionem, nec in spiritualibus doctrinam. Tales sunt omnes in ecclesia qui insidiantur fratribus suis, cum quibus ad eandem mensam corporis christi frequenter simul fuerunt.

Hieronymus. Iudas autem nec primo nec secundo correctus, a prodicione retrahit pedem; sed patientia domini nutrit impudentiam suam; et ideo poena praedicatur, ut quem pudor non viderat, corrigant denuntiata supplicia; unde sequitur filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo.

Remigius. Humanitatis namque est ire et redire; divinitatis semper manere et esse; et quia humanitas pati potuit et mori, idcirco pulchre dicitur filius hominis abire. Aperte etiam dicit sicut scriptum est de eo: quoniam quaecumque passus est, prius a prophetis praedicta sunt.

Chrysostomus in Matth. hoc autem dixit ad consolandum discipulos, ut non existimarent infirmitatis id esse quod passurus erat; et ut etiam corrigeret proditorem. Quamvis autem scriptum fuerit passurum esse Christum, nihilominus tamen incusatur iudas; non enim traditio iudae salutem nostram operata est, sed sapientia christi, qui aliorum nequitiis ad id quod nobis expediebat utebatur; unde sequitur vae autem homini illi per quem filius hominis tradetur.

Origenes in Matth. Non autem dixit vae homini illi a quo traditur, sed per quem tradetur: ostendens alterum a quo tradebatur, idest a diabolo; ipsum autem iudam ministrum esse traditionis. vae autem omnibus traditoribus christi; quicumque enim discipulos christi tradit, ipsum Christum tradit.

Remigius. vae etiam erit omnibus qui maligna conscientia et polluta ad mensam christi accedunt: quamvis enim Christum non tradant iudaeis crucifigendum, tradunt tamen suis iniquis membris sumendum; et ad maiorem exaggerationem subdit bonum erat illi si natus non fuisset homo ille.

Hieronymus. Non autem ideo putandus est ante fuisse quam nasceretur, quia nulli possit esse bene, nisi ei qui fuerit; sed simpliciter dictum est multo melius esse non subsistere, quam male subsistere.

Augustinus de quaest. Evang. Et si quispiam contendit aliquam vitam esse ante istam, non iudae tantum ut non nasceretur, sed nulli expedire convincitur. an diabolo dicit non expedire nasci, scilicet ad peccatum? an etiam bonum erat illi ut Christo non nasceretur per vocationem, ne esset apostata? **Origenes** in Matth. iudas autem post omnium apostolorum interrogationes, et post christi narrationem de ipso, vix aliquando et ipse interrogavit versuto consilio, ut similia ceteris interrogando celaret prodicionis consilium: nam vera tristitia non sustinet moram; unde sequitur respondens autem iudas, qui tradidit eum, dixit: numquid ego sum, rabbi? .

Hieronymus. In quo blandientis fingit affectum, sive incredulitatis signum. ceteri enim, qui non erant prodituri, dicunt: numquid ego sum, domine? iste qui proditurus erat, non dominum, sed magistrum vocat; quasi excusationem habeat, si domino denegato, saltem magistrum prodiderit.

Origenes in Matth. vel hoc ipsum quasi subsannans dicit, quia vocabatur magister, cum non esset hoc vocabulo dignus.

Chrysostomus in Matth. Quamvis autem dominus poterat dixisse: argentum es pactus accipere, et adhuc audes interrogare? sed nihil horum dixit mitissimus iesus, nobis terminos et regulas praefigens; sequitur enim et ait illi: tu dixisti.

Remigius. Quod sic potest intelligi: tu dicis, et verum dicis; sive tu dixisti, et non ego: ut adhuc ei locus poenitentiae concederetur, dum non apertius eius perversitas manifestatur.

Rabanus. Potuit hoc etiam sic dici a iuda, et a domino responderi, ut non omnes adverterent quod dictum erat.

MATTHAEUS 26,26

Hieronymus. Postquam typicum pascha fuerat impletum, et agni carnes cum apostolis comederat, ad verum paschae transgreditur sacramentum; ut quando omni praefiguratione eius melchisedech summi Dei sacerdos, panem et vinum offerens fecerat, ipse quoque in veritate sui corporis et sanguinis repraesentaret; unde dicitur coenantibus autem illis.

Augustinus ad ianuarium. In quo liquido apparet, quando primo acceperunt discipuli corpus et sanguinem domini, non eos accepisse ieiunos. Numquid tamen propterea calumniandus est ritus universae ecclesiae, quod a ieiunis semper accipitur? placuit enim spiritui sancto ut in honorem tanti sacramenti in os christiani prius dominicum corpus intraret quam ceteri cibi. Salvator namque quo vehementius commendaret mysterii huius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat; et ideo non praecepit quo deinceps ordine sumeretur, ut apostolis, per quos ecclesiam dispositurus erat, servaret hunc locum.

Glossa. sub alia tamen specie carnem et sanguinem suum tradidit Christus, et deinceps sumendum instituit, ut fides haberet meritum, quae de his est quae non videntur.

Ambrosius de sacramentis. Et ut nullus horror cruoris sit, et pretium tamen operetur redemptionis.

Augustinus super iohannem. Commendavit autem dominus corpus et sanguinem suum in eis rebus quae ad unum aliquid rediguntur ex multis. Panis namque in unum ex multis granis conficitur, vinum vero in unum ex multis acinis confluit: ita dominus iesus Christus nos signavit, et mysterium pacis ac unitatis nostrae in sua mensa consecravit.

Remigius. apte etiam fructum terrae obtulit, ut per hoc demonstraret quia ad hoc venerat ut illam maledictionem auferret, qua maledicta est terra propter peccatum primi hominis. Congruenter etiam iussit offerri quae de terra nascuntur et pro quibus homines maxime laborant, ut non esset difficultas in acquirendo, et homines de labore manuum suarum sacrificium Deo offerrent.

Ambrosius de sacramentis. ex hoc autem accipe anteriora esse mysteria christianorum quam iudaeorum. obtulit enim melchisedech panem et vinum, similis per omnia filio Dei, cui dicitur: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem melchisedech; de quo et hic dicitur accepit iesus panem.

Glossa. Quod de pane frumenti intelligi debet: grano enim frumenti se comparavit dominus dicens: nisi granum frumenti cadens in terram, etc. Talis etiam panis competit sacramento, quia eius usus est communior: nam alii panes propter eius defectum fiunt. Quia vero Christus usque ad ultimum diem demonstravit se non esse contrarium legi, ut supra ex verbis chrysostomi habitum est, in vespera vero quando pascha immolabatur secundum legis praeceptum azyma comedendum erat, et omne fermentatum abiciendum, manifestum est quod panis iste quem dominus accepit ut discipulis traderet, azymus fuit.

Gregorius in registro. Solet autem nonnullos movere quod in ecclesia alii offerunt panes azymos, alii fermentatos. ecclesia namque romana offert azymos panes, propterea quod dominus sine ulla commixtione suscepit carnem; aliae vero ecclesiae offerunt fermentatum pro eo quod verbum patris indutum est carne, et est verus Deus et verus homo: nam et fermentum commiscetur farinae; sed tamen tam azymum quam fermentatum dum sumimus, unum corpus domini nostri salvatoris efficitur.

Ambrosius de sacramentis. iste autem panis ante verba sacramentorum, panis est usitatus; ubi accesserit consecratio, de pane fit caro christi. consecratio autem quibus verbis est, et quibus sermonibus, nisi domini iesu? si enim tanta vis est in eius sermone ut inciperent esse quae non erant, quanto magis operatorius est ut sint quae erant, et in aliud commutentur? si enim operatus est sermo caelestis in aliis rebus, non operatur in caelestibus sacramentis? ergo ex pane corpus fit christi, et vinum fit sanguis consecratione verbi caelestis. modum requiris? accipe. Consuetudo est ut non generetur homo nisi ex viro et muliere: sed, quia voluit dominus, de spiritu sancto et virgine natus est Christus.

Augustinus de verb. Dom. Sicut ergo per spiritum sanctum vera caro sine coitu creatur, ita et per eundem substantia panis et vini, idest corpus christi et sanguis consecratur; et ideo quia verbo domini fit praedicta consecratio, subditur benedixit.

Remigius. Per hoc etiam monstravit quia humanam naturam, una cum patre et spiritu sancto, gratia divinae virtutis implevit, et aeternae immortalitatis munere ditavit. Sed ut monstraret quia corpus eius non absque sua voluntate subiectum erat passioni, subditur ac fregit.

Augustinus in lib. Sentent. Prosperi. Cum enim frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium

funditur, quid aliud quam dominici corporis immolatio in cruce, eiusque sanguinis effusio de latere designatur? dionysius in eccl. Hierar. In hoc etiam ostenditur quod unum et simplex Dei verbum per humanationem compositum et visibile ad nos pervenit, et ad se nostram societatem benigne peragens, spiritualium bonorum distributorum nos participes fecit: unde sequitur deditque discipulis suis.

Leo papa in serm. 7 de passione. Nec ab hoc quidem mysterio traditore submoto, ut ostenderetur iudas nulla iniuria exasperatus, qui impietate voluntaria erat praescitus.

Augustinus super iohannem. De uno enim pane et petrus accepit et iudas; sed petrus accepit ad vitam, iudas ad mortem.

Chrysostomus in Matth. Et hoc iohannes ostendit dicens, quoniam post haec intravit in eum satanas. Etenim maius ei peccatum est factum, et quoniam cum tali mente ad mysteria accessit, et quoniam cum accessisset, non factus est melior neque timore, neque beneficio, neque honore. Christus autem non prohibuit eum, quamvis omnia noverit, ut discas quoniam nihil dereliquit eorum quae in correptionem conveniunt.

Remigius. In hoc etiam facto reliquit exemplum ecclesiae, ut neminem a societate sui, neque a communione corporis et sanguinis domini segreget, nisi pro aliquo manifesto et publico crimine.

Hilarius in Matth. vel sine iuda, pascha, accepto calice et fracto pane, conficitur: dignus enim aeternorum sacramentorum communione non fuerat. Discessisse autem eum hinc intelligitur quod cum turbis reversus ostenditur. sequitur et ait: accipite et comedite.

Augustinus de verb. Dom. Invitat dominus servos, ut praeparet eis cibum seipsum. Sed quis audeat manducare dominum suum? et quidem quando manducatur reficit, sed non deficit: vivit manducatus, quia surrexit occisus; nec quando manducatur, partes de illo facimus; et quidem in sacramento sic fit. Norunt fideles quemadmodum manducant carnem christi: unusquisque partem suam accipit. per partes manducatur in sacramento, et integer manet: totus in caelo, totus in corde tuo. Ideo autem ista dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, et aliud intelligitur: quod videtur, habet speciem corporalem; quod intelligitur, fructum habet spiritualem.

Augustinus super iohannem. carnem autem christi non edamus tantum in sacramento, quod et multi mali faciunt; sed usque ad spiritus participationem manducemus, ut in domini corpore tamquam membra maneamus, ut eius spiritu vegetemur.

Ambrosius de sacramentis. Ante enim quam consecratur, panis est; ubi autem verba christi accesserint dicentis hoc est corpus meum, corpus christi est.

MATTHAEUS 26,27-29

5627 (Mt 26,27-29)

Remigius. Quia corpus suum sub specie panis dominus discipulis dederat, pulchre etiam calicem sui sanguinis tradit eisdem; unde dicitur et accipiens calicem, gratias egit; in quo demonstrat quantum de nostra salute gratuletur, pro quibus etiam sanguinem suum funderet.

Chrysostomus in Matth. Ideo etiam gratias egit ut nos doceret qualiter oporteret nos hoc mysterium perficere; et etiam monstravit quoniam ad passionem non venit nolens. erudit enim nos quodcumque patimur cum gratiarum actione ferre, et etiam ex hoc bonam spem nobis dedit. Si enim figura huius sacrificii, scilicet immolatio agni paschalis, facta est liberatio populi ab aegyptiaca servitute, multo magis veritas liberabit orbem terrarum. sequitur et dedit illis, dicens: bibite ex hoc omnes. Ne autem haec audientes turbarentur, primum ipse sanguinem suum bibit, inducens eos sine turbatione ad communionem mysteriorum.

Hieronimus contra helvidium. Sic igitur dominus iesus fuit conviva et convivium, ipse comedens et qui comeditur. sequitur hic est sanguis meus novi testamenti.

Chrysostomus in Matth. hoc est, annuntiationis legis novae: hoc enim promittebat vetus testamentum quod continet novum: sicut enim vetus testamentum habuit sanguinem vitulorum et ovium, ita novum habet sanguinem dominicum.

Remigius. Sic enim legitur, quia accepit moyses sanguinem agni, et misit in craterem, et intincto fasciculo hyssopi aspersit populum, dicens: hic est sanguis testamenti quod mandavit ad vos Deus.

Chrysostomus in Matth. Sanguinem autem nominans, et passionem suam praenuntiat, dicens qui pro multi effundetur. Et rursus dicit mortis causam, cum subdit in remissionem peccatorum, quasi dicat: sanguis agni in aegypto effusus est pro salute primogenitorum populi israelis, hic autem in remissionem peccatorum.

Remigius. Et notandum, quia non ait: pro paucis, aut: pro omnibus; sed pro multis; quia non venerat unam tantum gentem redimere, sed multos de omnibus gentibus.

Chrysostomus in Matth. Hoc autem dicens ostendit quod passio eius mysterium est salutis humanae, per quod etiam discipulos consolatur. Et sicut moyses ait: hoc erit vobis memoriale sempiternum, ita et ipse dixit, ut Lucas refert: hoc facite in meam commemorationem.

Remigius. Non solum autem panem, sed etiam vinum offerendum docuit, ut esurientes et sitientes iustitiam his mysteriis doceret esse recreandos.

Glossa. sicut enim corporalis refectio fit per cibum et potum, ita sub specie cibi et potus nobis spiritualem refecionem dominus praeparavit. Conveniens etiam fuit ad signandam dominicam passionem, ut sub duplici specie hoc sacramentum institueretur. in passione enim sanguinem suum effudit, et sic sanguis eius fuit a corpore separatus. Oportuit ergo ad dominicam passionem repraesentandam, seorsum proponi panem et vinum, quae sunt corporis et sanguinis sacramentum. Sciendum tamen est, quod sub utraque specie totus Christus continetur: sub specie quidem panis simul sanguis cum corpore, et sub specie vini simul corpus cum sanguine.

Ambrosius in epist. Ad corinth. ideo etiam in duabus speciebus celebratur: valet enim ad tuitionem corporis et animae quod percipimus. .

Cyprianus ad caecilium. Calix vero domini non est aqua sola et vinum solum, nisi utrumque misceatur; quomodo nec corpus domini potest esse farina sola, aut aqua sola, nisi utrumque fuerit adunatum.

Ambrosius de sacramentis. Si autem melchisedech panem et vinum obtulit, quid sibi vult aquae mixtio? accipe rationem. tetigit moyses petram, et petra undam maximam fudit; petra autem erat Christus, et unus de militibus lancea tetigit latus christi, et de latere eius aqua fluxit et sanguis; aqua ut mundaret, sanguis ut redimeret.

Remigius. Sciendum etiam, quod, ut iohannes dicit, aquae multae populi sunt. Et quia nos oportet semper manere in Christo, et Christum in nobis vinum aquae mixtum offertur, ut ostendatur quia caput et membra, idest Christus et ecclesia, unum sunt corpus; vel ut demonstretur quia nec Christus passus est absque amore nostrae redemptionis, nec nos salvari possumus absque illius passione.

Chrysostomus in Matth. quia vero de passione et cruce eis locutus erat, consequenter eum qui de resurrectione est sermonem inducit, dicens dico autem vobis; non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno patris mei. Regnum autem resurrectionem suam nominat. Ideo autem hoc de resurrectione dixit, quod scilicet cum apostolis esset bibiturus, ne aliqui existimarent phantasiam esse resurrectionem; et ideo persuadentes hominibus de christi resurrectione dixerunt: simul comedimus et bibimus cum eo, postquam resurrexit a mortuis. per hoc ergo ostendit quod videbunt eum suscitatum, et cum ipsis rursus erit. quod autem dicit novum, clare intelligendum est nove, idest novo modo, non quasi corpus passibile habens, et indigens cibo: non enim post resurrectionem comedit et bibit quia cibo indigeret, sed propter resurrectionis certitudinem. Quia vero sunt quidam haeretici in sacris mysteriis aqua utentes, non vino, demonstrat per haec verba quoniam et cum sacra mysteria tradidit, vinum dedit, quod et resuscitatus bibit: propter hoc dicit ex hoc genimine vitis; vitis enim vinum, non aquam generat.

Hieronymus. Vel aliter. De carnalibus dominus transit ad spiritualia. Quod vinea de aegypto transplantata populus sit israel, sacra scriptura testatur. Dicit ergo dominus se de hac vinea nequaquam esse bibiturum, nisi in regno patris. Regnum patris fidem puto esse credentium. Ergo cum iudaei regnum receperint patris, tunc de vino eorum dominus bibet. Attende autem quod dicat patris, et non Dei; omnis enim pater nomen est filii; ac si diceret: cum crediderint in Deum patrem, et adduxerit eos pater ad filium.

Remigius. vel aliter. Non bibam de genimine vitis huius; idest, non ultra synagogae carnalibus oblationibus delectabor, in quibus illa paschalis agni immolatio praecipuum locum tenere solebat. aderit autem tempus

meae resurrectionis, et dies in quo in regno patris constitutus, idest gloria aeternae immortalitatis sublimatus, vobiscum illud bibam novum, hoc est de salvatione illius populi iam renovati per aquam baptismatis, quasi novo gaudio laetabor.

Augustinus de quaest. Evang. Vel aliter. Cum dicit bibam illud novum, vult intelligi hoc vetus esse. Quia ergo de propagine adam, qui vetus homo appellatur, corpus suscepit, quod in passione morti traditurus erat (unde etiam per vini sacramentum commendavit sanguinem suum)., quid aliud novum vinum quam immortalitatem renovandorum corporum intelligere debemus? quod autem dicit vobiscum bibam, etiam ipsis resurrectionem corporum ad induendam immortalitatem promittit: vobiscum enim non ad idem tempus, sed ad eandem innovationem esse dictum accipiendum est: nam et nos dicit apostolus resurrexisse cum Christo, ut spes rei futurae iam laetitiam praesentem afferat. quod autem de hoc genimine vitis etiam illud novum esse dicit, significat utique eadem corpora resurrectura secundum innovationem caelestem, quae nunc secundum terrenam vetustatem sunt moritura.

Hilarius in Matth. Videtur autem ex hoc quod iudas cum eo non biberit, quia non erat bibiturus in regno: cum universos tunc bibentes ex vitis istius fructu, bibituros secum postea polliceretur.

Glossa. Sed sustinendo aliorum sanctorum sententiam, quod scilicet iudas sacramenta receperit a Christo, dicendum est, quod hic dicit vobiscum, ad plures eorum, non ad omnes referendum esse.

MATTHAEUS 26,30-35

5630 (Mt 26,30-35)

Origenes in Matth. Discipulos qui acceperant benedictionis panem, et biberant calicem gratiarum actionis, docebat dominus pro his omnibus hymnum dicere patri; unde dicitur et hymno dicto exierunt in montem oliveti: ut de alto transirent ad altum, quia fidelis non potest aliquid agere in convalle.

Chrysostomus in Matth. Audiant quicumque, veluti porci, simpliciter manducantes cum ebrietate surgunt, cum deceret gratias agere, et in hymnum mensam desinere. Audiant quicumque ultimam orationem in sacris mysteriis non expectant: ultima enim oratio missae illius hymni est signum. Gratias ergo egit antequam sacra mysteria discipulis daret, ut et nos gratias agamus; hymnum dixit postquam dedit, ut et nos hoc ipsum faciamus.

Hieronymus. iuxta hoc exemplum salvatoris, qui pane christi et calice saturatus et inebriatus fuerit, potest laudare Deum, et conscendere montem oliveti, ubi laborum refectio dolorisque solatium et veri luminis notitia est.

Hilarius in Matth. Per hoc etiam ostendit quod homines consummati in universis divinatorum mysteriorum virtutibus, gaudio exultationeque communi in caelestem gloriam efferuntur.

Origenes in Matth. Apte etiam mons misericordiae est electus, ubi pronuntiaturus fuit scandalum infirmitatis discipulorum, iam tunc paratus ut non repelleret discipulos discedentes, sed ut reciperet revertentes; unde sequitur tunc dixit illis iesus: omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.

Hieronymus. praedicit quidem quod passuri sunt, ut cum passi fuerint non desperent salutem, sed agentes poenitentiam, liberentur.

Chrysostomus in Matth. In quo etiam docet nos, quales ante crucem fuerunt discipuli, et quales post crucem. etenim qui neque cum Christo, dum crucifigebatur, stare poterant, post mortem christi adamante fuerunt fortiores. Fuga enim discipulorum et timor demonstratio est mortis christi, ut confundantur qui haeresi marcionis aegrotant. Si enim neque ligatus est, neque crucifixus, unde petro et reliquis apostolis incussus est tantus timor? .

Hieronymus. Et signanter addit in ista nocte: quia quomodo qui inebriantur, nocte inebriantur, sic et qui scandalum patiuntur, in nocte et tenebris sustinent.

Hilarius in Matth. Huius etiam praedictionis fides auctoritate prophetiae veteris continebatur; unde sequitur scriptum est enim: percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.

Hieronymus. hoc aliis verbis in zacharia propheta scriptum est, et ex persona prophetae ad Deum dicitur:

percute pastorem, et dispergentur oves. Percutitur autem pastor bonus, ut ponat animam suam pro ovibus suis, et de multis gregibus errantium fiat unus grex, et unus pastor.

Chrysostomus in Matth. Hanc autem prophetiam inducit, simul quidem suadens eis attendere semper quae scripta sunt, simul etiam ostendens quoniam secundum Dei consilium crucifigebatur, et undique monstrans non alienum se esse a veteri testamento qui in eo praenuntiabatur. Non autem permisit eos in tristibus permanere; sed et laeta praenuntiat, dicens postquam autem resurrexero, praecedam vos in galilaeam: non enim confestim post resurrectionem in caelo eis apparuit, neque in longam quamdam regionem, ut eis appareat, vadit; sed in ipsa gente et in ipsis fere regionibus: ut et hinc crederent quoniam qui crucifixus est ipse est qui resurrexit. Propter hoc etiam se in galilaeam abire dicit, ut a timore iudaeorum liberati crederent ei quod dicebatur.

Origenes in Matth. Praedicat etiam hoc eis, ut qui ad modicum disperguntur, scandalum passi, post congregentur a resurgente Christo et praecedente eos in galilaeam gentium.

Hilarius in Matth. Sed petrus intantum et affectu et caritate christi efferebatur ut et imbecillitatem carnis suae et fidem verborum domini non contueretur, quasi dicta eius efficienda non essent; unde sequitur respondens petrus ait illi: et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor.

Chrysostomus in Matth. Quid ais, o petre? propheta dicit: dispergentur oves, et Christus confirmavit quod dictum est, et tu dicis: nequaquam. quando dixit: unus ex vobis me tradet, timebas ne tu esses traditor, quamvis nihil tibi tale conscius eras; nunc autem, manifeste eo dicente quoniam omnes scandalizabimini, contradicis. Sed quia erutus erat ab anxietate quam de prodicione habuerat, confidens de reliquo, dicebat ego nunquam scandalizabor.

Hieronymus. Non tamen est temeritas nec mendacium, sed fides est apostoli petri, et ardens affectus erga dominum salvatorem.

Remigius. quod ergo ille dicit praeviendo, iste denegat amando; ubi moraliter instruimur ut quantum confidimus de arbore fidei, tantum timeamus de carnis fragilitate. Videtur tamen accusabilis petrus, et quoniam contradixit, et quoniam aliis seipsum praeposuit, et tertio quoniam totum sibi attribuit, quasi fortiter esse perseveraturus. ut hoc igitur in eo sanaret, permisit fieri eius casum, non impellens eum ad negandum, sed eum sibi deserens, et naturam humanam de fragilitate convincens.

Origenes in Matth. Unde alii discipuli scandalizati sunt in iesu, petrus autem non solum scandalizatur, sed abundantius relinquitur ut ter denegaret; unde sequitur ait illi iesus: amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis.

Augustinus de cons. Evang. potest autem movere quod tam diversa non tantum verba, sed etiam sententias evangelistae praemittunt, quibus praemonitus petrus, illam praesumptionem proferret, vel cum domino vel pro domino moriendi; ita ut cogant intelligibiliter eum expressisse praesumptionem suam diversis locis sermonis christi, et ter illi a domino responsum, quod eum esset ante galli cantum ter negaturus: sicut etiam post resurrectionem ter illum interrogat utrum illum amet, et mandatum de pascendis ovibus ter praecipit. Quid enim habent haec verba Matthaei vel sententiae simile illis vel quibus secundum iohannem, vel quibus secundum lucam petrus protulit praesumptionem suam? Marcus autem pene ipsis verbis hoc commemorat quibus et Matthaeus, nisi quod distinctius quemadmodum futurum esset, expressit dictum esse a domino: amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac priusquam bis gallus vocem dederit, ter me es negaturus. unde nonnullis, qui parum attendunt, Marcus videtur non congruere ceteris: tota enim negatio petri trina est; quae si post primum galli cantum inciperet, falsum dixisse viderentur tres evangelistae, qui dicunt dixisse dominum, quod antequam gallus cantaret, eum petrus esset negaturus. rursus si totam trinam negationem ante peregisset quam cantare gallus inciperet, superfluo dixisse Marcus deprehenderetur ex persona domini: priusquam gallus bis vocem dederit, ter me es negaturus. Sed quia ante primum galli cantum coepta est illa trina negatio, attenderunt tres evangelistae non quando eam completurus esset petrus, sed quanta futura esset, et quando incepta, idest ante galli cantum: quamquam in anima eius et ante primum galli cantum tota possit intelligi, quoniam ante galli cantum tantus timor obsederat mentem, qui eam posset usque ad tertiam negationem perducere. Multo minus igitur movere debet quia trina negatio, etiam trinis negantis vocibus, ante galli cantum coepta, etsi non ante primum galli cantum peracta est; tamquam si alicui diceretur: antequam gallus cantet, ad me scribes epistolam, in qua mihi ter conviciaberis: non utique si eam ante omnem galli cantum scribere inciperet, et post primum galli cantum finiret; ideo dicendum erat falsum fuisse praedictum.

Origenes in Matth. Quaeres autem si possibile erat ut non scandalizaretur petrus, semel salvatore dicente: omnes vos scandalum patiemini in me. Ad quod aliquis respondebit, quoniam necesse erat fieri quod

praedictum erat a iesu; alius autem dicet, quoniam qui exoratus a ninivitis, quae praedixerat per ionam non fecit, possibile fuit ut repelleret etiam scandalum a petro deprecante. Nunc autem promissio eius audax in affectu quidem prompto, non tamen prudenti, facta est ei causa ut non solum scandalizaretur, verum etiam ter denegaret. Postquam autem cum affirmatione iuramenti pronuntiavit, dicet aliquis quod non erat possibile ut non denegaret. Si enim iuramentum erat christi amen, mentitus fuisset dicendo amen dico tibi, si verum dixisset petrus, quia non te negabo. Videntur autem mihi ceteri discipuli cogitantes quod primum fuerat dictum: omnes vos scandalum patiemini. ad hoc autem quod dictum est petro amen dico tibi, promiserunt similiter petro, quia non erat comprehensi in illa prophetia; unde sequitur ait illi petrus: etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt. Hic etiam petrus, nescit quid loquatur: cum iesu enim mori pro omnibus moriente hominum non erat: quoniam omnes fuerant in peccatis, et omnes opus habebant ut pro eis alius moreretur, non ipsi pro aliis.

Rabanus. Sed quia intellexerat petrus dominum, prae timore mortis eum se praedixisse negaturum, ob hoc dicebat, quod licet periculum immineret mortis, nullo modo ab eius fide posset avelli; et similiter alii apostoli per ardorem mentis non timuerunt damnum mortis; sed vana fuit praesumptio humana sine protectione divina.

Chrysostomus in Matth. Hinc ergo magnum discimus dogma: quia non sufficit desiderium hominis, nisi divino aliquis potiatur auxilio.

MATTHAEUS 26,36-38

5636 (Mt 26,36-38)

Remigius. Paulo superius evangelista dixerat, quia hymno iam dicto, exiit cum discipulis in montem oliveti; et ut ostenderet ad quem locum ipsius montis diverterit, consequenter adiunxit tunc venit iesus cum illis in villam quae dicitur gethsemani.

Rabanus. Lucas dicit: in montem oliveti; Ioannes: trans torrentem cedron, quod idem est quod gethsemani: et est locus, in quo oravit ad radicem montis oliveti, ubi hortus est, ubi etiam ecclesia est aedificata.

Hieronymus. Gethsemani interpretatur vallis pinguissima, in qua iussit discipulos sedere paulisper, et expectare redeuntem, donec pro cunctis dominus solus oraret.

Origenes in Matth. Non enim conveniebat ut ibi caperetur ubi cum discipulis manducaverat pascha; conveniebat autem et priusquam proderetur orare, et eligere locum mundum ad orationem; unde sequitur et dixit discipulis suis: sedete hic donec vadam illuc, et orem.

Chrysostomus. Hoc autem dicit, quia discipuli indivisibiliter sequebantur Christum; consuetudo enim ei erat sine discipulis orare; hoc autem faciebat erudiens nos in orationibus quietem nobis constituere, et solitudinem quaerere. damascenus de fide orth. sed cum oratio sit ascensus intellectus ad Deum, vel petitio decentium a Deo, qualiter dominus orabat? neque enim ascensione quae ad Deum est, indigebat intellectus eius, semel secundum personam Deo verbo unitus; neque etiam ea quae a Deo est petitio: unus enim Deus et homo Christus est. Sed formans in seipso quod nostrum est, docuit nos a Deo patre petere, et ad ipsum extendi: sicut enim passiones sustinuit, ut triumphans adversus eas victoriam nobis tribueret, ita orat, nobis viam faciens ad eam quae ad Deum est ascensionem, et pro nobis omnem iustitiam implens, et reconcilians nobis patrem suum; et ut principium ipsum honorans, et monstrans quod non est Deo contrarius.

Remigius. Cum autem dominus in monte oravit, docuit nos in oratione pro caelestibus dominum supplicare: cum vero in villa oravit, nos instruxit ut in oratione semper humilitatem servare studeamus.

Rabanus. pulchre autem appropinquans passioni, in valle pinguedinis orasse dicitur, ut demonstraret quod per vallem humilitatis et pinguedinem caritatis mortem pro nobis susceperit. moraliter etiam nos instruxit ut non gestemus cor aridum a pinguedine caritatis.

Remigius. Appropinquans morti dominus, in valle pinguedinis oravit: quia per vallem humilitatis et pinguedinem caritatis pro nobis mortem subiit. Quia vero fidem discipulorum et constantiam devotae sibi voluntatis acceperat; sed turbandos illos et dispergendos praesciebat: ideo iussit eos in loco sedere: nam sedere requiescentis est: laboraturi enim erant eum negaturi. Qualiter autem progressus sit, manifestat cum subiungitur et assumpto petro, et duobus filiis **zebedaei**, coepit contristari et moestus esse. Illos videlicet

assumpsit quibus in monte claritatem suae maiestatis ostenderat.

Hilarius in Matth. Sed quia dicit coepit contristari et moestus esse, haeticorum omnis hic sensus est ut opinentur metum mortis in Dei filium incidisse, quia asserunt non de aeternitate prolatum, neque de infinitate paternae substantiae extitisse, sed ex nihilo per eum qui omnia creavit, effectum; et ideo in eo doloris anxietas, ideo metus mortis: ut qui mortem timere potuit, et mori possit; qui vero mori potuit, licet in futurum erit, non tamen per eum qui se genuit ex praeterito, sit aeternus. Quod si per fidem capaces evangeliorum essent, scirent verbum in principio Deum, et hoc in principio apud Deum, et eandem esse aeternitatem gignentis et geniti. Sed si virtutem illam incorruptae substantiae, imbecillitatis suae sorte assumptio carnis infecerit, ut sit ad dolorem infirma, ad mortem trepida, iam et corruptioni subdita erit; ac sic aeternitate demutata in metum, hoc quod in ea est poterit aliquando non esse. Deus autem sine mensura temporum semper est, et qualis est, talis semper aeternus est. Mori igitur nihil in Deo potuit, nec ex se metus Deo ullus est.

Hieronymus. nos autem ita dicimus hominem passibilem a Deo filio susceptum ut deitas impassibilis permaneret. Passus est enim Dei filius non putative, sed vere, omnia quae scriptura testatur, secundum illud quod pati poterat; secundum scilicet substantiam assumptam.

Hilarius de trin. puto autem non alia hic ad timendum quam passionis et mortis causa a quibusdam praetenditur. Interrogo autem eos qui hoc ita existimant, an ratione subsistat ut mori timuerit qui omnem ab apostolis timorem mortis expellens ad gloriam eos sit martyrii adhortatus: quid enim ipse in mortis sacramento doluisse existimandus est qui pro se morientibus vitam rependit? deinde quem dolorem mortis timeret, potestatis suae liberate moriturus? si etiam passio honorificatura eum erat, quomodo tristem eum metus passionis effecerat? .

Hilarius in Matth. quia ergo moestum dominum fuisse legimus, causas moestitiae reperiamus. Admonuerat superius omnes scandalizandos; petrum etiam dominus ter negaturum esse respondit: assumptisque eo et iacobo et iohanne, coepit tristis esse. Ergo non ante tristis est quam assumit sed omnis metus illis esse coepit assumptis: atque ita non de se orta est, sed de eis quos assumpserat, moestitudo.

Hieronymus. Contristabatur ergo dominus non timore patiendi, qui ad hoc venerat ut pateretur, et petrum temeritatis arguerat, sed propter infelicissimum iudam, et scandalum omnium apostolorum, et reiectionem vel reprobationem populi iudaeorum, et eversionem miserae ierusalem. Damascenus de fide orth. Vel aliter. Omnia quae non ante ad esse deducta sunt a conditore, existendi naturaliter desiderium habent, et non existere naturaliter fugiunt. Deus igitur verbum homo factus habuit hoc desiderium, quo desideravit escam et potum et somnum, quibus scilicet conservatur vita, et naturaliter experientia horum usus est, et e contrario, corruptiva reformidavit; unde et tempore passionis, quam voluntarie sustinuit, habuit mortis timorem naturalem et tristitiam: est enim timor naturalis quo anima non vult dividi a corpore, propter naturalem familiaritatem quam ei a principio conditor rerum imposuit.

Hieronymus. Dominus ergo noster, ut veritatem assumpti probaret hominis, vere quidem contristatus est; sed ne passio in animo illius dominaretur, per passionem coepit contristari: aliud est enim contristari, et aliud incipere contristari.

Remigius. Destruuntur autem in hoc loco manichaei, qui dixerunt illum phantasticum corpus assumpsisse; nihilo minus et illi qui dixerunt eum veram animam non habuisse, sed loco animae divinitatem.

Augustinus in lib. 83 quaest. habemus enim evangelistarum narrationes, per quas Christum et natum de beata virgine maria cognovimus, et comprehensum a iudaeis, et flagellatum et crucifixum atque interfectum, et sepultum in monumento: quae omnia intelligere sine corpore nemo potest facta esse; nec figurate accipienda quisquam vel dementissimus dixerit, cum dicta sint ab eis qui res gestas ut meminerant narraverunt. Sic ergo isti corpus eum habuisse testantur, sicut et eum habuisse indicant animam affectiones illae quae non possunt esse nisi in anima; quas nihilominus eisdem evangelistis narrantibus legimus: et miratus est iesus, et iratus, et contristatus.

Augustinus de Civ. Dei. Cum ergo in evangelio ista referuntur, non falso utique referuntur; verum ille hos motus certissimae dispensationis gratia ita cum voluit suscepit animo humano, ut cum voluit factus est homo. habemus quidem et nos huiusmodi affectus ex humanae conditionis infirmitate; non autem ita dominus iesus, cuius infirmitas fuit ex potestate. Damascenus de fide orth. Quapropter naturales nostrae passiones secundum naturam et supra naturam fuerunt in Christo: secundum naturam enim, quia permittebat carni pati quae propria; super naturam autem, quia non praecedebant in eo voluntatem naturalia; nihil enim coactum in Christo consideratur, sed omnia voluntaria: volens enim esurivit, volens

timuit et contristatus est. Et ideo de manifestatione tristitiae subditur tunc ait illis: tristis est anima mea usque ad mortem.

Ambrosius super lucam. tristis autem est non ipse, sed anima: non enim tristis sapientia, non divina substantia, sed anima: suscepit enim animam meam, suscepit corpus meum.

Hieronymus. Non autem propter mortem, sed usque ad mortem dicitur contristatus, donec apostolos sua liberet passione. Dicant qui irrationabilem iesum sumpsisse animam suspicantur, quomodo contristetur, et noverit tempus tristitiae: quamvis enim et bruta moereant animalia, tamen non noverunt nec causas, neque tempus usque ad quod debeant contristari.

Origenes in Matth. Vel aliter. Tristis est anima mea usque ad mortem; quasi dicat: tristitia coepta est in me, non semper, sed usque ad tempus mortis; ut cum mortuus fuero peccato, moriar et universae tristitiae, cuius principium tantum fuit in me. sequitur sustinete hic, et vigilate mecum; ac si dicat: ceteros quidem iussi sedere ibi, quasi infirmiores, ab agone isto servans eos securos; vos autem quasi firmiores adduxi, ut collaboretis mecum in vigiliis et orationibus: tamen et vos manete hic, ut unusquisque in gradu suae vocationis consistat: quoniam omnis gratia, quamvis fuerit magna, habet superiorem.

Hieronymus. Vel ideo a somno prohibet, cuius tempus non erat imminente discrimine; sed a somno infidelitatis et torpore mentis.

MATTHAEUS 26,39-44

5639 (Mt 26,39-44)

Origenes in Matth. Petrum magis de se confidentem et alios adduxit, ut videant cadentem in faciem et orantem, et discant non magna sed humilia de se sapere, nec veloces esse ad promittendum, sed solliciti ad orandum; et ideo dicitur et progressus pusillum: nolebat enim longe fieri ab eis, sed iuxta eos constitutus orare: et qui dixerat: discite a me quia mitis sum et humilis corde, laudabiliter se humilians cadit in faciem; unde sequitur procidit in faciem suam orans, et dicens: mi pater, si possibile est, transeat a me calix iste. Manifestans autem in oratione sua devotionem, quasi dilectus et complacens dispositioni patris, addidit verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu: docens, ut non oremus fieri nostram voluntatem, sed Dei. Secundum autem quod coepit pavere et tristari, secundum hoc orat calicem passionis transire; et non sicut ipse vult, sed sicut pater; hoc est, non secundum substantiam eius divinam et impassibilem, sed secundum naturam humanam et infirmam: suscipiens enim naturam carnis humanae, omnes proprietates implevit, ut non in phantasia habuisse carnem aestimaretur sed in veritate. Proprium est autem hominis fidelis primum quidem nolle pati aliquid doloris, maxime quod ducit usque ad mortem, quia homo carnalis est; si autem sic voluerit Deus, acquiescere, quia fidelis est: nam sicut multum confidere non debemus, ne nostram virtutem videamur profiteri, sic diffidere non debemus, ne Dei adiutoris nostri impotentiam videamur pronuntiare. Notandum et autem, quoniam Marcus quidem et Lucas hoc ipsum scripserunt; Ioannes autem orantem iesum, ut transiret ab eo calix, non introducit: quoniam hi quidem magis secundum humanam naturam eius exponunt de eo quam secundum divinam; Ioannes autem magis secundum divinam. aliter autem iesus videns qualia erant iudaei passuri petentes eum ad mortem, dicebat pater, si possibile est, transeat a me calix iste.

Hieronymus. Unde signanter dicit calix iste, hoc est populi iudaeorum, qui excusationem ignorantiae habere non possunt si me occiderint, habentes legem et prophetas, qui me vaticinantur.

Origenes in Matth. Rursus videns quanta utilitas totius mundi esset futura per passionem ipsius, dicebat sed non sicut ego volo, sed sicut tu; idest, si possibile est ut sine passione mea omnia ista bona proveniant, quae per passionem meam sunt proventura, transeat passio haec a me, ut et mundus salvetur, et iudaei in passione mea non pereant. Si autem sine perditione quorundam, multorum salus non potest introduci, quantum ad iustitiam tuam, non transeat. Calicem autem hunc qui bibitur, passionis in multis locis nominat scriptura. Bibit autem calicem totum qui patitur pro testimonio quicquid fuerit ei illatum. Effundit autem accipiens qui denegat, ne aliquid patiatur.

Augustinus de cons. Evang. Et ne quis eum putaret patris minuisse potestatem, non dixit: si facere potes; sed si fieri potest, vel si possibile est; ac si diceretur: si vis. Fieri enim potest quod ille voluerit; unde et Lucas hoc ipsum planius intimavit; non enim ait si fieri potest, sed: si vis.

Hilarius in Matth. vel aliter. Non ait transeat a me calix iste: haec enim esset pro se timentis oratio. quod

autem ut a se transeat rogat, non ut ipse praetereatur orat, sed ut in alterum illud quod a se transit, accedat. Totus igitur supra eos qui passuri erant metus est; atque ideo pro his orat qui passuri post se erant, dicens transeat calix a me; idest, quomodo a me bibitur, ita ab his bibatur, sine spei differentia, sine sensu doloris, sine metu mortis. Ideo autem ait si possibile est, quia carni et sanguini horum terror est; et difficile est eorum acerbitate corpora non vinci humana. Quod autem ait non sicut ego volo, sed sicut tu, vellet quidem eos non pati, ne forte in passione diffidant, si cohereditatis suae gloriam sine passionis suae difficultate mereantur. Non ergo ut non patientur rogat, dicens non ut ego volo; sed ut tu, ait, eo quod pater vult ut bibendi calicis in eos ex ipso transeat fortitudo: quia ex voluntate patris non tam per Christum vinci diabolum, quam etiam per eius discipulos oportebat.

Augustinus in enchir. Sic igitur Christus hominem gerens ostendit privatam quamdam hominis voluntatem: in qua et suam et nostram figuravit, qui caput nostrum est, cum dicit transeat a me. Haec enim erat humana voluntas proprium aliquid tamquam privatam volens. Sed quia rectum vult esse hominem et ad Deum dirigi, subdit verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu: ac si diceret: vide te in me, quia potes aliquid proprium velle; et si Deus aliud velit, conceditur hoc humanae fragilitati.

Leo papa in serm. 7 de passione. haec vox capitis, salus est totius corporis; haec vox omnes fideles instruit, omnes confessores accendit, omnes martyres coronavit: nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus et pro omnibus patri diceret: fiat voluntas tua? discant igitur hanc vocem omnes ecclesiae filii; ut cum adversitas violentae alicuius tentationis incumbit, superato timore formidinis, accipiant tolerantiam passionis.

Origenes in Matth. Pusillum autem progrediente iesu ab eis, nec una hora potuerunt vigilare eo absente: propter quod oremus, ut nec modicum aliquando iesus progrediatur. sequitur et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes.

Chrysostomus in Matth. Quia tempus intempestae noctis erat, et oculi eorum a tristitia erant gravati.

Hilarius in Matth. postquam ergo ad discipulos redit, et dormientes deprehendit, petrum arguit; unde sequitur et dicit petro: sic non potuisti una hora vigilare mecum? petrum ideo prae omnibus ex tribus arguit, quia prae ceteris non se scandalizandum fuerat gloriatus.

Chrysostomus in Matth. sed quia et alii idem dixerunt, omnium etiam infirmitatem arguit: qui enim mori simul cum Christo elegerant, neque simul cum eo potuerunt vigilare.

Origenes in Matth. Inveniens autem eos dormientes, suscitatur verbo ad audiendum, et praecipit vigilare, dicens vigilate et orate, ne intretis in tentationem: ut primum vigilemus, et sic vigilantes oremus. vigilat qui facit opera bona, et qui sollicito agit ne in aliquid tenebrosum dogma incurrat: sic enim vigilantis exauditur oratio.

Hieronymus. Impossibile est humanam animam non tentari. Ergo non ait vigilate et orate ne tentemini, sed ne intretis in tentationem; hoc est ne vos tentatio superet.

Hilarius in Matth. cur autem ne in tentationem venirent admonere eos voluisset orare, ostendit dicens spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Non enim de se hoc dicit: ad eos enim hic sermo conversus est.

Hieronymus. hoc autem est adversus temerarios, qui quod crediderint putant se posse consequi. Itaque quantum de ardore mentis confidimus, tantum de fragilitate carnis timeamus.

Origenes in Matth. hic considerandum est utrum sicut omnium caro infirma est, sic omnium spiritus promptus est; an omnium quidem caro infirma est, non autem et omnium hominum spiritus promptus est, sed tantum sanctorum; infidelium autem spiritus segnus est, et caro infirma. Est autem et alio modo caro infirma eorum solum quorum spiritus promptus est, qui cum spiritu prompto opera carnis mortificant. Hos ergo vult vigilare et orare, ut non intrent in tentationem; quoniam qui spiritualior est, sollicitior debet esse, ne magnum bonum ipsius gravem habeat lapsum.

Remigius. vel aliter. His verbis ostendit se veram carnem ex virgine sumpsisse, et veram animam habuisse; unde et nunc dicit spiritum suum promptum esse ad patiendum, carnem vero infirmam timere dolorem passionis. sequitur iterum secundo abiit, et oravit dicens: pater mi, si non potest calix iste transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Origenes in Matth. Aestimo quod calix ille passionis omnino a iesu fuerat transiturus, sed cum differentia:

ut si quidem biberet eum, et ab ipso transiret, postmodum et ab universo genere hominum; si autem non biberet eum, ab ipso quidem forsitan transiret, ab hominibus autem non transiret. Hunc ergo calicem passionis volebat quidem a se transire, sic ut omnino neque gustaret amaritudinem eius: si tamen possibile esset, quantum ad iustitiam Dei. Si autem non poterat fieri, magis volebat ut sumeret eum, et sic transiret ab eo et ab universo hominum genere, quam ut contra voluntatem paternam, bibitionem eius effugeret.

Chrysostomus in Matth. Quod quidem secundo vel tertio orat, ex affectu scilicet humanae infirmitatis, quo mortem timebat, certificat quod vere factus est homo. Secundo enim vel tertio aliquid fieri, veritatis est maxime demonstrativum in scripturis: unde ioseph dixit pharaoni: quod vidisti secundo ad eam rem pertinens, somnii firmitatis indicium est.

Hieronymus. Vel aliter. Secundo orat, ut si ninive, idest gentilitas, aliter salvari non potest nisi aruerit cucurbita, idest iudaea, fiat voluntas patris, quae non est contraria filii voluntati, dicente ipso per prophetam: ut facerem voluntatem tuam, Deus meus, volui.

Hilarius in Matth. vel aliter. Passuris discipulis omnem in se corporis nostri infirmitatem assumpsit; crucique secum universa quibus infirmamur affixit: et ideo transire ab eo calix non potest, nisi illum bibat, quia pati, nisi ex eius passione, non possumus.

Hieronymus. Christus autem solus orat pro omnibus, sicut et solus patitur pro universis; sequitur enim et venit iterum, et invenit eos dormientes; erant enim oculi eorum gravati. Languescebant enim et opprimebantur apostolorum oculi negatione vicina.

Origenes in Matth. puto enim quod non tantum corporum oculi quantum animarum gravati erant: nondum enim erat eis spiritus datus; unde non eos reprehendit, sed vadens iterum oravit, docens ut non deficiamus, sed permaneamus in oratione, donec impetremus ea quae postulare iam coepimus; unde sequitur et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio, eundem sermonem dicens.

Hieronymus. Tertio autem oravit, ut in ore duorum vel trium testium staret omne verbum.

Rabanus. Vel ideo tribus vicibus dominus oravit, ut nos a peccatis praeteritis veniam, et praesentibus malis tutelam, et futuris periculis cautelam oremus, et ut omnem orationem ad patrem et ad filium et ad spiritum sanctum dirigamus: et ut integer spiritus noster et anima et corpus servetur.

Augustinus de quaest. Evang. Non absurde etiam intelligitur propter trinam tentationem passionis ter dominum orasse. Sicut enim tentatio cupiditatis trina est, ita tentatio timoris trina est. Cupiditati quae in curiositate est, opponitur timor mortis: sicut enim in illa cognoscendarum rerum est aviditas, ita et in ista metus amittendae talis notitiae. cupiditati vero honoris vel laudis opponitur timor ignominiae, et contumeliarum. cupiditati autem voluptatis opponitur timor doloris.

Remigius. Vel ter orat pro apostolis, et maxime pro petro, qui ter erat eum negaturus.

MATTHAEUS 26,45-46

5645 (Mt 26,45-46)

Hilarius in Matth. Post orationem frequentem, post discursus recursusque multiplices, metum demit, securitatem reddit, in requiem adhortatur; unde dicitur tunc venit ad discipulos suos, et ait illis: dormite iam et requiescite.

Chrysostomus in Matth. et quidem tunc vigilare oportebat; sed hoc dixit, ut ostenderet quoniam neque visum possent ferre futurorum malorum, et quoniam eorum non indiget auxilio: et quoniam omnino tradi eum oportebat.

Hilarius in Matth. Vel hoc dicit, quia voluntatem patris de discipulis iam securus expectabat, de qua dixerat: fiat voluntas tua; qua scilicet transiturum in nos calicem bibens, infirmitatem corporis nostri, et timoris sollicitudinem, et ipsum dolorem mortis absorbit.

Origenes in Matth. Vel non est ille ipse somnus quem iubet nunc discipulos suos dormire, et ille qui eis superius scribitur contigisse. Illic enim dormientes invenit, non requiescentes, sed gravatos oculos habentes: nunc autem praecepit eis non simpliciter dormire, sed cum requie; ut ordo servetur, ut primum

quidem vigilemus orantes, ut non intremus in tentationem; ut postea dormiamus et requiescamus; ut cum aliquis invenerit locum domino, tabernaculum Deo iacob, ascendat supra lectum stratus sui, et det somnum oculis suis. Forsitan autem et anima non potens semper sufferre labores, quasi incarnata, remissiones aliquas sine reprehensione consequetur: quae moraliter dormitiones dicuntur, ut usque ad aliquantum temporis habens remissionem renovata resuscitetur.

Hilarius in Matth. quod autem ad eos revertens, dormientesque reperiens, primum reversus obiurgat, secundo silet, tertio quiescere iubet: ratio ista est, quod primum post resurrectionem dispersos eos et diffidentes ac trepidos reprehendit; secundo, misso spiritu paraclito, gravatis ad contuendam evangelii libertatem oculis, visitavit: nam aliquamdiu legis amore detenti, quodam fidei somno occupati sunt; tertio vero, idest claritatis suae reditu, securitati eos quietique restituet.

Origenes in Matth. postquam autem resuscitavit eos a somno, videns in spiritu appropinquantem iudam traditioni, qui nondum videbatur a discipulis eius, dicit ecce appropinquavit hora, et filius hominis tradetur in manus peccatorum.

Chrysostomus in Matth. Per hoc autem quod dicit appropinquavit hora, ostendit quoniam divinae dispositionis erat quod gerebatur: per hoc autem quod dicit in manus peccatorum, demonstrat quoniam illorum nequitiae hoc opus erat, non quod ipse delicto esset obnoxius.

Origenes in Matth. Sed et nunc in manus peccatorum traditur iesus; quando hi qui videntur iesum credere, habent eum in manibus suis, cum sint peccatores. Sed et quotiescumque iustus habens in se iesum, in potestate factus fuerit peccatorum, iesus est traditus in manus peccatorum.

Hieronymus. Postquam ergo tertio oraverat, et apostolorum timorem sequente poenitentia impetraverat corrigendum, securus de passione sua pergat ad persecutores, et ultro se ad interficiendum praebet; unde sequitur surgite, eamus, quasi dicat: non vos inveniant quasi timentes: ultro pergamus ad mortem, ut confidentiam et gaudium passuri videant; sequitur enim ecce appropinquavit qui me tradet.

Origenes in Matth. Non dicit: appropinquavit mihi: nec enim ipsi appropinquabat traditor eius, qui se elongaverat peccatis suis ab eo.

Augustinus de cons. Evang. Videtur autem hic sermo secundum Matthaeum sibi ipsi esse contrarius. Quomodo enim dixit dormite iam et requiescite, cum connectat surgite, eamus? qua velut repugnantia quidam commoti conantur ita pronuntiare quod dictum est dormite iam, et requiescite, tamquam ab exprobrante, non a permittente sit dictum; quod recte fieret, si esset necesse. Cum vero Marcus ita commemoravit, ut cum dixisset: dormite iam et requiescite, adiungeret: sufficit, et deinde inferret: venit hora; ecce tradetur filius hominis, utique intelligitur post illud quod eis dictum est dormite et requiescite, siluisse dominum aliquantum, ut hoc fieret quod promiserat: et nunc intulisse ecce appropinquavit hora. propter quod secundum marcum positum est: sufficit, idest quod iam requiescitis.

MATTHAEUS 26,47-50

5647 (Mt 26,47-50)

Glossa. Quia superius dictum est quod dominus ultro se persecutoribus exhibebat, consequenter evangelista ostendit quomodo sit a persecutoribus detentus; unde dicit adhuc eo loquente, ecce iudas unus de duodecim venit.

Remigius. Unus, videlicet numero, non merito. Hoc autem dixit ad ostendendum immane facinus illius qui de apostolica dignitate factus fuerat proditor. sequitur et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus. Ut autem ostenderet evangelista invidentiae causa illum deprehensum, subiungit missi a principibus sacerdotum et senioribus populi.

Origenes. potest dicere aliquis, quoniam propter multitudinem eorum qui iam crediderant, multi venerunt adversus eum, timentes ne multitudo credentium de manibus eorum tollerent eum; ego autem aestimo etiam alteram causam, quoniam qui putabant in beelzebub eicere solere daemonia, arbitrabantur eum ex quibusdam maleficiis posse effugere de medio volentium eum tenere. Multi etiam nunc spiritualibus gladiis militant contra iesum, variis scilicet et diversis de Deo dogmatibus. sequitur qui autem tradidit eum, dedit eis signum, dicens: quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Dignum est autem quaerere, cum secundum faciem notus esset omnibus habitantibus in iudaea, quare quasi non cognoscentibus effigiem

eius dedit eis signum. Venit autem traditio talis de eo ad nos: quoniam non solum duae formae in eo fuerunt: una secundum quam eum omnes videbant, altera secundum quam transfiguratus est coram discipulis in monte; sed etiam unicuique apparebat secundum quod fuerat dignus: sicut et de manna scriptum est, quod habebat saporem ad omnem usum convenientem, et verbum Dei non similiter cunctis apparet. Propter huiusmodi ergo transfigurationem eius, signo indigebant.

Chrysostomus in Matth. Vel ideo signum eis dedit, quia multoties detentus ab ipsis, pertransiit nescientibus eis, quod et tunc factum esset, si ipse voluisset. sequitur et confestim accedens ad iesum, dixit: ave, rabbi; et osculatus est eum.

Rabanus. Suscipit dominus osculum traditoris, non quod simulare nos doceat, sed ne proditionem fugere videatur.

Origenes in Matth. Si autem aliquis quaerat cur osculo iudas tradidit iesum, secundum quosdam quidem voluit reverentiam ad magistrum servare, non audens manifeste in eum irruere; secundum alios hoc fecit, timens ne si forte se manifestum adversarium praeberet, ipse ei fieret causa evasionis, cum posset secundum opinionem eius effugere, et facere se impervium. Ego autem puto quod omnes proditores veritatis amare veritatem fingentes, osculi signo utuntur. Omnes etiam haeretici, sicut et iudas, iesu dicunt rabbi. Iesus autem placabilia respondet; unde sequitur dixitque illi iesus: amice, ad quid venisti? dicit autem amice, impropere simulationem: hoc enim nomine neminem bonorum in scripturis cognoscimus appellatum: ad malum enim dicitur: amice, quomodo huc intrasti? et: amice, non facio tibi iniuriam.

Augustinus in serm. De passione. dicit autem ad quid venisti? tamquam si diceret: oscularis et insidiaris: novi quare veneris; amicum fingis, cum proditor sis.

Remigius. Sive: amice, ad quid venisti? hoc fac, subintelligitur. sequitur tunc accesserunt, et manus iniecerunt in iesum, et tenuerunt eum. tunc, scilicet quando ipse permisit: frequenter enim voluerunt, sed non potuerunt.

Rabanus. Exulta, christiane, in commercio inimicorum tuorum vicisti: quod iudas vendidit et quod iudaeus emit, tu acquisivisti.

MATTHAEUS 26,51-54

5651 (Mt 26,51-54)

Chrysostomus in Matth. sicut Lucas refert, dominus in coena discipulis dixerat: qui habet sacculum, tollat similiter et peram; et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium; et discipuli responderunt: ecce gladii duo hic. Conveniens autem erat illic gladios esse, propter agnum scilicet paschalem, quem comederent. Audientes quoque quoniam venirent persecutores ad Christum capiendum, a coena exeuntes gladios sumpserunt in auxilium adversus persecutores, quasi pro magistro praeliaturi; unde hic dicitur et ecce unus ex his qui erant cum iesu extendens manum exemit gladium suum.

Hieronymus. In alio evangelio scriptum est, quod petrus hoc fecerit eodem ardore quo et cetera fecit; unde sequitur et percutiens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam eius. Servus principis sacerdotum malchus appellatur; auricula quoque quae amputatur, dextera est. Transitorie dicendum est, quod malchus, idest rex quondam populi iudaeorum, servus factus est impietatis, et devorationis sacerdotum; dexteramque perdidit auriculam, ut litterae veritatem audiat in sinistra.

Origenes in Matth. Nam si videntur legem audire modo, cum sinistro auditu audiunt umbram traditionis de lege, non veritatem. populus autem ex gentibus significatus per petrum, per hoc ipsum quod crediderunt in Christum, facti sunt causa ut praecideretur iudaeorum auditio dextera.

Rabanus. Vel petrus non tollit audientibus intelligendi sensum, sed de divino ablatum iudicio negligentibus pandit: verum eadem dextera auris in his qui ex eodem populo crediderunt, divina pietate pristino restituta est officio.

Hilarius in Matth. Vel aliter. Servo principis sacerdotum auricula ab apostolo resecatur; populo scilicet sacerdotio servienti, per christi discipulum inobediens auditus exciditur; et ad capacitatem veritatis hoc quod erat non audiens, amputatur.

Leo papa in serm. 1 de passione. Dominus autem zelantis apostoli pium motum progredi ultra non patitur; unde sequitur tunc ait illi iesus: converte gladium tuum in locum suum. Contra sacramentum enim erat redemptionis nostrae, ut qui mori pro omnibus venerat, capi nollet. Dat ergo in se furentibus licentiam saeviendi, ne dilato gloriosae crucis triumpho, et dominatio diabolica fieret longior, et captivitas humana diuturnior.

Rabanus. Oportuit etiam ut auctor gratiae fideles patientiam suo exemplo doceret, et potius ad sustinendum fortiter adversa instrueret quam ad vindicandum provocaret.

Chrysostomus in Matth. Ad hoc autem ut discipulo persuaderetur, comminationem addit, dicens omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt.

Augustinus contra faustum. Idest, omnis qui usus fuerit gladio. Ille autem utitur gladio, qui nulla superioritate aut legitima potestate vel iubente vel concedente, in sanguinem alicuius armatur. Nam utique dominus iusserat ut ferrum discipuli eius ferrent; sed non iusserat ut ferirent. Quid ergo indignum si petrus post hoc peccatum factus est pastor ecclesiae, sicut moyses post percussum aegyptium factus est rector et princeps synagogae? uterque enim non detestabili immanitate, sed emendabili animositate regulam excessit; uterque odio improbitatis alienae; sed ille fraterno, iste dominico, licet adhuc carnali, tamen amore peccavit.

Hilarius. Sed non omnibus gladio utentibus mors solet esse per gladium; nam plures aut febris aut alius accidens casus absumit, qui gladio, aut iudicii officio, aut resistendi latronibus necessitate sunt usi. Et si secundum sententiam eius, omnis gladio utens, gladio perimeretur, recte ad necem eorum gladius eximebatur, qui eodem utebantur ad facinus.

Hieronymus. Quo ergo gladio peribit quicumque gladium sumpserit? illo nempe qui igneus vertitur ante paradysum, et gladio spiritus, qui in Dei describitur armatura.

Hilarius in Matth. recondi ergo gladium praecipit dominus: quia eos non humano, sed oris sui gladio esset perempturus.

Remigius. Vel aliter. qui gladio utitur ad occidendum hominem, ipse suae prius malitiae moritur gladio.

Chrysostomus in Matth. non solum autem mitigavit discipulos per comminationem poenae, sed etiam ostendendo quod voluntarie hoc sustinebat; unde sequitur an putas quia non possum rogare patrem meum; et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum? quia multa humanae infirmitatis ostenderat, non videretur credibilia dicere, si dixisset quod eos perdere posset; et ideo dicit an putas quia non possum? etc.

Hieronymus. Quasi diceret: non indigeo duodecim apostolorum auxilio, etiam si omnes me defenderent, qui possum habere duodecim legiones angelici exercitus. una legio apud veteres sex millibus hominum complebatur: de duodecim ergo legionibus, septuaginta duo millia angelorum fiunt, in quot gentes hominum lingua divisa est.

Origenes in Matth. ex hoc autem demonstratur quoniam secundum similitudinem legionum militiae mundialis sunt et angelorum legiones militiae caelestis militantium contra legiones daemonum: militia enim omnis propter adversarios intelligitur constituta. Non autem quasi indigens auxilio angelorum hoc dicebat, sed secundum aestimationem petri volentis ei auxilium ferre. Magis enim angeli opus habent auxilio unigeniti filii Dei quam ipse illorum.

Remigius. Possumus etiam intelligere per angelos romanorum exercitum: cum titus enim et vespasiano omnes linguae adversus iudaeam surrexerunt, et impletum est: quia pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos.

Chrysostomus in Matth. non solum autem per hoc timorem discipulorum evacuat, sed etiam per hoc quod scripturas in medium introducit, dicens quomodo ergo implebuntur scripturae quia sic oportet fieri? .

Hieronymus. haec sententia promptum ad patiendum demonstrat animum: quod frustra prophetae cecinerint, nisi dominus eos vera dixisse sua passione asseveret.

MATTHAEUS 26,55-58

5655 (Mt 26,55-58)

Origenes in Matth. Postquam dixit petro: reconde gladium tuum, quod est patientiae; postquam etiam auriculam restituit amputatam, sicut alter dicit evangelista, quod summae benignitatis indicium fuerat, et divinae virtutis, subditur in illa hora dixit iesus turbis: ut si praeterita beneficia non recordantur, vel praesentia recognoscant: tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me.

Remigius. Ac si diceret: latronis officium est nocere et latitare; ego vero nemini nocui, sed plures sanavi, et in synagogis semper docui; et hoc est quod subditur quotidie apud vos sedebam in templo docens, et non me tenuistis.

Hieronymus. Quasi diceret: stultum est eum cum gladiis et fustibus quaerere qui ultro se vestris tradit manibus; et in nocte quasi latitantem per proditorem investigare qui quotidie in templo doceat.

Chrysostomus in Matth. Ideo autem eum in templo non tenuerunt, quia non ausi erant propter turbam: propter quod et dominus foras exivit, ut ex loco et tempore daret eis aptitudinem se capiendi. ex hoc ergo docet quoniam nisi voluntarius permisisset, nequaquam eum capere valuissent. Deinde evangelista quaestionem solvit propter quid dominus capi voluit, cum subdit hoc autem totum factum est ut adimplerentur scripturae prophetarum.

Hieronymus. Foderunt manus meas et pedes meos, et: sicut ovis ad victimam ductus est, et in alio loco: ab iniquitatibus populi mei ductus est ad mortem.

Remigius. quia enim omnes prophetae praedixerunt christi passionem, ideo non posuit fixum testimonium, sed generaliter dicit impleri vaticinia omnium prophetarum.

Chrysostomus in Matth. discipuli autem, qui quando detentus est dominus permanserunt, quando locutus est haec ad turbas, fugerunt; unde sequitur tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt; sciebant enim quoniam iam non erat possibile effugere, eo se voluntarie illis tradente.

Remigius. In hoc tamen facto demonstratur fragilitas apostolorum: qui enim de ardore fidei promiserant se mori cum eo, nunc timore fugiunt immemores suae promissionis. Quod etiam videmus impleri in his qui pro amore Dei magna se promittunt facturos, et postmodum non implent: non tamen desperare debent, sed cum apostolis resurgere et per poenitentiam respiscere.

Rabanus. mystice autem sicut petrus, qui culpam negationis poenitentiae lacrymis abluit, recuperationem eorum ostendit qui in martyrio labuntur; ita ceteri discipuli fugientes cautelam fugiendi docent eos qui se minus idoneos ad toleranda supplicia sentiunt. sequitur at illi tenentes iesum duxerunt ad caipham principem sacerdotum.

Augustinus de cons. Evang. Sed tamen primo ad annum ductus est socerum caiphae, sicut loannes dicit: ductus est autem ligatus, cum adessent in illa turba tribunus et cohors, ut loannes commemorat.

Hieronymus. Refert autem iosephus istum caipham unius tantum anni pontificatum pretio redemisse; cum tamen moyses Deo iubente praeceperit ut pontifices patribus succederent, et generationis in sacerdotibus series texeretur. non ergo mirum est si iniquus pontifex iniqua iudicet.

Rabanus. Convenit etiam nomen actioni: caipha, idest investigator, vel sagax ad implendam suam nequitiam, vel vomens ore, quia impudens fuit ad proferendum mendacium, et ad perpetrandum homicidium. Ideo autem illuc eum adduxerunt ut cum consilio omnia facerent; unde sequitur ubi scribae et seniores convenerant.

Origenes in Matth. ubi caiphas est princeps sacerdotum, illic congregantur scribae, idest litterati, qui praesunt litterae occidenti; et seniores non in veritate, sed in vetustate litterae. sequitur petrus autem sequebatur eum a longe: non enim poterat de proximo eum sequi, sed de longinquo; nec tamen omnino recedens ab eo.

Chrysostomus in Matth. Multus enim erat fervor petri, qui cum alios fugientes vidisset, non fugit, sed stetit, et intravit. si autem et loannes intravit, tamen notus erat principi sacerdotum. Longe autem sequebatur, quia erat dominum negaturus.

Remigius. Neque enim negare potuisset, si domino proximus adhaesisset. Per hoc etiam significatur quod petrus dominum ad passionem euntem erat secuturus, idest imitaturus.

Augustinus de quaest. Evang. significatur etiam ecclesiam secuturam quidem, hoc est imitaturam, passionem domini, sed longe differenter: ecclesia enim pro se patitur, at ille pro ecclesia. sequitur et ingressus intro sedebat cum ministris, ut videret finem.

Hieronymus. vel amore discipuli, vel humana curiositate scire cupiebat quid iudicaret de domino pontifex: utrum eum neci addiceret, an flagellis caesum dimitteret.

MATTHAEUS 26,59-68

5659 (Mt 26,59-68)

Chrysostomus in Matth. congregatis principibus sacerdotum, tota pestilentiae conventicula volebant suis insidiis iudicii formam imponere; unde dicitur principes autem sacerdotum et omne concilium quaerebant falsum testimonium contra iesum, ut eum morti traderent. sed quod fictum erat iudicium, et omnia tumultus et turbationis plena, manifestatur per hoc quod subditur et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent.

Origenes in Matth. Falsa enim testimonia tunc locum habent quando cum colore aliquo proferuntur. Sed nec color inveniebatur qui posset contra iesum adiuvere mendacia; quamvis essent multi gratiam tribuere volentes principibus sacerdotum: quod maximam laudem exhibet iesu, qui sic omnia irreprehensibiliter dixit et fecit ut nullam verisimilitudinem invenirent in eo reprehensionis et mali et multi astuti. sequitur novissime autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt: hic dixit: possum destruere templum Dei, et post triduum reaedificare illud.

Hieronymus. Quomodo autem falsi testes sunt, si ea dicunt quae dominum dixisse legimus? sed falsus testis est qui non eodem sensu dicta intelligit quo dicuntur: dominus enim dixerat de templo corporis sui; sed in ipsis verbis calumniantur, ut paucis additis vel mutatis quasi iustam calumniam faciant. salvator dixerat: solvite templum hoc; isti commutant, et aiunt possum destruere templum Dei. Vos, inquit, solvite, non ego: quia illicitum est ut nobisipsis inferamus manus. Deinde illi vertunt et post triduum reaedificare illud, ut proprie de templo iudaico dixisse videretur; dominus autem, ut ostenderet animale et spirans templum, dixerat: et ego in triduo resuscitabo illud. Aliud est aedificare, aliud suscitare.

Chrysostomus in Matth. Sed quare non attulerunt in medium accusationem de solutione sabbati? quia multoties eos super hoc confutaverat.

Hieronymus. Ira autem praeceps et impatiens non inveniens calumniae locum, excutit de solio pontificem, ut vesaniam mentis motu corporis demonstraret; unde sequitur et surgens princeps sacerdotum ait illi: nihil respondes ad ea quae isti adversum te testificantur? .

Chrysostomus in Matth. Hoc autem dixit, volens ab eo inexcusabilem responsionem elicere, ut ex ipsa eum caperet. Inutilis autem erat excusationis responsio, nullo eam exaudiente; et ideo sequitur iesus autem tacebat: etenim solum figura iudicii ibi erat: in veritate autem latronum erat incursus, sicut in spelunca; et ideo silet.

Origenes in Matth. Ex hoc autem loco discimus contemnere calumniantium et falsorum testium voces, ut nec responsione dignos eos habeamus qui non convenientia dicunt adversus nos, maxime ubi maius est libere et fortiter silere quam defendere sine ullo profectu.

Hieronymus. Sciebat enim quasi Deus, quicquid dixisset, torquendum ad calumniam. quanto ergo iesus magis tacebat ad indignos responsione sua falsos testes, et sacerdotes impios, tanto magis pontifex furore superatus, eum ad respondendum provocat, ut ex qualibet occasione sermonis, locum inveniat accusandi; unde sequitur et princeps sacerdotum ait illi: adiuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei.

Origenes in Matth. In lege quidem adiurandi usum aliquoties invenimus; aestimo autem quoniam non oportet ut vir qui vult secundum evangelium vivere, adiuret alterum: si enim iurare non licet, nec adiurare. sed et qui respicit iesum imperantem daemonibus, et potestatem dantem discipulis super daemonia, dicet

quod secundum potestatem datam a salvatore, non est adiurare daemona. Princeps autem sacerdotum peccatum faciebat insidians iesu; et ideo imitabatur proprium patrem, qui bis dubie interrogavit salvatorem: si tu es Christus filius Dei? unde quis recte dicere potest, quoniam dubitare de filio Dei utrum ipse sit Christus, opus diaboli est. Non decebat autem dominum ad adiurationem principis respondere sacerdotum, quasi vim passum: propter quod nec denegavit se filium Dei esse, nec manifeste confessus est; unde sequitur dicit illi iesus: tu dixisti. Non enim erat dignus christi doctrina: propterea non eum docet, sed verbum oris eius accipiens, in redargutionem ipsius convertit. sequitur verumtamen dico vobis: amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei. Videtur mihi quoniam firmitatem quamdam regalem significat sessio filii hominis: iuxta virtutem ergo Dei, qui solus est virtus, fundatus est qui accepit omnem potestatem a patre, sicut in caelo et in terra. Erit autem quando hanc fundationem videbunt etiam adversarii, quod a tempore dispensationis incepit impleri. viderunt enim eius discipuli eum resurgentem a mortuis, et per hoc viderunt eum fundatum ad dexteram virtutis. Vel quia secundum longitudinem sempiternam, quae est apud Deum, a constitutione mundi usque ad finem est unus dies: nihil ergo mirum quod hic dicit salvator amodo, spatium esse brevissimum usque ad finem ostendens; et non solum sedentem eum ad dexteram virtutis visuros prophetabat, sed etiam venientem in nubibus caeli; unde sequitur et venientem in nubibus caeli. hae nubes sunt prophetae et apostoli christi, quibus mandat pluere cum oportet; et sunt nubes caeli non transeuntes, quasi portantes imaginem caelestis; et dignae sunt ut sint sedes Dei, quasi heredes Dei et coheredes christi.

Hieronymus. Pontificem autem quem de solio sacerdotali furor excusserat, eadem rabies ad scindendum vestes provocat; unde sequitur tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: blasphemavit. Consuetudinis enim iudaicae est quod cum aliquid blasphemum et quasi contra Deum audierint, scindant vestimenta sua.

Chrysostomus in Matth. Hoc igitur fecit, ut accusationem redderet graviorem: et quod verbis dicebat, factis extolleret.

Hieronymus. Per hoc autem quod scidit vestimenta sua, ostendit iudaeos sacerdotalem gloriam perdidisse, et vacuum sedem habere pontificis. Dum enim vestem sibi discidit, ipsum quo tegebatur vestimentum legis abrupit.

Chrysostomus in Matth. cum ergo scidisset vestimenta sua, non fert sententiam a seipso, sed ab aliis eam exquirat, dicens: quid vobis videtur? sicut in confessis peccatis et blasphemia manifesta fieri solet, et quasi cogens et violentiam inferens ad sententiam proferendam, praevenit auditorem, dicens: quid adhuc egemus testibus? ecce nunc audistis blasphemiam. Quae autem fuit illa blasphemia? etenim ante eis congregatis dixerat: dixit dominus domino meo: sede a dextris meis: et interpretatus est eis, et siluerunt, nec de cetero contradixerunt; qualiter ergo nunc quod dictum est, blasphemiam vocant? sequitur at illi respondentem dixerunt: reus est mortis; ipsi accusantes, ipsi discutientes, ipsi sententiam proferentes.

Origenes in Matth. Quantum putas fuit erroris, ipsam principalem omnium vitam ream mortis pronuntiare, et per tantorum resurgentium testimonia non respicere fontem vitae, de quo in omnes resurgentes vita fluebat? .

Chrysostomus in Matth. Ut autem venatores fera inventa, ita suam demonstrabant ebrietatem, et insania ferebantur. sequitur tunc expuerunt in faciem eius et colaphis eum caeciderunt.

Hieronymus. ut compleretur quod dictum est: dedi maxillam meam alapis, et faciem meam non averti a confusione sputorum. sequitur alii autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes: prophetiza nobis, christe, quis est qui te percussit? **Glossa.** in contumeliam ei hoc dicitur, qui se prophetam haberi voluit a populis.

Hieronymus. Stultum autem erat verberantibus respondere, et prophetare caedentem, cum palam percutientis insania videretur.

Chrysostomus in Matth. attende autem, quod evangelista cum summa diligentia ea quae videntur esse exprobratissima exponit, nihil occultans aut verecundans; sed gloriam existimans maximam, dominatorem orbis terrarum pro nobis talia sustinere. Hoc autem legamus continue, hoc nostrae menti inscribamus, et in his gloriemur.

Augustinus de quaest. Evang. Quod autem dictum est expuerunt in faciem eius, significavit eos qui praesentiam gratiae eius respuunt. item tamquam colaphis eum caedunt, qui ei honores suos praeferunt; palmas in faciem eius dant qui perfidia caecati eum non venisse affirmant, tamquam praesentiam eius exterminantes et repellentes.

MATTHAEUS 26,69-75

5669 (Mt 26,69-75)

Augustinus de cons. Evang. inter praedictas domini contumelias trina negatio petri facta est, quam non omnes evangelistae eodem ordine narrant. Lucas enim explicat prius tentationem petri, tunc demum contumelias domini; sed Matthaeus et Marcus eas primo commemorant, et deinde petri tentationem. Sic enim hic sequitur petrus vero sedebat foris in atrio.

Hieronymus. Foris sedebat, ut videret exitum rei; et non appropinquabat iesu, ne ministris aliqua suspicio nasceretur.

Chrysostomus in Matth. Et qui quando detentum magistrum vidit solum, ita efferbuit ut gladium evaginaverit, et auriculam absciderit; quando contumelias christi audivit, negator efficitur, et vilis puellae minas non sustinet; sequitur enim et accessit ad eum una ancilla, dicens: et tu cum iesu galilaeo eras.

Rabanus. Quid sibi vult quia prima eum prodit ancilla, cum viri magis eum potuerint recognoscere; nisi quod iste sexus peccare in nece domini videretur, ut eius passione redimeretur? sequitur at ille negavit coram omnibus dicens: nescio quid dicis. Palam coram omnibus negavit, quia se manifestare expavit: quod dicebatur se nescire respondit, quia pro salvatore adhuc mori noluit.

Leo papa in serm. 9 de passione. Ob hoc autem, sicut apparet, haesitare permissus est, ut in ecclesiae principe remedium poenitentiae conderetur, et nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum nec beatus petrus potuisset evadere.

Chrysostomus in Matth. non solum autem semel, sed et secundo et tertio negat in brevi tempore; unde sequitur exeunte autem eo ianuam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi: et hic erat cum iesu nazareno.

Augustinus de cons. Evang. Intelligitur autem quod postquam exiit foras, cum iam semel negasset, gallus cantavit primum, quod Marcus dicit.

Chrysostomus in Matth. Ut ostendat quod neque vox galli eum a negatione detinuit, neque in memoriam suae promissionis reduxit.

Augustinus de cons. Evang. non autem foris ante ianuam iterum negavit, sed cum redisset ad focum: neque enim exierat, et foris eum vidit altera ancilla; sed cum exiret, eum vidit; idest, cum surgeret et exiret, animadvertit et dixit his qui erant ibi, idest qui simul aderant ad ignem in atrio: et hic erat cum iesu nazareno. Ille autem qui foras exierat, hoc audito regressus est, ut se quasi purgaret negando. Vel, quod est credibilius, non audivit quod de eo dictum fuerat cum foras exiret, et posteaquam rediit, dictum est ei quod Lucas commemorat. sequitur et iterum negavit cum iuramento: quia non novi hominem.

Hieronymus. scio quosdam pio affectu erga apostolum petrum locum hunc ita interpretatos ut dicerent, petrum hominem negasse, non Deum; et esse sensum: nescio hominem, quia scio Deum. Hoc quam frivolum sit, prudens lector intelligit: si enim iste non negavit, ergo mentitus est dominus, qui dixerat: ter me negabis.

Rabanus. In hac autem negatione petri dicimus, non solum abnegare Christum qui dicit eum non esse Christum, sed qui cum sit, negat se esse christianum.

Augustinus de cons. Evang. Nunc iam de tertia negatione inspiciamus; sequitur enim et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt petro: vere et tu ex illis es. Lucas autem dixit: intervallo facto quasi horae unius; et ut eum convincant, consequenter adiungunt nam et loquela tua manifestum te facit.

Hieronymus. Non quod alterius sermonis esset petrus, aut gentis externae: omnes quippe hebraei erant, et qui arguebant et qui arguebantur: sed quia unaquaeque provincia et regio habeat proprietates suas, et vernaculum loquendi sonum vitare non possit.

Remigius. Vide autem quam sint noxia pravorum hominum colloquia: ipsa quippe coegerunt petrum negare dominum, quem prius confessus fuerat esse Dei filium; sequitur enim tunc coepit detestari et iurare,

quia non novisset hominem.

Rabanus. Nota, quia primum ait: nescio quid dicis; secundo, cum iuramento negat; tertio, quia coepit detestari et iurare, quia non novit hominem. perseverare quippe in peccato dat incrementum scelerum; et qui minima spernit, cadit in maiora.

Remigius. Spiritualiter autem per hoc quod petrus ante primum galli cantum negavit, illi designantur qui ante christi resurrectionem non credebant eum esse Deum, eius morte turbati. Per hoc autem quod post galli cantum negavit, illi designantur qui in utramque domini naturam, et secundum Deum et secundum hominem errant. Per primam autem ancillam designatur cupiditas; per secundam carnalis delectatio; per illos qui astabant, daemones intelliguntur: his enim trahuntur homines ad christi negationem.

Origenes in Matth. vel per primam ancillam intelligitur synagoga iudaeorum, qui frequenter compulerunt denegare fideles; per secundam congregatio gentium, qui etiam persecuti sunt christianos; per tertios stantes in atrio, ministri haeresum diversarum.

Augustinus de quaest. Evang. ter etiam petrus negavit: nam et error haeticorum de Christo, tribus generibus terminatur: aut enim de divinitate, aut de humanitate, aut de utroque falluntur.

Rabanus. post tertiam autem negationem sequitur galli cantus; et hoc est quod subdit et continuo gallus cantavit, per quem doctor ecclesiae intelligitur, qui somnolentos increpans ait: evigilate, iusti, et nolite peccare. Solet autem sacra scriptura saepe meritum causarum per statum designare temporum: unde petrus, qui media nocte peccavit, ad galli cantum poenituit: unde sequitur et recordatus est petrus verbi iesu quod dixerat: priusquam gallus cantet, ter me negabis.

Hieronymus. In evangelio legimus, quod post negationem petri et galli cantum respexit salvator petrum, et intuitu suo eum ad amaras lacrymas provocavit: non enim fieri poterat ut in negationis tenebris permaneret quem lux respexerat mundi; unde et hic sequitur et egressus foras, flevit amare. In atrio enim caiphae sedens non poterat agere poenitentiam: unde foras egreditur de impiorum concilio, ut pavidae negationis sordes amarum fletibus lavet.

Leo papa in serm. 9 de passione. Felices, o apostole sancte, lacrymae tuae, quae ad diluendam culpam negationis, virtutem sacri habuere baptismatis. affuit enim dextera domini iesu christi, quae labentem te priusquam deicereris exciperet; et firmitatem standi in ipso cadendi periculo recepisti. Cito itaque ad soliditatem rediit petrus, tamquam recipiens fortitudinem; ut qui tunc in christi expaverat passione, in suo post supplicio non timeret, sed constans permaneret.

MATTHAEUS 27,1-5

5701 (Mt 27,1-5)

Augustinus de cons. Evang. contexerat superius evangelista narrationem in his quae cum domino acta sunt usque ad mane; sed postea rediit ad narrandam petri negationem, qua terminata rediit ad mane ut inde cetera contexeret: et hoc est quod dicitur mane autem facto consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus iesum, ut eum morti traderent.

Origenes in Matth. Putantes per mortem extinguere eius doctrinam et fidem apud eos qui crediderunt in eum, quasi in filium Dei. Talia autem contra eum consiliantes, alligaverunt iesum solventem a vinculis; unde sequitur et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt pontio pilato praesidi.

Hieronymus in Matth. vide sollicitudinem sacerdotum in malum: tota nocte vigilarunt ut homicidium facerent; et vinctum tradiderunt pilato: habebant enim hunc morem ut quem adiudicassent morti, ligatum iudici traderent.

Rabanus. Attamen notandum, quod non tunc primum ligaverunt, sed mox comprehensum in horto, ut iohannes declarat.

Chrysostomus in Matth. ideo autem eum non occulte interfecerunt, quia volebant eius gloriae detrudere: multi enim eum admirabantur; et propter hoc studuerunt publice et coram omnibus eum occidere; et ideo ad praesidem eum duxerunt.

Hieronimus. Videns autem iudas dominum adiudicatum morti, pretium retulit sacerdotibus, quasi in potestate sua esset persecutorum immutare sententiam; unde sequitur tunc videns iudas qui tradidit eum, quod damnatus esset, poenitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus populi, dicens: peccavi, tradens sanguinem iustum.

Origenes in Matth. Respondeant mihi qui de naturis quasdam fabulas introducunt; unde est quod iudas agnoscens peccatum suum dixit peccavi, tradens sanguinem iustum, nisi ex bona plantatione mentis, et seminatione virtutis, quae seminata est in qualibet rationali anima? quam non coluit iudas; et ideo cecidit in tale peccatum. Si autem naturae pereuntis est aliquis hominum, magis huius naturae fuit iudas. Et si quidem post resurrectionem christi hoc dixisset iudas, forsitan erat dicendum quoniam compulit eum poenitere de peccato ipsa virtus resurrectionis. nunc autem videns eum traditum esse pilato, poenituit: forsitan recordatus quae frequenter iesus dixerat de sua resurrectione futura. Forsitan et satanas, qui ingressus in eum fuerat, praesto fuit ei donec iesus traderetur pilato: postquam autem fecit quod voluit, recessit ab eo; quo recedente poenitentiam capere potuit. Sed quomodo vidit iudas quoniam condemnatus est? nondum enim a pilato fuerat interrogatus. Forsitan dicet aliquis, quoniam consideratione mentis suae vidit exitum rei ex eo quod traditum aspexit. alius autem dicet, quoniam quod scriptum est: videns iudas quia condemnatus est, ad ipsum iudam refertur: tunc enim sensit malum suum, et intellexit se condemnatum.

Leo papa in serm. I de passione. Dicendo tamen peccavi, tradens sanguinem iustum, in impietatis suae perfidia perstitit qui iesum non Dei filium, sed nostrae tantummodo conditionis hominem, etiam inter extrema mortis suae pericula credidit; cuius flexisset misericordiam, si eius omnipotentiam non negasset.

Chrysostomus in Matth. Vide autem quoniam poenitentiam agit quando completum est, et finem accepit peccatum: non enim permittit diabolus eos qui non vigilant, videre malum antequam perficiant. sequitur at illi dixerunt: quid ad nos? tu videris.

Remigius. Ac si dicant: quid ad nos pertinet si iustus est? tu videris, idest, opus tuum quale sit manifestabitur. quidam autem coniunctim voluerunt legere haec verba, ut sit sensus: cuius aestimationis deputaris apud nos, qui eum quem tradidisti, iustum confiteris? **Origenes** in Matth. Recedens autem ab aliquo diabolus observat tempus iterum; et postquam cognoverit, et ad secundum peccatum induerit, observat etiam tertiae deceptionis locum. Sicut ille qui primo uxorem patris habuit, de hoc malo postea poenituit; sed postea diabolus voluit hanc ipsam tristitiam exaggerare, ut ipsa tristitia abundantior facta absorberet tristantem. Simile aliquid factum est in iuda: postquam enim poenituit, non servavit cor suum, sed suscepit abundantiore tristitia a diabolo sibi submissam, quia voluit eum absorbere; unde sequitur et abiens, laqueo se suspendit. Si autem locum poenitentiae requisisset, et tempus poenitentiae observasset, forsitan invenisset eum qui dixit: nolo mortem peccatoris. Vel forte existimavit praevenire magistrum moriturum, et occurrere ei cum anima nuda, ut confitens et deprecans misericordiam mereretur; nec vidit quia non convenit servum Dei seipsum expellere de hac vita, sed expectare Dei iudicium.

Rabanus. suspendit autem se laqueo, ut se ostenderet caelo terraeque perosum.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam. sed occupatis principibus sacerdotum ad necem domini a mane usque ad horam nonam, quomodo iudas eis retulisse pretium sanguinis quod acceperat, ante crucem domini, probatur, et dixisse illis in templo peccavi, quod tradiderim sanguinem iustum? cum constet omnes principes et seniores ante passionem domini non fuisse in templo, quippe cum in cruce posito insultarent ei. Nec enim inde potest probari quia ante passionem domini relatum est, cum sint multa quae ante facta probantur, et novissima ordinantur. sed ne forte post horam nonam factum sit, ut videns iudas occisum salvatorem, et ob hoc velum templi scissum, terram tremuisse, saxa scissa, elementa conterrita, ipso metu correptus doluerit. Sed post horam nonam occupati erant, ut existimo, seniores et principes sacerdotum ad celebrationem paschae: sabbato autem secundum legem non licet nummos portare: ac per hoc non est probabile apud me quo die, immo tempore, laqueo vitam finierit, iudas.

MATTHAEUS 27,6-10

5706 (Mt 27,6-10)

Chrysostomus in Matth. quia principes sacerdotum noverant, quod occisionem emerant, a propria conscientia condemnati fuerunt: et ad hoc ostendendum subdit evangelista principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: non licet eos mittere in carbonem, quia pretium sanguinis est.

Hieronymus. Vere culicem liquantes, et camelum glutientes; si enim ideo non mittunt pecuniam in carbonam, hoc est gazophylacium, et dona Dei, quia pretium sanguinis est, cur ipse sanguis effunditur?

Origenes in Matth. videbant autem quoniam circa mortuos magis eam pecuniam conveniebat expendi quae pretium sanguinis erat. Sed quia et inter loca mortuorum sunt differentiae, usi sunt pretio sanguinis iesu ad comparisonem agri figuli alicuius, ut in eo peregrini sepeliantur, non secundum votum suum in monumentis paternis; unde sequitur consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.

Augustinus in serm. 2 de coena dom. Providentia autem Dei factum puto ut pretium salvatoris non peccatoribus sumptum praebeat, sed peregrinis requiem subministret; ut iam exinde Christus et vivos sanguinis sui passione redimat, et mortuos pretiosa passione suscipiat. pretio ergo dominici sanguinis ager figuli comparatur. Legimus in scripturis, quod totius generis humani salus redempta sit in sanguine salvatoris. Ager ergo iste, mundus hic totus est. Figulus autem qui mundi possit habere dominatum, ipse est qui vascula corporis nostri fecit de limo. Istius itaque figuli ager christi sanguine emptus est: peregrinis, inquam, qui sine domo et patria, toto orbe exules iactabantur, requies christi sanguine providetur. istos autem peregrinos esse dicimus devotissimos christianos, qui renuntiantes saeculo, nihil possidentes in mundo, in christi sanguine requiescunt: sepultura enim christi nihil aliud est quam requies christiani: consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte. Nos ergo peregrini in hoc mundo sumus, et tamquam hospites in hac luce versamur.

Hieronymus. qui etiam peregrini eramus a lege et prophetis, prava iudaeorum studia suscepimus in salutem.

Origenes in Matth. vel peregrinos dicimus qui usque ad finem extranei sunt a Deo: nam iusti consepulti sunt Christo in monumento novo quod excisum est in petra. Qui autem alieni sunt a Deo usque in finem, sepulti sunt in agro figuli operantis lutum; qui pretio sanguinis est comparatus, et ager sanguinis nominatur; unde sequitur propter hoc vocatus est ager ille haceldama, hoc est ager sanguinis, usque in hodiernum diem.

Glossa. Quod referendum est ad tempus quo evangelista hoc scripsit. Deinde confirmat idem propheticum testimonio, dicens tunc impletum est quod dictum est per ieremiam prophetam, dicentem: et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis israel, et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi dominus.

Hieronymus. hoc in ieremia penitus non invenitur, sed in zacharia, qui penultimus est duodecim prophetarum, quaedam similitudo refertur; et quamquam sensus non multum discrepet, tamen ordo et verba diversa sunt.

Augustinus de cons. Evang. Si quis ergo putat ideo fidei evangelistae aliquid derogandum, primo noverit non omnes codices evangeliorum habere quod per ieremiam dictum sit, sed tantummodo per prophetam. Mihi autem haec non placet defensio: quia et plures codices habent ieremiae nomen, et antiquiores; et nulli fuit causa cur adderetur hoc nomen, et mendositas fieret. cur autem tolleretur, fuit utique causa ut hoc audax imperitia faceret, praedicta quaestione turbata. Potuit autem fieri ut animo Matthaevi evangelium scribentis, pro zacharia ieremias occurreret, ut fieri solet: quod tamen sine ulla dubitatione emendaret saltem ab his admonitus qui ipso adhuc in carne vivente haec legere potuerunt, nisi cogitaret recordationi suae, quae spiritu sancto regebatur, non occurrisset aliud pro alio nomen prophetae, nisi quia dominus hoc ita scribi constituit. Cur autem constituerit, prima causa est, quia sic insinuat ita omnes prophetas uno spiritu locutos, mirabili inter se consensione constare, ut hoc multo amplius sit quam si omnium verba prophetarum uno unius hominis ore demonstrarentur; et ideo indubitanter accipi debet, quaecumque per eos spiritus sanctus dixit, et singula esse omnium, et omnia singulorum. Si enim hodie quisquam volens alicuius verba indicare, dicat nomen alterius a quo dicta sunt, qui tamen sit amicissimus illius cuius verba dicere voluit, et continuo recordatus, alium pro alio se dixisse, ita se corrigat ut tamen dicat: bene dixi, nihil aliud intuens nisi inter ambos esse concordiam: quanto magis de prophetis sanctis hoc commendandum fuit? et alia causa, cur hoc nomen ieremiae in testimonio zachariae sit manere permissum: vel potius sancti spiritus auctoritate praeceptum sit. Est apud ieremiam quod emerit agrum a filio fratris sui, et dederit ei argentum, non quidem sub hoc nomine pretii, quod positum est apud zachariam, triginta argenteis. Quod autem prophetiam de triginta argenteis ad hoc interpretatus sit evangelista quod modo de domino completum est, manifestum est; sed ad hoc pertinere etiam illud de agro empto quod ieremias dicit, hinc potest mystice significari, ut non hic zachariae nomen poneretur qui dixit triginta argenteis, sed ieremiae qui dixit de agro empto; ut lecto evangelio, atque invento nomine ieremiae, lecto autem ieremia, et non invento testimonio de triginta argenteis, invento tamen agro empto, admoneatur lector utrumque conferre, et inde sensum enucleare prophetiae, quomodo pertineat ad hoc quod in domino completum est. Nam illud quod subiecit huic testimonio Matthaeus cum ait quem appretiaverunt a filiis israel, et dederunt eos in agrum

figuli, sicut constituit mihi dominus, nec apud zachariam, nec apud ieremiam reperitur; unde magis ex persona evangelistae accipiendum est, et mystice insertum, quia hoc ex domini revelatione cognoverit, et ad hanc rem quae de christi pretio facta est, huiusmodi pertinere prophetiam.

Hieronymus de optimo genere interpretandi. absit ergo de pedissequo christi quod possit argui de falso, cui cura fuit non verba et syllabas aucupari, sed sententias dogmatum ponere.

Hieronymus. Legi nuper in quodam hebraico volumine, quod nazaraeae sectae mihi hebraeus contulit, ieremiae apocryphum, in quo hoc ad verbum scriptum reperi; sed tamen mihi videtur magis de zacharia sumptum testimonium, evangelistarum et apostolorum more vulgato, quo verborum ordine praetermisso, sensus tamen de veteri testamento proferunt exemplum.

MATTHAEUS 27,11-14

5711 (Mt 27,11-14)

Augustinus de cons. Evang. finitis his quae Matthaeus de iuda proditore interposuit, ad ordinem narrationis revertitur, dicens iesus autem stetit ante praesidem.

Origenes in Matth. iudex totius creaturae constitutus a patre vide quantum se humiliavit, ut acquiesceret stare ante iudicem tunc terrae iudaeae; et interrogatus est interrogationem, quam forsitan deridens, aut dubitans pilatus interrogat; unde sequitur et interrogavit eum praeses, dicens: tu es rex iudaeorum? .

Chrysostomus in Matth. id pilatus interrogat quod adversarii contra Christum continue revolvebant. quia enim sciebant pilatum nullam curam facientem legalium, ad publicas accusationes rem ducunt.

Origenes in Matth. Vel pronuntiative hoc dixit pilatus: unde et alibi scripsit in titulo rex iudaeorum. Principi ergo sacerdotum respondens tu dixisti, oblique arguit eius dubitationem; pilati vero sententiam confirmat pronuntiantis; unde sequitur dicit ei iesus: tu dicis.

Chrysostomus in Matth. Confessus est se esse regem, sed caelestem, ut in alio evangelio manifestius legitur: regnum meum, inquit ioannes, non est de hoc mundo, ut neque iudaei, neque pilatus excusationem habeant, huic accusationi insistentes.

Hilarius in Matth. vel interroganti pontifici an ipse esset iesus Christus, dixerat tu dixisti, quia semper futurum Christum ex lege ipse dixisset; huic vero legis ignaro interroganti, an ipse esset rex iudaeorum, dicitur tu dicis, quia per fidem praesentis confessionis salus gentium est.

Hieronymus. Attende autem quod pilato, qui invitatus promebat sententiam, aliqua ex parte respondit; sacerdotibus autem et principibus sacerdotum respondere noluit, indignos eos suo sermone iudicans: unde sequitur et cum accusaretur a principibus sacerdotum et senioribus, nihil respondit.

Augustinus de cons. Evang. Lucas autem ipsa crimina, quae accusantes obiecerunt, aperuit: dicit enim: coeperunt illum accusare, dicentes: hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari caesari, et dicentem se Christum regem esse. Nihil autem interest ad veritatem quo ordine ista retulerint, sicut nihil interest si alius aliquid tacet quod alius commemorat.

Origenes in Matth. Accusatus autem iesus, sicut tunc illis nihil respondit, sic nec modo: non fit enim eis verbum Dei, sicut aliquando factum fuerat ad prophetas; sed neque dignum erat ut pilato interroganti responderet, qui non habebat permanens et firmum de Christo iudicium, sed ad contraria trahebatur; unde sequitur tunc dixit ei pilatus: non audis quanta adversum te dicunt testimonia? .

Hieronymus. gentilis quidem est qui condemnat iesum; sed causam refert in populum iudaeorum.

Chrysostomus in Matth. ideo autem hoc dicebat, quia volebat eum liberare dum se excusando responderet. sequitur et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur praeses vehementer. quia enim multas habentes demonstrationes ex ipsis rebus, virtutis et mansuetudinis eius et humilitatis, tamen in ipsum indignabantur, et perverso iudicio agebantur contra ipsum; propter hoc nihil respondet, et si aliquando respondet, brevia quidem dicit, ne continua taciturnitate pertinaciae opinio de ipso accipiatur.

Hieronymus. Vel ideo iesus nihil respondere voluit, ne crimen diluens dimitteretur a praeside, et crucis

utilitas differretur.

Origenes in Matth. miratus est autem praeses constantiam eius: forsitan sciens, quod idoneus esset pronuntiare crimen, et tamen videbat eum in tranquilla et quieta sapientia, et gravitate non turbabili stare. Sed vehementer miratur: dignum enim ei videbatur magno miraculo ut exhibitus Christus ad criminale iudicium, imperturbabilis staret ante mortem, quae apud omnes homines terribilis aestimatur.

MATTHAEUS 27,15-26

5715 (Mt 27,15-26)

Chrysostomus in Matth. quia Christus ad accusationes iudaeorum nihil responderat, per quod posset eum pilatus ab accusationibus iudaeorum excusatum habere, aliud machinatur per quod eum liberare possit; unde dicitur per diem autem solemnem consueverat praeses dimittere populo vinctum unum quem voluissent.

Origenes in Matth. sic enim quasdam gratias praestant gentes eis quos subiciunt sibi, donec confirmetur super eos iugum ipsorum; tamen consuetudo haec aliquando fuit apud iudaeos: saul enim non interfecit ionatham, omni populo petente eum ad vitam.

Chrysostomus in Matth. per hanc autem consuetudinem Christum eripere tentavit, ut neque umbram excusationis iudaei sibi derelinquant. Manifestus homicida in comparatione christi adducitur, de quo sequitur habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur barabbas. Non simpliciter dicit latronem, sed insignem, hoc est in malitia diffamatum.

Hieronymus. Iste barabbas in evangelio quod inscribitur iuxta hebraeos, filius magistri eorum interpretatur, qui propter seditionem et homicidium fuerat condemnatus. Offert autem optionem eis pilatus dimittendi quem vellent, latronem an iesum, non dubitans iesum potius eligendum; unde sequitur congregatis autem illis, dixit pilatus: quem vultis dimittam vobis: barabbam, an iesum qui dicitur Christus? .

Chrysostomus in Matth. quasi dicat: si non vultis sicut innocentem dimittere, saltem condemnatum festivitati donetis. Si enim oportebat in peccatis manifestis existentem dimittere, multo magis in dubiis. Vide autem ordinem conversum. Petitio pro condemnatis solet esse plebis, concessio autem principis; nunc autem contrarium gestum est: princeps enim petit a plebe, et plebs ferocior redditur.

Glossa. Quare autem pilatus ad liberationem christi laboravit, manifestat evangelista cum subdit sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum.

Remigius. Quae autem invidia fuerit, ioannes manifestat, qui narrat eos dixisse: ecce mundus totus post eum vadit, et si dimittimus eum sic, omnes credent in eum. notandum etiam, quia loco eius quod Matthaeus dicit an iesum qui dicitur Christus? Marcus dicit: vultis dimittam vobis regem iudaeorum? soli namque reges iudaeorum ungebantur, et ab ipsa unctione, christi vocabantur.

Chrysostomus in Matth. Deinde subditur aliud quod sufficiens erat omnes a passione revocare; sequitur enim sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor eius dicens: nihil tibi et iusto illi. Cum demonstratione enim quae erat a rebus et somnus non parvum quid erat.

Rabanus. Notandum vero, quia tribunal sedes est iudicis, solium regum, cathedrae magistrorum. In visionibus autem et somniis gentilis viri uxor hoc intellexit quod iudaei vigilantes nec credere, nec intelligere voluerunt.

Hieronymus. Nota etiam, quod gentilibus saepe a Deo somnia revelantur, et quod in pilato et uxore eius iustum dominum confitentibus gentilis populi testimonium sit.

Chrysostomus in Matth. Sed cuius gratia non ipse pilatus somnium videbat? quia illa magis digna erat: vel quia si pilatus vidisset, non aequaliter sibi creditum esset; vel forte neque dixisset; propter hoc dispensatur a Deo quod mulier vidit, ut manifestum omnibus fieret. Et non simpliciter videt, sed et patitur multa: sequitur enim multa enim passa sum hodie per visum propter eum: ut scilicet a compassione quae erat ad uxorem, desidiar fieret vir circa occisionem. sed et tempus non parum conferebat; etenim eadem nocte vidit.

Augustinus in serm. De passione. Sic ergo iudex terretur in coniuge: et ut crimini iudaeorum non praebeat

in iudicio consensum, pertulit in uxoris afflictione iudicium: iudicatur ipse qui iudicat, et torquetur antequam torqueat.

Rabanus. Vel aliter. Nunc demum diabolus intelligens per Christum se spolia sua amissurum, sicut primum per mulierem mortem intulerat, ita per mulierem vult Christum de manibus iudaeorum liberare, ne per eius mortem mortis amittat imperium.

Chrysostomus in Matth. nihil autem praemissorum christi adversarios movit, quia eos omnino invidia excaecaverat: unde ex propria malitia plebem corrumpunt: et hoc est quod sequitur principes autem sacerdotum, et seniores persuaserunt populo ut peterent barabbam, iesum vero perderent.

Origenes in Matth. et est videre nunc quomodo populus iudaeorum a senioribus suis et iudaicae culturae doctoribus suadetur, et excitatur adversus iesum, ut perdant eum. sequitur respondens autem praeses ait illis: quem vultis de duobus dimitti? **Glossa.** Respondisse autem dicitur pilatus haec dicens, sive ad ea quae uxor nuntiaverat, sive ad petitionem populi, qui iuxta consuetudinem aliquem in die festo sibi dimitti petebat.

Origenes in Matth. turbae autem quasi ferae, quae spatiosam ambulat viam, voluerunt sibi barabbam habere solutum: unde subditur at illi dixerunt: barabbam. Ideo gens illa habet seditiones et homicidia et latrocinia, secundum quosdam gentis suae, in rebus quae foris habentur, secundum autem omnes, intus in anima. Ubi enim non est iesus, illic lites et praelia sunt; ubi autem est, ibi sunt omnia bona et pax. Omnes etiam qui iudaeis sunt similes, vel in dogmate, vel in vita, barabbam sibi solvi desiderant: quicumque enim mala agit, solutus est in corpore eius barabbas, Christus autem vinctus; qui autem bona agit, Christum habet solutum, barabbam vinctum. Voluit autem pilatus pudorem tantae iniquitatis eis incurrere; unde sequitur dicit illis pilatus: quid igitur faciam de iesu qui dicitur Christus? non solum autem hoc, sed et mensuram colligere volens impietatis eorum. Illi autem nec hoc erubescunt, quod pilatus iesum Christum esse confitebatur, nec modum impietatis servant, unde sequitur dicunt omnes: crucifigatur; in quo multiplicaverunt impietatis suae mensuram, non solum homicidam postulantes ad vitam, sed etiam iustum ad mortem, et ad mortem turpissimam crucis.

Rabanus. Pendentes siquidem in ligno crucifixi, clavibus ad lignum pedibus manibusque confixi, producta morte necabantur, et diu vivebant in cruce, non quia longior vita eligebatur, sed quia mors ipsa protendebatur, ne dolor citius finiretur. verum iudaei de morte pessima cogitabant, sed a domino, non intelligentibus eis, electa erat; ipsam enim crucem diabolo superato erat tamquam trophaeum in frontibus fidelium positurus.

Hieronymus. cum autem hoc responderent, non statim acquievit, sed iuxta suggestionem uxoris, quae mandaverat nihil tibi et iusto illi, ipse quoque respondit; unde sequitur ait illis praeses: quid enim mali fecit? hoc dicendo pilatus, absolvit iesum. sequitur at illi magis clamabant dicentes: crucifigatur, ut impleretur quod in psalmo 21,17 dicitur: circumdederunt me canes multi, congregatio malignantium obsedit me: et illud ieremiae: facta est mihi hereditas mea sicut leo in silva; dederunt super me vocem suam.

Augustinus de cons. Evang. Saepius autem pilatus cum iudaeis egit, volens ut dimitteretur iesus: quod paucissimis verbis testatur Matthaheus cum subdit videns pilatus quia nihil proficiebat, sed magis tumultus fieret: quod non diceret, nisi multum ille conatus fuisset, quamvis tacuerit quoties hoc tentavit ut erueret iesum furori eorum. sequitur accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: innocens ego sum a sanguine iusti huius.

Remigius. Mos enim erat apud antiquos ut cum vellet quis se ostendere immunem ab aliquo crimine, accepta aqua, lavaret manus suas coram populo.

Hieronymus. Pilatus ergo accepit aquam iuxta illud propheticum: lavabo inter innocentes manus meas, quodammodo in hoc contestans, et dicens: ego quidem innocentem volui liberare, sed quoniam seditio oritur, et rebellionis mihi contra caesarem crimen impingitur, innocens sum a sanguine iusti huius. Iudex ergo qui cogitur contra dominum ferre sententiam, non damnat oblatum, sed arguit offerentes, iustum esse pronuntians eum qui crucifigendus est. sequitur vos videritis, quasi dicat: ego minister legum sum, vox vestra sanguinem fundit. sequitur et respondens universus populus dixit: sanguis eius super nos, et super filios nostros. Perseverat usque in praesentem diem haec imprecatio super iudaeos, et sanguis domini non aufertur ab eis.

Chrysostomus in Matth. intuere autem et hic iudaeorum multam insaniam: eorum enim impetus et perniciose concupiscentia non permittit eos quae oportet, inspicere, et sibi maledicunt dicentes sanguis eius super nos; quin et ad filios maledictionem attrahunt, dicentes super filios nostros. Sed tamen misericors Deus eorum sententiam non firmavit; sed ex eis et eorum filiis suscepit qui poenitentiam egerunt: etenim et

paulus ex ipsis fuit et multa millia eorum qui in hierosolymis crediderunt.

Leo papa in serm. 8 de passione. Excessit ergo pilati culpam facinus iudaeorum; sed ipse evasit reatum, qui reliquit proprium iudicium, et in crimen transivit alienum; sequitur enim tunc dimisit illis barabbam, iesum autem flagellatum tradidit eis, ut crucifigeretur.

Hieronymus. Sciendum est autem pilatum romanis legibus ministrasse, quibus sancitum est ut qui crucifigitur, prius flagellis verberetur. Traditur igitur iesus militibus verberandus, et illud sanctissimum corpus pectusque Dei capax flagellis secuerunt.

Augustinus in serm. De pass. Ecce dominus aptatur ad verbera, ecce iam caeditur: rupit sanctam cutem violentia flagellorum; repetitis ictibus crudelia verbera scapularum terga conscindunt. Proh dolor. Iacet extensus ante hominem Deus, et supplicium patitur rei in quo nullum peccati vestigium potuit inveniri.

Hieronymus. Hoc autem factum est ut, quia scriptum erat: multa flagella peccatorum, illo flagello nos a verberibus liberemur. In lavacro etiam manuum pilati, gentilium omnia opera purgantur, et ab impietate iudaeorum nos alieni efficimur.

Hilarius in Matth. hortantibus autem sacerdotibus populus barabbam elegit, qui interpretatur patris filius, in quo arcanum futurae infidelitatis ostenditur, Christo antiChristum peccati filium praefereundo.

Rabanus. barabbas etiam, qui seditiones faciebat in turbis, dimissus est populo iudaeorum, idest diabolus, qui usque hodie regnat in eis; et idcirco pacem habere non possunt.

MATTHAEUS 27,27-30

5727 (Mt 27,27-30)

Augustinus de cons. Evang. post accusationes christi, consequens est ut ipsam domini passionem videamus, quam Matthaenus sic incipit: tunc milites praesidis suscipientes iesum in praetorio, congregaverunt ad eum universam cohortem.

Hieronymus. Quia enim rex iudaeorum fuerat appellatus, et hoc ei scribae et sacerdotes crimen obiecerant, quod sibi in populo israel usurparet imperium, illudentes hoc faciunt, ut nudatum pristinis vestibus induant chlamydem coccineam pro rufo linteo, quo reges veteres utebantur, et pro diademate imponant ei coronam spineam, pro sceptro regali dent calamum, et adorent quasi regem; et hoc est quod subditur et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius.

Augustinus de cons. Evang. Per hoc autem intelligitur marcum dixisse indutum purpura. Pro regia enim purpura chlamys illa coccinea ab illudentibus adhibita erat; et est rubra quaedam purpura cocco simillima. Potest etiam fieri ut purpuram etiam Marcus commemoraverit, quam chlamys habebat, quamvis esset coccinea.

Chrysostomus in Matth. quae igitur erit nobis cura de reliquo, si contumelias ab alieno patiamur, postquam Christus hoc passus est? etenim quod fiebat in Christum, ultimus terminus contumeliae erat; nec una particula tantum, sed universum corpus patiebatur iniurias: caput per coronam et arundinem et colaphos; facies, quia conspuebatur; genae, quia alapis caedebantur; corpus totum per flagella, et quia denudatum est per circumdationem chlamydis, et per fictam adorationem; manus per arundinem, quam dederunt ei pro sceptro; ac si timerent ne aliquid praetermitterent gravissimae praesumptionis.

Augustinus de cons. Evang. apparet autem Matthaenum recapitulando ista commemorasse, non quod tunc factum sit cum eum pilatus crucifigendum tradidisset. Ioannes enim antequam quam diceret quod eum pilatus crucifigendum tradiderit, ista commemoravit.

Hieronymus. Nos autem omnia haec intelligamus mystice. Quomodo enim caiphias dixit: oportet unum hominem mori pro omnibus, nesciens quid diceret; sic et isti quodcumque fecerunt, licet alia mente fecerint, tamen nobis qui credimus, sacramenta tribuebant. In chlamyde coccinea, opera gentium cruenta sustentat; in corona spinea maledictum solvit antiquum; in calamo venenata occidit animalia; sive calamum tenebat in manu, ut sacrilegium scriberet iudaeorum.

Hilarius in Matth. Vel aliter. susceptis omnibus corporis nostri infirmitatibus a domino, omnium deinde martyrum, quibus regnum secum erat debitum, sanguine cocci colore perfunditur, spinis quoque, idest compungentium quondam peccatis gentium, coronatur: est enim aculeus in spinis, ex quibus Christo victoriae corona contexitur. In calamo vero earumdem gentium infirmitas atque inanitas manu comprehensa firmatur; quin etiam capiti eius illiditur, ut infirmitas gentium manu christi comprehensa etiam in Deum patrem, qui caput eius est, conquiescat.

Origenes in Matth. Vel calamus mysterium fuit, quod priusquam crederemus, confidebamus in virga arundinea aegypti, vel cuiuscumque regni contrarii Deo; quem accepit, ut triumphet eum in ligno crucis. Percutiunt autem cum hoc calamo caput christi iesu, quoniam semper regnum illud verberat Deum patrem caput salvatoris.

Remigius. Vel aliter. Per chlamydem coccineam caro domini designatur, quae rubra dicitur propter sanguinis effusionem; per spineam coronam susceptio peccatorum nostrorum, quia in similitudinem carnis peccati apparuit.

Rabanus. calamo igitur christi caput percutiunt qui divinitati eius contradicentes, errorem suum auctoritate sanctae scripturae, quae calamo scribitur, confirmare conantur. Spuunt in faciem eius qui praesentiam gratiae illius verbis execrandis respuunt, et iesum in carne venisse denegant. Falso autem illum adorant qui in eum credunt, sed perversis actibus despiciunt.

Augustinus de quaest. Evang. Quod autem dominum in passione exuerunt veste propria, et induerunt fucata, signati sunt haeretici, qui eum dicunt verum corpus non habuisse, sed fictum.

MATTHAEUS 27,31-34

5731 (Mt 27,31-34)

Glossa. Postquam evangelista commemoravit ea quae ad illusionem christi pertinent, nunc narrare incipit processum crucifixionis ipsius: unde dicitur et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis suis, et duxerunt eum ut crucifigerent.

Augustinus de cons. Evang. Hoc autem in fine factum esse intelligitur, cum iam duceretur ad crucifigendum; postquam scilicet pilatus tradidit eum iudaeis.

Hieronymus. notandum autem, quod quando flagellatur iesus et conspuitur, non habet propria vestimenta, sed ea quae propter peccata nostra sumpserat; cum autem crucifigitur et illusionis pompa praeterierit, tunc pristinas vestes recipit, et proprium assumit ornatum; statimque elementa turbantur, et creatori dat testimonium creatura.

Origenes in Matth. Et de chlamyde quidem scriptum est, quoniam denuo expoliaverunt eum; Dei corona autem spinea nihil tale evangelistae scripserunt; ut iam non sint spinae nostrae antiquae, postquam semel eas a nobis abstulit iesus super venerabile caput suum.

Chrysostomus in serm. De passione. non autem voluit dominus pati sub tecto, non in templo iudaico, ne putares pro illa tantum plebe oblatum: et ideo foras civitatem, foras muros, ut scias sacrificium esse commune quod totius terrae est oblatio, quod communis est purificatio; et hoc signatur cum dicitur exeuntes invenerunt hominem cyrenaeum nomine simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem eius.

Hieronymus. Ne quis autem putet huic loco evangelistae iohannis historiam esse contrariam: ille enim dicit, exeuntem dominum de praetorio portasse crucem suam; Matthaeus autem refert, quod invenerunt hominem cyrenaeum, cui imposuerunt crucem iesu. Sed hoc intelligendum est quod egrediens de praetorio iesus, ipse portaverit crucem suam; postea obviam habuerunt simonem, cui portandam crucem imposuerunt.

Origenes in Matth. Aut egressi quidem angariaverunt simonem; appropinquantes autem ad locum in quo eum fuerant suspensuri, imposuerunt crucem et ipsi, ut ipse eam portaret. Non fortuito autem angariatus est simon; sed secundum dispositionem Dei ductus est ad hoc ut evangelica scriptura dignus inveniretur, et ministerio crucis christi. Non solum autem salvatorem conveniebat accipere crucem suam, sed et nos conveniebat eam portare, salutarem nobis angariam adimplentes; nec tamen sic profecisset nobis eam

accipere, sicut cum ipse eam accepit.

Hieronymus. mystice Christum suscipiunt nationes, et peregrinus obediens portat ignominiam salvatoris.

Hilarius in Matth. indignum enim iudaeis erat christi crucem ferre, quia fidei gentium erat in reliquum et crucem accipere et compati.

Remigius. Iste enim simon non erat hierosolymita, sed peregrinus et advena, scilicet cyrenaeus: cyrene enim civitas est lybiae. Interpretatur autem simon obediens, cyrenaeus heres; unde pulchre per eum designatur populus gentium, qui peregrinus erat testamentorum Dei, sed credendo factus est civis sanctorum, et domesticus et heres Dei.

Gregorius in Evang. Et moralium. Vel aliter. Per simonem, qui crucem dominicam in angariam portat, designantur abstinentes et arrogantes: quia per abstinentiam quidem carnem afficiunt, sed fructum abstinentiae interius non requirunt; unde idem simon crucem portat, sed non moritur, quia abstinentes et arrogantes per abstinentiam quidem corpus afficiunt, sed per desiderium gloriae mundo vivunt. sequitur et venerunt in locum qui dicitur golgotha, quod est calvariae locus.

Rabanus. golgotha enim syrum nomen est, et interpretatur calvaria.

Hieronymus. audivi quemdam exposuisse calvariae locum, in quo sepultus est adam; et ideo sic appellatum, quia ibi antiqui hominis sit conditum caput. Favorabilis interpretatio et mulcens aurem populi, nec tamen vera. extra urbem enim et foris portam loca sunt in quibus truncantur capita damnatorum, et calvariae, idest decollatorum, sumpsere nomen. Propterea autem ibi crucifixus est iesus, ut ubi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii. Adam vero sepultum iuxta ebron et arbee, in iesu filii nave volumine legimus.

Hilarius in Matth. Locus autem crucis talis est, ut positus in medio terrae, ad capessendam Dei cognitionem universis gentibus esset aequalis. sequitur et dederunt ei vinum bibere cum felle mixtum.

Augustinus de cons. Evang. Hoc Marcus ita narrat: et dabant ei bibere myrrhatum vinum. Fel quippe pro amaritudine Matthaeus posuit: myrrhatum enim vinum amarissimum est: quamquam fieri possit ut fel et myrrha vinum amarissimum redderent.

Hieronymus. Amara vitis amarum vinum facit; quo potant dominum iesum, ut impleatur quod scriptum est: dederunt in cibum meum fel. Et Deus loquitur ad ierusalem: ego te plantavi vineam veram; quomodo facta es in amaritudinem vitis alienae? et cum gustasset, noluit bibere.

Augustinus de cons. Evang. Quod autem Marcus ait: et non accepit, intelligitur: non accepit ut biberet; gustavit autem, sicut Matthaeus testis est; et quod idem Matthaeus ait noluit bibere; hoc Marcus dixit: non accepit. Tacuit etiam, quod gustavit; quod autem cum gustasset noluit bibere, hoc indicat, quod gustaverit quidem pro nobis mortis amaritudinem, sed tertia die resurrexit.

Hilarius in Matth. vel ideo oblatum vinum felle admixtum bibere recusavit: non enim aeternae gloriae incorruptioni peccatorum amaritudo miscetur.

MATTHAEUS 27,35-38

5735 (Mt 27,35-38)

Glossa. Praemisso quomodo Christus ad locum passionis est ductus, hic evangelista ipsam passionem prosequitur, genus mortis exponens, cum dicit postquam autem crucifixerunt eum.

Augustinus in lib. 83 quaestionum. Sapientia quidem Dei hominem ad exemplum quo recte viveremus, suscepit. Pertinet autem ad vitam rectam ea quae non sunt metuenda non metuere. Sunt autem homines qui quamvis mortem ipsam non timeant, genus tamen mortis horrescunt. Ut ergo nullum mortis genus recte viventi homini metuendum esset, illius hominis cruce ostendendum fuit. Nihil enim erat inter omnia genera mortis, illo genere execrabilius et formidabilius.

Augustinus in serm. De passione. Quantum autem valeat virtus crucis, advertat sanctitas vestra. Contempsit adam praeceptum, accipiens ex arbore pomum; sed quicquid adam perdidit, Christus in cruce

invenit. De diluvio aquarum humanum genus arca lignea liberavit; de aegypto Dei populo recedente, moyses mare virga divisit, pharaonem prostravit, et populum Dei redemit. Idem moyses lignum in aquam misit, et amaram aquam in dulcedinem commutavit. Ex lignea virga de spirituali petra salutaris unda profertur: et ut amalec vinceretur, circa virgam moyses expansis manibus extenditur: et lex Dei arcae testamenti creditur lignee: ut his omnibus ad lignum crucis, quasi per gradus quosdam, veniatur.

Chrysostomus in serm. De passione. Ideo et in excelso ligno, non sub tecto, passus est, ut etiam ipsius aeris natura mundetur; sed et terra simile beneficium sentiebat, decurrentis de latere sanguinis stillatione mundata.

Glossa. Lignum etiam crucis significare videtur ecclesiam in quatuor mundi partibus diffusam.

Rabanus. Vel secundum moralem sensum, crux per suam latitudinem significat hilaritatem operantis, quia tristitia angustias facit: latitudo enim crucis est in traverso ligno, ubi figuntur manus; per manus autem opera intelligimus. per altitudinem autem, cui caput adiungitur, significatur expectatio retributionis de sublimi iustitia Dei. Longitudo autem qua totum corpus extenditur, tolerantiam designat: unde longanimes dicuntur qui tolerant. Profundum autem quod terrae infixum est, secretum sacramenti praefigurat.

Hilarius in Matth. Sic ergo in ligno vitae cunctorum salus et vita suspenditur; unde dicitur postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta eius, sortem mittentes.

Augustinus de cons. Evang. Hoc breviter a Matthaeo dictum est; Ioannes autem distinctius explicat quemadmodum gestum est: milites cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius, et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem, et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis.

Chrysostomus in Matth. notandum ergo, quod non parva haec abiectio christi erat: quasi enim circa dehonorum et omnium vilissimum in Christo hoc agebant; in latronibus autem nihil tale operati sunt. Dividere enim vestimenta in condemnatis valde vilibus et abiectis fit, et nihil aliud habentibus.

Hieronymus. hoc autem quod circa Christum gestum est, in psalmo 22,19 fuerat prophetatum; et ideo sequitur ut adimpleretur quod dictum est per prophetam dicentem: diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Sequitur et sedentes servabant eum, scilicet milites. diligentia militum et sacerdotum nobis profuit, ut maior et apertior resurgentis virtus appareat. sequitur et imposuerunt super caput eius causam ipsius scriptam: hic est iesus rex iudaeorum. Non possunt autem digne admirari pro rei magnitudine, quod emptis falsis testibus, et ad seditionem clamoremque infelici populo concitato, nullam aliam invenerunt causam interfectionis eius, nisi quod rex iudaeorum esset: et illi forsitan illudentes ridentesque hoc fecerunt.

Remigius. Divinitus autem procuratum fuit ut talis titulus super caput eius poneretur, ut per hoc iudaei agnoscerent quoniam nec etiam occidendo facere potuerunt ut eum regem non haberent: per mortis enim patibulum non amisit imperium, sed potius corroboravit.

Origenes in Matth. Et princeps quidem sacerdotum, secundum litteram legis, portabat in capite suo sanctificationem domini scriptam; verus autem princeps sacerdotum et rex iesus in cruce quidem habet scriptum hic est rex iudaeorum; ascendens autem ad patrem, pro litteris et pro nomine quo nominatur, habet ipsum patrem.

Rabanus. Quia enim rex simul et sacerdos est, cum suae carnis hostiam in altari crucis offerret, regis quoque dignitatem titulus praetendit; qui non infra, sed supra crucem ponitur: quia licet in cruce pro nobis hominis infirmitate dolebat, super crucem tamen regis maiestas fulgebat; quam per crucem non perdidit, sed potius confirmavit. sequitur tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones, unus a dextris, et unus a sinistris.

Hieronymus. Sicut enim pro nobis maledictum crucis factus est Christus, sic pro omnium salute inter noxios quasi noxius crucifigitur.

Leo papa in serm. 4 de passione. Duo autem latrones, unus ad dexteram et unus ad sinistram, crucifiguntur, ut ipsa patibuli specie monstraretur illa quae in iudicio ipsius omnium hominum est facienda discretio. Passio igitur christi salutis nostrae continet sacramentum; et de instrumento quod iniquitas iudaeorum paravit ad poenam, potentia redemptoris, gradum fecit ad gloriam.

Hilarius in Matth. Vel aliter. Duo latrones laevae ac dexterae affiguntur, omnem humani generis universitatem vocari ad sacramentum passionis domini ostendentes; sed quia per diversitatem fidelium ac infidelium fit omnium secundum dexteram sinistramque divisio, unus ex duobus ad dexteram eius situs, fidei

iustificatione salvatur.

Remigius. Vel per istos duos latrones designantur omnes qui arctioris vitae continentiam apprehendunt: quicumque enim sola intentione placendi Deo hoc faciunt, designantur per illum qui a dextris Dei crucifixus est; qui vero pro appetitu humanae laudis vel aliqua minus digna intentione, designantur per illum qui a sinistris crucifixus est.

MATTHAEUS 27,39-44

5739 (Mt 27,39-44)

Chrysostomus in Matth. cum Christum denudassent et crucifixissent, ultra procedunt, et in cruce videntes affixum exprobrant ei: unde dicitur praetereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua.

Hieronymus. Blasphemabant quidem, quia praetergredebantur viam, et in vero itinere scripturarum ambulare nolebant. Movebant autem capita sua, quia iam ante moverant pedes, et non stabant supra petram. Idipsum autem insultans dicit fatuus populus, quod falsi testes confixerant; unde sequitur et dicentes: vah, qui destruis templum Dei, et in triduo illud reaedificas.

Remigius. vah interiectio est insultantis, sive irridentis.

Hilarius in Matth. quid ergo veniae erit, cum post triduum reaedificatum templum Dei in corporis resurrectione cerneretur? .

Chrysostomus in Matth. Et quasi prioribus signis incipientes detrahere, subiungunt salva temetipsum. si filius Dei es, descende de cruce.

Chrysostomus in serm. De passione. sed e contrario, quia filius Dei est, ideo non descendit de cruce: nam ideo venit ut crucifigeretur pro nobis. sequitur similiter et principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus dicebant: alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.

Hieronymus. Etiam nolentes scribae et pharisaei confitentur quod alios salvos fecerit. Itaque vestra vos condemnat sententia: qui enim alios salvos fecit, utique si vellet, et seipsum salvare poterat. sequitur si rex israel est, descendat nunc de cruce; et credimus ei.

Chrysostomus in serm. De passione. Considera autem nunc vocem filiorum diaboli, quomodo imitantur vocem paternam. Diabolus enim dicebat: mitte te deorsum, si filius Dei es; et iudaei dicunt si filius Dei es, descende de cruce.

Leo papa in serm. 4 de passione. De quo erroris fonte, iudaei, talium blasphemiarum venena potastis? quis vobis magister tradidit? quae doctrina persuasit, quod illum regem israel, illum Dei filium credere debeatis, qui se aut crucifigi non sineret, aut a confixione clavorum liberum corpus excuteret? non hoc vobis legis mysteria aut prophetarum ora cecinerunt, sed illud vere legistis: faciem meam non averti a confusione sputorum. Et iterum: foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea. Numquid legistis: dominus descendit de cruce? sed legistis: dominus regnavit a ligno.

Rabanus. Si autem tunc de cruce surgeret, insultantibus cedens, virtutem nobis patientiae non demonstraret; sed expectavit paululum, irrisionem sustinuit; et qui de cruce surgere noluit, de sepulcro resurrexit.

Hieronymus. fraudulenta autem est promissio cum addunt et credimus ei. Quid enim plus est, de cruce adhuc viventem descendere, an de sepulcro mortuum resurgere? resurrexit, et non credidistis; ergo etiam si de cruce descenderet, non crederetis. Sed mihi videntur hoc daemones immittere. statim enim ut crucifixus est dominus, senserunt virtutem crucis et intellexerunt fractas vires suas esse; et hoc agunt ut de cruce descendat. Sed dominus sciens adversariorum insidias, permanet in patibulo, ut diabolium destruat. sequitur confidit in Deo: liberet eum nunc si vult.

Chrysostomus in Matth. o inquinati valde. Numquid prophetae et iusti non erant, quia eos non eripuit a periculis Deus? si autem illorum gloriae non obfuit quod eis pericula induxistis: multo magis in isto non oportebat vos scandalizari per ea quae patitur, quia semper per ea quae dixit, hanc vestram removit suspicionem. sequitur dixit enim: quia filius Dei sum; per quod ostendere volebant eum pati ob seductoris et

erronei causam, et sicut superbum et vane gloriantem in his quae dicebat. Sic ergo non solum iudaei et milites desubtus eum deridebant, sed et desuper latrones cum eo crucifixi; unde sequitur idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei.

Augustinus de cons. Evang. Potest autem putari Lucas repugnare ei quod hic dicitur, qui dicit, quod unus de latronibus blasphemabat eum, quem alter increpabat, nisi intelligamus Matthaeum breviter restringentem hunc locum, pluralem numerum pro singulari posuisse: sicut in epistola ad hebraeos legimus pluraliter dictum: clausurunt ora leonum, cum solus daniel significari intelligatur. Quid autem usitatius quam ut aliquis dicat: en rustici mihi insultant, etiamsi unus insultet? esset autem contrarium, si Matthaeus dixisset ambos latrones conviciatos domino; cum vero dictum est latrones, nec additum est ambo, potuit usitato locutionis modo per pluralem numerum significari.

Hieronymus. Vel potest dici, quod primum uterque simul blasphemaverit; deinde, sole fugiente, terra commota, saxisque diruptis, et ingruentibus tenebris, unus crediderit in iesum, et priorem negationem sequenti confessione emendaverit.

Chrysostomus in Matth. Ut enim non existimes ex quadam conniventia id gestum fuisse, neque latronem fuisse qui latro videbatur; a contumelia ostendit tibi quoniam etiam in cruce positus latro erat et inimicus, et repente transmutatus est.

Hilarius in Matth. Quod autem latrones ambo conditionem ei passionis exprobrant, universis etiam fidelibus scandalum crucis futurum esse significat.

Hieronymus. Vel in duobus latronibus uterque populus gentilium et iudaeorum primo dominum blasphemavit; postea signorum multitudine alter exterritus egit poenitentiam, et usque hodie iudaeos increpat blasphemantes.

Origenes in Matth. sed et latro qui salvatus est potest esse mysterium eorum qui post multas iniquitates crediderunt in Christum.

MATTHAEUS 27,45-50

5745 (Mt 27,45-50)

Chrysostomus in serm. De passione. non poterat ferre creatura iniuriam creatoris; unde sol retraxit radios suos, ne videret impiorum facinora; et ideo dicitur a sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam.

Origenes in Matth. ab hoc textu quidam calumniantur evangelicam veritatem. Defectio enim solis a saeculo semper fuit in suo tempore facta; sed defectio solis, quae secundum consuetudinem temporum ita currentium fieri solet, non in alio tempore fit nisi in conventu solis et lunae, quando luna subtus currens, solis impedit radios occurrentis ei: in tempore autem quo passus est Christus, manifestum est quoniam conventus non erat lunae ad solem, quoniam tempus erat paschale, quod consuetudinis est agere quando luna plena est. Quidam autem credentium volentes defensionem aliquam inducere contra hoc, dixerunt quoniam illa defectio solis convenienter secundum cetera prodigia nova contra consuetudinem facta est. Dionysius ad polycarpum. cum ambo apud heliopolim essemus, ambo simul incidentem mirabiliter soli lunam notabamus (non enim eiusce coniunctionis tunc aderat tempus)., ipsamque rursus ab hora nona usque in vesperam ad solis diametrum supra naturae vires restitutam. Insuper et eam lunae incidentiam observavimus ab oriente coepisse, et usque ad solaris corporis finem pervenisse, ac tum demum resillisse, nec ex ea, ut assolet, parte luminis defectum et restitutionem contigisse, sed ex adverso diametri.

Chrysostomus in Matth. tribus etiam horis tenebrae permanserunt, cum eclipsis in momento transeat; non enim habet moram, ut sciunt illi qui consideraverunt.

Origenes in Matth. sed adversus hoc filii huius saeculi dicunt: quomodo hoc factum tam mirabile nemo graecorum aut barbarorum scripsit eorum qui notaverunt, si quid tale novum factum est aliquando? et phlegon quidem in chronicis suis scripsit, in principatu tiberii caesaris factum, sed non signavit in luna plena. Arbitror ergo sicut cetera signa quae facta sunt in passione ipsius, scilicet velum scissum et terra tremens et cetera in ierusalem tantummodo facta sunt. Aut si latius voluerit quis extendere ad terram iudaeam, sicut in tertio libro regum dixit abdias ad eliam: vivit Deus tuus, si est gens aut regnum, ubi non misit dominus meus quaerere te, ostendens quoniam satis eum in gentibus quaesierat circa iudaeam. Est autem consequens

intelligere quasdam tenebrosissimas nubes et multas et magnas concurrisse super ierusalem et terram iudaeae; et ideo factae sunt tenebrae profundae a sexta hora usque ad nonam. duae enim creaturae in sexta die factae fuisse intelliguntur: ante sextam quidem animalia, in sexta autem homo; et ideo conveniebat pro salute hominis morientem in hora sexta suspendi, et a sexta hora propter hoc tenebras fuisse factas super omnem terram usque ad nonam. Et sicut moyses manus extendente in caelum factae sunt tenebrae super aegyptios, servos Dei tenentes in servitute; similiter et Christo in sexta hora manus extendente in cruce ad caelum super populum qui clamaverat: crucifige eum, factae sunt tenebrae, et ab omni lumine sunt privati, in signum futurarum tenebrarum, quae comprehensurae erant gentem iudaeam. item sub moyses factae sunt tenebrae super omnem terram aegypti tribus diebus; omnibus autem filiis israel erat lumen; sub Christo autem factae sunt tenebrae super omnem iudaeam tribus horis: quoniam propter peccata sua privati sunt a lumine Dei patris, et a splendore christi, et ab illuminatione spiritus sancti. Lumen autem super omnem reliquam terram, quod ubique illuminat omnem ecclesiam Dei in Christo. Et si usque ad horam nonam tenebrae factae fuerunt super iudaeam, manifestum est quoniam iterum eis lumen refusit: quia cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis israel salvus fiet.

Chrysostomus in Matth. Vel aliter. Hoc admirandum erat quod in omnem terram tenebrae sunt factae, quod numquam prius contigerat. In aegypto enim solum tenebrae factae sunt, quando pascha perficiendum erat: quae enim tunc agebantur, horum typus erant. Et intueri, quod fuerint tenebrae in media die, quando ubique terrarum dies erat: ut omnes qui habitabant terram, hoc miraculum cognoscerent. hoc autem est signum quod petentibus promittebat dare, dicens: generatio prava et adultera signum quaerit; et signum non dabitur ei, nisi signum ionae prophetae, crucem signans et resurrectionem. etenim multo mirabilius est in eo qui crucifixus erat hoc fieri, quam ambulante eo super terram. Hoc autem sufficiens erat eos convertere, non solum magnitudine miraculi, sed quia hoc gestum est postquam omnia locuti fuerant quae voluerant, et satietatem acceperant contumeliarum. qualiter autem non admirati sunt universi, neque aestimaverunt eum esse Deum? quia scilicet hominum genus tunc multa malitia et desidia detinebatur: et hoc miraculum factum confestim transiit, et non noverant quae esset causa eius quod gerebatur. Et propter hoc ipse postea loquitur, ut ostendat se vivere, et quod ipse hoc miraculum fecit; unde sequitur et circa horam nonam clamavit iesus voce magna dicens: eli, eli, lamma sabactani; hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? .

Hieronymus. principio vigesimi primi psalmi usus est. Illud vero quod est in medio versiculi, respice in me, superfluum est: legitur enim in hebraeo: eli, eli, lamma sabactani, hoc est: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti? ergo impii sunt qui psalmum ex persona David, sive esther et mardochoei dictum putant, cum etiam evangelistae testimonia ex eo sumpta super salvatore intelligantur, ut est illud: diviserunt sibi vestimenta mea, et: foderunt manus meas.

Chrysostomus in Matth. Ideo autem emisit propheticam vocem, ut usque ad ultimam horam testimonium perhibeat veteri testamento, et ut videant quoniam honorat patrem, et non est Deo contrarius: et ideo hebraicam vocem emisit, ut eis fieret cognita et manifesta.

Origenes in Matth. Requirendum est autem: quid est quod a Deo derelictus est Christus? et quidam quia non possunt exponere derelinqui Christum a Deo, dicunt quod per humilitatem dictum est. Sed manifeste intelligere poteris quid sit quod dicit, faciens comparisonem gloriae illius quam habuit apud patrem ad confusionem quam contemnens sustinuit crucem.

Hilarius in Matth. per haec autem verba ingenia contendunt haeretica, quod aut defecisse omnino Dei verbum in animam corporis volunt, dum corpus officio animae vivificat; aut omnino nec fuerit Christus homo natus, quia in eo Dei verbum modo spiritus habitaverit prophetalis; quasi iesus Christus animae solum, et corporis homo communis, hoc habeat sui exordium quo esse coepit homo qui nunc a Dei verbo contracta rursus protectione desertus clamet Deus meus, quare me dereliquisti? vel certe in animam verbi natura mutata, paterno Christus in omnibus usus auxilio, nunc inops eius mortique permissus solitudinem suam conqueratur, relinquentemque se arguat. Sed inter has impias infirmasque sententias, ecclesiae fides imbuta apostolicis doctrinis non partitur iesum Christum, ne filius Dei et non filius hominis intelligatur; nam querela derelicti morientis infirmitas est; promissio autem paradisi, viventis Dei regnum est. Habes in conquerente ad mortem relictum se esse, quia homo est; habes eum qui moritur profitentem se in paradiso regnare, quia Deus est. Non ergo mireris verborum humilitatem, et querimonias derelicti, cum formam servi sciens, scandalum crucis videas.

Glossa. Dicitur autem Deus eum deseruisse in morte, quia potestati persequentium eum exposuit; subtraxit enim protectionem, sed non solvit unionem.

Origenes in Matth. Postquam autem vidit super omnem terram iudaeam tenebras, hoc dixit, ostendere volens: dereliquisti me, pater; idest, talibus exinanitum calamitatibus tradidisti, ut populus qui fuerat apud te

honoratus, recipiat quae in me ausus est, ut privetur a lumine tuae prospectionis; sed et pro salute gentium dereliquisti me. Quid autem tam bonum fecerunt qui ex gentibus crediderunt, ut pretioso sanguine super terram effuso pro eis, eruerem eos a maligno? aut quid tale dignum facturi sunt homines, pro quibus patior ista? forsitan autem et videns peccata hominum pro quibus patiebatur, dixit quare me dereliquisti? ut fierem quasi qui colligit stipulam in messe, et racemos in vindemia. Non autem aestimes humano more salvatorem ista dixisse, propter calamitatem quae comprehenderat eum in cruce: si enim ita acceperis, non audies magnam vocem eius, quae ostendit aliquid esse magnum absconditum.

Rabanus. vel salvator hoc dixit, nostros circumferens motus, qui in periculis positi, a Deo deseri nos putamus. Humana enim natura propter peccatum a Deo fuerat derelicta; sed quia filius Dei factus est noster advocatus, quorum suscepit culpam, deplorat miseriam: in quo ostendit quantum flere debeant qui peccant, quando sic flevit qui nunquam peccavit. sequitur quidam autem illic stantes et audientes, dicebant: eliam vocat iste.

Hieronymus. non omnes, sed quidam: quos arbitror milites fuisse romanos, non intelligentes hebraici sermonis proprietatem; sed ex eo quod dixit eli, eli, putant eliam ab eo invocatum. Sin autem iudaeos, qui hoc dixerint, intelligere voluerimus, hoc more sibi solito fecisse, ut dominum imbecillitatis infament, qui eliae auxilium deprecetur. sequitur et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere.

Augustinus in serm. De passione. Sic ergo propinator fontium potatur aceto, mellis dator cibatur felle, flagellatur remissio, condemnatur venia, illuditur maiestas, ridetur virtus, perfunditur largitor imbrum sputis.

Hilarius in Matth. Est autem acetum vinum quod per vitium aut incuriae aut vasis acescit; vinum autem est honor immortalitatis aut virtus. Cum igitur in adam coacuisset, ipse accepit et potavit ex gentibus. In calamo enim et spongia ut potaret offertur; idest ex corporibus gentium in se ad communionem immortalitatis ea quae in nobis erant vitiata transfudit.

Remigius. Vel aliter. Iudaei acetum erant degenerantes a vino patriarcharum et prophetarum; habebant fraudulentam corda, quasi spongiam cavernosis atque tortuosis latibulis. Per arundinem designatur sacra scriptura, quae in hoc facto implebatur: sicut enim lingua hebraea vel graeca dicitur loquela, quae fit per linguam, sic et arundo dici posset littera, vel scriptura, quae fit per arundinem.

Origenes in Matth. et forsitan quicumque secundum doctrinam ecclesiasticam sapiunt, vivunt autem male, dant ei vinum bibere felle permixtum; qui autem alienas a veritate sententias applicant Christo, quasi eas dicenti, hi spongiam implentes aceto imponunt calamo scripturae, et offerunt ori eius. sequitur ceteri vero dicebant: sine, videamus an veniat elias liberans eum.

Rabanus. Quia enim milites prave sonum vocis dominicae intelligebant, ideo inaniter adventum eliae expectabant. Deum ergo, quem salvator hebraico sermone invocabat, inseparabiliter semper secum habebat.

Augustinus in serm. De passione. cum ergo nil iam Christo restaret ex poenis, mors moratur, quia suum esse ibi nil sentit. Suspecta est vetustati novitas. hunc primum, hunc solum vidit hominem peccati nescium, noxa liberum, iuris sui legibus nil debentem. Accedit tamen confoederata iudaico mors furori, et desperata vitae invadit auctorem; unde sequitur iesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. Quare autem displicet, si Christus de sinu patris ad nostram servitutem venit, ut nos suae redderet libertati; nostram mortem suscepit, ut nos eius morte liberemur, quando nos despectu mortis mortales in deos retulit, terrenos caelestibus aestimavit? quantum enim divina virtus operum contemplatione lucebat, tantum pati pro subiectis, pro servis mori, insigne est caritatis immensae. ergo haec prima causa est dominicae passionis, quia sciri voluit quantum amaret hominem Deus, qui plus amari voluit quam timeri. Secunda causa est ut sententiam mortis, quam iuste dederat, iustius aboleret. Quia namque primus homo, adiudicante Deo, de reatu incurrerat mortem, et eam transmisit ad posteros, venit de caelo secundus homo peccati nescius, ut mors damnaretur, quae rapere iussa reos, innocentiae ipsum invadere praesumpsit auctorem. Nec mirandum est, si pro nobis posuit quod suscepit a nobis, scilicet animam, qui propter nos fecit tanta, et talia largitus est nobis.

Augustinus contra felicianum. absit enim a fidelibus ista suspicio, ut sic Christus senserit mortem nostram, ut quantum in se est, vita perderet vitam. Nam si hoc ita esset, quomodo illo triduo potuisse dicimus aliquid vivere, si vitae fons dicitur aruisse? sensit igitur mortem deitas christi participatione humana, sive humani affectus, quem sponte susceperat, non naturae suae potentiam perdidit, per quam cuncta vivificat. in morte enim nostra sine dubio destitutum vita corpus animam nostram non perimit, dum discedens anima non vim suam perdit, sed quod vivificaverat hoc dimittit, et quantum in se est, alterius mortem facit, ipsa non recipit.

De salvatoris nunc anima dicemus, qui, ut non dicam propter inhabitantem divinitatem et propter iustitiam singularem, certe propter communem moriendi sortem corpus illo triduo sic potuit deserere, ut ipsa non posset penitus interire. Credo enim Dei filium mortuum esse, non secundum poenam iniustitiae, quam ex toto non habuit, sed secundum legem naturae, quam pro humani generis redemptione suscepit. damascenus de fide orth. Etsi tamen mortuus est ut homo, et sancta eius anima ab incontaminato divisa est corpore; tamen deitas inseparabilis ab utrisque permansit; ab anima, dico, et corpore. Et neque sic una hypostasis in duas divisa est: corpus enim et anima, sicut a principio in verbi hypostasi habuerunt existentiam, ita etiam in morte. numquam enim neque anima, neque corpus propriam habuerunt hypostasim, praeter eam quae verbi est hypostasis.

Hieronymus. divinae autem potestatis indicium est emittere spiritum, ut ipse quoque dixerat: nemo potest tollere animam meam a me; sed ego pono eam, et iterum sumo eam: spiritum enim in hoc loco pro anima intelligamus; seu quod vitale aut spirituale corpus faciat, seu quod ipsius animae substantia spiritus sit, iuxta id quod scriptum est: auferes spiritum eorum, et deficient.

Chrysostomus in Matth. Propter hoc autem et voce magna clamavit, ut ostendatur quoniam secundum eius potestatem id geritur. Per hoc enim quod moriens vocem emisit magnam, apertissime se verum Deum esse ostendit: quoniam homines cum moriuntur, vix tenuem vocem emittere possunt.

Augustinus de cons. Evang. Quid autem voce magna dixerit, Lucas declaravit: dixit enim: et clamans iesus voce magna, ait: pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

Hilarius in Matth. Vel spiritum cum clamore magnae vocis emisit, dolens se non omnia peccata portare.

MATTHAEUS 27,51-56

5751 (Mt 27,51-56)

Origenes in Matth. Magna facta sunt ex eo quod magna voce clamavit iesus; unde sequitur et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum.

Augustinus de cons. Evang. In quo satis ostendit tunc esse scissum cum emisit spiritum. Si autem non addidisset et ecce, sed simpliciter dixisset et velum templi scissum est, incertum esset utrum ipse et Marcus hoc recapitulando commemorassent; Lucas autem ordinem tenuisset, qui cum dixisset: sol obscuratus est, continuo subiungendum aestimavit: et velum templi scissum est, an Lucas recapitulasset quod illi ordine posuissent.

Origenes in Matth. duo autem fuisse vela intelliguntur: unum quod velat sancta sanctorum, aliud exterius sive tabernaculi, sive templi. In passione ergo domini salvatoris, velum quod erat a foris conscissum est a sursum usque deorsum, ut ab initio mundi usque ad finem conscisso velamine, mysteria publicentur, quae usque ad adventum domini rationabiliter fuerunt occulta. cum autem venerit quod perfectum est, tunc auferetur etiam secundum velum, ut videamus etiam quae interius sunt occulta, scilicet veram arcam testamenti, et sicut ipsa se habet natura, videamus cherubim et alia.

Hilarius in Matth. vel ideo velum templi scinditur, quia exinde populus est divisus in partes, et veli honor cum custodia angeli protegentis auferetur.

Leo papa in serm. De passione. Est autem ad testimonium venerandae passionis sufficiens signum elementorum inopinata turbatio; unde sequitur et terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt.

Hieronymus. Nulli enim dubium est quid significet iuxta litteram magnitudo signorum, ut crucifixum dominum suum et caelum et terra et omnia demonstrarent.

Hilarius in Matth. Movetur terra, quia capax huius mortui esse non poterat; petrae scissae sunt, omnia enim valida et fortia penetrans Dei verbum, et potestas aeternae virtutis irruerat; et monumenta aperta sunt: erant enim mortis claustra reserata. sequitur et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt: illuminans enim mortis tenebras, et inferorum obscura collustrans, mortis spolia detrahebat.

Chrysostomus in Matth. Ipso quidem in cruce manente eum irridentes dicebant alios salvos fecit; seipsum non potest salvum facere. Sed quod in se facere noluit, in servorum corporibus, cum multa superabundantia

demonstravit. Si enim quatruiduanum lazarus exurgere magnum fuit, multo magis eos repente qui olim dormierant, apparere viventes; quod futurae resurrectionis erat indicium. ut autem non putaretur esse phantasma quod factum est, evangelista subiungit et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis.

Hieronimus. Quomodo autem lazarus mortuus surrexit, sic et multa corpora sanctorum resurrexerunt, ut dominum ostenderent resurgentem; et tamen cum monumenta aperta sunt, non ante resurrexerunt quam resurgeret dominus, ut esset primogenitus resurrectionis ex mortuis. Sanctam autem civitatem in qua visi sunt resurgentes, aut ierusalem caelestem intelligamus, aut hanc terrenam, quae ante sancta fuerat: sancta enim appellabatur civitas ierusalem propter templum et sancta sanctorum, et ob distinctionem aliarum urbium, in quibus idola colebantur. Quando vero dicitur apparuerunt multis, ostenditur non generalis fuisse resurrectio quae omnibus appareret, sed specialis ad plurimos, ut hi viderent qui cernere merebantur.

Remigius. Quaeret autem aliquis quid de illis factum sit qui resurgente domino surrexerunt. Credendum quippe est quoniam ideo surrexerunt ut testes essent dominicae resurrectionis. quidam autem dixerunt, quod iterum mortui sunt, et in cinerem conversi, sicut et lazarus, et ceteri quos dominus resuscitavit. sed istorum dictis nullo modo est fides accommodanda: quoniam maius illis esset tormentum qui surrexerunt, si iterum mortui essent, quam si non resurgerent. incunctanter ergo credere debemus quia qui resurgente domino a mortuis resurrexerunt, ascendente eo ad caelos, et ipsi pariter ascenderunt.

Origenes in Matth. Semper autem haec eadem magna quotidie fiunt: velum enim templi ad relevandum quae intus habentur scinditur sanctis. Terra etiam movetur, idest omnis caro, novo verbo et novis rebus secundum novum testamentum. petrae autem scinduntur, quae mysterium fuerunt prophetarum, ut in profundis eorum posita spiritualia mysteria videamus. monumenta autem dicuntur corpora peccatricum animarum, idest mortuarum Deo; cum autem per gratiam Dei animae huiusmodi fuerint suscitatae, corpora eorum, quae prius fuerunt monumenta, fiunt corpora sanctorum, et videntur a seipsis exire, et sequuntur eum qui resurrexit, et in novitate vitae ambulant cum eo: et qui digni sunt habere conversationem in caelis, ingrediuntur in sanctam civitatem per singula tempora, et apparent multis videntibus opera bona ipsorum. sequitur centurio autem, et qui cum eo erant custodientes iesum, viso terraemotu et his quae fiebant, timuerunt valde, dicentes: vere filius Dei erat iste.

Augustinus de cons. Evang. Non est contrarium quod Matthaeus viso terraemotu dicit admiratum centurionem et eos qui cum eo erant, cum Lucas dicat hoc admiratum, quod emissa magna voce expirasset: in eo enim quod Matthaeus non solum dixit viso terraemotu, sed et addidit his quae fiebant, integrum locum fuisse demonstravit lucae, ut diceret centurionem ipsam domini mortem fuisse miratum: quia et hoc inter illa est quae tunc mirabiliter facta erant.

Hieronimus. Ex hoc considerandum, quod centurio in ipso scandalo passionis vere Dei filium confiteatur, et arius in ecclesia praedicet creaturam.

Rabanus. Unde merito per centurionem fides ecclesiae designatur, quae, vel mysteriorum caelestium per mortem domini reserato, continuo iesum et vere iustum hominem, et vere Dei filium, synagoga tacente, confirmat. **Leo** in serm. 13 de passione. Exemplo igitur centurionis contremiscat in redemptoris sui supplicio terrena substantia, rumpantur infidelium mentium petrae, et qui mortalitatis gravabantur sepulcris, discussa obstaculorum mora prosiliant; appareant nunc quoque in civitate sancta, idest ecclesia Dei, futurae resurrectionis indicia; et quod credendum est in corporibus, fiat in cordibus. sequitur erant autem ibi mulieres multae a longe, quae secutae erant iesum a galilaea, ministrantes ei.

Hieronimus. consuetudinis enim iudaicae fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum praeceptoribus ministrarent. Hoc, quia scandalum facere poterat in gentibus, paulus abiecit se memorat. Ministrabant autem domino de substantia sua, ut meteret illarum carnalia, cuius illae metebant spiritualia: non quia indigebat cibis dominus creaturarum, sed ut typum ostenderet magistrorum, quia victu atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti. sed videamus quales comites habuerit; sequitur enim inter quas erat maria magdalene, et maria iacobi et ioseph mater, et mater filiorum zebedaei.

Origenes in Matth. Apud marcum autem tertia illa salome appellatur.

Chrysostomus in Matth. Hae autem mulieres considerabant quae gerebantur, quae maxime erant compassibiles; et quae sequebantur ministrantes usque ad pericula affuerunt, maximam fortitudinem ostendentes: quia cum discipuli fugerunt, ipsae affuerunt.

Hieronimus contra helvidium. Ecce, inquit helvidius, iacobus et ioseph sunt filii mariae matris domini, quos

iudaei appellaverunt fratres christi. Dicit autem iacobi minoris ad distinctionem iacobi maioris, qui erat filius zeBedaei. Impium enim dicit esse helvidius hoc sentire de maria, ut cum aliae feminae ibi fuerint, matrem eius abesse dicamus; aut alteram esse mariam, nescio quam confingamus, praesertim cum evangelium iohannis testetur eam illic fuisse praesentem. O furor caecus, et in proprium exitium mens vesana. Audi quid iohannes evangelista dicat: stabat iuxta crucem iesu mater eius, et soror matris eius maria cleophae, et maria magdalene. nulli dubium est duos fuisse apostolos, iacobi nuncupatos vocabulo: iacobum zeBedaei, et iacobum alphaei. Iste autem nescio quis minor iacobus, quem mariae filium scriptura commemorat: si apostolus est, alphaei filius erit, si non est apostolus, sed tertius nescio quis iacobus, quomodo putandus est frater domini, et quomodo tertius ad distinctionem maioris minor appellabitur? cum maior et minor non inter tres, sed inter duos soleant praebere distantiam; et frater domini apostolus sit, paulo dicente: alium apostolorum vidi neminem, nisi iacobum fratrem domini. Ne autem hunc iacobum putes filium zeBedaei, lege actus apostolorum, iam ab herode fuerat interemptus. Restat conclusio, ut maria ista, quae iacobi minoris scribitur mater, fuerit uxor alphaei, et soror mariae matris domini, quam mariam cleophae iohannes evangelista commemorat. Si autem inde tibi alia atque alia videtur, quod alibi dicatur maria iacobi minoris mater, et alibi maria cleophae, discas scripturae consuetudinem, eundem hominem diversis nominibus appellari; sicut raguel socer moysi ietro dicitur. Et similiter dicitur maria cleophae uxor alphaei; haec eadem dicta est maria mater iacobi minoris; quae si mater esset domini, magis eam, ut in omnibus locis, matrem alterius voluisset intelligi. Verum etsi alia fuerit maria cleophae, et alia maria iacobi et ioseph mater, hoc tamen constat non eandem mariam iacobi et ioseph esse quam matrem domini.

Augustinus de cons. Evang. possemus autem dicere alias mulieres a longe, ut tres evangelistae dicunt, et alias iuxta crucem fuisse, ut iohannes dicit, nisi Matthaeus et Marcus mariam magdalene nominassent inter stantes longe, quam scilicet iohannes nominavit inter stantes iuxta crucem. Quomodo autem hoc intelligitur, nisi quia eo intervallo erant ut et iuxta dici possent, quia in conspectu eius praesto aderant, et a longe in comparatione turbae propinquius circumstantis cum centurione et militibus. Possumus etiam intelligere quod illae quae simul aderant cum matre domini, postquam eam discipulo commendavit, abire iam coeperant, ut a densitate turbae se eruerent, et cetera quae facta sunt, longius intuerentur; ut evangelistae, qui post mortem domini eas commemoraverunt, et longe stantes commemorent.

MATTHAEUS 27,57-61

5757 (Mt 27,57-61)

Glossa. Postquam evangelista retulerat ordinem dominicae passionis et mortem, nunc agit de eius sepultura, dicens cum sero autem factum esset, venit quidam homo dives ab arimathaea nomine ioseph, qui et ipse discipulus erat iesu.

Remigius. Arimathaea ipsa est et ramatha civitas helcanae et samuelis, quae sita est in regione chanaitica, iuxta diospolim. iste autem ioseph, secundum saeculi statum, magnae fuit dignitatis; sed multo maioris meriti apud Deum fuisse laudatur, siquidem iustus fuisse describitur. Decebat quippe eum talem existere qui corpus sepeliret, quatenus per iustitiam meritorum dignus esset tali officio.

Hieronymus. dives autem refertur non de iactantia scriptoris, quod virum nobilem atque ditissimum referat iesu fuisse discipulum; sed ut ostendat causam quare a pilato corpus christi potuerit impetrare. sequitur hic accessit ad pilatum, et petiit corpus iesu: pauperes enim et ignoti non essent ausi ad pilatum praesidem romanae potestatis accedere et crucifixi corpus impetrare. In alio autem evangelio ioseph iste bulites appellatur, idest consiliarius; et de ipso quidem putant primum psalmum fuisse compositum: beatus vir qui non abiit in consilio impiorum.

Chrysostomus in Matth. Inspice autem huius viri fortitudinem: in mortis enim periculum se tradidit, inimicitias ad omnes assumens, propter benevolentiam christi; et non solum audet corpus christi petere, sed et sepelire; unde sequitur et accepit et involvit illud in sindone munda.

Hieronymus. Ex simplici sepultura domini, ambitio divitum condemnatur, qui nec in tumultis quidem possunt carere divitiis. possumus autem iuxta intelligentiam spiritualem et hoc sentire, quod corpus domini non auro, non gemmis, non serico, sed linteamine puro obvolvendum sit; quamquam et hoc significet, quod ille in sindone munda involvit iesum qui pura mente eum susceperit.

Remigius. Vel aliter. Quia sindon lineus pannus est; linum autem ex terra procreatur, et cum magno labore ad candorem perducitur; designatur quia corpus illius, quod ex terra, idest ex virgine, sumptum est, per laborem passionis pervenit ad candorem immortalitatis.

Rabanus. hinc etiam ecclesiae mos obtinuit ut sacrificium altaris non in serico neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, ut a beato papa silvestro legimus esse statutum. sequitur et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra.

Augustinus in serm. 2 de sabbato sancto. ideo autem salvator in aliena sepultura ponitur, quia pro aliorum moriebatur salute. ut quid ergo in propria sepultura qui in se mortem propriam non habebat? ut quid illi tumulus in terris, cuius sedes manebat in caelis? ut quid illi sepultura propria, qui tridui tantum temporis spatio in sepulcro non tam mortuus iacuit, quam velut in lectulo conquievit? sepulcrum autem mortis est habitaculum necessarium: ergo non erat mortis habitaculum Christo, quia vita est; nec opus habebat semper vivens habitaculo defunctorum.

Hieronymus. In novo autem ponitur monumento, ne post resurrectionem, ceteris corporibus remanentibus, surrexisse alius fingeretur. Potest autem et novum sepulcrum, mariae virginalem uterum demonstrare. In monumento autem exciso in petra conditus est, ne si ex multis lapidibus aedificatus fuisset, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur.

Augustinus in serm. 2 de sabbato sancto. Si etiam sepulcrum fuisset in terra, dicere poterant: suffoderunt terram, et furati sunt eum. Si fuisset lapis parvulus superpositus, dicere poterant: dormientibus nobis tulerunt eum; unde sequitur et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit.

Hieronymus. saxum enim magnum appositum ostendit, non absque auxilio plurimorum sepulcrum potuisse reserari.

Hilarius in Matth. Mystice autem ioseph apostolorum habet speciem. hic in munda sindone corpus involvit, et quidem in hoc eodem linteo reperimus de caelo ad petrum universorum animantium genera submissa: ex quo intelligitur sub linteo illius nomine consepeliri Christo ecclesiam. Domini ergo corpus infertur in vacuum et novam requiem lapidis excisi, quia per apostolorum doctrinam in pectus duritiae gentilis quodam doctrinae opere excisum Christus infertur, rude scilicet ac novum, et nullo antea ingressu timoris Dei pervium. Et quia nihil praeter eum oporteat in pectora nostra penetrare, lapis ostio advolvitur: ut quia nullus antea in nos divinae cognitionis auctor fuerat illatus, nullus absque eo postea inferatur.

Origenes in Matth. Non autem fortuito scriptum est, quoniam involvit corpus in sindone munda, et posuit in monumento novo, et quod advolvit lapidem magnum: quoniam omnia quae sunt circa corpus iesu, munda sunt et nova, et omnia magna valde.

Remigius. Postquam autem corpus domini sepultum est, ceteris ad propria remeantibus, solae mulieres, quae eum arctius amaverunt, perseveraverunt, et diligenti cura notaverunt locum in quo corpus domini poneretur; quatenus congruo tempore munus suae devotionis ei offerrent; et ideo sequitur erant autem ibi maria magdalene et altera maria sedentes contra sepulcrum.

Origenes in Matth. Mater autem filiorum zebedaei non scribitur sedere contra sepulcrum: forsitan enim usque ad crucem pervenire potuit. Ista autem, quasi maiores in caritate, neque his quae postea gesta sunt defuerunt.

Hieronymus. vel ceteris relinquentibus dominum, mulieres in officio perseverant, expectantes quod promiserat iesus; et ideo meruerunt primae videre resurrectionem, quia qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Remigius. quod usque hodie sanctae mulieres, idest humiles animae sanctorum, in hoc saeculo faciunt, et pia curiositate attendunt quemadmodum passio christi completa sit.

MATTHAEUS 27,62-66

5762 (Mt 27,62-66)

Hieronymus. Non suffecerat principibus sacerdotum crucifixisse dominum salvatorem, nisi sepulcrum custodirent, et quantum in illis est, manus imponerent resurgenti; unde dicitur altera autem die, quae est post parasceven.

Rabanus. Parasceve dicitur praeparatio: hoc nomine vocatur sexta sabbati, in qua praeparabant

necessaria sabbato, ut de manna dictum est: sexta die colligetis duplum: quia enim sexta die factus est homo, in septima requievit Deus, ideo sexta die iesus pro homine moritur, et in sabbato quievit in sepulcro.

Hieronimus. Principes autem sacerdotum licet immensum facinus in nece domini perpetraverint, tamen non sufficit eis, nisi etiam post mortem eius conceptae nequitiae virus exercent, famam eius lacerantes; et quem innocentem sciebant, seductorem vocant: unde dicunt domine, recordati sumus quia seductor ille dixit. Sicut autem caiphas ignorans ante prophetaverat dicens: expedit unum hominem mori pro populo, et non tota gens pereat, sic modo; seductor enim erat Christus, non a veritate in errorem mittens, sed a falsitate in veritatem, a vitiis ad virtutes, a morte ad vitam ducens.

Remigius. Ex hoc autem dicunt eum dixisse post tres dies resurgam, quia dixerat: sicut fuit ionas tribus diebus et tribus noctibus in ventre ceti, etc. Sed videndum quomodo post tres dies resurrexerit. Nonnulli voluerunt tres horas tenebrarum, unam intelligi noctem; et lucem quae secuta est tenebras, diem; sed hi vim figuratae locutionis ignoraverunt. Figurate enim sexta feria, qua passus est, comprehendit noctem praecedentem; sequitur autem nox sabbati cum suo die; nox vero dominici diei comprehendit suum diem; ac per hoc verum est quod post triduum resurrexit.

Augustinus in serm. De passione. Ideo autem post tres dies resurrexit, ut in passione filii totius trinitatis monstraretur assensus; triduum enim legitur in figura, quia trinitas, quae in principio fecerat hominem, ipsa in fine hominem per christi reparat passionem. sequitur iube ergo custodiri sepulcrum usque in tertium diem.

Rabanus. Discipuli enim christi fures spiritualiter erant: quia ab ingratis iudaeis scripta novi et veteris testamenti ablata in usum ecclesiae conferebant, et salvatorem qui eis promissus fuerat, illis nocte dormientibus, hoc est infidelitate torpentibus, abstulerunt, gentibus credendum tradentes.

Hilarius in Matth. Metus furandi corporis, et sepulcri custodia atque obsignatio, stultitiae atque infidelitatis testimonium est: quod signare sepulcrum eius voluerunt, cuius praecepto conspexissent de sepulcro mortuum suscitatum.

Rabanus. In hoc autem quod dicunt et erit novissimus error peior priore, ignoranter verum dicunt: peior enim fuit contemptus poenitentiae in iudaeis quam error ignorantiae.

Chrysostomus in Matth. vide etiam qualiter nolentes concertant ad demonstrandam veritatem: irrefragabilis enim demonstratio resurrectionis facta est per ea quae praetenderunt: quia enim custoditum est sepulcrum, nulla fraus facta est. Si autem fraus facta non est, manifeste et irrefragabiliter dominus surrexit. Quid autem pilatus respondeat, subiungitur ait illis pilatus: habetis custodiam: ite, custodite, sicut scitis.

Rabanus. Quasi dicat: sufficiat vobis quod consensi in necem innocentis; de cetero vester error vobiscum permaneat. sequitur illi autem abeuntes munierunt sepulcrum, signantes lapidem cum custodibus.

Chrysostomus in Matth. non autem permittit pilatus solos milites sigillare: si enim soli milites sigillassent, possent dicere quoniam milites permiserunt quod discipuli corpus domini furarentur, et ita resurrectionis infringere fidem: nunc hoc dicere non possunt, cum ipsimet sepulcrum sigillassent.

MATTHAEUS 28,1-7

5801 (Mt 28,1-7)

Augustinus in serm. De resurrectione. post illusiones et verbera, post aceti et fellis pocula mixta, post supplicia crucis et vulnera, et postremo post ipsam mortem et inferos, surrexit de suo funere caro nova, redit ab occiduo latens vita, et in morte salus reservata resurgit, pulchrior reditura post funus.

Augustinus de cons. Evang. De hora vero qua mulieres venerunt ad monumentum, non contemnenda exoritur quaestio. Cum enim Matthaesus hic dicat vespere autem sabbati quae lucescit in prima sabbati: quid est quod dicit Marcus: et valde mane una sabbatorum venit maria magdalene et altera maria videre sepulcrum? aperte quippe prima noctis, quod est vespere, ipsam noctem voluit significare Matthaesus, cuius noctis fine venerunt ad monumentum; ergo quoniam sabbato impediabantur ut non ante facerent, ab eo tempore nominavit noctem ex quo eis licere coepit ut facerent quodcumque vellent tempore eiusdem noctis. Sic itaque dictum est vespere sabbati, ac si diceretur, nocte sabbati, idest nocte quae sequitur diem sabbati: quod ipsa verba eius satis indicant; sic enim ait quae lucescit in prima sabbati: quod fieri non potest

nisi tantummodo primam noctis particulam, idest solum initium noctis, intellexerimus dicto vespere significatum. Neque enim ipsum initium noctis lucescit in prima sabbati; sed ipsa nox quae in luce incipit terminari; et usitatus modus loquendi est divinae scripturae a parte totum significare. Vespere ergo noctem significavit, cuius extremum est diluculum: diluculo enim venerunt ad monumentum.

Rabanus. Quod dictum est, quia sanctae mulieres vespere sabbati quae lucescit in prima sabbati, venerunt videre sepulcrum, ita intelligendum: quia vespere quidem venire coeperint; sed lucescente mane in prima sabbati ad sepulcrum pervenerunt; idest, vespere aromata paraverunt, quibus corpus domini ungere desiderabant, sed aromata vespere praeparata, mane ad sepulcrum detulerunt; quod Matthaeus quidem brevitatis causa obscurius posuit; sed evangelistae alii quo ordine factum sit evidentius ostendunt. Sepulto namque sexta feria domino, reversae a monumento mulieres praeparaverunt aromata et unguenta, quamdiu operari licebat; et sabbato quidem siluerunt secundum legis mandatum, sicut Lucas aperte designat; cum autem transisset sabbatum, vespere adveniente, tempus operandi rediisset, prompte ad devotionem emerunt quae minus praeparaverant aromata, sicut Marcus commemorat: ut venientes ungerent iesum; et valde mane veniunt ad monumentum.

Hieronymus. Vel aliter. Quod diversa tempora istarum mulierum in evangeliiis describuntur, non mendacii signum est, ut impii obiciunt, sed sedulae visitationis officia, dum crebro abeunt et redeunt, et non patiuntur a sepulcro domini diu abesse vel longius.

Remigius. Sciendum autem quia Matthaeus mystice loquens studuit nobis insinuare, illa sacratissima nox quantam dignitatem ex honore devictae mortis et dominicae resurrectionis accepit; ideo dixit vespere autem sabbati quae lucescit in prima sabbati. Cum consuetus ordo temporum habeat ut vesperae non lucescant in diem, sed potius obtenebrescant in noctem; ostenditur his verbis quod dominus totam hanc noctem luce suae resurrectionis festivam et coruscantem reddidit.

Beda in hom. in vigilia paschae. Ab exordio etiam mundanae creationis usque huc ita temporum cursus distinguebatur, ut dies noctem praecederet: quia homo a luce paradisi peccando lapsus, in huius saeculi tenebras aerumnasque decidit. Aptissime autem nunc dies sequitur noctem, quando per fidem resurrectionis a peccati tenebris et umbra mortis ad lucem vitae, Christo largiente, reducimur. severianus in serm. De passione. Est autem vespera sabbati quae lucescit; quia illuminatur per Christum sabbatum, non deletur. non, inquit supra, veni solvere legem, sed adimplere. Illuminatur, ut in diem dominicam luceat, clarescat in ecclesia quod in synagoga, iudaeis obscurantibus, fuscabatur. sequitur venit maria magdalene et altera maria videre sepulcrum. Sero quidem mulier currit ad veniam, quae mature cucurrit ad culpam: quae de paradiso perfidiam sumpserat, festinat fidem sumere de sepulcro; contendit rapere de morte vitam, quae de vita rapuerat mortem. Non autem dixit: venerunt, sed venit, sub uno nomine. Veniunt duae mysterio, non casu: venit ipsa, sed altera, ut mutaretur mulier virtute, non sexu. Praecedunt autem apostolos feminae quae ecclesiarum typum ad dominicum deferunt sepulcrum, maria scilicet, et maria. Maternum christi unum nomen in duas geminatur feminas: quia haec ecclesia ex duobus populis veniens, idest ex gentibus et iudaeis, una esse figuratur. Venit autem maria ad sepulcrum, sicut ad resurrectionis uterum, ut iterum Christus ex sepulcro nasceretur fidei, qui carni fuerat generatus ex ventre; et eum quem clausa virginitas ad praesentem tulerat vitam, clausum sepulcrum ad vitam redderet sempiternam. Divinitatis insigne est clausam virginem reliquisse post partum, et de sepulcro clauso exisse cum corpore. sequitur et ecce terraemotus factus est magnus.

Hieronymus. Dominus noster unus atque idem filius Dei et hominis, iuxta utramque naturam divinitatis et carnis, nunc magnitudinis suae, nunc humilitatis signum demonstrat; unde et in praesenti loco quisquis homo sit qui crucifixus est, qui sepultus, tamen quae foris aguntur, ostendunt filium Dei.

Hilarius in Matth. Motus enim terrae resurrectionis est virtus, cum concusso mortis aculeo, et illuminatis illius tenebris, resurgente virtutum caelestium domino, inferorum trepidatio commovetur.

Chrysostomus in Matth. Vel ideo terraemotus factus est, ut exurgant et evigilent mulieres: etenim accesserant, ut unguentum mitterent; et quia in nocte haec gerebantur, probabile est quasdam obdormisse.

Beda in hom. Super venit maria magdalene. quod etiam terraemotus, resurgente domino de sepulcro, sicut etiam moriente in cruce, factus est magnus, significat terrena quidem corda per fidem passionis prius, ac resurrectionis eius ad poenitentiam concutienda salubri pavore permota. severianus in serm. Paschae. Si autem sic terra tremuit cum dominus ad veniam sanctorum resurgeret: quomodo contremiscet, cum noxiorum omnium surget ad poenam? dicente propheta: terra tremuit, cum resurgeret in iudicio Deus. Et quomodo domini praesentiam sustinebit quae angeli praesentiam sustinere non valuit? nam sequitur angelus domini descendit de caelo. Surgente siquidem Christo, morte pereunte, terrenis redditur caeleste commercium, et mulieri cui fuerat cum diabolo lethale consilium, cum angelo colloquium fit vitale.

Hilarius. misericordiae enim Dei patris insigne est, resurgente filio ab inferis, virtutum caelestium ministeria mittere; atque ideo prior resurrectionis ipse est index ut quodam famulatu paternae voluntatis resurrectio nuntiaretur.

Beda. quia enim Christus Deus et homo est, inter acta humanitatis semper ei angelorum ministeria Deo debita non desunt. sequitur et accedens revolvit lapidem, non ut egressuro domino ianuam pandat, sed ut egressus eius iam facti hominibus praestet indicium. Qui enim mortalis clauso virginis utero potuit nascendo ingredi mundum, ipse factus immortalis, clauso sepulcro potuit resurgendo exire de mundo.

Remigius. Significat autem revolutio lapidis reservationem sacramentorum christi, quae littera legis tegebantur: lex namque in lapide scripta fuit, et ideo per lapidem designatur. Severianus. Non autem dixit: volvit, sed revolvit lapidem: quia lapis advolutus probavit mortem, et revolutus extitit resurrectionis assertor. Mutatur hic ordo rerum: sepulcrum mortem, non mortuum devorat; domus mortis mansio fit vitalis; uteri nova forma mortuum recipit, reddit vivum. sequitur et sedebat super eum; sedebat inquam, cui nulla inerat lassitudo, ut fidei doctor, ut resurrectionis magister; sedebat supra petram, ut soliditas sedentis daret credentibus firmitatem; ponebat angelus super petram fundamenta fidei, super quam Christus erat ecclesiam fundaturus. Vel per lapidem monumenti potest designari mors, qua omnes premebantur: per hoc ergo quod angelus super lapidem sedit, significatur quod Christus mortem sua virtute subiecit.

Beda. Et recte stans apparuit angelus qui adventum domini in mundo praedicebat, ut stando designaret quia dominus ad debellandum mundi principem veniret. Praeco autem resurrectionis sedisse memoratur, ut sedendo significaret eum, superato mortis auctore, sedem regni iam conscendisse perpetui. Sedebat autem super lapidem revolutum, quo ostium monumenti claudebatur, ut claustra inferorum sua ipsum virtute deiecisse doceret.

Augustinus de cons. Evang. Potest autem movere quomodo secundum Matthaeum angelus super lapidem sedebat revolutum a monumento, cum Marcus dicat mulieres introeuntes in monumentum vidisse iuvenem sedentem in dextris, nisi intelligamus aut Matthaeum tacuisse de angelo quem intrantes viderunt, marcum autem de illo quem viderunt sedentem super lapidem, ut duos viderint, et a duobus sigillatim audierint quae dixerunt angeli de iesu: aut certe quod dicit Marcus: intrantes in monumentum, in aliqua septa maceriae debemus accipere, qua communitum locum tunc fuisse credibile est, idest in aliquod spatium ante petram, in qua excisa locus factus fuerat sepulturae, ut ipsum viderint in eodem spatio sedentem a dextris quem dicit Matthaeus sedentem super lapidem. sequitur erat autem aspectus eius sicut fulgur, et vestimenta eius sicut nix. Severianus. vultus claritas a vestium candore separatur, et facies fulguri, nivi vestis angeli comparatur: quia fulgur de caelo, nix de terra: unde propheta: laudate dominum de terra.. Ignis, grando, nix, etc. In facie ergo angeli claritas caelestis servatur naturae; in veste significatur gratia communionis humanae: et sic temperatur species angeli colloquentis, ut carnalis oculi et vestium ferant placidam claritatem, et ex fulgore vultus nuntium sui tremarent, et revererentur auctoris. Idem in alio serm. Quid autem facit indumentum ubi tegendi necessitas non habetur? sed angelus nostrum habitum, nostram formam in resurrectione praefiguratur, ubi homo ipsa corporis sui claritate vestitur.

Hieronymus. In candido etiam vestitu angelus significat gloriam triumphantis. **Gregorius** in Evang. Vel aliter. in fulgure terror timoris est, in nive autem blandimentum candoris: quia vero omnipotens Deus et terribilis est peccatoribus, et blandus iustis, recte testis resurrectionis eius angelus et in fulgure vultus et in candore habitus demonstratur, ut de ipsa sua specie et terreret reprobos et mulceret pios; unde sequitur prae timore autem eius exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.

Rabanus. Timoris anxietate sunt exterriti qui amoris fiduciam non habebant; et facti sunt velut mortui qui resurrectionis veritatem credere noluerunt. severianus in serm. Paschae. Custodiebant enim crudelitatis studio, non pietatis obsequio: stare enim non potest quem conscientia destituit et impellit reatus. hinc est quod angelus percellit impios, pios alloquitur et solatur. sequitur respondens autem angelus dixit mulieribus.

Hieronymus. Custodes quidem timore perterriti ad instar mortuorum stupefacti iacent; et angelus tamen non illos, sed mulieres consolatur, dicens nolite timere vos: quasi dicat: illi timeant in quibus remanet incredulitas; ceterum vos, quia iesum quaeritis crucifixum, audite quod surrexerit, et promissa perfecit; unde sequitur scio enim quod iesum, qui crucifixus est, quaeritis. Severianus. Adhuc enim crucifixum et mortuum requirebant, quarum fidem saeva passionis procella turbaverat, et tentationis ita eas pondus incurvaverat, ut caeli dominum quaererent in sepulcro. non est hic.

Rabanus. Per praesentiam carnis, qui tamen nusquam deest per praesentiam maiestatis. sequitur surrexit enim, sicut dixit.

Chrysostomus in Matth. Quasi dicat: et si mihi non creditis, illius mementote verborum. Deinde et alia sequitur demonstratio, cum subditur venite, et videte locum ubi positus erat dominus.

Hieronymus. ut si meis verbis non creditis, vacuo credatis sepulcro. Severianus. Angelus ergo praedicat nomen, crucem dicit, loquitur passionem; sed mox resurrectionem, mox dominum confitetur; et angelus post tanta supplicia, post sepulcrum agnoscit dominum suum; cur homo aut minoratum Deum in carne iudicat, aut in passione existimat defecisse virtutem? dicit autem crucifixum, et ostendit locum ubi positus erat dominus, ne alter, et non idem resurrexisse crederetur ex mortuis. et si dominus in eadem redit carne, et suae resurrectionis facit indicia, quare homo in alia putat se carne rediturum? aut carnem forte servus dedignatur suam, cum nostram dominus non mutavit? **Rabanus.** non autem solis vobis hoc gaudium magnum concessum est occulto corde tenere, sed similiter amantibus debetis illud pandere; unde sequitur et cito euntes dicite discipulis eius quia surrexit. Severianus. quasi dicat: revertere ad virum, mulier iam sanata, et suade fidem quae perfidiam ante suasisti: refer homini resurrectionis indicium cui ante consilium ruinae dedisti. sequitur et ecce praecedet vos in galilaeam.

Chrysostomus in Matth. hoc autem dicit eripiens eos a periculis, ne timor fidem impediret.

Hieronymus. mystice autem praecedet vos in galilaeam, hoc est in volutabrum gentilium, ubi ante error erat lubricum, et firmo ac stabili pede vestigium non tenebat. sequitur ibi eum videbitis: ecce praedixi vobis.

Beda. Bene autem dominus in galilaea videtur a discipulis, qui iam de morte ad vitam, iam de corruptione ad incorruptionem transierat: galilaea quippe transmigratio interpretatur. felices feminae quae triumphum resurrectionis mundo annuntiare meruerunt; feliciores animae quae in die iudicii, percussis pavore reprobis, gaudium beatae resurrectionis intrare meruerint.

MATTHAEUS 28,8-10

5808 (Mt 28,8-10)

Hilarius. Mulieribus per angelum adhortatis confestim dominus occurrit, ut nuntiatum expectantibus discipulis resurrectionem non angeli potius quam christi ore loquerentur; unde dicitur et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno.

Augustinus de cons. Evang. Egressae autem dicuntur a monumento, hoc est ab illo loco ubi erat horti spatium ante lapidem effossum.

Hieronymus. Duplex autem mentes mulierum tenebat affectus: timoris et gaudii: et alter de miraculi magnitudine, alter ex desiderio resurgentis: et tamen uterque femineum concitabat gradum; unde sequitur currentes nuntiate discipulis eius. Pergebant enim ad apostolos, ut per illos fidei seminarium spargeretur. Quae autem sic quaerebant, quae ita currebant, merebantur obviam habere dominum resurgentem; unde sequitur et ecce iesus occurrit illis, dicens: avete.

Rabanus. Per hoc ostendit, se omnibus iter virtutum inchoantibus, ut ad salutem perpetuam pervenire queant, adiuvando occurrere.

Hieronymus. Primae mulieres merentur audire avete, ut maledictum evae mulieris, in mulieribus solveretur. severianus. In istis vero feminis ecclesiae figuram manere evidenter ostendit: quia discipulos suos Christus de resurrectione arguit trepidantes; occurrens autem istis non potestate terret, sed praevenit caritatis ardore: Christus enim in ecclesia se salutem, quam suum recipit in corpus.

Augustinus de cons. Evang. colligimus et angelorum allocutionem bis numero eas habuisse venientes ad monumentum, scilicet cum viderunt unum angelum, de quo narrant Matthaeus et Marcus; et cum postea viderunt duos, ut narrant Lucas et Ioannes; et similiter ipsius domini bis: semel scilicet illic quando maria hortulanum putavit; et nunc iterum cum eis occurrit in via, ut eas ipsa repetitione firmaret, atque a timore recrearet. severianus. Sed ibi mariae non tangendi datur facultas; hic non solum tangendi, sed tenendi copia tota conceditur; unde sequitur illae autem accesserunt et tenuerunt pedes eius, et adoraverunt eum.

Rabanus. Superius quidem dictum est, quia clauso surrexit monumento, ut immortale iam factum doceret esse corpus quod in monumento clausum fuerat mortuum; tenendos autem mulieribus tunc praebuit pedes, ut intimaret veram se carnem habere, quae a mortalibus tangi posset. Severianus in serm. de resurrectione.

Istae quidem tenent pedes christi quae in ecclesiae typo, evangelicae praedicationis tenent et merentur excursus, ac sic fide astringunt sui vestigia salvatoris, ut totius deitatis perveniant ad honorem. Illa autem merito audit: noli me tangere, quae in terris deflet dominum, et sic in sepulcro quaerit mortuum ut in caelis eum nesciat regnare cum patre. Quod ergo eadem maria, nunc in fidei vertice constituta, tangit Christum, ac tenet toto sanctitatis affectu, nunc imbecillitate carnis et feminea infirmitate deiecta dubitat, et tactum sui non meretur auctoris, non facit quaestionem. Siquidem illud de figura est, hoc de sexu; illud est de divina gratia, hoc de humana natura: quia nos ipsi cum divina scimus, Deo vivimus; cum humana sapimus, caecamur ex nobis. Tenuerunt autem pedes eius, ut scirent in capite christi virum esse, se autem esse in pedibus christi, et datum sibi virum sequi, non praeire ipsum. Quod autem dixerat angelus, dicit et dominus, ut quas firmaverat angelus, Christus redderet firmiores. sequitur tunc ait illis iesus: nolite timere.

Hieronymus. Et in veteri et in novo testamento hoc semper observandum est: quod quando angustior apparuerit visio, primum timor pellatur, ut sic, mente placata, possint quae dicuntur, audiri.

Hilarius in Matth. In contrarium autem ordo causae principalis est redditus: ut quia a sexu muliebri coepta mors esset, ipsi primum resurrectionis gloriae et visus et nuntius redderetur; unde dominus subdit ite, nuntiate fratribus meis ut eant in galilaeam: ibi me videbunt. Severianus. Vocat fratres quos corporis sui fecit esse germanos; vocat fratres quos benignus heres sibi praestitit coheredes; vocat fratres quos patris sui adoptavit in filios.

Augustinus de cons. Evang. Quod autem dominus non ubi primum se monstraturus erat, sed in galilaea, ubi postea visus est, se videndum mandavit et per angelum et per seipsum, quemvis fidelem facit intentum ad quaerendum, in quo mysterio dictum intelligitur: galilaea namque interpretatur vel transmigratio, vel revelatio. prius itaque, secundum transmigratiois significationem, quid aliud occurrit intelligendum, nisi quia christi gratia de populo israel transmigratura erat ad gentes, quibus apostoli praedicantes evangelium nullo modo crederent, nisi eis ipse dominus viam in cordibus hominum praepararet? et hoc intelligitur praecedet vos in galilaeam. Quod autem subditur ibi eum videbitis, sic intelligitur: idest, ibi membra eius invenietis; ibi vivum corpus eius in his qui vos susceperint, agnoscetis. secundum autem quod galilaea interpretatur revelatio, non iam in forma servi intelligendum est, sed in illa in qua aequalis est patri. Illa erit revelatio tamquam vera galilaea, cum similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est. Ipsa etiam erit beatorum transmigratio ex isto saeculo in illam aeternitatem.

MATTHAEUS 28,11-15

5811 (Mt 28,11-15)

Chrysostomus in Matth. signorum quae circa Christum apparuerunt, quaedam fuerunt orbi terrarum communia, puta tenebrae, quaedam propria militibus custodientibus, sicut mira angeli apparitio et terraemotus, quae propter milites facta sunt, ut stupefierent, et ab ipsis fiat testimonium veritatis: veritas enim a contrariis divulgata magis refulget, quod et contigit; unde dicitur quae cum abiissent, scilicet mulieres, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quae facta fuerant.

Rabanus. Simplex quidem animi qualitas et indocta hominum rusticitas saepe veritatem rei, ut est, sine fraude manifestat; at contra versuta malignitas falsitatem verisimilibus verbis pro vero commendare decernat.

Hieronymus. principes ergo sacerdotum qui debuerant converti ad poenitentiam, et iesum quaerere resurgentem, perseverant in malitia, et pecuniam quae ad usus templi data fuerat, vertunt in redemptionem mendacii, sicut et ante triginta argenteos inde dederunt proditori; unde sequitur et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: dicite quia discipuli eius nocte venerunt, et furati sunt eum nobis dormientibus. severianus. Non enim contenti sunt interfecisse magistrum; immo etiam quomodo discipulos perdere possint, moliuntur; et discipulorum crimen esse faciunt virtutem magistri. Plane amiserunt milites, perdiderunt iudaei; sed discipuli magistrum suum non furto, sed fide; virtute, non fraude; sanctitate, non crimine; vivum, non mortuum sustulerunt.

Chrysostomus in Matth. Qualiter enim furarentur discipuli, homines pauperes et idiotae, et neque apparere audentes? si enim adhuc Christum vivum videntes fugerunt, qualiter mortuo eo non timuissent tot militum multitudinem? numquid ostium sepulcri poterant evertere? lapis enim imminebat magnus, multis indigens manibus. Numquid etiam non erat sigillum superimpositum? propter quid autem non furati sunt prima nocte, quando nullus sepulcro affuit? sabbato enim petierunt a pilato custodiam. Quid autem sibi volunt haec sudaria quae petrus vidit iacentia? si enim vellent furari, non essent nudum corpus furati; non

solum ne iniuriarentur, sed ne etiam in exeundo tardarent et tribuerent militibus se detinendi facultatem; maxime quia myrrha erat corpori et vestimentis affixa, ita glutinosa ut non facile esset a corpore avellere vestimenta: quare non persuasibilia sunt quae de furto dicta sunt. Unde per quae resurrectionem obumbrare conantur, per haec eam faciunt clarere. Dicentes enim quod discipuli furati sunt, confitentur non esse corpus in sepulcro; furtum autem ostendit esse mendax custodia militum et discipulorum pavor.

Remigius. Sed si custodes dormierunt, quomodo furtum viderunt? et si non viderunt, quomodo testes fuerunt? et ideo quod voluerunt facere non potuerunt.

Glossa. Ne autem timore principis a mendacio revocarentur, timentes propter negligentiam puniri, subdunt et si hoc auditum fuerit a praeside, nos suadebimus ei, et securos vos faciemus.

Chrysostomus in Matth. Vide omnes corruptos. Pilatus enim ipse persuasus est, plebs iudaica commota est, milites corrupti sunt; unde sequitur at illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Si pecunia apud discipulum tantam habuit virtutem ut eum faceret magistri proditorem, non mireris si pecunia milites superantur.

Hilarius. Emitur ergo resurrectionis silentium et mendacium furci argento, quia honore scilicet saeculi, qui in pecunia est et cupiditate, christi gloria denegatur.

Rabanus. Sicut autem sanguinis reatus, quem sibi et posteris suis ipsi imprecabantur, gravi peccatorum sarcina illos premit; ita emptio mendacii per quod resurrectionis denegant veritatem, reatu eos constringit perpetuo; unde sequitur et divulgatum est verbum istud apud iudaeos usque in hodiernum diem. Severianus. apud iudaeos quidem divulgatum est, non apud christianos: quod enim in iudaea iudaeus obscurabat auro, fide toto claruit in mundo.

Hieronymus. Omnes autem qui stipe templi et his quae conferuntur ad usus ecclesiae abutuntur in aliis rebus quibus suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum et sacerdotum redimentium mendacium et salvatoris sanguinem.

MATTHAEUS 28,16-2

5816 (Mt 28,16-20)

Beda. Postquam dominicam resurrectionem ab angelo nuntiatam beatus Matthaeu asseruit, visionem domini etiam a discipulis impletam refert, dicens undecim autem discipuli abierunt in galilaeam, in montem ubi constituerat illis iesus: nam pergens dominus ad passionem, ait discipulis: postquam surrexero praecedam vos in galilaeam. Angelus quoque mulieribus ait: dicite discipulis eius, quia praecedet vos in galilaeam. Quapropter iussioni magistri obedientia discipulorum obsequitur. Recte autem undecim discipuli ad adorandum pergunt: iam enim unus perierat, qui dominum ac magistrum suum tradiderat.

Hieronymus. Post resurrectionem ergo iesus in galilaeae monte conspicitur, ibique adoratur; licet quidam dubitent, et dubitatio eorum nostram augeat fidem. sequitur et videntes eum adoraverunt, quidam autem dubitaverunt.

Remigius. Hoc autem Lucas evangelista plenius manifestat: refert enim quia cum dominus resurgens a mortuis ipse apparuisset discipulis, ipsi conturbati et exterriti, existimabant se spiritum videre.

Rabanus. In monte quidem apparuit eis dominus, ut significaret quoniam corpus, quod de communi generis humani terra nascendo suscepit, resurgendo iam super terrena omnia sublevaverat; et ut admoneret fideles, si illic celsitudinem resurrectionis eius cupiunt videre, hic ab infimis voluptatibus ad superna studeant desideria transire. Iesus autem discipulos in galilaeam praecedit, quia Christus resurrexit a mortuis primitiae dormientium. Sequuntur autem hi qui sunt christi, et suo ordine ad vitam de morte transmigrant, in sua specie divinitatem contemplantes; et huic congruit quod galilaea revelatio interpretatur.

Augustinus de cons. Evang. sed considerandum est quomodo corporaliter in galilaea dominus videri potuerit: quia enim non ipso die quo resurrexit, visus est, manifestum est: nam in ierusalem visus est eo die in initio noctis, ut Lucas et iohannes aptissime consonant; neque etiam in sequentibus octo diebus, post quos dicit iohannes discipulis apparuisse dominum, ubi primo vidit eum thomas, qui eum non viderat die resurrectionis eius: nisi quis dicat non illos undecim qui iam tunc apostoli vocabantur, sed discipulorum illic undecim fuisse ex multo numero discipulorum. Sed occurrit aliud quod obsistit; iohannes enim quando

commemoravit non in monte ab undecim, sed ad mare tiberiadis a septem piscantibus visum esse dominum: hoc iam tertio (inquit). manifestavit se iesus discipulis suis; quod intelligendum est ad numerum dierum retulisse, non ad numerum manifestationum. Si autem acceperimus intra illos octo dies, antequam eum thomas vidisset, ab undecim discipulis quibusque dominum visum, non erit hoc ad mare tiberiadis tertio manifestatum esse, sed quarto; ac per hoc cogimur intelligere, post omnia factum esse quod eum in monte galilaeae discipuli undecim viderunt. Invenimus itaque apud quatuor evangelistas decies commemoratum dominum visum ab hominibus esse post resurrectionem: semel ad monumentum a mulieribus; iterum eisdem egredientibus a monumento in itinere; tertio petro; quarto duobus euntibus in castellum; quinto pluribus in ierusalem, ubi non erat thomas; sexto ubi vidit eum thomas; septimo ad mare tiberiadis; octavo in monte galilaeae secundum Matthaeum; nono, quod dicit Marcus, novissime recumbentibus, quia iam non erant in terra cum illo convivaturi; decimo in ipso die, non iam in terra, sed elevatum in nube, cum in caelum ascenderet: quod Marcus et Lucas commemorant. sed non omnia scripta sunt, sicut iohannes fatetur: crebra enim erat eius cum illis conversatio per dies quadraginta, priusquam ascendisset in caelum.

Remigius. Videntes ergo discipuli dominum cognoverunt, et idcirco dimissis in terram vultibus adorabant; et ideo pius et clemens magister, ut omnem dubietatem auferret a cordibus eorum, accedens ad eos corroboravit in fide; unde sequitur et accedens iesus locutus est eis, dicens: data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.

Hieronymus. Illi autem potestas data est qui paulo ante crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui postea resurrexit.

Rabanus. Non enim hoc de coaeterna patri divinitate, sed de assumpta loquitur humanitate, secundum quam minoratus est paulo minus ab angelis. Severianus. filius quippe Dei virginis filio, Deus homini, divinitas carni contulit, quod semper ipse cum patre possedit.

Hieronymus. In caelo autem et in terra potestas data est, ut qui ante regnabat in caelo, per fidem credentium regnet in terris.

Remigius. quod ergo psalmista de resurgente domino dicit: constituisti eum super opera manuum tuarum, hoc nunc dominus dicit data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Et hic sciendum, quia antequam dominus surrexisset a mortuis, noverant angeli se subiectos homini Christo. Volens ergo Christus etiam hominibus notum fieri quod data esset sibi omnis potestas in caelo et in terra, praedicatores misit, qui verbum vitae cunctis nationibus praedicarent; unde sequitur euntes ergo docete omnes gentes.

Beda. qui enim ante passionem suam dixerat: in viam gentium ne abieritis, surgens a mortuis dicit: ite, docete omnes gentes. Quapropter confundantur iudaei, qui dicunt Christum tantummodo ad suam salutem esse venturum; erubescant et donatistae, qui localiter Christum concludere cupientes, dixerunt eum tantummodo in africa esse, non in aliis regionibus.

Hieronymus. Primum ergo docent omnes gentes, deinde doctas intingunt in aqua: non enim potest fieri ut corpus baptismi recipiat sacramentum, nisi ante anima fidei susceperit veritatem. baptizantes eos in nomine patris et filii et spiritus sancti: ut quorum est una divinitas, sit una largitio, nomenque trinitatis unus Deus. Severianus. Omnes ergo gentes potestas una eademque recreat ad salutem, quas creavit ad vitam. didymus de spiritu sancto. Licet autem quis possit existere saxei, ut ita dicam, cordis et penitus mentis alienae, qui ita baptizare conetur ut unum de praedictis nominibus praetermittat, videlicet contrarius Christo legislatori; tamen sine perfectione baptizabit, immo penitus a peccatis liberare non poterit quos a se existimaverit baptizatos. Ex his autem colligitur quam indivisa sit substantia trinitatis, et patrem vere filii esse patrem, et filium vere patris filium, et spiritum sanctum vere patris et Dei filii esse spiritum, et insuper sapientiae et veritatis, idest filii Dei. Haec est salus credentium, et dispensatio ecclesiasticae disciplinae in hac trinitate perficitur.

Hilarius in Matth. Quid enim in hoc sacramento salutis humanae non continetur? plena sunt omnia, ut a pleno et perfecto prolata. Habet enim naturae suae nomen in patre, sed pater tantum est: non enim humano modo habet aliunde quod pater est: ipse ingenitus, aeternus, habens in se semper ut semper sit soli filio notus. Filius autem est progenies ingeniti, unus ex uno, verus a vero, vivus a vivo, perfectus a perfecto, virtutis virtus, sapientiae sapientia, gloriae gloria, imago invisibilis Dei, forma patris ingeniti. Spiritus autem sanctus non potest a confessione patris et filii separari. Et quidem ubique non deest hoc expectationis nostrae solatium. Hic in donorum operationibus futurae spei pignus est, hic mentium lumen, hic splendor animorum est. Haec igitur licet mutare non possint haeretici, afferunt tamen humana commenta: ut sabellius patrem ex quo tendat in filium, idque nominibus potius confitendum putat esse quam rebus, cum ipsis filium proponat et patrem; ut ebion, omne initium ex maria concedens, non ex Deo hominem, sed ex homine

Deum proferat; ut ariani, qui ex nihilo atque ex tempore formam et sapientiam et virtutem Dei procedunt. quid autem mirum est ut de spiritu sancto diversa sentiant, qui in filio largitore eius tam temerarii sunt auctores? .

Hieronimus. Consideratur autem hic ordo praecipuus. Iussit apostolos, ut primum docerent universas gentes, deinde fidei tingerent sacramento, et post fidem ac baptismum, quae essent observanda praecipere; unde sequitur docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis.

Rabanus. quia sicut corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.

Chrysostomus in Matth. quia vero eis magna iniunxerat, erigens eorum sensus, dicit et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi; quasi dicat: ne dicatis difficile esse iniunctum negotium, ego sum vobiscum, qui omnia facio levia. Non autem cum illis solum dixit se futurum esse, sed et cum omnibus qui post illos credunt: non enim usque ad consummationem saeculi apostoli mansuri erant; sed sicut uni corpori fidelibus loquitur.

Rabanus. ex hoc autem intelligitur quod usque ad finem saeculi non sunt defuturi in mundo qui divina mansione et inhabitatione sunt digni.

Chrysostomus in Matth. Rememoratur autem eis et consummationem, ut eos magis attrahat, et ne praesentia solum inspiciant, sed et futura bona, et sine fine mansura; quasi dicat: tristitia quam sustinebitis, simul cum praesenti vita consumetur, et totum saeculum in consummationem deveniet; bona autem quibus potiemini, sunt in aeternum permansura. **Beda.** Quaeritur autem quare hic dicat ecce ego vobiscum sum, cum alibi dixisse legatur: vado ad eum qui me misit. Sed alia sunt quae humanitati ascribuntur, et alia quae divinitati. Ivit ad patrem per humanitatem, manet autem cum discipulis in forma qua est patri aequalis. quod autem dicit usque ad consummationem saeculi, finitum pro infinito ponitur: nam qui in praesenti saeculo manet cum electis, eos protegendo, ipse post finem cum eis manebit, eos remunerando.

Hieronimus. Qui ergo usque ad consummationem saeculi cum discipulis se esse promittit, et illos ostendit semper esse victuros, et se nunquam a credentibus recessurum.

Leo papa in serm. De passione. qui enim ascendit in caelos, non deserit adoptatos, et ipse deorsum confortat ad patientiam qui sursum invitat ad gloriam; cuius gloriae participes nos faciat ipse Christus rex gloriae, qui est Deus benedictus in saecula. Amen.

MARCUS PROLOGUS 1

Reverendo in Christo patri domino hannibaldo, basilicae duodecim apostolorum venerabili presbytero cardinali, frater thomas de aquino ordinis fratrum praedicatorum se totum. Rerum opifex Deus solo suae bonitatis intuitu cuncta in esse producens, naturalem boni amorem omnibus indidit creaturis, ut dum unaquaeque res bonum sibi conveniens naturaliter amat et appetit, quadam conversione mirabili in suum recurrere demonstraret auctorem. Sed in hoc praefertur ceteris rationalis natura, quod ipsum universalem bonitatis fontem per sapientiam intueri potest, et per caritatis amorem suaviter degustare: unde fit ut sapientiae bonum, quo ad ipsum fontem bonitatis accedimus, omnibus humanis bonis secundum rectae rationis iudicium praefertur. Haec est enim quae fastidium nescit: ita ut qui eam edit, adhuc esuriat, et qui eam bibit, sitire non cesset. Haec est quae intantum peccato repugnat, ut qui secundum ipsam operantur, non peccent. Haec est quae indeficientem fructum suis ministris largitur, ut qui eam elucidant, vitam possideant sempiternam. Praecellit itaque voluptates dulcedine, securitate sedes et regna, utilitateque divitias universas. Huiusmodi igitur delectatus muneribus, evangelicae sapientiae a saeculis in mysterio absconditae, quam in lucem produxit Dei sapientia incarnata, ministerium expositionis adhibui, sacrorum doctorum sententias compilando; ad quod me induxit primitus felicis recordationis urbani papae quarti mandatum. Verum quia, eo summo pontifice ex hac vita subtracto, tria evangelia, Marci, Lucae et Ioannis exponenda restabant, ne opus quod obedientia inceperat, negligentia imperfectum relinqueret, cum multo labore diligens adhibui studium, ut quatuor evangeliorum expositionem complerem, eadem in omnibus forma servata in ponendis sanctorum auctoritatibus et eorum nominibus praescribendis. Et ut magis integra et continua praedicta sanctorum expositio redderetur, quasdam expositiones doctorum graecorum in latinum feci transferri, ex quibus plura expositionibus latinorum doctorum interserui, auctorum nominibus praenotatis. Verum quia congruit ut de laborum fructibus oblationes sacerdotibus offerantur, expositionis evangelicae opus, laboris mei fructum, apostolorum presbytero censui offerendum: in quo vestra suscipiat auctoritas debitum, ut scientis industria iudicii censuram exerceat; et antiqua dilectio, amoris affectum in offerentis munere comprehendat.

MARCUS PROLOGUS 2

Deus meus factus est fortitudo mea, et dixit: parum est ut sis mihi servus ad suscitandas tribus iacob, et faeces israel convertendas. Dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terrae.

Glossa. Vocationem gentium et causam salutis earum isaias propheta manifesto praenuntiat oraculo, dicens Deus meus factus est fortitudo mea, etc..

Hieronymus super isaiam. In quibus verbis ostenditur Christum appellari servum, in quantum est formatus ex utero; nam ante verba ista praemittitur: haec dicit dominus, formans me ex utero servum sibi. Fuerat siquidem voluntas patris, ut pessimi vitiores missum susciperent filium; unde de ipsis Christus ad discipulos loquitur: in viam gentium ne abieritis; sed ite magis ad oves perditas domus israel. Quia igitur israel non est reductus ad deum, propterea Dei filius loquitur iudaeis non credentibus, dicens Deus meus factus est fortitudo mea: qui et consolatus est me super abiectioe populi mei, et dixit: parum est si servias mihi ad suscitandas tribus iacob, quae suo vitio corruerunt, et ad faeces, sive reliquias, israel convertendas; pro illis enim dedi te in lucem gentium omnium, ut illumines universum mundum, et salutem meam, per quam homines salvi fiunt, usque ad extrema terrae facias pervenire.

Glossa. Ex praemissis igitur verbis duo possumus colligere: quorum primum est divina virtus, quae fuit in Christo, ex qua efficax fuit ad gentium illuminationem; quia dicitur Deus meus factus est fortitudo mea. Deus igitur erat in Christo mundum reconcilians sibi, ut apostolus, dicit; unde et evangelium, per quod credentes salvantur, virtus Dei est in salutem omni credenti, ut idem apostolus dicit. Secundum autem est illuminatio gentium et salus mundi ex dispositione patris per Christum completa: quia dicitur dedi te in lucem gentium: unde post resurrectionem suam dominus ut dispositionem patris impleret, ad praedicandum discipulos misit, dicens: docete omnes gentes, quorum quidam ad praedicandum iudaeis, quidam ad praedicandum gentibus ministerium acceperunt. Quia vero evangelium oportuit non solum praedicari propter praesentes, sed etiam scribi propter futuros, eadem distinctio est in scriptoribus evangelii observata; nam Matthaeus iudaeis evangelium hebraico sermone scripsit; marcus autem primum evangelium scripsit in gentibus.

Eusebius in eccl. Hist.. Cum enim romanae urbi clarum verbi Dei lumen fuisset exortum, sermo veritatis et lucis, qui per petrum praedicabatur, universorum mentes placido illustravit auditu; ita ut quotidie audientibus eum nulla unquam satietas fieret: unde neque eis auditio sola sufficiebat; sed Marcum discipulum eius omnibus precibus exorant, ut ea quae ille verbo praedicabat, ad perpetuam eorum commonitionem habendam scripturae traderet, quo domi forisque in huiusmodi verbi meditationibus permanerent; nec prius ab obsecrando desistunt quam quae oraverant, impetrarent: et haec fuit causa scribendi evangelium secundum Marcum. Petrus vero ut per spiritum sanctum religioso se comperit furto spoliatum, delectatus est, fidem eorum per hoc devotionemque considerans; factumque confirmavit et in perpetuum legendam scripturam ecclesiis tradidit.

Hieronymus super Marcum. Principium autem a perfectioris aetatis Christi praedicatione inchoat, nec laborat in nativitate infantuli qui loquitur de perfectione filii Dei.

Chrysostomus. Compendiosam autem ac brevem narrationem facit, in quo magistrum imitatus est, scilicet petrum, brevitati studentem.

Augustinus de cons. Evang.. Unde Matthaeus qui regiam Christi personam narrandam susceperat, habuit Marcum sibi tamquam comitem et abbreviatorem adiunctum, qui sua vestigia quodammodo sequeretur: regum enim est non esse sine comitem obsequio. Sacerdos autem quoniam in sancta sanctorum solus intrabat, propterea Lucas, cuius circa sacerdotium Christi erat intentio, non habuit tamquam socium obsequentem, qui suam narrationem quodammodo breviaret.

Beda. Notandum est etiam, quod evangelistae sancti diversum narrationis suae primordium, singuli diversum statuere terminum. Matthaeus namque a nativitate dominica exordium sumens, ad tempus usque dominicae resurrectionis seriem suae narrationis perduxit; marcus ab initio evangelicae praedicationis incipiens, pervenit usque ad tempus ascensionis domini et praedicationis discipulorum eius cunctis gentibus per orbem; Lucas autem a nativitate praecursoris ascensione dominica; Ioannes ab aeternitate verbi Dei principium sumens, usque ad tempus dominicae resurrectionis evangelizando pertingit.

Ambrosius super Lucam. Quia igitur marcus a potentiae coeperat expressione divinae, recte sub leonis imagine figuratur.

Remigius super Marcum. Per leonem etiam signatur marcus: quia sicut leo terribilem vocem in deserto emittit, sic marcus a voce in deserto incepit, dicens: vox clamantis in deserto.

Augustinus de cons. Evang.. Quamvis et de figura aliter dici possit. Marcus enim qui neque stirpem regiam ut Matthaeus, ob hoc per leonem significatus, neque sacerdotalem ut Lucas signatus per vitulum, vel cognationem vel consecrationem narrare voluit; et tamen in eis versatus ostenditur quae homo Christus operatus est, per hominis figuram in illis quatuor animalibus signatus videtur.

Theophylactus (in evang. Marci). Vel evangelium secundum Marcum aquila innuit: a prophetia enim iohannis incepit. Prophetia vero acute quae a longe sunt, speculatur ut aquila.

MARCUS 1,1

6101 (Mc 1,1)

Hieronymus. Marcus evangelista sacerdotium in israel agens, secundum carnem levita, ad dominum conversus, evangelium in italia scripsit, ostendens in eo quid et generi suo deberet Christus. Nam initium evangelii in voce propheticae exclamationis instituens ordinem leviticae electionis ostendit, praedicans iohannem zachariae filium in voce angeli emissum, dicens initium evangelii iesu Christi filii Dei.

Hieronymus. Evangelion, graece dicitur, latine bona annuntiatio praedicatur, quod proprie ad regnum Dei, et remissionem pertinet peccatorum: est enim evangelium per quod venit redemptio fidelium, et beatitudo sanctorum. Quatuor autem evangelia unum sunt, et unum quatuor. In hebraeo iehosua, in graeco soter, in latino salvator dicitur. Masciach hebraice, Christos graece, unctus latine, idest rex, et sacerdos dicitur.

Beda. Conferendum autem est hoc evangelii principium principio Matthaei quo ait: liber generationis iesu Christi filii David, filii abraham; hic autem dicitur filii Dei: ex utroque enim unus dominus iesus Christus Dei et hominis filius est intelligendus. Et apte primus evangelista filium hominis eum, secundus filium Dei nominat, ut a minoribus ad maiora paulatim sensus noster assurgeret, ac per fidem et sacramenta humanitatis assumptae, ad agnitionem divinae aeternitatis ascenderet. Apte etiam qui humanam erat generationem descripturus a filio hominis coepit, David scilicet, sive abraham; apte etiam is qui librum suum ab initio evangelicae praedicationis inchoabat, filium Dei magis appellare voluit iesum Christum, quia humanae erat naturae de progenie patriarcharum veritatem carnis suscipere, et divinae fuit potentiae evangelium mundo praedicare.

Hilarius de trin.. Non autem solo nomine contestatus est Christum filium Dei, sed etiam proprietate. Nos filii Dei sumus; sed non talis hic filius: hic enim verus et proprius est filius, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione.

MARCUS 1,2-3

6102 (Mc 1,2-3)

Beda. Scripturus evangelium marcus, congrue primo ponit testimonia prophetarum, ut eo cunctis sine scrupulo dubietatis suscipienda quae scriberet intimaret, quo haec a prophetis antea praedicta esse demonstraret. Simulque uno eodemque evangelii sui principio et iudaeos, qui legem ac prophetas susceperant, ad suscipiendam evangelii gratiam, ac sacramenta, quae ipsorum prophetae praedixerant, instituit; et gentiles, qui per evangelii praeconia ad dominum venerant, ad auctoritatem quoque legis et prophetarum suscipiendam venerandamque provocat; unde dicit sicut scriptum est in isaia propheta: ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam.

Hieronymus de optimo genere interpretandi. Hoc autem non scribitur in isaia; sed in malachia novissimo duodecim prophetarum.

Chrysostomus in marc.. Potest autem dici, quod falsitas est scriptoris. Vel aliter dicetur, quod duas prophetias in diversis locis dictas a duobus prophetis, in unum congregans posuit. In isaia enim propheta post ezechieae describitur historiam: vox clamantis in deserto; in malachia vero: ecce mitto angelum meum. Secundus igitur evangelista duas prophetias posuit ut ab isaia dictas, et ad unam lectionem hoc referens, tacens vero a quo dicatur ecce mitto angelum.

Augustinus de quaest. Novi et veter. Testam.. Sciens enim omnia ad auctorem referenda, dicta haec ad isaiaem revocavit, qui sensum istum prior intimaverat. Denique post verba malachiae statim subiecit dicens vox clamantis in deserto: ut iungeret verba utriusque prophetae ad unum sensum pertinentia, sub prioris prophetae persona.

Beda. Vel aliter intelligendum est: quia etsi non haec verba inveniuntur in isaia, sensus tamen eorum invenitur in multis aliis locis; et manifestius in hoc quod subiunxit vox clamantis in deserto. Nam quod dixit malachias mittendum angelum ante faciem domini, qui praepararet vias eius, hoc est quod dixit isaiaem vocem clamantis in deserto audiendam, quae diceret parate viam domini. In utraque autem sententia similiter paranda via domini praedicatur. Potuit autem fieri ut animo Marci evangelium conscribentis pro malachia isaiaem occurreret, ut fieri solet; quod tamen sine ulla dubitatione emendaret, saltem ab aliis admonitus, qui ipso adhuc in carne vivente legere potuerunt; nisi cogitaret, recordationi suae, quae sancto spiritu regebatur, non frustra occurrisset aliud pro alio nomen prophetae. Sic enim insinuat quaecumque per prophetas spiritus sanctus dixit, et singula esse omnium, et omnia singulorum.

Hieronymus vox pneumatos agiu, per malachiam ad patrem sonat de filio, qui est facies patris, unde agnitus est.

Beda. Angelus autem vocatur iohannes, non naturae societate, iuxta haeresim origenis, sed officii dignitate: angelus enim graece, latine nuntius dicitur; quo nomine recte appellari potuit homo ille qui fuit missus a Deo, ut testimonium perhiberet de lumine, et venientem in carne dominum mundo nuntiaret: cum constet omnes qui sacerdotio funguntur ob evangelizandi officium angelos posse vocari, dicente propheta malachia: labia sacerdotis custodiunt scientiam; et legem requirunt ex ore eius, quia angelus est domini exercituum.

Theophylactus. Praecursor igitur Christi angelus dicitur propter vitam angelicam et reverentiam excelsam. Quod autem dicitur ante faciem tuam, hoc significat quasi diceret, iuxta te est nuntius tuus; unde ostenditur propinquitas praecursoris ad Christum: etenim iuxta reges ambulant qui propinqui sunt magis. Sequitur qui praeparabit viam tuam ante te: per baptismum enim praeparavit animas iudaeorum, ut Christum susciperent.

Hieronymus. Vel via domini qua ad homines ingreditur, poenitentia est, per quam Deus ad nos descendit, et nos ad illum ascendimus: hinc autem initium praedicationis iohannis fuit: poenitentiam agite.

Beda. Sicut autem iohannes angelus potuit vocari pro eo quod faciem domini evangelizando praevenit; ita recte appellari et vox potuit, quia verbum Dei sonando praeibat; unde sequitur vox clamantis in deserto. Constat enim quod unigenitus filius verbum patris vocatur; et ex ipsa nostra locutione cognoscimus quia prius vox sonat, ut verbum postmodum possit audiri.

Hieronymus. Dicitur autem vox clamantis, quia clamor ad surdos, et longe positos, sive cum indignatione fieri solet; quae iudaico certum est populo evenisse, dum longe est a peccatoribus salus; et aures suas obturaverunt sicut aspides surdae: et indignationem, et iram, et tribulationem a Christo audire meruerunt.

Chrysostomus. Per hoc autem quod dicitur in deserto, manifeste ostendit prophetia, non in ierusalem divina fieri dogmata, sed in deserto. Quod implebatur ad litteram, iohanne baptista in deserto iordanis verbi Dei apparitionem salutiferam praedicante. Ostendit etiam sermo propheticus praeter desertum quod a Moyse ostensum fuit, ubi semitas faciebat, aliud esse desertum, in quo praesentem esse salutem Christi praedicabat.

Hieronymus. Vel in deserto fit vox, et clamor, quia deserti erant a spiritu Dei, sicut domus vacans et scopata; deserti etiam a propheta, rege atque sacerdote.

Beda. Quid autem clamaret aperitur cum subditur parate viam domini, rectas facite semitas eius. Omnis enim qui fidem rectam, et opera bona praedicat, quid aliud quam venienti domino ad corda audientium viam parat, ut haec scilicet corda vis gratiae penetret, et lumen veritatis illustret? rectas autem semitas facit, dum mundas in animo cogitationes per sermonem praedicationis format.

Hieronymus. Vel aliter. Parate viam domini; hoc est, poenitentiam agite, et praedicate: rectas facite semitas eius, ut via regia incedentes proximos nostros ut nos, et nosmetipsos ut proximos diligamus: qui enim semetipsum diligit, et non diligit proximum, ad dexteram declinat: nam multi bene agunt, sed bene non corrigunt, ut fuit heli; et qui semetipsum odians, proximum diligit ad sinistram divertit: multi enim bene corrigunt, sed non bene agunt, ut fuerunt scribae et pharisaei. Semitae autem post viam sequuntur, quia mandata moralia post poenitentiam explanantur.

Theophylactus. Vel via est novum testamentum, semitae vero vetus, quasi attritum: ad viam enim necesse erat praeparari, scilicet ad novum testamentum; veteris autem testamenti semitas rectas fieri oportebat.

MARCUS 1,LC3

6104 (Mc 1,4-10)

Hieronymus. Secundum praemissam isaiae prophetiam via domini a Ioanne paratur per fidem et baptismum et poenitentiam; rectae semitae fiunt per austera indicia vestis cilicinae, et zonae pelliceae, et cibi locustini, et mellis silvestris, et humillimae vocis; unde dicitur fuit Ioannes in deserto. Ioannes enim, et Iesus quaerunt quod in deserto amissum est; ubi vicit diabolus, ibi vincitur; ubi cecidit homo, ibi exurgit. Ioannes autem gratia Dei interpretatur; a gratia autem narratio incipit; sequitur enim baptizans; per baptismum enim gratia datur, qua peccata gratis dimittuntur. Quod autem consummatur per sponsum, initiatur per paranymphum: unde catechumeni, hoc est instructi, incipiunt per sacerdotem, et chrismantur per episcopum; et ad hoc designandum subditur et praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.

Beda. Liqueat quia Ioannes baptismum poenitentiae non solum praedicavit, verum etiam quibusdam dedit; sed baptismum in remissionem peccatorum dare non potuit; remissio etenim peccatorum in solo baptismo Christi nobis tribuitur. Dicitur ergo praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum: quoniam baptismum quod peccata solveret, quia dare non poterat, praedicabat: ut sicut incarnatum verbum patris praecurrebat verbo praedicationis, ita baptismum poenitentiae quo peccata solvuntur praecurreret suo baptisate, quo peccata solvi non possunt.

Theophylactus. Baptisma Ioannis non habebat remissionem peccatorum, sed poenitentiam solam afferebat hominibus: praedicabat ergo baptisma poenitentiae, hoc est quo duceret baptismus poenitentiae, nempe in remissionem peccatorum, ut hi qui poenitentiam agentes, Christum reciperent, remissionem reciperent peccatorum.

Hieronymus. Per Ioannem autem sicut per amicum sponsi inducitur sponsa ad Christum, sicut per puerum rebecca ad Isaac; unde sequitur et egrediebatur ad illum omnis iudaea regio, et hierosolymitae universi, et baptizabantur ab illo in iordane flumine: confessio enim, et pulchritudo in conspectu eius. Scilicet sponsi. Desilit enim sponsa de camelo, cum humiliat se nunc ecclesia viso viro Isaac, id est Iesu Christo. Iordanis autem descensio aliena interpretatur, ubi peccata abluuntur. Nos enim olim alienati a Deo per superbiam, per baptismi symbolum humiliati erigimur in alta.

Beda. Exemplum autem hinc sumitur confitendi peccata, ac meliorem vitam promittendi, eis qui baptisma desiderant, per hoc quod subditur confitentes peccata sua.

Chrysostomus in Matth.. Quia vero Ioannes poenitentiam praedicabat, poenitentiae signa gerebat in vestitu et cibo; unde sequitur et erat Ioannes vestitus pilis camelorum.

Beda. Pilis, inquit, vestitus, non lana. Aliud austerae vestis indicium est, aliud luxuria est mollioris. Zona autem pellicea, qua accinctus fuit, ut Elias, mortificationis indicium est. Porro quod sequitur et locustas et mel silvestre edebat, habitatori solitudinis congruum est, ut non delicias ciborum, sed necessitatem humanae carnis expleret.

Hieronymus. Vestis autem Ioannis et cibus et potus totam austeram vitam praedicantium significat, et futuras gentes ad gratiam Dei, quae est Ioannes, intus et foris esse coniungendas: pilis enim cameli divites gentium significantur, et zona pellicea pauperes mundo mortui, et locustis errantibus sapientes huius mundi; qui stipulas iudaeis aridas relinquentes, frumenta mystica curribus trahunt, et in calore fidei saltus in altum dant, et melle silvestri fideles inspirati de inculta silva saginantur.

Theophylactus. Vel aliter. Vestis de pilis camelorum doloris erat ostensivum, innuente Ioanne, quod poenitentem dolere oportet. Dolorem enim saccus significat, zona vero pellicea mortificationem iudaici significat populi; esca autem Ioannis non solum abstinentiam notat, sed etiam est indicium spiritualis escae, qua tunc populus vescebatur, non quid altum intelligens, sed tamen in alta saliens, iterumque se deprimens: talis enim est locusta, in altum saliens, et iterum cadens. Sic igitur et melle quidem vescebatur populus quod erat ex apibus natum, scilicet ex prophetis, non tamen domesticum, sed silvestre: habebant enim scripturas hebraei, sicut mel quoddam; sed non bene intelligebant.

Gregorius moralium. Vel ipsa ciborum specie designavit dominum quem praevenit qui, quia infructuosae gentilitatis dulcedinem sumpsit, mel silvestre edit; quia vero iudaeorum plebem in suo corpore ex parte convertit, in cibo locustas accepit, quae subito saltus dantes, protinus ad terram cadunt. Saltus enim iudaei dabant, cum praecepta domini se implere promitterent; sed ad terram cadebant, cum per prava opera hoc se audisse denegarent. Habebant ergo saltum per vocem et casum per actionem.

Beda. Potest etiam habitus, et victus Ioannis qualitatem internae conversationis eius exprimere: namque austerioribus utebatur indumentis, quia vitam peccantium non blandimentis fovit, sed vigore asperae invectionis increpavit: zonam pelliceam habebat circa lumbos, quia carnem suam crucifixit cum vitiis et concupiscentiis; locustas et mel silvestre edebat, quia dulce quiddam sapiebat turbis praedicatio eius, existimante populo ne ipse esset Christus; sed potius finem sortita est, intelligentibus eius auditoribus quia non ipse Christus, sed praecursor, et propheta esset Christi. In melle etenim dulcedo, in locustis est alacer volatus; unde sequitur et praedicabat dicens: veniet fortior me post me.

Glossa. Hoc dicebat ad removendum turbae opinionem, quae eum Christum esse credebat; fortiorem autem Christum esse praenuntiat, qui remissurus erat peccata, quod ipse facere non valebat.

Hieronymus. Quis etiam fortior est gratia qua abluuntur peccata, quam Ioannes significat? ille nimirum qui septies et septuagies dimittit peccata. Gratia quidem prior est, sed semel dimittit peccata per baptismum; misericordia vero ad miseros ab adam usque ad Christum per septuaginta septem generationes, et usque ad centum quadraginta quatuor millia pervenit.

Chrysostomus in Matth.. Ne autem aestimaretur hoc secundum comparisonem sui ad Christum dicere, subiungit cuius non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum eius. Non est autem idem solvere corrigiam calceamentorum eius, quod hic marcus dicit, et calceamenta portare, quod dicit Matthaeus. Et quidem narrationis ordinem prosequentes evangelistae, nec in aliquo fallentes, dicunt utrumque Ioannem dixisse secundum alterum sensum; commentantes vero circa hoc differenter exposuerunt unumquodque: corrigiam enim vocant ligamen calceamentorum. Ad excellentiam igitur potestatis Christi, et divinitatis magnitudinem extollendam hoc dicit, ac si diceret: neque in ministri ordine deputari sufficiens sum. Magnum enim est in his quae sunt corporis Christi quasi procumbendo inferius attendere, et imaginem supernorum inferius videre, et solvere unumquodque inexplicabilium quae sunt circa mysterium incarnationis.

Hieronymus. Calceamentum enim in extrema parte corporis est: in fine enim ad iustitiam est salvator incarnatus: unde per prophetam dicitur: in idumaeam extendam calceamentum meum.

Gregorius in evang.. Calceamenta etiam ex mortuis animalibus fiunt. Incarnatus ergo dominus veniens quasi calceatus apparuit, qui in divinitate sua morticina nostrae corruptionis assumpsit. Vel aliter. Mos apud veteres fuit, ut si quis eam quae sibi competeret accipere uxorem nollet, ille ei calceamentum solveret qui ad hanc sponsus iure propinquitatis veniret. Recte ergo se indignum esse ad solvendam corrigiam calceamenti eius denuntiat; ac si aperte dicat: ego redemptoris vestigia denudare non valeo, quia sponsi nomen mihi immeritus non usurpo.

Theophylactus. Intelligitur vero etiam sic. Omnes qui veniebant, et a Ioanne baptizabantur, per poenitentiam solvebantur a ligamine peccatorum in Christum credendo. Igitur omnium aliorum Ioannes sic solvebat corrigiam, idest vinculum peccatorum: iesu vero non valuit corrigiam solvere, quia non invenit in eo peccatum.

Beda. Sic ergo Ioannes dominum non adhuc manifeste dominum aut Dei filium, sed tantum virum se fortiorem praedicat. Non enim rudes adhuc auditores tanti capiebant arcana sacramenti, quod filius Dei aeternus, homine assumpto ex virgine, denuo natus esset in mundum: sed paulatim per agnitionem glorificatae humilitatis introducendi erant ad fidem divinae aeternitatis: quibus tamen latenter deum hunc esse verum declarans subdit ego baptizo vos in aqua, ille vero baptizabit vos in spiritu sancto. Cui enim dubium est nullum posse alium gratiam spiritus sancti nisi deum dare? **Hieronymus.** Quid enim interest inter aquam et spiritum sanctum qui ferebatur super aquas? aqua ministerium est hominis, spiritus vero mysterium Dei est.

Beda. Baptizamur autem a domino in spiritu sancto, non solum cum in die baptismatis fonte vitae in remissionem peccatorum abluimur, verum etiam quotidie per gratiam eiusdem spiritus ad agenda quae Deo placent accendimur.

MARCUS 1,9-11

6109 (Mc 1,9-11)

Hieronymus. Marcus evangelista, sicut cervus ad fontes aquarum desiderans, saltus in planis et arduis dat, et velut apis melliflua flores summatim degustat; unde a nazareth venientem iesum enarravit dicens et factum est in diebus illis, venit iesus a nazareth galilaeae, et baptizatus est a ioanne in iordane.

Chrysostomus. Alterum siquidem baptisma ordinans, ad ioannis venit baptisma; quod respectu sui baptismi incompletum erat, a iudaico vero baptismo alienum, tamquam in amborum medio existens, ut per baptismi naturam ostendat, quia non in peccati remissionem baptizatur, aut quasi indigens spiritus sancti acceptione: his enim ambobus baptisma ioannis carebat. Baptizatus est autem ut notus omnibus fieret, et in eum crederent; et ad implendum omnem iustitiam, quae est observatio mandatorum: mandatum siquidem erat hominibus baptismum subire prophetarum.

Beda. Baptizatus est, et ut baptismate suo ioannis baptisma comprobaretur, et ut iordanis aquam sanctificans, per descensionem columbae, spiritus sancti in lavacro credentium monstraret adventum; unde sequitur et statim ascendens de aqua, vidit apertos caelos, et spiritum sanctum tamquam columbam descendentem, et manentem in ipso. Aperiantur autem caeli non reseratione elementorum, sed spiritualibus oculis, quibus ezechiel in principio voluminis sui eos apertos esse commemorat. Hoc autem, quod apertos caelos post baptisma vidit, nostri utique gratia factum est, quibus per lavacrum regenerationis ianua panditur regni caelestis.

Chrysostomus in Matth.. Vel ut de caelis hominibus sanctificatio tribuatur, ac terrena caelestibus coniungantur. Spiritus autem sanctus super eum descendisse dicitur, non tamquam tunc primum ad eum accesserit (non enim ab eo umquam fuerat derelictus), sed ut ostenderet Christum qui a ioanne praedicabatur, tamquam digito quodam fidei omnibus demonstratum.

Beda. Quod etiam in baptismum descendere visus est spiritus sanctus, signum erat conferendae nobis in baptismo gratiae spiritualis.

Hieronymus. Haec est unctio Christi secundum carnem, scilicet spiritus sanctus, de qua dicitur: unxit te Deus Deus tuus oleo laetitiae prae consortibus tuis.

Beda. Bene autem in specie columbae descendit spiritus sanctus, quod multum simplex est animal, atque a malitia fellis alienum, ut figurate nobis insinaret quia simplicia corda quaerit, nec habitare dignatur in mentibus impiis.

Hieronymus. In specie etiam columbae spiritus sanctus descendit, quia in cantico de ecclesia canitur: sponsa mea, amica mea, dilecta mea, columba mea. Sponsa in patriarchis, amica in prophetis, proxima in ioseph, et mea dilecta in ioanne baptista, columba in Christo et apostolis, quibus dicitur: estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.

Beda. Sedit autem columba super caput iesu, ne quis putaret vocem patris ad ioannem factam, non ad dominum. Bene autem addidit manentem in ipso: hoc enim est Christo speciale ut implens eum semel spiritus sanctus nunquam recedat. Nam fidelibus eius ad signa virtutum, et miracula facienda aliquando gratia spiritus confertur, aliquando tollitur; quibus tamen ad operationem pietatis et iustitiae, ad amorem Dei et proximi conservandum numquam gratia spiritus abest. Ipsum autem qui baptizandus cum aliis ad ioannem venit, verum esse filium Dei in spiritu sancto baptizare volentem vox patris docuit; unde sequitur et vox facta est de caelis: tu es filius meus dilectus, in te complacui. Non autem per hoc ipse filius quod nesciebat docetur; sed nobis quid credere debeamus ostenditur.

Augustinus de cons. Evang.. Unde Matthaueus ait dictum esse: filius meus dilectus, quia ostendere voluit ad id valere quod dictum est: hic est filius meus, ut illis potius qui audiebant indicaretur, quod ipse filius esset Dei. Si autem quaeris quid horum in illa voce sonuerit; quodlibet accipe, dummodo intelligas eos qui non eandem locutionem retulerunt, eandem retulisse sententiam. Quod autem Deus in filio sibi placuisse videatur, admonemur ex eo quod dictum est in te complacui.

Beda. Nos quoque vox eadem docuit per aquam ablutionis, et spiritum sanctificationis Dei posse filios effici; mysterium etiam trinitatis in baptismate demonstratur. Filius baptizatur, spiritus descendit in specie

columbae, patris vox filio testimonium perhibentis auditur.

Hieronymus. Moraliter et nos de volubilitate mundi, odore florum, et munditie tracti, cum adolescentulis post sponsum currimus, et baptismi sacramento de duobus fontibus dilectionis Dei et proximi, gratia remissionis abluimur, et ascendentes spe caelestia secreta mundi cordis oculis intuemur. Dehinc spiritum sanctum spiritu contrito et humiliato cum simplici corde descendentem ad mansuetos, et cum caritate numquam cadente manentem suscipimus. Et vox domini de caelis ad nos a Deo dilectos dirigitur: beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur, et tunc in nobis complacet pater cum filio, et spiritu sancto, quando efficitur unus spiritus cum Deo.

MARCUS 1,12-13

6112 (Mc 1,12-13)

Chrysostomus in Matth.. Quia Christus omnia ad doctrinam nostram operabatur, et sustinebat, inceptit post baptismum ab eremi habitatione, et pugnavit contra diabolum, ut unusquisque baptizatorum tentationes maiores patienter sustineat post baptismum, nec turbetur tamquam praeter spem hoc contingente, sed omnia sustinens maneat triumphator. Etsi enim Deus permittat tentationes fieri multis aliis modis, ob hoc etiam permittit, ut cognoscas quod homo tentatus in maiori honore constituitur: non enim accedit diabolus nisi ubi aliquem in maiori honore viderit constitutum; et ideo dicitur et statim expulit eum spiritus in desertum. Propter hoc autem non ostendit eum simpliciter euntem in desertum, sed expulsus, ut hoc intelligas fieri iuxta divinae dispositionis verbum: per quod etiam innuit ne homo seipsum in tentationem ingerat, sed aliunde in tentationem quasi expulsos victores existere.

Beda. Verum ne cui veniret in dubium a quo eum spiritu expulsus diceret in desertum, consulte Lucas primo posuit quod iesus plenus spiritu sancto regressus est a iordane; ac deinde intulit: et agebatur a spiritu in desertum, ne quid contra eum valuisse spiritus putaretur immundus qui plenus spiritu sancto, quo volebat digrediens, quae volebat agebat.

Chrysostomus in Matth.. Expulit autem eum spiritus in desertum: quia enim diabolus ad tentandum provocare proponebat, non solum fame, sed etiam loco occasionem dedit: tunc enim maxime diabolus se ingerit, cum videt aliquos solitarios permanentes.

Beda. Secedit etiam in desertum, ut nos doceat relictis mundi illecebris, et societate pravorum, divinis per omnia servare mandatis. Tentatur solus a diabolo, ut nobis insinuet, quia omnes qui volunt pie vivere in Christo, persecutiones patiuntur; unde sequitur et erat in deserto quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, et tentabatur a satana. Tentatur autem quadraginta diebus, et quadraginta noctibus, ut indicet quia quamdiu hic viventes domino servimus, sive prospera blandiantur, quod ad dies pertinet, seu adversa fiant, quod noctis figurae congruit, toto tempore adversarius adsit, qui iter nostrum tentando impedire non cessat: quadraginta enim dies et noctes totum huius saeculi tempus insinuant: quia quadripartitus est mundus, in quo domino famulamur; decem vero sunt praecepta per quorum observantiam contra hostem certamus; decem autem quater ducta, quadraginta fiunt. Sequitur eratque cum bestiis.

Chrysostomus. Hoc autem dicit ut ostendat quale erat desertum: invium enim erat hominibus, et bestiis plenum. Sequitur et angeli ministrabant ei. Post tentationem enim, et victoriam contra diabolum, operatus est hominum salutem. Et sicut apostolus dicit: angeli in ministerium mittuntur propter eos qui hereditatem capiunt salutis. Notandumque est, quod vincenti tentationem assistunt angeli ministrantes.

Beda. Considerandum etiam, quod Christus inter bestias commoratur ut homo, sed ministerio utitur angelico ut Deus. Et nos cum in eremo sanctae conversationis bestiales hominum mores impolluta mente toleramus, ministerium angelorum meremur; a quibus corpore absoluti ad aeternam beatitudinem transferemur.

Hieronymus. Vel tunc bestiae pacatae nobiscum sunt, sicut in arca animalia munda cum immundis, cum caro non concupiscit adversus spiritum; post hoc angeli ministri mittuntur nobis, ut responsa et solatia cordibus vigilantibus dent.

MARCUS 1,14-15

6114 (Mc 1,14-15)

Chrysostomus. Marcus evangelista Matthaem in ordine sequitur; et ideo postquam dixit angelos ministrare, subiungit postquam autem traditus est loannes, venit iesus in galilaeam. Post tentationes, et angelos ministrantes recedit in galilaeam, instruens nos non resistere violentiis malignorum.

Theophylactus. Et ut ostendat nobis quod in persecutionibus decet recedere, et non expectare; cum vero inciderimus, decet sustinere.

Chrysostomus. Recessit etiam ut ad doctrinam et sanationes seipsum conservaret priusquam pateretur; hisque omnibus adimpletis, fieret obediens usque ad mortem.

Beda. Ioanne tradito, recte incipit dominus praedicare; unde sequitur praedicans evangelium regni Dei. Desinente enim lege, consequenter oritur evangelium.

Hieronymus. Cessante umbra, adest veritas; loannes in carcere, lex in iudaea, iesus in galilaea, paulus in gentibus praedicans evangelium regni. Regno enim terreno succedit paupertas, paupertati Christianorum regnum tribuitur sempiternum. Honor autem terrenus spumae aquae, vel fumo, vel somnio comparatur.

Beda. Nemo autem putet traditionem loannis in carcerem statim post ieiunium quadraginta dierum domini factam; quisquis enim evangelium loannis legerit, inveniet dominum ante traditionem loannis multa docuisse, et multa miracula fecisse: habes enim in evangelio ipsius: hoc fecit initium signorum iesus; et postea: necdum enim erat missus loannes in carcerem. Fertur autem quia cum legisset loannes Matthaei, Marci et Lucae volumina, probaverit quidem textum historiae, et vera eos dixisse firmaverit, sed unius tantum anni, in quo et passus est, post carcerem loannis, historiam texuisse. Praetermisso itaque anno cuius acta a tribus exposita fuerant, superioris temporis, antequam clauderetur loannes in carcere, gesta narravit. Cum ergo dixisset marcus, quia venit iesus in galilaeam, praedicans evangelium regni, subiungit, dicens quoniam impletum est tempus, et appropinquabit regnum Dei.

Chrysostomus. Siquidem completo tempore, quando scilicet venit plenitudo temporis, misitque Deus filium suum, conveniens fuit humanum genus ultimam consequi Dei dispensationem: et ideo dicit, quod appropinquabit regnum Dei. Regnum autem Dei idem est secundum substantiam cum regno caelorum, quamvis differt ratione: regnum enim Dei intelligitur quo Deus regnat; hoc vero est in regione viventium, quando facie ad faciem deum videntes, in bonis promissis existent. Sive amorem quis velit suscipere illam regionem, sive aliquam aliam confirmationem eorum qui imaginem induunt supernorum, quae per caelos intelliguntur. Satis enim apparens est quod regnum Dei neque loco, neque tempore concluditur.

Theophylactus. Vel completum esse dicit dominus tempus legis; quasi diceret: usque ad tempus praesens operabatur lex; amodo operabitur regnum Dei, quod est secundum evangelium conversatio, quae convenienter assimilatur regno caelorum. Cum enim vides aliquem carne indutum secundum evangelium vivere, numquid non dices, quoniam iste habet regnum caelorum? quod non est esca, et potus; sed iustitia, et pax, et gaudium in spiritu sancto. Sequitur poenitemini.

Hieronymus. Poenitentiam enim agit qui vult aeterno bono, scilicet regno Dei, adhaerere. Qui enim desiderat nucleum, frangit nucem. Amaritudinem radicis, dulcedo pomi compensat; periculum maris, spes lucri delectat; dolorem medicinae, spes salutis mitigat. Praeconia autem Christi illi narrare digne possunt qui ad palmam indulgentiae meruerunt pervenire: et ideo postquam dixit poenitemini, subiunxit et credite evangelio; nam nisi credideritis, non intelligetis. Poenitemini igitur, et credite; idest, renuntiate operibus mortuis: quid enim prodest credere sine bonis operibus? non tamen bonorum operum meritum adducit ad fidem; sed fides incipit, ut bona opera consequantur.

MARCUS 1,16-20

6116 (Mc 1,16-20)

Glossa. Posita praedicatione Christi ad turbas, agit evangelista de vocatione discipulorum, quos fecit suae praedicationis ministros; unde sequitur et praeteriens secus mare galilaeae, vidit simonem, et andream fratrem eius.

Theophylactus. Sicut loannes evangelista refert, praecursoris erant discipuli petrus et andreas. Videntes vero quod loannes de iesu testimonium dederat, adiuncti sunt ei; post haec dolentes, quia loannes traditus erat, ad artem propriam sunt reversi; unde sequitur mittentes retia in mare: erant enim piscatores. Vide

autem eos de laboribus propriis enutritos, et non ex iniquitate: tales enim digni erant Christi primi discipuli fieri; unde subditur et dixit eis iesus: venite post me. Nunc secundo illos vocat: est enim haec secunda vocatio respectu illius quae legitur in Ioanne. Ad quid autem vocentur, ostenditur cum subditur faciam vos fieri piscatores hominum.

Remigius. Quia per rete sanctae praedicationis, pisces, idest homines, de profundo pelagi, idest infidelitatis, ad lucem fidei traxerunt. Admiranda autem est ista piscatio. Pisces enim cum capiuntur, mox moriuntur; homines cum capti sunt, verbo praedicationis potius vivificantur.

Beda. Piscatores autem, et illitterati mittuntur ad praedicandum, ut fides credentium in virtute Dei, non in eloquentia atque in doctrina esse putaretur. Sequitur et protinus, relictis retibus, secuti sunt eum.

Theophylactus. Non enim oportet intervallum facere; sed statim sequi dominum. Post hos vero piscatur iacobum et Ioannem: quia et illi pauperes existentes, tamen senectutem nutriebant paternam; unde sequitur et progressus inde pusillum, vidit iacobum zeBedaei. Reliquerunt autem patrem, quia in sequela Christi eos erat impediturus. Sic et tu cum a parentibus impederis, relinque eos, et accede ad deum. Ostenditur autem quod zeBedaeus non credit; mater vero apostolorum credit, quae secuta est Christum mortuo zeBeda eo.

Beda. Quaeri autem potest quomodo binos vocaverit de naviculis piscatores, primo petrum et andream, deinde progressus paululum alios duos filios zeBedaei, cum Lucas dicat iacobum et Ioannem vocatos fuisse ad adiuvandum petrum et andream, et Christum petro tantum dixisse: noli timere: ex hoc iam homines eris capiens; simul tamen, subductis ad terram navibus, eos fuisse secutos. Unde intelligendum est, hoc primo esse factum quod Lucas insinuat, et postmodum ad capturam piscium eos ex more remeasse, ut postea fieret quod marcus hic narrat. Tunc enim secuti sunt dominum, non subductis ad terram navibus, tamquam cura redeundi, sed tamquam vocantem, ac iubentem ut sequerentur.

Hieronymus. Mystice autem hac quadriga piscatorum vehimur ad aethera, ut elias; his quatuor angulis construitur prima ecclesia; his quatuor litteris hebraicis, tetragrammaton, nomen domini agnoscitur a nobis, quibus simili exemplo praecipitur ut audiamus vocem domini vocantis, et obliviscamur populum vitiorum, et domum paternae conversationis, quae est stultitia Deo, et rete aranearum, in quo nos velut culices pene lapsos tenebat aer inanis, qui pendet in nihilum, navem pristinae conversationis abominantes. Pellibus enim mortuis tegitur adam, qui est genitor noster secundum carnem; et nunc, deposito vetere homine cum actibus suis, novum sequentes hominem, pellibus tegimur salomonis, quibus sponsa gloriatur se esse formosam factam. Simon autem obediens, andreas virilis, iacobus supplantans, Ioannes gratia in latino sonant: quibus quatuor nominibus in agmen domini coniungimur, obedientia ut audiamus, virilitate ut pugnemus, supplantatione ut perseveremus, gratia ut conservemur: quae quatuor virtutes cardinales dicuntur; per prudentiam enim obedimus, per iustitiam viriliter agimus, per temperantiam serpentem calcamus, per fortitudinem gratiam Dei meremur.

Theophylactus. Scias item primum hic vocari actionem, deinde contemplationem; petrus enim activae symbolum est, ferventior enim erat aliis, sicut activa est; Ioannes vero contemplationem significat, plus enim de rebus divinis disserit Ioannes.

MARCUS 1,21-22

6121 (Mc 1,21-22)

Hieronymus. Marcus dicta evangelii in seipso, non in seipsis disponens, ordinem historiae non secutus, mysteriorum ordinem servat; unde sabbatis primam virtutem narrat, dicens et ingrediuntur capharnaum.

Theophylactus. A nazareth recedens. In die autem sabbati, quando scribae congregabantur, tunc docens synagogam intravit; unde sequitur et statim sabbatis ingressus in synagogam docebat eos: etenim lex ad hoc sabbatis otio vacare iubebat, ut lectioni studentes convenirent in unum. Docebat autem Christus arguendo, non adulando, sicut pharisaei; unde sequitur et stupebant super doctrina eius: erat enim docens eos quasi potestatem habens, et non sicut scribae. Docebat etiam in potestate, transmutans homines ad bonum, et per poenam non credentibus minabatur.

Beda. Scribae etiam docebant populos quae scripta sunt in Moyse et prophetis; iesus vero quasi Deus et dominus ipsius moysi pro libertate voluntatis suae, vel ea quae minus videbantur, addebat in lege, vel commutans praedicabat populis, ut in Matthaео legimus: dictum est antiquis... Ego autem dico vobis.

MARCUS 1,23-28

6123 (Mc 1,23-28)

Beda. Quoniam invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum, ideo contra ipsum mortis auctorem primo debuit medicina salutis operari; et ideo dicitur et erat in synagoga eorum homo in spiritu immundo.

Chrysostomus. Spiritus quidem angelus, et aer, et anima nuncupatur, et etiam spiritus sanctus. Ne igitur propter communicantiam nominis, in errorem decidamus, addit immundo: immundus autem dicitur propter impietatem, ac elongationem a Deo, et quia omnibus immundis, et pravis operationibus se immiscet.

Augustinus de civ. Dei. Contra superbiam porro daemonum quantam virtutem habeat Dei humilitas, quae in forma servi apparuit, ipsi daemones ita sciunt ut eidem domino infirmitate carnis induto haec exprimerent; sequitur enim et exclamavit dicens: quid nobis, et tibi, iesu nazarene? venisti ante tempus perdere nos. Clarum est in his verbis quod in eis et scientia erat, et caritas non erat: poenam quippe suam formidabant ab illo, non in illo iustitiam diligebant.

Beda. Daemones enim dominum in terris cernentes, se continuo iudicandos credebant.

Chrysostomus. Vel hoc ita dicit, quasi diceret: auferens immunditiam, divinamque imponens cognitionem hominum animabus, nobis locum in hominibus non das.

Theophylactus. Exire enim ab homine perditionem suam existimat daemon: immisericordes enim existunt daemones, malum aliquod pati se existimantes cum homines non molestant. Sequitur scio quod sis sanctus Dei.

Chrysostomus. Quasi diceret: considero adventum tuum: non enim firmam ac certam adventus Dei habebat notitiam. Sanctum autem dicit eum, non unum de pluribus, quia et sanctus erat unusquisque prophetarum, sed unum eum esse denuntiat: per articulum enim qui in graeco ponitur unum ostendit; per timorem vero, omnium dominum recognoscit.

Augustinus. De civ. Dei. Tantum enim eis innotuit quantum voluit; tantum autem voluit quantum oportuit. Sed innotuit non sicut angelis sanctis, qui eius, secundum id quod est Dei verbum, participata aeternitate perfruuntur; sed sicut eis terrendis innotescendus fuit, ex quorum tyrannica potestate fuerat liberaturus praedestinos. Innotuit ergo daemonibus, non per id quod est vita aeterna, sed per quaedam temporalia suae virtutis effecta, quae angelicis sensibus etiam malignorum spirituum potius quam infirmitati hominum possint esse conspicua.

Chrysostomus. Non autem volebat veritas testimonia spirituum immundorum; unde sequitur et comminatus est ei iesus, dicens: obmutesce, et exi de homine. Unde dogma salutiferum nobis datur, ne credamus daemonibus quantumcumque denuntient veritatem. Sequitur et discernens eum spiritus immundus, et exclamans voce magna exivit ab eo. Quia enim homo ille tamquam sapiens loquebatur, ac discrete verba proferebat, ne putaretur quod non ex daemone, sed ex corde verba componeret, virum discerni permisit a daemone, ut ostenderet daemonem esse qui loquebatur.

Theophylactus. Ut videntes cernerent a quo malo liberabatur homo, et propter miraculum crederent.

Beda. Potest autem videri contrarium, quomodo discernens, vel, sicut quidam codices habent, convexans eum exiverit, cum nihil ei nocuerit secundum Lucam. Sed et ipse Lucas dicit: et cum proiecisset eum daemonium in medium, exiit ab eo, nihilque ei nocuit. Unde intelligitur hoc dixisse Marcum convexans eum, sive discernens, quod Lucas dicit: cum proiecisset eum in medium; et quod secutus ait: nihilque ei nocuit, hoc intelligitur, quod illa iactatio membrorum, atque vexatio non eum debilitavit, sicut solent daemonia exire etiam quibusdam membris amputatis, aut evulsis. Visa autem virtute miraculi, novitatem dominicae admirantur doctrinae atque ad inquisitionem eorum quae audierant, per ea quae viderant, excitantur; unde sequitur et mirati sunt omnes, ita ut conquirerent: ad hoc enim fiebant signa, ut per hoc evangelio regni Dei quod praedicabatur, certius crederetur, dum hi qui caelestia terrigenis gaudia promittebant, caelestia in terris ac divina opera monstrabant. Prius autem, teste evangelista, erat docens eos quasi potestatem habens, et nunc turba attestante, in potestate imperat spiritibus immundis, et obediunt ei. Sequitur et processit rumor eius statim in omnem regionem galilaeae.

Glossa. Ea enim quae homines multum mirantur prompte divulgant: quia ex abundantia cordis os loquitur.

Hieronymus. Mystice autem capharnaum villa consolationis interpretatur, sabbatum autem requies. Homo in spiritu immundo requie et consolatione sanatur, ut locus et tempus congruant saluti. Homo in spiritu immundo genus humanum est, in quo immunditia regnavit ab adam usque ad Moysen: nam sine lege peccaverunt, et sine lege perierunt. Qui sciens sanctum Dei, obmutescere iubetur, dum scientes quidem deum, non sicut deum glorificaverunt, sed servierunt potius creaturae quam creatori. Spiritus discernens hominem exiit ab eo. Appropinquante salute, appropinquavit tentatio: pharao dimissurus israel persequitur israel, diabolus contemptus surgit in scandala.

MARCUS 1,29-31

6129 (Mc 1,29-31)

Beda. Primo debuit lingua serpentina, ne ultra virus spargeret, concludi; deinde femina, quae primo seducta est, a carnalis concupiscentiae febre sanari; unde dicitur et protinus egredientes de synagoga, venerunt in domum simonis et andreae cum iacobo et ioanne.

Theophylactus. Recessit enim, ut consuetudo erat in sabbato, circa vesperam ad edendum in discipulorum domum. Quae autem ministrare debebat, febribus tenebatur; unde sequitur recumbebat autem socrus simonis febricitans.

Chrysostomus. Discipuli autem tamquam exinde utilitatem aliquam recepturi non expectantes vespere, socrum petri sanari precabantur; unde sequitur qui statim dicunt ei de illa.

Beda. In evangelio autem Lucae scriptum est quod rogaverunt illum pro ea. Modo enim salvator rogatus, modo ultro curat aegrotos, ostendens se, contra vitiorum quoque passiones, et precibus semper annuere fidelium, et ea nonnumquam quae ipsi minime intelligunt, vel intelligenda dare, vel pie petentibus, etiam non intellecta, dimittere, iuxta id quod psalmista postulat: delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, domine. Unde et hic rogatus sanat; sequitur enim et accedens elevavit eam, apprehensa manu eius.

Theophylactus. Per hoc significatur, quod si aliquis infirmatur, a Deo curabitur, si sanctis ministraverit ob Christi amorem. **Beda** super Lucam. Quod autem sabbatis maxime medicinae, doctrinaeque suae dona frequentat, docet se non sub lege, esse sed supra legem, nec iudaicum eligere sabbatum; dilectamque domino esse requiem, si saluti studentes animarum ab opere servili, idest a cunctis contineamus illicitis. Sequitur et continuo dimisit eam febris; et ministrabat eis. Sanitas quae domini confertur imperio, simul tota redit, tanto robore comitante, ut eis continuo qui se adiuvant, ministrare sufficiat. Si autem virum a daemonio liberatum, moraliter animum ab immunda cogitatione purgatum significare dixerimus; convenienter femina a febribus ad imperium domini curata carnem ostendit a concupiscentiae suae fervore, per continentiae praecepta frenatam.

Hieronymus. Febris enim intemperantiam significat, de qua nos filii synagogae per manum disciplinae, desiderii elevatione sanamur, et huius qui sanat nos ministramus voluntati.

Theophylactus. Febricitat autem qui irascitur, ut ex ira manus effrenatus extendat; sed si ratio retineat manum eius, surgit, et sic ratio ministrat.

MARCUS 1,32-34

6132 (Mc 1,32-34)

Theophylactus. Quia turbae considerabant neminem licere die sabbati curare, huius gratia solis expectabant occasum, ut curandos ad iesum adducant; unde dicitur vespere autem facto, cum occidisset sol. Sequitur et curavit multos qui vexabantur variis languoribus.

Chrysostomus. Per hoc autem quod dicit multos, omnes oportet intelligere, iuxta scripturae consuetudinem.

Theophylactus. Vel multos dicit; erant enim quidam infideles, qui minime curati sunt propter incredulitatem

eorum. Multos ergo ex oblati sanavit, illos scilicet qui fidem habebant. Sequitur et daemona multa eiciebat, et non sinebat ea loqui, quoniam sciebant eum.

Augustinus de quaest. Novi et vet. Testam.. Sciebant enim daemona Christum esse, qui per legem fuerat repromissus: omnia enim signa videbant in eo quae dixerant prophetae; mysterium autem divinitatis eius ignorabant, sicut et principes eorum. Si enim cognovissent, numquam dominum maiestatis crucifixissent.

Beda. Quem enim dierum quadraginta ieiunio fatigatum diabolus hominem cognoverat, nec tentando valuit an Dei filius esset, experiri; iam nunc per signorum potentiam vel intellexit, vel potius suspicatus est esse filium Dei. Non igitur ideo iudaeis eum crucifigere persuasit, quia Dei filium non esse putavit, sed quia se morte illius non praevidit esse damnandum.

Theophylactus. Ideo autem non sinebat loqui daemona, docens nos non credere eis, etiam si vera dicunt: si enim invenerint aliquos sibi credentes, veritatibus mendacia miscent.

Chrysostomus. Non est autem contrarium ei quod hic dicitur hoc quod Lucas dicit quod exhibant daemona a multis clamantia, et dicentia: quia tu es Christus filius Dei; subiunxit enim et increpans non sinebat ea loqui. Marcus enim multa sub brevitate pertransiens, circa finem praedictorum verborum loquitur.

Beda. Mystice autem solis occubitus passionem mortemque significat illius qui dixit: quamdiu in mundo sum, lux mundi sum; et sole occidente plures quam ante daemoniaci et aegroti sanantur, quia temporaliter in carne vivens paucos iudaeorum docuit, omnibus per orbem gentibus fidei, salutisque dona transmisit.

Hieronymus. Ianua autem regni moraliter poenitentia est cum fide, quae operatur salutem languoribus variis: varia etenim sunt vitia quibus languescit civitas mundi.

MARCUS 1,35-39

6135 (Mc 1,35-39)

Theophylactus. Postquam dominus infirmos curavit, seorsum recedit; unde dicitur et diluculo valde surgens, egressus abiit in desertum locum: in quo docuit nos non facere aliquid ad apparentiam, sed, et si boni aliquid operamur, non propalare. Sequitur ibique orabat.

Chrysostomus. Non quia oratione indigeret: ipse enim erat qui hominum orationes suscipiebat: sed haec quidem dispensative agens, forma bonae operationis nobis est factus.

Theophylactus. Ostendit enim nobis quod Deo debet attribui, si aliquid boni facimus, et ei debemus dicere: quoniam omne datum optimum desuper est descendens a te. Sequitur et prosecutus est illum simon, et qui cum illo erant.

Chrysostomus. Lucas autem dicit turbas accessisse ad Christum, et dixisse quod marcus hic dicit dixisse apostolos, subdens et cum venissent ad eum dixerunt ei: quia omnes quaerunt te. Non autem invicem contradicunt: suscepit enim Christus et post apostolos turbam coniungi Christi pedibus anhelantem. Gaudens autem eos suscipiebat, sed volebat eos dimittere, ut et reliqui doctrinae eius participes essent, tamquam non multo tempore in mundo moraturus; et ideo sequitur et ait: eamus in proximos vicos et civitates, ut et ibi praedicem.

Theophylactus. Transit enim ad illos magis indigentes, quia doctrinam concludere non convenit in uno loco, sed ubique radios eius extendere. Sequitur ad hoc enim veni.

Chrysostomus. In quo manifestat exinanitionis, idest incarnationis mysterium et divinitatis suae dominium, cum scilicet asserit sponte in mundum venisse. Lucas vero dicit: ad hoc missus sum, denuntians dispensationem, et Dei patris bonam voluntatem de filii incarnatione. Sequitur et erat praedicans in synagogis eorum in omni galilaea.

Augustinus de cons. Evang.. In hac autem praedicatione quam dicit eum habuisse in omni galilaea, intelligitur etiam sermo domini habitus in monte, cuius commemorationem facit Matthaeus; quem marcus omnino non commemoravit, nec aliquid simile ei dixit, nisi quasdam sententias non contextim, sed sparsim repetivit, quas dominus aliis locis dixit.

Theophylactus. Doctrinae autem operationem immiscuit: praedicans enim postmodum fugavit daemonia: sequitur enim et daemonia eiciens: nisi enim ostenderet Christus miracula, eius sermoni non crederetur; sic et tu post doctrinam, operare ut non sit in te vacuus tuus sermo.

Beda. Mystice autem si occasu solis mors exprimitur salvatoris, quare non diluculo redeunte resurrectio eius indicetur? cuius manifestata luce abiit in desertum gentium, ibique in suis fidelibus orabat, quia corda eorum per gratiam sancti spiritus ad virtutem orationis excitabat.

MARCUS 1,40-45

6140 (Mc 1,40-45)

Beda. Postquam lingua serpentina daemonum occlusa est, et femina, quae primo seducta est, a febre curata, tertio vir, qui male suadentis dicta coniugis audivit, ab erroris suis lepra mundatur, ut ipse esset ordo restorationis in domino, qui erat ordo casus in protoplastis; unde sequitur et venit ad eum leprosus deprecans eum.

Augustinus de cons. Evang.. De hoc leproso mundato talia marcus connectit ut ipse intelligatur quem Matthaeus commemorat tunc esse mundatum quando dominus post sermonem de monte descendit. Et quia dominus ait: non veni solvere legem, sed adimplere, ille qui excludebatur a lege, purgari se domini potestate praesumens, non ex lege, sed supra legem esse gratiam indicavit quae leprosi maculam posset abluere. Verum sicut in domino potestatis auctoritas, ita in illo fidei constantia declaratur; sequitur enim et genuflexo dixit: domine, si vis, potes me mundare. In faciem procidit, quod humilitatis est et pudoris, ut unusquisque de vitae suae maculis erubescat; sed confessionem verecundia non repressit: ostendit vulnus, et remedium postulavit; et ipsa confessio religionis et fidei plena est: in voluntate enim domini tribuit potestatem.

Theophylactus. Non enim dixit: si deum deprecatus fueris, sed si vis, quasi ipsum credens deum.

Beda. De voluntate autem domini non quasi pietatis incredulus dubitavit, sed quasi colluvionis suae conscius non praesumpsit. Sequitur iesus autem misertus eius, extendit manum suam, et tangens eum ait illi: volo: mundare. Non, ut plerique latinorum putant, iniungendum est, et legendum: volo mundare; sed separatim, ut primum dicat volo, deinde imperet: mundare.

Chrysostomus super Matth.. Propter hoc autem leprosum tangit, et non solo verbo contulit sanitatem, quia in lege a Moysse dictum est: qui leprosum tetigerit, immundus erit usque ad vesperum. Ut enim ostendat quod secundum naturam est haec immunditia, et quod lex non erat propter eum posita, sed propter homines et quod ipse est proprie dominus legis, et quia non sicut servus infert, sed sicut dominus, sanitatem, leprosum tetigit congruenter, non tamen existente necessario tactu ad curationis operationem.

Beda. Ideo etiam tetigit ut probaret quia contaminari non poterat qui alios liberabat. Simulque illud mirabile quod eo sanavit genere quo fuerat obsecratus. Si vis, inquit leprosus, potes me mundare. Volo, inquit; ecce habes voluntatem; mundare, iam habes pietatis effectum.

Chrysostomus. Per hoc autem non solum opinionem leprosi non destruxit, sed magis confirmavit: verbo enim morbum fugat et quod leprosus verbo dixerat, hoc opere adimplevit; unde sequitur et cum hoc dixisset, statim discessit ab eo lepra, et mundatus est.

Beda. Nihil enim medium inter opus Dei atque praeceptum, quia in praecepto est opus: dixit enim, et facta sunt. Sequitur et comminatus est illi, statimque eiecit eum, et dixit ei: vide nemini dixeris.

Chrysostomus. Quasi diceret: tempus nondum est mea opera praedicari; tua non indigeo praedicatione. Per hoc autem docet nos ex nostris operibus honorem apud homines pro retributione non quaerere. Sequitur sed vade, ostende te principi sacerdotum. Propter hoc autem hunc ad sacerdotem mittit salvator, ad probationem medelae, et ne extra templum fieret, sed in oratione cum populo computetur. Mittit etiam, quae sunt legis adimplens, ut iudaeorum linguam maliloquam obturaret. Opus quidem ipse complevit, probationem operis illis dimittens.

Beda. Ut scilicet intelligeret sacerdos eum non legis ordine, sed gratia Dei supra legem esse curatum. Sequitur et offer pro emundatione tua quod praecepit Moyses, in testimonium illis.

Theophylactus. Praecepit quidem munus offerre quod habebant in consuetudine qui mundabantur offerre, tamquam in huiusmodi testimonium quod non erat contra legem, sed magis legem confirmabat, intantum quod ipse legis operaretur praecepta.

Beda. Si quem vero movet quomodo dominus iudaicum videtur approbare sacrificium, cum id non recipiat ecclesia, meminerit, quod nondum obtulerat in passione holocaustum suum. Non autem oportebat auferri significantia sacrificia priusquam illud quod significabatur, confirmatum esset contestatione apostolorum praedicantium, et fide credentium populorum.

Theophylactus. Leprosus autem, quamvis dominus prohibuerit, beneficium patefecit; unde sequitur at ille egressus coepit praedicare, et diffamare sermonem. Oportet enim beneficiatum gratum esse, et gratias reddere, etiam si beneficiens non indigeat.

Gregorius moralium. Merito autem quaeritur quidnam sit quod dominus quae gessit, abscondi iussit, et nec ad horam potuerunt abscondi? sed notandum. Miraculum faciens taceri iussit, et tamen taceri non potuit, ut videlicet electi eius exempla doctrinae illius sequentes, in magnis quae faciunt latere quidem in voluntate habeant, sed ut prosint aliis, prodantur inviti. Non ergo voluit quicquam fieri, et minime potuit; sed quid velle eius membra debeant, quidve de eis etiam nolentibus fiat, doctrinae magisterio exemplum dedit.

Beda. Unius autem perfecta salvatio multas ad dominum cogit turbas; unde subditur ita ut iam non posset manifeste introire in civitatem, sed foris in desertis locis esset.

Chrysostomus. Leprosus enim ubique praedicabat mirabilem curationem, ita ut omnes currebant ad visum, et fidem curantis: ut propter hoc dominus in civitatibus evangelizare non posset, sed in eremis conversaretur; unde sequitur et conveniebant ad eum undique.

Hieronymus. Mystice lepra nostra peccatum primi hominis est, quae a capite coepit quando regna mundi desideravit: radix enim omnium malorum est cupiditas; unde giei avaritiam secutus lepra suffunditur.

Beda. Extenta vero manu salvatoris, hoc est incarnato Dei verbo, humanamque contingente naturam, ab erroris prisci varietate mundatur.

Hieronymus. Quae quidem lepra vero sacerdoti secundum ordinem melchisedech ostensa, oblatione mundatur, eo dicente nobis: date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis. Quod autem non poterat iesus manifeste in civitatem introire, etc., significatur quod non omnibus manifestatus est iesus, qui latis, atque plataneis serviunt laudibus, et propriis voluntatibus; sed his qui foras cum petro exeunt, et in desertis locis sunt, quae elegit dominus ad orandum et reficiendum populum, qui scilicet deserunt delectationes mundi, et omnia quae possident, ut dicant: portio mea dominus. Gloria vero domini manifestatur his qui conveniunt undique, idest per plana, et ardua, quos nihil potest separare a caritate Christi.

Beda. Post factum etiam in civitate miraculum secedit dominus in desertum, ut ostendat se magis quietam, et a saeculi curis remotam diligere vitam, atque ob huius appetitum se sanandis curam a Mc 2,1-12 dhibere corporibus.

6201 (Mc 2,1-12)

Beda. Quia nec carnales superna pietas deserit, quin etiam his gratiam suae visitationis, per quam et ipsi spiritales effici valeant, indulget; post desertum dominus redit in civitatem; unde dicitur et iterum intravit capharnaum post dies octo.

Augustinus de cons. Evang.. Matthaeus autem hoc miraculum quod sequitur, ita scribit tamquam in civitate domini factum sit, marcus autem hoc in capharnaum; quod difficilius solveretur, si Matthaeus etiam nazareth nominaret. Nunc vero cum potuerit ipsa galilaea dici civitas Christi, quia in galilaea erat nazareth; quis dubitaverit in civitate sua hoc fecisse dominum, cum hoc fecerit in capharnaum civitate galilaeae, praesertim quia et ipsa capharnaum ita excellebat in galilaea, ut tamquam metropolis haberetur? vel Matthaeus praetermisit quae gesta sunt postquam venit in civitatem suam, donec veniret capharnaum, et sic adiungit de sanato paralytico, subiungens: et ecce offerebant ei paralyticum, postquam dixerat, quod venit in civitatem suam.

Chrysostomus in Matth.. Vel capharnaum civitatem eius dixit Matthaeus, eo quod saepius illuc ibat, ac multa ibidem miracula perpetrabat. Sequitur et auditum est quod in domo esset; et convenerunt multi, ita ut

non caperet eos domus neque ad ianuam. Laborem enim accedendi desiderium audiendi superabat. Post hoc paralyticum introducunt, de quo et Matthaeus et Lucas dicunt; unde sequitur et venerunt ferentes ad eum paralyticum, qui a quatuor portabatur. Invenientesque multitudine ianuam obturatam, per eam non potuerunt aliquatenus introire; sperantes autem portatores eum qui portabatur curationis gratiam posse promereri, lectum cum onere sublevantes, nudato tecto intromiserunt cum lecto paralyticum ante faciem salvatoris: et hoc est quod subditur et cum non possent offerre eum, etc.. Sequitur cum vidisset autem iesus fidem illorum, ait paralytico: fili, dimittuntur tibi peccata tua. Non quidem dixit fidem paralytici, sed portantium: contingit enim aliquando quod aliquis fide alterius convalescit.

Beda. Intuendum sane quanti propria cuiuscumque fides apud deum valeat, ubi tanti valuit aliena ut totus homo repente interius exteriusque salvatus exurgeret, et aliorum merito aliis relaxarentur errata.

Theophylactus. Ipsius etiam paralytici fidem vidit: etenim ille portari non sineret, nisi curationis fidem haberet.

Beda. Curaturus autem hominem a paralyti dominus primo peccatorum vincula dissolvit, ut ostenderet eum ob nexus culparum, artuum dissolutione fuisse damnatum, nec nisi his relaxatis membrorum posse recuperatione sanari. Mira autem humilitas: despectum et debilem, totisque membrorum dissolutum compagibus filium vocat, quem sacerdotes non dignarentur attingere: aut certe ideo filium, quia dimittuntur ei peccata sua. Sequitur erant autem illic quidam de scribis sedentes et cogitantes in cordibus suis: quid hic loquitur? blasphemat.

Cyrillus. Arguunt autem eum blasphemiae, mortis praecipitantes sententiam: erat enim in lege mandatum, quod quicumque blasphemaret in deum, morte puniretur. Hoc autem ei imponebant, quia sibi attribuebat divinam potestatem remittendi peccata; unde subditur quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? solus enim iudex omnium potestatem habet dimittendi peccata.

Beda. Qui per eos quoque dimittit quibus dimittendi tribuit potestatem: et ideo Christus vere Deus esse probatur, quia dimittere peccata quasi Deus potest. Errant itaque iudaei, qui cum Christum et deum esse, et peccatum dimittere posse credant, iesum tamen Christum esse non credunt. Sed multo dementius errant ariani, qui cum iesum et Christum esse, et peccata posse dimittere, evangelii verbis devicti negare non audeant: nihilominus deum negare non timent. At ipse perfidos salvare desiderans et occultorum cognitione, et virtute operum deum se esse manifestat; nam sequitur quo statim cognito iesus spiritu suo, quia sic cogitarent intra se, dicit illis: quid ista cogitatis in cordibus vestris? in quo ostendit se deum, qui potest cordis occulta cognoscere, et quodammodo tacens loquitur: eadem maiestate et potentia qua cogitationes vestras intueor, possum et hominibus delicta dimittere.

Theophylactus. Sed quamvis fuerint eorum cogitationes revelatae, tamen permanent insensibiles, non in hoc consentientes quod peccata valeat dimittere qui novit eorum corda; unde dominus certificat de curatione animae per curationem corporis, demonstrans per visibile invisibile, per id quod est facile difficilius: quamvis ipsi non ita crederent. Pharisei enim difficilius credebant sanare corpus tamquam manifestum, animam vero curare facilius, quia invisibilis est medela; ita ut talia cogitarent: ecce corpus curare desinit, et invisibile curat animam: magis autem si valuisset, corpus iam curasset et non ad invisibile refugisset. Salvator igitur, ostendens quod utraque potest, ait quid est facilius? quasi dicat: ego quidem per corporis medelam, quae secundum veritatem facilius est, difficilius autem vobis videtur, ostendam vobis animae sanitatem, quae difficilius est.

Chrysostomus. Et quia dicere, quam facere facilius est, adhuc manifesta erat contradictio, quia opus nondum erat manifestum: unde subdit ut autem sciatis quia potestatem habet filius hominis, etc.; quasi dicat: quoniam de verbo diffiditis, operationem inducam, quod erat invisibile confirmantem. Signanter autem dicit in terra dimittendi peccata, ut ostenderet quod humanae naturae potestatem divinitatis univit indivisibili unione; quia etsi factus est homo, tamen Dei verbum permansit; et si per dispensationem in terris cum hominibus conversaretur, non tamen prohibebatur miracula perpetrare, ac remissionem tribuere peccatorum: non enim humanitas diminuit aliquid de proprietatibus divinitatis, nec divinitas impedit Dei verbum incommutabiliter, et veraciter in terris secundum carnem fieri filium hominis.

Theophylactus. Dicit autem tolle grabatum tuum, ad maiorem miraculi certitudinem; ostendens quod non est secundum phantasiam, simulque ut ostenderet quod non solum curavit, sed et fortitudinem dedit: sic animas non solum a peccato convertit, sed eis virtutem tribuit ad operandum mandata.

Beda. Fit igitur carnale signum, ut probetur spirituale; quamquam eiusdem virtutis sit et corporis et animae vitia dimittere; unde sequitur et statim ille surrexit, et sublato grabato abiit coram omnibus.

Chrysostomus. Prius autem id quod quaerere venerat, scilicet animam, remittendo peccata, curavit, ut cum non credentes dubitaverint, tunc opus adducat in medium, ut verbum opere confirmetur, et per manifestum occultum, animae scilicet sanitas per medelam corporis ostendatur.

Beda. Datur etiam nobis intelligentia, propter peccata plerasque evenire corporum debilitates; et idcirco forsitan prius dimittuntur peccata, ut, causis debilitatis ablatis, sanitas restituatur. Quinque enim de causis affliguntur homines molestiis carnis: aut propter merita augenda, ut iob, et martyres; aut propter humilitatem conservandam, ut paulus ab angelo satanae; aut ob peccata intelligenda, et corrigenda, ut Maria soror moysi, et hic paralyticus; aut ad gloriam Dei, sicut caecus natus, et lazarus; aut ad initium damnationis, sicut herodes. Miranda est autem divinae potentiae virtus, ubi nulla temporis interveniente morula, iussu salvatoris salus festina comitatur; unde sequitur ita ut admirarentur. Relinquentes maius, scilicet remissionem peccatorum, admirantur tantummodo quod apparet, corporis scilicet sanitatem.

Theophylactus. Non est autem hic paralyticus qui a Ioanne curatus narratur: ille enim hominem non habebat, hic vero quatuor; ille in probatica piscina curatur, hic vero in domo. Est autem unus qui a Matthaео et Marco curatus narratur. Mystice autem est et nunc Christus in capharnaum, in domo scilicet consolationis, idest in ecclesia, quae est domus paralytici.

Beda. Praedicante autem domino in domo, non capiuntur neque ad ianuam, quia praedicante in iudaea Christo gentiles ad audiendum nondum intrare valuerunt, ad quos tamen, etsi foris positos, doctrinae suae verba per praedicatores direxit.

Hieronymus. Paralysis autem typus est torporis quo piger iacet in mollitie carnis, habens desiderium salutis.

Theophylactus. Si ergo ego dissolutis potentiis animae quasi paralyticus invirtuosus abeam ad bonum, et attollar a quatuor evangelistis, ad Christum adducar, audiamque tunc fili, et relinquentur mihi peccata: filius enim Dei fit aliquis propter mandatorum operationem.

Beda. Seu quia quatuor sunt virtutes quibus ad promerendam sospitatem homo fiducia mentis erigitur, quas nonnulli prudentiam, fortitudinem, temperantiam et iustitiam nuncupant. Desiderant autem paralyticum Christo offerre; sed turba interposita ab omni parte intercluduntur: quia saepe anima post infirmi corporis desidiam, supernae gratiae remedio cupiens innovari, priscae consuetudinis obstaculo retardatur; saepe inter ipsas orationis secretae dulcedines, et quasi suave cum domino colloquium, turba cogitationum interveniens aciem mentis, ne Christus videatur, impedit. Non itaque est in infimis ubi turbae tumultuantur remanendum; sed tectum domus, idest sacrae scripturae sublimitas est appetenda, lexque domini meditanda.

Theophylactus. Sed quomodo ferar ad Christum, nisi tectum aperiatur? tectum enim est intellectus, qui superponitur omnibus his quae in nobis sunt. Hic multum habet terrae quantum ad lateres fictiles, terrenas dico res: sed si haec sublevetur virtus, intellectus in nobis exoneratur. Post hoc submitatur, id est humilietur: non enim decet extolli de hoc quod intellectus est exoneratus, sed magis humiliari.

Beda. Vel patefacto tecto aeger submitatur, quia reseratis scripturarum mysteriis ad notitiam Christi pervenitur, hoc est, ad eius humilitatem fidei pietate descenditur. Quod autem cum grabato deponitur infirmus, significat ab homine adhuc in ista carne constituto Christum debere cognosci. De grabato autem surgere est animam se a carnalibus desideriis, ubi aegra iacebat, abstrahere. Grabatum tollere est ipsam quoque carnem per continentiae frena correptam spe caelestium praemiorum a deliciis segregare terrenis. Sublato autem grabato domum ire, ad paradysum redire est. Vel sanus qui languerat, domum reportat grabatum, cum anima, remissione accepta peccatorum, cum ipso suo corpore ad internam sui custodiam se refert.

Theophylactus. Oportet etiam grabatum, idest corpus tollere ad operationem boni: tunc enim ad contemplationem pertingere valemus, ita ut quae in nobis sunt cogitationes dicant: quoniam nunquam sic vidimus, idest nunquam sic intelleximus, sicut nunc a paralyti curati: qui enim a peccatis mundatus est, mundus videt.

MARCUS 2,13-17

Beda. Postquam dominus in capharnaum docuit, egressus est ad mare, ut non solum civilem vitam hominum instrueret, verum etiam habitatoribus maris evangelium regni praedicaret, eosque fluctivagos rerum labentium motus contemnere, ac fidei firmitate superare doceret; unde dicitur et egressus est iesus ad mare, omnisque turba veniebat ad eum, et docebat eos.

Theophylactus. Vel post miraculum ad mare egreditur, quasi solitarius volens esse; sed turba concurret iterum: ut addiscas quod quantum fugis gloriam, tantum ipsa te persequitur. Et si quidem tu ipsam persequeris, ipsa te fugiet. Inde autem transiens dominus vocavit Matthaeum; unde sequitur et cum praeteriret, vidit levi alphaei sedentem ad telonium.

Chrysostomus. Idem autem est publicanus a tribus evangelistis nominatus, scilicet Matthaeus a Matthaeo, levi autem simpliciter a Luca, levi autem alphaei a Marco: filius enim erat alphaei. Binomios autem secundum scripturam et alios est videre; sicut socer moysi quandoque ietro, quandoque raguel vocatur.

Beda. Sic et idem est levi qui et Matthaeus; sed Lucas, marcusque propter verecundiam, et honorem evangelistae, nomen ponere nolunt vulgatum; ipse autem Matthaeus iuxta illud quod scriptum est: iustus accusator est sui, Matthaeum se, et publicanum nominat, ut ostendat legentibus, nullum debere conversum de salute diffidere, cum ipse de publicano in apostolum sit repente mutatus. Ad teloneum autem, idest ad curam, dispensationemque vectigalium sedentem dicit: telos, enim graece, latine vectigal nominatur.

Theophylactus. Sedebat enim in telonio ut consuetudinis est, aut aliquos impetens, aut verba vendens, aut aliquid huiusmodi faciens, quibus in suis mansionibus telonearii utuntur: qui de hoc statu sic sublevatus est ut relinquens omnia, Christum sequeretur; unde sequitur et ait illi: sequere me. Et surgens secutus est eum.

Beda. Sequi autem imitari est: ideoque ut pauperem Christum non tam gressu, quam affectu imitari posset, reliquit propria qui rapere solebat aliena. Non solum autem lucra reliquit vectigalium, sed et periculum contempsit quod evenire poterat a principibus saeculi: quia vectigalium rationes imperfectas atque incompositas reliquit. Ipse enim dominus, qui hunc exterius humana allocutione ut sequeretur vocavit, intus divina inspiratione, ut mox vocantem sequeretur, accendit.

Hieronymus. Sic ergo levi, qui appositus interpretatur, a telonio negotiorum saecularium solum sequitur verbum quod dicit: qui non renuntiaverit omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.

Theophylactus. Qui autem prius alios impetebat sic factus est benevolus ut ad comestionem plurimos convocaret: unde sequitur et factum est cum accumberet, scilicet iesus, in domo illius, multi publicani, et peccatores simul discumbebant cum iesu et discipulis eius.

Beda. Publicani autem appellantur hi qui vectigalia publica exigunt, sive qui conductores sunt vectigalium fisci, vel rerum publicarum, nec non et hi qui saeculi huius lucra per negotia sectantur, eodem vocabulo censentur. Viderant itaque publicanum a peccatis ad meliora conversum, locum invenisse poenitentiae, et ob id etiam non desperant salutem. Neque vero in pristinis vitiis permanentes publicani veniunt ad iesum, ut pharisaei et scribae; sed poenitentiam agentes, ut sequens evangelistae sermo designat, dicens erant enim multi qui sequebantur eum. Ibat enim dominus ad convivia peccatorum, ut occasionem haberet docendi, et spirituales invitatoribus suis praeberet cibos: quod mysteriorum figuris congruit; qui enim domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum. Itaque dominus libenter ingreditur, et in eius qui crediderit recumbit affectu; et hoc est bonorum operum spirituale convivium, quo dives populus eget, et pauper epulatur.

Theophylactus. Pharisaei autem hoc arguunt, quasi puros se facientes; unde sequitur et pharisaei videntes quia manducaret cum publicanis et peccatoribus, dixerunt discipulis eius: quare cum publicanis et peccatoribus manducat et bibit magister vester? **Beda.** Si per Matthaei electionem et vocationem publicanorum, fides exprimitur gentium, quae prius mundi lucris inhiabant: profecto supercilium scribarum et pharisaeorum, iudaeorum invidiam insinuat, qui de gentium salute torquentur. Sequitur hoc audito iesus ait illis: non necesse habent sani medico, sed qui male habent. Sugillat scribas et pharisaeos, qui iustos se putantes, peccatorum consortia declinabant. Seipsum medicum dicit, qui miro medicandi genere vulneratus est propter iniquitates nostras, et eius livore sanati sumus; sanos autem et iustos appellat eos, qui suam iustitiam nolentes statuere, iustitiae Dei sunt subiecti; porro male habentes, et peccatores vocat eos qui suae fragilitatis conscientia devicti, nec per legem se iustificari posse videntes, Christi gratiae poenitendo colla submitunt; unde subditur non enim veni vocare iustos, sed peccatores; non quidem ut maneant peccatores, sed ut ad poenitentiam convertantur.

MARCUS 2,18-22

6218 (Mc 2,18-22)

Glossa. Sicut superius apud discipulos magister arguebatur de consortio peccatorum in conviviis; ita nunc e converso apud magistrum discipuli incusantur de ieiuniorum omissione, ut sic inter eos materia dissidii oriretur; unde dicitur et erant discipuli Ioannis et pharisaeorum ieiunantes.

Theophylactus. Ioannis enim discipuli in imperfecto positi, in consuetudinibus iudaicis permanebant.

Augustinus de cons. Evang.. Potest autem putari, ideo addidisse pharisaeos, quod simul cum discipulis Ioannis hoc quod sequitur domino dixerint; cum Matthaeus hoc discipulos Ioannis tantum dixisse perhibeat; sed verba quae sequuntur magis indicant alios hoc dixisse de aliis; sequitur enim et veniunt, et dicunt illi: quare discipuli Ioannis et pharisaeorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant? haec enim verba indicant, convivas qui aderant venisse ad Iesum, et hoc idem discipulis dixisse, ita ut quod ait veniunt, non de ipsis dixerit, de quibus interposuerat et erant discipuli Ioannis et pharisaeorum ieiunantes. Sed cum isti essent ieiunantes, veniunt illi quos hoc movet. Unde ergo Matthaeus dicit: et accesserunt ad eum discipuli Ioannis dicentes, nisi quia et apostoli aderant, et omnes certatim, ut quisque poterat, haec obiecerunt?

Chrysostomus. Discipuli ergo Ioannis, et pharisaeorum contra Christum zelotype se habentes, ipsum interrogant, utrum solus cum discipulis suis absque abstinencia et labore pugnas superet passionum.

Beda. Sed Ioannes vinum et siceram non bibit; dominus cum peccatoribus manducat et bibit: quia illi abstinencia meritum auget cui potentia nulla inerat naturae; dominus autem, cui naturaliter suppetebat delicta donare, cur eos declinaret quos abstinentibus poterat reddere puriores? sed ieiunavit et Christus, ne praeceptum declinaret; manducavit cum peccatoribus, ut gratiam cerneret, agnosceret potestatem. Sequitur et ait illis Iesus: numquid possunt filii nuptiarum, quamdiu est cum illis sponsus, ieiunare?

Augustinus de cons. Evang.. Marcus hic filios nuptiarum appellat, Matthaeus autem filios sponsi: filios enim nuptiarum non tantum sponsi, sed etiam sponsae intelligimus.

Chrysostomus. Sponsum ergo seipsum vocat, tamquam ecclesiam desponsaturus. Est enim desponsatio datio arrhae, scilicet gratiae spiritus sancti, per quam creditur orbis terrae.

Theophylactus. Sponsum etiam seipsum vocat, non solum tamquam virginales animas desponsantem, sed quia tempus primi adventus eius non est doloris neque tristitiae his qui credunt in eum, neque labores continens, sed requiem: est enim absque operatione legali dans requiem per baptismum, per quem facile sine labore salutem consequimur. Filii autem nuptiarum, sive sponsi, sunt apostoli: quia ipsi Dei gratia digni sunt facti omni bono caelesti, ac omni delectatione participes.

Chrysostomus. Conversationem autem suam omnis angustiae dicit esse alienam, cum subdit quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare. Ille tristatur qui praesens bonum non habet; qui vero in praesenti accipit, gaudet, et non tristatur. Ut autem elationem illorum destrueret, et ostenderet quod non ad lasciviam proprios discipulos conservabat, subiungit venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc ieiunabunt in illis diebus; quasi dicat: tempus erit in quo suam virilitatem demonstrant: quando enim subtrahetur ab eis sponsus, ieiunabunt, eius affectantes adventum, ut spiritus illi coniungant per corporales angustias emundatos. Ostendit etiam quod nulla necessitas est ut sui ieiunent, sicut illi qui sponsum humanae naturae, qui ubique praesidet verbis Dei, et qui tribuit semen vitae, secum habebant praesentem. Filii etiam sponsi, quia infantes sunt, non possunt per totum conformari patri et sponso, qui eorum infantiam considerans dignatur eos non tunc ieiunare; recedente autem sponso, propter desiderium ieiunabunt; sed cum perfecti fuerint, et sponso coniungentur in nuptiis, regalem semper comedent coenam.

Theophylactus. Intelligendum est autem et sic: quoniam omnis homo qui bene operatur est sponsi filius, et sponsum secum habet, scilicet Christum, et non ieiunat, id est opera poenitentiae non ostendit, quia non peccat; quando vero aufertur sponsus, homine in peccatum labente, tunc ieiunat, et poenitet, ut curet delictum.

Beda. Mystico autem sensu potest sic exponi quod discipuli Ioannis et pharisaei ieiunant: quia omnis qui de operibus legis sine fide gloriatur, et qui traditiones sequitur hominum, et praeconium Christi aure corporis, non fide cordis percipit, spiritualibus abstinens bonis, tabescit; qui vero Christi membris fidei incorporatur amore, non potest ieiunare, quia carne ipsius epulatur et sanguine. Sequitur nemo assumentum panni rudis, id est novi, assuit vestimento veteri.

Chrysostomus. Quasi dicat: quia hi novi praedicatores testamenti existunt, legibus eos servire veteribus possibile non est; vos autem congrue veteres sequentes consuetudines, mosaica ieiunia observatis; isti vero novas, ac mirabiles observationes tradituri hominibus, veteres observare non est necesse, sed esse mentibus virtuosos: aliquo vero tempore ieiunium cum ceteris virtutibus observabunt. Sed hoc ieiunium differt a ieiunio legis; quia illud erat ex necessitate, hoc ex voluntate, propter fervorem spiritus, cuius nondum sunt capaces; unde sequitur et nemo mittit vinum novum in utres veteres.

Beda. Discipulos enim veteribus comparat utribus, quos vino novo, idest spiritualibus praeceptis, facilius disrupti, quam posse continere dicit. Erunt autem utres novi cum post ascensum domini desiderio consolationis eius innovabuntur; et tunc novum vinum novis utribus adveniet; hoc est, spiritus sancti fervor spiritualium corda replebit. Doctori etiam cavendum est, ne animae in vetustate malitiae perduranti, novorum mysteriorum secreta committat.

Theophylactus. Vel aliter. Discipuli veteribus vestimentis assimilati sunt propter eorum mentis infirmitatem, quibus non erat congruum imponere statutum grave ieiunii.

Beda. Neque conveniens erat novum pannum assuere, quod est aliqua particula doctrinae, quae ad novae vitae temperantiam pertinet, quae generale docet ieiunium ab omni laetitia temporalium delectationum: quia si hoc fiat, et doctrina scinditur, et non convenit vetustati. Vestimento autem novo bona opera, quae foris aguntur, insinuantur; vino autem novo fervor fidei, spei et caritatis, quo intus reformamur, exprimitur.

MARCUS 2,23-28

6223 (Mc 2,23-28)

Chrysostomus. Liberati a figura, et veritati uniti Christi discipuli, figurale sabbati festum non servant; unde dicitur et factum est iterum, cum dominus sabbatis ambularet per sata, et discipuli eius coeperunt progredi et vellere spicas.

Beda. Legimus et in sequentibus, quod erant qui veniebant, et redibant multi, et nec manducandi quidem spatium habebant: et ideo quasi homines esuriebant.

Chrysostomus. Esurientes autem escam simplicem comedebant, non ad voluptatem, sed propter naturae necessitatem. Pharisei autem figurae et umbrae servientes, discipulos accusabant tamquam iniuste agentes: unde sequitur pharisei autem dicebant ei: ecce quid faciunt discipuli tui sabbatis quod non licet.

Augustinus de oper. Monach.. Populo siquidem israel per legem praeceptum est ut in agris suis furem nullus teneret, nisi qui secum aliquid vellet auferre: nam qui nihil aliud attigisset, quam id quod comedisset, liberum impunitumque abire sineret; unde etiam spicas vellentibus discipulis domini, de sabbato potius quam de furto iudaei calumniati sunt.

Chrysostomus. Dominus autem David in medium introducit, cui aliquando contigit non secundum legem comedere, cum sacerdotalem tetigit cibum, ut illius exemplo accusationem discipulorum solvat; sequitur enim et ait illis: numquam legistis quid fecerit David? Theophylactus. Fugiens enim David a facie saul ad principem sacerdotum devenit, et panes propositionis comedit, et gladium abstulit goliae; quae domino erant oblata. Quaerunt vero aliqui qualiter nunc evangelista abiathar principem sacerdotum nominavit, cum liber regum hunc nominet abimelech.

Beda. Hoc autem nihil habet dissonantiae: ambo enim fuerunt illic, cum veniens David panes petiit, et accepit: abimelech videlicet princeps sacerdotum, et abiathar filius eius. Occiso autem abimelech a saule, fugit abiathar ad David, et comes factus totius exilii eius, postea, eo regnante, summi sacerdotii et ipse gradum accepit, multoque maioris excellentiae filius quam pater effectus est; ideo dignus fuit cuius memoriam dominus, etiam vivente patre, quasi summi sacerdotis faceret. Sequitur et dicebat eis: sabbatum propter hominem factum est, et non homo propter sabbatum. Maior enim est cura sanitati, et vitae hominis quam custodia sabbati adhibenda. Sic enim mandatum est sabbatum custodiri, ut tamen si necessitas esset, reus non esset qui sabbatum violasset; ideo sabbato circumcidi non est prohibitum, quia necesse erat fieri; et machabaei necessitate instante sabbato pugnant: unde discipulis esurientibus quod licitum non erat in lege, necessitate famis factum est licitum; sicut hodie si quis aeger ieiunium corruperit, nulla ratione reus tenetur. Sequitur itaque dominus est filius hominis etiam sabbati; quasi dicat: David rex sacerdotali cibo pastus excusabilis est; quanto magis filius hominis, verus rex et sacerdos, et dominus

sabbati, evulsarum sabbato spicarum noxa non tenetur? **Chrysostomus.** Dominum quidem sabbati, et filium hominis seipsum proprie vocat: quoniam quidem Dei existens filius, filius hominis propter homines dignatus est dici. Legis autem latori, et domino lex non dominatur; plus enim licet regi quam legibus statuatur. Infirmis quidem datur lex, non perfectis, et operantibus supra legem.

Beda. Mystice autem discipuli per sata transeunt, cum doctores sancti quos in fide instituerunt cura pia sollicitudinis inspiciunt; quos esurire nihil melius quam salutem intelligimus hominum. Vellere autem spicas est homines a terrena intentione eruere, fricare autem manibus est exemplis virtutum a carnis concupiscentia, quasi a quibusdam folliculis, puritatem mentis exuere: grana manducare est emundatum quemque a sordibus vitiorum per ora praedicantium, ecclesiae membris incorporari. Et bene hoc discipuli progredientes ante faciem domini fecisse memorantur: quia doctoris necesse est sermo praecedat, et sic cor auditoris subsequens gratia supernae visitationis illustret. Bene sabbatis: quia et ipsi doctores in praedicando pro spe futurae quietis laborant, et auditores suos monent pro aeterna requie insudare laboribus.

Theophylactus. Vel quia cum habent in passionibus requiem, tunc aliis ad virtutem ductores fiunt, evellentes terrena.

Beda. Item per sata ambulant cum domino qui eloquia sacra meditari delectantur, esuriunt cum in eis panem vitae invenire desiderant; et hoc in sabbatis, cum sopita mente a turbulentis cogitationibus vacare gaudent; vellunt spicas, et contritas purgant, donec ad escam perveniant, cum testimonia scripturarum, ad quae legentes perveniunt, meditando assumunt, et tamdiu discutiunt donec in eis medullam dilectionis inveniunt. Verum haec mentium refectio stultis displicet, sed a domino approbatur.

MARCUS 3,1-5

6301 (Mc 3,1-5)

Theophylactus. Postquam dominus iudaeos, qui discipulos accusaverant, quod spicas sabbato evellebant, exemplo David confudit, nunc amplius ipsos ad veritatem reducens, miraculum in sabbato operatur, ostendens quod si operari sabbato miracula in salutem hominum pium est, non est malum in sabbato necessaria corporis operari. Dicit ergo et introivit iterum in synagogam, et erat ibi homo habens manum aridam. Et observabant eum si sabbatis curaret, ut accusarent eum.

Beda. Quia enim destructionem sabbati, quam in discipulis arguebant, probabili magister excusaverat exemplo, nunc ipsum observando calumniari volunt, ut si sabbato curet, transgressionis, si non curet, crudelitatis, aut imbecillitatis arguant. Sequitur et ait homini habenti manum aridam: surge in medium.

Chrysostomus. Statuit quidem illum in medio, ut terrentur aspectu, ac viso eo compatiantur, et malitiam deponant.

Beda. Et praeveniens calumniam iudaeorum, quam ei paraverant, arguit eos, quia legis praecepta prava tentatione violabant; unde sequitur et dicit eis: licet sabbato bene facere, an male? hoc autem quaerit quia aestimabant in sabbato etiam a bonis operibus feriandum, cum lex a malis abstinere iubeat, dicens: omne opus servile non facietis in eo, id est peccatum: quia qui facit peccatum, servus est peccati. Idem autem est quod praemiserat bene facere, an male, et quod postea subdit animam salvam facere an perdere? hoc est, hominem curare, an non: non quod Deus summe bonus, auctor perditionis nobis esse possit: sed quod eius non salvare scripturae consuetudine perdere dicitur. Si quem vero movet quare dominus, cum corpus esset curaturus, de animae salvatione interrogaverit, intelligat vel animam more scripturarum pro homine positam, sicut dicitur: hae sunt animae quae exierunt de femore iacob; vel quod illa miracula propter animae salutem faciebat; vel quod ipsa manus sanatio salutem animae significabat.

Augustinus de cons. Evang.. Sed potest movere quomodo Matthaeus dixerit, quod ipsi interrogaverint dominum, si licet sabbato curare; cum marcus illos potius interrogatos a domino perhibeat licet sabbato bene facere an male? itaque intelligendum est, quod illi prius interrogaverunt dominum, si licet sabbato curare, deinde quod intelligens cogitationes eorum aditum accusandi quaerentium, constituerit in medio illum quem fuerat sanaturus, et interrogaverit quae marcus et Lucas eum interrogasse commemorant; ac tunc illis tacentibus proposuisse similitudinem de ove, et conclusisse, quod liceat sabbatis bene facere. Sequitur at illi tacebant.

Chrysostomus. Sciebant enim quod eum omnino curaret. Sequitur et circumspiciens eos cum ira. Quod

eos cum ira circumspicit, ac tristatur super caecitate cordis eorum, humanitati convenit, quam pro nobis suscipere dignatus est. Verbo autem miraculum coniungit: unde sola voce homo curatur; unde sequitur et extendit, et restituta est manus illi; per haec omnia pro discipulis respondens, simulque ostendens suam vitam existere supra legem.

Beda. Mystice autem homo qui manum habebat aridam, humanum genus indicat infecunditate boni operis arefactum, sed domini miseratione curatum: cuius dextera, quae in primo parente, dum vetitae arboris poma decerperet, aruerat, per redemptoris gratiam, dum insontes manus in cruce arboris tenderet, bonorum operum succis est restituta saluti. Et bene in synagoga manus erat arida: quia ubi scientiae donum maius est, ibi gravius est inexcusabilis noxae periculum.

Hieronymus. Vel significat avaros, qui valentes dare, volunt accipere, praedari, et non largiri; quibus dicitur ut extendant manus suas; id est: qui furabatur iam non furetur, magis autem labore operans manu sua quod bonum est, ut habeat unde communicet indigentibus.

Theophylactus. Vel aridam dexteram habet manum quisquis non operatur quae sunt dexteræ partis: ex quo enim manus nostra constituitur in operibus prohibitis, ex tunc arescit in operatione boni. Iterum vero restaurabitur quando in virtute stabit; unde Christus dicit surge, scilicet a peccatis, et sta in medio; et neque ad diminutum, neque ad superabundantiam se extendit.

MARCUS 3,6-12

6306 (Mc 3,6-12)

Beda. Pharisei reputantes in crimen quod ad verbum domini salvam qui languebat extendit dexteram, de voce salvatoris fecerunt consilium; unde dicitur exeuntes autem pharisei, statim cum herodianis consilium faciebant adversus eum, quomodo eum perderent: quasi non ipsorum quisque maiora sabbatis ageret, cibos portando, porrigendo calicem, et caetera quae victui sunt necessaria exequendo. Neque enim ille qui dixit, et facta sunt, sabbato laborasse poterat convinci.

Theophylactus. Herodiani autem dicuntur milites herodis regis. Haeresis namque quaedam nova surrexerat, quae herodem Christum esse dicebat. Prophetia enim iacob innuebat, quod quando deficerent principes de iuda, tunc Christus veniret; et quia herodis tempore nullus supererat iudaicorum principum, sed ipse solus regnabat alienigena existens; quidam ipsum esse Christum putaverunt, et haeresim constituerunt. Isti ergo cum pharisaeis Christum interficere conabantur.

Beda. Vel herodianos herodis tetrarchae ministros dicit, qui propter inimicitias quas eorum dominus adversus iohannem habebat, etiam salvatorem, quem iohannes praedicabat, insidiis persequerentur, et odiis. Sequitur iesus autem cum discipulis suis secessit ad mare; quasi homo fugiens persequentium insidias: quia neque adhuc venerat hora passionis eius, neque extra ierusalem fuit locus passionis; ubi et exemplum dedit suis, si in una civitate persecutionem paterentur, in alteram fugiendi.

Theophylactus. Simul etiam secedit, ut plurimis beneficiat ab ingratis recedens; etenim multi secuti sunt eum, et sanavit eos; sequitur enim et multa turba a galilaea et iudaea secuta est eum. Tyrii et sidonii, alienigenae existentes, utilitatem a Christo accipiunt; propinqui vero eius, iudaei scilicet, ipsum persequerentur; et sic nulla est propinquitatis utilitas, nisi similitudo bonitatis existat.

Beda. Illi enim videntes opera virtutum eius, et verba doctrinae audientes, eum persequerentur; isti autem opinione tantum ducti virtutum eius, congesto agmine permaximo veniunt ad audiendum eum, opemque salutis flagitandam; unde sequitur et dixit discipulis suis ut in navicula sibi deservirent.

Theophylactus. Vide autem occultatam gloriam eius: etenim ne laederet eum turba, petit naviculam, ut intrans in eam conservetur illaesus. Sequitur quotquot autem habebant plagas. Et spiritus immundi, cum illum videbant, procidebant ei. Plagas autem dicit infirmitates; ipse namque Deus nos vulnerat, ut filios pater.

Beda. Procidebant ergo utrique domino, et qui habebant plagas infirmitatum corporalium, et qui a spiritibus vexabantur immundis; sed infirmi simplici intentione obtinendae salutis, daemoniaci autem vel potius in eis habitantes daemones, vi divini timoris coacti, non solum ad procidendum ei, verum etiam ad confitendum eius maiestatem compulsi; unde sequitur et clamabant dicentes: tu es filius Dei. Ubi miranda est arianorum caecitas, qui post resurrectionis gloriam filium Dei negant, quem daemones adhuc mortali carne indutum filium Dei profitentur. Sequitur et vehementer comminabatur eis, ne manifestarent eum. Peccatori enim dixit

Deus: quare tu enarras iustitias meas? prohibetur ergo dominum praedicare peccator, ne quis dum praedicantem audit, sequatur errantem: improbus enim magister est diabolus, qui falsa veris saepe permiscet, ut specie veritatis testimonium fraudis obtegat. Ceterum non solum daemones, sed et a Christo sanati, et apostoli ante passionem praecipuntur reticere de illo; ne, divina maiestate praedicata, passionis dispensatio differretur. Iuxta allegoriam vero in hoc quod dominus egressus de synagoga secessit ad mare, gentium salvationem praefiguravit, ad quas venire per fidem, relicta ob perfidiam iudaea, dignatus est. Recte enim diversis errorum anfractibus iactatae nationes instabilitati pelagi comparantur. Multa autem turba a diversis provinciis secuta est eum; quia praedicantibus apostolis, multas nationes ad se venientes benigne suscepit. Navicula vero domino in mari deserviens ecclesia est de gentibus congregata. Propter turbam autem, ne se comprimatur, naviculam ascendit; quia turbidas carnalium mentes fugiens, ad eos qui gloriam saeculi spernunt, venire, et mansionem facere gaudet. Distat autem inter comprimere dominum et tangere: comprimunt enim cum carnalibus cogitationibus aut factis pacem turbant, in qua veritas manet; tangit vero qui per fidem et dilectionem eum suscipit corde: unde qui eum tetigerunt, salvati esse perhibentur.

Theophylactus. Moraliter autem herodiani, idest carnales, Christum interficere volunt: herodes enim pelliceus interpretatur. Qui vero de patria sua egrediuntur, idest a carnali habitudine, hi sequuntur Christum, et eorum plagae curantur, idest peccata, quae conscientiam vulnerant. Iesus autem in nobis est ratio quae praecipit ut navicula nostra, idest corpus ei deserviat, ne rationem turbationes opprimant rerum.

MARCUS 3,13-19

6313 (Mc 3,13-19)

Beda. Postquam nefandos spiritus se praedicare prohibuit, elegit sanctos, qui et immundos spiritus eicerent et evangelium praedicarent; unde dicitur et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse.

Theophylactus. Lucas autem dicit, quod ascendit ad orandum: post miraculorum enim ostensionem orat, docens nos quod oportet gratias agere cum consequimur aliquid boni, et hoc divinae virtuti appropriare.

Chrysostomus. Praelatos etiam ecclesiae instruit in orationibus pernoctare antequam ordinationem faciant, ut eorum officium non frustretur. Cum ergo, secundum Lucam, dies factus esset, vocavit quos voluit: erant enim plures qui eum sequebantur.

Beda. Non enim illorum electionis ac studii, sed divinae erat dignationis et gratiae ut in apostolatam vocarentur. Mons etiam ille in quo apostolos dominus elegit, altitudinem designat iustitiae in qua erant instituendi, et quam erant hominibus praedicaturi.

Hieronymus. Vel Christus spiritualiter mons est, ex quo aquae vivae fluunt, lac in parvulorum salutem praeparatur, pinguedo spiritualis agnoscitur, et quicquid summe bonum creditur, in montis istius est gratia constitutum. In montem ergo vocantur excelsi meritis et verbis, ut locus congruat meritis altis. Sequitur et venerunt ad eum; et fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos praedicare. Speciem enim iacob dilexit dominus, ut sint ipsi super thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus israel, qui etiam trini et quaterni circa tabernaculum domini excubant, et sancta domini verba humeris operum portant.

Beda. In hoc enim sacramento quondam filii israel circa tabernaculum castrametabantur, ut ex omni parte per quadrum ternae tribus manerent. Ter autem quatuor duodecim faciunt, et ter quaterni ad praedicandum sunt missi apostoli; ut per universas quadrati orbis plagas baptizarent gentes in nomine patris, et filii, et spiritus sancti. Sequitur et dedit illis potestatem curandi infirmitates et eiciendi daemonia; ut scilicet promissorum caelestium magnitudini attestaretur magnitudo factorum, et nova facerent qui nova praedicarent.

Theophylactus. Numerat autem apostolorum nomina, ut propter falsos apostolos evitandos sint noti et veri; et ideo sequitur et imposuit simoni nomen petrus.

Augustinus de cons. Evang.. Nullus autem putet nunc accepisse simonem nomen ut petrus vocaretur, ne sit contrarium ioanni, qui longe ante dictum esse illi commemorat: tu vocaberis cephas, quod interpretatur petrus. Marcus autem recapitulando hoc commemoravit: cum enim vellet nomina duodecim apostolorum enumerare, et necesse haberet petrum dicere, breviter insinuare voluit, quod non hoc antea vocaretur, sed hoc ei dominus nomen imposuerit.

Beda. Ideo autem dominus voluit eum prius aliter vocari, ut ex ipsa commutatione nominis sacramentum commendaretur. Idem est ergo graece, sive latine petrus quod syriace cephas; et in utraque lingua nomen a petra derivatum est, nec dubium quin illa de qua paulus ait: petra autem erat Christus: nam sicut lux vera erat Christus, et donavit apostolis ut lux mundi vocentur, sic et simoni, qui credebat in petram, Christus petrae largitus est nomen.

Hieronymus. De obedientia autem, quam simon significat, ascenditur ad agnitionem, quam significat petrus. Sequitur et iacobum zeBedaei et loannem fratrem iacobi.

Beda. Subauditur a superioribus, vocavit ad se ascendens in montem.

Hieronymus. Iacobum, scilicet qui supplantata habet tota desideria carnis, et loannem, qui gratia accepit quod alii per laborem tenent. Sequitur et imposuit eis nomina boanerges.

Chrysostomus. Filios quidem zeBedaei sic nominat propter hoc quod magna et clara divinitatis edicta debebant orbi terrae diffundere.

Hieronymus. Vel per hoc trium superiorum sublime ostenditur meritum, qui in monte merentur audire tonitruum patris per nubem de filio tonantis: hic est filius meus dilectus; et ut ipsi per nubem carnis, et ignem verbi, quasi fulgura in pluviam, in terris spargerent: quoniam dominus fulgura in pluviam fecit, ut extinguat misericordia quod iudicium urit. Sequitur et andream, qui viriliter vim facit perditioni, ut et responsum mortis in se semper habeat, et anima eius sit semper in manibus suis.

Beda. Andreas enim graecum nomen est, et interpretatur virilis, ab andros, quod est vir: quia viriliter domino adhaesit. Sequitur et philippum.

Hieronymus. Qui est os lampadis, qui illuminare potest ore quod corde concepit, cui dedit dominus apertionem oris illuminantis. Scimus hunc modum locutionis proprium esse divinarum scripturarum, quod hebraea nomina ad aliquod mysterium significationis sunt posita. Sequitur et bartholomaeum, qui est filius suspendentis aquas, illius scilicet qui dixit: et mandabo nubibus meis ne pluant super eam imbrem. Nomen vero filii Dei per pacem et dilectionem acquiritur inimici: beati enim pacifici, quoniam filii Dei sunt; et: diligite inimicos vestros, ut filii Dei sitis. Sequitur et Matthaeum, qui est donatus, cui donatur a domino ut non solum remissionem peccatorum adipiscatur, sed numero ascribatur apostolorum. Et thomam, qui est abyssus: multa enim profunda scientes Dei numine proferunt. Sequitur et iacobum alphaei, idest docti, vel millesimi, cuius a latere cadent mille. Hic alter iacobus est, cui colluctatio non est adversus carnem et sanguinem, sed adversus spirituales nequitas. Sequitur et thaddaeum: is est corculus, idest cordis cultor, qui conservat cor suum omni custodia.

Beda. Thaddaeus autem ipse est quem Lucas in evangelio et in actibus apostolorum iudam iacobi nominat: erat enim frater iacobi fratris domini, ut ipse in epistola sua scripsit. Sequitur et simonem chananaeum, et iudam iscariotem, qui et tradidit illum. Haec cum additamento posuit, ad distinctionem simonis petri et iudae iacobi. Simon autem chananaeus dicitur ab chana vico galilaeae; iudas autem scarioth a vico in quo ortus est, aut ex tribu isachar dicitur.

Theophylactus. Sed cur inter apostolos computatur? ut discamus quod Deus non repellit aliquem propter futuram malitiam, sed propter praesentem virtutem dignum facit haberi.

Hieronymus. Simon autem ponens tristitiam interpretatur: beati namque qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur. Chananaeus autem, idest zelotes dicitur, quem zelus domus Dei comedit. Iudas autem scarioth est qui non delet peccatum suum per poenitentiam: iudas enim confitens, vel gloriosus interpretatur; scarioth autem memoria mortis. Sunt autem confessores multi in ecclesia superbi et gloriosi, ut simon magus et arius et ceteri haeretici; quorum memoria mortalis ideo in ecclesia celebratur, ut evitentur.

MARCUS 3,20-22

6320 (Mc 3,20-22)

Beda. Electos in monte apostolos dominus ad domum reducit, quasi eos admonens ut post acceptum apostolatus gradum ad conscientiam suam redeant; unde dicitur et veniunt in domum, et convenit iterum

turba, ita ut non possent neque panem manducare.

Chrysostomus. Ingratae quidem erant principum multitudines, quos impedit a cognitione elatio; grata vero populi multitudo venit ad iesum.

Beda. Quam beata vero frequentia turbae confluentis, cui tantum fuit curae ad obtinendam salutem, ut auctori salutis cum his qui secum erant nec vescendi quidem hora libera maneret; sed quem turba frequentat externa, hunc propinquorum aestimatio parvipendit; sequitur enim et cum audissent sui, exierunt tenere eum. Quia enim altitudinem sapientiae quam audiebant, capere non poterant, quasi in alieno eum sensu locutum esse credebant; unde sequitur dicebant enim, quoniam in furorem versus est.

Theophylactus. Idest, daemonium habet, et furit: et ideo eum tenere volebant, ut incarcerarent tamquam daemoniacum. Et quidem sui hoc volebant, idest propinqui, forte compatriotae eius, vel fratres eius. Stulta autem fuit insania, quod tantorum miraculorum divinae sapientiae factorem in furiam verti concipiunt.

Beda. Multum autem distat inter eos qui verbum Dei pro mentis tarditate non intelligunt, quales fuerunt de quibus dictum est, et eos qui hoc quod intelligunt, de industria blasphemant, de quibus subditur et scribae qui ab hierosolymis descenderant dicebant quoniam beelzebub habet. Quae enim negare nequiverant, sinistra interpretatione pervertere laborant; quasi non deitatis opera essent, sed immundissimi spiritus, idest beelzebub, qui Deus erat accaron. Nam beel quidem ipse est vir, zebub autem musca vocatur; beelzebub ergo, idest vir muscarum interpretatur, ob sordes immolatiis cruoris, ex cuius spurcissimo ritu principem daemoniorum eum nominabant, cum subdunt et quia in principe daemoniorum eicit daemonia.

Hieronymus. Mystice autem domus ad quam veniunt primitiva est ecclesia; turbae quae impediunt panem manducari, peccata et vitia sunt, quia qui manducat indigne, iudicium sibi manducat et bibit.

Beda. Scribae etiam ab hierosolymis descendentes blasphemant; turba vero ab hierosolymis veniens secuta est dominum, et ab aliis regionibus iudaeorum sive gentium: quia sic erat passionis tempus futurum, ut turba illum populi iudaeorum cum palmis ac laudibus hierosolymam perduceret, gentiles videre desiderarent; sed scribae et pharisaei de eius morte tractarent.

MARCUS 3,23-30

6323 (Mc 3,23-30)

Chrysostomus in Matth. Et super Matth.. Posita blasphemia scribarum, dominus ostendit impossibile fore quod dicebant, suam probationem exemplo confirmans; unde dicit et convocatis eis, in parabolis dicebat illis: quomodo potest satanas satanam eicere? quasi diceret: regnum contra se intestino bello divisum necesse est desolari: quod et in domo et in civitate videtur. Quocirca etsi satanae regnum in seipsum divisum est, ita quod satanas ab hominibus repellat satanam, desolatio regni daemonum appropinquavit; regnum autem eorum est in hoc quod homines subditos teneant. Si igitur ab hominibus pelluntur, hoc non est aliud quam regnum eorum dissolvi. Si autem adhuc in hominibus tenent potestatem, manifestum est quod regnum maligni adhuc stat, et non est contra seipsum divisum.

Glossa. Et quia iam ostendit exemplo quod daemon daemonem non expellit, ostendit quomodo posset expelli, dicens nemo potest vasa fortis in domum ingressus diripere, etc..

Theophylactus. Exemplum tale est. Fortis est daemon, vasa eius sunt homines in quibus recipitur: nisi ergo quis prius vincat daemonem et alliget, quomodo vasa eius, idest daemoniacos, ab eo diripiet? sic et ego, qui diripio vasa eius, idest libero homines a daemoniaca passione, prius alligo daemones, supero eos, et inimicus eorum sum. Quomodo ergo dicitis, quod beelzebub habeo, et daemonum amicus existens daemonia eicio? **Beda.** Alligavit etiam dominus fortem, idest diabolum, hoc est ab electorum seductione compescuit, et ingressus in domum, idest in mundum, domum eius et vasa, idest homines, diripuit: quia ereptos a diaboli laqueis, ecclesiae suae adunavit. Vel domum eius diripuit, quia omnes mundi partes, quibus olim hostis dominabatur antiquus, apostolis, eorumque successoribus distribuit, ut populos ad viam vitae converterent. Ostendit autem dominus quod grande scelus committerent qui hoc quod Dei esse cognoverant, diaboli esse clamabant, cum subdit amen dico vobis, quoniam omnia dimittentur filiis hominum peccata, et blasphemiae quibus blasphemaverint. Omnia quidem peccata et blasphemiae non passim dimittuntur omnibus hominibus, sed his qui dignam pro erroribus suis in hac vita poenitentiam egerint: et sic neque ullum habet locum vel novatus, qui poenitentibus, qui in martyrio lapsi sunt, veniam neget esse tribuendam; vel **Origenes**, qui asserit post iudicium universale, transactis licet saeculorum

voluminibus, cunctos peccatores veniam peccatorum esse consecuturos; cuius errorem sequentia domini verba redarguunt, cum subditur qui autem blasphemaverit in spiritum sanctum, non habet remissionem in aeternum.

Chrysostomus in Matth.. Et quidem blasphemiam quae circa eum erat, excusationem habere dicit, quia tunc videbatur homo despectus, et infimi generis; sed iniuria Dei remissionem non habet. Blasphemia autem in spiritum sanctum contra deum fit. Est enim spiritus sancti operatio regnum Dei, et propter hoc irremissibilem dicit esse spiritus sancti blasphemiam. Pro eo autem quod hic subditur sed erit reus aeterni delicti, alius evangelista dicit: neque in hoc saeculo, neque in futuro: per quod intelligitur iudicium quod est secundum legem et futurum. Cum enim lex maledicentem deum occidi iubeat, in hoc legis secundae excusationem non habet: omnis autem qui baptizatur, extra hoc saeculum fit. Latebat autem iudaeos remissio quae fit per baptismum. Qui ergo miracula et daemonum eiectionem, quae solum sunt propria spiritus sancti, daemone appropriat, nulla excusatio sibi de blasphemia relinquetur. Sed neque blasphemia talis, cum sit contra spiritum sanctum, remitti videtur; unde exponens subdit quoniam dicebant: spiritum habet immundum.

Theophylactus. Est autem intelligendum, quod veniam non consequentur, nisi poeniteant. Cum vero in carne Christi scandalizabantur, etiam si non poeniterent, aliquid excusationis habebant et remissionis aliquid consequentur.

Hieronymus. Vel hoc dicit, quia non merebitur poenitentiam agere ut recipiatur qui Christum intelligens, principem daemoniorum esse dicebat.

Beda. Neque tamen hi qui spiritum sanctum non esse deum credunt, irremissibilis blasphemiae crimine tenentur: quia non invidentia diabolica, sed humana ignorantia ducti hoc faciunt.

Augustinus de verb. Dom.. Vel ipsa impenitentia est blasphemia spiritus sancti, quae non remittetur. Contra enim spiritum sanctum, quo peccata dimittuntur, verbum dicit, sive cogitatione, sive lingua, qui sibi cor impenitens thesaurizat. Subiungit autem quoniam dicebant: spiritum immundum habet, ut ostenderet hinc fuisse exortam causam ut hoc diceret, eo quod dicerent eum in beelzebub daemonem expellere; non quia esset blasphemia quae non remittitur, cum et haec remittatur, si recta poenitentia consequatur; sed hinc causa extitit ut a domino illa sententia proferretur, facta mentione spiritus immundi, quem adversus seipsum divisum dominus ostendit propter spiritum sanctum, qui etiam quos colligit efficit indivisos, peccata, quae adversus se divisa sunt, dimittendo; cui dono remissionis non resistit nisi qui duritiam cordis impenitentis habuerit. Nam alio loco dixerunt iudaei de domino, quod daemonium haberet; nec tamen ibi aliquid dixit de blasphemia spiritus sancti: quoniam non ita obiecerunt spiritum immundum ut in se divisus ex ore eorum posset ostendi, sicut beelzebub, a quo daemones eici posse dixerunt.

MARCUS 3,31-35

6331 (Mc 3,31-35)

Theophylactus. Quia propinqui domini venerant tenere eum tamquam in furiam versum, mater eius amoris compassione detenta, venit ad ipsum; unde dicitur et veniunt mater eius, et fratres, et foris stantes miserunt ad eum vocantes eum.

Chrysostomus. Ex hoc autem manifestum fit quod non semper cum eo erant fratres eius et mater: quia vero dilectus erat, ad eum propter reverentiam et affectum veniunt, de foris expectantes; unde sequitur et sedebat circa eum turba; et dicunt ei: ecce mater tua, et fratres tui foris quaerunt te.

Beda. Fratres domini non filii semper virginis mariae, iuxta helvidium, nec filii ioseph ex alia uxore, iuxta quosdam, putandi sunt; sed eius potius intelligendi sunt esse cognati.

Chrysostomus. Alter autem evangelista dicit, quod fratres eius nondum credebant in eum; cui convenit quod hic dicitur, quod eum quaerebant de foris expectantes; et secundum eandem intentionem dominus eorum non sicut propinquorum meminit; unde sequitur et respondens eis ait: quae est mater mea, et fratres mei? hoc autem non dixit, matrem et fratres omnino reprobando, sed ostendens quod super omnem cognitionem temporalem oportet propriam animam praeponderare: unde convenienter hoc dicitur his qui vocabant ad propinquorum colloquutionem, quasi ad aliquid utilius quam sit doctrina salutis.

Beda. Rogatus ergo officio verbi, dissimulat egredi, non maternae refutans obsequium pietatis; sed

paternis se mysteriis amplius quam maternis debere monstrat affectibus. Nec iniuriose fratres contemnit, sed opus spirituale carnis cognationi praeferens, religiosiorem cordium copulam docet esse quam corporum; unde sequitur et circumspiciens eos qui in circuitu eius sedebant, ait: ecce mater mea, et fratres mei.

Chrysostomus. In quo dominus ostendit quod oportet eos qui fidei sunt propinqui, prae omnibus consanguineis honorare. Iesu quidem aliquis mater efficitur praedicando: quasi enim parit dominum quem cordi audientis infuderit.

Hieronymus. Sciamus autem nos esse fratres eius et sorores, si voluntatem patris impleverimus, ut coheredes simus eius; unde sequitur qui enim fecerit voluntatem Dei, hic frater meus, et soror mea, et mater est.

Theophylactus. Non ergo negans matrem hoc dixit, sed ostendens quod non solum digna est honore propter hoc quod genuit Christum, sed propter omnem aliam virtutem.

Beda. Mystice autem mater, et fratres iesu sunt synagoga, ex cuius carne est editus, et populus iudaeorum, qui, salvatore intus docente, venientes intrare nequeunt, cum spiritualiter intelligere dicta nequeunt. Praeoccupans autem turba ingreditur, quia differente iudaea, gentilitas fluxit ad Christum: foris enim stantes volunt dominum videre cognati ipsius, cum iudaei se ad custodiam litterae foris fixerunt, et Christum potius ad carnalia docenda cogunt exire, quam se ad discenda spiritualia consentiunt ingredi. Si ergo foris stantes nec ipsi agnoscuntur parentes, quemadmodum nos agnoscemur, si foris stemus? intus enim est verbum, intus est lumen.

MARCUS 4,1-20

6401 (Mc 4,1-20)

Theophylactus. Licet matrem dominus superius negligere videretur, tamen reveretur eam: propterea namque egreditur circa mare; unde dicitur et iterum coepit docere ad mare.

Beda. Si enim evangelium Matthaei inspiciamus, patet hanc doctrinam domini ad mare eadem die qua superiorem in domo celebratum esse sermonem: terminato enim primo sermone continuo subiunxit Matthaeus dicens in illo die exiens de domo sedebat ad mare.

Hieronymus. Coepit autem docere ad mare, ut locus docendi indicet auditores amaros fuisse et instabiles.

Beda. Relicta etiam domo coepit docere ad mare quia relictas synagoga ad colligendam per apostolos populi gentilis multitudinem venit; unde sequitur et congregata est ad eum turba multa, ita ut in navim ascendens sederet in mari.

Chrysostomus. Quod non sine causa factum oportet intelligi; sed ut post se neminem dimitteret, sed omnes auditores ante faciem haberet.

Beda. Praefigurabat autem haec navis ecclesiam in medio nationum aedificandam, in qua dominus dilectam sibi consecrat mansionem. Sequitur et dicebat illis in parabolis multa.

Hieronymus. Parabola est rerum natura discrepantium sub aliqua similitudine facta comparatio: paravoli, enim graeco vocabulo dicitur similitudo, quando illud quod intelligi volumus, per comparationes aliquas indicamus. Sic enim ferreum quempiam dicimus, quando durum ac fortem desideramus intelligi: cum velocem, ventis, aut avibus comparamus. Loquitur autem turbis in parabolis more providentiae suae, ut qui caelestia capere non poterant, per similitudinem terrenam audita percipere potuissent.

Chrysostomus in Matth.. Erigit enim per parabolam audientium mentem, ut manifestiorem sermonem faceret, res visui ostendens.

Theophylactus. Et ut attentiores faceret auditores, primam parabolam proponit de semine, quod est verbum Dei; unde sequitur et dicebat illis in doctrina sua; non moysi, non prophetarum, quia suum praedicat evangelium: exiit seminandum. Seminans autem Christus est.

Chrysostomus in Matth.. Non autem loco exivit qui praesens existit omnibus, et implet; sed habitu, et

dispensatione, qua nobis factus est propinquior per carnis amictum. Quia enim non valebamus ire ad eum, peccatis impredientibus iter nostrum, ipse exiit ad nos. Exiit autem praedicans pietatis seminare sermonem, quem copiose loquebatur. Non autem inculcat sermonem eundem in eo quod dicit exiit seminans ad seminandum: exit enim aliquando seminans, aut ut faciat novale, aut herbas malas evellat, aut aliquod aliud operetur. Iste autem exiit ad seminandum.

Beda. Vel exiit ad seminandum, cum post vocatam ad fidem suam partem synagogae electam, ad vocationem quoque gentium gratiae suae dona diffudit.

Chrysostomus in Matth.. Sicut autem seminans non discernit terram subiectam, sed simpliciter, et absque discretionem semen mittit, sic et ipse omnes alloquitur; et ad hoc significandum subdit et dum seminat, aliud cecidit circa viam.

Theophylactus. Vide quia non dixit, quod proiecit illud in via, sed quia cecidit: qui enim seminat, quantum in se est, in terram bonam proiecit; sed illa, si sit mala, corrumpit verbum. Via autem Christus est; infideles autem sunt circa viam, idest extra Christum.

Beda. Vel via est mens sedulo malarum cogitationum motu trita, ne verbi semen in ea germinare sufficiat. Et ideo quidquid boni seminis vicinia talis viae contigerit, perit, et a daemonibus rapitur; unde sequitur et venerunt volucres caeli, et comederunt illud. Recte autem daemones volucres caeli dicuntur, sive quia caelestis spiritualisque sunt naturae, sive quia in aere habitant. Vel qui sunt circa viam, sunt negligentes et desides. Sequitur. Aliud vero cecidit super petrosa. Petram dicit duritiam protervae mentis, terram levitatem animae obedientis, solem fervorem persecutionis saevientis. Altitudo ergo terrae, quae semen Dei debuerat accipere, probitas est animi disciplinis caelestibus exercitati, atque ad obediendum divinis eloquiis regulariter instituti. Petrosa autem loca, quae vim radicis suscipiendae non habent, illa sunt praecordia quae dulcedine tantum auditi sermonis, ac promissis caelestibus ad horam delectantur; sed in tempore tentationis recedunt, quia parum est in eis salutaris desiderii, quod semen vitae concipiat.

Theophylactus. Vel petrosa sunt qui modicum adhaerentes petrae, idest Christo, in quantum ad tempus verbum recipiunt, postmodum abiciunt recedentes. Sequitur et aliud cecidit inter spinas, per quod significantur animae multa curantes: spinae enim curae sunt.

Chrysostomus in Matth.. Ulterius vero ponit terram bonam, dicens et aliud cecidit in terram bonam. Secundum enim conditionem terrae est differentia fructuum. Multa est autem dilectio seminantis ad homines: quoniam et primos commendat, et secundos non reicit, et tertiis tribuit locum.

Theophylactus. Vide etiam quomodo mali sunt plurimi et pauci qui salvantur; quarta enim pars seminis invenitur salvata.

Chrysostomus in Matth.. Non tamen maior pars seminis occasione amittitur seminantis, sed terrae recipientis, idest animae audientis. Et quidem materialis agricola hoc modo seminando congrue incusaretur: non enim ignorat lapidem, aut viam, aut terram spinosam, terram pinguem non fieri; in rationalibus vero non est sic: petram enim possibile est fieri terram pinguem, et viam non conculcari, et destrui spinas; quod si fieri non posset, non ibi seminasset. Per hoc ergo nobis tribuit poenitentiae spem. Sequitur et dicebat: qui habet aures audiendi, audiat.

Hieronymus. Quoties haec admonitio in evangelio, aut in apocalypsi Ioannis interponitur, mysticum hoc quod dicitur, atque ad audiendum, discendumque insinuat: aures enim audiendi sunt cordis et sensus interioris aures, obediendi et faciendi quae iussa sunt. Sequitur et cum esset singularis, interrogabant eum hi, qui cum eo erant, duodecim parabolam exponere. Et dicebat eis: vobis datum est scire mysterium regni Dei: illis autem qui foris sunt in parabolis omnia fiunt.

Beda. Quasi diceret: vos qui estis digni omnia quae ad praedicationem sunt congrua edoceri, parabolarum manifestationem addiscetis. Ad istos autem parabolis usus sum, quia digni non sunt addiscere propter eorum malitiam: qui enim legis quam acceperant, obedientiam non tenebant, iustum fuit ut novi sermonis participationem non haberent; sed ab utroque sint alieni. Ostendit enim per discipulorum obedientiam quod per contrarium indigni facti sunt reliqui mysticae doctrinae. Postea vero inductione vocis prophetae, eorum confundit nequitiam, tamquam a longe confutatam: unde sequitur ut videntes videant et non videant, et audientes audiant et non intelligant; quasi dicat: ut prophetia impleatur quae hoc praedicat.

Theophylactus. Deus enim eos fecit videntes, idest intelligentes bonum; ipsi vero non vident, voluntarie se fingentes non videre, ne convertantur, et corrigant se, tamquam suae saluti inviderent. Sequitur ne quando convertantur et dimittantur eis peccata.

Chrysostomus in Matth.. Sic ergo vident et non vident, audiunt et non intelligunt: quod enim vident et audiunt, contingit eis ex gratia Dei; sed quod vident, et non intelligunt, contingit eis, quia gratiam recipere nolunt, sed oculos claudunt, et fingunt se non videre, neque dictis acquiescunt; et sic a peccatis non mutantur per hoc quod vident et audiunt, sed contrarium patiuntur.

Theophylactus. Vel potest aliter intelligi, quod reliquis loquebatur in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant. Deus enim dat visum, et intellectum his qui petunt, reliquos autem obcaecat, ne in maiorem redargutionem sit eis, quod cum intelligerent, noluerunt facere quae oportet; unde sequitur ne quando convertantur et dimittantur eis peccata.

Augustinus de quaest. Evang.. Vel hoc intelliguntur peccatis suis meruisse, ut non intelligerent, et tamen hoc ipsum misericorditer eis est factum ut peccata sua cognoscerent, et conversi veniam mererentur.

Beda. Illis ergo qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, et facta scilicet, et verba salvatoris: quod neque in his quas operabatur virtutibus, neque in eis quae praedicabat arcanis eum cognoscere deum valent; ideoque ad remissionem peccatorum attingere non valent.

Chrysostomus. Quod autem non loquebatur eis, nisi in parabolis, nec omnino loqui desistebat, demonstrat quod his qui bono propinqui sunt, etsi in seipsis bonum non habeant, occultum tamen eis ostenditur. Cum autem aliquis cum reverentia ac recto corde accedit, occultorum revelationem consequitur abundanter; cum autem non sana sentit, nec his quae multis facilia sunt dignus fiet, nec etiam eorum auditu. Sequitur et ait illis: nescitis parabolam hanc? et quomodo omnes parabolas cognoscetis?

Hieronymus. Oportebat siquidem ut illi, quibus in parabolis loquebatur, requirerent quod non intelligerent, et per apostolos, quos contemptos habebant, discerent mysterium regni, quod ipsi non habebant.

Glossa. Et ideo dominus haec dicens, ostendit oportere eos et hanc primam, et omnes consequentes parabolas intelligere; propter quod exponens subdit qui seminat, verbum seminat.

Chrysostomus in Matth.. Et quidem propheta doctrinam populi plantationi vineae comparavit; hic vero seminationi, manifestans per hoc quod brevior est nunc et facilius obedientia, et statim fructum dabit.

Beda. In hac autem domini expositione omnes eorum qui audire verba salutis potuerunt, sed ad salutem pervenire nequeunt, distantia comprehenditur. Sunt namque qui verbum quod audiunt, nulla fide, nullo intellectu, nulla saltem tentandae utilitatis occasione percipiunt; de quibus dicit hi autem sunt qui circa viam. Cordibus enim eorum mandatum verbum, confestim immundi spiritus, quasi viae tritae volucres semen, eripiunt. Sunt qui auditi verbi et utilitatem probant, et desiderium gustant; sed ne ad id quod probant perveniant, alios huius vitae adversa terrendo, alios prospera blandiendo retardant; de quorum primis dicitur et hi sunt similiter qui supra petrosa; de aliis dicitur et alii sunt qui in spinis. Spinae autem divitiae vocantur, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant; et cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Dicit autem et aerumnae saeculi, et deceptio divitiarum: quemcumque enim supervacuum divitiarum decipit appetitus, necesse est mox curarum aerumna continuarum affligat. Addit autem et circa reliqua concupiscentiae: quia qui mandatis Dei contemptis, circa reliqua concupiscens aberrat, ad gaudium beatitudinis non potest attingere. Suffocant autem huiusmodi concupiscentiae verbum: quia bonum desiderium, ad quod intrare non sinunt, quasi aditum flatus vitalis necant. Excipiuntur autem ab his hominum differentiis gentiles, qui nec audire verba vitae merentur.

Theophylactus. Eorum vero qui semen suscipiunt, convenienter rursus tres sunt gradus; unde sequitur et hi sunt qui super terram bonam seminati sunt. Qui in centum fructificant, sunt qui perfectam, et obedientem habent vitam, ut virgines et eremitae; qui autem in sexaginta, qui mediocriter se habent, ut continentes, et qui in coenobio sunt; qui autem triginta, qui parvi quidem sunt secundum propriam virtutem fructum ferentes, ut laici, et qui in coniugio sunt.

Beda. Vel triginta fructificat, cum aliquis fidem sanctae trinitatis electorum cordibus insinuat; sexaginta, cum perfectionem docet bonae operationis; centum, cum caelestis regni praemia demonstrat: centum namque computando in dexteram transferuntur: unde recte in significatione ponuntur perpetuae beatitudinis. Terra autem bona est electorum conscientia, quae omnibus praedictis tribus terris contraria facit: quia et commendatum sibi semen verbi libenter excipit, et exceptum inter adversa et prospera constanter ad fructus usque tempora conservat.

Hieronymus. Vel fructus terrae in triginta et sexaginta et centum continetur; hoc est lege et prophetia et evangelio.

MARCUS 4,21-25

6421 (Mc 4,21-25)

Chrysostomus. Post interrogationem discipulorum de parabola, ac explanationem, bene subiungit et dicebat illis: numquid venit lucerna ut sub modio ponatur, aut sub lecto? nonne ut super candelabrum ponatur? quasi dicat: propter hoc parabola dicta est, non ut immanifesta maneat, aut occulta, tamquam sub modio, aut sub lecto, sed ut dignis manifestetur. Lucerna in nobis est intellectualis natura, quae secundum proportionem illuminationis, aut clare apparet, aut obscure. Si enim meditationes quae nutriunt lumen, ac recordationes, in quibus lucerna talis accenditur, negligantur, mox extinguitur.

Hieronymus. Vel lucerna verbum est de tribus seminibus; modius, aut lectus, auditus est inobedientium; candelabrum apostoli sunt, quos illuminavit verbum Dei; unde sequitur non est enim aliquid absconditum. Absconditum et occultum parabola seminis est; in palam vero venit, dum a domino tractatur.

Theophylactus. Vel hic dominus discipulos monet lucidos esse secundum vitam et conversationem; quasi dicat: sicut lucerna ad lucendum ponitur, sic ad vitam vestram omnes respicient. Itaque studete bonam vitam habere, et non in angulis sedeatis, sed lucerna estote: lucerna enim non sub lecto, sed supra candelabrum posita lucet. Quam quidem lucernam necesse est ponere super candelabrum, idest in altitudine conversationis, quae secundum deum est, ut et aliis lucere valeat; non sub modio, idest circa gulam; neque sub lecto, idest otio: nemo enim qui escis studet, et requiem diligit, posset esse lucerna omnibus lucens.

Beda. Vel quia tempus vitae nostrae sub certa divinae provisionis mensura continetur, recte modio comparatur; lectus vero animae corpus est, in quo temporaliter habitans quiescit. Qui ergo amore vitae temporalis et illecebrarum carnalium occultat verbum Dei, modio vel lecto lucernam operit; supra candelabrum autem ponit lucernam qui corpus suum ministerio verbi Dei subicit: unde his verbis typice figuram docet praedicandi; unde sequitur non enim est absconditum quod non reveletur, neque factum est occultum quod non in palam veniat; quasi dicat: nolite erubescere evangelium, sed inter tenebras persecutorum, lumen verbi Dei supra corporis vestri candelabrum levate, fixa mente retinentes illum diem quo illuminabit Deus abscondita tenebrarum: tunc enim et vos laus, et adversarios poena manet aeterna.

Chrysostomus. Vel aliter. Non est aliquid absconditum; quasi dicat: si vos cum diligentia vitam duxeritis, accusationes lucernam vestram non poterunt obumbrare.

Theophylactus. Unusquisque enim nostrum seu bonum aliquid, seu malum in praeterito fecerit, manifestatur in praesenti, et multo magis in futuro. Quid enim est Deo occultius? sed tamen et ipse manifestatus est in carne. Sequitur si quis habet aures audiendi, audiat.

Beda. Idest, si quis habet sensum intelligendi verbum Dei, non se subtrahat, non auditum ad fabulas convertat; sed his quae veritas dixit, accommodet aurem scrutandi, manus implendi, linguam praedicandi. Sequitur et dicebat illis: videte quid audiatis.

Theophylactus. Ut scilicet nihil eorum quae vobis a me dicuntur subterfugiat. In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis; idest, quantamlibet mensuram intentionis introducetis, tantam recipietis utilitatem.

Beda. Vel aliter. Si solerter omnia quae valetis, bona facere, ac proximis intimare studueritis, aderit divina pietas, quae vobis et in praesenti sensum altiora capiendi, ac potiora gerendi affectum conferet, et in futuro aeternam retributionem adiciet; et ideo subditur et adicietur vobis.

Hieronymus. Vel aliter. Secundum mensuram fidei unicuique dividitur intelligentia mysteriorum, et scientiae etiam adicientur virtutes. Sequitur qui enim habet, dabitur ei; idest, qui fidem habet, habebit virtutem; et qui habet opus verbi, habebit et intelligentiam mysterii; et qui non habet e contra fidem, deficit virtute; et qui non habet opus verbi, eius intelligentia caret; et qui non intelligit, iam auditum perdidit.

Chrysostomus super Matth.. Vel aliter. Qui habet, scilicet affectum et voluntatem audiendi, et petendi, dabitur ei; qui vero non habet divini auditus desiderium, et quod contingit habere scriptae legis, auferetur ab eo.

Beda. Nonnumquam enim lector ingeniosus negligendo se, privat se sapientia, quam tardus ingenio, studiosius elaborando, degustat.

Chrysostomus. Potest autem ideo dici quod non habet, quia veritatem non habet. Dicit autem quod habet, propter hoc quod mendacium habet: putat enim aliquid se habere, qui mendacis intellectus existit.

MARCUS 4,26-29

6426 (Mc 4,26-29)

Chrysostomus. Posuit supra parabolam de tribus seminibus, diversimode perditis et uno salvato; cuius, secundum proportionem fidei et operationis, tres differentias ostendit: hic vero parabolam ponit solum de salvatis; unde dicit et dicebat: sic est regnum Dei quemadmodum si homo iactet semen in terram.

Hieronymus. Regnum Dei ecclesia est, quae regitur a Deo, et ipsa regit homines, et contrarias virtutes, et vitia calcat.

Chrysostomus. Vel regnum Dei dicit fidem, quae est in ipsum, ac dispensationem humanitatis; quod quidem regnum est sicut si iaciat sementem homo: ipse enim existens Deus, et Dei filius, homo incommutabiliter factus pro nobis, terram seminavit; idest, totum mundum verbo divinae cognitionis illuminavit.

Hieronymus. Semen enim verbum vitae est; terra corda humana; et dormitio hominis mors est salvatoris. Exurgit semen nocte ac die: quia post somnum Christi, numerus credentium per adversa et prospera magis magisque germinavit in fide, et crevit in opere.

Chrysostomus. Vel exurgit ipse Christus, qui sedebat, expectans per longanimitatem, quod recipientes semen fructificarent. Surgit autem, idest benevolentiae suae verbo ad fructificationem nos erigens per arma iustitiae a dextris, quibus significatur dies, et a sinistris, quibus significatur nox persecutionum: per haec enim semen germinat, nec arescit.

Theophylactus. Vel aliter. Christus dormit, idest ascendit in caelum, ubi licet dormire videatur, surgit tamen nocte cum per tentationes nos erigit in suam cognitionem; die vero cum propter orationes nostram disponit salutem.

Hieronymus. Quod autem dicit dum nescit ille, tropica est locutio; idest, nescire nos facit, quis fructus usque in finem afferat.

Chrysostomus. Vel dicit nescit ille, ut ostendat liberam voluntatem eorum qui verbum suscipiunt: voluntati enim nostrae committit opus, et non totum ipse solus operatur, ne bonum involuntarium videatur; unde subdit ultro enim terra fructificat; idest, non necessitate coacta contra propriam voluntatem, sed voluntate adducitur ad fructificandum. Primum herbam.

Hieronymus. Idest timorem: initium enim sapientiae timor domini. Deinde spicam, idest poenitentiam lacrymosam; deinde plenum fructum in spica, idest caritatem: plenitudo enim legis est caritas.

Chrysostomus. Vel primo herbam fructificat in lege naturae, paulatim ad profectum crescens, postmodum producit spicas in manipulum colligendas, et in altari domino offerendas, in lege scilicet moysi; postea plenum fructum in evangelio: vel quia non solum oportet nos frondere per obedientiam, sed esse prudentes, et quasi arundinis spicas erectos persistere, de ventis agitantibus non curantes. Oportet nos etiam animam curare per assiduitatem memoriae, ut tamquam spicae fructum gestemus; idest, operationem virtutis completam demonstramus.

Theophylactus. Herbam enim germinamus, cum principium boni ostendimus; deinde spicam, cum resistere tentationibus possumus; deinde fructum, cum perfectum quis operatur. Sequitur et cum ex se produxerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis.

Hieronymus. Falx est mors, vel iudicium, quod secatur omnia; messis est consummatio saeculi.

Gregorius moralium. Vel aliter. Semen homo iactat in terram, cum cordi suo bonam intentionem inserit;

dormit autem qui iam in spe boni operis quiescit; nocte vero exurgit, ac die, quia inter adversa et prospera proficit, dum ille nescit qui adhuc metiri incrementa sua non valet, et tamen concepta virtus ad perfectum ducitur. Cum igitur desideria bona concipimus, semen in terram mittimus; cum recte operari incipimus, herba sumus; cum ad profectum boni operis crescimus, ad spicam pervenimus; cum in eiusdem operis perfectione solidamur, iam plenum frumentum in spica proferimus.

MARCUS 4,30-34

6430 (Mc 4,30-34)

Glossa. Postquam posuit parabolam de fructificatione seminis evangelii, hic subiungit aliam parabolam ad ostendendam excellentiam doctrinae evangelicae ad omnes alias doctrinas; unde dicitur et dicebat: cui assimilabimus regnum Dei? Theophylactus. Parvissimum quidem est fidei verbum. Crede in deum, et salvus eris. Sed sparsa super terram praedicatio dilatata est et augmentata, ita ut caeli volatilia, idest contemplativi homines, et alti intellectu, et cognitione, sub eo habitent. Quanti enim sapientes gentilium relinquentes sapientiam, sub praedicatione evangelii requieverunt? omnium igitur maior praedicatio facta est.

Chrysostomus. Et etiam quia quod fuit hominibus in brevibus sermonibus nuntiatum, sapientia quae inter perfectos dicitur, dilatavit super omnes sermones: quia nihil maius est hac veritate.

Theophylactus. Ramos autem magnos fecit: quidam enim apostolorum in romam, et quidam in indiam, et quidam in alias terrae partes sunt divisi sicut rami.

Hieronymus. Vel semen istud minimum est timore, magnum autem in caritate, quae est maior omnibus oleribus, quia Deus caritas est, et omnis caro foenum. Fecit autem ramos misericordiae et compassionis, cum sub umbra pauperes Christi, qui sunt caeli animalia, delectantur habitare.

Beda. Homo autem qui seminat a plerisque salvator ipse intelligitur, ab aliis autem ipse homo seminans in corde suo.

Chrysostomus. Postea vero marcus brevitate gaudens, ostendens parabolarum naturam, subiungit et talibus multis parabolis loquebatur eis verbum, prout poterant audire.

Theophylactus. Quoniam enim turbae erant indoctae, a comestibilibus, et consuetis nominibus instruit eas; et propter hoc subdit sine parabola autem non loquebatur eis, ut scilicet moverentur ad accedendum et interrogandum. Sequitur seorsum autem discipulis suis disserebat omnia, scilicet de quibus interrogabant ut ignorantes, non simpliciter omnia tam manifesta, quam immanifesta.

Hieronymus. Illi enim digni erant seorsum audire mysteria in penetrabili, in timore sapientiae qui remoti a cogitationum malarum tumultibus in solitudine virtutum permanebant: sapientia enim in tempore otii percipitur.

MARCUS 4,35-41

6435 (Mc 4,35-41)

Hieronymus. Post doctrinam dehinc ad mare venerunt, et fluctibus turbantur; unde dicitur et ait illis in illa die, cum sero esset factum: transeamus contra.

Remigius. Tria enim legitur dominus habuisse refugia, scilicet navis, montis et deserti; quoties a turbis comprimebatur, ad aliquod istorum refugiebat. Cum ergo vidit dominus turbas multas circa se, earum importunitatem quasi homo volens declinare, iussit discipulos suos transfretare. Sequitur et dimittentes turbam, assumunt eum, ita ut erat in navi.

Chrysostomus. Discipulos quidem assumpsit dominus, ut visores fierent futuri miraculi; sed solum ipsos assumit, ne alii cognoscerent ipsos esse tam modicae fidei; unde ad ostendendum quod separatim alii transfretabant, subiungit et aliae naves erant cum illo. Ne autem superbirent discipuli quod eos solos assumpserat, periclitari eos permittit, et ut etiam per hoc discerent tentationes viriliter sustinere; unde sequitur et facta est procella magna. Ut autem futuri miraculi maiorem eis imprimat sensum, dat tempus

timori, dormiendo; unde sequitur et erat ipse in puppi super cervical dormiens. Si enim vigilasset, aut non timuissent, neque rogassent tempestate orta; aut eum aliquid tale facere non putassent.

Theophylactus. Dimisit ergo eos incidere in timore periclitationis, ut eius virtutem in seipsis cognoscerent, qui alios ab eo beneficiatos videbant. Dormiebat autem super cervical navis, ligneum siquidem.

Chrysostomus. Ostendens suam humilitatem, et ex hoc multam sapientiam docens. Nondum autem discipuli, qui circa eum existebant, eius gloriam cognoscebant; et quidem quod surgens poterat ventis imperare credebant, sed quod quiescens, seu dormiens nequaquam; et ideo sequitur et excitant eum, et dicunt ei: magister, non ad te pertinet quia perimus? Theophylactus. Ipse autem exurgens, comminatur primo quidem vento, qui maris tempestatem et fluctus faciebat; et hoc est quod subditur et exurgens comminatus est vento; deinde praecipit mari; unde sequitur et dixit mari: tace, obmutesce.

Glossa. Ex commotione enim maris quidam sonitus consurgit, qui videtur esse quaedam maris locutio periculum comminantis; et ideo convenienter sub quadam metaphora tranquillitatem imperat taciturnitatis vocabulo; sicut et in cohibitione ventorum, qui sua violentia mare conturbant, comminationem nominavit. Solent enim potestatem habentes, eos qui violentia pacem hominum conturbant, comminatione poenarum refrenare. Per hoc ergo datur intelligi quod sicut rex aliquis potest comminatione violentos comprimere, et suis edictis murmur subiecti populi mitigare, ita Christus rex universae creaturae existens, sua comminatione ventorum cohibuit violentiam, et mari taciturnitatem indixit: et statim est effectus secutus; sequitur enim et cessavit ventus, cui scilicet fuerat comminatus, et facta est tranquillitas magna; scilicet in mari, cui taciturnitatem indixerat.

Theophylactus. Comminatus est etiam et discipulis tamquam fidem non habentibus; sequitur enim et ait illis: quid timidi estis? necdum habetis fidem? si enim habuissent fidem, credidissent quod etiam dormiens servare eos potuisset incolumes. Sequitur et timuerunt timore magno, et dicebant ad alterutrum: quis, putas, est iste, quia venti et mare obediunt ei? etenim dubie habebant se erga eum; in quantum enim iussu mare placavit, non baculo, ut Moyses, non precibus, ut eliseus iordanem, neque arca, ut iesus nave, secundum hoc vere Deus eis videbatur, secundum vero quod dormiebat, homo.

Hieronymus. Mystice vero puppis ecclesiae est initium, in qua dominus corporaliter dormit, quia nunquam dormit qui custodit israel; puppis enim mortuis pellibus vivos continet, et fluctus arcet, et ligno solidatur; id est, cruce et morte domini ecclesia salvatur. Cervical corpus domini est, cui divinitas sicut caput inclinata est. Ventus autem et mare daemones et persecutores sunt; quibus dicit tace, quando compescit edicta regum iniquorum, ut voluerit. Tranquillitas magna est pax ecclesiae post pressuram, sive theorica post vitam activam.

Beda. Vel navicula quam ascendit, passionis arbor intelligitur, per quam fideles ad securitatem securi littoris perveniunt. Aliae naves quae fuisse dicuntur cum domino, illos significant qui fide dominicae crucis imbuti sunt, non tamen turbine tribulationum pulsati; vel post tentationum procellas serenitate pacis utuntur. Discipulis autem navigantibus Christus obdormivit, quia fidelibus futuri regni quietem meditantibus, tempus dominicae passionis advenit: unde hoc sero factum fuisse perhibetur, ut veri solis occubitus non sola domini dormitio, sed ipsa descendit lucis hora significet. Ascendente autem illo in puppim crucis, fluctus blasphemantium persecutorum assurgunt daemoniis excitati procellis; quibus tamen non ipsius patientia turbatur, sed discipulorum imbecillitas concutitur. Excitant autem discipuli dominum: quia cuius mortem viderant, maximis votis resurrectionem quaerebant. Vento exurgens comminatus est: quia resurrectione celebrata, diaboli superbiam stravit. Mare silere praecepit: quia iudaeorum rabiem resurgendo deiecit. Discipuli autem arguuntur: quia post resurrectionem exprobativ eis incredulitatem eorum. Et nos quoque cum signo dominicae crucis imbuti saeculum relinquere disponimus, navem cum iesu conscendimus, mare transire conamur; sed nobis navigantibus inter aequoris fremitus obdormit, quando inter medios virtutum usus, vel immundorum spirituum, vel hominum pravorum, vel ipsarum nostrarum cogitationum impetus, amoris flamma refrigescit. Verum inter huiusmodi procellas illum sedulo excitemus; mox tempestatem compescet, refundet tranquillitatem, portum salutis indulget.

MARCUS 5,1-20

6501 (Mc 5,1-20)

Theophylactus. Quia qui in navicula erant conquirebant ad invicem quis, putas, est iste? inimicorum testimonio confirmatur quis esset: accessit enim daemoniacus confitens ipsum esse filium Dei; ad quod narrandum evangelista accedens, dicit et venerunt trans fretum maris, in regionem gerazenorum.

Beda. Geraza est urbs insignis arabiae trans iordanem, iuxta montem galaad, quam tenuit tribus manasse, non longe a stagno tiberiadis, in quod porci praecipitati sunt.

Chrysostomus. Sed tamen neque gadarenorum, neque gerazenorum exquisita scriptura continet, sed gergesenorum. Gadara enim civitas est iudaeae, cui prope adiacet stagnum, et nullo modo mare; geraza vero arabiae civitas est, neque mare, neque stagnum proximum habens. Et ne tam evidens mendacium evangelistae dixisse videantur, viri tam diligenter scientes ea quae circa iudaeam erant; gergesa quidem, a qua gergeseni dicti, antiqua civitas fuit, iuxta eam quae nunc tiberias appellatur, circa quam praecipuum est circumpositum stagnum. Sequitur et exeunti ei de navi statim occurrit de monumentis homo.

Augustinus de cons. Evang.. Cum Matthaeus dicat duos fuisse, marcus et Lucas unum commemorant, ut intelligas unum eorum fuisse personae alicuius clarioris, quem regio illa maxime dolebat.

Chrysostomus in Matth.. Vel videtur quod marcus et Lucas illud quod erat miserabilis narraverunt; et propter hoc diffusius quod illi contigerat enarrant; sequitur enim et neque catenis iam quisquam poterat eum ligare. Dixerunt ergo simpliciter daemonicum, numerum non quaerendo; vel ut virtutem maiorem ostenderent operantis; nam qui unum talem curaverat, non erat ei impossibile multos alios curare. Nec tamen hic dissonantia demonstratur: non enim dixerunt, quod unus solus erat; quod si dixissent, Matthaeo contradicere viderentur. Habitabant autem in monumentis daemones, erroneum dogma multis volentes immittere, quod decedentium animae in daemones convertebantur.

Gregorius nyssenus. Paraverat autem se coetus daemonum ad resistendum divinae potestati. Cum autem appropinquaret qui potestatem habet super omnia, exclamant eminentem eius virtutem; unde sequitur videns autem iesum a longe, cucurrit, et adoravit eum, et clamans voce magna dixit: quid mihi et tibi iesu Dei altissimi? **Cyrillus.** Vide daemonem duplici passione divisum, audacia et timore: reluctatur, et orat; quasi quaestionem aliquam intentans, vult scire quid sibi et iesu commune; quasi dicat: qua de causa eicis me ab hominibus, cum sint mei? **Beda.** Quae autem impietas est iudaeorum eum dicere in principe daemoniorum eiecisse daemonia quem et ipsa daemonia fatentur nihil secum habere commune? **Cyrillus.** Deinde orans subiungit adiuro te per deum ne me torqueas; emissionem enim reputabat tormentum; vel etiam invisibiliter torquebatur.

Chrysostomus in Matth.. Quamvis enim mali sint daemones, sciunt tamen quod ipsos propter peccata expectat ultimo aliqua poena: quia vero nondum eis tempus ultimae poenae advenerat, firmissime cognoscebant; maxime cum permissum esset eis hominibus commiseri. Sed quia Christus comprehenderat eos tanta mala perpetrare, putabant quod propter factorum excessum, ultimum punitionis tempus minime expectarent; propter hoc supplicat ne torqueantur.

Beda. Magnum enim tormentum est daemoni a laesione hominis cessare; et tanto dimittit gravius quanto possidet durius; sequitur enim dicebat enim illi: exi, spiritus immunde, ab homine isto.

Cyrillus. Attendas inexpugnabilem virtutem Christi; conquassat satanam, cui verba Christi sunt ignis et flamma: secundum quod psalmista dicit: liquefacti sunt montes a facie Dei, idest sublimes, et superbae virtutes. Sequitur et interrogabat eum: quod tibi nomen est? Theophylactus. Interrogat quidem dominus, non ut ipse sciret; sed ut ceteri sciant multitudinem habitantium daemonum.

Chrysostomus. Ne si ipse diceret, quod multi sunt, incredibile fieret. Vult ergo quod ipsi confiteantur, quod multi erant; unde sequitur et dicit ei: legio mihi nomen est, quia multi sumus. Non dicit determinatum numerum, sed multitudinem: non enim prodest ad scientiam exquisitio numeri.

Beda. Confessa autem publice peste, quam furens tolerabat, virtus curantis gratior apparet. Sed et nostri temporis sacerdotes, qui per exorcismi gratiam eicere norunt, solent dicere, patientes non aliter valere curari, nisi, quantum sapere possunt, omne quod ab immundis spiritibus visu, auditu, gustu, tactu, vel alio quolibet corporis aut animi sensu vigilantes, dormientesve pertulerint, confitendo patenter exponant. Sequitur et deprecabatur eum multum ne se expelleret extra regionem.

Chrysostomus. Aut, ut Lucas dicit, in abyssum; abyssus enim est separatio huius mundi: promerentur enim daemones mitti ad tenebras exteriores, diabolo et suis angelis praeparatas. Hoc autem Christus facere poterat; permisit tamen eos in hac terra esse, ne absentia tentatoris homines corona victoriae privaret.

Theophylactus. Et ut nobiscum pugnantes, nos peritiores constituent. Sequitur erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus pascens.

Augustinus de cons. Evang.. Quod hic dicit marcus circa montem fuisse gregem, Lucas autem in monte, nihil repugnat: grex enim porcorum tam magnus fuit ut aliquid eius esset in monte, et aliquid circa montem. Sequitur et deprecabantur eum spiritus, dicentes: mitte nos in porcos, ut in eos introeamus.

Remigius super Matth.. Idcirco autem intraverunt in porcos non sponte, sed petierunt ut eis concederetur, ut demonstraretur quia non possunt nocere hominibus, nisi permissione divina. Ideo autem non petierunt mitti in homines, quia illum cuius virtute torquebantur, humanam speciem gestare videbant; nec petierunt ut in pecora mitterentur, quia velut munda animalia in templo Dei offerebantur. Petierunt ut in porcos mitterentur, quia nullum animal est immundius porco, et daemones semper in spurcitiis delectantur. Sequitur et concessit eis statim iesus.

Beda. Ideo quidem permisit ut per interfectionem porcorum hominibus salutis occasio praebeatur.

Chrysostomus in Matth.. Volens furiam quam contra homines habent daemones, omnibus demonstrare, et quod multo peiora vellent hominibus infligere, si possent virtute non impediti divina. Et quia in hominibus hanc demonstrationem fieri eius pietas non ferebat, ipsos in porcos intrare permisit, ut in illis virtus, et furor daemonum videatur. Sequitur et exeuntes spiritus immundi introierunt in porcos. Titus. Fugam autem arripuerunt pastores, ne cum porcis perirent, et huiusmodi terrorem civibus intulerunt; unde sequitur qui autem pascebant eos, etc.. Illos ad salvatorem adduxit damni necessitas: frequenter enim cum Deus homines damnat in rebus possessis, confert beneficium animabus; unde sequitur et veniunt ad iesum, et vident illum qui a daemonio vexabatur sedentem, scilicet iuxta pedes a quibus nactus erat salutem, quem antea nec catenae compescere poterant; vestitum et sanae mentis, qui continuo nudus erat: et obstupuerunt; unde sequitur et timuerunt. Hoc igitur miraculum partim visu, partim verbis comperiunt; unde sequitur et narraverunt illis qui viderant.

Theophylactus. Stupentes autem propter miraculum quod audierant, timuerunt, et propter hoc deprecantur ipsum ut ab eorum recedat finibus; et hoc est quod subditur et rogare eum coeperunt ut discederet a finibus eorum: timebant enim ne aliquando tale aliquid paterentur. Contristati enim de porcorum perditione, praesentiam renuunt salvatoris.

Beda. Vel conscii fragilitatis propriae, praesentia domini se iudicabant indignos. Sequitur cumque ascenderet navim, coepit illum deprecari qui a daemone vexatus fuerat, ut esset cum illo.

Theophylactus. Timebat enim ne aliquando invenientes eum daemones reintrarent in eum. Dominus vero remittit eum in domum suam, innuens ei quod quamvis ipse praesens non esset, tamen sua virtus ipsum custodiret; simul etiam ut curatus aliis prosit; unde sequitur et non admisit eum, sed ait illi: vade in domum tuam ad tuos, et nuntia illis quanta tibi dominus fecerit, et misertus sit tui. Vide salvatoris humilitatem: non dixit: denuntia omnia quae feci tibi, sed omnia quae fecit tibi dominus: sic et tu cum aliquid boni feceris, non tibi, sed Deo attribuas.

Chrysostomus. Licet autem aliis sanatis praeceperit nemini dicere, convenienter tamen huic praecepit quod annuntiet: quoniam omnis illa regio daemonibus detenta sine Deo manebat.

Theophylactus. Ipse igitur coepit praedicare, et omnes mirantur; et hoc est quod sequitur et coepit praedicare.

Beda. Mystice autem gerasa sive gergese, ut quidam legunt, colonum eiciens, sive advena appropinquans interpretatur: quia gentium populus et hostem de corde repulit, et qui erat longe, factus est prope.

Hieronimus. Hic autem daemoniacus, desperatissimus gentium populus est, nec lege naturae, nec Dei, nec humano timore alligatus.

Beda. Qui in monumentis habitabat, quia in mortuis operibus, hoc est in peccatis, delectabatur, semper nocte ac die furebat, quia in prosperis et adversis a servitio malignorum spirituum non cessabat; sed per operum foeditatem quasi in monumentis iacebat, per fastum superbiae in montibus errabat, per verba durissimae infidelitatis quasi lapidibus se concidebat. Dicit autem legio mihi nomen est, quia populus gentium diversis idololatriae cultibus erat mancipatus. Quod autem exeuntes spiritus immundi ab homine intrant porcos, quos in mare praecipitant, significat quod liberato populo gentium a damnatione daemonum, qui Christo credere noluerunt, in abditis agunt sacrilegos ritus.

Theophylactus. Vel per hoc significatur quod daemones intrant in homines ad modum porcorum viventes, et volutabro voluptatum se involventes; ac praecipitant eos praecipitio perditionis in mare vitae istius, et

suffocantur.

Hieronymus. Vel suffocantur in inferno sine respectu misericordiae per impetum immaturae mortis; a quibus fugiunt multi, quia flagellato stulto, sapiens prudentior fit.

Beda. Quod autem dominus volentem esse cum illo non admisit, significat quod quisque intelligat post remissionem peccatorum ingrediendum sibi esse in conscientiam bonam, et serviendum evangelio propter aliorum salutem, ut deinde cum Christo requiescat.

Gregorius moralium. Cum enim quantumlibet parum de divina cognitione percepimus, redire iam ad humana nolumus, quietem contemplationis quaerentes; sed dominus praecipit, ut mens prius exsudet in opere, et postmodum refici debeat per contemplationem.

Hieronymus. Homo autem sanatus praedicabat in decapoli, dum a romano nunc regno iudaei convertuntur, qui in littera tantum pendent decalogi.

MARCUS 5,21-34

6521 (Mc 5,21-34)

Theophylactus. Post miraculum daemoniaci, aliud miraculum dominus operatur, filiam scilicet archisynagogi resuscitans, ad cuius miraculi narrationem evangelista accedens, dicit et cum ascendisset iesus in navi, rursus trans fretum.

Augustinus de cons. Evang.. Intelligendum est autem quod de archisynagogi filia subditur, factum esse cum ascendisset iesus in navi rursus trans fretum; sed quantum post, non apparet: nisi enim fuisset intervallum, non esset quando fieret quod narrat Matthaeus de convivio domus suae; post quod factum nihil aliud continuo sequitur quam illud de archisynagogi filia: sic enim ipse contexit, ut ipse transitus aperte indicet hoc consequenter narrari quod consequenter est factum. Sequitur et venit quidam de archisynagogis nomine iairus.

Chrysostomus. Nomen posuit propter iudaeos, qui tunc erant, ut nomen miraculi fieret ostensivum. Sequitur et videns eum procidit ad pedes eius, et deprecabatur eum multum, dicens: quoniam filia mea in extremis est. Et quidem Matthaeus narrat archisynagogum puellam mortuam nuntiasset; marcus vero graviter infirmatam; sed postmodum archisynagogo, cum quo dominus ire debebat, nuntiatum fuisse puellam mortuam esse. Matthaeus ergo eamdem rem similem significat, quod scilicet mortuam suscitaverit, brevitatis causa eam dicens obiisse, quam constat mortuam suscitatum fuisse.

Augustinus de cons. Evang.. Attendit enim non verba patris de filia, sed, quod est potissimum, voluntatem: ita enim desperaverat ut potius eam vellet reviviscere, non credens vivam posse inveniri quam morientem reliquerat.

Theophylactus. Fuit autem hic vir ex parte fidelis, in quantum cecidit ad pedes iesu, in quantum vero deprecatur ut veniat, non quantum oportebat habere fidem, ostendit. Oportebat enim dicere: dic verbo, et sanabitur filia mea. Sequitur et abiit cum illo, et sequebatur eum turba multa, et comprimebat eum; et mulier quae erat in profluvio sanguinis duodecim annis... Venit in turba retro.

Chrysostomus. Mulier ista famosa et nota omnibus, propter hoc ad salvatorem in manifesto accedere non audebat, neque ante eum venire, quia secundum legem immunda erat; propter hoc retro tetigit, et non ante, quia nec hoc facere audebat, nec etiam tetigit vestimentum, sed vestimentorum fimbriam. Non autem fimbria, sed eius cogitatio eam salvam fecit. Sequitur dicebat enim: quia si vel vestimenta eius tetigero, salva ero.

Theophylactus. Fidelissima est haec mulier, quae a fimbriis curationem speravit, propter quod consequitur sanitatem; unde sequitur et confestim siccatus est fons sanguinis eius, et sensit corpore quia sanata esset a plaga.

Chrysostomus. His autem qui fide tangunt Christum, virtutes eius cum sua voluntate donantur; unde sequitur et statim iesus cognoscens in semetipso virtutem quae exierat de illo, conversus ad turbam aiebat: quis tetigit vestimenta mea? virtutes quidem salvatoris exeunt ab eo non localiter, aut corporaliter, ipsum modo aliquo relinquentes: incorporales enim cum sint, ad alios exeunt, aliisque donantur, neque tamen

extra eum sunt a quo exire dicuntur; sicut scientiae, quae a doctore discentibus tribuuntur. Dicit ergo cognoscens in semetipso virtutem quae exierat de eo: ut intelligeres quod eo sciente, non ignorante mulier salutem recepit. Interrogabat vero quis me tetigit? licet sciret tangentem, ut mulierem venientem manifestet, et eius publicet fidem, et ne virtus miraculosi operis oblivioni tradatur. Sequitur et dicebant ei discipuli sui: vides turbam comprimentem te, et dicis: quis me tetigit? quaesierat autem dominus: quis me tetigit? idest cogitatione et fide: non enim comprimentes turbae me tangunt, quia non cogitatu et fide accedunt. Sequitur et circumspiciebat videre eam quae hoc fecerat.

Theophylactus. Volebat enim dominus mulierem manifestare, primo quidem ut fidem approbaret mulieris; deinde ut archisynagogum ad confidentiam provocaret, quia sic eius filia curaretur; simulque ut mulierem solveret a timore: etenim timebat mulier, quia furata erat sanitatem: propter quod sequitur mulier autem timens et tremens, sciens quid factum esset in se, venit, et procidit ante eum, et dixit ei omnem veritatem.

Beda. Ecce quo tendebat interrogatio: ut scilicet mulier confiteatur veritatem diuturnae infidelitatis, subitae credulitatis et sanationis: et ita ipsa confirmatur in fide, et aliis praebet exemplum. Sequitur ille autem dixit ei: filia, fides tua te salvam fecit: vade in pace, et esto sana a plaga tua. Non dixit: fides tua te salvam factura est, sed te salvam fecit, quasi dicat: in eo quod credidisti, iam salva facta es.

Chrysostomus. Filiam vero vocat salvatam fidei ratione: fides enim Christi, Dei filiationem praestat.

Theophylactus. Dicit autem ei vade in pace, idest in requie; quasi dicat: vade, requiesce, quia hucusque fuisti in angustiis et turbationibus.

Chrysostomus. Vel dicit vade in pace, mittens eam in finem bonorum: in pace enim Deus habitat; ut cognoscat quod non solum corpore curata est, sed etiam a causis corporalis passionis, idest peccatis, mundata.

Hieronymus. Mystice autem post praedicta venit iairus archisynagogus: quia cum intraverit plenitudo gentium, tunc omnis israel salvus fiet. Iairus, sive illuminans, sive illuminatus interpretatur; idest, iudaicus populus, umbra litterae deposita, spiritu illustratus et illuminatus, procidens ad pedes verbi, idest ad incarnationem iesu se humilians, rogat pro filia; quia qui sibi vivit, alios vivere facit. Abraham etiam et Moyses et samuel rogant pro plebe mortua; et sequitur iesus preces eorum.

Beda. Ad puellam autem sanandam pergens dominus a turba comprimitur: quia genti iudaeae salutaria monita praebens, noxia carnalium populorum est consuetudine gravatus. Mulier autem sanguine fluens, sed a domino curata, ecclesia est, congregata de gentibus: fluxus enim sanguinis, et super idololatriae pollutione et super his quae carnis ac sanguinis delectatione geruntur potest recte intelligi. Sed dum verbum Dei iudaeam salvare decerneret, plebs gentium paratam promissamque aliis praeripuit spe certa salutem.

Theophylactus. Vel per mulierem, quae haemorrhoea erat, intelligas humanam naturam: profluebat enim peccatum, quod animam occidens quasi sanguinem fudit animarum nostrarum. Haec a pluribus medicorum, sapientum dico huius mundi et legis et prophetarum, curari non valuit: mox ut fimbriam Christi tetigit, idest carnem eius, sanata est: qui enim credit filium Dei incarnatum, hic est qui vestimentorum fimbriam tangit.

Beda. Unde una credula mulier dominum tangit, turba comprimit: quia qui diversis haeresibus, sive perversis moribus gravatur, solo ecclesiae catholicae corde fideliter veneratur. Venit autem ecclesia gentium retro: quia praesentem in carne dominum non videns, peractis iam sacramentis incarnationis illius, ad fidei eius gratiam pervenit; sicque dum participatione sacramentorum eius salvari a peccatis meruit, quasi tactu vestimentorum eius, fontem sui sanguinis siccavit. Circumspiciebat autem dominus videre eam quae hoc fecerat: quia omnes qui salvari merentur, suo dignos intuitu ac miseratione iudicat.

MARCUS 5,35-43

6535 (Mc 5,35-43)

Theophylactus. Hi qui circa archisynagogum erant, Christum unum ex prophetis esse credebant, et propter hoc eum deprecandum putabant, ut veniens super puellam oraret; quia vero iam expiraverat puella, putabant non esse precandum; et ideo dicitur adhuc eo loquente, veniunt ad archisynagogum, dicentes: quia filia tua mortua est: quid ultra vexas magistrum? sed ipse dominus ad confidendum patrem inducit; sequitur enim noli timere: tantummodo crede.

Augustinus de cons. Evang.. Non legitur, quod suis nuntiantibus et prohibentibus ne iam magister veniret, ille consenserit; ac per hoc quod dominus dixit ei noli timere, crede, non diffidentem reprehendit, sed credentem robustius confirmavit. Si autem evangelista archisynagogum commemorasset dixisse quod sui a domo venientes dixerunt, quod iam non vexaretur iesus, repugnarent eius cogitationi verba quae posuit Matthaeus eum dixisse, quod scilicet puella mortua esset. Sequitur et non admittit quemquam sequi se, nisi petrum et iacobum et ioannem fratrem iacobi.

Theophylactus. Non enim humilis Christus ad ostentationem voluit aliquid operari. Sequitur et veniunt in domum archisynagogi, et vident tumultum et flentes et eiulantes multum.

Chrysostomus. Ipse autem iubet non ululare, tamquam puella non sit mortua, sed dormiens; unde sequitur et ingressus ait: quid turbamini et ploratis? puella non est mortua, sed dormit.

Hieronymus. Archisynagogo dicitur filia tua mortua est; iesus autem dixit non est mortua, sed dormit. Utrumque verum est; quasi dicat: mortua est vobis, mihi dormit.

Beda. Hominibus enim mortua erat, qui suscitare nequiverant; Deo dormiebat, in cuius dispositione et anima vivebat, et caro resuscitanda quiescebat. Unde mos apud Christianos obtinuit ut mortui, qui resurrecturi non dubitantur, dormientes vocentur. Sequitur et irridebant eum.

Theophylactus. Derident autem eum tamquam ulterius non posset aliquid facere; sed ipsemet contra seipsum attestantes disputat, tamquam vere mortuam suscitaverit: et ideo miraculosum erit, si suscitaverit eam.

Beda. Quia ergo verbum resuscitantis irridere quam credere malebant, merito foras excluduntur, utpote indigni qui potentiam resuscitantis, ac resurgentis mysterium viderent; unde sequitur ipse vero eiectionis omnibus assumit secum patrem et matrem puellae, etc..

Chrysostomus. Vel ut ostentationem auferret, propter hoc non omnes secum esse sinit; ut vero testes postmodum haberet divinae virtutis, tres praecipuos ex discipulis elegit, et patrem et matrem puellae, tamquam prae omnibus magis necessarios. Manu vero et verbo puellam vivificat; unde sequitur et tenens manum puellae, ait illi: thabitha cumi, quod est interpretatum: puella, tibi dico, surge. Manus enim iesu vivificativa existens, mortuum corpus vivificat, vox autem iacentem excitat; unde sequitur et confestim surrexit puella et ambulavit.

Hieronymus de optimo genere interpret.. Arguat aliquis evangelistam mendacii, quare exponendo addiderit tibi dico; cum in hebraico thabitha, cumi tantum significet puella, surge. Sed ut emphaticoteron faceret et sensum vocantis et imperantis exprimeret, addit tibi dico, surge. Sequitur erat autem annorum duodecim.

Glossa. Hoc evangelista addidit ad ostendendum puellam huius aetatis esse quod poterat ambulare. In ambulatione eius non solum suscitata, sed etiam perfecte sanata ostenditur. Sequitur et obstupuerunt stupore magno; et praecepit illis vehementer, ut nemo id sciret; et iussit illi dari manducare.

Chrysostomus. Ad demonstrandum, quod eam vere suscitaverit et non secundum phantasiam.

Beda. Mystice autem salvata a profluvio sanguinis muliere, mox filia archisynagogi mortua nuntiatur: quia dum ecclesia gentium a vitiorum labe mundata, et ob fidei meritum filia est cognominata, continuo synagoga perfidiae simul et invidiae zelo soluta est; perfidiae quidem, quia in Christo credere noluit; invidiae vero, quia ecclesiam credere doluit. Et quod aiebant nuntii archisynagogi, quid ultra vexas magistrum? per eos hodie dicitur qui a Deo destitutum synagogae statum vident, ut restaurari posse non credant: ideoque pro resuscitatione illius supplicandum non esse aestimant. Sed si archisynagogus, idest coetus doctorum legis, credere voluerit, et subiecta ei synagoga salva erit. Quia vero synagoga laetitiam dominicae inhabitationis merito infidelitatis amisit, quasi inter flentes et eiulantes mortua iacet. Tenens autem puellae manum dominus eam suscitavit: quia nisi prius mundate fuerint manus iudaeorum, quae sanguine plenae sunt, synagoga mortua non resurget. In sanatione autem haemorrhoeae mulieris, et suscitatione puellae, salus ostenditur generis humani, quae a domino ita dispensata est, ut primo aliqui ex israel ad fidem venirent, deinde plenitudo gentium intraret, ac sic omnis israel salvus fieret. Annorum autem duodecim erat puella, et annis duodecim mulier erat passa: quia peccata non credentium apparuerunt in initio fidei credentium: unde dicitur: credidit abraham Deo, et reputatum est ei ad iustitiam.

Gregorius moralium. Moraliter vero redemptor noster puellam in domo, iuvenem vero extra portam, in

sepulcro autem lazarus suscitatur; adhuc quidem in domo mortuus iacet qui latet in peccato; iam extra portam educitur cuius iniquitas usque ad vecordiam publicae perpetrations aperitur; sepulturae vero aggere premitur qui perpetrations nequitiae etiam usu consuetudinis pressus gravatur.

Beda. Et notandum, quod leviores et quotidiani erratus, levioris poenitentiae possunt remedio curari: unde iacentem in conclavi dominus facillima voce puellam resuscitat dicens puella, surge; ut vero quatruiduanus mortuus sepulcri claustra evadere posset, fremuit spiritu, turbavit seipsum, lacrymas fudit. Quanto igitur gravior animae mors, tanto acrior necesse est ut poenitentis fervor insistat. Sed et hoc notandum, quia publica noxa publico eget remedio: unde lazarus de monumento vocatus populis innotuit; levia autem peccata, secreta queunt poenitentia deleri: unde puella in domo iacens paucis arbitris exurgit, eisdemque ut nemini manifestent praecipitur. Turba etiam foris eicitur, ut puella suscitetur: quia si non prius a secretioribus cordis expellitur saecularium multitudo curarum, anima quae intrinsecus iacet mortua, non resurgit. Bene autem surrexit et ambulat: quia anima a peccatis resuscitata, non solum a sordibus scelerum exurgere, sed et in bonis proficere debet operibus, et mox necesse est ut caelesti pane satiatur, divini scilicet verbi et altaris particeps effecta.

MARCUS 6,1-6

6601 (Mc 6,1-6)

Theophylactus. Post praemissa miracula dominus in patriam suam revertitur, non ignorans quoniam spernerent eum, sed ut occasionem non haberent ulterius dicendi: quia si venisses, credidissemus tibi; unde dicitur et egressus inde abiit in patriam suam: et sequebantur eum discipuli sui.

Beda. Patriam eius nazareth dicit, in qua erat nutritus. Sed quanta nazaraeorum caecitas, qui eum quem verbis factisque illius Christum cognoscere poterant, ob solam gentis notitiam contemnunt? sequitur et facto sabbato coepit in synagoga docere; et multi audientes admirabantur in doctrina eius, dicentes: unde huic haec omnia? et quae est sapientia quae data est illi, et virtutes tales quae per manus eius efficiuntur? sapientiam ad doctrinam, virtutes referunt ad sanitates et miracula quae faciebat. Sequitur nonne hic est faber filius mariae? **Augustinus** de cons. Evang.. Matthaesus quidem fabri filium eum dictum esse dicit; nec mirandum est, cum utrumque dici potuerit: eo enim fabrum credebant quo et fabri filium.

Hieronymus. Filius quidem fabri iesus vocatur, sed fabri qui fabricatus est auroram et solem, idest ecclesiam primam, et sequentem; in quarum figura mulier, et puella sanatur.

Beda. Nam etsi humana non sint comparanda divinis, typus tamen integer est: quia pater Christi igne operatur et spiritu. Sequitur frater iacobi, et ioseph, et iudae, et simonis; nonne et sorores eius hic nobiscum sunt? fratres et sorores eius secum esse testantur: qui tamen non liberi ioseph, aut mariae, iuxta haereticos, sunt putandi; sed potius, iuxta morem sacrae scripturae, cognati sunt intelligendi; quomodo abraham, et lot fratres appellantur, cum esset lot filius fratris abraham. Et scandalizabantur in illo. Scandalum et error iudaeorum salus nostra est, et haereticorum condemnatio. Intantum enim spernebant dominum iesum Christum ut eum fabrum, et fabri vocarent filium. Sequitur et dicebat eis iesus, quia non est propheta sine honore nisi in patria sua, et in domo sua, et in cognatione sua. Prophetam dici in scripturis dominum iesum etiam Moyses testis est, futuram eius incarnationem praedicens filiis israel, ait: prophetam vobis suscitabit dominus Deus vester de fratribus vestris. Non solum autem ipse qui dominus est prophetarum, sed et elias, et ieremias ceterique prophetae, minores in patria sua quam in exteris civitatibus habiti sunt: quia propemodum naturale est cives semper civibus invidere: non enim considerant praesentia viri opera, sed fragilem recordantur infantiam.

Hieronymus. Comitatur etiam saepe vilitas originem, ut est illud: quis est filius isai? quia humilia dominus respicit, et alta a longe cognoscit.

Theophylactus. Sive etiam praeclaros consanguineos propheta habeat, cives odiunt eos, et propter hoc dehonorent prophetam. Sequitur et non poterat ibi virtutem ullam facere; nisi paucos infirmos impositis manibus curavit. Quod autem dicit non poterat, intelligere oportet: non volebat: quia non ipse impotens, sed illi infideles erant: ergo ibi non operatur virtutes, parcens eis, ne maiori reprehensione digni essent, etiam factis miraculis non credentes. Vel aliter. In miraculis faciendis necessaria est virtus operantis, et recipientium fides, quae ibi deficiebat: unde non volebat iesus ibi signa facere. Sequitur et mirabatur propter incredulitatem illorum.

Beda. Non quasi inopinata et improvisa miratur qui novit omnia antequam fiant; sed qui novit occulta cordis, quod mirandum intimare vult hominibus, mirari se coram hominibus ostendit: iudaeorum enim miranda notatur caecitas, qui nec prophetis suis credere de Christo, nec ipsi inter se nato voluerunt credere Christo. Mystice autem iesus despicitur in domo, et in patria sua, hoc est in populo iudaeorum; et ideo pauca ibi signa fecit, ne penitus excusabiles ibi fierent. Maiora autem signa quotidie in gentium populo facit, non tam in sanitate corporum quam in animarum salute.

MARCUS 6,6-13

6606 (Mc 6,6-13)

Theophylactus. Non solum in civitatibus praedicabat dominus, sed et in castellis, ut discamus parva non spernere; neque magnas semper quaerere civitates, sed verbum Dei in vicis abiectis et vilibus seminare; unde dicitur et circuibat castella in circuitu docens.

Beda. Benignus autem et clemens dominus, ac magister non invidet servis atque discipulis suis virtutes suas; et sicut ipse curaverat omnem languorem, et omnem infirmitatem, apostolis quoque suis dedit potestatem; unde sequitur et convocavit duodecim, et coepit eos mittere binos, et dabat illis potestatem spirituum immundorum. Sed multa distantia est inter donare et accipere: iste quodcumque agit, potestate domini agit, illi si quid faciunt imbecillitatem suam, et virtutes domini confitentur, dicentes: in nomine iesu surge et ambula.

Theophylactus. Binos autem apostolos mittit, ut fierent promptiores: quia, ut ait ecclesiastes, melius est simul duos esse, quam unum. Si autem plures quam duos misisset, non esset sufficiens numerus ut in plura castella mitterentur.

Gregorius in evang.. Binos autem in praedicationem discipulos mittit, quoniam duo sunt praecepta caritatis: Dei videlicet amor, et proximi, et minus quam inter duos caritas haberi non potest. Per hoc ergo nobis innuit quia qui caritatem erga alterum non habet, praedicationis officium suscipere nullatenus debet. Sequitur et praecepit eis ne quid tollerent in via, nisi virgam tantum; non peram, neque panem, neque in zona aes; sed calceatos sandaliis, et ne induerentur duabus tunicis.

Beda. Tanta enim praedicatori in Deo debet esse fiducia ut praesentis vitae sumptus, quamvis non provideat, tamen hos sibi non deesse certissime sciat, ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus aliis provideat aeterna.

Chrysostomus. Hoc etiam eis dominus praecepit, ut per habitum ostenderent quantum a divitiarum desiderio distabant.

Theophylactus. Instruens etiam eos per hoc non esse amatores munerum, et ut videntes eos praedicare paupertatem, acquiescant, cum apostoli nihil habeant.

Augustinus de cons. Evang.. Vel quia cum, secundum Matthaeum, dominus continue subiecerit: dignus est enim operarius cibo suo, satis ostendit cur eos possidere haec, aut ferre noluerit: non quod necessaria non sint necessitati huius vitae, sed quia sic eos mittebat ut eis hoc deberi demonstraret ab illis quibus evangelium credentibus nuntiarent: unde apparet hoc non ita praecepisse dominum tamquam evangelistae vivere aliunde non debeant, quam eis praebentibus quibus annuntiant evangelium; alioquin contra hoc praeceptum fecit apostolus, qui victum de manuum suarum labore transigebat; sed potestatem dedisse, in qua scirent sibi ista debere. Solet item quaeri quomodo Matthaeus et Lucas commemoraverint dixisse dominum discipulis, ut nec virgam ferrent, cum dicat marcus et praecepit eis ne quid tollerent in via nisi virgam tantum. Quod ita solvitur, ut intelligamus sub alia significatione dictam virgam, quae secundum Marcum ferenda est, et sub alia illam quae secundum Matthaeum et Lucam non est ferenda. Potuit enim sic breviter dici: nihil necessariorum vobiscum feratis nisi virgam tantum, ut illud quod dictum est: nec virgam, intelligatur nec minimas quidem res; quod vero adiunctum est nisi virgam tantum, intellegatur quia per potestatem a domino receptam, quae virgae nomine significata est, etiam quae non portantur, non deerunt. Utrumque ergo dominus dixit; sed quia non utrumque unus evangelista commemoravit, putatur ille qui virgam sub alia significatione positam tollendam dixit, ei qui virgam rursus aliud significantem non tollendam, dixit, esse contrarius; sed iam ratione reddita non putetur. Sic et calceamenta cum dicit Matthaeus in via non esse portanda, curam prohibet: quia ideo cogitantur portanda ne desint. Hoc et de duabus tunicis intelligendum est, ne quisquam eorum praeter eam qua esset indutus, aliam portandam

curaret, sollicitus ne opus esset, cum ex illa potestate posset accipere. Proinde marcus dicendo, calcari eos sandaliis vel soleis, aliquid hoc calceamentum mysticae significationis habere admonet, ut pes neque tectus sit desuper, nec nudus ad terram; idest nec occultetur evangelium, nec terrenis commodis innitatur. Et quod non haberi, vel portari duas tunicas, sed expressius indui prohibet, quid eos monet nisi non dupliciter, sed simpliciter ambulare? quisquis autem putat non potuisse dominum in uno sermone quaedam figurate, quaedam proprie ponere eloquia, cetera eius inspiciat, et videbit, quod hoc temere ac inerudite arbitretur.

Beda. In duabus autem tunicis videtur mihi duplex ostendere vestimentum: non quod in locis scythiae glaciali nive rigentibus, una quis tunica debeat esse contentus; sed in tunica vestimentum intelligamus, ne aliud vestiti, aliud nobis futurorum timore servetur.

Chrysostomus. Vel aliter. Matthaeus et Lucas non calceamenta, neque baculum portare permittit, quod ostendit perfectissimum esse; marcus vero baculum iubet assumere, et sandaliis calcari; quod dictum est permissive.

Beda. Allegorice autem per peram onera saeculi, per panem deliciae temporales, per aes in zona occultatio sapientiae designatur: quia quisquis officium doctoris accipit, neque oneribus saecularium desideriis carnalibus resolvi, neque commissum sibi talentum verbi, sub otio debet lenti torporis abscondere. Sequitur et dicebat eis: quocumque introieritis in domum, illic manete donec exeatis inde: ubi dat constantiae generale mandatum, ut hospitalis necessitudinis iura custodiant, alienum a praedicatore regni caelestis astruens cursitare per domos.

Theophylactus. Ne scilicet de gula contingeret eos reprehendi, ab aliis in alios transeuntes. Sequitur et quicumque non receperint vos, nec audierint vos, exeuntes inde, excutite pulverem de pedibus vestris in testimonium illis. Hoc autem dominus praecepit ut ostenderet quod longam propter eos viam ambulaverunt, et nihil eis profuit: vel quia nihil ab eis acceperunt, etiam neque pulverem; sed et hunc excutiunt, ut hoc sit in testimonium illis, idest in redargutionem illis.

Chrysostomus. Vel ut sit in testimonium laboris viae quam sustinebant pro eis, aut tamquam pulvis peccatorum praedicantium convertatur in ipsos. Sequitur et exeuntes praedicabant ut poenitentiam agerent; et daemonia multa eiciebant, et ungebant oleo multos aegrotos, et sanabantur. Quod oleo ungerent, solus marcus enarrat; iacobus autem in epistola sua canonica similia dicit. Oleum enim et labores curat, et luminis et hilaritatis causa existit. Significat autem oleum unctionis Dei misericordiam, infirmitatis medelam, et cordis illuminationem; quod totum oratio operatur.

Theophylactus. Significat etiam gratiam spiritus sancti, per quam a laboribus transmutamur, et lumen et laetitiam spiritualem suscipimus.

Beda. Unde patet ab ipsis apostolis hunc sanctae ecclesiae morem esse traditum, ut energumini, vel alii quilibet aegroti, ungantur oleo, pontificali benedictione consecrato.

MARCUS 6,14-16

6614 (Mc 6,14-16)

Glossa. Post praedicationem discipulorum Christi, et miraculorum operationem convenienter evangelista subiungit de fama quae consurgebat in populo; unde dicit et audivit herodes rex.

Chrysostomus. Herodes iste filius erat primi herodis, sub quo ioseph iesum duxerat in aegyptum. Tetrarcham autem Matthaeus nominat hunc, atque Lucas tamquam principantem super quartam partem regni patris sui. Romani enim post mortem patris, regnum in partes quatuor diviserunt. Marcus vero regem eum vocat, aut patris consuetudine, aut quia hoc loco eius congruum existebat.

Hieronymus. Sequitur manifestum enim factum est nomen eius: lucernam enim sub modio abscondi fas non est. Et dicebant, scilicet aliqui de turba, quia iohannes baptista resurrexit a mortuis, et propterea operantur virtutes in illo.

Beda. Quanta enim fuit iudaeorum invidia docemur: ecce enim iohannem, de quo dictum est quia signum fecit nullum, a mortuis potuisse resurgere, nullo attestante credebant; iesum autem approbatum a Deo virtutibus et signis cuius resurrectionem angeli, apostoli, viri ac feminae praedicabant, non resurrexisse, sed

furtim esse ablatum credere maluerunt: qui cum dicerent Ioannem resurrexisse a mortuis, et propterea virtutes operatas esse in illo, bene de virtute resurrectionis senserunt, quod maioris potentiae futuri sunt sancti, cum a mortuis resurrexerint, quam fuerunt cum carnis adhuc infirmitate gravarentur. Sequitur alii autem dicebant, quia elias est.

Theophylactus. Confutabat enim multos homines Ioannes quando dicebat: genimina viperarum. Sequitur alii autem dicebant, quia propheta est, quasi unus ex prophetis.

Chrysostomus. Mihi quidem videtur hunc prophetam dicere de quo Moyses dixit: prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris. Recte quidem; sed quia manifeste dicere trepidabant: hic est Christus, moysi utebantur voce, propriam suspicionem velantes, praepositorum suorum timore. Sequitur quo audito, herodes ait: quem ego decollavi Ioannem, hic a mortuis resurrexit. Per ironiam hoc herodes expresse pronuntiat.

Theophylactus. Vel aliter. Sciens herodes quod Ioannem iustum existentem sine causa occiderat, credebat eum a mortuis resurrexisse, et quod ex resurrectione suscepisset miraculorum operationem.

Augustinus de cons. Evang.. In his autem verbis Lucas Marco attestatur, ad hoc dumtaxat quod alii dixerint, non herodes, Ioannem surrexisse; sed haesitantem Lucas, commemoravit herodem, verbaque eius ita posuit dicentis: Ioannem ego decollavi. Quis autem est iste, de quo audio talia? intelligendum est autem post hanc haesitationem confirmasse in animo suo quod ab aliis dicebatur, cum ait pueris suis, sicut Matthaeus narrat: hic est Ioannes baptista, ipse surrexit a mortuis. Aut ita pronuntianda sunt haec verba ut haesitantem adhuc indicent; praesertim quia et Marcus, qui superius dixerat ab aliis dictum fuisse, quod Ioannes a mortuis resurrexit; in extremo tamen ipsum herodem dixisse non tacet. Quem ego decollavi Ioannem, hic a mortuis resurrexit. Quae item verba duobus modis pronuntiari possunt, ut aut confirmantis, aut dubitantis intelligantur.

MARCUS 6,17-29

6617 (Mc 6,17-29)

Theophylactus. Ex praemissis Marcus evangelista occasionem sumens, hic de morte commemorat praecursoris, dicens ipse enim herodes misit, ac tenuit Ioannem et vinxit eum in carcere, propter herodiam uxorem fratris sui quia duxerat eam.

Beda. Vetus narrat historia, philippum herodis maioris filium, sub quo dominus fugit in aegyptum, fratrem huius herodis, sub quo passus est Christus, duxisse herodiam uxorem filiam regis aetiae, postea vero socerum eius, exortis quibusdam contra generum simultatibus, tulisse filiam suam, et in dolorem mariti prioris, herodis inimici eius nuptiis copulasse. Ergo Ioannes baptista arguit herodem et herodiam, quod illicitas nuptias fecerint, et non liceat, fratre vivente germano, illius uxorem ducere.

Theophylactus. Alii autem dicunt, quod philippus iam mortuus reliquerit ex se filiam: quapropter non debebat herodes fratris, quamvis defuncti, uxorem ducere. Lex enim praecipiebat quod frater uxorem fratris acciperet, cum defunctus prolem non haberet; illi autem erat filia, propter quod erant nuptiae sceleratae. Sequitur herodias autem insidiabatur illi, et volebat occidere eum, et non poterat.

Beda. Timebat enim herodias ne herodes aliquando resipisceret, vel philippo fratri suo amicus fieret; atque illicitae nuptiae repudio solverentur. Sequitur herodes autem metuebat Ioannem, quia sciebat eum virum iustum et sanctum.

Glossa. Timebat, inquam, eum reverendo; sciebat enim eum esse iustum, quoad homines, et sanctum, quoad deum; et custodiebat eum, ne scilicet ab herodiade interficeretur; et audito eo multa faciebat: quia putavit eum spiritu Dei loqui; et libenter eum audiebat: quia reputabat utilia quae ab eo dicebantur.

Theophylactus. Vide autem quantum operatur concupiscentiae rabies: quia cum herodes tantam circa Ioannem habebat reverentiam, et timorem, horum fit immemor, ut suae fornicationi provideret.

Remigius super Matth.. Libidinosa enim voluntas eum coegit in illum manum mittere quem sciebat iustum et sanctum. Ac per hoc datur intelligi quia minus peccatum factum est ei causa maioris peccati, secundum illud: qui in sordibus est, sordescat adhuc. Sequitur et cum dies opportunus accidisset, herodes natalis sui coenam fecit principibus, et tribunis, et primis galilaeae.

Beda. Soli mortalium herodes et pharao leguntur diem natalis sui gaudiis festivis celebrasse; sed uterque rex infausto auspicio festivitatem suam sanguine foedavit: verum herodes tanto maiore impietate, quanto sanctum, et innocentem doctorem veritatis occidit; et hoc pro voto ac petitione saltatricis; sequitur enim cumque introisset filia ipsius herodiadis, et saltasset, et placuisset herodi, et simul recumbentibus, rex ait: pete a me quod vis, et dabo tibi.

Theophylactus. Dum enim convivium fit, satanas per puellam saltat, et iusiurandum perficitur sceleratum; sequitur enim et iuravit illi: quia quidquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei.

Beda. Non excusatur ab homicidio per iuramentum: ideo enim forte iuravit, ut occasionem inveniret occidendi; et si patris, aut matris interitum postulasset, non utique concessisset herodes. Sequitur quae cum exisset, dixit matri suae: quid petam? at illa dixit: caput Ioannis baptistae. Digno operi saltationis, dignum postulatur sanguinis praemium. Sequitur cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit dicens: volo ut protinus des mihi in disco caput Ioannis baptistae.

Theophylactus. Maligna mulier protinus sibi caput Ioannis dari petit, idest statim in illa hora; timebat enim ne herodes respisceret. Sequitur et contristatus est rex.

Beda. Consuetudinis est scripturarum ut opinionem multorum sic narret historicus, quomodo eo tempore ab omnibus credebatur: sicut et ioseph ab ipsa quoque Maria appellatur pater iesu; ita et nunc herodes dicitur contristatus, quia hoc discumbentes putabant: dissimulator enim mentis tristitiam praeferebat in facie, cum laetitiam haberet in mente; scelusque excusat iuramento, ut sub occasione pietatis impius fieret; unde sequitur propter iusiurandum, et propter simul discumbentes noluit eam contristare.

Theophylactus. Herodes quidem non sui compos, sed voluptuosus iusiurandum implevit, et iustum interemit. Decebat autem magis in hoc periurare, et non tantum scelus operari.

Beda. Quod autem subdit, et propter simul recumbentes, vult omnes sceleris sui esse consortes, ut in luxurioso, impuroque convivio cruentae epulae deferrentur; unde sequitur sed, misso spiculatore, praecepit afferri caput Ioannis in disco.

Theophylactus. Spiculator carnifex dicitur, qui constituitur ad homines interficiendum.

Beda. Non autem herodem puduit caput occisi hominis ante convivas inferre. Pharao vero nil talis vesaniae commisisse legitur. Ex utroque tamen exemplo probatur utilius esse nobis diem mortis futurae timendo et caste agendo saepius in memoriam revocare, quam diem nativitatis luxuriando celebrare. Homo enim ad laborem nascitur in mundo, et electi ad requiem per mortem transeunt e mundo. Sequitur et decollavit eum in carcere et attulit caput eius in disco, et dedit illud puellae, et puella dedit matri suae.

Gregorius moralium. Non sine gravissima admiratione perpendo, quod ille prophetiae spiritu intra matris uterum impletus, quo inter natos mulierum nemo maior surrexit, ab iniquis in carcerem mittitur, et pro puellae saltu capite truncatur, et vir tantae severitatis pro usu turpium moritur. Numquid credimus aliquid fuisse quod in eius vita, illa sic despecta mors tergeret? sed quando ille vel in cibo peccavit, qui locustas solummodo, et mel silvestre edit? quando conversatione sua offendere potuit, qui de eremo non recessit? quid est quod omnipotens Deus sic vehementer in hoc saeculo despicit quos sic sublimiter ante saecula elegit? nisi hoc quod pietati fidelium patet: quoniam idcirco sic eos premit in infimis, quia videt quomodo remuneret in summis; et foras usque ad despecta deicit, quia intus usque ad incomprehensibilia perducit. Hinc ergo unusquisque colligat, quid illic passuri sint quos reprobant, si hic sic cruciat quos amat. Sequitur quo audito discipuli eius venerunt, et tulerunt corpus eius, et posuerunt illud in monumento.

Beda. Narrat iosephus, vinctum Ioannem in castellum macheronta adductum, ibique truncatum; narrat vero ecclesiastica historia sepultum eum in sebaste palaestinae urbe, quae quondam samaria dicta est. Decollatio autem Ioannis, minorationem famae illius, qua Christus a populo credebatur, insinuat, sicut exaltatio salvatoris in crucem profectum designabat fidei: quia et ipse qui prius a turbis propheta esse credebatur, Dei filius a cunctis fidelibus est agnitus: unde Ioannes quem oportebat minui, cum diurnum lumen decrescere incipit natus est; dominus autem eo tempore anni quo dies crescere incipit.

Theophylactus. Mystice autem herodes, qui interpretatur pelliceus, populus est iudaeorum; qui habebat uxorem, scilicet inanem gloriam, cuius filia saltat, et movetur etiam nunc circa iudaeos, scilicet falsus intellectus scripturarum: decapitaverunt siquidem Ioannem, idest verbum propheticum, et sine capite Christo habent eum.

Hieronymus. Vel aliter. Caput legis, quod est Christus, de corpore abscinditur proprio, idest iudaico populo et datur gentili puellae, idest romanae ecclesiae, et puella dat matri suae adulterae, idest synagogae crediturae in fine. Corpus loannis sepelitur, caput in disco collocatur: littera humata tegitur, spiritus in altari honoratur et sumitur.

MARCUS 6,30-34

6630 (Mc 6,30-34)

Glossa. Postquam evangelista narravit mortem loannis, narrat ea quae Christus cum suis discipulis post mortem loannis egerit, dicens et convenientes apostoli ad iesum, renuntiaverunt ei omnia quae egerant et docuerant.

Hieronymus. Ad locum enim unde exeunt flumina, revertuntur. Deo semper referunt gratias missi super his quae acceperant.

Theophylactus. Discamus autem et nos cum in ministerium aliquod mittimur, non elongari, et ultra commissum officium non efferi; sed mittentem visitare et renuntiare ei omnia quae egimus et docuimus.

Beda. Non enim solum oportet docere, sed facere. Non solum autem quae ipsi egerant et docuerant, apostoli domino renuntiant; sed etiam quae loannes, eis in docendo occupatis, sit passus, et sui, et loannis discipuli domino renuntiant, sicut Matthaueus describit. Sequitur et ait illis: venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum.

Augustinus de cons. Evang.. Hoc continuo post loannis passionem factum esse commemorat: unde post haec facta sunt illa quae primo narrata sunt, quibus motus herodes dixit: hic est loannes baptista quem ego decollavi.

Theophylactus. In desertum autem recedit locum propter humilitatem. Quiescere autem facit Christus suos discipulos, ut addiscant praepositi, quod qui laborant in opere et sermone, requiem promerentur, et quod non debent continue laborare.

Beda. Quae autem necessitas fuerit concedendae requiei discipulis, ostendit cum subdit erant enim qui veniebant et redibant multi; et nec spatium manducandi habebant: ubi temporis illius felicitas de labore docentium simul, et discipulorum studio demonstratur. Sequitur et ascendentes in navim abierunt in desertum locum seorsum. Non discipuli soli, sed assumpto domino ascendentes in navim locum petiere desertum, ut Matthaueus demonstrat. Tentat autem fidem turbarum: petendo enim solitudinem, an sequi curent explorat: illi sequendo, et non in iumentis, aut vehiculis diversis sed proprio labore pedum, quantam salutis suae curam gerant, ostendunt. Sequitur et viderunt eos abeuntes, et cognoverunt multi, et pedestres de omnibus civitatibus cucurrerunt illuc, et praevenerunt eos. Dum pedestres eos praevenisse dicuntur, ostenditur quia non in aliam maris, sive iordanis ripam navigio pervenerunt discipuli cum domino, sed proxima eiusdem regionis loca adierunt, quo etiam indigenae pedestres poterant praevenire.

Theophylactus. Ita tu Christum non expectans quod ipse revocet, sed praecurrens eum, praevenias. Sequitur et exiens vidit turbam multam iesus, et misertus est super eos, quia erant sicut oves non habentes pastorem. Pharisei lupi existentes rapaces, non pascebant populum, sed devorabant: propter hoc ad Christum verum congregantur pastorem; qui tradidit illis cibum spiritualem, scilicet verbi Dei; unde sequitur et coepit eos docere multa. Videns enim eos qui miraculorum occasione eum sequebantur prae longitudine viae fessos, eorum misertus, voluit eorum satisfacere voluntati, docendo eos.

Beda. Matthaueus dicit, quod curavit languidos eorum: hoc est enim veraciter pauperum misereri, eis veritatis viam docendo aperire, et molestias corporis auferre.

Hieronymus. Mystice autem seorsum ducit dominus quos elegit, ut inter malos viventes, mala non intendant, ut lot in sodomis, et iob in terra hus, et abdias in domo achab.

Beda. Derelicta etiam iudaea, in deserto ecclesiae praedicatores sancti, qui apud iudaeos tribulationum sarcina premebantur, de gratia fidei gentibus collata requiem nacti sunt.

Hieronymus. Pusilla tamen est hic sanctis requies, longus labor; sed postea dicitur illis ut requiescant a

laboribus suis. Sicut autem in arca noe animalia quae intus erant, foris mittebantur, et quae foris erant, intro erumpebant; sic agitur in ecclesia: iudas recessit, latro accessit. Sed quamdiu receditur a fide in ecclesia, non est requies sine moerore: rachel enim plorans filios suos noluit consolari. Non est etiam hoc convivium, in quo bibitur vinum novum cum cantabitur canticum novum ab hominibus novis, cum mortale hoc induerit immortalitatem.

Beda. Christum autem petentem deserta gentium, multae fidelium catervae relictis moenibus priscae conversationis sequuntur.

MARCUS 6,35-44

6635 (Mc 6,35-44)

Theophylactus. Praeponens dominus quod utilius est, scilicet cibum sermonis Dei, deinde etiam corporalem cibum praebuit turbae; ad cuius narrationem evangelista accedit, dicens et cum iam hora multa fieret, accesserunt discipuli eius dicentes: desertus est locus hic.

Beda. Horam multam vespertinum tempus dicit; unde Lucas dicit: dies autem coeperat declinare.

Theophylactus. Vide autem quomodo discipuli Christi circa hominum amorem proficiunt: turbarum enim miseri accedunt ad Christum, et pro eis intercedunt. Dominus autem tentavit eos si eius virtutem tantam esse cognoverant quod turbas pascere posset; unde sequitur et respondens ait illis: date eis manducare.

Beda. Provocat etiam apostolos, hoc dicens, ad fractionem panis, ut illis se non habere testantibus magnitudo signi notior fieret.

Theophylactus. Discipuli autem arguebant eum tamquam ignorantem quid illis esset necessarium ad tantam multitudinem turbarum pascendam: unde turbati respondent; sequitur enim et dixerunt ei: euntes emamus ducentis denariis panes, et dabimus illis manducare.

Augustinus de cons. Evang.. Hoc philippus apud loannem respondet; sed marcus a discipulis responsum esse commemorat; volens intelligi hoc ex ore ceterorum philippum respondisse; quamquam et pluralem numerum pro singulari usitatissime ponere potuerit. Sequitur et dicit eis: quot panes habetis? ite, et videte. Hoc a domino factum esse ceteri evangelistae praetermiserunt. Sequitur et cum cognovissent, dicunt: quinque, et duos pisces. Quod andreas apud loannem de quinque panibus, et duobus piscibus suggesserat, hoc ceteri evangelistae pluralem numerum pro singulari ponentes, ex discipulorum persona retulerunt. Sequitur et praecepit illis ut accumbere facerent omnes secundum contubernia super viride faenum. Et discubuerunt in partes per centenos et quinquagenos. Quod autem Lucas dicit quinquagenos iussos esse discumbere, marcus vero quinquagenos et centenos, ideo non hoc movet, quia unus partem dicit, alter totum: qui enim de centenariis retulit, hoc retulit quod ille praetermisit.

Theophylactus. Per hoc autem datur intelligi, quod separatim discubuerunt per partes et partes: quod enim hic dicitur per contubernia, in graeco geminate dicitur, symposia symposia; hoc est, per distributa convivia. Sequitur et acceptis quinque panibus et duobus piscibus, intuens in caelum, benedixit, et fregit panes, et dedit discipulis, ut ponerent ante eos; et duos pisces divisit omnibus.

Chrysostomus in Matth.. Decenter autem in caelum aspexit: quia in deserto manna accipientes iudaei, de Deo dicere attentaverunt: numquid poterit dare panem? ne vero hoc contingat, antequam faceret, ad patrem retulit quod erat facturus.

Theophylactus. Intuetur etiam in caelum, ut nos instrueret a Deo petere escam, et non a diabolo, sicut faciunt illi qui alienis iniuste laboribus nutriuntur. Ex hoc etiam turbis tunc innuit quod non esset Deo contrarius, sed deum invocaret. Dat autem panem discipulis apponendum turbis, ut tractando panem non dubium, sed miraculum videatur. Sequitur et manducaverunt omnes, et saturati sunt. Et sustulerunt reliquias fragmentorum duodecim cophinos. Duodecim cophini superabundant fragmentorum, ut quolibet apostolorum unum cophinum super humerum apportante, ineffabile miraculum videatur. Superabundantis enim virtutis erat non solum tot homines pascere, sed et tantam superabundantiam relinquere fragmentorum: Moyses enim etsi manna dabat, secundum uniuscuiusque necessitatem illud largiebatur, superfluum vero vermibus scaturiebat; elias etiam viduam pascens, quantum ei erat sufficiens tribuebat; iesus vero tamquam dominus superabundanter operabatur.

Beda. Mystice autem die declinata turbas esurientes salvator reficit: quia vel fine saeculorum propinquante, vel cum sol iustitiae pro nobis occubuit, a spiritualis inediae sumus tabe salvati. Provocat apostolos ad fractionem panis, insinuans quod quotidie per eos ieiuna sunt corda nostra pascenda, eorum scilicet litteris et exemplis. Per quinque panes, quinque mosaicae legis libri; per duos pisces, psalmi sunt et prophetae figurati.

Theophylactus. Vel duo pisces sunt piscatorum sermones, scilicet epistolae et evangelium.

Beda. Quia vero quinque sunt exterioris hominis sensus, quinque millia viri dominum secuti designant eos qui in saeculari adhuc habitu positi exterioribus bene uti noverunt.

Gregorius moralium. Diversi convivantium discutibus distinctiones ecclesiarum, quae unam catholicam faciunt, designant. Iubilaei autem requies quinquagenarii numeri mysterio continetur; et quinquagenarius bis ducitur, ut ad centenarium perveniatur. Quia ergo prius a malo quiescitur opere, ut post anima plenius quiescat in cognitione, alii quinquagenarii, alii centeni discumbunt.

Beda. Super faenum autem discumbentes dominicis pascuntur alimentis, qui per continentiam calcatis concupiscentiis, audiendis implendisque Dei verbis operam impendunt. Salvator autem non nova creat cibaria: quia veniens in carne non alia quam quae praedicata sunt praedicat; sed legis, et prophetarum scripta quam gravida sint mysteriis gratiae demonstrat. Intuetur in caelum, ut ibi lucem doceat esse quaerendam. Frangit, et ante turbas ponenda distribuit discipulis: quia sacramenta prophetiae sanctis doctoribus, qui haec toto orbe praedicent, patefecit. Quod turbis superest, a discipulis tollitur: quia secretiora mysteria, quae a rudibus capi nequeunt, non negligenter omittenda, sed sunt inquirenda perfectis. Nam per cophinos duodecim apostoli, et sequentes doctores figurantur, foris quidem hominibus despecti, sed intus salutaris cibi reliquiis cumulati. Constat enim cophinis opera servilia geri solere.

Hieronymus. Vel duodecim cophini pleni fragmentis colliguntur, cum sedent super thronos iudicantes duodecim tribus israel, qui sunt fragmenta abraham, isaac et iacob, quando ex israel reliquiae salvae fient.

MARCUS 6,45-52

6645 (Mc 6,45-52)

Glossa. Dominus quidem in miraculo panum, quod esset conditor rerum ostendit, nunc autem ambulando super undas, quod haberet corpus ab omnium peccatorum gravedine liberum edocuit; et in placando ventos, undarumque rabiem sedando, quod elementis dominaretur monstravit; unde dicitur et statim coegit discipulos suos ascendere navim, ut praecederent eum trans fretum ad bethsaidam, dum ipse dimitteret populum.

Chrysostomus. Dimittit quidem populum in benedictione, et aliquibus curationibus. Coegit autem discipulos, quia non de facili ab eo poterant separari; et hoc quidem tum propter nimium affectum quem ad eum habebant, tum quia sollicitabantur qualiter ad eos veniret.

Beda. Merito autem movet quomodo marcus dicat, peracto miraculo panum, discipulos venisse trans fretum ad bethsaidam, cum videatur Lucas dicere, quod in locis bethsaidae factum fuerit miraculum illud; nisi forte intelligamus, quod Lucas ait in desertum locum, qui est bethsaida, non ipsius intima civitatis, sed loca deserti ad eam pertinentis esse designata. Marcus autem dicit ut praecederent eum ad bethsaidam; ubi ipsa civitas notatur. Sequitur et cum dimisisset eos, abiit in montem orare.

Chrysostomus. Quod decet intelligere de Christo secundum quod est homo: hoc etiam fecit instruens nos assiduos esse in oratione.

Theophylactus. Dimissa autem turba, ascendit orare: requiem enim et silentium oratio exigit.

Beda. Non omnis autem qui orat, ascendit in montem; sed qui bene orat, qui deum orando quaerit; qui vero de divitiis aut honore saeculi, aut de inimici morte obsecrat, ipse in infimis iacens viles ad deum preces mittit. Quare autem dominus dimisso populo in montem oraturus abierit, Ioannes declarat dicens: iesus ergo, cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus. Sequitur et cum sero esset, erat navis in medio mari, et ipse solus in terra.

Theophylactus. Permisit autem dominus periclitari discipulos, ut patientes fierent: unde non statim eis astitit, sed per totam noctem periclitari permisit, ut doceret eos patienter expectare, et non a principio sperare in tribulationibus subsidium; sequitur enim et videns eos laborantes in remigando (erat enim ventus contrarius eis) et circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare.

Chrysostomus. Quatuor vigiliis noctis dicit sacra scriptura, unamquamque dividens in tres horas: unde quartam vigiliam dicit quae est post horam nonam, scilicet in hora decima, vel posteriori hora. Sequitur et volebat praeterire eos.

Augustinus de cons. Evang.. Quomodo autem hoc intelligere potuerunt, nisi quia in diversum ibat, eos volens praeterire tamquam alienos, a quibus ita non agnoscebatur ut phantasma putaretur? sequitur enim at illi ut viderunt eum ambulantem supra mare, putaverunt phantasma esse, et exclamaverunt: omnes enim viderunt eum, et conturbati sunt.

Theophylactus. Vide autem quoniam cum Christus debebat eorum pericula compescere, tunc maiorem eis incutit timorem; sed statim per vocem confortavit eos; sequitur enim et statim locutus est cum eis, et dixit eis: confidite, ego sum; nolite timere.

Chrysostomus. Statim autem in voce cognoverunt eum, et timor solutus est.

Augustinus de cons. Evang.. Quomodo ergo eos volebat praeterire quos paventes ita confirmat, nisi quia illa voluntas praetereundi ad eliciendum illum clamorem valebat cui subveniri oportebat? **Beda.** Scripsit autem theodotus, pharanitanus quondam episcopus, corporale pondus non habuisse dominum secundum carnem, sed absque pondere super mare ambulasse; sed fides catholica pondus secundum carnem habere eum praedicat. Nam dionysius egregius inter scriptores, in opusculo de divinis nominibus hoc modo loquitur. Ignoramus qualiter non infusus pedibus corporale pondus habentibus, et materiale onus, deambulabat in humidam et instabilem substantiam? Theophylactus. Deinde per introitum in naviculam dominus compescuit tempestatem; sequitur enim et ascendit ad illos in navim, et cessavit ventus. Magnum quidem miraculum est quod ambulat dominus super mare; sed tempestas et venti contrarietas appositae fuerunt propter maius miraculum. Apostoli enim ex miraculo quinque panum non intelligentes Christi potentiam, nunc ex maris miraculo plenius cognoverunt; unde sequitur et plus magis intra se stupebant: non enim intellexerant de panibus.

Beda. Stupebant quidem carnales adhuc discipuli virtutum magnitudinem, nedum tamen in eo veritatem divinae maiestatis cognoscere valebant; unde sequitur erat enim cor eorum obcaecatum. Mystice autem labor discipulorum in remigando et ventus contrarius, labores sanctae ecclesiae designat, quae inter undas saeculi adversantes, et immundorum flatus spirituum, ad quietem patriae caelestis pervenire conatur. Bene autem dicitur, quia navis erat in medio maris, et ipse solus in terra: quia nonnunquam ecclesia tantis gentilium pressuris afflicta est, ut redemptor ipsius eam prorsus deseruisse videretur. Sed videt dominus suos laborantes in mari: quia eos ne in tribulationibus deficiant, suae respectu pietatis corroborat, et aliquando manifesto adiutorio liberat. Quarta autem vigilia venit ad eos diluculo appropinquante: quia homo mentem cum ad superni lumen praesidii erexerit, aderit dominus, et tentationum pericula sopientur.

Chrysostomus. Vel prima vigilia est usque ad diluvium, secunda usque ad Moysen, tertia usque ad adventum domini, in quarta venit dominus, et discipulis locutus est.

Beda. Saepe autem fideles in tribulatione positos superna pietas deseruisse visa est, ut quasi laborantes in mari discipulos praeterire iesus voluisse putaretur. Adhuc autem haeretici putant phantasma fuisse dominum, nec veram assumpsisse carnem de virgine.

Hieronymus. Dicit autem eis confidite: ego sum: quia videbimus eum sicuti est. Cessavit autem ventus, et procella, iesu sedente, idest regnante, in navi, quae est universa ecclesia.

Beda. In quocumque etiam corde per gratiam sui adest amoris, mox universa vitiorum et adversantis mundi, sive spirituum malignorum bella compressa quiescunt.

MARCUS 6,53-56

Glossa. Quia evangelista exposuerat periculum quod discipuli in navigando sustinuerant, et quomodo fuerant liberati, nunc ostendit quo navigando pervenerint, dicens et cum transfretassent pervenerunt in terram genezareth, et applicuerunt.

Theophylactus. Post magnum autem spatium temporis ad praedictum locum dominus transfretavit; et ideo evangelista subdit cumque egressi essent de navi, continuo cognoverunt eum, scilicet incolae.

Beda. Cognoverunt autem eum rumore, non facie; vel prae signorum magnitudine, et vultu plurimis notus erat. Vide autem quanta fides sit hominum terrae genezareth, ut non praesentium tantum salute contenti sint, sed mittant ad alias per circuitum civitates, quo omnes currant ad medicum; unde sequitur et percurrentes universam regionem illam, coeperunt in grabatis illos qui se male habebant, circumferre, ubi audiebant eum esse.

Theophylactus. Non enim ad domos invitabant eum ut curaret, sed magis ipsi male habentes afferebant ad eum; unde etiam sequitur et quocumque introibat in vicos, aut in villas, aut in civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Miraculum enim quod circa mulierem haemorrhoeisam contigerat, ad aures multorum devenerat, et multam fidem eis dabat, ex qua sanabantur; sequitur enim et quotquot tangebant eum, salvi fiebant.

Beda. Mystice autem fimbriam vestimenti eius minimum mandatum intellige; quod quicumque transgressus fuerit, minimus vocabitur in regno caelorum: vel assumptionem carnis, per quam venimus ad verbum Dei, et illius postea fruimur maiestate.

Hieronymus. Quod autem dicitur et quotquot tangebant eum, salvi fiebant, implebitur quando fugiet dolor, et gemitus.

MARCUS 7,1-13

6701 (Mc 7,1-13)

Beda. Homines terrae genezareth, qui minus docti videbantur, non solum ipsi veniunt, sed et suos infirmos adducunt ad dominum, ut vel fimbriam eius mereantur contingere. At vero pharisaei et scribae, qui doctores esse populi debuerant, non ad quaerendam medelam, sed ad movendas quaestionum pugnas ad dominum concurrunt; unde dicitur et convenerunt ad eum pharisaei, et quidam de scribis venientes ab ierosolymis; et cum vidissent quosdam ex discipulis eius communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperaverunt.

Theophylactus. Discipuli namque domini instructi ea quae virtutis tantum sunt operari, non lotis manibus simpliciter comedebant. Pharisaei autem volentes occasionem invenire, hoc acceperunt; et non utique vituperabant eos, ut legis transgressores, sed quia traditiones seniorum transgrediebantur; unde sequitur pharisaei enim, et omnes iudaei, nisi crebro laverint manus, non manducant, tenentes traditionem seniorum. **Beda** in marc.. Spiritualia enim prophetarum verba carnaliter accipientes, quae illi de cordis et operis castigatione praecipiebant dicentes: lavamini et mundi estote; et: mundamini qui fertis vasa domini, isti de corpore solo lavando servabant. Superstitiosa ergo est hominum traditio, semel lotos ob manducandum panem crebrius lavare, et a foro, nisi baptizentur, non comedere. Sed necessarium est eos qui panem de caelo descendente participare desiderant, crebro eleemosynis, lacrimis et aliis iustitiae fructibus sua opera purgare. Necessarium etiam est inquinamenta, quae ex temporalibus negotiorum curis quisquam contraxerit, subsequenti bonarum cogitationum, et actuum permundet instantia. Frustra autem iudaei lavant manus, et a foro baptizantur, quamdiu contemnunt fonte ablui salvatoris: in vanum baptisma servant vasorum qui corporum suorum et cordium negligunt abluere sordes. Sequitur et interrogabant eum pharisaei et scribae: quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum, sed communibus manibus manducant panem? **Hieronymus** super Matth.. Mira pharisaeorum scribarumque stultitia. Dei filium arguunt quare traditiones hominum et praecepta non servet. Commune autem hic pro immundo ponitur: populus enim iudaeorum, partem Dei se esse iactans, communes cibos vocat quibus omnes utuntur.

Hieronymus. Pharisaeorum autem superfluum latratum furca rationis obtundit, id est moysi et isaiae interpretatione, ut nos adversantes haereticos verbo scripturae vincamus; unde sequitur at ille respondens ait: bene prophetavit isaias de vobis, hypocritae, sicut scriptum est: populus hic labiis me honorat; cor autem eorum longe est a me.

Chrysostomus in Matth.. Quia enim non de legis transgressione, sed seniorum, discipulos accusabant, iniuriose ipsos confundit, hypocritas vocans, quasi commendantes cum reverentia quadam id quod non conveniebat. Superaddit autem isaiae prophetae verbum, quasi de eis dictum; ac si diceret: sicut hi de quibus dicitur, quod deum labiis honorant, cor autem eorum ab eo longe est, in vanum pietatem custodire se dicunt, doctrinas hominum honorantes; ita et vos qui derelinquitis id quod interius curabile est, et iustitiam colentes accusatis.

Hieronymus. Traditio autem pharisaica in mensis et vasis abscindenda est et radenda: saepe enim traditionibus hominum mandata Dei cedunt; unde sequitur derelinquentes mandata Dei, tenetis traditiones hominum, baptismata urceorum.

Chrysostomus in Matth.. Ut autem eos arguat tamquam Dei reverentiam non servantes, propter traditionem a senioribus factam, divinis scripturis oppositam, subiungit Moyses enim dixit: honora patrem et matrem tuam; et: qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur.

Beda. Honor in scripturis non tantum in salutatione et officiis deferendis, quantum in eleemosyna ac munerum collatione sentitur: honora, inquit apostolus, viduas quae vere viduae sunt.

Chrysostomus. Tali autem existente divina lege, ac talibus ministris transgredientibus illatis, vos de levi divinum transgredimini praeceptum, observantes seniorum traditiones; unde sequitur vos autem dicitis: si dixerit homo patri aut matri: corban, quod est donum, quodcumque ex me tibi proderit; supple: liber erit ab observatione praemissi mandati; unde sequitur et ultra non dimittitis eum quicquam facere patri suo aut matri.

Theophylactus. Volentes enim pharisei quae offerebantur comedere, instruebant filios, quod cum peculia aliqua habebant, et parentes haec peterent, responderent illis; corban, hoc est donum, quod a me petis, iam obtuli domino; et ita haec non exquirent, quasi domino oblata, idest ad salutem parentum proficua: et sic decipiebant filios, ut parentes non honorarent, et ipsi oblata devorarent. Hoc ergo dominus exprobrat eis, quia propter lucrum legem divinam transgrediebantur; unde sequitur rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis. Et multa similia huiusmodi facitis, scilicet transgredientes praecepta Dei, ut observetis hominum traditiones.

Chrysostomus in Matth.. Vel potest dici, quod pharisei iuvenes docebant, quod si quis pro iniuria patri aut matri illata munus offerret Deo, erat immunis, quasi Deo dans munera quae patri debentur; et hoc dicentes parentes honorari non permittebant.

Beda. Potest autem et hunc breviter habere sensum: munus quod ex me est, tibi proderit. Compellitis, inquit, filios ut dicant parentibus suis: quodcumque donum oblaturus eram Deo, in tuos consumo cibos, tibi prodest, o pater et mater; quasi dicant: non prodest; ut sic illi timentes accipere quod Deo videbant mancipatum, inopem magis vellent vitam ducere, quam edere de consecratis.

Hieronymus. Mystice autem discipulos non lotis manibus manducare, futuram gentium communionem significat. Munditia et baptismata pharisaicum sterile est: communicatio non lota apostolica extendit palmites suos usque ad mare.

MARCUS 7,14-23

6714 (Mc 7,14-23)

Chrysostomus. Iudaeis considerantibus corporalem munditiam legis, et de hac murmurantibus, dominus contrarium vult introducere; unde dicitur et advocans iterum turbam, dicebat illis: audite me omnes, et intelligite. Nihil est extra hominem introiens in eum quod possit eum coinquinare; sed quae de homine procedunt, illa sunt quae coinquinant hominem; idest immundum faciunt. Ea enim quae Christi sunt, intra hominem considerantur; ea vero quae legis sunt, magis cernuntur extra hominem; quibus quasi corporalibus crux Christi finem in brevi dare debebat.

Theophylactus. Hoc autem dominus dicit, volens instruere homines, quod observationes escarum, quas lex commemorat, non oportet corporaliter intelligere; et ex hoc intentionem legis eis manifestare inceptit.

Chrysostomus. Subiungit autem si quis habet aures audiendi, audiat. Non enim manifeste aperuerat quae

essent illa quae de homine procedebant, et hominem coinquant, et propter hoc verbum apostoli crediderunt quod aliud profundum praedictus domini sermo innueret; unde sequitur et cum introisset in domum a turba, interrogabant eum discipuli eius parabolam. Parabolam autem immanifestum sermonem vocabant.

Theophylactus. Dominus autem prius increpat; unde sequitur et ait illis: sic et vos imprudentes estis? **Beda.** Vitiosus enim est auditor qui obscura manifeste, aut manifeste dicta obscure vult intelligere.

Theophylactus. Deinde dominus manifestat id quod erat occultum, dicens: non intelligitis quia omne extrinsecus introiens in hominem non potest eum coinquare? **Beda.** Iudaei enim se partem Dei iactantes, communes cibos vocant quibus omnes homines utuntur, ut ostrea, lepores, et huiusmodi animalia. Nec etiam idolothyum, in quantum cibus, et Dei creatura est, sed daemonum invocatio hoc facit immundum. Et causam subdit, dicens quia non intrat in cor eius. Animae locus principalis, iuxta platonem, in cerebro; sed, iuxta Christum, in corde est.

Glossa. Dicitur ergo in cor eius, idest in mentem, quae est principalis pars animae, ex qua tota hominis vita dependet; unde secundum eam necesse est hominem mundum, vel immundum aestimari; et sic ea quae ad mentem non perveniunt, non possunt homini immunditiam afferre. Cibi ergo quia ad mentem non perveniunt, secundum suam naturam hominem inquinare non possunt; sed inordinatus ciborum usus, qui ex inordinatione provenit mentis, ad hominis immunditiam pertinet. Quod autem cibi ad mentem non perveniant, ostendit per id quod subdit, dicens sed in ventrem vadit, et in secessum exit, purgans omnes escas. Hoc autem dicit, ne intelligatur quod inde ex cibus in corpore maneat. Manet enim quod est necessarium ad corporis nutrimentum et augmentum; egreditur autem quod est superfluum, quasi purgatio quaedam interius remanentis nutrimenti.

Augustinus in lib. 83 quaest.. Quaedam enim sic accedunt ut etiam mutant, et mutantur; sicut et ipse cibus amittens speciem suam, in corpus nostrum vertitur, et nos refecti in robur commutamus. Sed et tenuissimus humor, cum in venis, et aliis esca et digesta, per occultos meatus, quos graeci poros vocant, dilabitur, et in secessum vadit.

Beda. Sic ergo cibi non faciunt homines immundos, sed malitia, quae operatur passiones ab interioribus procedentes; unde sequitur dicebat autem, quoniam quae de homine exeunt, illa coinquant hominem.

Glossa. Cuius rationem significat cum subdit ab intus enim de corde hominis cogitationes malae procedunt. Et sic patet quod malae cogitationes ad mentem pertinent, quae hic cor nominantur; secundum quam homo dicitur bonus vel malus, mundus vel immundus.

Beda. Hinc autem arguuntur qui cogitationes a diabolo immittere putant, non ex propria nasci voluntate. Diabolus incitor, et auditor malarum cogitationum esse potest: auctor esse non potest.

Glossa. Ex malis autem cogitationibus ulterius mali actus procedunt; de quibus subditur adulteria, quae in violatione alieni tori consistunt; fornicationes, quae sunt illiciti coitus personarum matrimonio solutarum; homicidia, quibus in personas proximorum nocentur; furta, quibus res subtrahuntur; avaritiae, in quantum aliqua iniuste retinentur; nequitiae, quae consistunt in proximorum calumniis; dolus, in eorum deceptione; impudicitiae, quantum ad quamlibet corruptionem mentis, vel corporis.

Theophylactus. Oculus malus, idest odium, et adulatio: nam qui odit, oculum malum et invidum habet ad eum quem odit; et adulator non recto oculo videns quae sunt proximi, ad malum ipsum deducit; blasphemiae, idest iniuriae in deum; superbia, idest Dei contemptus, dum scilicet quis bonum quod operatur, non Deo, sed suae virtuti ascribit; stultitia, idest iniuria in proximum.

Glossa. Vel stultitia est cum non recte de Deo sentitur: contrariatur enim sapientiae, quae est divinarum rerum cognitio. Sequitur omnia haec mala ab intus procedunt et coinquant hominem. Hoc enim in culpam homini imputatur quod in sua potestate existit. Talia autem sunt quae procedunt ab interiori voluntate, per quam homo est suorum actuum dominus.

MARCUS 7,24-30

6724 (Mc 7,24-30)

Theophylactus. Postquam de escis dominus docuerat, videns incredulos esse iudaeos, fines ingreditur

gentium: iudaeis enim infidelibus existentibus, salus ad gentes convertitur; unde dicitur et inde surgens abiit in fines tyri et sidonis.

Chrysostomus. Tyrus et sidon loca chananaeorum erant. Venit igitur ad eos dominus, non tamquam ad propinquos, sed tamquam ad eos quibus nihil est commune ad patres, quibus promissio facta est: et ideo sic venit, ut adventus suus tyriis et sidoniis non appareret; unde sequitur et ingressus domum neminem voluit scire: nondum enim tempus advenerat ut cum gentibus habitaret, et eas ad fidem adduceret: huius enim tempus debitum erat post crucem et resurrectionem.

Theophylactus. Vel ideo clam ingreditur, ne occasionem iudaei sumerent contra eum, tamquam ad immundas gentes transisset. Sequitur et non potuit latere.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam.. Si autem voluit, et non potuit, infirma voluntas eius esse videtur. Impossibile est autem ut salvatoris voluntas non impleatur, nec potest velle quod scit fieri non debere; idcirco quod factum est, hoc voluisse dicendus est. Advertendum est autem, quod istud in finibus gestum est gentilium, quibus adhuc tempus praedicandi non erat; ultro tamen venientes ad fidem non suscipere invidiae erat. Sic ergo factum est ut salvator a discipulis proditus non esset, ab aliis tamen qui ingredientem domum viderant, proditus est, et incepit sciri quod esset in domo. A suis ergo noluit praedicari; requiri autem se voluit; et ita factum est.

Beda. Ingressus etiam domum praecepit discipulis ne se cuiquam in regione ignota quis esset aperirent, ut exemplo eius discerent, quibus sanandi infirmos gratiam conferret, in exhibitione miraculorum humani favoris gloriam quantum possent declinare, nec tamen a pio virtutis opere cessare, quando hoc fieri vel fides bonorum iuste mereretur, vel infidelitas pravorum necessario cogeret. Ipse enim suum illo introitum gentili feminae, et quibuscumque voluit publicavit.

Augustinus. Denique mulier chananaea audiens de illo intravit ad eum; quae nisi prius subiecisset se Deo, iudaeorum beneficium consecuta non esset; de qua sequitur mulier enim statim ut audivit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, intravit, et procidit ad pedes eius.

Chrysostomus. Per hoc autem voluit dominus discipulis ostendere quod etiam gentibus aperuit ostium salutis; unde et mulieris genus describitur cum subditur erat enim mulier gentilis syrophoenissa genere, idest de syria phoenicis. Sequitur et rogabat eum ut daemonium eiceret de filia eius.

Augustinus de cons. Evang.. Videtur autem afferre aliquam repugnantiae quaestionem, quia dicit in domo fuisse dominum, cum ad illum venit mulier pro filia sua rogans. Sed quoniam Matthaeus dicit discipulos domino ita suggessisse: dimitte illam, quoniam clamat post nos, nihil aliud videtur significare quam post ambulanti dominum mulierem illam deprecatorias voces emisisse. Quomodo ergo in domo, nisi quia intelligendum est dixisse quidem Marcum, quod intraverit ubi erat iesus, cum eum praedixisset fuisse in domo? sed quia Matthaeus ait: non respondit ei verbum, dedit agnoscere in eo silentio egressum fuisse iesum de domo illa; atque ita cetera contexuntur quae iam in nullo discordant. Sequitur qui dixit illi: sine prius saturari filios.

Beda. Quasi dicat: futurum est ut etiam vos, qui de gentibus estis, salutem consequamini; sed prius oportet iudaeos, qui merito antiquae dilectionis, filiorum Dei solent nomine censi, pane caelesti refici; et sic tandem gentibus vitae pabula ministrari. Sequitur non est bonum sumere panem filiorum et mittere canibus.

Chrysostomus. Hoc autem verbum dixit: non quod in eo sit defectus virtutis ad benefaciendum omnibus, sed quia beneficium eius distributum iudaeis et gentibus, communionem inter se non habentibus, provocationem magis operaretur.

Theophylactus. Canes vocat gentiles, tamquam a iudaeis sceleratos reputatos; panem vero dicit beneficium, quod filiis, idest iudaeis, dominus promisit. Est ergo sensus, quod non decet gentiles beneficii primo esse participes, quod iudaeis principaliter promissum est. Ideo autem dominus non statim exaudit, sed gratiam differt, ut etiam ostendat mulieris fidem constantem, et ut discamus non statim deficere cum oramus, sed ut insistamus donec recipiamus.

Chrysostomus. Similiter etiam ut iudaeis ostenderet, quod non aequaliter eis dabat, et alienigenis sanitatem, et ut patefacta mulieris fide, magis patefieret infidelitas iudaeorum. Mulier enim non graviter tulit, sed vocem domini cum multa reverentia confirmavit; unde sequitur at illa respondit, et dixit ei: utique, domine: nam et catelli comedunt sub mensa de micis puerorum.

Theophylactus. Quasi dicat: iudaei panem totum habent, scilicet descendente de caelo, et tua etiam

beneficia; ego micas postulo, scilicet modicam beneficii partem.

Chrysostomus. Quod ergo in ordine canum se reputat, reverentiae est; quasi dicat: pro gratia habeo etiam in numero canum esse, et non ab aliena, sed a propria mensa comedere dominantis.

Theophylactus. Quia ergo mulier sapientissime respondebat, obtinuit quod optabat; unde sequitur et ait illi, etc.. Non dixit: virtus mea te salvam fecit; sed propter hunc sermonem, idest propter fidem tuam, quae hoc de sermone demonstratur, vade; exiit daemonium a filia tua. Sequitur et cum abiisset in domum suam invenit puellam iacentem supra lectum, et daemonium exiisse.

Beda. Propter humilem enim matris, fidelemque sermonem filiam deseruit daemonium: ubi datur exemplum catechizandi et baptizandi infantes: quia videlicet per fidem et confessionem parentum in baptismo liberantur a diabolo parvuli, qui necdum per se sapere, vel aliquid agere boni possunt vel mali.

Hieronymus. Mystice autem mulier gentilis quae pro filia rogat, est mater nostra romana ecclesia. Nata eius daemionica barbarica est occidentalis natio; cuius fides fecit de cane ovem. Micas autem spiritualis intellectus, non panem infractum litterae sumere cupit.

Theophylactus. Unusquisque etiam nostrum cum peccat, mulier est anima eius. Infirmam vero filiam habet haec anima actus pravos; quae filia daemonium habet: nam actus pravi daemonum sunt. Peccatores autem existentes, nuncupantur catuli impleti immunditiis. Propter quod non sumus digni panem Dei recipere, aut participes fieri immaculorum mysteriorum Dei. Si vero cognoscentes nosmetipsos per humilitatem esse catulos, confiteamur peccata nostra, tunc sanabitur filia, scilicet operatio prava.

MARCUS 7,31-37

6731 (Mc 7,31-37)

Theophylactus. In gentiliis locis moram dominus facere non volebat, ne occasionem iudaeis daret ut transgressorem legis eum aestimarent, quod se gentibus admiscebat; et ideo confestim revertitur; unde dicitur et iterum exiens de finibus tyri, venit per sidonem ad mare galilaeae inter medios fines decapoleos.

Beda. Decapolis est regio decem urbium trans iordanem ad orientem contra galilaeam. Quod ergo dicitur quod dominus venit ad mare galilaeae inter medios fines decapoleos, non ipsos fines decapolis intrasse significat, neque enim mare navigasse dicitur; sed potius ad mare usque venisse atque ad ipsum pervenisse locum qui medios fines decapolis longe trans mare positos respiciebat. Sequitur et adducunt ei surdum et mutum, et deprecabantur eum ut imponat illi manum.

Theophylactus. Quod recte post daemioniaci liberationem ponitur: ex daemionio enim talis passio erat. Sequitur et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculam eius.

Chrysostomus. Seorsum a turba oblatum surdum et mutum apprehendit, ut divina miracula non faceret manifeste, instruens nos vanam gloriam eicere, et tumorem: nihil enim est ex quo aliquis sic miracula operetur, sicut si humilitatem colat, et modestiam sequatur. Misit vero digitos in auriculam, potens verbo sanare, ut ostenderet quod divina virtute ditatum erat corpus divinitati unitum, et operatio eius. Quia enim propter transgressionem adae, natura humana multam incurrerat passionem, ac membrorum, et sensuum laesionem, veniens Christus in seipso perfectionem demonstravit humanae naturae; et propter hoc digitis aures aperuit, et sputo loquelam dedit; unde sequitur et expuens tetigit linguam eius.

Theophylactus. Ut scilicet ostenderet quod omnia membra sacri corporis eius divina existunt et sancta; sicut et sputum, quod vinculum linguae dissolvit. Etenim omne sputum superfluitas est; sed in domino omnia divina fuerunt. Sequitur et suspiciens in caelum ingemuit, et ait: ephphetha, quod est adaperire.

Beda. Suspexit quidem in caelum, ut inde mutis loquelam, inde auditum surdis, inde cunctis infirmantibus medelam doceret esse quaerendam. Ingemuit autem, non quia ipsi opus esset cum gemitu aliquid petere a patre, qui cuncta petentibus donat cum patre; sed ut nobis gemendi daret exempla, cum vel pro nostri, vel pro nostrorum erratibus proximorum supernae pietatis praesidia invocamus.

Chrysostomus. Simul etiam ingemuit, nostram causam suscipiens in seipso, et naturae misertus humanae, videns miseriam in quam humanum genus inciderat.

Beda. Quod ait ephphetha, idest adaperire, ad aures proprie pertinet: aures enim ad audiendum aperiendae, lingua vero, ut loqui posset, a retinaculis erat suae tarditatis solvenda; unde sequitur et statim apertae sunt aures eius, et solutum est vinculum linguae eius, et loquebatur recte: ubi utraque natura unius et eiusdem Christi manifeste distincta est. Suspiciens quidem in caelum, quasi homo deum deprecatus ingemuit; sed mox uno sermone quasi potens divina maiestate curavit. Sequitur et praecepit illis ne cui dicerent.

Hieronymus. Per quod non in virtutibus gloriandum esse docuit; sed in cruce et humiliatione.

Chrysostomus. Praecepit etiam miraculum occultare, ne ante tempus accenderet iudaeos ad homicidium per invidiam perpetrandum.

Hieronymus. Civitas autem in monte posita, undique circumspecta abscondi non potest, et humilitas semper praecedit gloriam; unde sequitur quanto autem eis praecipiebat, tanto magis plus praedicabant.

Theophylactus. Docemur autem ex hoc cum alicui beneficia elargimur, minime applausus, et laudes petere; cum vero accepimus beneficia, benefactores praedicare et laudare, quamvis nolint.

Augustinus de cons. Evang.. Si autem sciebat eos (sicut ille qui notas habebat et praesentes et futuras hominum voluntates) tanto magis praedicaturos, quanto magis ne praedicarent eis praecipiebat; ut quid hoc praecipiebat, nisi piger volebat ostendere quanto gaudiosius, quanto ferventius eum praedicare debeant, quibus iubet ut praedicent, quando illi qui prohibebantur, tacere non poterant? **Glossa.** Ex praedicatione autem salvatorum a Christo, crescebat admiratio turbarum, et confessio beneficiorum Christi; unde sequitur et eo amplius admirabantur dicentes: bene omnia fecit; hoc scilicet, surdos fecit audire, et mutos loqui.

Hieronymus. Mystice autem tyrus interpretatur angustia, et significat iudaeam, cui dominus dicit: coangustatum est stratum, a qua transfert se ad gentes alias. Sidon venatio interpretatur. Fera autem indomita nostra natio est, et mare, quod fluctuosa volubilitas est. Inter medios autem fines decapoleos, quod interpretatur decalogi mandata, salvator ad salvandas gentes venit. Genus autem humanum per multa membra, quasi unus homo varia peste absumptus, enumeratur in protoplasto: caecatur dum male videt, surdus fit cum audit, obmutescit cum loquitur. Deprecantur autem eum, ut imponat illi manum, quia incarnatum fore dominum multi iusti et patriarchae cupiebant et optabant.

Beda. Vel surdus et mutus est qui nec aures audiendi verba Dei habet, nec os aperit pro loquendis; quales necesse est ut hi qui loqui iam, et audire divina eloquia didicerunt, domino sanandos offerant.

Hieronymus. Seorsum autem semper a turbulentis cogitationibus, et actibus inordinatis, sermonibusque incompositis educitur qui sanari meretur. Digiti autem, qui in aures mittuntur, verba, vel dona spiritus sunt, de quo dicitur: digitus Dei est hic. Sputum autem divina sapientia est, quae solvit vinculum labiorum humani generis, ut dicat: credo in deum patrem omnipotentem, et reliqua. Suspiciens autem in caelum ingemuit, idest gemere nos docuit, et in caelum thesaurus nostri cordis erigere: quia per gemitum compunctionis intimae frivola laetitia carnis purgatur. Apertae sunt autem aures ad hymnos et cantica et psalmos. Solvit linguam, ut eructet verbum bonum, quod non possunt nec verbera cohibere.

MARCUS 8,1-9

6801 (Mc 8,1-9)

Theophylactus. Postquam dominus superius miraculum de multiplicatione panum perpetrasset, nunc iterum occasione habita congruente, adducit simile miraculum operari; unde dicitur in diebus illis iterum cum turba esset cum iesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis ait illis: misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducant. Non enim semper circa alimenta miracula faciebat, ne propter cibum ipsum sequerentur. Et nunc igitur hoc miraculum non fecisset, nisi quia videbat turbis periculum imminere: unde sequitur et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longe venerunt.

Beda. Quare triduo sustinent de longe venientes? Matthaeus plenius dicit sic: et ascendens in montem sedebat; et accesserunt ad eum turbae multae, habentes multos infirmos, et proiecerunt eos ad pedes eius,

et curavit eos.

Theophylactus. Discipuli adhuc non intelligebant, nec virtuti eius propter priora miracula credebant; unde sequitur et responderunt ei discipuli sui: unde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? ipse autem dominus non eos vituperat, ex hoc instruens nos quod non debemus ignorantibus et non intelligentibus graviter irasci, sed eorum ignorantiae compati; unde sequitur et interrogavit eos: quot panes habetis? qui dixerunt: septem.

Remigius super Matth.. Non ideo interrogavit, quia ignoraret quot haberent; sed ut dum illi respondent septem, quo pauciores essent, eo magis miraculum diffamaretur, et notius fieret. Sequitur et praecepit turbae discumbere super terram. In superiori refectioe supra foenum discubuisse dicuntur, hic vero super terram. Sequitur et accipiens septem panes, gratias agens fregit. In eo quod gratias egit, nobis reliquit exemplum ut de omnibus donis nobis caelitus collatis illi gratias referamus. Et notandum, quia dominus panes non dedit turbae, sed discipulis, discipuli autem dederunt turbis; sequitur enim et dedit discipulis suis ut apponerent; et apposuerunt turbae. Non solum panes, sed et pisciculos benedicens iussit apponi; sequitur enim et habebant pisciculos paucos, et ipsos benedixit, et iussit apponi. Et manducaverunt, et saturati sunt.

Beda. In hac ergo lectione consideranda est in uno eodemque redemptore nostro distincta operatio divinitatis et humanitatis, atque eutyctetis error, qui unam tantum in Christo operationem dogmatizare praesumit, procul a Christianis finibus expellendus. Quis enim non videat hoc, quod super turbam miseretur dominus, affectum esse, et compassionem humanae fragilitatis? quod autem septem panibus et pisciculis paucis quatuor millia hominum satiavit, divinae opus est virtutis. Sequitur et sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sportas.

Theophylactus. Turbae comedentes et saturatae non secum tollunt panum reliquias, sed ipsas discipuli sustulerunt, sicut et superius cophinos: in quo secundum historiam discimus quoniam oportet nos his quae sufficienter esse contentos, et non quaerere ultra. Deinde numerus manducantium describitur cum dicitur erant autem qui manducaverant quasi quatuor millia: et dimisit eos. Ubi considerandum est, quod Christus neminem ieiunum dimittit: omnes enim vult sua gratia enutrir.

Beda. Hoc vero typice inter hanc refectioem et illam quinque panum, ac duorum piscium distat, quod ibi littera veteris testamenti spirituali gratia plena significata est; hic autem veritas, et gratia novi testamenti fidelibus ministranda monstrata est. Turba autem triduo dominum sustinet propter sanationem infirmorum, ut Matthaeus narrat, cum electi in fide sanctae trinitatis pro peccatis perseveranti instantia supplicant. Vel quia ad dominum se opere, locutione, atque cogitatione convertunt.

Theophylactus. Vel per eos qui per triduum expectant, significat baptizatos. Baptismus enim illuminatio dicitur, et trina submersione perficitur.

Gregorius moralium. Non vult autem eos ieiunos dimittere, ne deficient in via: oportet enim quod in praedicatione verbum consolationis accipiant, ne a veritatis pabulo ieiuni remanentes in huius vitae labore succumbant.

Ambrosius super Lucam. Bonus quidem dominus studia exigit, vires ministrat, non vult ieiunos dimittere, ne deficient in via; hoc est vel in istius cursu vitae, vel antequam ad caput vitae perveniant, scilicet ad patrem, et intelligant quod ex patre Christus est: ne forte cum acceperint, quod natus ex virgine est, incipiant non Dei virtutem, sed hominis aestimare. Dividit ergo escas dominus iesus, et ille quidem vult dare omnibus, negat nemini, dispensator est omnium; sed cum ille panes frangat, ut det discipulis, si tu manus tuas non extendas ut accipias tibi escas, deficies in via, nec poteris in eum culpam referre qui miseretur, et dividit.

Beda. Qui vero post carnis flagitia, post furta, violentias et homicidia ad poenitentiam redeunt, ad dominum de longinquo veniunt. Quanto enim quisque plus in pravo opere erravit, tanto ab omnipotente Deo longius recessit; et credentes de gentibus de longe venerunt ad Christum; iudaei vero de prope, qui legis et prophetarum erant litteris edocti ex illo. Supra autem in refectioe quinque panum turbae super faenum viride discumbebant, hic autem super terram: quia per scripturam legis desideria carnis comprimere iubemur; in novo autem testamento ipsam quoque terram, ac facultates temporales relinquere praecipimur.

Theophylactus. Septem autem panes sunt spirituales sermones: nam septenarius numerus spiritus sancti significativus est, qui perficit omnia: in septenario enim numero dierum nostra vita perficitur.

Hieronymus. Vel septem panes dona sunt spiritus sancti, fragmenta panum mystici intellectus sunt huius

septimanae.

Beda. Quod enim dominus panes fregit, apertionem significat sacramentorum; quod gratias egit, ostendit quantum de salute humani generis congaudeat; quod panes discipulis dedit ut turbae apponerent, significat quia spiritualis dona scientiae tribuit apostolis, et per eorum ministerium voluit ecclesiae suae vitae, cibaria distribui.

Hieronymus. Pisciculi benedicti, libri sunt novi testamenti: quoniam piscis assi partem dominus resurgens postulat: vel in pisciculis sanctos accipimus, quorum scriptura novi testamenti fidem, vitam et passiones continet: qui e turbulentis huius saeculi fluctibus erepti, refectionem nobis internam exemplo suo praebuerunt.

Beda. Quod autem turbis saturatis supererat, apostoli tollunt: quia altiora perfectionis praecepta, quae turba nequit attingere, ad illos pertinent qui generalem populi Dei conversationem transcendunt; et tamen turba saturata esse memoratur: quia etsi sua relinquere nequeant, neque explorare, quod de virginibus dicitur; tamen audiendo mandata legis Dei ad vitam perveniunt aeternam.

Hieronymus. Septem autem sportae, septem ecclesiae. Quatuor millia, annus est novi testamenti, cum quatuor temporibus. Bene etiam quatuor millia sunt, ut in ipso numero docerent evangelicis se pastos esse cibariis.

Theophylactus. Vel quatuor millia sunt, idest quatuor virtutibus perfecti; et propter hoc veluti fortiores plura comedentes, pauciora reliquerunt. In isto enim miraculo septem sportae remanent; in miraculo autem quinque panum duodecim cophini: quia quinque millia erant, idest quinque sensibus servientes, et propter hoc non potuerunt comedere, sed paucis contenti fuerunt; unde multae superabundant reliquiae fragmentorum.

MARCUS 8,10-21

6810 (Mc 8,10-21)

Theophylactus. Postquam dominus operatus est miraculum panum, statim in alium secedit locum, ne propter miraculum, ipsum turbae caperent, ut facerent regem; unde dicitur et statim ascendens navim cum discipulis suis, venit in partes dalmanutha.

Augustinus de cons. Evang.. In Matthaeo autem legitur, quod venit in fines magedam. Non autem dubitandum est eumdem locum esse sub utroque nomine: nam plerique codices non habent, etiam secundum Marcum, nisi magedam. Sequitur et exierunt pharisaei, et coeperunt conquirere cum eo, quaerentes ab illo signum de caelo, tentantes eum.

Beda. Pharisaei siquidem signum quaerunt de caelo, ut qui multa hominum millia secundo de paucis panibus saturavit, nunc in exemplo moysi, manna caelitus misso, et per omnia passim disperso, populum omnem in ultimo tempore reficiat: quod in evangelio Ioannis quaerunt dicentes: quod signum facis, ut videamus et credamus tibi? patres nostri manducaverunt manna in deserto, sicut scriptum est: panem de caelis dedit manducare.

Theophylactus. Vel quaerunt signum de caelo, scilicet ut solem et lunam sisteret, grandinem peteret et aerem immutaret. Credebant enim quod de caelo signa facere non poterat, sed quod in beelzebub solum poterat facere signum in terra.

Beda. Sicut autem turbam supra credentem refecturus gratias agebat, ita nunc ob stultam pharisaeorum petitionem gemit: quia humanae naturae circumferens affectus, sicut de hominum salute laetatur, ita super eorum dolet erroribus: unde sequitur et ingemiscens spiritu ait: quid generatio ista signum quaerit? amen dico vobis, si dabitur generationi isti signum; idest, non dabitur, iuxta illud: semel iuravi in sancto meo, si David mentiar; idest, non mentiar David.

Augustinus de cons. Evang.. Non autem moveat quod marcus non dicit responsum esse quaerentibus signum de caelo idem quod Matthaeus de iona; sed ait dominum respondisse: signum non dabitur ei; intelligendum est enim quale petebant, hoc est de caelo. Praetermisit autem dicere de iona, quod Matthaeus commemoravit.

Theophylactus. Ideo autem eos dominus non exaudit, quia aliud est tempus signorum caelestium, scilicet tempus adventus secundi, cum virtutes caelorum commovebuntur, et luna non dabit lumen suum. Tempore autem primi adventus non fiunt talia, sed omnia mansuetudine plena.

Beda. Non etiam dandum erat caeleste signum generationi tentantium dominum. Ceterum generationi quaerentium dominum signum de caelo ostendit, quando cernentibus apostolis ascendit in caelum. Sequitur et dimittens eos, ascendit iterum navim, et abiit trans fretum.

Theophylactus. Dimittit quidem dominus pharisaeos quasi incorrectos: nam ubi spes est correctionis, ibi morandum est; ubi vero malum incorrigibile est, inde recedendum. Sequitur et obliti sunt panes sumere, et nisi unum panem non habebant secum in navi.

Beda. Quaerit autem aliquis: quomodo panes non habebant qui statim impletis septem sportis ascenderunt in naviculam? sed scriptura testatur, quod obliti sunt eos secum tollere; quod indicium est quam modicam carnis curam haberent in reliquis, quibus ipsa reficiendi corporis necessitas intentione dominici comitatus mente excesserat.

Theophylactus. Dispensative etiam panes sumere discipuli sunt obliti, ut reprehensi a Christo fierent meliores et ad virtutis Christi notitiam pervenirent; sequitur enim et praecipiebat eis, dicens: videte, et cavete a fermento pharisaeorum, et fermento herodis.

Chrysostomus. Matthaeus dicit: a fermento pharisaeorum et sadducaeorum; Lucas vero pharisaeorum solum. Tres ergo pharisaeos nominant, quasi principales; Matthaeus vero et marcus sibi secundarios diviserunt. Congrue autem marcus posuit herodis, quasi relictis a Matthaео herodianis in supplementum narrationis ipsius. Hoc autem dicens, paulatim inducit discipulos ad sensum et fidem.

Theophylactus. Fermentum pharisaeorum et herodianorum vocat doctrinam eorum, quasi damnosam et corruptivam et malitia veteri plenam. Herodiani enim doctores erant, qui herodem Christum esse dicebant.

Beda. Vel fermentum pharisaeorum est decreta legis divinae traditionibus hominum postponere; legem verbis praedicare, et factis impugnare; dominum tentare, doctrinae eius, aut operibus non credere. Fermentum autem herodis est adulterium, homicidium, temeritas iurandi, simulatio religionis, et odium in Christum et praecursorem eius.

Theophylactus. Ipsi autem discipuli de fermento panum dixisse dominum putaverunt; unde sequitur et cogitabant ad alterutrum, dicentes: quia panes non habemus. Hoc autem dicebant, quasi non intelligentes Christi virtutem, quod poterat panes facere ex non ente; unde dominus eos reprehendit: sequitur enim quod cognito iesus ait illis: quid cogitatis, quia panes non habetis? **Beda.** Per occasionem autem praecepti quod salvator iusserat, dicens cavete a fermento pharisaeorum et fermento herodis, docet eos quid significant quinque panes, et septem, de quibus subdit nec recordamini quando quinque panes fregi? etc.. Si enim fermentum praedictum traditiones perversas significaret, quare cibi quibus nutritus est populus Dei, non veram doctrinam significant?

MARCUS 8,22-26

6822 (*Mc 8,22-26*)

Glossa. Post refectionem turbarum evangelista de illuminatione caeci subiungit, dicens et veniunt bethsaidam, et adducunt ei caecum, et rogabant eum ut illum tangeret.

Beda. Scientes quia tactus domini sicut leprosum mundare, ita caecum illuminare valeret. Sequitur et apprehensa manu caeci eduxit eum extra vicum.

Theophylactus. Videtur namque bethsaida multa infidelitate fuisse infecta: unde dominus exprobrat ei: vae tibi, bethsaida: quia si in tyro et sidone factae essent virtutes quae factae sunt in vobis, olim in cilicio et cinere poenitentiam egissent. In hac ergo adductum caecum extra vicum educit: non enim erat vera adducentium fides. Sequitur et expuens in oculos eius, impositis manibus suis, interrogavit eum si aliquid videret.

Chrysostomus. Spuit quidem, et manus imponit caeco, volens ostendere quod verbum divinum operationi adiunctum mirabiliter proficit. Manus enim operationis est ostensiva, sputum vero sermonis ex ore prolati.

Interrogat autem si aliquid videret; quod in aliis sanatis non fecit, significans propter imperfectam adducentium fidem, ac ipsius caeci, oculos eius non esse omnino apertos; unde sequitur et aspiciens ait: video homines velut arbores ambulantes. Quia enim in infidelitate adhuc detinebatur, obscure se videre homines declarabat.

Beda. Formam quidem corporum inter umbras aspiciens, sed nulla membrorum lineamenta, visu adhuc caligante, discernere valens, quales condensae arbores a longe spectantibus, vel in luce facile arbor, an homo sit, possit dinosci.

Theophylactus. Ideo autem non statim eum perfecte facit videre, sed in parte, quia non perfectam fidem habebat: nam secundum fidem datur medela.

Chrysostomus. Deducit autem eum ab initio sensus redditi in fidei apprehensionem; et sic fecit eum perfecte videre; unde sequitur deinde iterum imposuit manus super oculos eius et coepit videre. Et postea subiungit et restitutus est, ita ut clare videret omnia; sensu scilicet, et intellectu perfecte curatus. Sequitur misit eum in domum suam, dicens: vade in domum tuam; et si in vicum introieris, nemini dixeris.

Theophylactus. Hoc quidem praecepit ei, quia infideles erant, ut dictum est, ne forte ab eis in anima laederetur, et ipsi non credentes gravius crimen incurrant. **Beda** super Lucam. Vel exemplum suis tribuit ne de his quae faciunt mirandis, favorem vulgi requirant. Mystice autem bethsaida domus vallis interpretatur, idest mundus, qui est vallis lacrymarum. Adducunt autem ad dominum caecum; idest, qui non videt quid fuit, quid est, et quid erit. Rogant illum, ut eum tangeret. Quis enim est qui tangitur nisi qui compungitur?

Beda. Tangit enim nos dominus cum mentem afflatu sui spiritus illustrat, atque ad agnitionem nos propriae infirmitatis, studiumque bonae actionis accendit. Apprehendit manum caeci, ut eum ad executionem bonae operationis confortaret.

Hieronymus. Et eduxit eum extra vicum, idest vicinitatem malorum. Expuit autem in oculos eius, ut videat voluntatem domini per flatum spiritus sancti. Impositis autem manibus interrogat eum si videret: quia per opera domini videtur maiestas eius.

Beda. Vel expuens in oculos caeci imponit manus suas ut videat: quia caecitatem humani generis et per invisibilia dona, et per sacramenta assumptae humanitatis extersit. Sputum etiam, quod de capite hominis procedit, gratiam spiritus sancti designat. Sed quem uno verbo totum simul curare poterat, paulatim curat, ut magnitudinem humanae caecitatis ostendat, quae vix et quasi per gradus ad lucem redeat: et gratiam suam nobis indicat, per quam singula perfectionis incrementa adiuvat. Quisquis autem ita longi temporis obscuritate depressus est, ut inter bonum et malum discernere nesciat, quasi ambulantes homines instar arborum cernit, quia facta multitudinis absque luce discretionis videt.

Hieronymus. Vel videt homines velut arbores, quia omnes homines existimat se superiores. Iterum autem manus posuit super oculos eius, ut videret clare omnia; idest, per opera visibilia intelligeret et quae oculus non vidit, et clarum animae suae statum post rubiginem peccati, mundi cordis oculo contueretur. Misit eum in domum suam, idest in cor suum, ut videret in se quod ante non vidit. Non enim putat homo desperans de salute omnino posse quod illuminatus facile potest perficere.

Theophylactus. Vel postquam sanavit, mittit in domum: nam domus uniuscuiusque nostrum, caelum est, et mansiones quae sunt in eo.

Hieronymus. Dicit autem ei et si in vicum introieris, nemini dixeris; idest, vicinis caecitatem tuam semper enarra, non virtutem.

MARCUS 8,27-33

6827 (Mc 8,27-33)

Theophylactus. Postquam eduxit longe a iudaeis discipulos suos, tunc de seipso interrogat, ut non timentes iudaeos respondeant veritatem; unde dicitur et ingressus est iesus, et discipuli eius in castellum caesareae philippi.

Hieronymus super Matth.. Philippus iste fuit frater herodis, de quo supra diximus, qui in honorem tiberii caesaris caesaream philippi, quae nunc paneas dicitur, appellavit. Sequitur et in via interrogabat discipulos suos, dicens eis: quem me dicunt esse homines? **Chrysostomus.** Sciens quidem interrogat, quia decebat

ut discipuli quandoque eum melius laudarent quam turbae.

Beda. Unde primum hominum sententiam interrogat, discipulorum fidem exploraturus, ne illorum confessio vulgi videretur opinione firmata. Sequitur qui responderunt illi, dicentes: alii Ioannem baptistam, alii eliam, alii vero quasi unum de prophetis.

Theophylactus. Multi namque putabant quod Ioannes a mortuis resurrexisset, sicut et herodes credebat, et post resurrectionem suam miracula perpetrasset. Postquam vero ab eis sciscitatus est aliorum suspicionem, ipsos interrogat quid de hoc in eorum mente consistat; unde sequitur tunc dicit illis: vos vero quem me esse dicitis? **Chrysostomus** in Matth.. Ex ipso autem interrogationis modo, in maiorem eos reducit sensum ad maius aliquid aestimandum de eo, ne cum turbis conveniant. Quid vero vertex discipulorum, os apostolorum, interrogatis omnibus, responderit, manifestatur cum subditur respondens petrus ait ei: tu es Christus.

Theophylactus. Confitetur quidem illum esse Christum a prophetis denuntiatum. Sed quid ad confessionem petri responderit dominus, et qualiter ipsum beatificavit, Marcus evangelista pertransit, ne huiusmodi narrando, petro suo magistro gratiam praestare videretur; Matthaeus autem hoc plane pertractat.

Origenes super Matth.. Vel quia Marcus et Lucas scripserunt petrum respondentem tu es Christus, non adicientes quod positum est in Matthaeo: filius Dei vivi; propterea non scripserunt ad confessionem relatam beatitudinem. Sequitur et comminatus est eis, ne cui dicerent de illo.

Theophylactus. Volebat enim interim suam gloriam occultare, ne multi scandalizarentur de eo, et poenam mererentur maiorem.

Chrysostomus. Vel ut scandalo crucis completo puram infigat fidem in mente eorum: prius enim passione perfecta, circa ascensionem dixit eis: euntes docete omnes gentes.

Theophylactus. Postquam autem dominus confessionem discipulorum acceptavit dicentium verum deum, tunc ipsis revelat crucis mysterium; unde sequitur et coepit docere eos quoniam oportet filium hominis multa pati, et reprobari a senioribus, et a summis sacerdotibus, et scribis, et occidi, et post tres dies resurgere; et palam verbum loquebatur, scilicet de futura passione. Non autem intelligebant discipuli ordinem veritatis, neque resurrectionem comprehendere poterant; sed putabant esse melius quod non pateretur.

Chrysostomus. Praedixerat tamen hoc eis dominus hac occasione, ut ostenderet quod oportet post crucem et resurrectionem Christum a testibus praedicari. Rursus petrus existens fervidus, solus de his sumit audaciam disputandi; unde sequitur et apprehendens eum petrus, coepit increpare eum: domine, propitius esto tibi: nam hoc non erit.

Beda. Hoc autem amantis affectu et optantis dixit; quasi diceret: hoc non potest fieri, nec recipiunt aures meae ut Dei filius occidendus sit.

Chrysostomus in Matth.. Quid est autem hoc quod petrus qui revelatione patris potitus erat, sic velociter cecidit et instabilis est effectus? sed dicimus non esse mirum si hoc ignoravit qui de passione revelationem non accepit. Quod enim Christus filius Dei vivi esset, revelatione didicerat; mysterium vero crucis et resurrectionis nondum ei fuerat revelatum. Ipse vero ostendens quod oporteret eum ad passionem venire, petrum increpavit; unde sequitur qui conversus, et videns discipulos suos, comminatus est petro, dicens: vade retro me, satana.

Theophylactus. Dominus namque volens ostendere quod propter salutem hominum debebat eius passio fieri, et quod solus satanas Christum pati nolebat, ut genus non salvaretur humanum, petrum satanam nominavit, eo quod saperet quae sunt satanae, nolens Christum pati, sed adversans eidem; satanas enim adversarius interpretatur.

Chrysostomus. Daemoni autem ipsum tentanti non ait: vade post me; sed petro dicit: vade retro me; idest sequere me, et voluntario meae passionis consilio non resistas. Sequitur quoniam non sapis ea quae Dei sunt, sed quae hominum.

Theophylactus. Quae hominum sunt dicit petrum sapere, secundum quod affectiones carnales quodammodo sapiebat: volebat enim petrus quod sibi Christus praestaret requiem, et non crucifigeretur.

MARCUS 8,34-39

6834 (Mc 8,34-39)

Beda. Postquam discipulis mysterium suae passionis et resurrectionis ostendit, hortatur eos una cum turba ad sequendum suae passionis exemplum; unde sequitur et convocata turba cum discipulis suis, dixit eis: si quis vult me sequi, deneget semetipsum.

Chrysostomus in Matth.. Quasi diceret ad petrum: tu quidem increpas me passionem sustinere volentem; ego autem dico tibi, quod non solum prohibere me pati nocivum est; sed neque salvari poteris, nisi ipse moriaris. Dicit autem si quis vult me sequi, quasi dicat: ad bona voco, quae quis velle debet; non ad mala et gravia, ut cogaris. Qui enim infert violentiam frequenter impedit; qui vero auditorem in libertatem dimittit, magis attrahit ipsum. Aliquis autem abnegat semetipsum, cum nullam sui corporis curam habet, ut sive flagelletur, sive aliquid simile patiat, sustineat patienter.

Theophylactus. Nam sicut qui abnegat alterum, videlicet fratrem, aut patrem, quamvis ille vulneretur, et moriatur, non compatitur, neque condolet ei: sic et nos debemus spernere corpus nostrum, ut si vulnerari contingat, vel aliquid simile pati, non curemus.

Chrysostomus. Non autem ait, quod parcat sibi ipsi, sed, quod amplius est, quod abneget semetipsum, quasi nihil commune ad se habeat, sed periculis exponat, et circa ea sic disponatur, ac si alius pateretur; et hoc est sibi ipsi parcere: quia patres tunc liberis suis ignoscunt, cum tradentes eos doctoribus, illis iubent non parci. Usquequo autem oporteat seipsum abnegare, ostendit cum subdit et tollat crucem suam; quasi dicat: usque ad mortem exprobrabilissimam.

Theophylactus. Nam tunc crux exprobrabilis videbatur, quia in ea malefici figebantur.

Hieronimus. Vel aliter. Sicut gubernator peritus tempestatem in tranquillitate praecavens, nautas suos vult esse paratos, ita et dominus dicit si quis vult me sequi, deneget semetipsum; id est, alter ex altero fiat.

Beda. Tunc enim nos ipsos abnegamus cum vitam quod per vetustatem fuimus, et ad hoc nitimur quod per novitatem vocamur. Crux autem tollitur cum aut per abstinentiam afficitur corpus, aut per compassionem proximi affligitur animus.

Theophylactus. Quia vero post crucem virtutem aliam nos habere oportet, adiecit et sequatur me.

Chrysostomus in Matth.. Hoc autem dicit, quia contingit aliquem patientem non sequi Christum, cum scilicet aliquis non patitur propter Christum: sequitur enim Christum qui post eum ambulat, qui morti eius se conformat, principes etiam et potestates contemnens, sub quibus ante Christi adventum peccabat. Sequitur qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet eam; qui autem perdidit animam suam propter me et evangelium, salvam faciet eam, quasi dicat: haec vobis mando quasi vobis parcens: etenim qui filio suo parcat, perdit eum; qui vero non parcat, salvat. Oportet ergo nos esse ad mortem continue praeparatos. Si enim in materialibus praeliis qui paratus est ad mortem melior est aliis, nullo post mortem eum resuscitare valente, multo magis in spiritualibus praeliis, cum spes tanta resurrectionis existat, quod qui ponit animam suam in mortem, salvam facit eam.

Remigius. Anima autem hoc loco intelligenda est vita praesens, non autem ipsa substantia animae.

Chrysostomus in Matth.. Quia ergo dixerat qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, ne quis perditionem hanc, et salutem illam aestimet aequalem, subiungit quid enim proderit homini, si lucretur totum mundum, et detrimentum faciat animae suae? aut quam commutationem dabit homo pro anima sua? quasi dicat: ne dicas quoniam animam suam salvavit qui crucis effugit pericula: quando enim cum anima sua, id est vita ista, lucretur aliquis orbem terrae, quid amplius erit ei, anima pereunte? numquid aliam habet animam pro anima dare? pretium enim pro domo potest aliquis commutare; animam vero perdens, aliam animam dare non potest. Cauterum dicit aut quam commutationem dabit homo? Deus enim propter nostram salutem dedit commutationem pretiosum sanguinem iesu Christi.

Beda. Vel hoc dicit, quia persecutionis tempore ponenda est anima; pacis autem tempore frangenda sunt desideria terrena: quod significat cum dicit quid enim proderit homini? etc.. Plerumque autem verecundiae usu praepedimur, ut rectitudinem quam servamus in mente, non exprimere valeamus in voce; et ideo subditur qui enim me confessus fuerit, et verba mea in generatione ista adultera et peccatrice, et filius hominis confitebitur eum, cum venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis.

Theophylactus. Non enim est sufficiens fides quae solum in mente consistit, sed oris confessionem dominus requirit: sanctificata enim per fidem anima debet et corpus per confessionem sanctificari.

Chrysostomus. Qui autem hoc didicit subiecit se cum desiderio ad hoc quod sine confusione Christum confiteatur. Dicitur autem adultera generatio, quae deum verum animae sponsum dereliquit, et non est secuta Christi doctrinam; sed daemonibus prostrata, semina impietatis suscepit, propter quod et peccatrix dicitur. Qui ergo inter hos Christi dominationem negaverit, et verba Dei in evangelio revelata, dignam impietatis poenam suscipiet, audiens in secundo adventu: non novi vos.

Theophylactus. Qui ergo confessus fuerit crucifixum esse suum deum, et ipse confitebitur illum, non hic ubi Christus reputatur pauper, et miser, sed in gloria et cum multitudine angelorum.

Gregorius in evang.. Sunt autem nonnulli qui Christum ideo confitentur, quia cunctos Christianos esse conspiciunt. Non ergo ad probationem fidei vox sufficit, quam defendit a verecundia professio generalitatis. Pacis ergo tempore est aliud, ubi ostendamus vobis. Veremur saepe a proximis despici, dedignamur iniurias verbi tolerare. Si contigerit iurgium fortasse cum proximo, erubescimus priores satisfacere: cor quippe carnale dum huius vitae gloriam quaerit, humilitatem respuit.

Theophylactus. Quia vero de sua gloria dixerat, volens ostendere quod non inania promittebat, subditur et dicebat illis: amen dico vobis, quia sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute; ac si diceret: quidam, idest petrus et iacobus et ioannes, non gustabunt mortem, donec eis ostendam in transfiguratione cum qua gloria venturus sim in secundo adventu: non enim erat aliud transfiguratio, nisi secundi adventus praenuntiatio, in quo et ipse Christus, et sancti lucebunt.

Beda. Pia vero provisione factum est ut, contemplatione semper manentis gaudii ad breve momentum delibata, fortius adversa tolerarent.

Chrysostomus in Matth.. Non autem eorum qui ascensuri erant nomina declaravit, ne reliqui discipuli aliquid paterentur humanum; praedicat autem, ut dociliores circa huiusmodi contemplationem fiant.

Beda. Vel regnum Dei praesens ecclesia vocatur. Aliqui autem ex discipulis usque adeo in corpore victuri erant ut ecclesiam constructam conspicerent, et contra mundi gloriam erectam. Discipulis enim rudibus de praesenti vita aliquid promittendum fuit, ut possent robustius in futuro solidari.

Chrysostomus. Mystice autem vita Christus est, mors vero diabolus. Gustavit autem mortem, qui peccatis immoratur: adhuc omnis homo habens dogmata bona aut prava, mortis aut vitae panem degustat. Et quidem minus malum est videre mortem; malum autem est eam gustare; sed adhuc peius eam sequi; pessimum autem ei supponi.

MARCUS 9,1-7

6901 (Mc 9,1-7)

Hieronymus. Post consummationem crucis, gloria resurrectionis ostenditur, ut non timerent opprobria crucis qui oculis suis visuri erant gloriam resurrectionis futurae; unde dicitur et post dies sex assumpsit iesus petrum, et iacobum, et ioannem, et duxit illos in montem excelsum seorsum solos, et transfiguratus est coram ipsis.

Chrysostomus in marc. Et in Matth.. Quod autem Lucas dicit post octo dies, non contrariatur huic: Lucas enim et diem quo Christus praedicta locutus fuerat, et diem in quo eos assumpsit, numeravit. Ideo autem post sex dies eos assumpsit, ut vehementiori repleti desiderio in horum dierum spatio vigilantem et sollicitam mentem, ea quae videbant attenderent.

Theophylactus. Assumpsit autem tres vertices apostolorum: petrum tamquam confitentem et diligentem, ioannem tamquam dilectum, iacobum vero tamquam altivocum et theologum. Intantum enim gravis erat iudaeis ut herodes volens iudaeis placere ipsum occiderit.

Chrysostomus. Non autem in domo suam gloriam demonstrat, sed in montem excelsum illos assumit: quoniam montis sublimitas conveniens erat ad gloriae sublimitatem ostendendam.

Theophylactus. Seorsum autem eos ducit, quia debebat eis mysteria revelare. Transfigurationem autem oportet intelligere non figurae immutationem, sed quia, manente ut prius erat figura, appositio facta est cuiusdam inenarrabilis claritatis.

Chrysostomus. Neque ergo decet aliquam figurae transformationem in regno Dei esse futuram aut circa ipsum salvatorem, aut circa eos qui assimilabuntur, sed appositionem claritatis.

Beda. Transfiguratus igitur salvator, non substantiam verae carnis amisit, sed gloriam futurae, vel suae, vel nostrae resurrectionis ostendit: qui qualis tunc apostolis apparuit, talis post iudicium cunctis apparebit electis. Sequitur et vestimenta eius facta sunt splendentia.

Gregorius moralium. Quia in supernae claritatis culmine ei vitae iustitia fulgentes adhaerebunt: vestium enim nomine iustos, quos sibi adiungit insinuat. Sequitur et apparuit illis elias cum Moysen, et erant loquentes cum iesu.

Chrysostomus in Matth.. Moysen et eliam in medio introducit: primo quidem quia turbae dicebant Christum eliam, aut unum prophetarum, apostolis se cum eis ostendit, ut differentiam servorum et domini cernerent; et etiam quia de transgressione legis iudaei Christum accusabant, et blasphemum eum putabant, tamquam sibi gloriam patris attribuentem, eos qui in utroque fulserunt, in medium ducit: etenim Moyses legem dedit, et elias gloriae Dei zelator fuit: unde ei non assisterent, si Deo et legi eius contrarius esset. Et ut scirent quod vitae potestatem et mortis habet, propter hoc et Moysen, qui mortuus erat, et eliam qui nondum mortem passus fuerat, in medium introducit. Item per hoc significavit quod doctrinae legis Christi prophetarum doctrina paedagogus fuit. Significat etiam coniunctionem novi et veteris testamenti, et quoniam in resurrectione cum prophetis apostoli coniungentur, et una erit obviatio regi communi. Sequitur et respondens petrus ait iesu: rabbi, bonum est nos hic esse; et faciamus hic tria tabernacula: tibi unum, moysi unum, et eliae unum.

Beda. Si tantum transfigurata Christi humanitas, duorumque societas sanctorum ad punctum visa delectat, ut eos ne discedant etiam obsequio petrus sistere velit; quanta erit felicitas visioni deitatis inter angelorum choros adesse perpetuo? sequitur non enim sciebat quid diceret. Etsi enim petrus prae stupore humanae fragilitatis nesciat quid dicat; insiti tamen sibi dat affectus indicium: nesciebat enim quid diceret, quia oblitus est regnum sanctis a domino non alicubi terrarum, sed in caelis esse promissum; nec recordatus est se suosque coapostolos mortali adhuc carne circumseptos immortalis vitae statum subire non posse; cui etiam mente excesserat quia in domo patris quae in caelis est, domus manufacta necessaria non sit. Sed et usque nunc imperitiae notatur quisquis legi, prophetis et evangelio tria tabernacula facere cupit, cum haec ab invicem nullatenus valeant separari.

Chrysostomus. Non etiam intellexit petrus quod ad demonstrationem verae gloriae transfigurationem dominus est operatus, neque quod propter doctrinam hominum hoc faciebat; nam plurimi erant relicturi multitudinem, in eremo habitantes. Sequitur erant enim timore exterriti. Erat autem hic timor secundum quem de communi mente in statum elevabantur meliorem: quod enim in exterioribus videbatur, Moyses et elias erat. Ducebatur autem anima ad quemdam divinum affectum, quasi ex divina visione ab humano sensu abstracta.

Theophylactus. Vel aliter. Petrus timens a monte descendere, quia iam praesenserat quod Christus crucifigi debebat, dixit bonum est nos hic esse; et non illuc descendere, in medium scilicet iudaeorum. Si autem huc venient furentes contra te, habemus Moysen qui aegyptios debellavit, habemus et eliam, qui ignem eduxit de caelo, et quinquagenos destruxit.

Origenes super Matth.. Marcus autem ex persona sua dicit non enim sciebat quid diceret. Ubi considerandum, ne forte per excessum mentis hoc loquebatur, motus quodam spiritu alieno, ne forte scilicet ille spiritus qui voluit, quantum ad se, Christum scandalizare, ut recederet a passione omnibus hominibus salutari, ipse operans etiam hic seductorie vult evellere Christum sub colore boni, ut non condescendat hominibus, nec veniat ad eos, nec suscipiat mortem pro eis.

Beda. Quia vero petrus materiale quaesivit tabernaculum, nubis accepit umbraculum: ut discat, in resurrectione non tegmine domorum, sed spiritus sancti gloria eos esse et facta est nubes obumbrans eos. Quia vero imprudenter interrogaverunt, propterea responsionem domini non merentur: sed pater respondet pro filio; unde sequitur et venit vox de nube dicens: hic est filius meus carissimus: ipsum audite.

Chrysostomus in Matth.. A nube quidem vox emittitur, in qua Deus apparere consuevit, ut crederent quod vox illa ferretur a Deo. In hoc autem quod dicit hic est filius meus carissimus, unam voluntatem patri et filio

protestatur, et quod, salva filiatione, quantum ad omnia cum eo qui genuit unum esset.

Beda. Quem autem Moyses, cum venerit in carne, audiendum ab omni anima quae salvari vellet praedixit, hunc iam venientem in carne, Deus pater audiendum discipulis ostendit. Sequitur et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt nisi iesum tantum secum. Ubi enim coepit filius designari, mox servi discesserunt, ne ad illos paterna vox emissa putaretur.

Theophylactus. Mystice autem post consummationem huius saeculi, quod in sex diebus factum est, assumet nos iesus, si eius sumus discipuli, in montem excelsum, idest in caelum; et tunc videbimus eius gloriam singularem.

Beda. Vestimenta autem domini recte sancti eius accipiuntur, qui novo candore fulgebunt. Fullo autem intelligendus est cui psalmista loquitur: amplius lava me ab iniquitate mea, et a delicto meo munda me; qui non potest suis fidelibus dare claritatem in terra, quae eis conservata manet in caelis.

Remigius super Matth.. Vel per fullonem sancti designantur praedicatores et animarum purgatores; quorum in hac vita nullus ita vivere valet ut alicuius peccati maculis non obfuscetur; in futura autem resurrectione sancti ab omni macula peccati purgabuntur. Tales ergo eos faciet dominus, quales nec ipsi membra sua castigando, nec ullus praedicatorum suo vel exemplo, vel doctrina facere potest.

Chrysostomus. In marc.. Vel vestimenta alba evangelica sunt et apostolica scripta, omnium clarissima, quibus similia nullus expositorum facere potest.

Origenes super Matth.. Vel forsitan fullones super terram possumus moraliter existimare sapientes saeculi huius, qui putantur ornare etiam turpes intellectus, et dogmata falsa fullonice ingenii sui; sed illorum ars fullonica potest facere aliquid simile sermoni, qui ostendit spiritualium intellectuum splendorem in dictis scripturarum imperitis, quae a plurimis contemnuntur.

Beda. Moyses et elias, quorum unum mortuum et alium in caelis raptum legimus, futuram omnium sanctorum gloriam significant, qui videlicet tempore iudicii vel vivi in carne reperiendi, vel ab olim gustata morte resuscitandi, et pariter sunt regnaturi cum illo.

Theophylactus. Vel hoc significat, quia in gloria videbimus et legem et prophetas cum ipso loquentes; idest, quae per eum fuerunt dicta per Moysen et alios prophetas, tunc videbimus esse consona rebus, et tunc audiemus vocem paternam, revelantem scilicet nobis filium patris, et dicentem, quoniam hic est filius meus, obumbrante nube, idest spiritu sancto qui est sapientiae fons.

Beda. Et notandum quod sicut, domino in iordane baptizato, sic et in monte clarificato, totius sanctae trinitatis mysterium declaratur: quia gloriam eius quam in baptismo credentes confitemur, in resurrectione videntes collaudabimus. Nec frustra spiritus sanctus hic in lucida nube, illic apparuit in columba: quia qui nunc simplici corde fidem quam percepit servat, tunc luce apertae visionis quod crediderat contemplabitur. Cum autem fieret vox super filium, inventus est ipse solus: quia cum manifestaverit ipsum electis, erit Deus omnia in omnibus; immo cum suis per omnia Christus, caput cum corpore, splendet.

MARCUS 9,8-12

6908 (Mc 9,8-12)

Origenes super Matth.. Post mysterium ostensum in monte, descendentibus de monte discipulis, praecepit ut eius transfiguratio non manifestetur ante gloriam passionis et resurrectionis ipsius; unde dicitur et descendentibus illis de monte praecepit illis ne cuiquam quae vidissent narrent, nisi cum filius hominis a mortuis resurrexerit.

Chrysostomus in Matth.. Ubi non simpliciter silere iubet; sed passionem insinuans, causam insinuat propter quam silere debent.

Theophylactus. Ne scilicet homines scandalizentur, audientes de Christo tam gloriosa, qui eum crucifixum erant visuri. Non igitur erat congruum talia de Christo dicere antequam pateretur, post resurrectionem vero credibile videbatur.

Chrysostomus. Illi vero resurrectionis mysterium ignorantes, verbum quidem retinentes, invicem

disputabant; unde sequitur et verbum continuerunt apud se, conquirentes quid esset, cum a mortuis resurrexerit.

Hieronymus. Hoc quod proprie Marci est, id significat quia cum absorpta fuerit mors in victoria, non erunt in memoria priora. Sequitur et interrogabant eum, dicentes: quid ergo dicunt pharisaei et scribae, quia eliam oportet venire primum? **Chrysostomus.** Intentio quidem discipulorum super hac interrogatione talis mihi esse videtur: nos quidem eliam tecum vidimus, et prius te vidimus quam eliam; scribae vero prius eliam venire docent: credimus itaque eos mendacium protulisse.

Beda. Vel ita aestimabant discipuli transformationem gloriae hanc esse quam in monte viderant, et dicunt: si iam venisti in gloria, quomodo praecursor tuus apparet? maxime quia eliam viderant recessisse.

Chrysostomus in Matth.. Quid autem ad hoc Christus responderit, apparet per hoc quod subditur qui respondens ait: elias cum venerit primo, restituet omnia. In quo ostendit, quod elias veniet ante secundum adventum. Scripturae enim duos adventus Christi praenuntiant; unum scilicet qui factus est, et alium qui venturus est. Dominus autem secundi adventus eliam asserit praecursorem.

Beda. Restituet autem omnia, utique illa quae malachias ostendit dicens: ecce ego mittam vobis eliam prophetam, ut convertat cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum. Restituet etiam hoc quod morti debet, ac diu vivendo distulit.

Theophylactus. Proponit autem haec dominus ad resistendum opinioni pharisaeorum, qui tenebant quod primi adventus praecursor erat elias; quasi ad inconveniens ducens; unde subdit et quomodo scriptum est in filium hominis, ut multa patiatur et contemnatur; ac si dicat: elias thesbites cum venerit, pacificabit iudaeos, et ad fidem adducet ipsos, ita ut sit secundi adventus praecursor. Si ergo primi adventus elias est praecursor, quomodo scriptum est, quod filius hominis debet pati? ex his ergo duobus unum erit: aut quod non sit primi adventus elias praecursor, et scripturae erunt verae; aut quod sit praecursor primi adventus, et scripturae non erunt verae, quae dicunt, quod oportet Christum pati, cum elias debeat omnia restituere, et non debeat esse iudaeus aliquis incredulus; sed omnes credere debeant ad praedicationem eius quicumque audient eum.

Beda. Vel ita: et quomodo scriptum est, idest, quomodo de Christi passione multifarie prophetae multa scripserunt. Sed et elias cum venerit, multa passurus est, et contemnendus ab impiis.

Chrysostomus in Matth.. Sicut autem dominus secundi adventus eliam asseruit praecursorem, sic et consequenter asserit iohannem esse praecursorem primi adventus; unde subdit sed dico vobis, quia et elias venit.

Glossa. iohannem vocat eliam, non quia elias erit in persona, sed quia eliae ministerium adimplebat: sicut enim ille praecursor erit secundi adventus, sic iste factus est primi.

Theophylactus. Erat etiam iohannes redargutor, et zelotes, et eremita ut elias; non tamen audierunt illum sicut eliam audient. Nefario vero ludo eum occiderunt, caput illius amputantes; unde sequitur et fecerunt illi quaecumque voluerunt, sicut scriptum est de eo.

Chrysostomus. Vel aliter. Interrogabant discipuli iesum: quomodo scriptum est pati filium hominis? ad hoc autem quasi respondens dicit: sicut ad similitudinem eliae iohannes venit, et ei mala intulerunt; sic secundum scripturas oportet filium hominis pati.

MARCUS 9,13-28

6913 (Mc 9,13-28)

Theophylactus. Postquam gloriam suam tribus discipulis in monte ostenderat, revertitur ad alios discipulos qui cum eo non ascenderant in montem; unde dicitur et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, et scribas conquirentes cum illis. Pharisaei namque captantes horam, cum praesens non extiterat Christus, accesserunt ut ipsos ad se attraherent.

Hieronymus. Non est autem homini requies sub sole: semper parvulos occidit invidia; magnos percutiunt fulgura montes: alii discentes cum fide, ut turbae; alii invidentes cum fastu, ut scribae, ad ecclesiam conveniunt. Sequitur et confestim omnis populus videns iesum, stupefactus est, et expaverunt.

Beda. Notanda in omnibus locis distantia mentis scribarum, et turbae: scribae enim nihil devotionis, fidei, humilitatis, et reverentiae ei exhibuisse narrantur; sed veniente domino mox omnis turba stupefacta expavit, eumque salutans accurrit; unde sequitur et currens salutavit eum.

Theophylactus. Affectabant enim turbae eum videre, ita ut eum venientem a longe salutarent. Quidam vero dicunt, quod aspectus eius ex transfiguratione speciosior factus, turbam ad salutationem eius attrahebat.

Hieronymus. Populus autem videns stupefactus est et expavit, non discipuli; quia non est timor in caritate: timor est servorum, stupescere stultorum. Sequitur et interrogavit eos: quid inter vos conquiritis? quid scilicet dominus interrogat? ut confessio pariat salutem, et murmur cordis nostri sermonibus piis solvatur.

Beda. Potest vero, nisi fallor, intelligi de hoc quaestionem fuisse motam, quare ipsi, cum essent discipuli salvatoris, sanare daemonicum qui in medio erat positus, non possent; quod ex sequentibus potest convinci, cum dicitur et respondens unus de turba dixit: magister, attuli filium meum ad te habentem spiritum mutum.

Chrysostomus in Matth.. Hunc hominem scriptura infirmum in fide ostendit ex hoc quod Christus dicit o generatio incredula, et per hoc quod subdit si potes credere. Sed etsi infidelitas eius occasio extiterit daemonem non pellendi, incusat tamen discipulos; unde subditur et dixi discipulis tuis ut eicerent illum; et non potuerunt. Vide autem istius insipientiam. Iesum in medio turbarum precatur, discipulos incusans; unde et dominus coram plebe multo magis hoc ei imputat non solum in personam eius accusationem intendens, sed in personam omnium iudaeorum: probabile enim est multos praesentium scandalizatos, ea quae non conveniebant de discipulis cogitasse; unde sequitur qui eis respondens dixit: o generatio incredula, quamdiu vos patiar? in quo ostendit, et mortem se desiderare, et grave ei esse cum illis conversari.

Beda. Intantum autem non est homini iratus, sed vitio, ut statim intulerit afferte illum ad me. Et attulerunt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus conturbavit illum; et elisus in terram volutabatur spumans.

Chrysostomus in Matth.. Hoc autem dominus permisit propter patrem pueri, ut cum vexantem daemonem videret, ad fidem futuro miraculo traheretur.

Theophylactus. Permittit etiam vexari puerum, ut ex hoc sciremus daemonis impietatem, qui occidisset eum, nisi fuisset a domino adiutus. Sequitur et interrogavit patrem eius: quantum temporis est ex quo ei hoc accidit? at ille ait: ab infantia; et frequenter eum in ignem et in aquam misit, ut eum perderet.

Beda. Erubescat iulianus, qui dicere audet omnes homines absque peccati contagione nasci in carne, tamquam innocentes per omnia, ut adam quando creatus est. Quid enim habuit iste puer ut ab infantia daemonio vexaretur acerbissimo, si nullo originalis peccati vinculo tenebatur, quia constat illum adhuc proprium non habere potuisse peccatum? **Glossa.** Exprimit autem in verbis suae petitionis, fidei defectum; unde subdit sed si quid potes, adiuva nos, misertus nostri. Cum enim dicit si quid potes, manifestat se de eius potentia dubitare: quia viderat filium suum a discipulis Christi curatum non esse. Dicit autem misertus nostri, ut designaret miseriam filii qui patiebatur, et patris qui compatiebatur. Sequitur iesus autem ait illi: si potes credere, omnia possibilia sunt credenti.

Hieronymus. Libertatem arbitrii hoc indicat quod dicit si potes. Quae autem sunt omnia quae possibilia sunt credenti, nisi quae in nomine iesu, idest salutis, postulantiur cum lacrymis? **Beda.** Aptum autem responsum dominus dedit petenti: ipse enim ait si quid potes, adiuva nos; et dominus: si potes, inquit, credere. At contra leprosus, qui fideliter clamabat: domine, si vis, potes me mundare, congruum suae fidei accepit responsum: volo: mundare.

Chrysostomus in Matth.. Quod autem dicit, tale est. Tanta est virtutis apud me superabundantia, ut non solum hoc possim, sed et alios hoc faciam operari: quare si credideris, ut oportet, et hunc ipse curare poteris, et alios multos. Sic ergo eum ad fidem reducebat qui adhuc de infidelitate loquitur; unde sequitur et continuo exclamans pater pueri cum lacrymis aiebat: domine, adiuva incredulitatem meam. Sed si crediderat dicens credo, quomodo subdit adiuva incredulitatem meam? dicamus igitur, quoniam multiplex est fides, introductoria scilicet et perfecta. Hic autem incipiens credere, salvatorem deprecabatur ut apponeret reliquum ad suam virtutem.

Beda. Nemo enim repente fit summus, sed in bona conversatione a minimis quisque inchoat, ut ad magna perveniat. Alia namque sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio. Quia igitur per occultam inspirationem gratiae, meritorum suorum gradibus fides crescit, uno eodemque tempore is qui necdum perfecte crediderat, simul et credebat, et incredulus erat.

Hieronymus. Per hoc etiam monstratur quod credulitas nostra infirma est, nisi innixa subsistat adiutorio subsidii Dei; fides autem cum lacrymis optata vota capit: unde sequitur et cum vidisset iesus concurrentem turbam, comminatus est spiritui immundo, dicens illi: surde et mute spiritus, ego praecipio tibi: exi ab eo, et amplius ne introeas in eum.

Theophylactus. Ideo autem cum videret turbam concurrere, comminatus est spiritui immundo, quia nolebat coram turba curare, ut ostentationem fugere doceret.

Chrysostomus. Quod autem comminatur, et dicit ego tibi praecipio, divinae attribuitur potestati; quod vero dicit non solum exi ab eo, sed et amplius noli introire in eum, ostendit quia ad reintrandum promptus erat, quia ille nondum erat in fide perfectus; sed hoc domini iussio inhibebat. Sequitur et exclamans, et multum discerpens eum exiit ab eo, et factus est sicut mortuus, ita ut multi dicerent, quia mortuus est. Non enim valuit mortem diabolus imponere propter verae vitae adventum. **Beda** in Matth.. Quem autem hostis impius morti similem reddidit, hunc pius salvator piae dexterarum tactu salvavit; unde sequitur iesus autem tenens manum eius elevavit eum, et surrexit. Ex quo sicut verum se esse deum potentia salvandi docuit, ita et veram se habuisse carnis naturam more tactus humani declaravit. Negat namque manichaeus insanus, veraciter eum carne indutum fuisse; sed ipse cum tot languentes suo tactu erexit, mundavit, illuminavit, haeresim illius, et antequam nata esset, damnavit. Sequitur et cum introisset in domum, discipuli eius secreto interrogabant eum: quare nos non potuimus eicere? **Chrysostomus** in Matth.. Timebant enim ne forte collatam sibi gratiam amisissent: receperant enim potestatem iam spirituum immundorum. Sequitur et dixit illis: hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione et ieiunio.

Theophylactus. Scilicet lunaticorum, vel simpliciter omnium daemoniorum genus: oportet namque ieiunare eum qui curari debet, et illum qui curat. Sic enim vera oratio perficitur, cum coniungitur orationi ieiunium, quando non gravatur qui orat ex sumptione ciborum, sed sobrius est.

Beda. Mystice autem dominus sursum discipulis mysteria regni reserat, deorsum turbis peccata infidelitatis exprobrat, et spiritus malos ab his qui vexantur expellit: nam carnales adhuc et insipientes confortat, docet, castigat; et perfectos liberius de aeternis instruit.

Theophylactus. Daemon autem iste surdus et mutus est: surdus, inquantum non vult Dei sermones audire; mutus vero, inquantum non vult alios quod condecens est docere.

Hieronymus. Peccator autem spumat stultitia, stridet iracundia, arescit ignavia. Discerpit autem spiritus appropinquantem ad salutem; et similiter quos in ventrem suum trahere desiderat, discerpit per terrores et damna, ut fecit iob.

Beda. Saepe enim dum converti ad deum post peccata conamur, maioribus novisque antiqui hostis pulsamur insidiis: quod facit ut vel odium virtutis incutiat, vel expulsionis suae vindicet iniuriam.

Gregorius moralium. Velut mortuus autem ostenditur qui a maligni spiritus potestate liberatur: quia quisquis iam terrena desideria subegit, vitam in se carnalis conversationis extinguit et mundo mortuus apparet: quem multi mortuum dicunt, quia qui spiritualiter vivere nesciunt, eum qui carnalia bona non sequitur, extinctum funditus arbitrantur.

Hieronymus. Per hoc autem quod ab infantia vexatus est, significatur gentilis populus, cuius a nativitate crevit cultus inutilis idolorum, ut stulte immolaret filios suos daemoniis; unde dicitur, quod in ignem et aquam eum misit: alii enim de gentibus ignem venerabantur, alii aquam.

Beda. Vel in hoc daemoniaco significatur quod qui originalis culpa reatu astricti veniunt in mundum, Christi sunt gratia salvandi. Ignis autem ad fervorem iracundiae referendus est, aqua ad voluptates carnis, quae dissolvere mentem per delicias solent. Non autem puero qui vim patiebatur, sed daemoni qui inferebat, comminatus est: quia qui peccantem emendare desiderat, vitium utique increpando et execrando debet exterminare, sed hominem amando refovere.

Hieronymus. Imputat autem dominus spiritui quod homini praestat, dicens surde et mute spiritus, quia ille nunquam audiet, nec loquetur quod peccator poenitens audit et loquitur. Exiens autem daemon ab homine, nunquam revertitur, si homo cor suum seraverit clavibus humilitatis et caritatis, et ostium obtinuerit immunitatis. Factus est homo sanatus velut mortuus: sanatis etenim dicitur: mortui estis, et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.

Theophylactus. Sed si iesus, idest evangelicus sermo, teneat manum, idest virtutem activam, tunc a

daemone liberabimur. Vide etiam quod primo Deus nos iuvat, deinde requiritur a nobis quod bonum operemur; unde dicitur, quod iesus elevavit illum, in quo ostenditur Dei auxilium; et surrexit, in quo monstratur hominis studium.

Beda. Dum autem docet dominus apostolos quomodo daemon nequissimus debeat expelli, omnes instituit ad vitam; ut scilicet noverimus graviora quaeque, vel immundorum spirituum, vel hominum, tentamenta, ieiuniis et orationibus esse superanda: iram quoque domini, cum in ultionem scelerum nostrorum fuerit accensa, hoc remedio singulari posse placari. Ieiunium autem generale est non solum ab escis, sed a cunctis illecebris abstinere carnalibus, immo ab omnibus vitiorum passionibus. Sic et oratio generalis non solum in verbis est quibus divinam clementiam invocamus, verum etiam in omnibus quae in obsequium nostri conditoris fidei devotione gerimus, teste apostolo, qui ait: sine intermissione orate.

Hieronymus. Vel stultitia, quae ad luxuriam carnis pertinet, sanatur; ira et ignavia oratione depellitur. Medicina cuiusque vulneris adhibenda est ei. Non sanat oculum quod calcaneo adhibetur. Ieiunio passiones corporis, et oratione pestes sanandae sunt mentis.

MARCUS 9,29-36

6929 (Mc 9,29-36)

Theophylactus. Post miracula interponit dominus sermonem de passione, ne putaretur quod involuntarie passus est; unde dicitur et inde profecti praetergredebantur galilaeam; nec volebat quemquam scire, id est se ibi esse. Docebat autem discipulos suos, et dicebat illis quoniam filius hominis tradetur in manus hominum, et occident eum.

Beda. Semper prosperis miscet tristia, ut cum repente venerint, non terreant apostolos; sed praemeditatis animis ferant.

Theophylactus. Postquam vero dixerat quod triste erat, tunc adiungit quod laetificare debet; unde sequitur et occisus, tertia die resurget, ut disceremus ex hoc, quod post angustias laetitiae subsequuntur. Sequitur autem illi ignorabant verbum, et timebant eum interrogare.

Beda. Haec ignorantia discipulorum non tam de tarditate ingenii, quam de amore nascitur salvatoris, qui carnales adhuc, et mysterii crucis ignari, quem deum verum cognoverant, mortuum credere nequibant; et quia per figuras eum loquentem saepe audire consueverant, horrentes eventum mortis eius, etiam in eis quae de sua traditione ac passione aperte loquebatur, figurate aliquid significari volebant. Sequitur et venerunt capharnaum.

Hieronymus. Capharnaum dicitur villa consolationis; et congruit interpretatio ad praedictam sententiam, qua dixerat et occisus, tertia die resurget. Sequitur qui cum domi essent, interrogabat eos: quid in via tractabatis? at illi tacebant.

Chrysostomus. Matthaeus autem dicit quod accesserunt ad iesum discipuli dicentes: quis, putas, maior est in regno caelorum? non enim ab initio narrationem incepit, sed tacuit de intelligentia salvatoris circa discipulorum cogitationes et dicta, quamvis posset intelligi quod ea etiam quae seorsum cogitabant, aut dicebant, dicebant ad eum; quia omnia erant ei ita cognita ac si ad eum dicta fuissent. Sequitur siquidem inter se in via disputaverant, quis esset illorum maior. Lucas autem dicit quod cogitatio intravit in discipulos, quis esset illorum maior. Cogitationem enim et intentionem eorum dominus ex illorum verbis manifestavit secundum historiam evangelicam.

Hieronymus. Recte autem in via tractabant de principatu. Similis enim est haec tractatio loco. Principatus enim sicut ingreditur, sic deseritur, et quamdiu tenetur, labitur, et incertum est in qua mansione, id est in qua die, finiatur.

Beda. Inde autem videtur orta disputatio discipulorum de primatu, quia viderant petrum, iacobum et iohannem seorsum ductos in montem, secretumque eis ibi aliquid esse creditum; sed et petro, secundum Matthaeum, claves regni caelorum esse promissas. Videns autem discipulorum cogitationes dominus, curat desiderium gloriae humilitate sanare, et primatum non esse quaerendum, prius simplici humilitatis commonet imperio; unde sequitur et residens vocavit duodecim, et ait illis: si quis vult primus esse, erit omnium novissimus, et omnium minister.

Hieronimus. Ubi notandum, quod illi euntes disputabant de principatu, ipse sedens docet humilitatem. Principes enim laborant, humiles quiescunt.

Chrysostomus. Appetebant quidem discipuli honorem habere a domino; desiderium etiam eis inerat ut magnificarentur a Christo: quanto enim quis maior est, tanto maioribus honoribus dignus existit; propter hoc non eorum desiderium impedivit, sed humilitatem introduxit.

Theophylactus. Non enim vult ut usurpemus nobis primatus, sed per humilitatem altitudinem consequamur. Mox autem monet eos innocentiae puerilis exemplo; unde sequitur et accipiens puerum, statuit eum in medio eorum.

Chrysostomus in Matth.. Ipso visu eis persuadens humiles esse et simplices: etenim ab invidia et vana gloria parvulus mundus existit, et a concupiscendo primatum. Non solum autem ait: si tales efficiamini, mercedem magnam accipietis; sed et si alios tales honorabitis propter me; unde sequitur quem cum complexus esset, ait illis: quisquis unum ex huiusmodi pueris recipit in nomine meo, me recipit.

Beda. In quo vel simpliciter pauperes Christi ab his qui volunt esse maiores, pro eius ostendit honore recipiendos; vel malitia parvulos ipsos esse suadet, ut simplicitatem sine arrogantia, caritatem sine invidia et devotionem sine iracundia conservent. Quod autem complectitur puerum, significat humiles suo dignos esse complexu ac dilectione. Addidit autem in nomine meo, ut formam virtutis quam, natura duce, puer observat, ipsi pro nomine Christi rationis industria sequantur. Sed quia se in pueris recipi docebat, ne putaretur hoc esse solum quod videbatur, subiunxit et quicumque me susceperit non me suscipit, sed eum qui me misit; talem se utique ac tantum credi volens, qualis et quantus est pater.

Theophylactus. Vide quantum valet humilitas, patris namque et filii inhabitationem meretur, et etiam spiritus sancti.

MARCUS 9,37-41

6937 (Mc 9,37-41)

Beda. Ioannes praecipua devotione dominum amans, excludendum beneficio putavit eum qui non recte utatur officio; unde dicitur respondit illi Ioannes dicens: magister, vidimus quemdam in nomine tuo eicientem daemonia, qui non sequitur nos, et prohibuimus eum.

Chrysostomus. Multi enim credentium charismata receperunt, nec tamen cum Christo erant; qualis erat hic qui daemones eiciebat: non enim omnes ad omnia ordinate se habebant: alii enim erant purae vitae, fidem autem tam perfecte non habebant; alii vero e contrario.

Theophylactus. Vel etiam quidam increduli videntes nomen iesu virtuosum, dicebant et ipsi hoc nomen, et signa faciebant, licet divina gratia essent indigni: volebat enim dominus etiam per indignos nomen suum ampliare.

Chrysostomus. Non autem zelo, seu invidia motus Ioannes prohibebat illum qui daemones expellebat; sed volebat quod omnes qui nomen domini invocabant, sequerentur Christum, et essent cum discipulis unum. Sed dominus per hos qui miracula faciunt, licet sint indigni, alios provocat ad fidem, et ipsosmet per hanc ineffabilem gratiam inducit ut fiant meliores; unde sequitur iesus autem ait: nolite prohibere eum.

Beda. In quo docet neminem a bono quod ex parte habet, esse arcendum; sed ad hoc potius quod nondum habet, esse provocandum.

Chrysostomus. Decenter autem eum non esse prohibendum ostendit consequenter dicens nemo est enim qui faciat virtutes in nomine meo, et possit cito male loqui de me. Hoc autem dicit propter eos qui in haeresim ceciderunt, quales erant simon, et menander et cerinthus; neque enim illi in nomine Christi miracula faciebant; sed deceptionibus quibusdam facere videbantur. Isti vero etsi non sequuntur nos, non tamen contra nos aliquid firmiter dicere valebunt, eo quod honorant in operando virtutes nomen meum.

Theophylactus. Qualiter enim male de me loquitur qui ex nomine meo occasionem gloriae habet, et per hoc quod ipsum invocatur, miracula operatur? sequitur qui enim non est adversum vos, pro vobis est.

Augustinus de cons. Evang.. Videndum est, ne hoc illi sententiae domini videatur contrarium, ubi ait: qui mecum non est, adversum me est. An hoc interesse aliquis dicet, quia hic discipulis ait qui non est adversum vos, pro vobis est; ibi autem de seipso locutus est: qui mecum non est, adversum me est? quasi non possit cum illo non esse qui discipulis eius tamquam membris eius sociatur. Alioquin quomodo verum erit: qui vos recipit, me recipit? aut potest etiam non esse adversus eum qui fuerit adversus discipulos suos? nam ubi erit illud: qui vos spernit, me spernit? sed nimirum hoc vult intelligi intantum cum illo non esse aliquem, inquantum est adversus illum; et intantum adversus illum non esse, inquantum cum illo est: exempli gratia, sicut iste qui in nomine Christi virtutes faciebat, et in societate discipulorum non erat, inquantum operabatur virtutes in illo nomine, intantum cum ipsis erat, et adversus eos non erat; inquantum vero eorum societati non adhaerebat, intantum cum ipsis non erat, et adversus eos erat. Sed quia illi hoc eum facere prohibuerunt in quo cum ipsis erat, dixit eis dominus nolite prohibere: illud enim prohibere debuerunt quod extra eorum erat societatem, ut illi unitatem ecclesiae suaderent, non illud in quo cum illis erat, nomen scilicet magistri et domini eorum in expulsionem daemonum commendans, sicut ecclesia catholica facit, non improbens in haereticis sacramenta communia, sed divisionem, vel aliquam adversam paci veritatisque sententiam: in hoc enim adversus nos sunt.

Chrysostomus. Vel aliter. Hoc dicitur de credentibus in eum, qui tamen ipsum non sequuntur propter vitae laxationem. Illud autem de daemonibus dicitur, qui a Deo omnes student separare, et congregationem eius dispergere. Sequitur quisquis enim potum dederit vobis calicem aquae frigidae in nomine meo, quia Christi estis, amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

Theophylactus. Quasi dicat: non solum hunc qui in nomine meo miracula operatur, non prohibeo; sed et quisquis minimum quid dederit vobis propter nomen meum, et receperit vos propter me, non propter humanam gratiam et mundanam, non perdet mercedem suam.

Augustinus de cons. Evang.. Unde ostendit quod ille de quo Ioannes suggesserat, non ita separabatur a societate discipulorum ut eam tamquam haereticus improbaret; sed sicut solent homines nondum audere Christi suscipere sacramenta, et tamen nomini favere Christiano, ita ut Christianos etiam suscipiant, et non ob aliud eis nisi quia Christiani sunt obsequantur; de quibus dicit, quod non perdent mercedem suam: non quia iam tuti atque securi sibi debeant videri ex hac benevolentia quam erga Christianos habent, etiam si Christi baptismo non abluantur, nec unitati eius incorporentur; sed quia ita iam Dei misericordia gubernentur ut ad ea quoque perveniant, atque ita securi de hoc saeculo abscedant.

Chrysostomus. Et ne quis paupertatem alleget, ponit illud quo non contingit egere, scilicet calicem aquae frigidae; pro quo etiam consequetur mercedem. Non enim pretium dati, sed dignitas recipientium, et affectus dantium facit opus dignum mercede. Non solum autem recipiendos discipulos verbo ostendit ex mercede quam aliquis consequitur, sed etiam quia retrahitur a tormento. Sequitur et qui scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me, bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo eius, et in mare mitteretur; quasi dicat: si qui vos propter me honorant, mercedem habent; sic et inhonorantes, id est scandalizantes, ultimam accipient ultionem. Ex manifestis autem nobis tormentum describit intolerabile, faciens mentionem molae et submersionis; et non ait: mola suspendatur in collo, sed bonum est ei hoc sustinere, demonstrans quoniam eum gravius aliquod malum expectat. Pusillos autem in se credentes dicit eos qui invocant nomen eius, non solum sequentes; etiam eos qui calicem frigidum offerunt, et non operantur alia maiora. Istorum autem neminem vult scandalizari, neque supplantari; hoc enim est prohibere nomen eius invocare.

Beda. Recte autem qui scandalizari potest, pusillus appellatur: qui enim magnus est, quodcumque passus fuerit, non declinat a fide; qui autem pusillus est animo, et parvus, occasiones quaerit quo scandalizetur. Propterea oportet nos maxime his consulere qui parvi sunt in fide, ne occasione nostri offendantur, et recedant a fide, ac decidant a salute.

Gregorius super ezech.. Notandum tamen, quod in nostro bono opere aliquando cavendum est scandalum proximi, aliquando autem pro nihilo contemnendum. In quantum enim sine peccato possumus vitare proximi scandalum, debemus; si autem de veritate scandalum ponitur, utilius permittitur scandalum nasci, quam veritas relinquitur.

Gregorius reg. Pastor.. Mystice autem in mola asinaria saecularis vitae circuitus ac labor exprimitur, et per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo ceteros destruit, vel exemplo, melius profecto erat ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia in culpa ceteris imitabilem demonstrarent: quia nimirum si solus caderet, utcumque hunc tolerabilior inferni poena cruciaret.

MARCUS 9,42-49

6942 (Mc 9,42-49)

Beda. Quia supra docuerat dominus ne scandalizarem eos qui credunt in eum, nunc consequenter admonet quantum cavere debeamus eos qui scandalizare nos, idest verbo, vel exemplo suo ad ruinam peccati propellere, certant; unde dicitur et si scandalizaverit te manus tua, abscinde illam.

Chrysostomus. Non de membris hoc dicit, sed de propinquis amicis, quos quantum ad necessaria in membrorum ordine nos habemus: nihil enim tam nocivum ut pernicioza societas.

Beda. Manum quippe nostram appellat necessarium amicum, cuius auxilio quotidiano opus habemus; sed si talis nos laedere in causa animae voluerit, excludendus est a nostra societate, ne si cum perditio in hac vita partem habere volumus, simul in futuro cum illo pereamus; unde sequitur bonum est tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem.

Glossa. Debilem dicit adiutorio alicuius amici privatum: nam melius est absque amico ire in vitam, quam cum eo ire in gehennam.

Hieronymus. Vel aliter. Bonum est tibi debilem ingredi in vitam, idest, sine cupito principatu, quam duas manus habentem. Duae manus principatus sunt humilitas et superbia. Abscinde superbiam, tenens humilem principatum.

Chrysostomus. Deinde testimonium propheticum ex isaia propheta inducit, dicens ubi vermis eorum non moritur, et ignis non extinguitur. Non de sensibili verme hoc dicit, sed vermem conscientiam vocat mordentem animam, quod non sit operata bonum. Unusquisque enim sui ipsius accusator fiet, rememorans quae gessit in vita mortali, et sic eorum vermis immortalis permanet.

Beda. Sicut autem vermis est dolor interior accusans, sic ignis est poena extrinsecus saeviens. Vel in verme putredinem gehennae, sicut in igne ardorem designat.

Augustinus de civ. Dei. Utrumque autem horum, ignem scilicet, ac vermem, qui volunt ad animae poenas, non ad corporis pertinere, dicunt etiam uri dolore animae, sero ac infructuose poenitentis, eos qui fuerint a regno Dei separati; et ideo ignem pro isto dolore urente non incongrue poni posse contendunt, secundum illud apostoli: quis scandalizatur, et ego non uror? eundem etiam dolorem vermem putant intelligendum esse, secundum illud: sicut tinea vestimentum, vermis lignum, sic moeror excruciat cor viri. Qui vero poenas et animae et corporis in illo supplicio futuras esse non dubitant, igne uri corpus, animam vero rodi quodammodo verme moeroris affirmant; quod etsi credibilius dicitur, quia utique absurdum est ibi dolorem aut corporis, aut animae defuturum; ego tamen facilius existimo ut ad corpus utrumque dicam pertinere quam neutrum: et ideo tacitum esse in istis divinae scripturae verbis animi dolorem, quia consequens esse intelligitur ut corpore dolente animus quoque crucietur. Eligat ergo quisque quod placet: aut ignem tribuere corpori, animae vermem, hoc proprie, illud tropice; aut utrumque proprie corpori. Possunt enim animalia etiam in ignibus vivere, in ustione sine consumptione, in dolore sine morte per miraculum potentissimi creatoris. Sequitur et si pes tuus scandalizat te.

Beda. Pes amicus dicitur propter ministerium discursus, quasi nostris usibus accommodatus. Sequitur quod si oculus tuus scandalizat te. Oculus dicitur amicus utilis atque sollicitus et acutus ad perspiciendum.

Augustinus de cons. Evang.. Hic profecto apparet quod illi qui nomini Christi sunt devoti, et priusquam Christianorum numero socientur, utiliores sunt quam hi qui, cum iam Christiani appellentur et Christianis sacramentis imbuti sint, talia suadent ut eos quibus ea persuaserint, secum in aeternam poenam pertrahant: quos membrorum corporalium nomine, tamquam manum vel oculum scandalizantem, iubet erui a corpore, hoc est ab ipsa unitatis societate; ut sine his potius veniatur ad vitam, quam cum eis eatur in gehennam. Hoc ipso autem separantur a quibus separantur, quod eis mala suadentibus, hoc est scandalizantibus, non consentiunt. Et si quidem omnibus bonis cum quibus eis societas est, de hac perversitate innotescunt, ab omni penitus societate atque ab ipsa divinorum sacramentorum participatione separentur. Si autem quibusdam ita noti sunt, pluribus autem ista eorum est ignota perversitas, ita tolerandi sunt ut neque illis ad iniquitatis communionem consentiatur, neque propter illos bonorum societas deseratur.

Beda. Quia vero dominus tertio mentionem vermis et ignis fecerat, ut hoc valeamus evitare tormentum,

subdit omnis enim igne salietur. Foetor enim vermium de corruptione solet nasci carnis et sanguinis; ideoque caro recens sale conditur, ut exsiccato humore sanguineo, vermescere nequeat. Et quidem quod sale salitur, vermis putredinem arcet; quod vero igne salitur, idest ignibus sale aspersis reconditur, non solum vermes abicit, sed ipsam quoque carnem consumit. Caro ergo et sanguis vermes creat: quia delectatio carnalis, cui condimentum continentiae non resistit, poenam luxuriosis generat aeternam; cuius foetorem quisquis vitare desiderat, et corpus sale continentiae, et mentem studeat condimento sapientiae ab erroris et vitiorum labe castigare. Sal enim dulcedinem sapientiae, ignis spiritus sancti gratiam designat. Dicit ergo omnis igne salietur: quia omnis electus sapientia spirituali debet a corruptione concupiscentiae carnalis expurgari. Vel ignis est tribulationis, quo patientia fidelium, ut perfectum opus habere possit, exercetur.

Chrysostomus. Simile autem est huic quod dicit apostolus: uniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Postea a levitico testimonium introducit dicens et omnis victima salietur.

Hieronymus. Victima domini est genus humanum, quod hic ratione sapientiae salitur, dum corruptio sanguinis, custodia putredinis et mater vermium, consumetur, et illic purgatorio igne examinabitur.

Beda. Possumus et ita intelligere: quod altare Dei sit cor electorum; hostiae vero et sacrificia in hoc altari offerenda, bona sunt opera fidelium. In omnibus autem sacrificiis sal debet offerri: quia nullum est opus bonum quod non sal sapientiae ab omni corruptione vanae laudis ceterisque pravis sive superfluis cogitationibus expurgat.

Chrysostomus. Vel hoc dicitur, quia omne munus victimae nostrae, quae est secundum orationem et proximi subventionem, salitur igne divino, de quo dicitur: ignem veni mittere in terram; de quo subditur bonum est sal, idest ignis dilectionis. Quod si sal insulsum fuerit, idest seipso privatum, et propria qualitate per quam dicitur bonum, in quo illud condietis? sunt enim sales sal habentes, qui scilicet habent gratiae plenitudinem; et sunt sales sal non habentes: qui enim non sunt pacifici, sal sunt insulsum.

Beda. Vel bonum est sal: bonum est Dei verbum audire frequentius et sale sapientiae spiritualis cordis arcana condire.

Theophylactus. Sicut enim sal carnes conservat, et vermes eas non sinit generare, sic et sermo doctoris, si desiccativus erit, carnales homines constringit, et in eis inextinguibilem vermem non sinit generari; si vero sit insulsus, idest si virtutem desiccativam et conservativam non habeat, in quo condietur? **Chrysostomus.** Vel, secundum Matthaeum, discipuli Christi sunt sal, qui totum orbem conservant, resistentes putredini, quae est ab idololatria et fornicatione peccatorum. Potest etiam intelligi quod unusquisque nostrum habeat tantum salis quantum capax est Dei gratiarum; unde et apostolus coniungit gratiam sali, dicens: sermo vester sit in gratia sale conditus. Sal etiam est dominus iesus Christus, qui fuit sufficiens totam terram conservare, et multos in terra fecit sales: quorum si aliquis marcescat (possibile est enim et bonos in putredinem transmutari), dignum est ut foras mittatur.

Hieronymus. Vel aliter. Sal insulsum est qui amat principatum et increpare non audet; unde sequitur habete in vobis sal, et pacem habete inter vos: ut scilicet salsedinem correptionis amor proximi temperet, et dilectionem proximi sal iustitiae condiat.

Gregorius super ezech.. Vel hoc dicitur contra quosdam, quos dum maior scientia erigit, a ceterorum societate disiungit; et quo plus sapiunt, eo a concordiae virtute respiscunt.

Gregorius reg. Pastor.. Qui etiam loqui sapienter nititur, magnopere metuat ne eius eloquio audientium unitas confundatur; ne dum sapiens videri desiderat, unitatis compagem insipienter abscindat.

Theophylactus. Vel qui constringit se vinculo dilectionis ad proximum, hic salem habet, et ex hoc pacem cum fratre suo.

Augustinus de cons. Evang.. Haec marcus dominum locutum fuisse contextim commemorat; et aliqua posuit quae nullus alius evangelistarum posuit, alia vero quae Matthaeus quoque posuit, et aliqua quae Matthaeus et Lucas; sed illi ex aliis occasionibus et in alio rerum ordine: unde mihi videtur etiam hoc loco dominum ideo dixisse quae aliis locis dixit, quia satis pertinebant ad hanc ipsam eius sententiam, qua vetuit prohiberi virtutes in nomine suo fieri, etiam ab illo qui cum discipulis eum non sequebatur.

MARCUS 10,1-12

7001 (Mc 10,1-12)

Beda. Hucusque marcus ea narravit de domino quae in galilaea fecit et docuit; hic incipit enarrare quae in iudaea fecit et docuit sive passus est, et primo quidem trans iordanem ad orientem; et hoc est quod dicitur et inde exurgens venit in fines iudaeae ultra iordanem. Deinde etiam circa iordanem, quando venit iericho, bethaniam et hierosolymam. Et cum omnis iudaeorum provincia generaliter ad distinctionem aliarum gentium iudaea sit dicta, specialius tamen meridiana eius plaga appellabatur iudaea, ad distinctionem samariae, galilaeae, decapolis et ceterarum in eadem provincia regionum.

Theophylactus. Visitat autem regionem iudaeae, quam saepe propter iudaeorum aemulationem reliquerat, quia passio in ea erat futura; non tamen ascendit tunc hierosolymam, sed iudaeae confinia, ut turbae non malitiosae proficerent; hierosolyma enim erat operatrix omnis nequitiae ob malitiam iudaeorum; unde sequitur et conveniunt iterum turbae ad eum; et sicut consueverat, iterum docebat illos.

Beda. Notanda est mentium distantia in turbis et pharisaeis: hae conveniunt ut doceantur, et sui sanentur infirmi, sicut Matthaeus commemorat; illi accedunt ut salvatorem tentando decipiant; unde sequitur et accedentes pharisaei interrogabant eum, si licet viro uxorem dimittere, tentantes eum.

Theophylactus. Accedunt quidem non deserentes eum, ne turbae in eum crederent; sed continue accedentes credebant eum in dubitationem deducere, et eum per interrogationes confundere. Proposuerunt autem ei quaestionem ex utraque parte praecipitium habentem: ut si dicat, quod licet viro uxorem dimittere, vel non licet, accusarent ipsum, contradicentes eidem ex dogmatibus moysi. Christus igitur sapientia ipsa respondit eis responsionem illorum laqueos fugientem.

Chrysostomus in Matth.. Interrogatus enim si licet, non statim respondit: non licet, ne tumultuentur; sed primo eis legis sententiam voluit respondere, ut quod eum dicere oportebat, hoc illi responderent: unde sequitur at ille respondens ait: quid vobis praecepit Moyses? sequitur qui dixerunt: Moyses permisit libellum repudii scribere et dimittere. Proponunt quidem Moysen hoc dixisse, aut propter interrogationem salvatoris, aut volentes in eum virorum multitudinem incitare. Etenim hoc iudaeis erat indifferens, et omnes hoc operabantur tamquam a lege permissum.

Augustinus de cons. Evang.. Nihil autem ad rei veritatem interest utrum domino separationem prohibenti, et sententiam suam de lege firmanti, ipsae turbae, ut Matthaeus narrat, intulerint quaestionem de libello repudii per eundem Moysen sibi permissio, an hoc quidem illi de praecepto moysi illos interroganti responderint, ut marcus hic dicit: nam et voluntas eius ita se habebat ut non eis redderet rationem cur illud Moyses permiserit, nisi prius ipsi hoc commemorassent. Cum ergo voluntas loquentium, cui debent verba servire, ab evangelista utroque monstrata sit, nihil interest iam, licet diversus inter ambos fuerit modus narrandi. Potest etiam hoc intelligi quod, sicut dicit marcus, prius eos de uxore dimittenda interrogantes, dominus vicissim interrogavit quid eis praecepit Moyses; qui cum respondissent, Moysen permisisse libellum repudii scribere, et dimittere, respondit eis de ipsa lege per Moysen data, quomodo Deus instituerit coniugium masculi et feminae, dicens ea quae ponit Matthaeus; quibus auditis, illi id quod ei primo interroganti responderant, repetierunt, dicentes quid ergo mandavit Moyses? **Augustinus** contra faustum. Nolebat autem dimitti uxorem a viro, qui hanc interposuit moram, ut in dissidium animus praeceps, libelli conscriptione refractus absisteret, praesertim quia, ut perhibent, apud hebraeos scribere litteras hebraeas nulli fas erat nisi solis scribis. Ad hos igitur quos oporteret esse prudentes legis interpretes, et iustos dissidii dissuasores, lex mittere voluit eum quem iussit libellum dare repudii, si dimisisset uxorem. Non enim poterat ei scribi libellus nisi ab ipsis, quem per hanc occasionem, et necessitatem venientem quodammodo in manus suas bono consilio regerent, atque inter ipsum et uxorem pacifice agendo dilectionem, concordiamque suaderent. Quod si tantum intercederet odium ut extingui, emendarique non posset, tunc utique scriberetur libellus: quia frustra non dimitteret quam sic odisset ut ad debitam coniugio caritatem nulla prudentium suasionem revocaretur; propter hoc subditur quibus respondens iesus ait: ad duritiam cordis vestri scripsit vobis praeceptum istud. Magna enim duritia erat, quae nec per libelli interpositionem, ubi dissuadendi locus iustis et prudentibus tribuebatur, solvi, vel flecti posset ad recipiendam, vel revocandam coniugii caritatem.

Chrysostomus. Vel dicitur ad duritiam cordis vestri, quia si anima fuerit purgata desideriis et ira, possibile est mulierem nequissimam tolerare. Multiplicatis autem in anima passionibus praedictis, multa mala contingent circa odiosum connubium. Sic igitur ab incusatione eorum Moysen eripit, qui dederat legem, et totum in eorum caput convertit. Sed quia grave erat quod dictum est, statim ad antiquam legem sermonem reducit, dicens ab initio autem creaturae, masculum et feminam fecit eos Deus.

Beda. Non ait: masculum et feminas, quod ex priorum repudio quaerebatur; sed masculum et feminam, ut unius coniugis consortio necterentur.

Chrysostomus in Matth.. Si autem voluisset hanc quidem dimitti, et alteram introduci, creasset plurimas mulieres. Nec solum homini Deus mulierem coniunxit; sed et relinquere parentes praecepit, et mulieri adhaerere; unde sequitur et dixit, scilicet Deus per adam: propter hoc relinquet homo patrem suum, et matrem suam, et adhaerebit ad uxorem suam, ex ipso modo locutionis inseparabilitatem matrimonii demonstrans, quia dicit adhaerebit.

Beda. Et similiter quia dicit adhaerebit ad uxorem suam, non ad uxores. Sequitur et erunt duo in carne una.

Chrysostomus in Matth.. Idest ex una radice facti, in unum corpus convenient. Sequitur itaque iam non sunt duo, sed una caro.

Beda. Primum igitur nuptiarum est ex duabus unam carnem fieri. Castitas iuncta spiritui, unus efficitur spiritus.

Chrysostomus in Matth.. Post hoc terribile faciens argumentum, non dixit: ne dividatis; sed conclusit: quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.

Augustinus contra faustum. Ecce iudaei ex libris moysi convincuntur, non esse uxorem dimittendam, qui secundum voluntatem legis moysi arbitrabantur se facere cum dimitterent. Similiter et illud hinc ipso Christo attestante cognoscimus deum fecisse, et coniunxisse masculum et feminam; quod manichaei negando damnantur; non iam moysi libris, sed Christi evangelio resistentes.

Beda. Quod ergo Deus coniunxit, unam faciendo carnem viri et feminae, hoc homo non potest separare, sed solus Deus. Homo separat quando propter desiderium secundae uxoris primam dimittimus; Deus separat quando ex consensu propter servitatem Dei sic habemus uxores quasi non habentes.

Chrysostomus. Si autem duo quos Deus coniunxit, separari non debent, multo magis ecclesiam, quam Deus Christo coniunxit, ab eo non convenit separare.

Theophylactus. Quia vero scandalizabantur discipuli, tamquam ex praedictis non plene eis fuerit satisfactum, propter hoc eum iterum interrogant; unde sequitur et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogaverunt eum.

Hieronimus. Secunda interrogatio ab apostolis iterum dicta est: quia de eadem re, de qua pharisaei, eum interrogaverunt, idest de coniugii statu: et hoc proprie dicit marcus.

Glossa. Iterata enim verbi sententia, non fastidium, sed esuriam et sitim praestat: unde qui me comedunt, adhuc esurient; et qui me bibunt, adhuc sitient. Melliflua enim sapientiae eloquia gustata, diligentibus multimodum saporem reddunt: unde dominus iterato discipulos instruit; nam sequitur et dixit illis: quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam.

Chrysostomus. Adulterium vocat non cum sua simul esse: non enim est sua quam accepit, prima derelicta; et propter hoc committit adulterium super eam, idest super secundam quam introducit. Idem autem est et de muliere; unde sequitur et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur. Non enim alteri, ut proprio viro potest coniungi, si proprium derelinquat. Et quidem lex prohibuit adulterium manifestum; sed salvator hoc non manifestum, neque ab omnibus notum, naturae tamen contrarium.

Beda. In Matthaeo vero scriptum est plenius: quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem. Una ergo solum carnalis est causa, fornicatio; una spiritualis, timor Dei, ut uxor dimittatur, sicut multi religionis causa fecisse leguntur. Nulla autem causa est Dei lege perscripta, ut vivente ea quae relicta est, alia adducatur.

Chrysostomus. Quod autem Matthaeus dicit, pharisaeis haec verba dixisse, marcus vero discipulis, non est contrarium: contingit enim haec et his et illis dicta esse.

7013 (Mc 10,13-16)

Theophylactus. Ostensa superius nequitia pharisaeorum Christum tentantium, nunc ostenditur multa fides turbarum, quae tantum manuum impositione putabant Christum benedicere parvulos quos illi offerebant; unde dicitur et offerebant illi parvulos, ut tangeret eos.

Chrysostomus in Matth.. Sed discipuli prohibebant offerentes, propter Christi dignitatem; et hoc est quod subditur discipuli autem comminabantur offerentibus. Salvator autem erudiens discipulos sapere moderata et tumorem conculcare mundanum, accipit pueros, et eis praenuntiat regnum Dei; unde sequitur et dixit illis: sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos.

Origenes in Matth.. Si quis ergo eorum qui doctrinam ecclesiasticam profitentur, videat aliquem offerentem quosdam et infirmos qui propter hoc appellati sunt pueri et infantes, non prohibeat quasi sine iudicio facientem eum qui offert tales salvatori. Post hoc exhortatur discipulos suos iam viros constitutos condescendere utilitatibus puerorum, ut fiant pueris quasi pueri, ut pueros lucentur. Nam et ipse cum in forma Dei esset, humilians se factus est puer; unde subdit talium est enim regnum Dei.

Chrysostomus in Matth.. Etenim ab omnibus passionibus pura existit anima pueri: propter hoc oportet ut haec ex voluntate operemur quae pueri habent per naturam.

Theophylactus. Unde non dixit: horum est regnum Dei; sed talium, scilicet habentium ex studio et labore innocentiam et simplicitatem quam habent pueri ex natura. Puer enim non odit, neque malitiose aliquid operatur, neque verberatus a matre discedit; sed etsi eum vilibus induat vestimentis, praefert ea regalibus indumentis: sic et ille qui vivit secundum virtutem ecclesiae matris suae, nihil huic praehonorat, neque etiam reginam multorum voluptatem; unde et dominus subdit amen dico vobis: quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud.

Beda. Idest, nisi talem habueritis innocentiam, et animi puritatem, sicut parvulus habet, regnum caelorum non poteritis intrare. Aliter. Regnum Dei, idest doctrinam evangelii, sicut parvulus, recipere iubemur: quia quomodo parvulus in discendo non contradicit doctoribus, neque rationes, et verba componit eis resistens; sed fideliter suscipit quae docent, et cum metu obtemperat, et discit: ita et nos obediendo simpliciter, et sine ulla contradictione verbum domini suscipere debemus. Sequitur et complexans eos, et imponens manus super illos benedicebat eos.

Chrysostomus. Bene autem amplexatur eos ad benedictionem tamquam in proprium sinum elevans, propitiatus facturam suam ab eo cadentem ab initio, et divisam. Imponit autem parvulis manus, docens divinae virtutis operationem. Et quidem secundum consuetudinem aliorum manus imponit; sed non secundum consuetudinem operatur: Deus enim existens, humanum modum servabat tamquam verus homo factus.

Beda. Complexus etiam benedixit parvulos, ut humiles spiritu sua benedictione, et gratia, et dilectione dignos esse significet.

MARCUS 10,17-27

7017 (Mc 10,17-27)

Beda. Audiverat quidam a domino, tantum eos qui parvulorum volunt esse similes, dignos esse introitu regni caelorum, atque ideo poscit sibi exponi non parabolis, sed aperte, quibus operum meritis vitam aeternam consequi possit; unde dicitur et cum egressus esset in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum, dicens: magister bone, quid faciam ut vitam aeternam percipiam? Theophylactus. Miror de hoc iuvene, qui omnibus aliis pro infirmitatibus ad Christum accedentibus, hic vitae aeternae possessionem postulat, cum maligna sit passio avaritiae, propter quam postmodum contristatus est.

Chrysostomus in Matth.. Quia vero accesserat ad Christum, tamquam ad hominem, et ad unum iudaicorum doctorum, Christus tamquam homo respondit eidem; unde sequitur iesus autem dixit ei: quid me dicis bonum? nemo bonus nisi unus Deus. Haec autem dicens non excludit homines a bonitate, sed a comparatione bonitatis divinae.

Beda. Unus autem bonus, non pater solus intelligendus est, sed et filius, qui dicit: ego sum pastor bonus;

sed et spiritus sanctus, quia dicitur: pater de caelis dabit spiritum bonum petentibus se. Ipsa enim una et individua trinitas, pater et filius et spiritus sanctus, solus et unus Deus bonus est. Non igitur dominus se bonum negat, sed esse deum significat; non se magistrum bonum non esse, sed magistrum absque Deo nullum bonum esse testatur.

Theophylactus. Voluit igitur dominus per haec verba mentem iuvenis facere altiolem, ut ipsum cognosceret tamquam deum. Sed et aliud quidem innuit in his verbis: ut quando debes conferre cum aliquo, non adulando cum eo conferas, sed respicias radicem bonitatis et fontem deum, et ei praestes honorem.

Beda. Notandum autem, quod iustitia legis suo tempore custodita, non solum bona terrae, verum etiam suis electoribus vitam conferebat: unde dominus de vita aeterna quaerenti consequenter dixit praecepta nosti: ne adulteres, ne occidas, etc.. Haec est enim puerilis innocentia, quae nobis imitanda proponitur, si regnum Dei volumus intrare; unde sequitur at ille respondens ait: magister, haec omnia observavi a iuventute mea. Non est putandus homo iste vel voto tentantis, ut quidam putaverunt, dominum interrogasse, vel de sua vita esse mentitus, sed simpliciter ut vixerat esse confessus: quod patet ex hoc quod subditur iesus autem intuitus eum, dilexit eum, et dixit ei. Si autem aut mendacii aut simulationis noxa reus teneretur, nequaquam intuitus arcana cordis eius diligere diceretur iesus.

Origenes super Matthaeum. In hoc enim quo dilexit eum vel osculatus est eum, videtur affirmasse professionem eius, qui dixit se omnia ista implisse. Intendens enim mente in eum, vidit hominem ex bona conscientia confitentem.

Chrysostomus. Dignum tamen est inquirere qualiter hunc dilexit, qui eum non erat secutus. Est autem hoc dicere, quoniam quantum ad priora dignus erat amore, quae legis sunt observans a iuventute; circa finem vero neque diminutionem prioris dilectionis consecutus est, sicut neque perfectionem suscepit. Etsi enim non excesserat mensuram humanam, Christi perfectionem non sequens, nullo tamen crimine existebat reus, iuxta possibilitatem hominis legem observans; et in hac observatione Christus eum dilexit.

Beda. Diligit enim dominus eos qui mandata legis, quamvis minora, custodiunt; sed nihilominus quae in lege minus fuerat his qui perfecti esse desiderant ostendit: quia non venit solvere legem, sed adimplere; unde sequitur et dixit: unum tibi deest: vade, quaecumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo, et veni, sequere me. Quicumque enim perfectus esse voluerit, debet vendere quae habet, non ex parte, sicut ananias fecit et saphira, sed totum.

Theophylactus. Et cum vendiderit, dare pauperibus, non histrionibus et luxuriosis.

Chrysostomus in Matth.. Bene autem non fecit aeternae vitae mentionem, sed thesauri, dicens et habebis thesaurus in caelo. Quia enim de pecuniis erat sermo et de abrenuntiatione omnium, ostendit quod reddit plura his quae praecepit relinquere, quanto maius est caelum quam terra.

Theophylactus. Sed quia multi sunt pauperes non humiles, sed ebrii, aut aliquam aliam habentes malitiam, propter hoc dicit et veni, sequere me.

Beda. Sequitur enim dominum qui imitator eius est, et per vestigia eius graditur. Sequitur qui contristatus in verbo abiit moerens.

Chrysostomus in Matth.. Et causam tristitiae subdit evangelista dicens erat enim possessiones habens multas. Non enim eodem modo afficiuntur qui pauca habent, et qui multa. Adiectio enim acquisitarum divitiarum maiorem flammam cupiditatis accendit. Sequitur et circumspiciens iesus, ait discipulis suis: quam difficile qui pecuniam habent, in regnum Dei introibunt.

Theophylactus. Non hoc dicit quod divitiae malae sint, sed habentes ipsas ut custodiant: decet enim non ipsas habere, id est retinere et custodire, sed eis in necessariis uti, et in servitio hominis esse.

Chrysostomus in Matth.. Dixit autem hoc dominus discipulis pauperibus existentibus et nihil possidentibus, instruens eos inopiam non erubescere; et quasi excusando eis respondens, pro eo quod nihil eos habere concesserat. Sequitur discipuli autem obstupuerunt in verbis eius. Manifestum est enim quoniam inopes existentes pro aliorum salute dolebant.

Beda. Sed quia inter pecunias habere et amare multa distantia est: unde et salomon non ait: qui habet, sed: qui amat divitias, fructum non capit ex eis, ideo dominus obstupescentibus discipulis verba praemissae sententiae exponit; unde sequitur at iesus rursus respondens ait illis: filioli, quam difficile est confidentes in pecuniis in regnum Dei introire. Ubi notandum est, quod non ait: quam impossibile est; sed quam difficile

est: quod enim impossibile est, omnino fieri non potest; quod difficile, cum labore potest.

Chrysostomus in Matth.. Vel dicens difficile, ostendit esse impossibile, et non simpliciter, sed cum quadam intentione; et hoc ostendit exemplo, dicens facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem intrare in regnum Dei.

Theophylactus. Camelum siquidem oportet intelligere aut ipsum animal, aut funem illum crassum, quo naves magnae utuntur.

Beda. Quomodo ergo vel in evangelio Matthaeus et ioseph, vel in veteri testamento quamplurimi divites intraverunt in regnum Dei, nisi forte, quia divitias vel pro nihilo habere vel ex toto relinquere, domino inspirante, didicerunt? altiore autem sensu, facilius est Christum pati pro dilectoribus suis, quam dilectores saeculi ad Christum posse converti. Cameli enim nomine se intelligi voluit, quia infirmitatis nostrae onera sustulit; per acum autem significat punctiones, idest dolores in passione susceptos. Foramen ergo acus dicit angustias passionis, qua scissa nostrae quasi vestimenta naturae quodammodo resarcire dignatus est. Sequitur qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos: et quis potest salvus fieri? cum incomparabiliter maior sit turba pauperum, quae divitibus perditis potest salvari; intellexerunt tamen cunctos qui divitias amant, etiam si adipisci nequeant, in divitum numero deputari. Sequitur et intuens eos iesus ait: apud homines impossibile est; sed non apud deum. Quod non ita intelligendum est quasi cupidi et superbi in regnum caelorum sint intraturi cum cupiditate et superbia; sed possibile est Deo ut a cupiditate et superbia ad caritatem et humilitatem convertantur.

Chrysostomus in Matth.. Ideo autem hoc opus Dei esse dixit, ut ostenderet quod multa opus est illi gratia qui ad hoc a Deo dirigitur: unde monstratur quod non parva merces est divitibus volentibus Christi philosophiam sequi.

Theophylactus. Vel intelligendum est quod dicit apud homines impossibile est, sed non apud deum, quia cum deum audimus, hoc fit possibile; cum vero humana sapimus, impossibile. Sequitur omnia enim possible sunt apud deum. Cum omnia dicit, entia subintelligas; peccatum non est ens: est enim res absque essentia et hypostasi peccatum. Vel aliter. Peccatum non virtutis, sed infirmitatis est; et ideo peccatum sicut et infirmitas impossibile est apud deum. Sed numquid Deus facere potest ut id quod factum est, non sit factum? ad quod dicitur, quod Deus est summa veritas; facere autem quod factum est, ut non sit factum, falsum est. Qualiter ergo veritas faciet falsum? prius igitur destruet propriam naturam, ut quidam dicunt: numquid potest Deus non esse Deus? hoc enim ridiculum est.

MARCUS 10,28-31

7028 (Mc 10,28-31)

Glossa. Quia iuvenis, audito consilio salvatoris de rerum dimissione, tristis abscesserat, discipuli autem Christi praemissum consilium iam adimpleverant; sollicitare coeperunt de praemio, aestimantes se magnum aliquid fecisse, cum iuvenis qui praecepta legis impleverat, hoc sine tristitia nec audire potuerit: unde petrus pro se et aliis dominum interrogat: et hoc est quod dicitur et coepit ei petrus dicere: ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te.

Theophylactus. Petrus, etsi pauca dimisit, tamen haec omnia vocat: nam et pauca habent vinculum passionis; ita ut beatificetur ille qui pauca relinquit.

Beda. Et quia non sufficit tantum dimittere, iungit quod perfectum est: et secuti sumus te; quasi dicat: fecimus quod iussisti; quid igitur dabis nobis praemii? petro autem de discipulis tantum interrogante, dominus universalem responsonem facit: unde sequitur respondens iesus ait: amen dico vobis, nemo est qui reliquerit domum aut fratres. Hoc autem dicens, non innuit ut patres relinquamus, non adiuvantes eos, neque ut ab uxoribus separemur; sed nos instruit praeferre honorem Dei saecularibus rebus.

Chrysostomus in Matth.. Mihi autem videtur quod in hoc intendebat persecutiones futuras occulte praenuntiare: quia futurum erat ut multi patres ad impietatem filios inducerent et uxores viros. Non autem differt dicere propter nomen meum aut evangelium, ut marcus dicit, aut propter regnum Dei, ut ait Lucas; etenim nomen Christi virtus evangelii est et regni: evangelium enim recipitur in nomine iesu Christi, et regnum Dei per nomen ipsius cognoscitur, et venit.

Beda. Quidam autem ex occasione huius sententiae qua dicitur accipiet centies tantum, nunc in tempore

hoc, etc., iudaicam mille annorum fabulam post resurrectionem iustorum dogmatizant, quando omnia quae propter deum dimisimus, multiplici sunt foenore reddenda, insuper et vita aeterna donanda. Nec vident quod etsi in ceteris digna sit promissio, in uxoribus tamen centenis, iuxta alios evangelistas, apparet turpitude? praesertim cum dominus in resurrectione nubendum non esse testetur, et ea quae propter se dimissa fuerint, recipienda in hoc tempore cum persecutionibus asseveret: quas mille annis suis abesse affirmant.

Chrysostomus. Est quidem igitur centies tantum merces secundum communicationem, et non secundum possessionem: hoc enim adimplevit eis dominus non corporaliter, sed alio quodam modo.

Hieronimus. Uxor enim in domo circa viri cibum negotiatur et vestimenta. Vide igitur hoc et in apostolis: multae enim mulieres sollicitae erant de eorum cibo et vestimentis, et ministrabant eis. Similiter et patres et matres plurimas apostoli habuerunt, scilicet eos qui ipsos diligebant; sed et petrus unam relinquens domum, postea omnium discipulorum domos habebat. Et maius est, quia cum persecutionibus haec omnia possidebunt sancti, si persecutionem sint passi et angustiati; propter quod sequitur multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi: pharisaei enim primi existentes, facti sunt novissimi; qui vero omnia reliquerunt, et Christum secuti sunt, fuerunt novissimi in saeculo isto per angustias et persecutiones; sed erunt primi per spem quae est in deum.

Beda. Potest sane hoc quod ait, accipiet centies tantum, altius intelligi. Centenarius quippe numerus de laeva translatus in dexteram, licet eandem in flexu digitorum videatur habere figuram, quam habuerat denarius in laeva, tamen quantitatis magnitudine sursum crescit: quia videlicet omnes qui propter regnum Dei temporalia spreverunt, et in hac vita persecutionibus plenissima, eiusdem regni gaudium fide certa degustant, atque in expectatione patriae caelestis, quae significatur in dextera, omnium electorum delectatione fruuntur. Verum quia multi virtutum studia non eadem qua incipiunt intentione pietatis, consummant, mox subinfertur multi autem erunt, etc.. Quotidie enim videmus multos in laico habitu constitutos, magnis vitae meritis excellere; et alios a prima aetate spirituali studio ferventes, ad extremum otio torpente lassescere, atque inertii stultitia quod spiritu coepere, carne consummare.

MARCUS 10,32-34

7032 (Mc 10,32-34)

Beda. Meminerant discipuli sermonis quo dominus se passurum multa a summis sacerdotibus et scribis praedixerat; et ideo hierosolymam tendentes stupebant: et hoc est quod dicitur erant autem in via ascendentes ierusalem, et praecedebat illos iesus.

Theophylactus. Ut ostendat quod ad passionem praecurrit, et quod non refugit mortem pro nostra salute. Et stupebant et sequentes timebant.

Beda. Ne vel ipsi cum eo occiderentur, vel saltem ille, cuius vita et magisterio gaudebant, inimicorum manibus occumberet. Praeviciens autem dominus ex passione sua discipulorum animos perturbandos, eis et passionis poenam et resurrectionis suae gloriam praedicat: unde sequitur et assumens iterum duodecim, coepit illis dicere quae ei essent ventura.

Theophylactus. Ut scilicet discipulorum corda confirmaret, ut cum haec praeaudirent, levius postmodum sustinerent, et in repentinis non formidarent, et etiam ut ostenderet quod voluntarie pateretur. Qui enim praenoscit, et potest fugere, et non fugit, manifestum est quod voluntarie seipsum passionibus tradit. Seorsum autem assumit discipulos; namque conveniens erat passionis mysterium propinquieribus sibi revelare.

Chrysostomus in Matth.. Commemorat autem singula quae passurus erat, ne si aliquid praetermissum remaneret, cernentes postmodum illud subito turbarentur; unde subdit quia ecce ascendimus ierusalem.

Glossa. Ad quem scilicet pertinet pati: nam divinitas pati non potest. Tradetur, scilicet a iuda, principibus sacerdotum et scribis et senioribus, et condemnabunt eum morte, iudicantes eum esse reum mortis. Et tradent eum gentibus, scilicet pilato gentili; et illudent ei milites eius; et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum.

Chrysostomus in Matth.. Ut autem cum fuerint contristati propter passionem et mortem, tunc et resurrectionem expectent, subdit et tertia die resurget: cum enim tristitias et opprobria quae contigerunt non

occultaverit, conveniens erat ut ei et de reliquis crederent.

MARCUS 10,35-40

7035 (Mc 10,35-40)

Chrysostomus. Audientes discipuli Christum frequenter de suo regno loquentem, putabant quod hoc regnum post eius mortem non esset; et ideo nunc praenuntiata Christi morte, accesserunt ad eum ut honoribus regni statim fierent digni; unde dicitur et accedunt ad eum iacobus et loannes filii **zeBedaei**, dicentes: magister, volumus ut quodcumque petierimus facias nobis. Erubescens enim quod aliquid humanum passi erant, accesserunt ad Christum, seorsum eum a discipulis assumentes. Salvator vero non ignorans quid petere debebant, sed ad respondendum eos inducens, interrogationem subiungit: at ille dixit eis: quid vultis ut faciam vobis? Theophylactus. Credebant autem praedicti discipuli quod propter hoc hierosolimam ascenderet ut regnaret, et postmodum pateretur quae se passurum praedixerat; et hoc cogitantes dexteram et sinistram sedem appetebant; unde sequitur et dixerunt: da nobis ut unus ad dexteram, et alius ad sinistram sedeat in gloria tua.

Augustinus de cons. Evang.. Hoc ab eis non per eos ipsos, sed per matrem dictum esse Matthaeus expressit, cum illa eorum voluntatem attulisset ad dominum; unde magis ipsos quam illam dixisse quod dictum est, marcus breviter intimavit.

Chrysostomus in Matth.. Vel convenienter dici potest utrumque factum esse. Videntes enim se prae aliis honoratos, praedictam petitionem se consequi aestimabant, et ut facilius petitionem obtinerent, matrem assumpserunt, ut cum hac simul Christum precarentur.

Augustinus de cons. Evang.. Denique et dominus etiam secundum Marcum et secundum Matthaeum, ipsis potius quam matri respondit; nam sequitur iesus autem dixit eis: nescitis quid petatis.

Theophylactus. Quasi dicat: non est hoc quod creditis, quod sim temporaliter in ierusalem regnaturus; sed omnia haec, quae scilicet ad regnum meum pertinent, supra intellectum sunt. Etenim sedere a dextris meis tam magnum quid est ut excellat ordines angelorum.

Beda. Vel nesciunt quid petant, qui sedem gloriae a domino, quam nondum merebantur, inquirunt.

Chrysostomus in Matth.. Vel dicit nescitis quid petatis, ac si diceret: vos de honore loquimini; ego vero de agonibus et sudoribus disputo: non enim est hoc praemiorum tempus, sed occisionis, praeliorum et periculorum; unde subdit potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, aut baptismo quo ego baptizor, baptizari? per modum interrogationis attrahit eos, ut ex communicatione quae est ad ipsum, avidiores fierent.

Theophylactus. Calicem autem et baptismum crucem nominat: calicem quidem tamquam potum dulciter ab ipso susceptum; baptismum vero tamquam emundationem nostrorum facientem peccatorum. Qui non intelligentes quod dixerat, responderunt; unde sequitur at illi dixerunt: possumus. Credebant enim quod de calice sensibili et baptismo quo iudaei baptizari solebant, lavantes scilicet se antequam comederent, loqueretur.

Chrysostomus in Matth.. Responderunt autem tam prompte, expectantes in eo quod petierunt exaudiri. Sequitur iesus autem ait eis: calicem quidem quem ego bibo, bibetis, et baptismo quo ego baptizor, baptizabimini, idest martyrio digni eritis, et patiemini, sicut et ego.

Beda. Quaeritur autem quomodo calicem martyrii iacobus et loannes biberunt, aut quomodo baptismo domini fuerunt baptizati, cum scriptura narret iacobum tantum apostolum ab herode capite truncatum, loannes autem propria morte finivit vitam. Sed si legamus ecclesiasticas historias, in quibus fertur, quod et ipse propter martyrium in ferventis olei dolium missus sit, statimque relegatus in pathmos insulam; sic videbimus martyrium animo non defuisse; et bibisse loannem calicem confessionis, quem et tres pueri in camino ignis biberunt, licet persecutor non fuderit sanguinem. Sequitur sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est.

Chrysostomus in Matth.. Ubi duo quaeruntur: unum est, si paratum est alicui sedere a dextris eius; alterum autem, si omnium dominus his quibus paratum est potestatem tribuendi non habet. Ad primum ergo

dicimus, quod nullus a dextris neque a sinistris sedet; inuis enim est omni creaturae thronus ille. Quomodo ergo dixit sedere ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, quasi quibusdam sessuris? ad suspicionem quidem interrogantium respondit, eorum intentioni condescendens: neque enim noverant illum thronum excelsum, et cathedram quae est a dextris patris; sed unum solum petebant, scilicet aliis praeesse. Quia enim audierunt dictum de apostolis, quod super duodecim thronos essent sessuri, quid esset quod dictum est ignorantes, inter ceteros petierunt primatum. Ad secundum dicendum est, quod tale donum potestatem filii Dei non transcendit, sed quod in Matthaео dicitur: paratum est a patre meo, idem est ac si diceret: a me; unde et marcus non dixit hic: a patre meo. Quod ergo hic Christus dicit, tale est. Moriemini, inquit, propter me; non tamen hoc sufficit ad hoc quod vos primum ordinem obtineatis. Si enim aliquis alius cum martyrio venerit, omnem aliam virtutem possidens, multa vobis maiora possidebit; his enim paratur primatus qui per opera possunt fieri primi. Sic igitur dominus sua responsione eos instruxit, ut non vane et inaniter pro primatibus molestentur; simul autem et eos noluit contristari.

Beda. Vel non est meum vobis dare, idest superbis; hoc enim adhuc erant. Aliis paratum est; et vos alii estote, idest humiles, et vobis paratum est.

MARCUS 10,41-45

7041 (Mc 10,41-45)

Theophylactus. Quia reliqui apostoli vident iacobum et ioannem honorem petere, patienter ferre non possunt; unde dicitur et audientes decem, indignati sunt de iacobo et ioanne. Patientes enim humana, invidia movebantur; sed tunc primo indignati sunt, cum viderunt ipsos a domino non susceptos; non autem prius indignabantur, quia videbant ipsos aliis praehonorari. Tunc igitur sic imperfecte se habebant apostoli; sed postea in primatibus sibi cedebant ad invicem. Christus autem eos sanat, primo quidem ad eorum consolationem eos iuxta se adducendo; et hoc significatur cum dicitur iesus autem vocans eos; deinde demonstrando quod usurpare honorem et desiderare primatum, gentilium est; unde sequitur ait illis: scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis, et principes eorum potestatem habent ipsorum. Gentilium principes tyrannice et dominabiliter ad principatum se ingerunt. Sequitur non ita est autem in vobis.

Beda. In quo docet, eum maiorem esse qui minor fuerit, et illum dominum fieri qui omnium servus fit. Frustra igitur aut illi immoderata quaesierant, aut isti dolent super maiorum desiderio, cum ad summitatem virtutum non potentia, sed humilitate veniatur. Deinde proponit exemplum; ut si dicta parvipenderent, erubescerent ad opera; et dicit nam et filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis.

Theophylactus. Quod maius est quam ministrare. Cum enim aliquis pro eo cui ministrat moritur, quid isto potest esse maius et mirabilius? sed tamen ista ministratio et humilitatis descensus gloria eius erat et omnium: ante enim quam homo fieret, solum ab angelis agnoscebatur; cum autem factus est homo et crucifixus est, non tantum ipse gloriam habet, sed et alios in participationem suae gloriae susceperit, et dominatus est per fidem orbi terrae.

Beda. Non autem dixit animam suam redemptionem dare pro omnibus, sed pro multis, idest qui credere voluerint.

MARCUS 10,46-52

7046 (Mc 10,46-52)

Hieronymus. Passioni domini appropinquanti, civitatis nomen respondet; dicitur enim et veniunt iericho. Iericho luna, sive anathema interpretatur. Defectus autem carnis Christi praeparatio est ierusalem caelestis. Sequitur et proficiscente eo de iericho, et discipulis eius, et plurima multitudine, filius timaei, bartimaeus caecus, sedebat iuxta viam mendicans.

Beda. Matthaеus duos iuxta viam sedentes, et ad dominum clamantes caecos dicit esse illuminatos: Lucas autem, cum appropinquaret iericho, pari ordine illuminatum ab eo caecum esse perhibet; ubi nemo saltem sapiens putet evangelistas sibimet contraria scribere, sed alium plenius scribere quae alter omisit. Intelligendum est ergo unum eorum fuisse potissimum; quod ex hoc apparet quod et nomen eius et nomen

patris eius marcus commemoravit.

Augustinus de cons. Evang.. Hinc est ergo quod ipsum solum voluit commemorare marcus, cuius illuminatio tam claram famam huic miraculo comparavit quam erat nota calamitas. Lucas vero quamvis omnino eodem modo factum, tamen in alio caeco intelligendus est par commemorare miraculum, et eiusdem miraculi modum parem. Sequitur qui cum audisset quod iesus nazarenus est, coepit clamare et dicere: iesu fili David, miserere mei.

Chrysostomus. Filium David vocat caecus dominum, praetereuntis turbae laudem audiens, ac prophetarum expectatione completa certificatus. Sequitur et comminabantur illi multi ut taceret.

Origenes in Matth.. Tamquam si dicat: qui primi crediderant, increpabant ei clamanti fili David, ut taceret, et non appellaret eum contemptibili nomine, sed diceret: fili Dei, miserere mei. Ille autem non destitit; unde sequitur ille autem magis clamabat: fili David, miserere mei; cuius clamorem dominus exaudivit; unde sequitur et stans iesus praecepit illum vocari. Vide autem quod inferior est caecus de quo Lucas loquitur: nam nec iesus eum vocavit, ut Matthaeus dicit, nec iussit eum vocari, ut hic dicitur, sed iussit eum ad se adduci, quasi non potentem per se venire. Iste autem caecus ad imperium domini vocatur; unde sequitur et vocant eum, dicentes ei: animaequior esto; surge, vocat te. Ille autem abiciens vestimentum venit ad eum. Sequitur qui proiecto vestimento suo venit ad eum. Forte vestimentum caeci et mendicantis, velamentum intelligitur caecitatis et mendicitatis, quo fuerat circumdatus; quod abiciens venit ad iesum: quem appropinquantem dominus interrogat; unde sequitur et respondens iesus ait illi: quid tibi vis faciam? **Beda.** Numquid qui lumen reddere poterat, quid vellet caecus ignorabat? ad hoc ergo requirit ut petatur; ad hoc requirit ut cor ad orationem excitet.

Chrysostomus in Matth.. Vel quaerit, ne scilicet aliquis aestimaret, quod aliud volenti accipere, aliud daret. Etenim consuetudo erat eius, voluntatem curandorum universis facere manifestam, et tunc medelam inducere, ut alios duceret in zelum, et ut ostenderet eum qui curandus erat, gratiae dono digne potiri. Sequitur caecus autem dixit ei: rabboni, ut videam.

Beda. Parvipendit enim extra lucem caecus aliquid quaerere; quia etsi habere caecus quodlibet potest, sine luce non potest videre quod habet.

Hieronymus. Considerans autem iesus promptam voluntatem, completionem desiderii remunerat.

Origenes super Matth.. Dignius autem est dicere rabboni, vel, sicut in aliis dicitur, domine, quam fili David: unde propter illud quod dixit, fili David, non praestitit ei sanitatem; sed propter hoc quod dicit rabboni; unde sequitur iesus autem dixit ei: vade: fides tua salvum te fecit. Et confestim vidit, et sequebatur eum in via.

Theophylactus. Grata enim est anima caeci in eo quod sanus effectus iesum non relinquit, sed secutus est eum.

Beda. Mystice autem iericho, quae interpretari dicitur luna, defectum nostrae mutabilitatis designat. Appropinquans dominus iericho lumen caeco reddidit: quia veniens in carne et passioni appropinquans, multos ad fidem adduxit. Non enim primis incarnationis suae temporibus, sed paucis antequam pateretur annis, mysterium verbi mundo exhibuit.

Hieronymus. Caecitas etiam ex parte facta iudaeis illustrabitur in fine, quando eis mittet eliam prophetam.

Beda. Quod autem appropinquans iericho unum illuminavit, ac proficiscens de iericho duos, hoc intimavit quod ante passionem suam uni tantum populo iudaeorum praedicavit; post resurrectionem vero atque ascensionem suam per apostolos et iudaeis et gentibus divinitatis et humanitatis suae arcana patefecit. Quod vero marcus unum illuminatum scribit, ad gentium salutem respicit, ut eorum quos instruebat ad fidem, salvationi figura congrueret. Matthaeus vero, qui credentibus ex hebraeis suum scribebat evangelium, quod in gentium quoque notitiam erat perventurum, recte duos dicit illuminatos, ut ad utrumque populum fidei gratiam pertinere doceret. Proficiscente igitur domino et discipulis eius et plurima multitudine de iericho, caecus sedebat iuxta viam mendicans: quia ascendente ad caelos domino, et multis fidelium sequentibus, immo cunctis ab initio mundi electis una cum illo ianuam regni caelestis ingredientibus, mox gentium populus coepit suae illuminationis spem habere: qui mendicat iuxta viam sedens, quia necdum iter veritatis ingrediens ad hoc pervenire contendit.

Hieronymus. Populus etiam iudaeorum, qui scripturam conservat nec complet, iuxta viam mendicans esurit. Clamat autem fili David, miserere mei, quia per merita patriarcharum iudaicus populus illuminatur. Comminantur autem ei multi ut taceat, quia peccata et daemonia compescunt clamorem pauperis; sed ille

magis clamabat, quia ingravescente bello, manus ad lapidem adiutorii, hoc est iesum nazarenum, cum clamore levandae sunt.

Beda. Populus etiam gentium, agnita fama nominis Christi, particeps eius fieri quaerebat: cui contradicebant multi, primo iudaei, deinde etiam gentiles, ne illuminandus mundus Christum invocaret; nec tamen impugnantium furor eos qui ad vitam erant praeordinati valebat salute privare. Clamantem autem caecum transiens audivit: quia per humanitatem suam misertus est qui per divinitatis potentiam mentis nostrae tenebras exclusit: quod enim propter nos natus et passus est iesus, quasi transiit, quia haec actio temporalis est; stare autem Dei est immutabiliter cuncta disponere. Clamantem autem caecum dominus vocat, cum populo gentium per praedicatores verbum fidei mittit: qui vocantes caecum animaequiores esse et surgere atque ad dominum venire praecipunt, cum praedicando indoctis spem eos salutis habere ac de torpore vitiorum erigi atque ad virtutum studia se accingere iubent. Proiecto autem vestimento exilit qui, abiectis mundi mentis gressu ad largitorem aeternae lucis properat.

Hieronymus. Venit etiam iudaicus populus exiliens nudus veteri homine, ut hinnulus saliens super montes: quia segnitiem deponens, patriarchas, prophetas, apostolos in altis considerans, ad superna se extendit. Quam conveniens autem est ordo salutis. Audivimus primo per prophetas, deinde clamamus per fidem, postea vocamur per apostolos, surgimus per poenitentiam, exuimur per baptismum, interrogamur per voluntatem. Caecus autem interrogatus hoc requirit ut videat voluntatem domini.

Beda. Imitemur ergo et nos eum: non divitias, non terrena bona, non honores a domino, sed lucem quaeramus, quam videre cum solis angelis possumus, ad quam via fides est; unde et caeco respondetur fides tua te salvum fecit. Videt autem et sequitur qui bonum quod intelligit operatur: iesum enim sequitur qui bonum quod intelligit operatur, qui imitatur eum qui prosperari in hoc mundo noluit, opprobria ac irrisiones toleravit. Et quia rerum corporalium delectatione a gaudio interno cecidimus, cum qua amaritudine illuc redeatur ostendit.

Theophylactus. Dicit autem quod secutus est dominum in via, scilicet in hac vita: quia post hanc excluduntur omnes qui hic eum non sequuntur operando mandata eius.

Hieronymus. Vel via ista est quae dixit: ego sum via, veritas et vita. Haec est via angusta quae ducit ad ardua hierosolymae et bethaniae, ad montem olivarum, qui est mons luminis et consolationis.

MARCUS 11,1-10

7101 (Mc 11,1-10)

Chrysostomus in Matth.. Postquam dominus suae virtutis sufficientem experientiam dederat, et crux instabat in ianuis, omnia iam cum maiori agit claritate, quae adversarios inflammatura erant; et ideo quamvis multoties prius ascenderit hierosolymam, numquam tamen cum tanta excellentia sicut modo.

Theophylactus. Ut si velint, valeant gloriam eius agnoscere, et per prophetias de eo completas scirent quod est verus Deus; si vero noluerint, maius fieret eis iudicium, quia tot claris miraculis non crediderunt. Huius igitur adventus claritatem evangelista describens, dicit et cum appropinquaret ierosolymae et bethaniae ad montem olivarum, mittit duos ex discipulis suis.

Beda. Bethania villula est, sive civitas in latere montis oliveti, ubi lazarus est suscitatus a mortuis. Quomodo autem discipulos miserit et ad quid, ostendit subdens et ait illis: ite in castellum quod est contra vos.

Theophylactus. Considera vero quanta dominus discipulis praedixerit, scilicet quod invenirent pullum; unde sequitur et statim introeuntes illic invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit; solvite illum et adducite; et quod impedirentur ab accipiendo; unde sequitur et si quis vobis dixerit: quid facitis? dicite quia domino necessarius est; et quod hoc dicto permitterentur accipere; unde sequitur et continuo illum dimittet huc. Et sicut dominus praedixerat, ita impletur; unde sequitur et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante ianuam foris in bivio, et solvunt eum.

Augustinus de cons. Evang.. Matthaeus asinam dicit et pullum, ceteri autem de asina tacent; ubi ergo utrumque factum potest intelligi, nulla repugnantia est, nec si alius unum, alius alium commemoraret; quanto minus moveri oportet, si alius unum, alius utrumque commemoret? sequitur et quidam de illic stantibus dicebant illis: quid facitis solventes pullum? qui dixerunt eis sicut praeceperat illis iesus, et

dimiserunt eis, scilicet pullum.

Theophylactus. Non autem hoc permetterent, nisi divina virtus eis incumberet, cogens illos; praesertim quia rurales existentes et coloni permiserunt pullum auferre. Sequitur et duxerunt pullum ad iesum et imponunt illi vestimenta sua; et sedit super eum.

Chrysostomus in Matth.. Non quidem quod ex necessitate a monte oliveti usque ierusalem super pullum ire dominum oportebat, cum iudaeam et omnem galilaeam pedes perambulaverat; sed signum erat quod fiebat. Sequitur multi autem vestimenta sua straverunt in via. Magis autem ad ornatum et ad sacramentum pertinet quam ad necessitatem. Sequitur et qui praeibant et qui sequebantur clamabant dicentes: hosanna, benedictus qui venit in nomine domini. Multitudo enim donec corrupta non fuit, cognovit quod congruum erat: propter quod honorificavit iesum unusquisque secundum propriam virtutem: unde laudantes ipsum, hymnum leviticum assumpserunt, dicentes hosanna, quod secundum quosdam idem est quod salvum me fac; secundum vero quosdam idem quod hymnus. Aestimo autem primum esse verius, nam in psalmo 117, 25 habetur: o domine, salvum me fac, quod in hebraico scriptum est hosanna.

Beda. Est autem hosanna verbum hebraicum compositum ex duobus, corrupto et integro; salva namque sive salvifica apud eos dicitur hosi; at vero anna interiectio est deprecantis, quomodo apud latinos est dolentis heu.

Hieronymus. Hosanna igitur, idest salvifica, dicunt, ut homines salventur ab eo benedicto, vincente et veniente in nomine domini, idest patris sui; quoniam filius de patre nomen suscepit, et pater de filio.

Chrysostomus. Sic ergo dant Deo gloriam, dicentes benedictus qui venit in nomine domini. Benedicunt etiam regnum Christi, dicentes benedictum quod venit regnum patris nostri David.

Theophylactus. Regnum autem David regnum Christi dicebant, et quia de semine David Christus descenderat, simulque quia David interpretatur manu fortis; quis enim fuit manu fortis nisi dominus, cuius manus tot et talia miracula operata est? **Chrysostomus.** Unde et multoties prophetae David Christum nuncupant, propter originem Christi ex David secundum carnem.

Beda. Legimus autem in evangelio ioannis, quia ne facerent eum regem, in montem fugit. Nunc autem ubi passurus hierosolymam venit, non refugit eos qui se regem nuncupant, ut aperte doceret quia non temporalis et terreni, sed aeterni in caelis rex esset imperii, atque ad regnum per contemptum mortis perveniret. Notandum autem quanta sit consonantia turbae cum voce gabrielis, qui ait: dabit illi dominus Deus sedem David patris sui, ut scilicet gentem cui David quondam temporalis regni gubernacula praebuit, hanc ipse verbis et factis ad regnum caeleste vocaret.

Chrysostomus. Et ulterius dant gloriam Deo cum subdunt hosanna in excelsis, idest, hymnus et gloria sit universorum Deo, qui est in excelsis.

Hieronymus. Vel hosanna, idest salvifica, in excelsis et imis; idest, ut iusti aedificentur in ruinam angelorum, et terreni et subterranei etiam salventur. Mystice autem appropinquat dominus hierosolymae, quae est visio pacis: in qua manet fixa immobilisque felicitas, quae, secundum apostolum, est omnium credentium.

Beda. Bethania autem domus obedientiae dicitur: quia multos ante passionem suam docendo, domum sibi obedientiae effecit: et in monte oliveti posita esse dicitur: quia ecclesiam unctione spiritualium charismatum et scientiae pietatisque luce refovet. Misit autem discipulos in castellum quod contra eos erat; hoc est doctores qui indocta orbis loca quasi contra positi castelli moenia evangelizando penetrarent, destinavit.

Hieronymus. Bini vocantur, et bini mittuntur discipuli Christi: quoniam caritas non consistit cum uno, ut dicitur eccl.: vae soli. Duo educunt hebraeos de aegypto, duo deportant botrum de terra sancta, ut semper praepositi iungant opus et scientiam, et duo mandata de duabus tabulis proferant, et duobus fontibus abluantur, et de duobus vectibus arcam domini portent, et inter duos cherubim deum cognoscant, spiritu et mente psallentes.

Theophylactus. Non autem erat ei necessarius pullus; sed eum quaesivit ostendens quod debebat se ad gentilem populum transferre.

Beda. Pullus enim asinae lascivus et liber populum nationum significat, super quem nemo adhuc hominum sedit: quia nemo rationabilium doctorum frenum correctionis, quo vel linguam cohibere a malo vel in arctam

vitae viam ire cogere, utilia suadendo contulerat. Invenit autem pullum ligatum ante ianuam foris, quia populus gentilis ligatus erat vinculis peccatorum suorum ante ianuam fidei, id est, extra ecclesiam.

Ambrosius super Lucam. Vel invenit eum ligatum ante ianuam: quia extra Christum quicumque est, foris est in via; qui autem in Christo est, foris non est. In transitu, sive in bivio addidit, ubi nullius certa possessio, non praesepe, non alimenta, non stabulum. Misera servitus cui vagum ius est: plures enim dominos habet qui unum non habet. Alieni alligant ut possideant, iste solvit ut teneat: vehementiora enim dona novit esse quam vincula.

Beda. Vel recte in bivio stabat, quia non viam certam vitae fideique tenebat, sed plures dubiosque sectarum calles sequebatur erroneus.

Hieronymus. Vel in bivio, id est in libertate arbitrii, dubitans inter vitam et mortem.

Theophylactus. Vel in bivio, id est in vita hac. Solutus est autem a discipulis per baptismum et fidem.

Hieronymus. Quidam autem dicebant: quid facitis? ac si dicerent: quis potest dimittere peccata? Theophylactus. Vel prohibentes sunt daemones, quibus fuerunt apostoli fortiores.

Beda. Vel magistri errorum, qui venientibus ad salutem gentium doctoribus obsistebant; at postquam fidei dominicae potestas apparuit credentibus, adversariorum querelis liber credentium populus ad dominum, quem corde portaret, adducebatur. Vestimenta autem apostolorum quae illi imponunt, vel doctrina virtutum, vel discretio scripturarum, vel ecclesiasticorum dogmatum varietates intelligi possunt; quibus illi corda hominum, ante nuda et frigida, quae Christo sessore digna fiant operiunt.

Hieronymus. Vel imponunt vestimenta sua, id est, stolam primam immortalitatis per baptismi sacramenta afferunt. Sedit autem iesus super eum, id est in eis regnare coepit, ut non regnet peccatum in lasciva carne, sed iustitia et pax et gaudium in spiritu sancto. Multi autem straverunt vestimenta sua in via, sub pedibus pulli asinae. Qui sunt pedes, nisi extremi qui portant, quos ad iudicandum constituit apostolus? qui et ipsi, etsi non sunt dorsum in quo sedit dominus, tamen cum militibus a loanne instruuntur.

Beda. Vel multi vestimenta sua in via sternunt, quia sancti martyres propriae se carnis amictu exuentes, simplicioribus Dei famulis viam suo sanguine parant. Multi etiam vestimenta sua in via sternunt, quia corpora sua per abstinentiam domant, ut Dei iter ad montem parent, vel exempla bona sequentibus praebeant. Frondes autem vel ramos de arboribus caedunt qui in doctrina veritatis semina patrum de eorum eloquio capiunt, et haec in via Dei ad auditoris animum venientis, humili praedicatione submitunt.

Theophylactus. Sternamus et nos viam vitae nostrae, caedentes ramos de arboribus, id est sanctos imitantes: nam arbores sancti sunt, de quibus ille ramos caedit qui virtutem imitatur eorum.

Hieronymus. Iusti enim ut palma floreant, angusti radicibus, lati in floribus et fructibus, quoniam bonus odor Christi sunt. Sternunt viam mandatorum Dei bona fama. Qui praeibant, prophetae sunt; et qui sequebantur, apostoli.

Beda. Et quia omnes electi, sive qui in iudaea esse poterant, sive qui nunc in ecclesia existunt, in mediatorem Dei et hominum crediderunt et credunt; qui praeibant, et qui sequuntur hosanna clamabant.

Theophylactus. Sed et qui praeibant et qui sequuntur nostrorum actuum ad laudem sunt Dei: quidam enim in praeterita vita bonum fecerunt initium; sequens vero non est ut prior, neque in laudem Dei finita.

MARCUS 11,11-14

7111 (Mc 11,11-14)

Beda. Appropinquante tempore passionis, appropinquare voluit dominus loco passionis, ut per hoc intimaret quia sua sponte mortem subiret; unde dicitur et introivit hierosolimam in templum. Quod autem ingressus civitatem primo templum adiit, formam nobis religionis quam sequamur praemonstrat, ut cum forte quemlibet locum in quo sit domus orationis intramus, primo ad hanc divertamus. Hoc quoque intelligendum est quod tantae dominus fuerit paupertatis, et ita nulli sit adulatus, ut in urbe maxima nullum hospitem, nullam invenerit mansionem; sed in agerulo parvulo apud lazarum sororesque eius habitaret: eorum quippe vicus bethania est; unde sequitur et circumspicit omnibus, si quis eum hospitio susciperet,

cum iam vespera esset hora, exiit in bethaniam cum duodecim. Non hoc semel fecit; sed per omnes quinque dies, ex quo hierosolymam ascenderat usque ad tempus passionis hoc ipsum semper agere solebat, ut per diem in templo doceret, nocte vero exiens moraretur in monte oliveti. Sequitur et alia die, cum exiret a bethania esuriit.

Chrysostomus in Matth.. Qualiter autem mane esuriebat, ut Matthaeus dicit, nisi quia dispensative hoc carni suae concessit? sequitur cumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit, si quid forte inveniret in ea. Manifestum est autem, quod hoc secundum suspicionem discipulorum dicitur, qui aestimabant propter hoc Christum ad ficulneam accessisse; et propter hoc ficulneam ipsam maledictam esse, quod in ea fructum non invenit: nam sequitur et cum venisset ad eam, nihil invenit praeter folia: non enim erat tempus ficorum. Et respondens dixit ei: iam non amplius in aeternum quisquam ex te fructum manducet. Maledixit ergo ficulneam propter discipulos, ut confidant. Quia enim ubique beneficia tribuebat, nullumque puniebat, oportebat autem eius punitivae virtutis demonstrationem praebere, ut discerent quia posset etiam iudaeos persequentes siccare; noluit hoc demonstrare in hominibus: unde in planta suae punitivae virtutis praebuit signum: unde ostenditur quod principaliter propter hoc ad ficulneam venit, non propter esuriam. Quis enim tam inscius est ut putet quod matutino tempore tali stimuletur esurie? aut quid est quod impediret eum comedere antequam domum exiret? neque potest dici quod visio fructus excitavit in esurie appetitum: non enim erat ficorum tempus. Sed si esuriebat, cur de alio comedere non quaerebat, sed de ficu fructus ante tempus tribuere non valente? qua etiam poena erat dignam ficum fructum non habere ante tempus? ideoque ex his sufficienter syllogizari potest, quod propriam volebat demonstrare virtutem, ut non frangerentur animis in eius passione.

Theophylactus. Volens ostendere discipulis quod, si vellet, hos qui crucifixuri erant ipsum, in momento posset exterminare. Mystice autem dominus introivit in templum, sed rursus exivit, ostendens quod ipsum relinqueret desertum et in rapinam.

Beda. Circumspicit autem omnia corda; et cum in contradicentibus veritati non inveniat ubi caput reclinet, secedit ad fideles, et in eis qui obediunt, mansionem fecit: bethania namque domus obedientiae dicitur.

Hieronymus. Mane autem ad iudaeos venit, atque nos in vespera mundi visitat.

Beda. Sicut autem parabolas loquitur, ita et operatur; ideo esuriens in ficu fructum quaerit, cuius nondum tempus esse novit, et tamen eam perpetua sterilitate damnavit, ut ostenderet plebem iudaeorum propter folia, idest verba iustitiae, quae habebat sine fructu, idest bono opere, non posse salvari, sed scindi, et in ignem mitti. Esuriens ergo, idest salutem humani generis desiderans, vidit ficum, idest iudaeum, habentem folia, idest eloquia legis et prophetarum, et quaesivit in ea fructum boni operis, docendo, corripiendo, miracula faciendo; et non invenit, et ideo damnavit. Tu quoque, si non vis damnari a Christo in iudicio, arbor sterilis esse caveto; sed potius pauperi Christo fructum pietatis quo indiget, offer.

Chrysostomus. Est autem et aliter dicere, quod dominus ante tempus fructum quaesivit in ficu, et non inveniens maledixit; quia omnes qui mandata legis adimplent, isti suo tempore fructificare dicuntur; sicut est illud mandatum: non moechaberis; qui autem non solum non moechatur, sed permanet virgo, quod est magis, virtutibus excedit. Dominus autem a perfectis non solum exigit ut virtutes observent, sed supra mandata fructificent.

MARCUS 11,15-18

7115 (Mc 11,15-18)

Beda. Quod maledicendo ficum infructuosam per figuram dominus fecit, hoc idem mox apertius ostendit eiciendo improbos de templo. Ficus enim non peccavit, si ante tempus fructum non habuit; sed sacerdotes; unde dicitur et veniunt hierosolymam; et cum introisset in templum, coepit eicere vendentes et ementes in templo. Et quidem credendum est, quod ea tantum vendi vel emi repererit in templo quae ad ministerium templi necessaria essent. Si ergo ea quae alibi libere geri poterant, dominus in domo sua temporalia negotia geri non patitur, quanto magis ea quae nunquam fieri licet, plus caelestis irae merentur, si in aedibus Deo sacratis aguntur? sequitur et mensas nummulariorum.

Theophylactus. Nummularios vocat campsores nummorum: nummus enim genus aeris minuti est. Sequitur et cathedras vendentium columbas evertit.

Beda. Quia spiritus sanctus in columba super dominum apparuit, recte per columbas spiritus sancti

charismata designantur. Columba igitur venditur, quando manus impositio, per quam spiritus sanctus recipitur, ad pretium praebetur. Cathedras autem vendentium columbas evertit: quia qui spiritualem gratiam venundant, vel ante homines vel ante Dei oculos sacerdotio privantur.

Theophylactus. Sed et si quis baptismatis gratiam et puritatem tradiderit daemioni per peccatum, suam columbam vendidit; et propter hoc foras de templo eicitur. Sequitur et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum.

Beda. De vasis illis dicit quae mercandi gratia inferebantur. Ceterum absit ut vasa Deo dicata dominus eiceret de templo, vel intro ferre prohiberet in templum: ubi futuri examinis praetendit exemplum; quia de ecclesia repellit reprobos, et ne ultra ad interturbendam ecclesiam intrent, aeterno eos verbere compescit. Sed et peccata quae cordibus fidelium inerant, divinitus immissa compunctio tollit; et ne ultra repetantur, divina in eis gratia adiuvat. Sequitur et docebat eos dicens: nonne scriptum est, quia domus mea domus orationis vocabitur cunctis gentibus? **Hieronymus.** Iuxta isaiam. Vos autem fecistis speluncam latronum, iuxta ieremiam.

Beda. Omnibus, inquit gentibus, non uni genti iudaeae, nec in uno hierosolymae urbis loco, sed in toto orbe terrarum; et nequaquam taurorum et hircorum et arietum, sed orationis.

Theophylactus. Speluncam autem latronum templum nominat propter lucrum: genus namque latronum ad lucrum se congregat. Quia ergo illa animalia quae ad sacrificium oblata erant, causa lucri vendebant, latrones ipsos dixit. Ad hoc enim in templo erant, vel ut non dantes corporaliter persequerentur, vel dantes spiritualiter necarent. Templum etiam et domus Dei mens est et conscientia fidelium, quae si in laesione proximi perversas cogitationes profert, quasi in spelunca latrones resident. Ergo mens fidelium spelunca latronis fit quando relicta simplicitate sanctitatis, illud conatur agere quo valeat proximis nocere.

Augustinus de cons. Evang.. Ioannes autem longe diverso ordine hoc narrat; unde manifestum est non semel, sed iterum hoc esse a domino factum; sed illud primum commemoratum a Ioanne, hoc ultimum a ceteris tribus.

Theophylactus. Quod etiam est in maiorem redargutionem iudaeorum: quia cum dominus hoc toties fecerit, ipsi minime se correxerunt.

Augustinus de cons. Evang.. In hoc etiam marcus non eundem ordinem tenet cum Matthaeo, sed quia Matthaeus ita connectit: et relictis illis, abiit foras extra civitatem in bethaniam; unde mane revertentem in civitatem, arbori maledixisse commemorat; probabilius creditur ipse potius tenuisse ordinem temporis de vendentibus et ementibus eiectis de templo. Praetermisit ergo marcus quod prima die factum est, cum intravit in templum, et recordatum interposuit, cum dixisset quod non invenit aliquid in ficulnea praeter folia; quod secundo die factum est, sicut ambo testantur.

Glossa. Quem autem effectum correctio domini in ministris templi habuerit, ostendit evangelista cum subdit quo audito principes sacerdotum et scribae quaerebant quomodo eum perderent: secundum illud amos: odio habuerunt corripientem in porta et loquentem perfecte abominati sunt. Ab hoc autem tam iniquo proposito ad tempus solo timore retrahebantur: unde subditur timebant enim eum quoniam universa turba admirabatur super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut scribae eorum et pharisaei, ut alibi dicitur.

MARCUS 11,19-26

7119 (Mc 11,19-26)

Hieronymus. Relinquens dominus post se tenebras in iudaeorum cordibus, ut sol egrediebatur de civitate ad aliam quae est benevola et obediens: et hoc significatur cum dicitur et cum vespera esset facta, egrediebatur de civitate. Sed occidit sol, et oritur sol: lux enim ablata a scribis, lucet in apostolis, unde in civitatem revertitur; propter quod subditur et cum mane transirent, scilicet in civitatem euntes, viderunt ficum aridam factam a radicibus.

Theophylactus. Quod miraculum magnum videtur in hoc quod tam humidam et viridem arborem siccaverit. Quamvis autem Matthaeus dicat ficulneam continuo arefactam, et quod videntes discipuli admirati sunt, non admireris si nunc a Marco audis ficum in crastinum arefactam vidisse discipulos: nam sic intelligendum est hoc quod dicitur a Matthaeo, scilicet quod non statim viderunt, sed in crastinum.

Augustinus de cons. Evang.. Intelligitur autem non tunc aruisse quando viderunt, sed continuo quando maledicta est: neque enim arescentem, sed penitus arefactam viderunt; ac sic eam continuo in verbo domini aruisse intellexerunt.

Hieronymus. Ficus autem arida a radicibus, synagoga est a cain et a ceteris, a quibus omnis sanguis ab abel usque ad zachariam requiritur.

Beda. A radicibus autem arefacta est ficus, ut ostenderetur gens impia non ad tempus vel ex parte corripienda externorum incuris, et per poenitentiam liberanda, sicut saepe factum est; sed aeterna damnatione ferienda. Vel arefacta est a radicibus, ut ostendatur non solum humano extrinsecus, sed divino intus favore funditus destituenda: nam et vitam perdit in caelis, et patriam in terris.

Hieronymus. Petrus autem agnoscit aridam et abscissam radicem, cui succedit oliva fructifera, pulchra vocata a domino; unde sequitur et recordatus petrus dixit ei: rabbi, ecce ficus cui maledixisti, aruit.

Chrysostomus. Quod autem petrus et alii discipuli mirati sunt, non erat perfectae fidei: non enim magnum erat hoc Deo. Quia ergo non manifeste noverant eius virtutem, eorum ignorantia fecit eos in admirationem prorumpere; et ideo subditur et respondens iesus ait illis: habete fidem Dei. Amen dico vobis, quia qui dixerit huic monti, etc. Quasi dicat: non solum lignum siccare poteritis, sed et montem iussu ac praecepto transmutare.

Theophylactus. Mirare autem divinam misericordiam, qualiter nobis appropinquantibus ad eum per fidem, miraculorum virtutem condonat, quam ipse possidet per naturam, intantum ut etiam montes transmutare possimus.

Beda. Solent autem gentiles qui contra ecclesiam maledicta scripsere, impropere nostris, quia non habuerunt plenam fidem Dei, qui numquam montes transferre potuerunt. Quibus respondendum est, non omnia scripta esse quae in ecclesia sunt gesta; sicut et de factis ipsius Christi scriptura testatur. Fieri autem potuit, si necessitas id fieri poposcisset; quomodo factum legimus precibus beati patris gregorii neocaesareae ponti antistitis, viri meritis et virtutibus eximii, ut mons in terra tantum loco cederet, quantum incolae civitatis opus habebant.

Chrysostomus. Vel aliter. Sicut ficum non propter se siccavit, sed in signum ierusalem ad arefactionem perventurae, et ad demonstrationem virtutis suae; sic intelligendum est et de promissione quae est circa montem; quamvis huiusmodi transmutatio non sit impossibilis secundum Dei virtutem.

Hieronymus. Christus igitur qui est mons crescens de lapide abscisso sine manibus, tollitur et mittitur in mare, quando apostoli dicunt digne: transferamur ad gentes alteras, quia vos indignos iudicastis audiendi verbum Dei.

Beda. Vel quia montis nomine diabolus significatur propter superbiam, mons ad praeceptum eorum qui fortes sunt in fide, tollitur de terra et in mare proicitur, cum praedicantibus verbum Dei doctoribus sanctis, immundus spiritus ab eorum corde repellitur, qui ad vitam sunt praeordinati et in turbulentis amarisque infidelium mentibus vesaniam suae tyrannidis exercere permittitur: in quos tanto acrius desaevit, quanto amplius se dolet a laesione priorum fuisse depulsum. Sequitur propterea dico vobis: omnia quae orantes petitis, credite quia accipietis et evenient vobis.

Theophylactus. Qui enim ex affectu credit, manifestum est quod in deum erigit cor suum, et illi coniungitur, et certificatur cor eius calefactum, quasi suam petitionem iam consecutum: quod quidem intelligibile est ei qui passus est hoc. Et mihi quidem videtur illos hoc pati qui mensuram et modum attendunt: propter hoc dominus dicit, quod omnia accipietis quaecumque fide petieritis. Qui enim credit se totum disponi a Deo, cum lacrymis intercedens, et quasi domini pedes in oratione tenere se cogitans, quae iuste postulat consequetur. Vis autem et aliter quae petis accipere? dimitte, si quid contra te peccaverit frater tuus; et hoc est quod subditur et cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem, ut et pater vester qui in caelis est dimittat vobis peccata vestra.

Hieronymus. Septem versus orationis dominicae marcus suo more in una oratione comprehendit. Is autem cui dimissa sunt omnia peccata, quid amplius rogabit nisi ut perseveret in eo quod obtinuit? **Beda.** Notanda est autem distinctio deprecantium: qui perfectam habet fidem, quae per dilectionem operatur, ille orando vel etiam iubendo potest transferre montes spirituales, quomodo fecit paulus de elyma mago; qui vero tantae vestigium perfectionis necdum conscendere queunt, postulent sibi peccata dimitti, et impetrabunt, si tamen in se peccantibus aliis primo ipsi dimittant. Sin autem hoc facere contemnunt, non

solum orando virtutes facere, sed nec suorum possunt veniam consequi peccatorum; et hoc est quod subditur quod si vos non dimiseritis, nec pater vester qui in caelis est dimittet vobis peccata vestra.

MARCUS 11,27-33

7127 (Mc 11,27-33)

Theophylactus. Quia dominus de templo eiecerat eos qui templum quasi tabernam rerum venalium faciebant, irati fuerant: ideo accedunt ut interrogent et tentent; unde dicitur et veniunt rursus hierosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes et scribae et seniores, et dicunt ei: in qua potestate haec facis? et quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias? quasi dicant: quis es tu qui talia facis? numquid doctorem te constituis et te ordinas principem sacerdotum? **Beda.** Et quidem quando dicunt in qua potestate haec facis? de Dei dubitant potestate et subintelligi volunt diaboli esse quod facit; addentes quoque quis dedit tibi hanc potestatem? manifestissime Dei filium negant, quem putant non suis sed alienis viribus signa facere.

Theophylactus. Haec autem dicebant, credentes ipsum in iudicationem reducere; ut si diceret: in potestate mea, ipsum tenerent; si autem diceret: in potestate alterius, ab eo discedere populum procurarent, qui ipsum deum esse credebant. Dominus vero illos interrogat de ioanne, non frustra, neque sophistice, sed quia de eo iohannes perhibuerat testimonium; unde sequitur ille autem respondens ait illis: interrogabo vos et ego.

Beda. Poterat quidem dominus, aperta responsione, tentatorum calumnias confutare; sed prudenter interrogat, ut suo vel silentio vel sententia condemnentur: quod apparet ex eo quod subditur at illi cogitabant secum, dicentes: si dixerimus: de caelo, dicet nobis: quare ergo non creditis ei? quasi dicat: quem confitemini de caelo habuisse prophetiam, mihi testimonium perhibuit, et ab illo audistis in qua ista facio potestate. Sequitur si dixerimus: ex hominibus. Viderunt ergo, quodlibet horum respondissent, in laqueum se casuros, timentes lapidationem, sed magis timentes veritatis confessionem; unde sequitur et respondentes dicunt iesu: nescimus.

Hieronymus. De lucerna invidi obscurantur; unde dicitur: paravi lucernam Christo meo; inimicos eius induam confusione. Sequitur respondens iesus, ait illis: neque ego dico vobis in qua potestate haec faciam.

Beda. Quasi dicat: non vobis dico quod scio, quia non vultis fateri quod scitis. Notandum autem, quod duas ob causas maxime scientia veritatis est occultanda quaerentibus; scilicet cum is qui quaerit aut minus capax est ad intelligendum quod quaerit; aut contemptu veritatis, aut aliquo alio indignus est cui debeat aperiri quod quaerit.

MARCUS 12,1-12

7201 (Mc 12,1-12)

Glossa. Postquam dominus prudenti interrogatione tentatorum ora concluderat, consequenter eorum malitiam parabolice demonstrat; unde dicitur et coepit in parabolis loqui: vineam pastinavit homo.

Hieronymus. Homo Deus pater dicitur humano affectu; vinea domus israel est; sepis est custodia angelorum; lacus est lex; turris templum; agricolae sacerdotes.

Beda. Vel sepis murus est urbis, lacus sive torcular altare, aut illa torcularia quorum tres psalmi praenotantur titulo.

Theophylactus. Vel sepis est lex, prohibens eos alienigenis commisceri. Sequitur et peregre profectus est.

Beda. Non loci mutatione; sed abire videtur a vinea, ut vinitoribus liberum operandi arbitrium derelinquat. Sequitur et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineae.

Hieronymus. Servi missi prophetae, fructus vineae obedientia est. De prophetis alii caesi, alii vulnerati: alii occisi sunt; unde sequitur qui apprehensum eum ceciderunt et dimiserunt vacuum.

Beda. Servus qui primo missus est, ipse legifer Moyses intelligitur. Sed caesum eum dimiserunt vacuum:

irritaverunt enim Moysen in castris. Sequitur et iterum misit ad illos alium servum, et illum in capite vulneraverunt et contumeliis affecerunt. Servus alter David regem et ceteros psalmistas significat; sed hunc affectum contumeliis in capite vulneraverunt, quia psalmistarum carmina parvipendentes, ipsum David abiecerunt, dicentes: quae nobis pars cum David? sequitur et rursus alium misit, et illum occiderunt, et plures alios, quosdam caedentes, alios vero occidentes. Tertium cum suis sociis servum, prophetarum chorum intellige; sed quem prophetarum non sunt persecuti? his sane tribus servorum gradibus, omnium sub lege doctorum figuram posse comprehendere dominus alibi pronuntiat, dicens: quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege et prophetis et psalmis de me.

Theophylactus. Vel aliter. Per primum servum intellige prophetas qui circa tempus eliae fuerunt: quoniam michaeam verberavit sedechias pseudopropheta; secundum vero servum, quem in capite vulneraverunt, idest affecerunt iniuria, intellige prophetas qui fuerunt circa tempus oseae et isaiae; tertium vero servum intellige prophetas qui fuerunt circa tempus danielis et ezechielis. Sequitur adhuc ergo unum habens filium carissimum, et illum misit ad eos novissimum, dicens: quia forte reverebuntur filium meum.

Hieronymus. Filius carissimus et novissimus, unigenitus est. Quod autem dicit reverebuntur filium meum, per ironiam hoc dicitur.

Beda. Vel aliter. Quod ait quia forte reverebuntur filium meum, non de ignorantia venit; sed ambigere dicitur Deus, ut libera voluntas homini reservetur.

Theophylactus. Vel aliter. Non ignorans quod futurum erat, hoc dixit; sed ostendens quid erat decens et congruum eos operari. Coloni autem dixerunt ad invicem: hic est heres; venite, occidamus eum; et nostra erit hereditas.

Beda. Manifestissime dominus probat, iudaeorum principes non per ignorantiam, sed per invidiam crucifixisse filium Dei. Intellexerunt enim hunc esse cui dictum est: dabo tibi gentes hereditatem tuam. Hanc occisionem eius mali coloni praeripere moliebantur, cum crucifigentes eum iudaei, fidem quae per eum est, extinguere, et suam magis quae ex lege est iustitiam praeferre, ac gentibus imbuendis conabantur inserere. Sequitur et apprehendentes eum, occiderunt et eiecerunt extra vineam.

Theophylactus. Scilicet extra ierusalem: extra civitatem quippe crucifixus est dominus.

Hieronymus. Vel eiecerunt eum extra vineam, idest extra plebem, dicentes: samaritanus es et daemonium habes. Vel quia quantum in se erat, ex suis eum finibus dederunt. Sequitur quid ergo faciet dominus vineae? veniet, et perdet colonos, et dabit vineam aliis.

Augustinus de cons. Evang.. Et quidem Matthaeus illos respondisse subiungit, atque dixisse: malos male perdet, quod marcus hic non ab ipsis responsum esse commemorat, sed dominum post interrogationem suam ipsum sibi quodammodo respondisse. Sed facile potest intelligi vel illorum vocem ita subiunctam ut non interponeretur: illi responderunt, aut: illi dixerunt, sed tamen intelligeretur; aut ideo responsionem istam domino potius attributam, quia cum verum dixerunt, etiam de illis hoc ipse respondit, qui veritas est.

Theophylactus. Dominus ergo vineae est pater filii interempti, et ipse filius interemptus, qui perdet colonos, tradens ipsos romanis; et populum dabit aliis colonis, id est apostolis. Perlegas actus apostolorum, et invenies tria millia et quinque millia repente credentium et fructificantium Deo.

Hieronymus. Vel datur vinea aliis, idest ab oriente, et occidente, et austro et ab aquilone venientibus, et recumbentibus cum abraham, isaac et iacob in regno Dei.

Beda. Hoc autem ita divinitus fuisse procuratum prophético statim affirmavit exemplo, subiciens nec scripturam hanc legistis: lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? quasi dicat: quomodo implebitur haec prophetia, nisi quia Christus a vobis reprobatus et occisus, traditus est gentibus praedicandus, ut quasi lapis angularis duos populos condat in semetipsum, atque ex utroque populo unam sibi fidelium civitatem, unum templum aedificet? eosdem enim synagogae magistros, quos supra colonos dixerat, nunc aedificantes appellat: quia subditam sibi plebem ad ferendos vitae fructus quasi vineam videbantur excolere; ipsi quoque hanc Deo inhabitatore dignam quasi domum construere atque ornare praecipiebantur.

Theophylactus. Lapis ergo quem reprobaverunt doctores, hic factus est in caput anguli, idest in caput ecclesiae: angulus namque ecclesia est, quasi coniungens iudaeos et gentiles: hic angulus, scilicet ecclesia, a domino factus est, et est mirabilis in oculis nostris, scilicet fidelium: nam ab infidelibus miraculis detrahitur. Mirabilis quidem est ecclesia quasi miraculis sistens, domino cooperante apostolis, et sermonem

confirmante sequentibus signis; et hoc est quod dicitur a domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris.

Hieronymus. Vel aliter. Hic lapis reprobus, quem gestat angulus coniungens in coena agnum cum pane, finiens vetus, novum inchoans testamentum, praestat mira in oculis nostris, ut topazion.

Beda. Principes autem sacerdotum ostendebant vera esse quae dominus dixerat; quod patet ex hoc quod subditur et quaerebant eum tenere. Ipse enim est heres, cuius iniustam necem dicebat esse vindicandam a patre. Moraliter autem cuique fidelium cum mysterium baptismi committitur, quasi vinea quam excolat locatur. Sed missus servus contumeliis affectus vel caesus eicitur, cum sermo auditus vel contemnitur, vel, quod peius est, etiam blasphematur. Missum insuper heredem, quantum in se est, occidit qui filium Dei conculcavit. Perdito malo cultore, vinea datur alteri, cum dono gratiae, quod superbus sprexit, humilis quisque ditabitur. Sed hoc quod principes sacerdotum manum mittere quaerentes in iesum, timore turbae retinentur, quotidie geritur in ecclesia, cum quilibet solo nomine frater eam quam non diligit ecclesiasticae fidei et pacis unitatem, propter cohabitantium fratrum bonorum multitudinem, aut erubescit aut timet impugnare.

MARCUS 12,13-17

7213 (Mc 12,13-17)

Beda. Quaerentes dominum comprehendere summi sacerdotes timuerunt turbam: atque ideo quod per se non potuerunt, terrenis potestatibus efficere tentabant, ut vel ipsi a morte eius viderentur immunes; et ideo dicitur et mittunt ad eum quosdam ex pharisaeis et herodianis, ut eum caperent in verbo.

Theophylactus. Diximus alibi de herodianis, quod haeresis quaedam nova erat dicentium Christum esse herodem, propter hoc quod defecerant successiones regni iudaeorum. Alii vero dicunt herodianos milites fuisse herodis, quos pharisaei pro testibus inducebant de his quae dicebantur a Christo, ut eum caperent et adducerent. Vide autem eorum malitiam, qualiter cum adulatione Christum decipere volebant; nam sequitur qui venientes dicunt ei: magister, scimus.

Hieronymus. Mellitis enim verbis eum interrogabant, et circumdabant eum, sicut apes mel portantes in ore, aculeum in tergo.

Beda. Blanda autem et fraudulenta interrogatio illuc provocat respondentem ut magis deum quam caesarem timeat, et dicat non debere tributa solvi, ut statim audientes herodiani, seditionis contra romanos auctorem habeant; et ideo subdunt et non curas quemquam; nec enim vides in faciem hominum.

Theophylactus. Ita ut caesarem non honores, scilicet contra veritatem. Ideo subdunt sed in veritate viam Dei doces: licet tributum dari caesari, an non dabimus? totum enim artificium eorum erat undique praecipitium habens; ut si diceret quod licet census caesari dari, provocent contra eum plebem, quasi in servitutem reducentem ipsum populum; si vero diceret quod non licet dari, sic accusarent eum tamquam excitaret populum contra caesarem. Sed sapientiae fons fugit dolos eorum; unde sequitur qui sciens versutiam eorum, ait illis: quid me tentatis? afferte mihi denarium, ut videam. At illi obtulerunt ei.

Beda. Denarius est genus nummi quod pro decem nummis imputabatur, et habebat imaginem caesaris; unde sequitur et ait illis: cuius est imago haec et inscriptio? dicunt ei: caesaris. Qui putant interrogationem salvatoris ignorantiam esse, non dispensationem, ex hoc discant quod potuit scire cuius imago esset; sed interrogat ut ad sermonem eorum competenter respondeat; unde sequitur respondens autem iesus dixit illis: reddite igitur quae sunt caesaris caesari, et quae sunt Dei Deo.

Theophylactus. Quasi dicat: date quod imaginem habet imaginato, idest denarium caesari: potestis enim et census caesari dare, et Deo propria offerre.

Beda. Idest decimas et primitias et oblationes et victimas, quomodo et ipse reddidit quae Dei sunt, patris faciens voluntatem.

Hieronymus. Vel aliter. Nummum habentem caesaris imaginem reddite coactum caesari, vosipsos libenter Deo reddite. Signatum est enim super nos lumen vultus tui, domine, non caesaris.

Theophylactus. Quasi caesar etiam est uniuscuiusque nostrorum corporum inevitabilis necessitas. lubet

ergo dominus dari corpori cibaria propria et vestitum, et quae sunt Dei Deo. Sequitur et mirabantur super eo. Qui credere debuerant, ad tantam sapientiam sunt mirati, quod calliditas eorum non invenisset locum.

MARCUS 12,18-27

7218 (Mc 12,18-27)

Glossa. Postquam dominus sapienter pharisaeorum callidam tentationem evitavit, ostenditur quomodo etiam sadducaeos tentantes confundit; unde dicitur et venerunt ad eum sadducaei, qui dicunt resurrectionem non esse.

Theophylactus. Haeresis quaedam iudaeorum erat, qui dicebantur sadducaei, et hi resurrectionem negabant, et dicebant quod non sit angelus neque spiritus. Hi ergo accedentes ad iesum, dolose narrationem quamdam inquisierunt, per quam ostenderent resurrectionem non esse nec factam, nec fiendam. Et ideo subditur et interrogabant eum, dicentes: magister. In qua quidem narratione septem ponunt qui mulierem acceperant, ut magis retrahant a resurrectione.

Beda. Recte enim istiusmodi fingunt fabulam, quae deliramenti arguat eos qui resurrectionem asserunt corporum. Potest autem fieri ut vere in gente eorum aliquando hoc acciderit.

Hieronymus. Mystice autem mulier sterilis non relinquens semen ex septem, fratribus, novissime moriens, quid aliud significat quam iudaicam synagogam relictam a spiritu septiformi, qui septem patriarchas implevit, qui non reliquerunt ei semen abraham, quod est iesus Christus? licet enim puer natus est illis, nobis tamen gentibus datus est; quae mulier mortua erat Christo, nec cuiquam patriarchae de septem in resurrectione coniungetur. Septenario namque numero universitas perfectorum significatur, ut versa vice per isaiaem dicitur: apprehendent septem mulieres virum unum, idest, septem ecclesiae, quas dominus amat, arguit et castigat, eum una fide adorant; unde sequitur et respondens iesus ait illis: nonne ideo erratis, non scientes scripturas neque virtutem Dei? Theophylactus. Quasi dicat: vos non intelligitis qualem resurrectionem scriptura annuntiet. Creditis enim quod restauratio corporum talium sit futura qualia nunc sunt: non autem sic erit. Sic igitur ignoratis scripturam, sed etiam virtutem ignoratis divinam. Vos enim consideratis quasi difficile, dicentes: qualiter poterunt membra dissoluta coniungi, et animabus adunari? hoc enim respectu divinae potentiae quasi nihil est. Sequitur cum enim a mortuis resurrexerint, neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut angeli Dei in caelis; quasi dicat: divina quaedam erit vitae restauratio et angelica, cum ulterius non corrumpemur, sed eodem modo manebimus; et propter hoc nuptiae auferentur. Nam nuptiae quidem nunc sunt propter corruptionem, ut per successionem generis persistamus et non deficiamus; tunc vero sicut angeli erimus, qui sunt sine successione nuptiali et nunquam desinunt.

Beda. Considerandum est hic quod latina consuetudo hic graeco idiomatici non respondet. Nubere enim proprie dicuntur mulieres, et viri uxores ducere; sed nos simpliciter dictum intelligamus, ut nubere de viris, et nubi de uxoribus scriptum sit.

Hieronymus. Sic igitur errant non intelligentes scripturas, quia in resurrectione homines erunt sicut angeli Dei; idest, nemo ibi moritur, nemo ibi nascitur; nec infans est ibi, nec senex.

Theophylactus. Et aliter etiam decipiuntur non intelligentes scripturas. Si enim has intellexissent, intelligerent quomodo per scripturas resurrectio mortuorum possit probari; unde subditur de mortuis quod resurgant non legistis in libro moysi, super rubum quomodo dixit illi Deus, inquiens: ego sum Deus abraham et Deus isaac et Deus iacob? **Hieronymus.** Dico autem super rubum, in quo est similitudo vestra, in quo ignis ardebat, sed non eius spinas consumebat; sic vos inflammat eloquium meum, nec spinas vestras sub maledicto germinatas absumit.

Theophylactus. Dico autem ego sum Deus abraham, Deus isaac et Deus iacob; quasi dicat Deus viventium; unde subdit non est Deus mortuorum, sed vivorum. Non enim dixit: ego fui, sed ego sum, tamquam illi praesentes existant. Sed forte aliquis dicet, quod hoc dixit solum Deus de anima abraham, non de corpore. Ad quod dicimus, quod abraham utrumque importat, scilicet corpus et animam; ita ut et corporis ipse sit Deus, et corpus vivat apud deum, idest in Dei ordinatione.

Beda. Vel quia cum probavit animas permanere post mortem (neque enim poterat fieri ut eorum esset Deus qui nequaquam subsisterent), consequenter introduceretur et corporum resurrectio, quae cum animabus bona malaque gesserunt.

Hieronymus. Cum autem dicit Deus abraham, Deus isaac, et Deus iacob, ter deum nominando trinitatem intimavit. Cum autem dicit non est Deus mortuorum, unum deum iterans, unam substantiam significavit. Vivunt autem qui vindicant portionem quam elegerant: mortui autem sunt qui quod vindicaverant, perdidit. Vos ergo multum erratis.

Glossa. Quia videlicet et scripturis contradicebant, et virtuti Dei derogabant.

MARCUS 12,28-34

7228 (Mc 12,28-34)

Glossa. Postquam dominus confutavit pharisaeos et sadducaeos tentantes, hic ostenditur quomodo satisfacit scribae quaerenti; unde dicitur et accessit unus de scribis qui audierat illos conquirentes, et videns quod bene illis responderit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum.

Hieronymus. Quae est haec quaestio problematis quod est commune omnibus peritis in lege, nisi quod diversa in exodo et levitico et deuteronomio ordinantur mandata? unde non unum, sed duo intulit mandata, quibus quasi duobus uberibus super pectus sponsae elevatis nostra alitur infantia; et ideo subditur primum omnium mandatum est: audi, israel, dominus Deus tuus Deus unus est. Primum omnium mandatum dicit; hoc est quod ante omnia debemus in corde singuli quasi unicum pietatis fundamentum locare, id est cognitio atque confessio divinae unitatis cum executione bonae operationis, quae in dilectione Dei et proximi perficitur; unde subdit et diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua: hoc est primum mandatum.

Theophylactus. Attende qualiter omnes animae vires enumeravit. Est enim virtus animae animalis, quam expedit in dicendo ex tota anima tua, ad quam pertinet ira et desiderium; quae omnia tribui vult divino amoris. Est et alia vis quae dicitur naturalis, ad quam pertinet nutritiva et augmentativa; et ista est etiam danda domino tota; propter quod dicit ex toto corde. Est et alia vis rationalis, quam mentem vocat; et ista etiam est danda Deo tota.

Glossa. Quod autem subdit et ex tota fortitudine, ad vires corporales referri potest. Sequitur secundum autem simile est huic: diliges proximum tuum sicut teipsum.

Theophylactus. Propter hoc dicit esse simile, quia haec duo mandata alternatim sunt sibi consona, et reciproce convertuntur: nam qui diligit deum, diligit et facturam suam. Principale autem factorum eius est homo: unde qui diligit deum, diligere debet omnes homines; qui vero diligit proximum, qui multoties dat causam scandali, multo magis eum debet diligere qui semper praestat beneficia; et ideo propter cohaerentiam horum mandatorum subdit maius horum aliud mandatum non est. Sequitur et ait illi scriba: bene, magister, in veritate dixisti.

Beda. Ostendit ex hoc quod dicit maius est omnibus holocaustibus et sacrificiis, gravem saepe inter scribas et pharisaeos quaestionem esse versatam, quod esset mandatum primum sive maximum divinae legis; quibusdam videlicet hostias et sacrificia laudantibus; aliis vero fidei et dilectionis opera praeferentibus eo quod plurimi patrum ante legem ex fide tantum, quae per dilectionem operatur, placerent Deo. In hac sententia scriba iste se fuisse declarat. Sequitur iesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: non longe es a regno Dei.

Theophylactus. In quo non eum esse perfectum testatur: non enim dixit: intra regnum caelorum es; sed non longe es a regno Dei.

Beda. Ideo autem non fit longe a regno Dei, quia sententiae illius quae novi testamenti et evangelicae perfectionis est propria, fautor extitisse probatus est.

Augustinus de cons. Evang.. Nec moveat quod Matthaeus dicit tentantem fuisse, a quo dominus interrogatus est: fieri enim potest ut quamvis tentans accesserit, domini tamen responsione correctus sit; aut certe ipsam tentationem non accipiamus malam, tamquam decipere volentis inimicum, sed cautam potius, tamquam experiri amplius volentis ignotum.

Hieronymus. Vel non est longe qui venit callide: longior namque est ignorantia a regno Dei quam scientia; unde supra sadducaeis: erratis, inquit, nescientes scripturas neque virtutem Dei. Sequitur et nemo audebat

iam eum interrogare, quia enim in sermonibus confutati sunt, ultra non interrogant, sed apertissime comprehensum romanae tradunt potestati. Ex quo intelligimus venena invidiae posse quidem superari, sed difficile conquiescere.

MARCUS 12,35-37

7235 (Mc 12,35-37)

Theophylactus. Quia Christus ad passionem venturus erat, opinionem falsam corrigit iudaeorum, qui Christum filium David esse dicebant, non dominum eius; unde dicitur et respondens iesus, dixit docens in templo.

Hieronymus. Idest, palam eis de se loquitur, ut inexcusabiles sint; sequitur enim quomodo dicunt scribae Christum filium David esse? Theophylactus. Ostendit vero Christus se esse dominum per verba David; nam sequitur ipse autem dicebat in spiritu sancto: dixit dominus domino meo: sede a dextris meis; quasi dicat: non potestis mihi dicere quod David absque gratia spiritus sancti hoc dixerit; sed in spiritu sancto vocavit eum dominum. Et quod sit dominus, ostendit per hoc quod subdit donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Ipsi enim erant inimici eius, quos Deus pater posuit scabellum Christi. Quod autem a patre subiciuntur ei inimici, non infirmitatem filii, sed unitatem naturae, qua in altero alter operatur, significat. Nam et filius subicit inimicos patris, quia patrem clarificat super terram.

Glossa. Sic ergo dominus ex praedictis concludit dubitabilem quaestionem: nam ex verbis David praemissis habetur quod Christus sit dominus David; ex dicto autem scribarum habetur quod sit filius eius; et hoc est quod subditur ipse ergo David dicit eum dominum; et unde est filius eius? **Beda.** Interrogatio iesu nobis profuit usque hodie contra iudaeos: et hi enim qui confitentur Christum esse venturum, hominem simplicem et sanctum virum asserunt de genere David. Interrogemus ergo eos docti a domino, si simplex homo est et tantum filius David, quomodo vocet eum David dominum suum in spiritu sancto. Non autem reprehenduntur quod David filium dicunt, sed quod Dei filium eum esse non credunt. Sequitur et multa turba libenter eum audiebat.

Glossa. Quia scilicet videbant eum sapienter respondentem et interrogantem.

MARCUS 12,38-40

7238 (Mc 12,38-40)

Hieronymus. Confutatis scribis et pharisaeis, ut ignis eorum arida exempla incendit; unde dicitur et dicebat eis in doctrina sua: cavete a scribis, qui volunt in stolis ambulare.

Beda. Ambulare in stolis, cultioribus vestimentis indutos ad publicum procedere significat: in quo inter cetera dives ille qui epulabatur quotidie splendide peccasse describitur.

Theophylactus. In stolis autem venerabilibus ambulabant, ex hoc volentes praeonorari, et similiter alia appetebant quae cedunt ad gloriam; nam sequitur et salutari in foro et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in coenis, scilicet volunt.

Beda. Notandum autem, quod non salutari in foro, non primos sedere vel discumbere vetat eos quibus hoc officii ordine competit; sed eos qui haec sive habita sive non habita indebite amant, a fidelibus quasi improbos docet esse cavendos, animum videlicet, non gradum redarguens; licet culpa non careat, si iidem in foro litibus interessent qui in cathedra moysi synagogae magistri cupiunt appellari. Duplici sane ratione a vanae gloriae cupidis attendere iubemur: ne scilicet eorum vel simulatione seducamur, aestimantes bona esse quae faciunt; vel aemulatione inflammemur, frustra gaudentes in bonis quae simulant, laudari.

Theophylactus. Specialiter etiam apostolos docet ut nullam cum scribis habeant conversationem, sed ipsum Christum imitentur; ordinansque ipsos magistros in his quae sunt circa vitam agenda, alios eis supponit.

Beda. Non solum autem laudes ab hominibus, verum etiam pecunias quaerunt; unde sequitur qui devorant domos viduarum sub obtentu proluxae orationis. Sunt enim qui se iustos simulantes, a peccatorum suorum conscientia turbati, quasi patroni pro eis in iudicio futuri, pecunias accipere non dubitant; et cum porrecta

manus pauperi preces iuvare soleat, illi ob hoc maxime in precibus pernoctant, ut pauperi nummum tollant.

Theophylactus. Accedebant autem scribae ad has mulieres, quae sine protectione viri manebant, quasi earum fierent protectores; et simulatione orationis, et habitu reverentiae, et hypocrisi viduas decipiebant, et sic etiam devorabant divitum domos. Sequitur hi accipient prolixius iudicium, scilicet quam ceteri iudaeorum peccantium.

MARCUS 12,41-44

7241 (Mc 12,41-44)

Beda. Dominus qui appetitus primatus et vanae gloriae cavendos esse monuerat, etiam dona ferentes in domum domini certo examine discernit; unde dicitur et sedens iesus contra gazophylacium aspiciebat quomodo turba iactaret aes in gazophylacium. Sermone graeco phylaxe servare dicitur, et gaza persica lingua divitiae vocantur; unde gazophylacium locus appellari solet, quo divitiae servantur: quo nomine et arca in qua donaria populi congregabantur ad usus templi necessarios, et porticus, in quibus servabantur, appellabantur. Habes exemplum de porticibus in evangelio: haec verba locutus est in gazophylacio, docens in templo. Habes et de arca in libro regum: et attulit ioiada pontifex gazophylacium unum.

Theophylactus. Erat autem laudabilis consuetudo apud iudaeos, ut scilicet habentes et volentes aliquid in gazophylacio ponerent, quod esset pro sacerdotibus et pauperibus et viduis, ut exinde nutrentur; unde subditur et multi divites iactabant multa. Multis autem hoc facientibus, accessit et vidua, ostendens affectum in oblatione pecuniae secundum propriam virtutem; unde subditur cum venisset autem una vidua pauper, misit duo minuta, quod est quadrans.

Beda. Quadrantem vocant calculatores quartam partem cuiuslibet rei, videlicet aut loci, aut temporis, aut pecuniae. Forsitan ergo hoc loco quartam partem sicli, idest quinque obolos significat. Sequitur et convocans discipulos suos, ait illis: amen dico vobis, quoniam vidua haec pauper plus omnibus misit qui miserunt in gazophylacium. Deus enim non substantiam offerentium, sed conscientiam pensat; nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur; unde subdit omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt; haec vero de penuria sua omnia quae habuit misit, totum victum suum.

Hieronimus. Mystice autem divites sunt qui proferunt de thesauro cordis sui nova et vetera; quae sunt incerta et occulta sapientiae divinae utriusque testamenti: paupercula autem quae est nisi ego, et mei similes, qui mitto quod possum, et desidero quod non possum vobis explanare? nam non quantum vos audistis, sed ex quanto considerat Deus. Unusquisque autem quadrantem potest offerre, quae est voluntas prompta; quae dicitur quadrans, quia cum tribus consistit, scilicet cogitatu, verbo et facto. Quod dicitur totum victum suum misit, hoc significat quia tota voluntas corporis in victu consistit; unde dicitur: totus labor hominis in ore suo est.

Theophylactus. Vel aliter. Vidua ista anima hominis est, relinquens satanam, cui fuerat adiuncta; quae mittit in templi aerario duo minuta, carnem scilicet et mentem: carnem quidem per abstinentiam, mentem vero per humilitatem: ut sic audire valeat quod totum victum suum posuit, et sacrum fecit, nihil de suo mundo relinquens.

Beda. Allegorice autem divites, qui in gazophylacium munera mittebant, iudaeos de iustitia legis elatos designant. Vidua pauper ecclesiae simplicitatem designat: pauper quidem, quia spiritum superbiae vel concupiscentias temporalium abiecit; vidua vero, quia iesus vir eius pro ea mortem pertulit. Haec in gazophylacium duo minuta mittit: quia dilectionem Dei et proximi, seu fidei et orationis munera defert, quae considerantur proprie fragilitatis minuta, sed merito piaae intentionis accepta cunctis superbientibus iudaeorum operibus praestant. Ex abundanti sibi iudaeus mittit in munera Dei qui de iustitia sua praesumit. Omnem victum suum in Dei munera mittit ecclesia, quia omne quod vivit, non sui meriti, sed divini muneris esse intelligit.

MARCUS 13,1-2

7301 (Mc 13,1-2)

Beda. Quia fundata ecclesia Christi, iudaea dignas suae perfidiae poenas erat luitura, apte dominus post laudatam in paupere vidua devotionem ecclesiae, egreditur de templo, ruinamque eius futuram, atque

aedificia nunc admiranda non multo post contemnenda esse praedixit; unde dicitur et cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: magister, aspice quales lapides, et quales structurae.

Theophylactus. Quia enim multa circa destructionem ierusalem dominus locutus fuerat, discipuli eius mirabantur quod tam magna et pulchra aedificia destrui debeant; et propter hoc ostendunt ei templi decorem; qui non solum ait haec destruenda fore, sed et quod in eis lapis super lapidem non relinqueretur: unde sequitur et respondens iesus ait illi: vides has magnas aedificationes? non relinquetur lapis super lapidem qui non destruat. Sed dicerent aliqui, quod multae reliquiae remanserunt, ut Christum mendacem nitantur ostendere. Sed nequaquam est hoc; etsi enim aliquae reliquiae remansissent, tamen usque ad universalem consummationem non relinquetur lapis super lapidem. Praeterea narratur, quod elius hadrianus civitatem et templum a fundamento evertit; ita quod verbum domini quod hic dicitur, sit impletum.

Beda. Divinitus autem procuratum est ut, patefacta per orbem fidei evangelicae gratia, templum ipsum cum caeremoniis tolleretur; ne quis forte parvulus in fide, si videret illa permanere quae a Deo sunt instituta, paulatim a sinceritate fidei quae est in Christo iesu, ad carnalem laberetur iudaismum.

Hieronymus. In hoc etiam enumerat dominus discipulis cladem novissimi temporis, idest destructionem templi cum plebe et littera sua; de qua lapis super lapidem non relinquetur, idest testimonia prophetarum super eos, in quos iudaei retorquebant ea, ut in esdram, et zorobabel, et machabaeos.

Beda. Recedente etiam domino de templo, omnia legis aedificia et compositio mandatorum ita destructa est ut nihil a iudaeis impleri possit; et capite sublato, universa inter se membra compugnant.

MARCUS 13,3-8

7303 (Mc 13,3-8)

Beda. Quia laudantibus quibusdam aedificationes templi dominus palam responderat haec esse omnia destruenda, discipuli secreto tempus et signa praedictae destructionis interrogant; unde dicitur et cum sederet in monte olivarum contra templum, interrogabant eum. Sedet dominus in monte olivarum contra templum, cum de ruina et excidio templi disputat, ut etiam ipso corporis situ verbis quae loquitur congruat, mystice designans, quod quietus manens in sanctis, superbiorum detestatur amentiam. Mons enim oliveti fructiferam designat sanctae ecclesiae celsitudinem.

Augustinus ad hesychium. Interrogantibus autem discipulis ea respondit dominus quae iam ex illo tempore fuerant secutura, sive de excidio ierusalem, unde orta est ipsius interrogationis occasio; sive de adventu suo per ecclesiam, in qua usque ad finem venire non cessat: in suis enim veniens agnoscitur, dum eius quotidie membra nascuntur; sive de ipso fine, in quo apparebit vivos iudicaturus et mortuos.

Theophylactus. Sed antequam eis ad interrogata respondeat, mentem eorum confirmat, ut non seducantur; unde sequitur et respondens iesus coepit dicere illis: videte ne quis vos seducat. Hoc autem dicit, quia incipientibus circa iudaeam passionibus, insurrexerunt quidam qui se doctores esse dicebant; unde sequitur multi enim venient in nomine meo dicentes: quia ego sum.

Beda. Multi enim imminente hierosolymorum excidio extitere qui se esse Christos dixerunt, tempusque libertatis iam appropinquare; multi etiam in ecclesia ipsis etiam temporibus apostolorum haeresiarchae prodire; multi etiam in nomine Christi venire antiChristi, quorum primus est simon magus, cui, sicut in actibus apostolorum legimus: auscultabant qui in samaria erant, dicentes: haec est virtus Dei quae vocatur magna; unde et hic subditur et multos seducunt. A tempore autem dominicae passionis in populo iudaeorum, qui latronem seditiosum elegerunt, et Christum salvatorem abiecerunt, nec hostium, nec seditiones civium cessaverunt; unde sequitur cum audieritis autem bella et opiniones bellorum, ne timueritis. Sed his adventantibus, apostoli ne terreantur, ne ierusalem iudaeamque deserant admonentur: quia videlicet non statim finis; quin potius in quadragesimum differendum sit annum; et hoc est quod subditur oportet enim haec fieri; sed nondum finis, idest desolatio provinciae, ultimumque urbis ac templi excidium. Sequitur exurget autem gens contra gentem, et regnum super regnum.

Theophylactus. Idest, romani contra iudaeos; quod iosephus narrat ante destructionem ierusalem factum. Cum enim gens iudaeorum tributum non redderet, romani venerunt turbati. Sed quia tunc temporis romani misericordes erant, cepissent quidem eorum spolia, non fuisset tamen destructio ierusalem. Sed quod Deus contra iudaeos praeliaretur, ostenditur per id quod subditur et erunt terraemotus per loca et fames.

Beda. Constat autem hoc tempore iudaicae seditionis ad litteram contigisse. Potest vero regnum super regnum, et pestilentia eorum, quorum sermo serpit ut cancer, et fames audiendi verbum Dei, et commotio universae terrae, et a vera fide separatio in haeticis magis intelligi, qui contra se invicem dimicantes, ecclesiae victoriam faciunt.

MARCUS 13,9-13

7309 (*Mc 13,9-13*)

Beda. Quo merito hierosolymis ac provinciae iudaeorum universae irroganda tot fuerunt adversa, dominus manifestat cum dicit videte autem vosmetipsos: tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis. Ea quippe iudaicae genti maxima causa erat excidii, quod post occisionem salvatoris, nominis quoque ac fidei eius praecones impia crudelitate vexabant.

Theophylactus. Convenienter autem praeponit narrationem de his quae circa apostolos erant, ut in propriis tribulationibus aliqualem consolationem haberent ex communibus tribulationibus et passionibus; sequitur enim et ante reges et praesides stabitis propter me, in testimonium illis. Reges autem et praesides dicit, sicut agrippam, neronem et herodem. Quod autem dicit ante reges et praesides stabitis pro me, non modicam eis consolationem dedit, quia scilicet propter eum erant passuri. Quod autem dicit in testimonium illis, sic intelligitur, idest in praeiudicium eorum, ut scilicet essent inexcusabiles; quod scilicet apostolis laborantibus, illi non potuerunt veritati coniungi. Deinde ne crederent quod propter tribulationes et pericula praedicatio impediretur, subditur et in omnes gentes primum oportet praedicari evangelium.

Augustinus de cons. Evang.. Matthaeus addit: et tunc veniet consummatio. Sed hoc quod marcus ait primum, signat utique antequam veniat consummatio.

Beda. Hoc ita fuisse completum, ecclesiasticae testantur historiae, in quibus refertur quod apostoli omnes multo ante excidium iudaeae provinciae ad praedicandum evangelium toto orbe fuerunt dispersi, excepto iacobo zeBedaei et iacobo fratre domini, qui in iudaea pro verbo domini prius sanguinem fuderant. Quoniam ergo noverat dominus corda discipulorum de excidio ac perditione suae gentis esse contristanda, hoc eos solatio allevat, ut nossent sibi, etiam iudaeis abiectis, socios non deesse gaudii regni caelestis, immo multo plures quam de iudaea perirent, ex omnibus toto orbe hominibus esse colligendos.

Glossa. Poterat etiam alia sollicitudo in discipulorum cordibus oriri; quia enim audierant quod ante reges et praesides essent ducendi, ne dubitarent quod ex defectu propriae scientiae ac facundiae ad respondendum sufficientes essent, dominus eos consolatur cum subdit et cum duxerint vos, tradentes, nolite sed quod datum fuerit vobis in illa hora, id loquamini.

Beda. Cum enim propter Christum ducimur ad iudices, voluntatem tantum nostram pro Christo debemus offerre. Ceterum ipse Christus qui in nobis habitat loquitur; et spiritus sancti in respondendo gratia dabitur: unde sequitur non enim vos estis loquentes, sed spiritus sanctus.

Theophylactus. Praedicat etiam eis quod erat gravius, quod scilicet a propinquis persecutionem patientur, unde sequitur tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium; et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos.

Beda. Hoc in persecutionibus fieri crebro vidimus; nec ullus est inter eos fidus affectus quorum diversa fides est.

Theophylactus. Hoc autem dicit, ut audito hoc, praeparent se ut persecutiones et mala patientius sustinerent. Deinde consolationem inducit dicens et eritis odio omnibus propter nomen meum. Quod enim habeamur odio propter Christum, causa est sufficiens patienter persecutiones sustinendi: non enim martyrem facit poena, sed causa. Sed in hoc etiam quod sequitur qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit, non modica solatio esse videtur inter persecutiones.

MARCUS 13,14-20

7314 (*Mc 13,14-20*)

Glossa. Praemissis his quae ante excidium civitatis erant futura, nunc dominus praedicat ea quae circa ipsam civitatis destructionem contigerunt, dicens cum autem videritis abominationem desolationis stantem ubi non debet, qui legit intelligat.

Augustinus de cons. Evang.. Matthaeus dicit: stantem in loco sancto; in hac autem mutatione verbi marcus exposuit eandem sententiam: ideo quippe dixit ubi non debet, quia in loco sancto non debet.

Beda. Quando autem ad intelligentiam provocamur, mysticum monstratur esse quod dictum est. Potest autem simpliciter aut de antiChristo accipi, aut de imagine caesaris, quam pilatus posuit in templo, aut de hadriani equestri statua, quae in ipso sancto sanctorum loco multo tempore stetit. Abominatio quoque secundum veterem scripturam idolum nuncupatur: et idcirco addidit desolationis, quod in desolato templo, atque deserto idolum positum sit.

Theophylactus. Vel abominationem desolationis dicit ingressum hostium in civitatem per violentiam.

Augustinus ad hesychium. Lucas vero, ut ostenderet tunc factam fuisse abominationem desolationis, quando expugnata est ierusalem, hoc eodem loco domini verba commemorat: cum videritis circumdari ab exercitu ierusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio eius. Sequitur tunc qui in iudaea sunt fugiant in montes.

Beda. Haec iuxta litteram facta esse constat, cum appropinquante romano bello, et exterminio iudaicae gentis, oraculo admoniti omnes qui erant in provincia Christiani, longius discesserunt, ut ecclesiastica narrat historia, et trans iordanem secedentes, manebant ad tempus in civitate pella, sub tutela agrippae regis iudaeorum, cuius in actibus apostolorum mentio est, qui cum ea quae sibi obtemperare volebat parte iudaeorum, semper imperio romanorum subditus agebat.

Theophylactus. Bene autem dixit qui in iudaea sunt, quia apostoli in iudaea adhuc non erant, sed ante praelium fugati sunt a ierusalem.

Glossa. Vel magis ipsi exierunt, spiritu ducti divino. Sequitur et qui super tectum, non descendat in domum, nec introeat ut tollat quid de domo sua: desiderabile enim erit etiam nudo corpore de tanta tribulatione salvari. Sequitur vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus.

Beda. Quarum scilicet uteri vel manus filiorum sarcina praegravatae, fugae necessitatem non minime impediunt.

Theophylactus. Mihi autem videtur quod filiorum esum in his ostendat: nam fame et pestilentia afflicti manus filiis iniecerunt.

Glossa. Postquam autem fecerat mentionem de duplici impedimento fugae, quod scilicet posset esse vel ex cupiditate rerum asportandarum, vel ex deportatione natorum, tangit tertium impedimentum, quod scilicet est ex parte temporis, dicens orate ergo ut hieme non fiant.

Theophylactus. Ne scilicet ex difficultate temporis impediatur qui fugere cupiunt. Causam autem tantae necessitatis ad effugiendum convenienter assignat, cum dicit erunt enim in diebus illis tribulationes tales quales non fuerunt ab initio creaturae quam condidit Deus, usque nunc, nec fient.

Augustinus ad hesychium. Iosephus enim qui iudaicas scripsit historias, talia mala dicit illi populo tunc accidisse, ut vix credibilia videantur. Unde non immerito dictum est, talem tribulationem nec fuisse a creaturae initio, nec futuram. Sed etsi tempore antiChristi talis aut maior forsitan erit, intelligendum est de illo populo dictum quod eis talis amplius futura non erit. Si enim antiChristum illi primi et praecipui recepturi sunt, facturus est tunc idem populus tribulationem potius quam passurus.

Beda. Hoc autem solum est in tantis malis refugium, ut Deus, qui dat virtutem patiendi, breviet potentiam persequendi: unde sequitur et nisi breviasset dominus dies.

Theophylactus. Idest, nisi in brevi spatio bellum romanorum fuisset, non fuisset salva omnis caro; idest, nullus evasisset iudaeus; sed propter electos, quos elegit, idest propter iudaeos credentes aut in posterum credituros, breviavit dies; idest, cito bellum est terminatum; nam praesciebat Deus quod multi post desolationem civitatis crederent iudaeorum: huius gratia eorum genus ex toto destrui non permisit.

Augustinus ad hesychium. Quidam autem convenientius intellexisse mihi videntur mala ipsa significata

nomine dierum, sicut dicti sunt dies mali in aliis scripturae divinae locis: neque enim dies ipsi mali sunt, sed ea quae fiunt in eis. Ipsa ergo dicta sunt breviri, ut, Deo donante tolerantiam, minus sentirent, ac sic quae magna essent, brevia fierent.

Beda. Vel aliter. Haec quae dicit ab illo loco, erunt dies tribulationis, temporibus antiChristi proprie congruunt, quando non solum tormenta crebriora et acerbiora, quam prius consueverant, ingerenda sunt fidelibus; sed, quod gravius est, signorum quoque operatio eos qui tormenta ingerunt, comitabitur. Haec autem tribulatio quanto ceteris, quae praecessere, pressurarum pondere gravior fuit, tanto est temporis brevitatem moderatior futura. Namque tribus annis et dimidio, quantum de prophetia danielis et apocalypsi loannis conici potest, ecclesia per orbem impugnanda esse creditur. Iuxta vero sensus spirituales, cum viderimus abominationem desolationis stare ubi non debet, hoc est, haereses et flagitia regnare inter eos, qui caelestibus mysteriis videbantur esse consecrati, tunc quicumque in iudaea, hoc est in confessione verae fidei persistimus, tanto altius virtutum culmen debemus ascendere quanto plures ampla vitiorum itinera sequi videmus.

Hieronymus. Fuga enim in montes est, ut non descendat ad ima qui ascendit ad alta.

Beda. Tunc qui super tectum est, hoc est, qui excedens animo carnalia facta, tamquam in aura libera, spiritualiter vivit, ne descendat ad infimos actus pristinae conversationis, neque ea quae reliquerit mundi, carnisve desideria repetat. Domus namque nostra vel mundus hic, vel ipsa in qua degimus, nostra intelligenda est caro.

Hieronymus. Dicit enim orate, ut hieme non fiat fuga vestra, vel sabbato; id est, ne finiantur fructus nostri operis cum fine temporis: hieme enim finitur fructus, sabbato vero tempus.

Beda. Si autem de consummatione mundi intelligatur, haec praecipit, ut non refrigescat fides nostra et in Christum caritas, neque ut otiosi in opere Dei torpeamus virtutum sabbato.

Theophylactus. Oportet etiam nos a peccato fugere cum fervore, et non frigide et quiete.

Hieronymus. Tribulatio autem erit ingens, et dies breves propter electos, ne malitia huius temporis mutet intellectum eorum.

MARCUS 13,21-27

7321 (Mc 13,21-27)

Theophylactus. Postquam ea quae ad ierusalem pertinebant dominus complevit, nunc de adventu loquitur antiChristi, dicens et tunc si quis vobis dixerit: ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. Hoc autem quod dicit tunc, non sic intelligas, id est statim cum completa fuerint supradicta circa ierusalem: sicut et Matthaeus post Christi generationem dicit: in diebus illis venit iohannes; numquid immediate post Christi nativitatem? non, sed indeterminate vel indistincte. Sic et in hoc loco tunc accipi potest, non scilicet quando ierusalem desolabitur, sed circa tempus adventus antiChristi. Sequitur exurgunt enim pseudoChristi et pseudoprophetae, et dabunt signa et prodigia ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. Multi enim Christi nomen suscipient, ita ut etiam fideles seducant.

Augustinus de civ. Dei. Solvetur enim tunc satanas, et per antiChristum in omni virtute sua mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur. Solet autem ambigi utrum propterea dicta sint ab apostolo signa et prodigia mendacii, quoniam mortales sensus per phantasmata decepturus est, ut quod non facit, facere videatur; an quia illa ipsa, etiam si erunt vera prodigia, ad mendacia pertrahent credituros non ea potuisse nisi divinitus fieri, virtutem diaboli nescientes, maxime quando tantam quantam numquam habuit acceperit potestatem. Sed propter quodlibet horum dictum sit, seducentur eis signis atque prodigiis qui seduci merebuntur.

Gregorius super ezech.. Cur autem sub dubitatione dicitur si fieri potest, cum quid futurum sit, a domino praesciatur? unum vero ex duobus est: quia si electi sunt, fieri non potest; si autem fieri non potest, electi non sunt. Ista ergo dominici sermonis dubitatio in electis exprimit trepidationem mentis; quos et electos nominat, quia cernit quod in fide et bono opere persistent: quia qui electi sunt ad persistendum, per signa praedicatorum antiChristi tentabuntur ad cadendum.

Beda. Quidam autem hoc ad captivitatis iudaicae tempus referunt, ubi multi Christos se esse dicentes,

deceptas post se catervas populi trahebant: sed in illa civitatis obsidione nullus erat fidelis, ad quem divina exhortatio, ne falsos magistros sequeretur, fieri deberet; unde melius de haereticis accipiendum est, qui contra ecclesiam venientes Christos se esse mentirentur; quorum primus simon magus fuit, extremus autem ille maior ceteris est antiChristus. Sequitur vos ergo videte: ecce praedixi vobis omnia.

Augustinus ad plebem hippon.. Non enim solum bona quae sanctis et fidelibus suis est redditurus, verum etiam mala quibus erat hic mundus abundaturus, ante praedixit, ut bona post saeculi finem secutura certiores expectaremus, quando mala similiter praenuntiata ante saeculi finem praecedentia sentiremus.

Theophylactus. Post antiChristi autem adventum alterabitur et mutabitur machina mundialis, obscuratis sideribus propter abundantiam claritatis Christi: unde sequitur sed in diebus illis post tribulationem illam sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum, et stellae caeli erunt decedentes.

Beda. Sidera enim in die iudicii videbuntur obscura, non diminutione suae lucis accidente, sed superveniente claritate veri luminis, hoc est summi iudicis; quamvis nil prohibeat intelligi veraciter solem tunc et lunam cum sideribus ceteris ad tempus suo lumine privari, quomodo de sole factum constat tempore dominicae passionis. Ceterum peracto die iudicii, cum fuerit caelum novum et terra nova, tunc fiet quod isaias dicit: erit lux lunae sicut lux solis, et lux solis septempliciter. Sequitur et virtutes quae sunt in caelo movebuntur.

Theophylactus. Idest, virtutes angelicae stupebunt, tanta magnalia videntes fieri, et eorum iudicari conservos.

Beda. Quid mirum homines ad hoc iudicium perturbari, cuius aspectum et ipsae angelicae tremunt potestates? quid faciunt ibi tabulae, quando tremunt columnae? quid virgula deserti patitur, cum cedrus paradisi concutitur? **Hieronymus.** Vel aliter. Sol obtenebrabitur ad gelida corda, ut hieme; et luna non dabit splendorem suum, serena a tempestate dissensionum; et stellae caeli erunt decedentes in lumine, quando pene deerit semen abrahamae, cui sunt similitae; et virtutes quae sunt in caelis movebuntur ad iram vindictae, quando mittentur a filio hominis veniente; de cuius adventu subditur et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, qui scilicet prius sicut pluvia in vellus gedeon descendit cum humilitate.

Augustinus ad hesychium. Quia enim dictum est apostolis ab angelis: sic veniet quomodo vidistis eum euntem in caelum, merito credendus est non solum in eodem corpore, verum etiam in nube venturus: quoniam sic veniet sicut abiit, et nubes suscepit eum abeuntem.

Theophylactus. Videbunt autem dominum tamquam filium hominis, scilicet in corpore: quod enim videtur corpus est.

Augustinus de trin.. Visio quippe filii hominis exhibetur etiam malis: nam visio formae Dei non nisi mundis corde, quia ipsi deum videbunt. Et quia filium Dei, secundum id quod in forma Dei aequalis est patri, iniqui videre non possunt; oportet autem ut iudicem vivorum et mortuorum, coram quo iudicabuntur, et iusti videant et iniqui; ideo oportebat ut filius hominis acciperet iudiciariam potestatem; de cuius executione mox subditur et tunc mittet angelos suos.

Theophylactus. Vide quod Christus iesus mittit angelos, sicut et pater. Ubi ergo sunt qui dicunt, quod patri non est aequalis? egrediuntur namque angeli congregare fideles electos, ut, in aera rapti obvient iesu Christo; unde sequitur et congregabit electos suos a quatuor ventis.

Hieronymus. Ut triticum ventilatum de area totius terrae.

Beda. A quatuor autem ventis, a quatuor mundi partibus dicit: oriente, occidente, aquilone et austro. Et ne quisquam putaret, a quatuor solummodo plagis terrae, et non potius a cunctis eius finibus, simul et mediterraneis regionibus electos esse congregandos, apte subiunxit a summo terrae usque ad summum caeli; idest, ab extremis terrae finibus usque ad ultimos terminos eius, ubi longe aspectantibus circulus caeli terrae finibus insidere videtur. Nullus ergo in die illa remanebit electus qui non venienti ad iudicium domino in aera occurrat. Veniunt ad iudicium et reprobi, ut peracto iudicio dissipentur, et pereant a facie Dei.

7328 (Mc 13,28-31)

Beda. Sub exemplo arboris docuit dominus consummationis exemplum, dicens a ficu autem discite parabolam. Cum iam ramus eius tener fuerit et nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit aestas; sic et vos, cum videritis haec fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis.

Theophylactus. Quasi dicat: sicut cum ficui nascuntur folia, statim est aestas, sic et post angustias antiChristi statim, nullo sequente medio, Christi erit adventus; qui aestas erit iustis ex hieme, peccatoribus vero hiems ex aestate.

Augustinus ad hesychium. Vel aliter. Omnia quae a tribus evangelistis dicta sunt de domini adventu, diligentius inter se collata atque discussa fortasse inveniuntur ad hoc pertinere quod quotidie venit in corpore suo quod est ecclesia, exceptis his locis ubi ille adventus ultimus ita promittitur ut propinquare dicatur: ut in ultimo sermonis secundum Matthaeum ipse adventus evidenter exprimitur, ubi dicitur: cum venerit filius hominis in maiestate sua. Quid enim est cum videritis haec fieri? nisi ea quae supra dixit, in quibus est etiam id quod ait et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus. Non itaque tunc erit finis, sed tunc erit in proximo. An dicendum est non omnia quae supra commemorata sunt, esse intelligenda, sed aliqua eorum, hoc videlicet excepto quod dictum est et tunc videbunt filium hominis venientem? ipse quippe finis erit, non tunc proximus erit. Sed Matthaeus aperuit nullis exceptis esse accipiendum, dicens: cum videritis haec omnia, scitote quia prope est in ianuis. Intelligitur ergo quod supra dictum est sic: et mittet angelos suos de quatuor mundi partibus, idest, de toto orbe terrarum congregabit electos suos; quae tota hora novissima facit veniens in suis membris tamquam in nubibus.

Beda. Potest autem haec fructificatio fici mystice intelligi super statu synagogae, quae veniente ad se domino, quia fructum iustitiae non habebat in eis qui tunc increduli erant, aeterna sterilitate damnata est. Sed quoniam dixit apostolus quod cum plenitudo gentium intraverit, omnis israel salvus erit, quid est hoc nisi quod diu sterilis arbor fici fructum quem negaverat reddet? quod ubi factum fuerit, aestatem verae pacis esse in proximo non ambiges.

Hieronymus. Vel folia fici nata, verba sunt praesentia; aestas proxima, dies est iudicii, in qua unaquaeque arbor manifestabit quae intus habuit, aridum ad comburendum, an viride ad plantandum cum ligno vitae. Sequitur amen dico vobis, quoniam non transibit generatio haec, donec ista omnia fiant.

Beda. Nomine generationis aut omne hominum significat genus, aut specialiter iudaeorum.

Theophylactus. Vel aliter. Non transibit generatio haec, scilicet Christianorum, donec omnia fiant, quae circa ierusalem et antiChristi adventum dicta sunt. Non enim dicit generationem apostolorum; quia maior pars apostolorum non pervenit usque ad ierusalem consummationem. Dicit autem hoc de generatione Christianorum, volens discipulos consolari, ne crederent quod in illis temporibus fides deficeret: prius enim elementa immobilia deficient, quam verba Christi; unde subditur caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Beda. Caelum quod transibit, non aethereum sive sidereum, sed aereum intelligere debemus. Quocumque enim pervenire potuit aqua diluvii, eo, iuxta beati petri sententiam, ignis iudicii perveniet. Transient autem caelum et terra per eam quam nunc habent imaginem, attamen per essentiam sine fine subsistent.

MARCUS 13,32-37

7332 (Mc 13,32-37)

Theophylactus. Volens dominus discipulos impedire ab interrogatione illius diei et horae, dixit de die autem illo et hora nemo scit, neque angeli in caelo, neque filius, nisi pater. Si enim dixisset, quia scio, tamen nolo vobis revelare, ipsos non modicum contristasset. Nunc vero sapientius egit, et ipsos exclusit ab huiusmodi interrogatione, ne ei molesti fierent, in hoc quod dixit: neque angeli sciunt, neque ego.

Hilarius de trin.. Ignoratio autem diei atque horae obicitur unigenito Deo, ut Deus ex Deo natus non sit in ea naturae perfectione qua Deus est. Sed primum sensu communis iudicii sentiendum est an credibile esse possit ut aliquid ex omnibus nesciat qui omnibus ad id quod sunt atque erunt, auctor est. Quomodo enim extra eius naturae scientiam est per quam et in qua id quod efficiendum sit continetur? hanc autem ille diem ignorat, quae adventus sui dies est? humanae naturae quod agere definiunt, quantum in se est, praesciunt,

et sequitur gerendi cognitio voluntatem agendi. Quomodo ergo dominus gloriae adventus sui ignorata die, naturae esse imperfectae creditur, quae et necessitatem habeat adveniendi, et scientiam adventus sui non adepta sit? iam vero quanta impietatis geminatur occasio, si Deo patri deputabitur indignitatis affectus, si ei ademerit beatitudinis cognitionem, cui mortis induxerit praescientiam? quod si in eo omnes scientiae thesauri sunt, diem hunc non ignorat. Sed meminisse nos convenit occultos in eo scientiae thesauros esse. Ignoratio igitur eius est secundum quod thesauri scientiae in eo latent. In omnibus enim quae Deus ignorare se loquitur, ignoratione non detinetur; sed aut tempus est non loquendi, aut dispensatio non agendi. Si autem tunc cognovisse Deus dicitur quod abraham eum amaverit, cum hoc non celavit abraham; necesse est ut et pater ob id diem scire dicatur, quia non celaverit filio. Si itaque diem filius nescit, sacramentum est ut taceat; e contrario pater solus ostenditur scire, quia non tacet. Absit autem corporalium mutationum novitates in patre et filio existimari. Denique, ne per infirmitatem ignorare dicatur, continuo subiecit videte, vigilate et orate: nescitis enim quando tempus sit.

Hieronymus. Vigilia enim opus est mentis ante mortem corporis.

Theophylactus. Docet autem vigilare et orare, duo haec: multi namque vigilamus, sed noctes ducentes in pravitates. Ad hoc autem consequenter similitudinem inducit, dicens sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cuiusque operis, et ianitori praecepit ut vigilet.

Beda. Homo qui peregre profectus reliquit domum suam, Christus est, qui ad patrem post resurrectionem victor ascendens, ecclesiam corporaliter reliquit, quam tamen numquam divinae praesentiae praesidio destituit.

Gregorius in evang.. Carnis etenim locus proprie terra est, quae velut ad peregrinandum ducta est, cum per redemptorem nostrum est in caelis collocata. Dedit autem servis suis potestatem cuiusque operis, quia fidelibus suis concessa sancti spiritus gratia, facultatem tribuit bonis operibus serviendi. Ianitori quoque praecepit ut vigilaret: quia ordini pastorum commissae sibi ecclesiae curam iubet impendere. Non solum autem rectores ecclesiae, sed omnes vigilare praecipimur, ianuas cordium custodientes, ne antiqui hostis mala suggestio subintret, ne nos dominus dormientes inveniat. Unde ex hac similitudine concludens subdit vigilate ergo: nescitis enim quando dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane; ne cum venerit inveniat vos dormientes.

Hieronymus. Nam qui dormit, non corpora vera, sed phantasmata intendit, et vacuus vigilat de his quae viderat. Sic nimirum sunt quos mundi amor rapit in vita, qui deserunt post vitam quod somniabant pro certo.

Theophylactus. Vide autem quia non dixit: nescio quando tempus erit, sed nescitis. Propter hoc enim hoc occultavit, quia nobis expediebat: nam si nunc ignorantes finem non curamus, quid faceremus, si finem sciremus? malitias namque nostras differremus usque ad ultimum. Attendamus etiam dictiones: sero namque finis existit, cum quis moritur in senectute; media nocte, cum quis moritur in medio iuventutis; galli cantu vero, cum ratio completur in nobis: cum enim incipit puer secundum rationem vivere, tunc gallus in eo vociferatur, excitans a somno sensualitatis; mane autem puerilis est aetas. Oportet enim omnes istos finem praescire: nam et puero cavendum ne imbaptizatus pertranseat.

Hieronymus. Hoc autem fine concludit sermonem, ut commune omnium praeceptum novissimi per primos audiant; unde subdit quod autem vobis dico, omnibus dico: vigilate.

Augustinus ad hesychium. Non solum enim illis dixit quibus tunc audientibus loquebatur, sed etiam illis qui fuerunt post illos ante nos, et ad nos ipsos, et qui erunt post nos usque ad novissimum eius adventum. Numquid autem omnes inventurus est dies ille in hac vita, aut quisquam dicturus est quod ad defunctos etiam pertineat quod ait vigilate, ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes? cur itaque omnibus dicit quod ad eos solos pertineat qui tunc erunt, nisi quia ad omnes pertinet, quomodo dixi? tunc enim unicuique veniet dies ille cum venerit eius dies, ut talis hinc exeat qualis est iudicandus illo die; ac per hoc, vigilare debet omnis Christianus, ne imparatum eum inveniat domini adventus. Imparatum autem inveniet dies ille quem imparatum inveniet suae vitae huius ultimus dies.

MARCUS 14,1-2

7401 (Mc 14,1-2)

Hieronymus. Nunc aspergamus librum nostrum de sanguine, et limina domorum, et funem coccineum circumdemus domui orationis nostrae, et coccum in manu nostra ut zaram ligemus, ut vaccam rufam in

valle occisam enarrare possimus. De Christi enim occisione narraturus evangelista praemittit erat autem pascha et azyma post biduum.

Beda. Pascha, quod hebraice dicitur phase, non a passione, ut plerique arbitrantur, sed a transitu nominatur: eo quod exterminator videns sanguinem in foribus israelitarum, pertransierit, nec percusserit eos; vel ipse dominus praebens auxilium populo suo, desuper ambulavit.

Hieronymus. Vel phase transitus interpretatur, pascha vero immolatio. In immolatione agni et transitu populi per mare vel aegyptum, praefiguratur passio Christi, et redemptio populi de inferno, quando nos post biduum visitat, idest plenissima luna, aetate Christi perfecta: ut nec cum aliqua parte tenebrosa carnes agni immaculati, qui tollit peccata mundi, in una domo, quae est ecclesia catholica, calceati caritate et armati virtute comedamus.

Beda. Hoc autem, iuxta veteris testamenti scripturam, inter pascha et azyma distat, quod pascha ipse solus dies appellatur, in quo agnus occidebatur ad vesperam, hoc est quartadecima luna mensis primi; decima quinta autem luna, quando egressum est de aegypto, succedebat festivitas azymorum, quae septem diebus, idest usque ad vigesimum primum diem eiusdem mensis ad vesperam est statuta solemnitas. Verum evangelistae indifferenter et diem azymorum pro pascha, et pro diebus azymorum pascha ponere solent; unde et marcus hic dicit erat autem pascha, et azyma post biduum: quia et paschae dies in azymis panibus est celebrari praeceptus; et nos quasi pascha perpetuum facientes, semper ex hoc mundo transire praecipimur.

Hieronymus. A principibus autem egressa est iniquitas in babylone, qui templum et vasa et se purificare secundum legem ad esum agni debuerant; unde sequitur et quaerebant summi sacerdotes et scribae quomodo eum dolo tenerent et occiderent. Occiso autem capite totum corpus enerve efficitur: unde miseri faciunt quod caput moriatur. Vitant autem diem festum, quod convenit illis: non enim est festivitas his qui vitam et misericordiam perdiderunt; unde sequitur dicebant autem: non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

Beda. Non quidem metuentes seditionem, ut simplex sermo demonstrat; sed caventes ne auxilio populi de suis manibus tolleretur.

Theophylactus. Ipse tamen Christus tempus sibi constituerat passionis: voluit enim in paschate crucifigi, quia ipse verum erat pascha.

MARCUS 14,3-9

7403 (Mc 14,3-9)

Beda. Passurus dominus pro toto mundo, et universas nationes suo sanguine redempturus, moratur in bethania, idest in domo obedientiae; unde dicitur et cum esset bethaniae in domo simonis leprosi, et recumberet, venit mulier.

Hieronymus. Hinnulus enim cervorum semper ad lectum suum redit, idest filius patri obediens usque ad mortem, a nobis obedientiam petit.

Beda. Dicit autem simonis leprosi, non quod leprosus illo tempore permaneret, sed quod antea leprosus, postea a salvatore mundatus est, nomine pristino permanente, ut virtus curantis appareat.

Theophylactus. Quamvis autem quatuor evangelistae unguentum mulieris commemorent, non est tamen una, sed duae: una quidem quae describitur a ioanne, quae soror est lazari, quae scilicet ante sex dies paschae unxit pedes iesu; alia vero quae a reliquis tribus evangelistis describitur. Adhuc autem si attendas, invenies has tres esse. A ioanne enim una describitur, altera vero a Luca, a duobus vero reliquis altera. Quae enim a Luca describitur meretrix esse, dicitur in medio praedicationis tempore ad iesum venisse. Haec vero quae a Matthaeo et Marco describitur, dicitur in tempore passionis venisse, non confitentem se peccatricem.

Augustinus de cons. Evang.. Ego autem nihil aliud intelligendum arbitror, nisi quod non aliam quidem fuisse mulierem, quae peccatrix tunc accessit ad pedes iesu, sed eandem mariam bis hoc fecisse: semel scilicet quod Lucas narravit, cum primo accedens cum humilitate et lacrymis, meruit peccatorum remissionem: nam et hoc ioannes commemoravit, cum de lazaro resuscitando coepisset loqui, antequam

veniret in bethaniam, dicens: Maria autem erat quae unxit dominum unguento, et extersit pedes eius capillis suis, cuius frater lazarus infirmabatur. Quod autem in bethania rursus fecit, aliud est quod ad Lucae narrationem non pertinet; sed pariter narratur a reliquis tribus. Quod ergo Matthaeus et marcus caput domini unguento illo perfusum dicunt, Ioannes autem pedes, accipiamus non solum caput, sed etiam pedes domini perfudisse mulierem; nisi forte quoniam marcus fracto alabastro perfusum caput commemorat, tam quisquam calumniosus est ut in vase fracto neget aliquid remanere potuisse, unde etiam pedes domini perfunderet. Sed contendet aliquis non ita fractum esse ut totum effunderet; vel prius accipiat perfusos pedes, antequam illud fractum esset, ut in integro remaneret unde etiam caput perfunderetur.

Beda. Est autem alabastrum genus marmoris candidi, variis coloribus intertincti, quod ad vasa unguentaria cavare solent, eo quod optime servare ea incorrupta dicatur. Nardus vero est frutex aromaticus grandi, ut aiunt, et crassa radice, sed brevi ac nigra, fragilique. Quamvis autem pinguis sit, tamen redolet ut cupressus, aspero sapore, folio parvo densoque, cuius cacumina in aristas se spargunt; ideoque gemina dote pigmentarii nardi spicas ac folia celebrant. Et hoc est quod ait marcus unguenti nardi pistici pretiosi: quia videlicet unguentum illud quod attulit Maria domino, non solum de radice confectum est nardi, verum etiam, quo pretiosius esset, spicarum quoque et foliorum eius, adiectione odoris ac virtutis illius erat accumulata gratia.

Theophylactus. Vel, sicut in graeco dicitur, nardi pistici, idest fidelis, eo quod unguentum nardi erat absque dolo cum fide confectum.

Augustinus de cons. Evang.. Potest autem videri contrarium quod Matthaeus et marcus posteaquam dixerunt pascha et biduum, deinde commemoraverunt quod erat iesus in bethania, ubi de illo pretioso unguento dicitur; Ioannes autem ante sex dies paschae dicit iesum venisse in bethaniam, de eodem unguento narraturus. Sed qui ita moventur, non intelligunt, Matthaeum et Marcum illud quod in bethania de unguento factum erat, non post illam praedicationem de biduo, sed adhuc cum sex dies essent ante pascha recapitulando posuisse.

Hieronymus. Mystice autem simon leprosus mundum infidelem primo, et postea fidelem significat; mulier autem cum alabastro ecclesiasticam fidem, quae dicit: nardus mea dedit odorem suum. Pistica nardus dicitur, idest fidelis et pretiosa. Domus impleta odore, caelum et terra est. Fractum alabastrum carnale desiderium est, quod frangitur ad caput, ex quo omne corpus compaginatum est; recumbente ipso, idest humiliante se, ut eum tangeret fides peccatricis, quae de pedibus ascendit ad caput, et ad pedes a capite descendit per fidem, idest ad Christum et ad membra eius. Sequitur erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, et dicentes: ut quid perditio ista? per synecdochen dicitur unus pro multis, et multi pro uno. Perditus enim iudas de salute perditionem invenit, et in vite fructifera mortis laqueus nascitur. Sub praetextu autem avaritiae mysterium fidei loquitur: etenim nostra fides trecentis emitur denariis, in decem sensibus, interioribus scilicet et exterioribus, scilicet per corpus et animam et spiritum triplicatis.

Beda. Quod autem dicit et fremuerunt in eam, nequaquam debemus de diligentibus Christum apostolis dictum credere, sed de iuda potius sub numero plurali.

Theophylactus. Vel convenienter videtur innui quod discipuli plures mulierem arguerunt, eo quod saepe Christum audierant de eleemosyna docentem. Iudas vero non eadem intentione indigne tulit, sed propter amorem pecuniae, et turpe lucrum; unde et Ioannes ipsum solum commemorat, tamquam fraudulenta intentione mulierem arguentem. Dicit autem et fremuerunt in eam; idest molesti erant ei, exprobrantes, et iniurias inferentes. Arguit autem dominus discipulos, eo quod desiderium impediunt mulieris; unde sequitur iesus autem dixit: sinite eam: quid illi molesti estis? postquam enim munus obtulerat, illam per opprobria pervertebant.

Origenes super Matth.. Doluerunt enim de perditione unguenti, quod poterat venundari multo pretio, et dari pauperibus; tamen non debebat fieri hoc, quia conveniens erat ut super caput Christi funderetur sancta et decenti infusione; unde sequitur bonum opus operata est in me. Usque adeo autem efficax est laus huius operis boni, ut exhortetur nos omnes odoriferis et pretiosis operibus implere domini caput, ut de nobis dicatur quod bonum opus fecimus super caput Christi; quia semper quidem habemus, quamdiu in hac vita sumus, pauperes nobiscum, et opus habentes cura eorum qui profecerunt in verbo, et divites facti sunt in sapientia Dei; non autem possunt sufficere ut semper diebus et noctibus habeant secum filium Dei, idest verbum et sapientiam Dei; sequitur enim semper enim pauperes habetis vobiscum, et cum volueritis potestis illis benefacere; me autem non semper habebitis.

Beda. Mihi quidem videtur in hoc loco de praesentia corporali locutus, quod nequaquam cum eis ita futurus sit post resurrectionem quomodo tunc in omni convictu et familiaritate.

Hieronymus. Dicit etiam bonum opus operata est in me: quia qui credit in deum, reputatur ei ad iustitiam. Aliud est enim credere ei, et aliud in eum; idest, totum eicere se in illum. Sequitur quod habuit, idest quod potuit, hoc fecit: praevenit ungere corpus meum in sepulturam.

Beda. Quasi diceret: vos putatis perditionem esse unguenti: officium sepulturae est.

Theophylactus. Praevenit enim, quasi a Deo ducta, ungere corpus meum, in signum sepulturae: in quo proditorem confundit, ac si ei diceret: qua conscientia mulierem confundis, quae in sepulturam corpus meum ungit; teipsum vero non confundis, qui me in mortem trades? prophetizat autem dominus consequenter duas prophetias: scilicet quod evangelium praedicabitur in universo mundo, et quod opus mulieris laudabitur; unde sequitur amen dico vobis: ubicumque praedicatum fuerit, etc..

Beda. Notandum autem, quod sicut Maria gloriam adeptam est in toto orbe de obsequio quod domino exhibuit: ita e converso ille qui obsequio eius detrudere non timuit, longe lateque infamatus est; sed dominus bonum laude digna remunerans, futuras impii contumelias tacendo praeteriit.

MARCUS 14,10-11

7410 (Mc 14,10-11)

Beda. Infelix iudas damnum quod ex effusione unguenti fecisse credebat, vult magistri pretio compensare; unde dicitur et iudas iscariotes unus de duodecim abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis.

Chrysostomus in serm. De passione. Quid mihi eius patriam dicis? utinam ipsum quoque nescire licuisset. Sed alter erat discipulus, qui iudas iacobi zelotes vocabatur: et ne appellatione cognominis fiat confusio personarum, propterea hunc ab illo separavit. Non autem dixit: iudas proditor, ut doceat detractores nescire, et accusationes declinare. Quod autem dicit unus de duodecim, auget detestabilitatem proditoris: nam et alii discipuli erant, qui fuerant numero septuaginta; sed illi non intimi, non tanta confidentia sociati sunt; isti autem duodecim fuerunt comprobati: haec erat caterva legalis, de qua proditor malignus exivit.

Hieronymus. Unus tamen erat de duodecim numero, non unus merito; unus corpore, non unus animo. Abiit autem ad principes postquam exiit, et intravit in eum satanas: unumquodque animal ad simile sibi iungitur.

Beda. Quod autem dixit abiit, ostendit eum non a principibus invitatum, non ulla necessitate constrictum; sed sponte propria sceleratae mentis inisse consilium.

Theophylactus. Dicit autem ut proderet eum illis; idest, ut annuntiaret illis quando solus existeret. Timebant autem in eum irruere quando docebat propter turbam.

Hieronymus. Promittit autem se tradere, ut magister eius diabolus ante dicebat: tibi dabo potestatem hanc universam. Sequitur qui audientes gavisus sunt, et promiserunt ei pecuniam se daturos. Promittunt quidem pecuniam, et amittunt vitam, quam ipse recipit cum vitam amittit.

Chrysostomus in serm. De passione. O dementiam, immo cupiditatem proditoris. Cuncta enim mala cupiditas procreavit: nam cupiditas captas animas retinet, et omnibus nodis alligatas constringit, et rerum oblivionem imponit, et alienationem mentis ostendit. Ab hac iudas captivus, cupiditatis insania, conversationis, mensae, discipulatus, admonitionis, suasionis oblitus est; nam sequitur et quaerebat quomodo eum opportune traderet.

Hieronymus. Sed opportunitas doli numquam invenitur, ut non vindicetur hic aut illic.

Beda. Multi hodie scelus iudae, quod dominum ac magistrum deumque suum pecunia vendiderit, velut immane et nefarium exhorrent, nec tamen cavent: nam cum pro muneribus, caritatis et veritatis iura spernunt, deum, qui est caritas et veritas, produunt.

MARCUS 14,12-16

7412 (Mc 14,12-16)

Chrysostomus in serm. De passione. Quando iudas de traditione tractabat, alii discipuli sunt de praeparatione paschae solliciti; unde dicitur et primo die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli: quo vis eamus et paremus tibi comedere pascha? **Beda.** Primum diem azymorum quartumdecimum diem primi mensis appellat, quando fermento abiecto, immolare, idest agnum occidere, solebant ad vesperam; quod exponens apostolus ait: pascha nostrum immolatus est Christus, qui licet die sequenti, idest quintadecima luna, sit crucifixus, attamen nocte qua agnus immolabatur, et corporis sanguinisque sui tradens mysteria celebranda, et a iudaeis tentus ac ligatus, ipsius immolationis, hoc est passionis suae, sacravit exordium.

Hieronymus. Azyma vero, quae cum amaritudine, idest lactucis agrestibus, manducantur, redemptio nostra est; amaritudo vero passio domini.

Theophylactus. Ex hoc autem quod dicunt discipuli quo vis eamus? manifeste videtur quod Christus hospitium aliquod non habebat; sed neque discipuli proprias domos: si enim habuissent, duxissent eum ad illas.

Hieronymus. Dicunt etiam quo vis eamus? ut cum voluntate Dei dirigamus gressus nostros. Dominus autem indicat cum quo manducat pascha; et more suo mittit duos, quod supra exposuimus; unde sequitur et mittit duos ex discipulis suis, et dicit eis: ite in civitatem.

Theophylactus. Mittit quidem ex discipulis suis, petrum scilicet et iohannem, ut Lucas dicit, ad ignotum hominem, innuens ex hoc quod posset non pati. Nam qui mentem ignoti movit ut ipsos reciperet, quid non operaretur in aliis? dat etiam eis signum, ut domum scilicet invenirent, cum subdit et occurret vobis homo lagenam aquae baiulans.

Augustinus de cons. Evang.. Marcus lagenam dicit, quam Lucas amphoram: ille vasis genus, iste modum significavit; uterque veritatem sententiae custodivit.

Beda. Indicium autem praesentiae divinitatis est quod cum discipulis loquens, quid alibi futurum sit novit; unde sequitur et abierunt discipuli eius, et venerunt in civitatem, et invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt pascha.

Chrysostomus in serm. De passione. Non illud quod nostrum, sed interim iudaeorum; illud autem quod nostrum est non solum constituit, sed ipse factus est pascha. Sed et cur illud manducavit? quia factus est sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, et ipse legi requiem daret: et ut nemo dicat quod ideo eam evacuaverit quia eam implere, ut molestam et arduam, non valuit, ipse prius eam complevit, et sic fecit eam requiescere.

Hieronymus. Mystice autem civitas ecclesia est, quae muro fidei cingitur: homo occurrens populus primitivus est; amphora aquae lex litterae.

Beda. Vel aqua lavacrum gratiae, lagena fragilitatem designat eorum per quos eadem erat gratia mundo monstranda.

Theophylactus. Lagenam aquae portat qui baptizatus est; qui autem baptisma baiulat, venit ad requiem secundum rationem vivens, et sicut in domo requie potitur: unde subdit sequimini eum.

Hieronymus. Qui scilicet ducit in altum, ubi est refectio Christi. Dominus domus petrus apostolus est, cui dominus domum suam credidit, ut sit una fides sub uno pastore; coenaculum grande ecclesia magna est, in qua narratur nomen domini, strata varietate virtutum et linguarum.

Beda. Vel coenaculum magnum spiritualiter lex est, quae de angustiis litterae egrediens, et sublimi loco, idest in alto mentis solarium, recipit salvatorem. Consulte autem sive aquae baiuli sive domini domus sunt praetermissa vocabula, ut omnibus verum pascha celebrare volentibus, hoc est Christi sacramentis imbui, eumque suae mentis hospitio suscipere quaerentibus, facultas danda signetur.

Theophylactus. Vel dominus domus intellectus est, qui ostendit coenaculum grande, idest altitudinem intelligentiarum; quod etsi altum sit, tamen nihil habet vanae gloriae et tumoris; sed sternitur, et planum fit humilitate. Ibi autem, idest in tali mente, pascha Christo paratur, a petro scilicet et iohanne, idest ab actione et contemplatione.

MARCUS 14,17-21

7417 (Mc 14,17-21)

Beda. Dominus qui de sua passione praedixerat, etiam de proditore praedicit, dans locum poenitentiae; ut cum intellexisset sciri cogitationes suas, poeniteret eum facti sui; unde dicitur vespere autem facto, venit cum duodecim, et discumbentibus eis et manducantibus ait iesus: amen dico vobis, quia unus ex vobis me tradet, qui manducat mecum.

Chrysostomus in serm. De passione. Ubi patet quod non aperte eum omnibus publicabat, ne impudentiorem eum faceret, nec etiam penitus silentio praeteribat, ne celari arbitratus, audacter ad proditionem properaret.

Theophylactus. Sed quomodo discumbentes coenabant, cum lex praeciperet quod stantes erecti deberent pascha comedere? probabile autem est prius eos adimplere pascha legale, deinde discubuisse, incipiente eo proprium tradere pascha.

Hieronymus. Vespera autem diei, vesperam indicat mundi: circa undecimam namque horam veniunt novissimi qui primi denarium aeternae vitae accipiunt. Omnes igitur discipuli tanguntur a domino; ut fiat harmonia citharae, omnes nervi bene suspensi consona voce respondent; nam sequitur at illi coeperunt contristari, et dicere ei singillatim: numquid ego? unus autem remissus, et pecuniae amore madefactus, dixit: numquid ego sum, rabbi? sicut in Matthaeo legitur.

Theophylactus. Coeperunt autem alii discipuli contristari propter domini verbum: nam etsi extra hanc existerent passionem, magis tamen credunt illi qui omnium novit corda, quam sibi. Sequitur qui ait illis: unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino.

Beda. Iudas scilicet qui, ceteris contristatis et retrahentibus manum, cum magistro manum mittit in catinum: et quia prius dixerat unus ex vobis me tradet, et perseverat proditor in malo, manifestius arguit; et tamen nomen proprium non designat.

Hieronymus. Dicit autem unus de duodecim, quasi ab eis separatus: separat enim seorsum lupus ovem quam capit. Ovis quae de ovili egreditur, lupi morsibus patet. Iudas autem nec primo, nec secundo correptus a prodicione retrahit pedem; unde poena praedicitur, ut quem pudor non vicerat, corrigant denunciata supplicia; et hoc est quod subditur et filius quidem hominis vadit sicut scriptum est de eo.

Theophylactus. Per hoc quod dicitur vadit, ostenditur quod mors Christi fuit voluntaria, et non necessaria.

Hieronymus. Sed quia multi bonum, ut iudas, faciunt, sed omnino illis non proficit, recte subditur vae autem homini illi per quem filius hominis tradetur.

Beda. Sed et hodie quoque in sempiternum vae illi homini qui ad mensam domini malignus accedit. Etenim ille in exemplum iudae filium hominis tradit, non quidem iudaeis peccatoribus, sed tamen peccatoribus membris suis. Sequitur bonum erat ei, si non esset natus homo ille.

Hieronymus. Scilicet intimo latens utero materno; melius enim est non esse, quam ad tormenta esse.

Theophylactus. Quantum enim ex fine melius fuisset ei quod esset, si non proditor existeret; nam Deus fecit ipsum ad opera bona; sed postquam ad tantam devenit malitiam, melius fuisset ei si natus non fuisset.

MARCUS 14,22-25

7422 (Mc 14,22-25)

Beda. Finitis paschae veteris solemnibus transiit ad novum, ut scilicet pro carne agni ac sanguine, sui corporis sanguisque sacramentum substitueret; unde dicitur et manducantibus illis accepit iesus panem: ut scilicet ipsum se esse monstraret, cui iuravit dominus: tu es sacerdos in aeternum secundum ordinem melchisedech. Sequitur et benedicens fregit.

Theophylactus. Idest, gratias agens fregit: quod et nos facimus, orationes superaddentes.

Beda. Frangit etiam ipse panem quem discipulis porrigit, ut ostendat corporis sui fractionem non absque sua sponte vel procuratione futuram; quem etiam benedixit, quia naturam humanam quam passurus assumpsit, ipse una cum patre et spiritu sancto gratia divinae virtutis implevit. Benedixit panem ac fregit: quia hominem assumptum ita morti subdere dignatus est, ut ei divinae immortalitatis inesse potentiam demonstraret; ideoque velocius eum a morte resuscitandum esse doceret. Sequitur et dedit eis, et ait: sumite: hoc est corpus meum.

Theophylactus. Hoc scilicet quod nunc do, et quod nunc sumitis. Non autem panis figura tantum corporis Christi est, sed in proprium Christi corpus transmutatur: nam dominus ait: panis quem ego dabo, caro mea est; sed tamen caro Christi non videtur propter nostram infirmitatem: panis enim et vinum de nostra consuetudine est; si vero carnem et sanguinem cerneremus, sumere non sustineremus. Propter hoc dominus nostrae infirmitati condescendens, species panis et vini conservat; sed panem et vinum in veritatem convertit carnis et sanguinis.

Chrysostomus in serm. De passione. Et nunc etiam ille praesto est Christus, qui illam ornavit mensam, ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est qui proposita corpus Christi facit et sanguinem; sed ille qui pro nobis crucifixus est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, et Dei virtute consecrantur et gratia. Hoc verbo quod dicit hoc est corpus meum, proposita consecrantur; et sicut illa vox quae dicit: crescite et multiplicamini, et replete terram (*Gn 1,28*), semel quidem dicta est, sed omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura, ita et vox ista semel quidem dicta est, sed per omnes mensas ecclesiae usque in hodiernum diem et usque ad eius adventum praestat sacrificio firmitatem.

Hieronymus. Mystice autem in panem transfiguratur dominus corpus suum, quod est ecclesia praesens, quae accipitur in fide, benedicitur in numero, frangitur in passionibus, datur in exemplis, sumitur in doctrinis, formatur in sanguinem suum in calice vino et aqua commixtum: ut alio purgemur a culpis, alio redimamur a poenis. Sanguine namque agni servantur domus a percussione angeli, et aqua maris rubri extinguuntur inimici; quae sunt mysteria ecclesiae Christi; unde sequitur et accepto calice, gratias agens dedit eis; gratia enim et non meritis salvati sumus a Deo.

Gregorius moralium. Cum appropinquaret etiam passioni, accepto pane, gratias egisse perhibetur. Gratias itaque egit qui flagella alienae iniquitatis suscepit; et qui nil percussione dignum exhibuit, humiliter in passione benedixit, ut hinc ostendat quid unusquisque in flagello culpae facere debeat, si ipse aequanimiter flagella culpae portat alienae: ut hinc etiam ostendat quid in correctione faciat subditus, si in flagello positus patri gratias egit aequalis.

Beda. Quia et nos in Christo, et in nobis Christum manere oportet, vinum dominici calicis aqua miscetur. Attestante enim Ioanne, aquae populi sunt; et neque aquam solam, neque solum vinum cuiquam licet offerre, ne talis oblatio caput a membris discernendum esse significet, et vel Christum sine nostrae redemptionis amore pati potuisse, vel nos sine illius passione salvari ac posse offerri contingat. Sequitur et biberunt ex illo omnes.

Hieronymus. Ebrietas felix, satietas salutaris, quae quanto copiosius sumitur, tanto sobrietatem mentis donare dignatur.

Theophylactus. Quidam autem dicunt iudam mysteriorum non fuisse participem, sed quod exiverit antequam dominus mysteria largiretur. Alii etiam dicunt, quod illi tradidit de illo mysterio.

Chrysostomus in serm. De passione. Christus enim sanguinem ei qui eum vendidit offerebat, ut haberet remissionem peccatorum, si tamen impius existere nolisset.

Hieronymus. Bibit ergo iudas, sed non saturatur; nec sitim extinguit ignis aeterni, quia indigne sumit mysteria Christi. Sunt enim in ecclesia quos sacrificium non emundat, sed eos cogitatio insipiens perducit ad culpas, qui se coenosis crudelitatis foetoribus miscuerunt.

Chrysostomus. Nullus ergo sit iudas in domini mensa. Hoc sacrificium cibus spiritualis est: nam sicut corporalis cibus, cum ventrem invenerit adversis humoribus occupari, amplius laedit, ita est et iste spiritualis cibus; si aliquem reperit malignitate pollutum, magis eum perdit, non sua natura, sed accipientis vitio. Pura igitur sit mens in omnibus, pura cogitatio, quia et sacrificium purum est. Sequitur et ait illis: hic est sanguis meus novi testamenti.

Beda. Hoc ad distinctionem respicit veteris testamenti, quod hircorum et vitulorum est sanguine dedicatum, dicente inter aspergendum legislatore: hic est sanguis testamenti, quod mandavit ad vos Deus. Sequitur qui pro multis effundetur.

Hieronymus. Non enim omnes emundat. Sequitur amen dico vobis, quod iam non bibam de genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei.

Theophylactus. Quasi diceret: non bibam de vino usque ad resurrectionem: regnum enim resurrectionem vocat, quasi tunc regnaverit contra mortem. Post resurrectionem vero bibit cum discipulis et comedit, ostendens quod idem ipse esset qui passus est. Novum autem bibit illud, idest novo quodam modo et alieno: non enim corpus habebat passibile indigens cibo, sed immortale et incorruptibile. Intelligendum est autem et sic: vitis est ipse dominus, genimen vitis mysteria et intellectus occultus; quem ipse generat qui docet hominem scientiam. In regno autem Dei, idest in futuro saeculo, bibit cum suis discipulis mysteria et sapientiam, nova quaedam nos docens, et revelans quae nunc occultat.

Beda. Vel aliter. Vitem sive vineam domini appellatam esse synagogam isaias testatur dicens: vinea domini sabaoth, domus israel est. Iturus ergo dominus ad passionem ait iam non bibam de genimine vitis: ac si aperte dicat: non ultra carnalibus synagogae caeremoniis delectabor, in quibus etiam ista paschalis agni sacra locum tenuere praecipuum. Aderit enim tempus meae resurrectionis; aderit dies ille cum in regno Dei positus, idest gloria vitae immortalis sublimatus, de salute eiusdem populi, fonte gratiae spiritualis regenerati, vobiscum gaudio perfundar.

Hieronymus. Considerandum autem, quod hic dominus mutat tantum sacrificium, sed non mutat tempus, ut nos nunquam coenam domini ante quartadecimam lunam faciamus. Qui facit in quartadecima resurrectionem, in undecima luna coenam domini faciet; quod nunquam in testamento veteri nec in novo factum est.

MARCUS 14,26-31

7426 (Mc 14,26-31)

Hilarius. Sicut gratias egerunt antequam biberent, ita etiam gratias agunt et postquam biberunt; unde dicitur et hymno dicto exierunt in montem oliveti: ut scilicet addiscas et ante cibum et post cibum gratiarum reddere actiones.

Hieronymus. Hymnum enim dicit laudem domini, ut est in psalmo 21, 27-28: edent pauperes et saturabuntur, et laudabunt dominum qui requirunt eum; et adoraverunt et manducaverunt omnes pingues terrae.

Theophylactus. Simul etiam et hic ostendit quod amplectibile erat sibi pro nobis mori: quia cum tradendus erat, deum laudare dignatus est. Docet etiam nos, cum in angustias incidimus propter multorum salutem, non contristari, sed Deo gratias agere, qui in nostra tribulatione operatur multorum salutem.

Beda. Potest etiam hymnus ille intelligi quem dominus, secundum Ioannem, patri gratias agens decantabat, in quo et pro seipso et pro discipulis et pro eis qui per verbum ipsorum credituri erant, elevatis sursum oculis, precabatur.

Theophylactus. Exivit autem in montem, ut ad eum solitarium existentem accedentes, ipsum caperent absque tumultu. Si enim accessissent cum in civitate manebat, forte fuisset multitudo populi conturbata; et tunc manifeste occasionem inimici captantes viderentur ipsum iuste interficere tamquam populum concitantem.

Beda. Pulchre etiam dominus discipulos sacramentis imbutos in montem educit olivarum, ut typice designet nos per acceptionem sacramentorum ad altiora virtutum dona et charismata sancti spiritus, quibus in corde perungamur, ascendere debere.

Hieronymus. In monte etiam oliveti iesus tenetur, unde ad caelos ascendit; ut nos sciamus quia inde ascendimus ad caelos unde vigilamus et oramus, et ligamur, nec repugnamus in terra.

Beda. Praedicat autem dominus discipulis quid passuri sunt; ut cum passi fuerint, non desperent salutem,

sed agentes poenitentiam liberentur; unde sequitur et ait illis iesus: omnes scandalizabimini in me in nocte ista.

Hieronimus. Omnes quidem cadunt, sed non omnes iacent. Numquid enim qui dormit non adiciet ut resurgat? carnale est cadere, sed diabolicum est iacere.

Theophylactus. Permisit autem eos dominus cadere, ut non in seipsis confidant; et ne videretur hoc quod praedixerat ex quodam argumento apparenti praedixisse, inducit testimonium zachariae prophetae; unde sequitur percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis.

Beda. Hoc aliis verbis in zacharia propheta scriptum est et ex persona prophetae ad dominum dicitur: percutie pastorem, et dispergentur oves. Propheta enim postulat passionem domini; pater respondet: percutiam pastorem, precibus inferiorum. Filius a patre mittitur, et percutitur; idest incarnatur et patitur.

Theophylactus. Dicit autem pater percutiam pastorem, quia ipsum percuti dimisit. Oves discipulos dicit, quasi innocentes et quasi absque malitia. Ultimo consolationem inducit, dicens sed postquam resurrexero, praecedam vos in galilaeam.

Hieronimus. In quo vera promittitur resurrectio, ut spes non extinguatur. Sequitur petrus autem ait ei: et si omnes scandalizati fuerint, sed non ego. Ecce avis sine pennis in altum volare nititur: sed corpus aggravat animam, ut timore humanae mortis timor domini superetur.

Beda. Et petrus ergo de ardore fidei promittebat, et salvator quasi Deus futura noverat; unde sequitur et ait illi iesus: amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus.

Augustinus de cons. Evang.. Cum omnes evangelistae dicant praedixisse dominum quod eum petrus esset negaturus antequam gallus cantaret; marcus hoc solum narravit expressius: unde nonnullis videtur non congruere ceteris, quia parum attendunt. Tota enim petri negatio trina est: quae si tota post primum galli cantum inciperet, falsum dixisse viderentur tres alii evangelistae: quod scilicet antequam gallus cantaret, ter eum esset negaturus. Rursus si totam trinam negationem ante peregisset quam cantare gallus inciperet, superfluo dixisset marcus ex persona domini priusquam gallus bis vocem dederit, ter me negaturus es. Sed quia ante primum galli cantum coepta est illa trina negatio, attenderunt illi tres non quando eam completurus esset petrus, sed quanta futura esset, idest trina, et quando coepta, idest ante galli cantum: quamquam in animo eius et ante primum galli cantum tota concepta est. Marcus autem de ipsarum vocum intervallo planius elocutus est.

Theophylactus. Quod sic intelligitur. Petrus semel negavit; deinde gallus cantavit; negante vero eo duabus aliis negationibus, tunc gallus secundo vocem emisit.

Hieronimus. Gallus lucis nuntius quis est nisi spiritus sanctus? cuius voce in prophetia et in apostolis nos de trina negatione excitamur ad amarissimos post lapsum fletus, qui male cogitavimus de Deo, et male locuti sumus ad proximos, et male fecimus ad nosmetipsos.

Beda. Fides autem apostoli petri et ardens affectus ad dominum consequenter ostenditur; sequitur enim at ille amplius loquebatur: et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo.

Theophylactus. Fervorem etiam intrepidum et alii discipuli ostenderunt; nam sequitur similiter autem et omnes dicebant; sed tamen resistebant veritati, quam Christus praedixerat.

MARCUS 14,32-42

7432 (Mc 14,32-42)

Glossa. Postquam dominus scandalum discipulorum praedixerat, nunc evangelista narrat de oratione ipsius, in qua pro discipulis creditur orasse: et primo describens locum orationis, dicit et veniunt in praedium cui nomen gethsemani.

Beda. Monstratur usque hodie locus gethsemani, in quo dominus oravit ad radices montis oliveti. Interpretatur autem gethsemani vallis pinguium, sive pinguedinum. Cum autem dominus in monte orat, nos docet, sublimia orando inquiri debere. At cum in valle pinguedinis orat, insinuat nobis humilitatem semper in

orationibus, et internae pinguedinem dilectionis esse servandam. Ipse etiam per vallem humilitatis et pinguedinem caritatis pro nobis mortem subiit.

Hieronimus. In valle etiam pinguedinum tauri pingues obsederunt eum. Sequitur et ait discipulis suis: sedete hic donec orem. Separantur in oratione qui separantur in passione: quia ille orat, illi dormiunt, pigredine cordis oppressi.

Theophylactus. Singulariter etiam erat consuetudo illi semper orare, formam nobis tradens ut silentium et solitudinem in orationibus requiramus. Sequitur et assumit petrum et iacobum et loannem secum. Illos tres tantum assumit qui gloriae eius in monte thabor inspectores extiterant, ut qui gloriosa viderant, viderent et tristia, et addiscerent quod verus erat homo in hoc quod tristatur; unde sequitur et coepit pavere et taedere. Quia enim totum assumpserat hominem, assumpsit et naturales proprietates hominis, pavere et taedere et contristari naturaliter; nam homines naturaliter inviti tendunt ad mortem; unde sequitur et ait illis: tristis est anima mea usque ad mortem.

Beda. Quasi Deus in corpore constitutus fragilitatem carnis exponit, ut eorum qui sacramentum incarnationis obiurgant excluderetur impietas; nam qui corpus suscepit, omnia debuit suscipere quae corporis sunt, ut esuriret, sitiret, angeretur, contristaretur: divinitas enim per hos commutari nescit affectus.

Theophylactus. Quidam autem hoc sic intellexerunt, quasi dicat: tristior enim, non quod mori debeo, sed quod israelitae propinqui mei me crucifixuri sunt, ac per hoc a regno Dei debent excludi.

Hieronimus. In hoc etiam pavere et tristari docemur ante iudicium mortis, quod non possumus per nos dicere, sed per illum: venit princeps mundi huius, et in me non habet quicquam. Sequitur sustinete hic, et vigilate.

Beda. Non a somno dormitionis prohibet, cuius tempus non erat imminente discrimine, sed a somno infidelitatis et torpore mentis. Paululum autem procedens ruit in faciem suam, et humilitatem mentis habitu carnis ostendit; unde sequitur et cum processisset paululum, procidit super terram, et orabat ut, si fieri posset, transiret ab eo hora.

Augustinus de cons. Evang.. Non dixit: si facere posset, sed si fieri posset; fieri enim potest quod ille voluerit. Sic itaque dictum est si fieri potest, ac si diceretur: si vellet. Et ne quis putaret eum patris minuisse potestatem, manifestavit quo intellectu accipiendum sit quod dictum est: nam sequitur et dixit: abba, pater, omnia tibiabilia sunt: in quo satis ostendit non ex impossibilitate, sed ex voluntate patris dictum esse si fieri potest. Quod autem marcus non solum pater, sed abba, pater, eum dixisse commemorat; hoc est abba hebraice, quod latine pater. Et fortasse dominus propter aliquod sacramentum utrumque dixit, volens ostendere se illam tristis personam in persona sui corporis, idest ecclesiae, suscepisse, cui factus est angularis lapis, venientibus ad eum partim ex hebraeis, ad quos pertinet quod ait abba, partim ex gentibus, ad quos pertinet quod ait pater.

Beda. Orat autem transire calicem, ut ostendat vere quod homo erat; unde subdit transfer calicem hunc a me. Reminiscens autem et propter quid missus est, perficit dispensationem ad quam missus est, et clamat sed non quod ego volo, sed quod tu; quasi dicat: si moritur mors me non moriente secundum carnem, transeat calix; verum, quia non aliter hoc fiet, non quod ego volo, sed quod tu. Multi adhuc contristantur futura morte, sed habeant rectum cor, vitent mortem quam possunt; sed si non possunt, dicant id quod propter nos dominus dixit.

Hieronimus. Ex quo etiam usque in finem non cessat nos docere patribus obedire, et voluntatem eorum voluntati nostrae praeponere. Sequitur et venit, et invenit eos dormientes. Sicut enim dormiunt mente, sic et corpore. Post orationem autem dominus veniens, et videns discipulos dormientes, petrum solum increpat; unde sequitur et ait petro: simon, dormis? non potuisti una hora vigilare mecum? quasi dicat: qui una hora non potuisti mecum vigilare, quomodo mortem spernes tu qui spondes mori mecum? sequitur vigilate et orate, ut non intretis in tentationem, scilicet negandi me.

Beda. Non ait: orate ne tentemini, quia impossibile est humanam animam non tentari; sed ne intretis in tentationem; hoc est, ne vos tentatio superet.

Hieronimus. In tentationem autem intrare dicitur qui orare negligit. Sequitur spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Theophylactus. Quasi dicat: spiritus quidem vester promptus est ad me non negandum, et propterea hoc promittitis; sed caro vestra intantum infirma est quod nisi dominus per orationem virtutem carni dederit, in

tentationem intrabit.

Beda. Temerarios hic reprimit, qui quicquid crediderint, putant se consequi posse. Sed quantum ex mentis ardore confidimus, tantum ex fragilitate carnis timeamus. Facit etiam hic locus adversus eos qui dicunt unam in domino operationem et unam voluntatem fuisse. Duas enim voluntates ostendit: humanam scilicet, quae propter infirmitatem carnis recusat passionem; et divinam, quae promptissima est. Sequitur et iterum abiens oravit eundem sermonem dicens.

Theophylactus. Ut scilicet per secundariam orationem, quod verus homo esset, affirmaret. Sequitur et reversus denuo, invenit eos dormientes; tamen non vehementer redarguit: erant enim oculi eorum gravati, scilicet somno, et ignorabant quid responderent ei. Per hoc infirmitatem humanam addiscas, ne scilicet gravati somno promittamus ea quae nobis impossibilia sunt. Ideo tertio abiit ad orandum oratione praedicta: unde sequitur et venit tertio, et ait illis: dormite iam, et requiescite. Non turbatur contra illos cum post redargutionem peius fecerint; sed ironice dicit illis dormite iam, et requiescite: quia iam sciebat quod proditor appropinquabat. Et quod ironice dixerit, apparet per hoc quod subditur sufficit. Venit hora: ecce filius hominis tradetur in manus peccatorum. Hoc dicebat deridens somnum eorum, quasi diceret: nunc tempus est ut dormiatis quando inimicus appropinquat. Deinde subiungit surgite, eamus: ecce qui me tradet prope est. Non ut fugerent hoc dicit, sed ut inimicis obviarent.

Augustinus de cons. Evang.. Vel aliter. Per hoc quod cum dixisset dormite iam, et requiescite, adiungit sufficit, et deinde infert venit hora, ecce tradetur filius hominis, utique intelligendum est post illud dormite et requiescite, siluisse dominum aliquantum, ut hoc fieret quod praemiseraat; et tunc intulisse venit hora; et ideo interponit sufficit, scilicet quod requievistis.

Hieronymus. Trina autem discipulorum dormitio tres mortuos quos dominus suscitavit significat; primus in domo, secundus ad sepulcrum, tertius de sepulcro. Trina autem domini vigilia docet nos orando et de praeteritis, et de futuris, et de praesentibus veniam rogare.

MARCUS 14,43-52

7443 (Mc 14,43-52)

Beda. Postquam tertio dominus oraverat et apostolorum timorem sequente poenitentia impetraverat corrigendum, securus de passione sua pergit ad persecutores; de quorum adventu evangelista dicit et adhuc eo loquente, venit iudas iscariotes unus de duodecim.

Theophylactus. Hoc non frustra ponitur, sed ad maiorem proditoris redargutionem; quod cum de primo choro discipulorum existeret, contra dominum in rabiem versus est. Sequitur et cum eo turba multa cum gladiis et lignis, a summis sacerdotibus et scribis et senioribus.

Hieronymus. Incumbit enim virtuti saeculi qui desperat de adiutorio Dei.

Beda. Adhuc tamen habet aliquid iudas de verecundia discipuli, cum eum non palam tradidit persecutoribus, sed per signum osculi; unde sequitur dederat autem traditor eis signum, dicens: quemcumque osculatus fuero, ipse est: tenete eum, et ducite caute.

Theophylactus. Vide eius insensibilitatem, quomodo credebat in osculo Christum decipere, ut quasi amicus aestimaretur. Si autem amicus eras, o iuda, cuius gratia cum inimicis accessisti? sed omnis pravitas sine providentia est. Sequitur et cum venisset, statim accedens ad eum ait: ave, rabbi; et osculatus est eum.

Hieronymus. Dat iudas signum osculi cum veneno doli: sic cain obtulit sacrificium subdolum et reprobatum.

Beda. Invidens autem et scelerata confidentia magistrum vocat, et osculum infert ei quem tradit. Suscipit autem dominus osculum traditoris, non quo simulare nos doceat, sed ne prodicionem fugere videatur; simul et illud psalmi 119, 7 complens: cum his qui oderunt pacem eram pacificus. Sequitur at illi manus iniecerunt in eum, et tenuerunt eum.

Hieronymus. Hic adest ioseph venditus a fratribus, et ferrum pertransivit animam eius. Sequitur unus autem de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis, et amputavit auriculam.

Beda. Petrus hoc fecit, ut iohannes declarat, eodem mentis ardore quo cetera faciebat: sciebat enim

quomodo phinees puniendo sacrilegos, mercedem iustitiae et sacerdotii perennis acceperit.

Theophylactus. Tacet autem nomen eius marcus, ut non videretur suum laudare magistrum quasi zelantem pro Christo. Innuit autem petrus ex hoc quod inobedientes erant et increduli, spernentes scripturas; nam si habuissent aures audientes scripturas, non crucifixissent dominum gloriae. Amputavit autem auriculam servi summi sacerdotis: nam summi sacerdotes primo praeteribant scripturas, quasi servi non audientes facti. Sequitur et respondens iesus ait illis: tamquam ad latronem existis cum gladiis et lignis? **Beda.** Quasi dicat: stultum est cum gladiis et fustibus quaerere eum qui ultro se vestris tradidit manibus, et in nocte quasi latitantem per proditorem investigare qui quotidie in templo docebat.

Theophylactus. Istud autem divinitatem eius ostendit: quando enim in templo docebat, non valuerunt ipsum capere, quamvis in manibus eorum esset, quia nondum tempus advenerat passionis; quando autem ipse voluit, tunc tradidit seipsum, ut adimplerentur scripturae: quia tamquam agnus ad occisionem ductus est, non clamans neque vociferans, sed voluntarie patiens. Sequitur tunc discipuli eius relinquentes eum omnes fugerunt.

Beda. In hoc impletur sermo quem dominus dixerat, quod omnes discipuli scandalizarentur in illo in ipsa nocte. Sequitur adolescens autem quidam sequebatur illum, amictus sindone super nudo: subauditur corpore: quia non aliud indumenti quam solam habebat sindonem. Sequitur et tenuerunt eum. At ille, relicta sindone, nudus profugit ab eis: quorum scilicet praesentiam detestabatur et facta, non a domino, cuius amorem et absens corpore fixum servavit in mente.

Hieronymus. Sicut etiam ioseph, relicto pallio, nudus de manibus impudicae feminae aufugit, qui vult effugere manus iniquorum, relinquens mente quae mundi sunt, fugiat post iesum.

Theophylactus. Probabile autem videtur quod hic adolescens erat de illa domo in qua pascha comederant. Quidam vero dicunt hunc adolescentem fuisse iacobum fratrem domini, qui dicebatur iustus, qui ab apostolis post Christi ascensionem cathedram hierosolymorum accepit.

Gregorius moralium. Vel hoc de ioanne dicitur, qui, etsi post, ut verba redemptoris audiret, ad crucem rediit, prius tamen territus fugit. Nam, et illum eo tempore fuisse adolescentem, longa post hoc in carne vita eius indicio est. Potuit enim fieri ut ad horam tenentium manibus elapsus, mox resumpto indumento redierit, et sub dubia lucis nocte, se turbis ducentium iesum, quasi unus de ipsis immiscuerit, donec ad atrium pontificis, cui erat notus, perveniret, ut ipse in suo evangelio commemorat. Sicut autem petrus, qui culpam negationis poenitentiae lacrymis abluit, recuperationem ostendit eorum qui in martyrio labuntur; ita ceteri discipuli qui articulum comprehensionis fugiendo praevenerunt, cautelam fugiendi docent eos qui se minus idoneos ad toleranda supplicia sentiunt.

MARCUS 14,53-59

7453 (Mc 14,53-59)

Glossa. Narraverat evangelista superius, quomodo dominus a ministris sacerdotum fuerat captus; nunc narrare incipit quomodo in domo principis sacerdotum morti adiudicatus fuit; unde dicitur et adduxerunt iesum ad summum sacerdotem.

Beda. Summum sacerdotem significat caipham, qui, sicut iohannes scribit, erat pontifex anni illius, de quo testatur iosephus, quod pontificatum sibi emerit a principe romano. Sequitur et convenerunt in unum omnes sacerdotes et scribae et seniores.

Hieronymus. Tunc facta est congregatio taurorum in vaccis populorum. Sequitur petrus autem a longe sequebatur eum usque intro in atrium summi sacerdotis. Timor enim retrahit, sed caritas trahit.

Beda. Merito autem a longe sequebatur qui iam erat proxime negaturus: neque enim negare posset, si Christo proximus adhaesisset. Sequitur et sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se.

Hieronymus. In atrio cum ministris calefacit se ad ignem. Atrium sacerdotis est saecularis circuitus; ministri daemonia sunt, cum quibus qui manet, flere peccata non potest; ignis desiderium carnale.

Beda. Est enim ignis caritas, de quo dicitur: ignem veni mittere in terram: qui super credentes descendens

variis linguis eos laudare dominum docuit. Est et ignis cupiditatis, de quo dicitur: omnes adulterantes, velut clibanus corda eorum. Hic ignis in atrio caiphae instinctu maligni spiritus accensus, ad negandum, ad blasphemandum dominum perfidorum linguas armabat. Quod enim intus in domo maligna synodus gerebat, hoc ignis in atrio inter frigora noctis accensus figurabat. Quoniam enim abundat iniquitas, refrigescit caritas multorum. Hoc frigore torpens ad horam petrus, quasi prunis ministrorum caiphae calefieri cupiebat: quia temporalis commodi solatium perfidorum societate quaerebat. Sequitur summi vero sacerdotes et omne concilium quaerebant adversus iesum testimonium, ut eum morti traderent.

Theophylactus. Lege praecipiente quod unus existeret summus sacerdos, tunc multi erant substituti, et destituti annis singulis per principem romanorum. Summos ergo sacerdotes dicit illos qui determinatum eis tempus complentes iam compleverant et a sacerdotio destituti erant. Figuram autem iudicii, quod in praeiudicium agebant, operantur, testimonia quaerentes, ut videantur iesum iuste damnare et perdere.

Hieronymus. Sed mentita est iniquitas sibi, ut regina adversus ioseph, et sacerdotes adversus susannam. Sed ignis sine materia deficit; unde sequitur nec inveniebant; multi enim falsum testimonium dicebant adversus eum, et convenientia testimonia non erant. Quod enim variatur, incertum habetur. Sequitur et quidam surgentes falsum testimonium ferebant. Moris est haereticorum umbram de veritate trahere. Non ille dixit quod illi dicunt, sed simile verbum de templo corporis sui, quod post biduum resuscitavit.

Theophylactus. Non enim dixerat: ego dissolvam illud, sed: solvite; neque manufactum dixit, sed simpliciter templum.

Hieronymus. Dixit etiam: suscitabo, vivum animal significans, et spirans templum. Falsus testis est qui in eo sensu dicta intelligit quo non dicuntur.

MARCUS 14,60-65

7460 (Mc 14,60-65)

Beda. Quanto iesus tacebat ad indignos responsione sua falsos testes et sacerdotes impios, tanto magis pontifex furore superatus, eum ad respondendum provocat, ut ex qualibet occasione sermonis, locum inveniat accusandi; unde dicitur et exsurgens summus sacerdos in medium, interrogavit iesum, dicens: non respondes quidquam ad ea quae tibi obiciuntur ab his? iratus quidem princeps et impatiens, non inveniens calumniae locum, exsurgit de solio, ut insaniam mentis motu corporis demonstraret.

Hieronymus. Sed ipse Deus et salvator noster, qui mundo salutem contulit, et humano generi sua pietate subvenit, sicut ovis ad occisionem sine voce ducitur, et obmutuit, et siluit a bonis; unde sequitur ille autem tacebat, et nihil respondit. Taciturnitas Christi apologiam, idest excusationem, adae absolvit.

Theophylactus. Tacebat autem, sciens quod non attenderent verbis eius; unde secundum Lucam respondit: si dixero vobis, non credetis mihi; unde sequitur rursus summus sacerdos interrogavit eum, et dixit ei: tu es Christus filius Dei benedicti? interrogat quidem hoc summus sacerdos, non ut addiscens crederet, sed ut ex hoc aliquam occasionem captaret. Quaerit autem tu es Christus filius Dei benedicti? multi namque erant Christi, idest uncti, sicut reges et summi sacerdotes; sed nullus eorum dicebatur filius Dei benedicti, quasi semper collaudati.

Hieronymus. Hunc autem expectabant de longe, quem prope non vident; sicut isaac caligantibus oculis iacob sub manibus non agnoscit; sed longe de eo futura canit. Sequitur iesus autem dixit illis: ego sum; ut scilicet inexcusabiles sint.

Theophylactus. Sciebat namque quoniam non crederent: tamen respondit, ne postea dicerent: si audissemus aliquid ab eo, credissemus ei. Hoc autem est in eorum praeiudicium: quia audierunt et non crediderunt.

Augustinus de cons. Evang.. Matthaeus autem non dixit respondisse iesum: ego sum sed: tu dixisti; sed marcus tantum valere ostendit quod ei dicit: tu dixisti, quantum si diceret ego sum. Sequitur et videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus caeli.

Theophylactus. Ac si dicat: videbitis me tamquam filium hominis a dextris patris sedentem. Virtutem namque hic patrem dicit. Non autem sine corpore veniet; sed qualis apparuit crucifigentibus, talis in iudicio eis apparebit.

Beda. Si ergo tibi in Christo, o iudaeae, o pagane et haeretice, contemptus, infirmitas et crux contumelia est, vide quia per hoc filius hominis ad dexteram Dei patris sessurus, et in sua cum nubibus caeli est maiestate futurus.

Hieronymus. Et quidem sacerdos interrogat filium Dei, iesus autem respondet filium hominis; ut hinc intelligamus Dei filium idem esse et filium hominis, et ne quaternitatem faciamus in trinitate; sed homo in Deo, et Deus in homine sit. Dicit autem a dextris virtutis sedentem; idest, in vita regnantem sempiterna, et virtute divina. Et venientem cum nubibus caeli. In nube ascendit, cum nube veniet; idest, in corpore suo solo, quod sumpsit a virgine, ascendit, et cum multiformi ecclesia, quae corpus ipsius et plenitudo eius, ad iudicium venturus est. **Leo** papa in serm. 6 de passione. Caiphias autem ad exaggerandam auditi sermonis invidiam, scidit vestimenta sua; et nesciens quid haec significaret insania, sacerdotali se honore privavit, oblitus praecepti illius quod legitur de principe sacerdotum: de capite suo cidarim non deponet, et vestimenta sua non dirumpet. Nam sequitur summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: quid adhuc desideramus testes? audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Theophylactus. Adimplet quidem sacerdos consuetudinem iudaicam: cum enim aliquid intolerabile et triste illis occurrebat, vestimenta scindebant. Ut ergo monstraret quod Christus magnam et intolerabilem blasphemiam dixerit, vestimenta scidit.

Beda. Altiori autem mysterio factum est ut in passione domini pontifex iudaeorum sua ipse vestimenta discinderet, hoc est ephod; cum tunica domini nec ab ipsis qui eum crucifixere militibus scindi potuerit. Figurabatur enim quia sacerdotium iudaeorum pro sceleribus ipsorum pontificum esset scindendum: soliditas vero ecclesiae, quae vestis sui redemptoris solet appellari, nunquam valet dirumpi.

Theophylactus. Ex eo autem sacerdotium iudaeorum scindendum erat quod condemnauerunt Christum esse reum mortis; unde sequitur qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis.

Hieronymus. Condemnant quidem eum esse reum mortis ut reatu suo reatum nostrum solveret. Sequitur et coeperunt quidam conspuere eum: ut scilicet sputaminibus susceptis, faciem animae nostrae lavaret; et velamine faciei suae velamen cordium nostrorum auferret; et colaphis, quibus in capite percussus est, caput humani generis, quod est adam, sanaret; et alapis, quibus expalmatus est, maxima laus eius nostris manibus labiisque plauderet: ut dicitur: omnes gentes, plaudite manibus.

Beda. Quod vero dicunt ei prophetiza: quis est qui te percussit? quasi in contumeliam faciunt eius qui se a populis prophetam haberi voluit.

Augustinus de cons. Evang.. Hoc autem intelligitur passus dominus usque ad mane in domo principis sacerdotum, quo prius adductus est.

MARCUS 14,66-72

7466 (Mc 14,66-72)

Augustinus de cons. Evang.. De petri tentatione, quae inter praedictas domini contumelias facta est, non eodem ordine omnes evangelistae narrant. Nam Lucas explicat prius tentationem petri, tum demum has domini contumelias; ioannes autem incipit petri tentationem dicere, et interponit quaedam de contumeliis domini, et adiungit quod inde missus est ad caiphiam pontificem; et inde recapitulat, ut explicet quam coeperat tentationem petri. Matthaeus autem et marcus primo commemorant Christi contumelias, deinde petri tentationem de qua dicitur et cum esset petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis.

Beda. Quid autem sibi vult, quod prima eum prodit ancilla; cum viri utique eum magis potuerint recognoscere, nisi ut et iste sexus peccasse in necem videretur domini, et iste sexus redimeretur per domini passionem? sequitur at ille negavit dicens: neque scio, neque novi quid dicas.

Hieronymus. Petrus sine spiritu voci ancillae cessit, cum spiritu nec principibus, nec regibus cedit.

Theophylactus. Hoc autem eum pati dispensative permisit dominus, ne scilicet extolleret se; simulque ut peccantibus misericors ostendatur, tamquam ex seipso instructus humanae infirmitatis eventum. Sequitur et exiit foras ante atrium et gallus cantavit.

Beda. De hoc galli cantu ceteri evangelistae tacent; non tamen factum negant; sicut et multa alia alii

silentio praetereunt quae alii narrant. Sequitur rursus autem cum vidisset eum ancilla, coepit dicere circumstantibus, quia hic ex illis est.

Augustinus de cons. Evang.. Haec ancilla non eadem, sed alia est, sicut dicit Matthaeus. Sane hoc quoque intelligitur, quia in secunda negatione a duobus compellatus est, ab ancilla scilicet, quam commemorant Matthaeus et Marcus, et ab alio quem commemorat Lucas. Sequitur at ille iterum negavit. Iam Petrus redierat ut, quemadmodum dicit Ioannes, ad focum stans iterum negaret: unde ancilla dicebat quod dictum est, non illi, scilicet Petro, sed his qui illo exeunte ibi remanserant; sic tamen ut ille audiret; unde rediens et rursus ad ignem stans resistebat negando verbis eorum. Liquido enim colligitur collatis de hac re omnibus evangelistarum testimoniis, non ante ianuam secundo Petrum negasse, sed intus in atrio ad ignem; Matthaeum autem et Marcum, qui commemoraverunt exisse eum foras, regressum eius brevitatis causa tacuisse.

Beda. In hac autem negatione Petri discimus non solum abnegari Christum ab eo qui dicit eum non esse Christum; sed ab illo etiam qui cum sit, negat se esse Christianum: dominus enim non ait Petro: discipulum meum te negabis, sed me negabis. Negavit ergo Christum cum se negavit eius discipulum. Sequitur et post pusillum rursus qui adstabant dicebant Petro: vero ex illis es: nam et Galilaeus es. Non quod alia lingua Galilaei quam Hierosolymitae loquerentur, qui utique fuerunt Hebraei; sed quod unaquaque provincia et regio suas habeat proprietates, ac vernaculum loquendi sonum vitare non possint.

Theophylactus. Igitur timore Petrus perterritus, et domini sermonem oblitus, dicens: qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram patre meo, dominum abnegavit; unde sequitur ille autem coepit anathematizare et iurare: quia nescio hominem istum quem dicitis.

Beda. Quam noxia sunt pravorum consilia. Inter infideles hominem negavit se nosse quem inter discipulos deum fuerat confessus. Solet autem scriptura sacra meritum causarum per statum designare temporum; unde Petrus, qui media nocte negavit, ad Galli cantum poenituit; unde subditur et statim iterum Gallus cantavit. Et recordatus est Petrus verbi quod dixit ei Iesus: priusquam Gallus cantet bis, ter me negabis. Et coepit flere.

Theophylactus. Lacrymae enim Petrum Christo per poenitentiam adduxerunt. Confundantur itaque Novatiani, qui dicunt, quod qui post susceptionem baptismatis peccaverit, non suscipitur ut sibi delictum remittatur. Ecce enim Petrus, qui et Christi corpus sumpsit et sanguinem, per poenitentiam est susceptus. Etenim sanctorum defectus propter hoc scripti sunt, ut et nos si per incautelam deciderimus, recursum habeamus per eorum exemplum, et speremus per poenitentiam sublevari.

Hieronymus. Mystice autem prima ancilla, titubatio est; secunda, consensus; tertius vir, actus est. Haec trina negatio, quam abluit per fletus verbi Christi recordatio. Tunc nobis Gallus cantat quando praedicator quisquam per poenitentiam corda nostra ad compunctionem excitat; tunc incipimus flere quando ignimus intus per scintillam scientiae; et foris eximus cum extra eicimus quod intus fuimus.

MARCUS 15,1-5

7501 (Mc 15,1-5)

Beda. Habebant Iudaei hunc morem ut quem adiudicassent morti, ligatum iudici traderent; unde post condemnationem Christi subiungit evangelista et confestim mane consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus et scribis et universo concilio, vincientes Iesum duxerunt, et tradiderunt Pilato. Attamen notandum, quod non tunc primum ligaverunt eum; sed mox comprehensum nocte in horto, ut Ioannes declarat, ligaverunt.

Theophylactus. Tradiderunt itaque Iesum Romanis; sed et ipsi a Deo traditi fuerunt in manibus Romanorum, ut adimplerentur scripturae dicens: secundum opera manuum eorum retribue illis. Sequitur et interrogavit eum Pilatus: tu es rex Iudaeorum? **Beda.** Pilato nihil aliud criminis interrogante nisi utrum rex Iudaeorum sit, arguuntur impietatis Iudaei, quod nec falso quidem invenire potuerint quod obicerent salvatori. Sequitur at ille respondens ait illi: tu dicis. Sic respondet, ut verum diceret, et sermo eius calumniae non pateret.

Theophylactus. Dubiam enim responsionem emisit: nam tu dicis potest sic intelligi: tu dicis hoc, sed ego non dico. Et nota, quod Pilato, qui invitus fert sententiam, aliqua in parte responderit; sacerdotibus autem et principibus respondere noluerit, indignosque sermone suo iudicaverit. Sequitur et accusaverunt eum summi sacerdotes in multis.

Augustinus de cons. Evang.. Lucas etiam ista crimina quae falso obiecerunt aperuit: sic enim narrat: coeperunt accusare eum, dicentes: hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare caesari, et dicentem se Christum regem esse. Sequitur pilatus autem rursus interrogabat eum, dicens: non respondes quicquam, vides in quantis te accusant? **Beda.** Ethnicus quidem est qui condemnat iesum; sed causam refert in populum iudaeorum. Sequitur iesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur pilatus. Nihil quidem respondere voluit, ne crimen diluens dimitteretur a praeside, et crucis utilitas differretur.

Theophylactus. Mirabatur autem pilatus: quia cum legis doctor esset, et eloquens, et potens responsione sua eorum accusationes infringere, non respondebat quicquam, sed magis accusationes viriliter sustinebat.

MARCUS 15,6-15

7506 (Mc 15,6-15)

Beda. Multas liberandi salvatorem pilatus occasiones dedit: primo latronem iusto conferens; unde dicitur per diem autem festum dimittere solebat illis unum ex vincitis quemcumque petissent.

Glossa. Quod quidem solitus erat facere ut gratiam populi captaret, et praecipue in die festo, quando de tota provincia iudaeorum populus hierosolymam confluebat. Et ut maior iudaeorum improbitas appareat, describitur consequenter enormitas culpae latronis, quem iudaei Christo praetulerunt; unde sequitur erat autem qui dicebatur barabbas, qui cum seditiosis vincitus erat, qui in seditione fecerat homicidium: in quo ostenditur et ex gravitate culpae notabilis, quod homicidium fecerat; et ex modo faciendi, quia cum perturbatione civitatis hoc fecerat, seditionem concitando; et etiam quia culpa eius manifesta erat, nam et cum seditiosis vincitus erat. Sequitur et cum ascendisset turba, coepit rogare sicut semper faciebat illis, **Augustinus** de cons. Evang.. Nulla quaestio est quod Matthaeus tacet ipsos petiisse ut aliquis eis dimitteretur, quod marcus hic dicit. Nihil enim interest si alius aliud tacet, quod alius commemorat. Sequitur pilatus ergo respondit, et dixit: vultis dimittam vobis regem iudaeorum? sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Quaeri potest quae verba pilatus dixerit, utrum quae a Matthaeo, an quae a Marco referuntur? aliud enim videtur esse: quem vultis dimittam vobis: barabbam, an iesum qui dicitur Christus? ut Matthaeus refert; aliud: vultis vobis dimittam regem iudaeorum? ut hic dicitur. Sed quia Christos reges dicebant, et qui dixit: illum an illum, manifestum est eum quaesisse an vellent dimitti regem iudaeorum, idest Christum. Nihil autem interest sententiae quod hic tacuit marcus de barabba, hoc solum volens dicere quod ad dominum pertinebat; quandoquidem in eorum responsione satis et ipse ostendit quem sibi dimitti voluerint; nam sequitur pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis barabbam dimitteret eis.

Beda. Haeret iudaeis usque hodie sua petitio, quam tanto labore impetrarunt: quia enim data sibi optione, pro iesu latronem, pro salvatore interfectorem elegerunt, merito salutem perdiderunt et vitam, et latrocinii ac seditionibus se intantum ut patriam regnumque suum, quod plus Christo amaverunt, perdiderint; et libertatem, corpus et animam numquam receperint. Deinde aliam occasionem dat pilatus liberandi salvatorem, cum sequitur pilatus autem respondens ait illis: quid ergo vultis faciam regi iudaeorum?

Augustinus de cons. Evang.. Iam satis apparet quod id marcus velit ostendere dicendo regem iudaeorum, quod Matthaeus dicendo Christum: non enim dicebantur Christi reges, nisi iudaeorum. In hoc enim loco secundum Matthaeum dicitur: quid igitur faciam de iesu qui dicitur Christus? sequitur at illi clamabant: crucifige eum.

Theophylactus. Vide autem iudaeorum pravitatem, et pilati commensurationem; quamvis et ipse dignus sit condemnatione pro eo quod populo non resistebat. Illi namque clamabant crucifige; hic tentat humiliter ab illo praeiudicio eruere iesum; et ideo rursus interrogat; unde sequitur pilatus autem dicebat eis: quid enim fecit? occasionem namque ex hoc sumere volebat ut Christum solveret innocentem.

Beda. Iudaei vero insaniae suae satisfacientes, interrogationi praesidis non respondent; unde sequitur at magis clamabant: crucifige eum: ut impleretur illud ieremiae: facta est mihi hereditas mea sicut leo in silva; dederunt super me vocem suam. Sequitur pilatus autem volens satisfacere populo, dimisit illis barabbam, et tradidit iesum flagellis caesum ut crucifigeretur.

Theophylactus. Volebat quidem satisfacere populo, idest eorum facere voluntatem, et non quod erat placitum iustitiae et Deo.

Hieronymus. Hic duo hirci adsunt: unus apompaeos, idest emissarius, cum peccato populi in desertum

infernus absolutus dimittitur; alter pro peccatis absolutus ut agnus occiditur. Pars domini semper mactatur; pars diaboli, qui est magister eorum, quod sonat barabbas, effrenata in tartarum praecipitur.

Beda. Iesus autem flagellatus non ab alio quam ab ipso pilato intelligendus est: scribit namque iohannes: apprehendit pilatus iesum, et flagellavit; quod quidem ideo fecisse credendus est, ut satiati poenis ac opprobriis eius, iudaei mortem ultra sitire desisterent.

MARCUS 15,16-20

7516 (Mc 15,16-20)

Theophylactus. Militaris vana gloria semper inordinatis gaudens et opprobriis, sibi propria ostendebat; unde dicitur milites autem duxerunt eum in atrium praetorii, et convocant totam cohortem, idest totum ordinem militiae; et induunt eum purpura, sicut regem.

Beda. Quia enim rex iudaeorum fuerat appellatus, et hoc ei scribae et sacerdotes crimen obiecerant, quod sibi in populo israelitico usurparet imperium; illudentes hoc faciunt, ut nudatum pristinis vestibus induant purpura, qua reges veteres utebantur.

Augustinus de cons. Evang.. Intelligitur autem quod Matthaueus ait: chlamydem coccineam circumdederunt ei, hic Marcus dixisse indutum purpura: pro regia enim purpura chlamys illa coccinea ab illudentibus adhibita erat; et est rubra quaedam purpura cocco simillima. Potest etiam fieri ut purpuram etiam marcus commemoraverit, quam chlamys habebat, quamvis esset coccinea.

Beda. Pro diademate autem ponunt ei coronam spineam: unde sequitur et imponunt ei plectentes spineam coronam. Pro sceptro autem regali dant calamum, ut Matthaueus scribit, et adorant quasi regem; unde sequitur et coeperunt salutare eum: ave, rex iudaeorum. Et quod milites eum, quasi qui deum seipsum falso dixisset, adorabant illudentes, patet ex hoc quod subditur et percutiebant caput eius arundine, et conspuebant eum, et ponentes genua adorabant eum, quasi falso se dixisset deum.

Hieronymus. Opprobria autem eius nostrum abstulere opprobrium; vincula eius nos liberos fecerunt; corona spinea capitis eius, diadema regni adepti sumus; vulneribus eius sumus sanati.

Augustinus de cons. Evang.. Apparet autem Matthaueum et Marcum recapitulando ista posuisse, non quod tunc factum sit, cum eum pilatus iam crucifigendum tradidisset. Iohannes enim apud pilatum dicit haec gesta. Hoc autem quod sequitur, et postquam illuserunt ei, exuerunt eum purpura, et induerunt eum vestimentis suis, in fine factum intelligitur, cum iam adduceretur ad crucifigendum.

Hieronymus. Mystice autem vestimentis suis nudatur iesus, idest iudaeis: purpura induitur, idest gentili ecclesia, quae de scopulis collecta est. Item ea exutus in fine scandalizante, iudaica rursum induitur plebe: cum enim intraverit plenitudo gentium, tunc omnis israel salvus erit.

Beda. Vel in purpura qua indutus est dominus, ipsa eius caro quam passionibus obiecit, insinuat; in corona vero quam portabat spinea, nostrorum susceptio peccatorum.

Theophylactus. Induamus et nos purpuram stolam regalem: quia ut reges ambulare debemus calcantes super serpentes et scorpiones, et suppeditantes peccatum: Christiani namque dicimur, idest uncti, sicut et tunc reges uncti dicebantur. Sumamus et coronam spineam, idest festinemus coronari vita arcta et abstinentiis et puritate.

Beda. Caput autem Christi percutiunt qui eum verum deum esse negant. Et quia per arundinem scriptura solet confici, quasi arundine caput Christi feriunt qui divinitati illius contradicentes, errorem suum confirmare auctoritate sacrae scripturae conantur. Spuunt in faciem eius qui gratiae praesentiam verbis execrandis respuunt. Sunt et hodie qui eum certa fide ut deum verum adorant; sed perversis actibus verba eius quasi fabulosa despiciunt, ac promissa verbi illius temporalibus illecebris postponunt. Sicut autem caiphas nescius dixit: oportet unum hominem mori pro populo, sic milites nescientes faciunt.

MARCUS 15,20-28

7520 (Mc 15,20-28)

Glossa. Post condemnationem Christi et contumelias condemnato illatas, ad crucifixionem eius narrandam evangelista accedit dicens et educunt illum, ut crucifigerent eum.

Hieronymus. Hic educitur abel in agrum a fratre ut perimatur; hic adest isaac cum lignis, et abraham cum ariete vepribus haerente; hic etiam ioseph cum fasce somniato, et tunica talari sanguine lita; hic adest Moyses cum virga et serpente suspenso in ligno; hic adest botrus in ligno portatus; hic adest eliseus cum ligno ad quaerendam securim, quae in imo demersa est, et natavit ad lignum, idest genus humanum, quod a ligno vetito in infernum decidit, per lignum crucis Christi, et per baptismum aquae ad paradysum natavit; hic adest ionas de ligno forti in mare ventremque ceti triduo missus. Sequitur et angariaverunt quempiam praetereuntem simonem cyrenaeum venientem de villa, patrem alexandri et rufi, ut tollerent crucem eius.

Theophylactus. Ioannes autem ait, quod ipsemet baiulabat sibi crucem: utrumque enim fuit: nam ipse quidem primo baiulavit sibi crucem, donec praeterit quidam quem angariaverunt, et tunc ille portabat. Dixit autem quorum filiorum erat pater ad maiorem fidem, et affirmationem: nam homo ille vivebat, qui poterat omnia quae circa crucem facta sunt, enarrare.

Hieronymus. Cum autem alii per merita patrum suorum commemorentur, alii per merita filiorum suorum; hic simon qui crucem in angaria portat, meritis filiorum suorum, qui erant discipuli, commemoratur. De hoc nos in praesenti vita admonemur, parentes adiuvari per natorum suorum sapientiam vel merita: ut populus iudaicus propter patriarcharum et prophetarum et apostolorum merita semper commemoratur. Simon autem iste qui portat crucem in angaria, ipse est qui laborat pro laude humana: cogunt enim homines hunc laborare, quem non cogit timor et dilectio Dei.

Beda. Vel quia simon iste non hierosolymita, sed cyrenaeus esse perhibetur (cyrene enim lybiae civitas est), recte per eum populi gentium designantur, qui quondam peregrini et hospites testamentorum, nunc obediendo heredes sunt Dei, coheredes autem Christi. Unde apte simon obediens, cyrene heres interpretatur. De villa autem venisse refertur: villa enim graece pagus dicitur: unde paganos appellamus eos quos a civitate Dei alienos videmus. De pago igitur egrediens simon crucem portat post iesum, cum populus nationum, paganis ritibus derelictis, vestigia dominicae passionis obedienter amplectitur. Sequitur et perduxerunt eum in golgotha locum, quod est interpretatum calvariae locus. Extra urbem et foris portam loca sunt in quibus truncantur capita damnatorum; calvariae, idest decollatorum, sumpsere nomen. Propterea autem ibi crucifixus est dominus, ut ibi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii.

Hieronymus. Tradunt autem iudaei quod in hoc montis loco immolatus est aries pro isaac; et ibi decalvatur Christus; idest, a carne sua, carnali videlicet iudaea, separatur. Sequitur et dabant ei bibere myrrhatum vinum.

Augustinus de cons. Evang.. Hoc intelligendum est Matthaeum dixisse cum felle mixtum: fel quippe pro amaritudine posuit, et myrrhatum vinum amarissimum est: quamquam fieri possit ut et fel et myrrha vinum amarissimum redderent.

Theophylactus. Vel ordinatione quadam existente, alii alia afferebant; quidam acetum et fel, quidam vinum myrrhatum.

Hieronymus. Vel myrrhatum vinum, hoc est acetum; per hoc succus lethalis pomi abstergitur.

Beda. Amara vitis amarum vinum fecit, de quo propinat dominum iesum, ut impleatur quod scriptum est: dederunt in cibum meum fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

Augustinus de cons. Evang.. Quod autem subditur, et non accepit, intelligitur: non accepit ut biberet; gustavit autem, ut Matthaeus testis est et sicut idem Matthaeus ait: noluit bibere, hoc marcus dixit et non accepit: tacuit autem quod gustavit.

Hieronymus. Non accepit etiam id pro quo patitur; unde de eo dicitur: quae non rapui, tunc exsolvebam. Sequitur et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta sua, mittentes sortem super eis, quis quid tollerent. Hoc loco figuratur salus per lignum. Primum lignum scientiae boni et mali fuit; secundum lignum boni tantum nobis et vitae lignum est. Extensio manus primae ad lignum mortem apprehendit; extensio autem secundae, vitam, quae perierat, invenit. Ligno hoc vehimur per mare undosum ad terram viventium: cruce enim sua Christus cruciatum nostrum absolvit, et morte sua mortem nostram necavit. Cum forma serpentis serpentem necat: quia serpente de virga facto, alii absorbentur serpentes. Ipsa autem species crucis quid est nisi forma quadrata mundi? oriens de vertice fulget; arctos dextra tenet; auster laeva consistit; occidens sub plantis firmatur. Unde apostolus: ut sciamus quae sit altitudo et latitudo, et longitudo, et profundum.

Aves quando volant ad aethera, formam crucis sumunt; homo natans per aquas, forma crucis vehitur; navis per Maria, antenna cruci similata sufflatur; tau littera, signum salutis et crucis describitur.

Beda. Vel in transverso ligno crucis, ubi figuntur manus, gaudium spei signatur; per manus enim opera, per latitudinem hilaritatem operantis intelligimus; quia tristitia facit angustias; per altitudinem, cui caput adiungitur, expectationem retributionis de sublimi iustitia Dei; per longitudinem, qua totum corpus extenditur, tolerantiam, unde longanimes dicuntur; per profundum quod terrae est infixum, ipsum sacramentum secretum. Quamdiu ergo hic agunt corpora nostra ut destruat corpus peccati, tempus nobis est crucis.

Theophylactus. Quod autem ponebant sortem super vestimenta eius, et hoc illudentes fecerunt, quasi regis vestimenta dividentes: etenim vilia erant, non valde pretiosa. Hoc autem Ioannes evangelista plenius exponit, quia scilicet milites cetera in quatuor partes iuxta suum numerum dividentes, de tunica, quae inconsutilis erat, desuper contexta per totum, sortem miserunt.

Hieronymus. Vestimenta autem domini, eius mandata sunt, quibus tegitur corpus eius, idest ecclesia: quae dividunt inter se milites gentium, ut sint quatuor ordines cum una fide, idest coniugati et viduati, praepositi et separati. Sortiti sunt tunicam indivisam, quae est pax et unitas. Sequitur erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum. Hoc vere et proprie Marcus intulit: nam sexta hora tenebrae suffuderunt terram, ut non quisquam potuisset movere caput.

Augustinus de cons. Evang.. Si hora quasi sexta pilato sedente pro tribunali traditus est Iesus crucifigendus iudaeis, ut Ioannes refert; quomodo hora tertia crucifixus est, sicut verba Marci non intelligentes quidam putaverunt? prius ergo qua hora crucifigi potuerit videamus; deinde videbimus cur hora tertia crucifixus dixerit Marcus. Hora erat quasi sexta cum traditus est crucifigendus a pilato sedente pro tribunali, ut dictum est: non enim iam plena sexta erat, sed quasi sexta, idest peracta quinta, et aliquid etiam de sexta esse coeperat, ut peracta quinta et inchoata sexta, gererentur haec quae narrata sunt in crucifixione domini nostri, donec completa sexta, illo pendente fierent haec quae dicuntur tenebrae. Quaeram autem iam cur dixerit Marcus erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum. Iam certe dixerat et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta eius; sic etiam ceteri attestantur, quod eo crucifixo vestimenta divisa sunt. Si enim rei gestae tempus voluit commemorare Marcus, sufficeret dicere: erat autem hora tertia: ut quid adiunxit et crucifixerunt eum? nisi quia voluit aliquid recapitulando significare, quod quaesitum inveniretur cum scriptura ipsa illis temporibus legeretur, quibus universae ecclesiae notum erat qua hora dominus ligno suspensus est: unde posset huiusmodi vel error tolli, vel mendacium refutari. Sed quia sciebat a militibus suspensum dominum, non a iudaeis, sicut Ioannes apertissime dicit; occulte ostendere voluit eos magis crucifixisse, qui clamaverunt ut crucifigeretur, quam illos qui ministerium principi suo secundum suum officium praebuerunt. Intelligitur ergo fuisse hora tertia, cum clamaverunt iudaei ut dominus crucifigeretur; et verissime demonstratur tunc eos crucifixisse quando clamaverunt. In conatibus autem pilati ad eripiendum dominum, et in tumultu iudaeorum contradicentium consumptum tempus duarum horarum intelligimus, et circa horam fuisse sextam, qua nondum terminata, gesta sunt quae ab eo tempore quo pilatus dominum tradidit usque ad tenebras factas narrantur. Facile autem videbit qui sine impietatis duritia voluerit attendere, quam opportuno loco Marcus hoc de tertia hora posuerit, ubi scilicet factum ministrorum militum commemoratum est. Ergo ne quisquam cogitationem tanti criminis aversus a iudaeis in milites illos converteret, erat, inquit, hora tertia, et crucifixerunt eum: ut illi eum potius crucifixisse inveniant quos hora tertia ut crucifigeretur clamare potuisse diligens inquisitor inveniet, cum adverterit hoc quod a militibus factum est, hora sexta factum esse.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam.. Iudaeorum ergo sententiam de crucifixione Christi tertia hora datam vult intelligi. Omnis enim qui morti addicitur, ex eo iam mortuus computatur, quo sententiam excepit. Manifestavit ergo Marcus, quia non iudicis sententia salvator crucifixus est: difficile est enim innocentem probare eum qui sententia iudicis punitur.

Augustinus de cons. Evang.. Quamquam non desint qui parasceve, quam Ioannes commemorat dicens: erat autem parasceve, hora quasi sexta, horam diei tertiam velint intelligi: dicunt enim, die quidem illo, quem dies sabbati sequebatur, parascevem fuisse paschae iudaeorum, quod ab eodem sabbato iam inciperet azyma; sed tamen verum pascha, quod iam in passione domini celebratur, non iudaeorum, sed Christianorum coepisse praeparari, idest parascevem habere, ab ea hora noctis nona, in eo quod dominus a iudaeis occidendus praeparabatur: parasceve quippe interpretatur praeparatio. Ab illa ergo hora noctis usque ad eius crucifixionem occurrit hora parasceve sexta secundum Ioannem, et hora diei tertia secundum Marcum. Quis fidelis non huic faveat solutioni quaestionis? si modo possit aliquis articulus conici, unde ab hora nona noctis coepisse parasceve paschae nostrae, idest praeparationem mortis Christi, congruenter intelligamus. Si enim dicamus eam coepisse quando a iudaeis apprehensus est dominus, adhuc noctis partes primae erant; sed quando ad domum perductus est soceri caiphae, ubi et auditus est a principibus, adhuc gallus non cantaverat. Si autem quando pilato traditus est iam mane fuisse apertissime scriptum est;

restat ergo ut intelligamus tunc coepisse praeparationem mortis domini quando omnes principes sacerdotum dixerunt: reus est mortis. Non enim absurde coniciunt eo tempore nonam horam noctis esse potuisse, ut recapitulando intelligatur de petri negatione postea dictum esse quod ante factum erat. Sequitur et erat titulus causae eius inscriptus: rex iudaeorum.

Theophylactus. Scripserunt autem hunc titulum, scilicet causam propter quam crucifixus est, quasi vituperantes eius opinionem qui regem seipsum faciebat, ut sic praetereuntes misereri non valerent, sed magis ei improperarent tamquam tyranno.

Hieronymus. Scripserunt autem hoc tribus linguis: hebraice melech iudim, graece basileus exomologyton, latine rex confessorum. Hae tres linguae ad principatum in crucis titulo consecratae sunt, ut omnis lingua commemoraret perfidiam iudaeorum.

Beda. Titulus autem hic positus supra crucem illud ostendit, quia nec occidendo potuerunt efficere ut eum regem non haberent qui eis secundum sua opera redditurus est. Sequitur et cum eo crucifigunt duos latrones, unum a dextris et unum a sinistris eius.

Theophylactus. Ut scilicet homines pravam opinionem contra eum conciperent, quod ipse latro et maleficus esset. Hoc autem dispensative factum est ad implendum scripturam; unde sequitur et impleta est scriptura quae dicit: et cum iniquis reputatus est.

Hieronymus. Cum iniquis veritas deputata unum reliquit sinistrum, alterum assumit dexterum, sicut in die iudicii faciet: ex simili crimine tam dissimiles sortiuntur fines: alter antecedit petrum in paradysum, alter iudam in infernum. Confessio brevis vitam acquisivit longam: et blasphemia finita, poena plectitur aeterna.

Beda. Mystice autem latrones qui cum domino crucifixi sunt, significant eos qui sub fide et confessione Christi, vel agonem martyrii, vel quaelibet arctioris disciplinae instituta subeunt. Sed qui hoc pro aeterna gloria gerunt, dexteri latronis fide designantur; qui vero humanae laudis intuitu, sinistri latronis mentem imitantur et actus.

Theophylactus. Vel aliter. Indicium erant duo latrones duorum populorum, scilicet iudaici et gentilis: ambo namque iniqui: gentilis quidem tamquam legem naturalem praetergrediens, iudaicus vero scriptam legem quam ei tradiderat dominus; sed gentilis poenitens, iudaicus usque in finem blasphemus: in quorum medio crucifigitur dominus: ipse enim est lapis angularis nos coniungens.

MARCUS 15,28.32

7528 (Mc 15,28; Mc 15,32)

Hieronymus. Pullo iudaeae ligato ad vitem, et eius pallio in sanguine uvae intincto, lacerant hoedi vineam, blasphemantes Christum, et moventes capita sua; unde dicitur et praetereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: vah, qui destruis templum Dei.

Theophylactus. Transeuntes enim Christum blasphemabant, exprobrantes ei tamquam seductori. Diabolus autem movebat illos ad dicendum quod de cruce descenderet: quia enim noverat quod salus fiebat per crucem, rursus ingerebat se ad tentandum Christum, ut si a cruce descenderet, certus fieret quod non est vere filius Dei, et sic salus quae per crucem est, destrueretur. Sed ipse Dei verus existens filius non descendit: si enim descendere debuisset, non illuc a principio ascendisset; sed quia videbat quod per hunc modum salutem fieri oportebat, sustinuit crucifigi et multa alia pati, et perficere opus suum. Sequitur similiter et summi sacerdotes illudentes ad alterutrum cum scribis dicebant: alios salvos fecit, se ipsum non potest salvum facere. Haec dicebant eius miracula abolentes, quasi ab eo secundum apparentiam perpetrata fuissent: operans namque miracula multos salvabat.

Beda. Sic etiam nolentes confitentur quod alios salvos fecit. Itaque vos vestra condemnat sententia: qui enim alios salvos fecit, seipsum salvare poterat. Sequitur Christus rex israel descendat nunc de cruce, ut videamus et credamus.

Hieronymus. Et viderunt postea resurgentem de sepulcro, quem de crucis descendere non credebant posse patibulo. Ubi est, o iudaei, infidelitas vestra? vos ipsos consulo, vos ipsos iudices peto. Quanto mirabilius est mortuum posse resurgere, quam adhuc vivum de cruce velle descendere? parva petistis, dum maiora provenerint; sed infidelitas vestra non potuit sanari signis multo fortioribus quam petistis. Hic omnes

declinaverunt, simul inutiles facti sunt; unde sequitur et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei.

Augustinus de cons. Evang.. Quomodo hoc verum est, quandoquidem unus eorum conviciatus est, secundum Lucae testimonium, alter et compescuit eum, et in deum credidit; nisi intelligamus Matthaeum et Marcum breviter perstringentes hunc locum, pluralem numerum pro singulari posuisse? Theophylactus. Vel duo a principio conviciabantur ei: deinde unus cognoscens ipsum innocentem, increpat alterum blasphemantem.

MARCUS 15,33-37

7533 (Mc 15,33-37)

Beda. Clarissimum lumen mundo retraxit radios suos, ne aut pendentem videret dominum, aut impii blasphemantes sua luce fruere: unde dicitur et facta hora sexta tenebrae factae sunt per totam terram usque in horam nonam.

Augustinus de cons. Evang.. Addidit autem Lucas, unde factae sunt tenebrae, idest, solem obscuratum.

Theophylactus. Si autem tempus eclipsis fuisset, posset quis dicere quod naturalis fuisset haec passio; sed tunc decima quarta erat luna, cum naturalis eclipsis fieri nequit. Sequitur et hora nona exclamavit iesus voce magna dicens: eli, eli.

Hieronymus. Nona hora invenitur, eversa domo, decima drachma quae perierat.

Beda. Nam et adam peccante, scriptum est quod audiverit vocem domini Dei ambulantis in paradiso ad auram post meridiem; et qua hora primus adam peccando mortem huic mundo invexit, eadem hora secundus adam mortem moriendo destruxit. Et notandum, quod recedente a centro mundi sole, crucifixus est dominus; oriente autem sole, resurrectionis suae mysteria celebravit: quia mortuus est propter peccata nostra, et resurrexit propter iustificationem nostram. Nec mireris verborum humilitatem, querimonias derelicti, cum formam servi scias, scandalum crucis videas. Sicut enim esurire et sitire et fatigari, non erant propria deitatis, sed corporales passiones; ita quod dicitur, ut quid dereliquisti me? corporalis vocis erat proprium: quia solet secundum naturam corpus nullatenus velle a sibi coniuncta vita fraudari. Licet enim ipse salvator dicebat hoc; sed proprie ostendebat corporis fragilitatem: ut homo ergo loquitur in eos circumferens motus, quod in periculis positi a domino deserere nos putemus.

Theophylactus. Vel hoc loquitur homo crucifixus Deo pro me: nos enim homines sumus derelicti, ipse numquam a patre derelictus fuit: audi enim quid dicit iohannes: non sum solus, sed pater mecum est. Etsi etiam hoc pro iudaeis dixerit quasi et ipse secundum carnem iudaeus existens; ac si diceret: ut quid hebraicum populum dereliquisti, ut tuum crucifigerent filium? sicut enim aliquando consuevimus dicere: Deus induit me, idest meam naturam, scilicet humanam; sic et hic, dereliquisti me, oportet intelligere humanam naturam, vel iudaicum populum. Sequitur et quidam de circumstantibus audientes, dicebant: ecce eliam vocat.

Beda. Sed hos arbitror milites fuisse romanos, non intelligentes sermonis hebraici proprietatem; sed ex eo quod dixit eli, eli, putantes ab eo eliam vocatum. Si autem iudaeos qui hoc dixerunt intelligere volueris; hoc faciunt, ut eum imbecillitatis infament, quod eliae auxilium deprecetur. Sequitur currens autem unus, et implens spongiam aceto, etc.. Quam ob causam domino acetum sit potui datum, iohannes plenius ostendit dicens quod iesus, ut consummaretur scriptura, dixit: sitio. Illi autem spongiam plenam aceto, obtulerunt ori eius.

Hieronymus. Innuat autem hic iudaeorum similitudinem: spongiam super cannam infirmam, aridam, ignibus aptam implent aceto, hoc est malitia et dolo.

Augustinus de cons. Evang.. De elia vero non ipsum qui obtulit spongiam cum aceto, sed ceteros dixisse Matthaeus narravit; unde intelligimus et illum et ceteros hoc dixisse.

Hieronymus. Infirmata autem carne, vox invaluit divina, quae dicit: aperite mihi portas iustitiae; unde sequitur iesus autem emissa voce magna expiravit. Cum ima voce, sive sine voce nos morimur, qui de terra sumus; ille vero cum exaltata voce expiravit, qui de caelo descendit.

Theophylactus. Et qui morti dominatur et praecipit, sicut dominus potestative expirat. Qualis autem haec

vox fuerit, Lucas declarat: pater, inquit, in manus tuas commendo spiritum meum. Etenim Christus ex tunc per hoc nobis voluit declarare quod sanctorum animae in manus Dei ascendunt: nam prius ab inferis omnium animae tenebantur, donec venit qui praedicavit captivis remissionem.

MARCUS 15, 38-41

(Mc 15,38-41)

Glossa. Postquam narravit evangelista passionem et mortem Christi, nunc prosequitur de his quae post mortem domini contigerunt; unde dicitur et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum.

Hieronymus. Velum templi scinditur, idest caelum aperitur.

Theophylactus. Scissum est etiam velum, innuente Deo quod spiritus sancti gratia a templo recedit, et scinditur ut sancta sanctorum ab omnibus videnda essent, et quod templum lugebit in iudaeis, cum calamitates deplorabunt, et vestimenta scindent. Hoc etiam et templum animatum, scilicet corpus Christi, ostendit, in cuius passione vestimentum eius laceratum est, scilicet caro. Et aliud etiam significat: caro namque velum est nostri templi, scilicet mentis nostrae; virtus autem carnis scissa est in Christi passionibus a summo usque deorsum, scilicet ab adam usque ad ultimos homines: nam et adam effectus est sanus per passionem Christi, et eius caro non manet sub maledicto, neque digna est corruptione: sed omnes incorruptione honorati sumus. Videns autem centurio. Centurio dicitur qui centum est militum princeps. Videns autem quod ita potestative et dominabiliter expirasset, miratus est, et confessus est.

Beda. Manifesta autem causa miraculi centurionis exponitur, quod videns dominum sic expirasse, idest spiritum emisisse, dixerit vere homo hic filius Dei erat; nullus enim habet potestatem mittendi spiritum nisi qui animarum conditor est.

Augustinus de trin.. Et hoc maxime miratus est, quod post illam vocem, in qua figuram peccati nostri edidit, continuo tradidit spiritum: demonstravit enim spiritus mediatoris, quod nulla poena peccati usque ad mortem carnis eius accesserit: quia non eam deseruit invitus, sed quomodo voluit, quippe Dei verbo ad unitatem personae coniunctus.

Hieronymus. Novissimi autem nunc primi efficiuntur. Gentilis confitetur populus, iudaea caecata negat, ut fiat eis error peior priore.

Theophylactus. Et sic ordo convertitur, dum iudaei occidunt et gentilis confitetur; discipuli fugiunt, et mulieres expectant; sequitur enim erant autem et mulieres de longe aspicientes, inter quas erat Maria magdalene, et Maria, iacobi minoris et ioseph mater, et salome. Salome dicta est mater filiorum zeBedaei.

Origenes in Matth.. Opinatus autem sum hoc videns apud Matthaum et Marcum, hic tres praecipuas mulieres nominatas: et duas quidem uterque evangelista exponit, mariam magdalene, et mariam iacobi; tertia autem a Matthaeo dicitur mater filiorum zeBedaei; a Marco autem tertia illa salome appellatur.

Beda. iacobum autem minorem dicit iacobum alphaei, qui et frater domini dicebatur, eo quod esset filius mariae materterae domini, cuius meminit iohannes dicens: stabant iuxta crucem iesu mater eius, et soror matris eius Maria cleophae, et Maria magdalene. Mariam autem cleophae videtur eam dicere a patre, sive a cognatione. Vocabatur autem minor iacobus ad distinctionem maioris iacobi, videlicet filii zeBedaei, qui inter primos apostolos vocatus est a domino. Consuetudinis autem iudaicae fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de sua substantia victum atque vestitum praeceptoribus ministrarent; unde sequitur et cum esset in galilaea, sequebantur eum, et ministrabant ei. Ministrabant domino quidem de substantia sua: ut meteret earum carnalia, cuius illae metebant spiritualia, et ut typum ostenderet magistrorum, quod victu atque vestitu ex discipulis deberent esse contenti. Sed videamus quales comites habuerit; sequitur enim et aliae multae, quae simul cum eo ascenderant hierosolymam.

Hieronymus. Sicut non excluditur muliebris sexus a salute per mariam virginem, ita non repellitur a mysterii crucis scientia et resurrectionis per viduam mariam magdalenam et ceteras matres.

MARCUS 15,42-47

7542 (Mc 15,42-47)

Glossa. Post passionem et mortem Christi, evangelista sepulturam eius narrat, dicens et cum iam sero esset factum, quia erat parasceve, quod est ante sabbatum, venit ioseph ab arimathaea.

Beda. Parasceve graece, latine praeparatio dicitur: quo nomine iudaei qui inter graecos morabantur sextam sabbati appellabant, eo quod in illo ea quae requiei sabbati necessaria essent praeparare solerent. Quia ergo sexta die homo factus est, septima autem die conditor ab omni opere suo requievit; recte salvator sexta die crucifixus humanae restorationis implevit arcanum. Sabbato autem in sepulcro quiescens, resurrectionis, quae octava die ventura erat, expectabat eventum. Sic et nos in hac quidem saeculi aetate mundo necesse est crucifigi; in septima vero die, idest cum mortis quis debitum solvit, corpora quidem in tumulis, animas autem secreta in pace cum domino post bona opera oportet quiescere, donec octava aetate etiam corpora ipsa resurrectione glorificata cum animabus incorruptionem accipiant. Talem autem esse decebat qui corpus domini sepeliret, qui etiam per iustitiam meritorum tali ministerio dignus esset, et per nobilitatem potentiae saecularis facultatem posset obtinere ministrandi; et ideo dicitur, quod erat nobilis decurio expectans regnum Dei. Decurio vocatur quod sit de ordine curiae, et officium curiae administraret, qui etiam curialis a procurando munera civilia solet appellari. Arimathaea autem ipsa est ramathain civitas helcanae et samuelis.

Hieronymus. Quae interpretatur deponens, de qua fuit ioseph, qui venit ad deponendum corpus Christi de cruce. Sequitur et audacter introivit ad pilatum, et petiit corpus iesu.

Theophylactus. Audet ausum laudabilem: non enim excogitavit: a divitiis decidam, et expellar a iudaeis, si corpus petam eius qui est blasphemus condemnatus. Sequitur pilatus autem mirabatur si iam obiisset. Putabat enim quod diu viveret in cruce, sicut et latrones in patibulo vivebant diu. Sequitur et accersito centurione, interrogavit eum si iam mortuus esset, scilicet ante horam qua ceteri mori consueverunt. Sequitur et cum cognovisset a centurione, scilicet quod mortuus esset, donavit corpus ioseph.

Beda. Non autem quilibet ignotus aut mediocris ad praesidem accedere, et crucifixi corpus poterat impetrare. Sequitur ioseph autem mercatus sindonem, et deponens eum, involvit in sindone.

Theophylactus. Pretiosum corpus pretiose sepeliens: cum enim esset discipulus domini, sciebat qualiter corpus domini honorari deberet.

Beda. Possumus autem secundum intelligentiam spiritualem hoc sentire, quod corpus domini non auro, non gemmis et serico, sed linteamine puro obvolvendum sit: hinc ecclesiae mos obtinuit ut sacrificium altaris, non in serico, neque in panno tincto, sed in lino terreno celebretur, sicut corpus est domini in sindone munda sepultum: iuxta quod in gestis pontificalibus a b. Silvestro legimus esse statutum: quamquam et hoc significet, quod ille sindone munda involvit iesum qui pura mente susceperit. Sequitur et posuit eum in monumento quod erat excisum in petra, et advolvit lapidem ad ostium monumenti. Dicitur quod monumentum domini domus rotunda fuit, de subiacente rupe excisa, tantae altitudinis ut homo rectus existens vix extenta manu culmen posset attingere; et habet introitum ab oriente, cui lapis magnus involutus atque impositus est in eius parte aquilonari. Ipsum sepulcrum, idest locus dominici corporis, de eadem petra factum est, septem habens pedes longitudinis, trium palmorum mensura a pavimento altius eminens, qui scilicet locus non desuper, sed a latere meridiano per totum patet, unde corpus inferebatur. Color autem monumenti et loculi albo et rubeo dicitur esse permixtus.

Hieronymus. Sepultura autem Christi resurgimus, descensione eius ad inferos nos ascendimus ad caelos. Hic invenitur mel in ore leonis mortui.

Theophylactus. Imitemur autem et nos ioseph, recipientes Christi corpus per unitatem, et ponamus illud in monumento exciso de petra, idest in anima memorante, et non obliviscente deum: illa enim anima est ex petra excisa, idest ex Christo, qui est petra, quia continet firmitatem. Involvere etiam debemus ipsum in sindone, idest in corpore puro suscipere: sindon namque est corpus, quod est animae indumentum. Decet enim non solum pura anima corpus Christi suscipere, sed in corpore puro. Involvere autem oportet, sed non operire: nam secretum clausum est et occultum. Sequitur Maria autem magdalene et Maria ioseph aspiciebant ubi poneretur.

Beda. In Luca legimus, quod stabant noti eius a longe, et mulieres quae secutae erant eum. His ergo notis iesu post depositum eius corpus ad sua remeantibus, solae mulieres, quae arctius amabant, funus subsecutae, quomodo poneretur respicere curabant, ut tempore congruo munus possent devotionis offerre. Die autem parasceves sanctae mulieres, idest animae humiles, idem faciunt, cum amore salvatoris ferventes, passionis eius vestigiis in hoc saeculo, quo praeparanda est requies futura, diligenter obsequuntur; et si forte valeant imitari, pia curiositate quo ordine sit eius passio completa perpendunt.

Hieronimus. Haec etiam congruunt ad populum iudaicum in fine credentem, qui nobilitatur fide, ut abraham sit filius, deponit desperationem, expectat regnum Dei, intrat ad Christianos ut baptizetur: quod significat nomen pilati, idest malleatoris, idest qui domat ferreas gentes, ut regat eas in virga ferrea; et petit sacrificium quod donatur poenitentibus in fine viaticum, et corde mundo et peccatis mortuo involvit munimine fidei stabilitum, et operculo spei per opera caritatis concludit: finis enim praecepti est caritas; aspicientibus a longe electis, qui sunt stellae maris, quoniam, si fieri potest, scandalizabuntur etiam electi.

MARCUS 16,1-8

7601 (Mc 16,1-8)

Hieronimus. Post sabbati tristitiam felix irradiat dies, quae primatum in diebus tenet, luce prima in eo lucescente, et domino in eo cum triumpho resurgente; unde dicitur et cum transisset sabbatum, Maria magdalene et Maria iacobi et salome emerunt aromata, ut venientes ungerent iesum.

Glossa. Religiosae enim mulieres sepulto domino, cum licuit operari, idest usque ad solis occasum, unguenta paraverunt, ut Lucas dicit. Et quia prae angustia temporis non poterant explorare, mox transacto sabbato, idest occidente sole, ut operandi licentia redit, festinaverunt emere aromata, sicut marcus dicit hic, ut venientes mane ungerent corpus iesu; neque vespere sabbati, praeoccupante iam noctis articulo, monumentum adire valuerunt; unde sequitur et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole. Severianus. Mulieres hoc loco feminea devotione discurrunt, quae non ut viventi fidem, sed ut mortuo unguenta deferunt ad sepulcrum; et ut sepulto parant moeroris obsequia, non ut resurgenti praeparant divinorum gaudia triumphorum.

Theophylactus. Non enim magnitudinem atque dignitatem divinitatis Christi sapiunt. Venerunt autem iuxta consuetudinem iudaeorum ungere corpus Christi, ut scilicet maneret odoriferum, et ne humiditate scaturiret: nam aromata virtutem habent desiccativam, humiditatem corporis absorbentia: unde incorruptum corpus conservant.

Gregorius in evang.. Nos autem in eum qui est mortuus credentes, si odore virtutum referti cum opinione bonorum operum dominum ad monumentum illius cum aromatibus venimus. Sequitur et valde mane una sabbatorum veniunt ad monumentum orto iam sole.

Augustinus de cons. Evang.. Quod Lucas dicit: valde diluculo, et iohannes: mane cum adhuc tenebrae essent, hoc intelligitur marcus dicere valde mane oriente iam sole, idest cum caelum ab orientis parte albesceret, quod fit utique solis orientis vicinitate. Eius enim est ille fulgor, qui nomine aurorae appellari solet; ideo non repugnat ei qui ait: cum adhuc tenebrae essent. Die quippe surgente aliquae reliquiae tenebrarum tanto minus sunt quanto magis oritur lux; nec accipiendum est quod ait valde mane orto iam sole, tamquam sol ipse iam videretur super terram; sed de proximo adveniente in has partes sole, idest ortu suo iam caelum illuminare incipiente.

Hieronimus. Valde ergo mane dicit, quod alius evangelista dicit diluculo. Diluculum autem est inter tenebras noctis et diei claritatem; in qua salus humani generis provenit, felici vicinitate in ecclesia declaranda, more solis, qui proxima luce consurgens roseam praemittit auroram, ut gratiam praecleari splendoris praeparatis oculis possit intueri quando tempus dominicae resurrectionis illuxit, ut tunc laudes Christi tota caneret, secundum exemplum feminarum, ecclesia, quando genus humanum exemplo suae resurrectionis animavit, quando vitam praestitit, et lumen credulitatis infudit.

Beda. Sicut autem quod valde mane mulieres venerunt ad monumentum, iuxta historiam magnus fervor caritatis ostenditur, ita iuxta intellectum mysticum nobis datur exemplum, ut illuminata facie, discussisque vitiorum tenebris, odorem bonorum operum domino et orationum suavitatem studeamus offerre.

Theophylactus. Dicit autem una sabbatorum, idest prima dierum hebdomadae: sabbata namque dies hebdomadae nuncupantur, una vero dicitur prima.

Beda. Vel prima sabbatorum prima dies est a die sabbatorum, idest requietionum, quae in sabbatis custodiebantur. Sequitur et dicebant ad invicem: quis revolvat nobis lapidem ab ostio monumenti? severianus. Obscuratum erat vestrum pectus, oculi clausi; et ideo patefacti sepulcri gloriam prius non videbatis; sequitur enim et respicientes viderunt revolutum lapidem.

Beda. Quomodo lapis per angelum revolutus sit, Matthaeus sufficienter exponit. Haec revolutio lapidis mystice reserationem sacramentorum Christi, quae velamine litterae legalis tenebantur, insinuat: lex enim lapide scripta est. Sequitur erat quippe magnus valde. Severianus. Et plus iam magnus merito quam forma, qui creatoris mundi corpus et claudere et operire sufficit.

Gregorius in evang.. Mulieres autem angelos vident, quae cum aromatibus venerunt: quia illae mentes supernos cives aspiciunt quae cum virtutibus ad sancta desideria veniunt; unde sequitur et introeuntes in monumentum, viderunt iuvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt.

Theophylactus. Si Matthaeus dicit angelum sedere super lapidem, marcus vero, quod mulieres introeuntes monumentum viderunt sedentem iuvenem, non mireris: nam quae viderunt prius sedentem super lapidem, ipsum etiam intus in monumento postmodum viderunt.

Augustinus de cons. Evang.. Aut intelligamus Matthaeum tacuisse de illo angelo quem intrantes viderunt, Marcum vero de illo quem foris super lapidem sedentem viderunt; ut duos viderint, et a duobus singillatim audierint quae dixerunt angeli de iesu: aut certe intrantes in monumentum in aliqua septa maceriae debemus accipere, qua communitum locum tunc fuisse credibile est in aliquo spatio ante petram; qua excisa locus factus fuerat sepulturae, ut ipsum viderint in eodem spatio sedentem a dextris, quem dicit Matthaeus sedentem super lapidem.

Theophylactus. Quidam autem dicunt, quod aliae fuerunt mulieres quae dicuntur a Matthaео, aliae quae a Marco; sed Maria magdalena sequebatur omnes, fervidam festinationem habens et ardentem affectum. Severianus. Introierunt ergo mulieres ad sepulcrum, ut consepultae Christo, Christo consurgerent de sepulcro; vident iuvenem, ut cernerent nostrae resurrectionis aetatem: quia nescit resurrectio senectutem; et ubi nasci morique homo nescit, ibi aetas nec admittit detrimenta, nec indiget incrementis: unde iuvenem, non senem, non infantem, sed iucundam aetatem viderunt.

Beda. Viderunt autem iuvenem sedentem in dextris, idest ad meridianam partem loci illius ubi positum erat: corpus enim quod supinum iacens, caput habebat ad occasum, dextram necesse erat habere ad austrum.

Gregorius in evang.. Quid autem per sinistram nisi vita praesens; quid vero per dexteram nisi vita perpetua designatur? quia igitur redemptor noster iam praesentis vitae corruptionem transierat, recte angelus, qui nuntiare perennem eius vitam venerat, in dextra sedebat. Severianus. Vident etiam iuvenem sedentem a dextris, quia resurrectio recipit nil sinistrum. Vident etiam coopertum stola candida. Stola ista non est ex mortali vellere, sed ex virtute vitali splendens caelesti lumine, non colore terreno, dicente propheta: amictus lumine sicut vestimento; et de iustis Matthaeus: tunc iusti fulgebunt sicut sol.

Gregorius in evang.. Vel stola candida coopertus apparuit, quia festivitatis nostrae gaudia nuntiavit: candor etenim vestis splendorem nostrae denuntiat solemnitatis.

Hieronymus. Vestis etiam candida vera laetitia est, hoste depulso regnoque adepto, rege pacis quaesito et invento, et numquam dimisso. Hic igitur iuvenis formam resurrectionis timentibus mortem ostendit. Quod autem obstupuerunt, id est quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus diligentibus se. Sequitur qui dicit illis: nolite expavescere.

Gregorius. Ac si dicat: paveant illi qui non amant adventum supernorum civium; pertimescant qui carnalibus desideriis pressi ad eorum societatem pertingere se posse desperant; vos autem cur pertimescitis, quae vestros concives videtis? **Hieronymus.** Non enim est timor in caritate. Quid expavescerent quae invenerunt quem quaesierunt? **Gregorius.** Sed iam quid angelus subiungit audiamus: iesum quaeritis nazarenum. Iesus latino eloquio salutaris, idest salvator, interpretatur. At vero tunc multi iesus dici poterant, nec tamen substantialiter, sed nuncupative; ideo et locus subiungitur, ut de quo iesu dictum sit manifestetur: nazarenum; et causam protinus subdit: crucifixum.

Theophylactus. Non enim erubescit crucem: in hac namque salus hominum est, et beatorum principium.

Hieronymus. Radix autem amara crucis evanuit; flos vitae cum fructibus erupit, idest, qui iacuit in morte, surrexit in gloria; unde addit surrexit, non est hic.

Gregorius. Non est hic dicitur, per praesentiam carnis, qui tamen nusquam deerat per praesentiam maiestatis.

Theophylactus. Et quasi dicat: vultis certificari de eius resurrectione? subdit: ecce locus ubi posuerunt eum:

propter hoc enim et revolverat lapidem, ut locum ostenderet.

Hieronymus. Ostenditur autem immortalitas mortalibus ad gratiarum actionem debitam, ut intelligamus quid fuerimus, et sciamus quid futuri erimus. Sequitur sed ite, dicite discipulis eius et petro, quia praecedet vos in galilaeam. Mulieribus dicitur ut nuntient apostolis: quia per mulierem mors annuntiata est, per mulierem vita resurgens. Dicit autem specialiter et petro, quia se indignum iudicavit discipulatu, cum ter negavit magistrum; sed peccata praeterita non nocent, quando non placent.

Gregorius. Si autem hunc angelus non nominatim exprimeret, qui magistrum negaverat, venire inter discipulos non auderet. Vocatur ergo ex nomine, ne desperaret ex negatione.

Augustinus de cons. Evang.. Quod autem dicit praecedet vos in galilaeam; ibi eum videbitis sicut dixit vobis, videtur hoc sonare: quod iesus non erat demonstraturus se discipulis post resurrectionem nisi in galilaea; quam demonstrationem nunc ipse marcus commemoravit; quod enim dixit mane prima sabbati apparuit mariae magdalene.... Post haec duobus euntibus in villam, factum est in ierusalem ipso die resurrectionis; deinde venit ad ultimam manifestationem, quam factam scimus in monte oliveti non longe a ierusalem. Numquam igitur commemorat marcus impletum quod ab angelo praenuntiatum esse testatur. Matthaeus vero nullum alium locum omnino commemorat, ubi discipuli, postquam surrexit, viderint dominum, nisi in galilaea, secundum angeli praedicationem. Sed cum non sit expressum quando id futurum esset, utrum primum antequam alibi ab eis visus esset, idque ipsum quod discipulos Matthaeus dicit iisse in galilaeam in montem, non exprimit diem nec narrandi ordinem; non adversatur quidem Matthaeus narrationibus ceterorum; sed dat eas intelligendi atque accipiendi locum. Verumtamen quod dominus non ibi primum se demonstraturus erat, sed in galilaea, ubi postea visus est, se videndum mandavit, quemvis fidelem facit intentum ad quaerendum in quo mysterio dictum intelligatur.

Gregorius. Galilaea namque transmigratio interpretatur. Iam quippe redemptor noster a passione ad resurrectionem, a morte ad vitam transmigraverat; et nos resurrectionis eius gloriam post laeti videbimus, si modo a vitiis ad virtutum celsitudinem transmigramus. Qui ergo in sepulcro nuntiatur, in transmigratio ostenditur: quia is qui in mortificatione carnis agnoscitur, in transmigratio mentis videtur.

Hieronymus. Brevis ergo sententia in syllabis, sed ingens in quantitate promissio. Ibi est gaudii nostri fons, et salutis aeternae origo praeparata. Ibi congregantur dispersiones, et sanantur contriti corde. Ibi, inquit, eum videbitis, sed non sicut vidistis.

Augustinus de cons. Evang.. Significatur etiam quod gratia Christi de populo israel erat transmigratura ad gentes, a quibus apostoli nullo modo praedicantes suscipiuntur, nisi eis viam dominus in eorum cordibus praeveniens praeparasset; et hoc est: praecedet vos in galilaeam: ibi eum videbitis, id est, ibi membra eius invenietis. Sequitur at illae exeuntes, fugerunt de monumento: invaserat enim eas tremor et pavor.

Theophylactus. Idest stupor propter visionem angeli, et admirationem resurrectionis. Severianus. Angelus quidem sedet in monumento, de monumento fugiunt mulieres; quia ille de caelesti substantia confidit, turbantur istae de conditione terrena. Sepulcrum, qui mori non potest, timere nescit; mulieres autem et de praesenti facto tremunt, et sepulcrum ut mortales adhuc mortaliter expavescent.

Hieronymus. Hoc etiam dicitur de futura vita, in qua fugiet dolor et gemitus. Imitantur etiam mulieres ante resurrectionem omnia quae faciunt post resurrectionem, fugientes mortem et pavorem. Sequitur et nemini quicquam dixerunt: timebant enim.

Theophylactus. Aut propter iudaeos aut timore visionis detentae tacebant hoc quod audierant.

Augustinus de cons. Evang.. Quaeri autem potest quemadmodum hoc dicat marcus, cum dicat Matthaeus: et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis eius, nisi intelligamus ipsorum angelorum nemini ausas fuisse aliquid dicere, idest respondere ad ea quae ab illis audierant; aut certe custodibus quos iacentes viderunt: nam illud gaudium quod Matthaeus commemorat, non repugnat timori de quo marcus dicit: debuimus enim utrumque in illarum animo factum intelligere, etiam si Matthaeus de timore non diceret. Cum vero ipse dicat: exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, nihil ex hac re quaestionis remanere permittit. Severianus. Signanter etiam dicitur, quod nemini quicquam dixerunt: quia mulieribus audire, non loqui datum est; discere, non docere.

7609 (Mc 16,9-13)

Augustinus de cons. Evang.. Iam post resurrectionem quemadmodum apparuit dominus considerandum est: dicit enim marcus: surgens autem mane prima sabbati apparuit primo mariae magdalene, de qua eiecerat septem daemona.

Beda. Haec apparitio quomodo et ubi facta sit, Ioannes plenissime docet. Surrexit autem dominus mane de monumento, in quo sero iam facto erat depositus, ut adimpleretur illud psalmistae: ad vesperam demorabitur fletus, et ad matutinum laetitia.

Theophylactus. Vel aliter. Quod dicit surgens iesus, ibi puncta; deinde dicas mane prima sabbati apparuit primo mariae magdalene.

Gregorius in evang.. Ut enim samson media nocte non solum de gaza exiit, sed etiam portas tulit, sic et redemptor noster ante lucem resurgens non solum liber de inferno exiit, sed ipsa etiam inferni claustra destruxit. De Maria autem hic marcus septem daemona eiecta fuisse testatur; et quid septem daemona, nisi universa vitia significant? quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero universitas figuratur.

Theophylactus. Septem ergo daemona Maria habuit, quae universis vitiis plena fuit. Aut septem daemona septem virtutibus spiritus contrarios dicit, ut spiritus absque timore, absque sapientia, absque intellectu, et quaecumque alia donis spiritus sancti opponuntur.

Hieronymus. Ei autem de qua eiecerat septem daemona, primo ostenditur: quia meretrices et publicani praecedent synagogam in regnum Dei, ut latro praecessit apostolos.

Beda. In principio etiam mulier inductrix culpae viro fuit; nunc quae mortem primo gustavit, resurrectionem primo videt, ne perpetui reatus apud viros opprobrium sustineret; et quae viro culpam transfuderat, transfudit et gratiam; nam sequitur illa vadens nuntiavit his qui cum eo fuerant, lugentibus et flentibus.

Hieronymus. Flent et lugent qui nondum viderunt; sed non post multum consolabuntur: beati enim qui lugent nunc, quoniam ipsi consolabuntur.

Beda. Recte autem haec mulier, quae laetitiam dominicae resurrectionis prima nuntiavit, a septem daemonibus curata esse memoratur, ne quisquam digne poenitens de admissorum venia desperaret, et ut ubi abundavit peccatum, superabundasse et gratia monstraretur. Severianus. Nuntiat autem Maria; sed iam non feminam, sed ecclesiam gestans: ut supra sicut femina tacebat, hic in ecclesia et nuntiet et loquatur. Sequitur et illi audientes quia viveret, et visus esset ab ea, non crediderunt.

Gregorius in evang.. Quod resurrectionem dominicam discipuli tarde crediderunt, non tam illorum infirmitas quam nostra, ut ita dicam, futura firmitas fuit. Ipsa namque resurrectio illis dubitantibus per multa argumenta monstrata est: quae dum nos legentes agnoscimus, quid aliud quam de eorum dubitatione solidamur? sequitur post haec autem duobus ex his ambulantis ostensus est in alia effigie euntibus in villam.

Augustinus de cons. Evang.. De istis duobus, quorum unus erat cleophas, Lucas totum narrat, sed marcus hic breviter perstringit. Castellum quippe illud de quo Lucas loquitur, non absurde accipimus etiam villam potuisse appellari; et in codicibus quidem graecis magis agrum invenimus quam villam; agri autem nomine non castella tantum, verum etiam municipia et coloniae solent vocari extra civitatem, quae quasi caput et mater est ceterarum. Quod autem ait marcus, eis in alia effigie dominum apparuisse, hoc Lucas dicit quod eorum oculi tenebantur, ne agnoscerent eum. Oculis enim eorum acciderat aliquid, quod ita manere permissum est usque ad fractionem panis. Severianus. Nemo autem putet Christum sua resurrectione sui vultus effigiem commutasse. Sed mutatur effigies dum efficitur ex mortali immortalis; ut hoc sit acquisivisse vultus gloriam, non vultus substantiam perdidisse. Duobus autem visus est, quia duobus populis, idest gentibus et iudaeis resurrectionis fides praedicanda monstratur. Sequitur et illi euntes nuntiaverunt ceteris; nec illis crediderunt. Quod marcus dicit nuntiaverunt ceteris, nec illis crediderunt, cum Lucas dicat, quod iam inde loquebantur vere resurrexisse dominum, et simoni apparuisse, quid intelligendum est, nisi aliquos ibi fuisse qui nollent credere? Theophylactus. Non enim de undecim apostolis hoc dicit, sed de quibusdam aliis quos ceteros nominat.

Hieronymus. Mystice autem intelligitur, quod fides hic laborat agens activam vitam, illic contemplativa secreta visione regnat; hic per speculum contuemur imaginem, illic facie ad faciem videbimus veritatem:

unde ambulans, id est laborans, ostensus est in alia effigie; et nuntiatis non est creditum, dum, sicut Moyses, viderunt quod non sufficiebat ei, qui dicit: ostende mihi teipsum: oblitus enim carnis suae, postulat in vita ista quod speramus in futura.

MARCUS 16,14-18

7614 (Mc 16,14-18)

Glossa. Completurus evangelicam narrationem marcus, novissimam apparitionem, qua Christus post resurrectionem discipulis apparuit, commemorat, dicens novissime autem recumbentibus illis undecim apparuit.

Gregorius in evang.. Notandum autem quid Lucas in actibus referat dicens: convalescens praecepit eis ab hierosolymis ne discederent; et post pauca: videntibus illis elevatus est. Comedit enim et ascendit, ut videlicet per effectum comestionis veritas patesceret carnis: unde et hic dicitur, quod recumbentibus illis novissime apparuit.

Hieronymus. Apparuit autem undecim simul congregatis, ut omnes testes sint, et enarrant omnibus quod communiter viderunt et audierunt. Sequitur et exprobravit incredulitatem eorum, et duritiam cordis: quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.

Augustinus de cons. Evang.. Quomodo autem novissime hoc factum est? novissimum quippe illud est quod dominum in terra apostoli viderunt, quod factum est quadragesima die post resurrectionem eius. Numquid nam tunc exprobraturus erat, quod non credidissent eis qui eum viderant resurrexisse, quando iam et ipsi post resurrectionem toties eum viderant? restat igitur ut intelligamus, nunc Marcum breviter commemorare voluisse, et iam dixisse novissime, quia ipso die hoc novissimum fuit iam incipiente nocturno tempore, posteaquam discipuli de castello redierunt in ierusalem, et invenerunt, sicut dicit Lucas, undecim, et qui cum illis erant colloquentes de resurrectione domini. Sed erant ibi utique non credentes. His ergo, sicut marcus dicit, discumbentibus, et adhuc inde, sicut dicit Lucas, loquentibus, stetit in medio eorum dominus, et ait illis: pax vobis, sicut Lucas et iohannes dicunt. Verbis itaque domini, quae tunc eum locutum esse discipulis, Lucas iohannesque dixerunt, interponitur et illa exprobratio de qua marcus hic dicit. Sed hoc rursus movet: quomodo discumbentibus undecim, dicit apparuisse marcus, si illud tempus est diei dominici iam noctis initio; cum aperte iohannes dicat non cum eis fuisse thomam, quem credimus exiisse inde antequam dominus ad eos intraret, posteaquam illi duo redeuntes de castello cum ipsis undecim collocuti sunt, sicut apud Lucam invenitur. Sed Lucas in sua narratione dat locum quo possit intelligi, dum haec loquerentur, prius inde exiisse thomam, et postea dominum intrasse. Marcus autem qui dicit novissime discumbentibus illis undecim apparuit, etiam thomam illic fuisse cogit fateri: nisi forte quamvis uno absente, undecim tamen voluit appellare, quia eadem tunc apostolica societas hoc numero nuncupabatur, antequam mathias in locum iudae subrogaretur. Aut si hoc durum est accipere, illud accipiamus, post multas demonstrationes eius, eum novissime recumbentibus undecim apparuisse, id est ipsa quadragesima die. Et quoniam iam erat ab eis ascensurus in caelum, hoc eis illo die magis exprobrare voluisse, quia his qui audierant eum resurrexisse, non crediderant, antequam ipsi eum viderent; cum utique post ascensionem suam praedicantibus evangelium etiam gentes quae non viderunt fuerant crediturae: post illam quippe exprobrationem ait idem marcus: et dixit eis: euntes in mundum universum; et infra: qui vero non crediderit, condemnabitur. Hoc ergo praedicaturi, nonne ipsi primitus fuerant obiurgandi, qui antequam dominum vidissent, non crediderunt eis quibus prius apparuisset? **Gregorius** in evang.. Idcirco etiam tunc dominus discipulos increpavit cum corporaliter reliquit, ut verba quae recedens diceret, in corde audientium arctius impressa remanerent.

Hieronymus. Exprobrat autem incredulitatem, ut succedat credulitas: exprobrat duritiam cordis lapidei, ut succedat cor carneum caritate plenum.

Gregorius. Increpata igitur eorum duritia, quid admonendo dicat audiamus; sequitur enim euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae. Omnis creaturae nomine significatur homo: omnis enim creaturae aliquid habet homo; habet namque commune esse cum lapidibus, vivere cum arboribus, sentire cum animalibus, intelligere cum angelis. Omni enim creaturae praedicatur evangelium, cum soli homini praedicatur; quia ille videlicet docetur, propter quem in terra cuncta creata sunt, et a quo omnia per quamdam similitudinem aliena non sunt. Potest etiam omnis creaturae nomine omnis natio gentium designari: ante enim dictum fuerat: in viam gentium ne abieritis; nunc autem dicitur praedicate evangelium omni creaturae; ut scilicet prius a iudaea apostolorum repulsa praedicatio, tunc nobis in adiutorium fieret, cum hanc illa ad damnationis suae testimonium superbe repulisset.

Theophylactus. Vel omni creaturae, idest credenti et non credenti. Sequitur qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit. Non enim sufficit credere: nam qui credit et nondum est baptizatus, sed catechumenus, nondum est perfecte salutem adeptus.

Gregorius. Fortasse autem unusquisque apud semetipsum dicat: ego iam credidi, salvus ero. Verum dicit, si fidem operibus teneat. Vera etenim fides est quae in hoc quod verbis dicit, operibus non contradicit. Sequitur qui vero non crediderit, condemnabitur.

Beda. Quid adhuc hic dicemus de parvulis, qui per aetatem adhuc credere non valent? nam de maioribus nulla quaestio est. In ecclesia enim salvatoris per alios parvuli credunt, sicut ex aliis ea quae illis in baptismo peccata remittuntur pertraxerunt. Sequitur signa autem eos qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eicient, linguis loquentur novis, serpentes tollent.

Theophylactus. Hoc est, dispergent intellectuales, sicut illud Lucae: calcabitis super serpentes et scorpiones, intellectualiter intelligitur. Potest autem intelligi de sensibilibus serpentibus, sicut etiam paulus a vipera nullum habuit nocumentum. Sequitur et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Multa talia facta in historiis legimus: multos namque venena bibita Christi munita signaculo laedere non valebant. Sequitur super aegros manus imponent, et bene habebunt.

Gregorius in evang.. Numquid autem quia ista signa non facimus, minime credimus? sed haec necessaria in exordio ecclesiae fuerunt; ut enim fides cresceret credentium, miraculis fuit nutrienda: quia et nos cum arbusta plantamus, tamdiu eis aquam fundimus, quousque ea in terra convaluisse videamus; at si semel radicem fixerint, a rigando cessamus. Habemus de his signis atque virtutibus quae adhuc subtilius considerare debeamus. Sancta quippe ecclesia quotidie spiritualiter facit quod tunc per apostolos corporaliter faciebat: nam sacerdotes eius cum per exorcismi gratiam manum credentibus imponunt et habitare malignos spiritus in eorum mentibus contradicunt, quid aliud faciunt, nisi daemonia eiciunt? et fideles quique, qui iam saecularia verba derelinquunt, sancta autem mysteria insonant, linguis loquuntur novis: qui dum bonis suis de alienis cordibus auferunt, serpentes tollunt; et dum pestiferas suasiones audiunt, sed tamen ad operationem pravam minime pertrahuntur, mortiferum est quod bibunt; sed non eis nocebit qui, quoties proximos suos in bono opere infirmari conspiciunt, dum exemplo suae operationis illorum vitam roborant, super aegros manus imponunt ut bene habeant. Quae nimirum miracula tanto maiora sunt quanto spiritualia, et quanto per haec non corpora, sed animae suscitantur.

MARCUS 16,19-20

7619 (Mc 16,19-20)

Hieronymus. Dominus iesus, qui de caelo descenderat ad liberandam infirmitatis nostrae naturam, ipse etiam super caelos ascendit; unde dicitur et dominus quidem iesus postquam locutus est eis, assumptus est in caelum.

Augustinus de cons. Evang.. In quo satis videtur ostendere novissimum cum illis in terra praemissum habuisse sermonem, quamvis non omnimodo ad id coarctari videatur: non enim ait: postquam haec locutus est eis; unde admittit, si necessitas cogeret, non illam fuisse novissimam locutionem, sed ad omnia quae cum eis omnibus illis diebus locutus est, posse pertinere quod dictum est: postquam locutus est eis, assumptus est in caelum. Sed quia ea quae supra diximus, magis suadent novissimum diem fuisse, ideo post praemissam locutionem quam marcus commemoravit, adiunctis etiam illis verbis quae commemorantur in actibus apostolorum, credendum est assumptum esse dominum in caelum.

Gregorius in evang.. In veteri testamento cognovimus quod elias sit raptus in caelum. Sed aliud est caelum aethereum, aliud caelum aereum. Caelum quippe aereum terrae est proximum. In caelum itaque aereum elias sublevatus est, ut in secretam quamdam regionem terrae repente duceretur, ubi in magna iam carnis et spiritus quiete viveret, quoadusque ad finem mundi redeat, et mortis debitum solvat. Notandum quoque est, quod elias in curru legitur ascendisse, ut videlicet aperte illis demonstraretur, quia homo purus adiutorio indigebat alieno. Redemptor autem noster non curru, non angelis sublevatus legitur: quia qui fecerat omnia, super omnia sua virtute ferebatur. Considerandum vero nobis est, quod marcus subdit et sedet a dextris Dei; cum stephanus dicat: video caelos apertos et filium hominis stantem a dextris Dei. Sed sedere iudicantis est, stare vero pugnantis vel adiuvantis. Stephanus ergo in laboris certamine positus stantem vidit, quem adiutorem habuit; sed hunc post assumptionem marcus sedere describit, quia post

assumptionis suae gloriam iudex in fine videbitur.

Augustinus de symbolo. Sessionem igitur istam non accipiamus, quasi sit in humanis membris positus; tamquam pater sedeat in sinistra, et filius sedeat a dextris; sed ipsam dexteram intelligimus potestatem quam accepit ille homo a Deo, ut veniat iudicaturus qui primo venerat iudicandus. Sedere enim habitare intelligitur; quomodo dicimus de quocumque homine: in illa patria sedit per tres annos, sic ergo credite habitare Christum in dextera Dei patris. Beatus enim est, et habitat in beatitudine, quae dextera patris vocatur: ibi enim omnis dextera est, quia nulla est ibi miseria. Sequitur illi autem profecti praedicaverunt ubique, domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.

Beda. Nota, quod marcus evangelista evangelium suum quanto inchoavit tardius, tanto in longinquiora tempora scribendo porrexit: ab initio enim evangelicae praedicationis quod a Ioanne factum est, coepit, et ad illud usque tempus narrando pervenit quo apostoli idem evangelii verbum per totum orbem seminaverunt.

Gregorius. Quid autem in his considerandum est nisi quod praeceptum obedientia, obedientiam vero signa secuta sunt? praeceperat enim dominus: euntes in mundum universum, praedicate evangelium; et in actibus: eritis mihi testes usque ad extremum terrae.

Augustinus ad hesychium. Quo autem pacto ab apostolis est praedictio ista completa, quando usque adhuc sunt gentes in quibus modo coepit, et in quibus nondum coepit impleri? non utique hoc a domino sic mandatum est apostolis, tamquam ipsi soli, quibus tunc loquebatur, tantum munus fuerint impleturi; sed sicut eis solis videtur dixisse: ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi: quod tamen eum universae ecclesiae promississe, quae, aliis morientibus, aliis nascentibus, hic usque in saeculi consummationem futura est, quis non intelligat? Theophylactus. Sciendum est autem et hic, quod sermo per opera confirmatur, sicut in apostolis tunc operationes confirmabant sermonem, sequentibus signis. Fiat autem, o Christe, ut nostri sermones quos de virtute dicimus, per opera confirmentur et actus; ut tandem simus perfecti te cooperante in omnibus verbis et operibus: quia te decet et sermonum et operum gloria. Amen.

CATENA AUREA IN LUCAM

Induam caelos tenebris, et saccum ponam operimentum eorum. dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lapsus est verbo. Erigit mane, mane erigit mihi aurem, ut audiam quasi magistrum. (isaias 50, 3-4).

Glossa. Inter cetera incarnationis Christi mysteria, quae isaias propheta diligenter et aperte praenuntiat, dicit induam caelos tenebris etc., ex quibus verbis accipere possumus evangelii secundum lucam materiam, modum scribendi, finem et conditionem scriptoris.

Augustinus de cons. Evang.. Lucas enim circa sacerdotalem domini stirpem atque personam magis occupatus videtur, unde per vitulum significatus est, propter maximam victimam sacerdotis.

Ambrosius in luc.. Vitulus enim sacerdotalis est victima, unde bene congruit vitulo hic evangelii liber, qui a sacerdotibus inchoavit et consummavit in vitulo, qui omnium peccata suscipiens pro totius mundi vita est immolatus; et ipsam vituli immolationem lucas stylo quodam pleniore diffudit.

Glossa. Quia igitur passionem Christi principaliter exponere lucas intendit, huius evangelii materia significari potest in eo quod dicitur induam caelos tenebris, et saccum ponam operimentum eorum; nam ad litteram in passione Christi tenebrae factae sunt, et in discipulis fides obscurata est. **Hieronymus** super isaiam. Et Christus despectus erat et ignobilis quando pendeat in cruce; et absconditus est vultus eius atque despectus, ut humano corpore divina potentia celaretur. **Hieronymus** de viris illustribus. sermo autem lucae tam in evangelio quam in actibus apostolorum comptior est et saeculari redolet eloquentia. Unde subditur dominus dedit mihi linguam eruditam.

Ambrosius in luc.. Nam licet scriptura divina mundanae evacuet sapientiae disciplinam, quod maiore fucata verborum ambitu quam rerum ratione subnixa sit; tamen si quis in scripturis divinis etiam illa quae imitanda illi putant, quaerat, inveniet. Sanctus enim lucas velut quemdam historicum ordinem tenuit, et plura nobis gestorum domini miracula revelavit; ita tamen ut omnes sapientiae virtutes evangelii ipsius complecteretur historia. Quid enim praecellentius ad sapientiam naturalem, quam quod spiritum sanctum creatorem etiam dominicae incarnationis extitisse reseravit? docet moralia in eodem libro, quemadmodum scilicet amare inimicum debeam; docet etiam rationalia, cum lego quoniam qui fidelis est in minimo, et in

magno fidelis est.

Eusebius in eccles. Hist.. Is ergo genere quidem antiochenus, arte medicus, secundum hanc medicinam quam ex apostolorum vel societate vel traditione susceperat, duos nobis medicinales libros, quibus non corpora sed animae curentur explicuit. Unde sequitur ut sciam sustentare eum qui lapsus est verbo.

Hieronymus super isaiam. Dicit enim se a domino accepisse sermonem, quomodo lapsus errantemque populum sustentet, et revocet ad salutem.

Graecus expositor. Cum autem lucas bonae indolis esset et capacitatis strenuae, graecorum scientiam consecutus est. Grammaticam siquidem atque poesim adeptus perfecte, rethoricam autem et persuadendi leporem assecutus ad plenum, neque philosophiae muneribus caruit; denique et medicinam acquirit, et quoniam naturae velocitate satis de humana gustaverat sapientia, ad altiolem convolat. Accelerat igitur ad iudaeam, et visibiliter et verbo tenus Christum adit. Cumque veritatem cognosceret, verus efficitur Christi discipulus, plurimum magistro commoratus.

Glossa. Unde subditur erigit mane, quasi a iuventute ad saecularem sapientiam; mane erigit mihi aurem ad divina, ut audiam quasi magistrum, scilicet ipsum Christum.

Eusebius in eccles. Hist.. tradunt autem quod evangelium suum ex pauli ore conscripserit, sicut et marcus quae ex petri ore fuerant praedicata conscripsit.

Chrysostomus super Matthaeum. uterque autem eorum magistrum imitatus est; hic quidem paulum super flumina fluentem, ille autem petrum breviloquio studentem.

Augustinus de cons. Evang.. Eo autem tempore scripserunt quo non solum ab ecclesia Christi, verum etiam ab ipsis adhuc in carne manentibus apostolis probari meruerunt. Et haec prooemialiter dicta sufficiant.

LUCA 1,1-4

9101 (Lc 1,1-4)

Eusebius eccles. Hist.. Lucas in initio evangelii sui, causam cur scripserit indicavit, videlicet quoniam multi alii temere praesumpserant enarrare res quae sibi magis erant ad liquidum compertae: et hoc est quod dicit quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem rerum.

Ambrosius in prooem. In lucam. nam sicut multi in iudaeorum populo divino infusi spiritu prophetaverunt, alii autem pseudoprophetae erant potius quam prophetae; sic et nunc in novo testamento multi evangelia scribere conati sunt, quae boni nummularii non probarunt: et aliud quidem fertur evangelium quod duodecim scripsisse dicuntur: ausus est etiam basilides evangelium scribere: fertur aliud secundum thomam, et aliud secundum matthiam.

Beda. Multos ergo eos non tam numerositate quam haereseos multifariae diversitate connumerat, qui non spiritus sancti munere donati, sed vacuo labore conati, magis ordinaverunt narrationem, quam historiae texuerunt veritatem.

Ambrosius. Qui enim conatus est ordinare, suo labore conatus est, nec implevit suo conatu: sine conatu sunt enim donationes et gratia dei, quae ubi se infuderit, rigare consuevit, ut non egeat, sed redundet scriptoris ingenium: et ideo bene dicit rerum quae in nobis completae sunt, vel quae in nobis redundant: quod enim redundat, nulli deficit, et de completo nemo dubitat, cum fidem effectus astruat, exitus prodat.

Origenes in lucam. Dicit autem rerum, quia non secundum phantasiam, iuxta haereticos, exercuit iesus carnalem ipsius adventum; sed cum veritas esset, revera negotium prosecutus est. Affectum autem suum indicat ex hoc quod ait quae in nobis completae sunt; idest, quae in nobis manifestissimae sunt ostensae: id enim quod graece legitur peplirophorimenon uno verbo latinus sermo non explicat: certa enim fide et ratione cognoverat, neque in aliquo fluctuabat.

Chrysostomus. Evangelista autem non solum testimonio contentus est proprio, sed ad apostolos totum refert, inde robur venatur sermoni; et ideo subdit sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt.

Eusebius eccles. Hist.. Certus est quod veritatem, vel paulo exponente, vel aliis apostolis qui ab initio ipsi viderant, vel sibi tradiderant, consecutus sit.

Chrysostomus. dicit autem viderunt, quia hoc maxime robur nanciscitur credulitatis, quod addiscitur ab his qui praesentialiter viderunt.

Origenes. Palam est autem quod cuiusdam doctrinae finis est in ipsa doctrina, sicut geometriae; alterius vero doctrinae finis in opere computatur, sicut medicinae; et ita est in sermone dei. Et ideo postquam significaverat scientiam ex hoc quod dixerat ipsi viderunt, demonstrat opera ex hoc quod sequitur: et ministri fuerunt sermonis vel verbi.

Ambrosius. Nam congruit ista locutio, ut maius mysterium verbi quam auditum esse credamus; sed quia non prolativum verbum, sed substantiale significatur, non vulgare verbum, sed caeleste intelligamus, cui apostoli ministrarunt.

Cyrillus. Quod autem dicit, huius verbi visores fuisse apostolos, concordat cum iohanne, qui dicit: verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et vidimus gloriam eius. Verbum namque, mediante carne, visibile factum est.

Ambrosius. non solum autem secundum corpus viderunt dominum, sed etiam secundum verbum. Viderunt enim verbum, qui cum moyse et elia viderunt gloriam verbi; alii non viderunt, qui corpus tantummodo videre potuerunt.

Origenes. et in exodo quidem scriptum est: populus videbat vocem domini; vox autem auditur potius quam videtur. Sed propterea ita scriptum est ut ostenderetur nobis aliis videri oculis vocem domini, quibus illi aspiciunt qui merentur. Porro in evangelio non vox cernitur, sed sermo qui voce praestantior est.

Theophylactus. Ex hoc enim manifeste innuitur quod lucas non fuit discipulus ab initio, sed processu temporis; alii autem fuerunt discipuli ab initio, ut petrus et filii zebei.

Beda in lucam. Et tamen Matthaesus quoque et iohannes in multis quae scriberent, ab his qui infantiam, pueritiam, genealogiamque eius scire et gestis interesse potuerant, audire opus habebant.

Origenes. Deinde facultatem scribendi replicat: quoniam ea quae scripsit, non rumore cognoverit, sed ab initio fuerit ipse consecutus: unde sequitur visum est et mihi, assecuto a principio omnia diligenter, ex ordine tibi scribere, optime theophile.

Ambrosius. Cum dicit visum est et mihi, non negat Deo visum: a Deo enim praeparatur voluntas hominum. Prolixiorem autem hunc evangelii librum quam ceteros esse nemo dubitaverit; et ideo non ea quae falsa sunt, sed quae vera, sibi vindicat: et ideo dicit assecuto quidem omnia visum est scribere: non omnia, sed ex omnibus: quia quae fecit iesus si scribantur omnia, nec ipsum mundum capere arbitror. Consulto autem quae ab aliis sunt scripta praeteriit, ut propriis quibusdam singuli evangeliorum libri mysteriorum gestorumque miraculis eminent.

Theophylactus. scribit autem ad theophilum virum inclytum, fortassis et principem, quia quod dicit cratiste, idest optime, sive strenue, non dicebatur nisi principibus et praesidibus; sicut et paulus festo praesidi dixit: cratiste (hoc est optime vel strenue) feste.

Beda. Theophilus autem interpretatur amans deum vel amatus a deo. Quisquis ergo amat deum, sive a Deo se desiderat amari, ad se scriptum putet evangelium, et ut sibi datum munus, sibi que commendatum pignus conservet. non autem novorum quorumlibet eidem theophilo et velut ignotorum ratio pandenda; sed eorum de quibus eruditus est, verborum promittitur veritas exprimenda, cum subditur ut cognoscas eorum verborum de quibus eruditus es, veritatem; scilicet, ut quo quid ordine a domino gestum dictumve sit, agnoscere queas.

Chrysostomus. Vel aliter. Ut certitudinem habeas, et securus existas, quae auditu perceperas, prospiciens in scriptura.

Theophylactus in lucam. Plerumque enim cum sine scripto aliquid dicitur, calumniantur illud quasi falsum; cum vero quis quae dicit scripserit, tunc magis credimus: quia nisi putaret vera, non scriberet.

Chrysostomus. Vel aliter. totum evangelistae prooemium duo continet: conditionem eorum qui ante eum evangelium scripserant, puta Matthaei et Marci; et rursus cur et ipse scribere proposuit. Cum vero dixisset conati sunt, vocabulum protulit potens applicari et ad praesumptuose aggredientes materiam, et ad honeste pertractantes illam. Duabus enim additionibus dubiam sententiam certificat. primo quidem quia dixit quae in

nobis completae sunt rerum; secundo quia dixit sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt. Simul autem hoc quod dico tradiderunt indicare mihi videtur quod et ipsi moneantur propagare; velut enim illi tradiderunt, ipsos quoque oportebit accipientes seriatim ad invicem promulgare. nondum autem commendantibus scripturae quae tradita fuerint, contingebat inconvenientia plurima provenire diuturnitate temporis, unde merito quae de primis visoribus verbi et ministris verbi acceperant, in scriptis universo mundo traditionem praestiterunt, et calumnias propellentes, et oblivionem destruentes, et ex ipsa traditione integritatem accomodantes.

LUCA 1,5-7

:

9105 (Lc 1,5-7)

Chrysostomus. Evangelicae narrationis exordium a zacharia sumit et nativitate ioannis, mirum ante mirum edisserens, minus ante maius, nam quoniam virgo paritura erat, praeparavit gratia ut vetus prius conciperet. Declarat autem tempus, cum dicit fuit in diebus herodis; et adicit dignitatem, cum subdit regis iudaeae. alius autem herodes fuit qui ioannem occidit; sed ille tetrarcha fuit, hic autem rex.

Euthymius. Rex, inquam, ille qui infantes occidit, pater illius herodis, qui praecursorem interemit.

Beda in lucam. tempus autem herodis alienigenae regis dominico attestatur adventui; praedictum namque fuerat quia non deficiet princeps de iuda, neque dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est. Ex quo enim patres ex aegypto exierunt, suae gentis iudicibus usque ad samuelem prophetam, ac deinde regibus usque ad transmigrationem babyloniae regebantur. post reditum vero babyloniae pontifices rerum summam gerebant usque ad hircanum regem simul et pontificem, quo ab herode interempto, iudaeae regnum ipsi herodi alienigenae iussu augusti caesaris traditur gubernandum; cuius trigesimo primo anno, iuxta prophetiam supradictam, qui mittendus erat adventit.

Ambrosius. docet autem nos divina scriptura, non solum mores in his qui praedicabiles sunt, sed etiam parentes oportere laudari: ut veluti transmissa immacolatae puritatis hereditas, in his quos volumus laudare, praecellat. Non solum igitur a parentibus, sed etiam a maioribus sancti ioannis nobilitas propagatur, non saeculari potestate sublimis, sed religionis successione venerabilis. Plena est igitur laudatio, quae genus, mores, officium, factum, iudicium comprehendit. Officium in sacerdotio: unde dicit sacerdos quidam nomine zacharias.

Beda. de sacerdotali enim prosapia ioannes ortus est, ut eo potentius imitationem sacerdotii praeconizaret, quo ipsum ad sacerdotale genus pertinere claresceret.

Ambrosius. Genus autem comprehendit in maioribus: unde sequitur de vice abia, idest nobilis inter familias.

Beda. Erant enim principes sanctuarii, idest summi sacerdotes, tam de filiis eleazar quam de filiis ithamar, quorum vices, secundum ministeria sua, ut ingrederentur domum dei, vigintiquatuor sortibus david distinxit; in quibus familiae abia, de qua zacharias ortus est, sors contingit octava. non autem frustra primus novi testamenti praeco in octavae sortis iure nascitur: quia sicut septenario saepe numero propter sabbatum vetus testamentum, sic novum aliquoties per octonarium propter sacramentum dominicae vel nostrae resurrectionis exprimitur.

Theophylactus. Volens etiam ostendere quod ab utroque parente legaliter ex sacerdotali genere erat, subdit et uxor illius de filiabus aaron, et nomen eius elisabeth. Non enim permittebatur de alia tribu uxorem accipere, sed de sua. Elisabeth interpretatur dei requies. zacharias vero memoria domini.

Beda. iustis enim parentibus ioannes est genitus, ut eo confidentius iustitiae praecepta populis daret, quo haec ipsa non quasi novitia didicisset, sed velut hereditario iure a progenitoribus accepta servaret. Unde sequitur erant autem ambo iusti ante deum.

Ambrosius in lucam. Et sic mores in aequitate comprehendit. Bene autem dicit ante deum. Fieri enim potest ut aliquis affectata bonitate populari iustus videatur mihi, iustus autem ante deum non sit, si iustitia non ex mentis simplicitate formetur, sed adulatione simuletur. perfecta igitur laus est ante deum iustum esse: solus enim perfectior est qui ab eo probatur qui non potest falli. Factum autem comprehendit in mandato, in iustificatione iudicium. Unde sequitur incedentes in omnibus mandatis et iustificationibus

domini. Cum enim mandatis caelestibus obedimus, in mandatis domini incedimus; cum congrue iudicamus, tenere domini iustificationes videmur. Providere autem oportet bona non solum coram deo, sed etiam coram hominibus. Unde sequitur sine querela. Nulla enim querela est ubi et mentis bonitas concordat et facti, et plerumque iustitia durior hominum querelam excitat.

Origenes in lucam. Potest etiam aliquid iustum iniuste fieri, ut si iactantiae causa quis pauperi elargiatur; quod non est sine querela. sequitur et non erat illis filius, eo quod esset sterilis elisabeth, et ambo processissent in diebus suis.

Chrysostomus. non solum autem elisabeth erat sterilis, sed et patriarcharum coniuges, sara, rebecca, rachel; quod dedecus erat antiquis: nec enim possumus dicere quod peccati effectus esset sterilitas, quia cuncti iusti, cuncti virtuosí. Haec autem fuit sterilitatis causa, ut cum videris virginem parientem dominum, non sis incredulus, exercitans mentem tuam in alvo sterilium.

Theophylactus. Et ut etiam tu addisceres quod lex dei multiplicationem filiorum non appetit corporalem, sed magis spiritualem. processerant autem ambo, non secundum corpus, sed secundum spiritum, ascensiones in corde ponentes, et vitam suam ut diem et non ut noctem habentes, quasi in die honeste ambulantes.

LUCA 1,8-10

9108 (Lc 1,8-10)

Beda. Per moysen dominus unum constituit summum sacerdotem, cui mortuo unum succedere iussit; et hoc usque ad david tempora servatum est, a quo plures fieri domino agente decretum est: unde nunc zacharias in ordine vicis suae sacerdotio functus esse asseritur cum dicitur factum est autem cum sacerdotio fungeretur zacharias in ordine vicis suae ante deum, secundum consuetudinem sacerdotalem, sorte exiit ut incensum poneret ingressus in templum domini.

Ambrosius. videtur autem hic zacharias summus designari sacerdos: quia semel in anno solus summus sacerdos in secundo sanctuario intrabat, non sine sanguine, quem offerret pro se, et pro populi delictis.

Beda. non autem nunc nova sorte electus est cum incensum esset adolendum, sed prisca sorte, cum ex ordine sui pontificatus in vicem abia succederet. sequitur et omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi. Incensum in sancta sanctorum a pontifice deferri, expectante foris templum omni populo, decimo die septimi mensis est iussum, et hanc diem expiationis sive propitiationis vocari; cuius diei mysterium apostolus ad hebraeos pandens, iesum ostendit pontificem esse verum, qui in sanguine proprio caeli secreta subiit, ut propitium nobis faceret patrem, et interpellaret pro peccatis eorum qui adhuc prae foribus orantes expectant.

Ambrosius. Hic est autem ille summus sacerdos qui adhuc forte quaeritur, quia verus adhuc ignoratur: qui enim sorte eligitur, humano iudicio non comprehenditur. Ille igitur quaerebatur, et alius figurabatur, verus in aeternum sacerdos, qui non hostiarum cruore, sed proprio, patrem deum generi reconciliaret humano: et tunc quidem vices erant, nunc autem est perpetuitas.

LUCA 1,11-14

9111 (Lc 1,11-14)

Chrysostomus. Ingressus zacharias in templum ut preces ferret pro cunctis ad deum, et quasi dei et hominum mediator, vidit angelum intus stantem: unde dicitur apparuit autem illi angelus domini stans a dextris altaris incensi.

Ambrosius. bene apparuisse dicitur ei qui eum repente conspexit; et hoc specialiter aut de angelis aut de Deo scriptura divina tenere consuevit; ut quod non potest praevideri, apparere dicatur. Non enim similiter sensibilia videntur, et is cuius in voluntate situm est videri, et cuius naturae est non videri.

Origenes in lucam. et hoc tantum in praesenti saeculo dicimus, sed et in futuro cum migraverimus a mundo, non omnibus vel deus vel angeli apparebunt: sed ille tantum videbit qui mundum habuit cor. locus autem nec nocere poterit quemquam, nec iuvare.

Chrysostomus. Manifeste autem apparuit, non in somnis: eo quod nimis arduum annuntiabatur, unde manifestiori et mirabiliori visione egebat.

damascenus de fide orth.. Tamen angeli non ut sunt, hominibus patefiunt, sed transfigurati, prout possunt visores aspicere in quodcumque iusserit dominus.

Basiliius. Dicit autem altaris incensi, eo quod alterum erat altare deputatum ad holocausta.

Ambrosius. Non immerito autem angelus videtur in templo, quia veri sacerdotis annuntiabatur iam adventus, et caeleste sacrificium parabatur, in quo angeli ministrarent: non enim dubites assistere angelum quando Christus immolatur. Apparuit autem a dextris altaris incensi, quia divinae insigne misericordiae deferebat: dominus enim a dextris est mihi, ne commovear.

Chrysostomus. non potest autem homo, quantumcumque sit iustus, absque timore cernere angelum: unde et nunc zacharias aspectum non tolerans praesentiae angeli, nec fulgorem illum valens sufferre, turbatur: et hoc est quod subditur et zacharias turbatus est videns. Sicut autem auriga perterritus, loraque dimittente, corruunt equi praecipites, totaque quadriga pervertitur; sic accidere consuevit animae quoties ab aliquo stupore vel sollicitudine deprimitur: unde et hic subditur et timor irruit super eum.

Origenes in lucam. nova quippe facies humanis se obtutibus praebens turbat mentem, animumque consternat: unde angelus sciens hanc humanam esse naturam, primum perturbationi medetur: nam sequitur ait autem ad illum angelus: ne timeas, zacharia.

Athanasius in vita antonii. Unde non difficilis est bonorum spirituum malorumque discretio: si enim post timorem successerit gaudium, a domino venisse sciamus auxilium, quia securitas animae praesentis maiestatis indicium est; si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur. Non solum autem trepidantem refocillat, sed etiam novo laetificat nuntio, subdens quoniam exaudita est deprecatio tua, et uxor tua elisabeth pariet tibi filium.

Augustinus de quaest. Evang.. Ubi primo hoc attendendum est, quia non est verisimile ut cum pro peccatis populi vel salute vel redemptione sacrificium ille offerret, potuerit publicis votis relictis homo senex, uxorem habens, pro accipiendis filiis orare praesertim; nam nemo orat accipere quod accepturum esse desperat. Usque adeo autem ille iam se habiturum filios desperabat, ut hoc angelo promittenti non crederet. Ergo quod ei dicitur exaudita est deprecatio tua, pro populo intelligendum est; cuius populi quoniam salus et redemptio et peccatorum abolitio per Christum futura erat, adhuc nuntiatur zachariae nasciturus filius, quia praecursor Christi destinabatur.

Chrysostomus. Vel quod exaudita sit eius deprecatio, probat per hoc quod gignendus erat ei filius, clamans: ecce agnus dei qui tollit peccata mundi.

Theophylactus. quasi ipso dicente: unde erit mihi hoc manifestum? ait angelus: ex hoc quod elisabeth pariet tibi filium, credes quod peccata populo sunt remissa.

Ambrosius. vel aliter. Plena semper et redundantia sunt divina beneficia, non exiguo constricta munere, sed uberi bonorum coacervata congestu, ut hic, ubi primum precationis fructus promittitur, deinde sterilis partus uxoris: cuius nomen praenuntiat subdens et vocabis nomen eius iohannem.

Beda. Singularis meriti indicium datur, quoties hominibus a Deo vel imponitur nomen vel nuntiatur.

Chrysostomus in iohannem. Illud quoque oportet exprimere, quoniam in quibus ab ipsa teneritate infantiae virtus refulgere debebat, a principio divinitus sumebant nomina; his vero qui postea debebant excrescere, nomen postea imponebatur.

Beda. iohannes ergo interpretatur in quo est gratia, vel domini gratia: quo nomine declaratur primo parentibus eius gratiam, quibus decrepitis nasceretur filius, esse donatam; deinde ipsi iohanni, qui magnus coram domino erat futurus; postremo etiam filiis israel, quos ad dominum erat conversurus: unde sequitur et erit gaudium tibi et exultatio.

Origenes. Quando enim iustus oritur in mundo, ministri nativitatis eius laetantur: quando vero ille nascitur qui quasi ad poenas et ergastulum relegatur, minister consternatur et concidit.

Ambrosius. Sanctus autem non solum parentum gratia, sed etiam salus est plurimorum: unde sequitur et

multi in nativitate eius gaudebunt. Admonemur hoc loco, sanctorum generatione laetari, admonentur parentes gratias agere: non enim mediocre munus est dei, dare liberos, propagatores generis, successionis heredes.

LUCA 1,15-17

9115 (Lc 1,15-17)

Ambrosius. Post laetitiam plurimorum, magnitudo virtutis promittitur, cum dicitur erit enim magnus coram domino. non corporis, sed animae magnitudinem declaravit: est coram domino magnitudo animae, magnitudo virtutis.

Theophylactus. multi namque magni dicuntur, sed coram hominibus, non coram deo, sicut hypocritae: ita etiam et parentes ioannis iusti coram domino dicti sunt.

Ambrosius. deinde non fines alicuius propagavit imperii, non triumphos bellici certaminis reportavit; sed, quod est amplius, praedicans in deserto, delicias hominum corporisque lasciviam magna animi virtute depressit: unde sequitur et vinum et siceram non bibet.

Beda. Sicera interpretatur ebrietas; quo vocabulo hebraei omne quod inebriare potest populum, sive de frugibus seu de qualibet alia materia confectum, significant. Proprium vero in lege nazaraeorum erat, vino et sicera tempore obsecrationis abstinere: unde ioannes, ceterique tales, ut semper nazaraei, idest sancti, manere possint, semper his abstinere satagunt: non enim decet vino, in quo est luxuria, inebriari eum qui musto spiritus sancti desiderat impleri: unde recte cui vini ebrietas tollitur, spiritus gratia cumulatur. sequitur autem et spiritu sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.

Ambrosius. Cui spiritus sanctus infunditur, magnarum est plenitudo virtutum. siquidem sanctus ioannes antequam nasceretur, matris adhuc in utero positus, spiritus accepti gratiam designavit, cum in utero parentis exiliens domini evangelizavit adventum. Alius est spiritus vitae huius, alius gratiae; ille nascendo sumit exordium, moriendo defectum; iste non aetatibus coercetur, non obitu extinguitur, non alvo matris excluditur.

Graecus. quod autem erit opus ioannis, quidve per spiritum sanctum peraget, ostendit subdens et multos filiorum israel convertet ad dominum deum ipsorum.

Origenes in lucam. ioannes quidem plurimos convertit; domini autem opus est ut omnes ad deum patrem convertat.

Beda. Cum autem ioannes, qui Christo testimonium perhibens, in eius fide populos baptizabat, dicitur filios israel ad dominum deum ipsorum convertisse, patet Christum dominum deum esse israel: unde desinant ariani Christum dominum deum esse negare: erubescant photiniani Christo ex virgine principium dare: cessent manichaei alium populi israel, atque alium Christianorum deum credere.

Ambrosius. Non autem egemus testimonio, quod plurimorum sanctus ioannes corda convertit, in quo nobis propheticae scripturae et evangelicae suffragantur: vox enim clamantis in deserto: parate viam domino: non enim de se, sed de domino praedicabat praenuntius Christi; et ideo sequitur et ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute eliae. Bene praecedet ante illum, qui praenuntius natus, praenuntius mortuus est. Bene etiam iungitur in spiritu et virtute eliae.

Origenes in lucam. non dicit in anima eliae, sed in spiritu et in virtute: spiritus enim qui fuerat in elia, venit in ioannem, et similiter virtus eius.

Ambrosius. Nunquam enim sine virtute spiritus, vel sine spiritu virtus: et ideo in spiritu et virtute, quia sanctus elias et virtutem habuit magnam, et gratiam: virtutem, ut ad fidem animos populorum a perfidia retorqueret, virtutem abstinentiae atque patientiae, et spiritum prophetandi. in deserto elias, in deserto ioannes; ille achab regis gratiam non quaesivit, hic sprevit herodis; ille iordanem divisit, hic ad lavacrum salutare convertit; hic prioris, ille sequentis domini praecursor adventus.

Beda. Quod autem de elia per malachiam praedictum est, hoc per angelum de ioanne dicitur, cum subditur ut convertat corda patrum in filios; spiritualem antiquorum sanctorum scientiam populis praedicando infundens; et incredulos ad prudentiam iustorum; quae est non de legis operibus iustitiam praesumere, sed

ex fide salutem quaerere.

Graecus. Vel aliter. Parentes ioannis et apostolorum iudaei fuerunt; sed tamen contra evangelium ex superbia et infidelitate saeviebant. Itaque tamquam benigni filii ioannes prius et apostoli consequenter eis veritatem monstrabant, in propriam iustitiam et prudentiam eos attrahentes: sic etiam elias reliquias hebraeorum convertet ad apostolorum veritatem.

Beda. quia vero zachariam pro plebe supplicantem dixerat exauditum, subiungit parare domino plebem perfectam: in quo docet quo ordine plebs eadem salvari et perfici debeat, ad praedicationem scilicet ioannis poenitendo, et credendo in Christum.

Theophylactus. Vel aliter. Ioannes plebem paravit, non incredulam, sed perfectam, idest praeparatam ad suscipiendum Christum.

Origenes. Sacramentum autem ioannis usque nunc expletur in mundo; quicumque enim crediturus est in iesum Christum, antea spiritus et virtus ioannis ad animam illius venit, et praeparat domino populum perfectum.

LUCA 1,18-22

9118 (Lc 1,18-22)

Chrysostomus. Habito respectu zacharias ad propriam aetatem, quin etiam coniugis sterilitate conspecta, diffisus est: unde dicitur et dixit zacharias ad angelum: unde hoc sciam? quasi dicat: quomodo hoc fiet? et causam dubitationis subdit ego enim sum senex, et uxor mea processit in diebus suis; quasi dicat: aetas intempesta, natura inepta; ego generans debilis, terra sterilis. Non autem censetur propter hoc dignus esse venia sacerdos, dum seriem rerum expostulat: quandocumque enim deus aliquid indicat, oportet in fide suscipere; nam super huiusmodi disceptare contumacis est animae: unde sequitur et respondens angelus dixit ei: ego sum gabriel, qui asto ante deum.

Beda. Quasi dicat: si homo talia signa promitteret, impune signum flagitare liceret; at cum angelus promittat, iam dubitare non decet. sequitur et missus sum loqui ad te, et haec tibi evangelizare.

Chrysostomus. ut cum audias me a Deo missum fore, nihil humanum aestimes ex his quae tibi dicuntur: neque enim ex me loquor, sed mittentis relata denuntio; haec est enim nuntii bonitas, ut nihil ex se referat.

Beda. Ubi notandum est, quod angelus se et ante deum stare, et ad evangelizandum zachariae missum esse testatur.

Gregorius in evang.. quia et cum ad nos veniunt angeli, sic exterius implent ministerium, ut tamen nunquam interius desint per contemplationem: quia etsi circumscriptus est angelicus spiritus, summus tamen spiritus, qui deus est, circumscriptus non est. angeli itaque etiam missi ante ipsum sunt: quia quomodolibet missi veniant, intra ipsum currunt.

Beda. Dat autem ei signum quod rogatur: ut qui discredendo locutus est, iam tacendo credere discat: unde sequitur et ecce eris tacens, et non poteris loqui.

Chrysostomus. Ut a vi generativa ad organa vocalia vincula transferantur. Nec intuitu sacerdotii ei parcitur; sed ob hoc plectebatur amplius: quia circa fidem ceteris praeesse debebat.

Theophylactus. Sed quia verbum kophos, quod etiam infra subiungitur, potest tam surdum quam mutum significare, bene ait eris surdus, et non poteris loqui. Convenienter enim haec duo passus est: tamquam enim inobediens surditatem incurrit, et tamquam contradictor taciturnitatem.

Chrysostomus. Dicit autem et ecce, quasi dicat: in hoc instanti. Sed considera miserationem domini in hoc quod sequitur usque in diem quo haec fient; quasi dicat: cum per eventus rerum quod dico ostendero, et noveris te iure punitum; tunc te de poena eripiam. Et causam poenae ostendit cum subditur pro eo quod non credidisti verbis meis, quae implebuntur in tempore suo; non attendens virtutem eius qui misit me, cui ego assisto. si autem is qui erga nativitatem mortalem incredulus erat punitur; qualiter qui caelestem, et ineffabilem calumniatur, vitabit ultionem? Graecus. Dum autem haec intrinsecus agerentur, dilatio temporis admirari cogebat expectantem forinsecus multitudinem: unde sequitur et erat plebs expectans zachariam, et

mirabatur quod tardaret ipse in templo. cumque per diversa vagaretur suspicio, quilibet dictabat ad libitum, donec zacharias egrediens docuit silendo quod latendo perpessus est: unde sequitur egressus autem non poterat loqui ad illos: et cognoverunt quod visionem vidisset in templo.

Theophylactus. Innuebat autem populo zacharias forte causam taciturnitatis interroganti, quam loqui non valens, per nutum declarabat: unde sequitur et ipse erat innuens illis, et permansit mutus.

Ambrosius. Est autem nutus quidam sine verbo corporalis actus, indicare moliens, nec exprimens voluntatem.

LUCA 1,23-25

9123 (Lc 1,23-25)

Beda. Vicis suae tempore pontifices templi tantum officiiis mancipati, non solum a complexu uxorum, sed ab ipso quoque domorum suarum abstinebant ingressu; unde dicitur et factum est ut impleti sunt dies officii eius, abiit in domum suam. Quia enim tunc sacerdotalis ex stirpe aaron successio quaerebatur, necessario tempus substituendae soboli procurabatur. at quia nunc non carnalis successio, sed profectio spiritualis inquiritur, sacerdotibus, ut semper altari queant assistere, semper castitas observanda praecipitur. sequitur post hos autem dies concepit elisabeth uxor eius: post dies scilicet officii zachariae completos. Gesta sunt autem haec mense septembri, octavo calendas octobris, quando oportebat iudaeos ieiunium scenopegiae celebrare, imminente aequinoctio, in quo incipit nox esse maior quam dies: quia Christum oportet crescere, ioannem autem minui. Nec frustra tunc dies ieiuniorum erat, quia per ioannem erat hominibus afflictio poenitentiae praedicanda. sequitur et occultabat se mensibus quinque.

Ambrosius. Quae causa occultationis nisi pudor? sunt enim quaedam tempora praescripta coniugio, quando dare operam procreandis liberis sit decorum, dum anni vigent, dum suscipiendorum liberorum spes est. At ubi et matura aevi senectus successerit, et aetas est regendis liberis habilior quam creandis, pudor est legitimi licet coitus gestare indicia, et gravari alienae aetatis onere, et tumescere alvum non sui temporis fructu. Pudebat ergo eam propter aetatem: unde intelligi potest causa, quia iam non conveniebant inter se concubitu coniugali: neque enim ea quae senilem non erubesceret coitum, erubesceret partum; haec tamen erubescit onus parentis, quamdiu nescit mysterium religionis. Sed quae occultabat se quia conceperat filium, iactare se coepit, quia generabat prophetam.

Origenes in lucam. et ideo dicit mensibus quinque; idest, donec Maria conciperet, et fetus eius exultans cum gaudio prophetaret.

Ambrosius. Et quamvis partus sui erubesceret aetatem, rursus caruisse se gaudebat opprobrio, dicens quia sic fecit mihi dominus.

Chrysostomus. Scilicet solvit sterilitatem, donum supra naturam concessit, et petra infructuosa spicas virentes produxit: abstulit dedecus dum genitricem fecit: unde sequitur in diebus quibus respexit auferre opprobrium meum inter homines.

Ambrosius. Pudor enim est feminis nuptiarum praemia non habere, quibus haec sola est causa nubendi.

Chrysostomus. Dupliciter igitur gaudet, dum et a nota sterilitatis ipsam eripuit dominus, et quoniam illustrem partum enixa est. Non enim ut in ceteris gignentium solus concubitus intervenit, sed gratia caelestis huius ortus fuit exordium.

Beda. mystice autem per zachariam sacerdotium iudaeorum, per elisabeth potest lex ipsa designari, quae sacerdotum doctrinis exercitata spirituales Deo filios gignere debebat, sed non valebat; quia neminem ad perfectionem adduxit lex. Erant ambo iusti, quia bona est lex, et sacerdotium pro illo tempore sanctum: ambo processerant in diebus suis, quia adveniente Christo iam incurvantur ad senium. Ingreditur zacharias templum, quia sacerdotum est intrare in sanctuarium mysteriorum caelestium; foris erat multitudo, quia mystica penetrare nequit. Dum altari thymiamam imponit, nasciturum ioannem agnoscit: quia dum doctores flamma divinae lectionis ardent, gratiam dei per iesum prodituram reperiunt; et hoc per angelum, quia lex per angelos ordinata est.

Ambrosius. In uno autem vox totius plebis obmutuit, quia in uno totus ad deum loquebatur populus: transivit enim ad nos dei verbum, et in nobis non tacet. mutus est qui non intelligit legem. Cur enim tibi

magis videatur mutus esse qui sermonem quam qui mysterium nescit? innuenti similis est populus iudaeorum, qui actuum suorum praestare non potest rationem.

Beda. Et tamen elisabeth concipit iohannem, quia interiora legis sacramentis Christi abundant: conceptum quinque mensibus occultat, quia moyses quinque libris mysteria Christi designat, seu quia Christi dispensatio in quinque mundi aetatibus per sanctorum dicta vel facta figuratur.

LUCA 1,26-27

9126 (Lc 1,26-27)

Beda. Quia Christi incarnatio vel sexta aetate saeculi futura, vel ad impletionem legis erat profutura, recte sexto mense concepti iohannis missus ad mariam angelus nasciturum nuntiat salvatorem: unde dicitur in mense autem sexto. Mensem sextum martium intellige, cuius vigesima quinta die dominus noster et conceptus traditur et passus, sicut et vigesima quinta die mensis decembris natus. Quod si vel hoc die, ut nonnulli arbitrantur, aequinoctium vernale, vel illo solstitium brumale fieri credamus; convenit cum lucis incremento concipi vel nasci eum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. At si quis ante dominicae nativitatis et conceptionis tempus considerat lucem vel crescere, vel tenebras superare convicerit, dicimus et nos, quia iohannes ante faciem adventus eius regnum caelorum evangelizabat.

Basilius. adeunt autem nos caelestes spiritus, non quasi ex seipsis, sed ex eo quod divinae sapientiae decorem conspiciunt; unde sequitur missus est angelus gabriel a deo.

Gregorius in evang.. Ad mariam enim virginem non quilibet angelus, sed gabriel archangelus mittitur: ad hoc quippe ministerium summum angelum venire dignum fuerat qui summum omnium nuntiabat: qui idcirco privato nomine censetur, ut signetur per vocabulum in operatione quid valeat. gabriel enim dei fortitudo nominatur; per dei ergo fortitudinem nuntiandus erat qui virtutum dominus et potens in praelio ad debellandas potestates aereas veniebat.

Glossa. Additur autem et locus quo mittitur, cum subditur in civitate galilaeae, cui nomen nazareth: nazaraeus enim, idest sanctus sanctorum, nuntiabatur venturus.

Beda. aptum autem humanae restaurationis principium, ut angelus a Deo mitteretur ad virginem partu consecrandam divino: quia prima perditionis humanae fuit causa, cum serpens a diabolo mittebatur ad mulierem spiritu superbiae decipiendam: unde sequitur ad virginem.

Augustinus de sancta virgin.. Illum enim solum virginitas decenter parere potuit qui in sua nativitate parem habere non potuit. oportebat enim caput nostrum propter insigne miraculum secundum corpus nasci de virgine, quod significaret membra sua de virgine ecclesia secundum spiritum nascitura. **Hieronymus.** et bene angelus ad virginem mittitur, quia semper est angelis cognata virginitas. profecto in carne praeter carnem vivere, non terrena vita est, sed caelestis.

Chrysostomus super matth.. non autem angelus post partum annuntiat virgini, ne nimium exinde turbaretur: et ideo ante conceptionem illam alloquitur, non in somnis, immo visibiliter assistit: nam quasi magnam valde relationem accipiens egebat ante rei eventum visione solemnem.

Ambrosius. Bene autem utrumque posuit scriptura, ut et desponsata esset, et virgo: virgo, ut expers virilis consortii videretur; desponsata, ne temeratae virginitatis adureretur infamia, cui gravis alvus corruptelae videretur insigne praeferre. Maluit autem dominus aliquos de suo ortu quam de matris pudore dubitare: sciebat enim teneram esse virginis verecundiam et lubricam famam pudoris nec putavit ortus sui fidem matris iniuriis astruendam. Servatur itaque sanctae mariae sicut pudore integra, ita et inviolabilis opinione virginitas: nec decuit sinistra virginibus opinione viventibus velamen excusationis relinquere, quod infamata mater quoque domini videretur. quid autem iudaeis, quid herodi posset ascribi, si natum viderentur ex adulterio persecuti? quemadmodum autem ipse diceret: non veni legem solvere, sed adimplere, si videretur coepisse a legis iniuria, cum partus inuuptae lege damnetur? quid quod etiam fides mariae verbis maior adsciscitur, et mendacii causa removetur? videretur enim culpam obumbrare voluisse mendacio inuupta praegnans. causam autem mentiendi desponsata non habuit, cum coniugii praemium et gratia nuptiarum partus sit feminarum. non mediocris quoque causa est ut virginitas mariae falleret principem mundi, qui cum desponsatam viro cerneret, partum non potuit habere suspectum.

Origenes in lucam. Si enim non habuisset sponsum, statim cogitatio tacita diabolus surrepsisset,

quomodo quae non accubuit cum viro, praegnans esset. Debet iste conceptus esse divinus, debet aliquid humana natura esse sublimius.

Ambrosius. sed tamen magis fefellit principes saeculi: daemonum enim malitia facile etiam occulta deprehendit; at vero qui saecularibus vanitatibus occupantur, scire divina non possunt. Quin etiam locupletior testis pudoris maritus adhibetur, qui posset et delere iniuriam et vindicare opprobrium, si non agnosceret sacramentum: de quo subditur cui nomen erat ioseph de domo david.

Beda. quod non tantum ad ioseph, sed etiam pertinet ad mariam. legis namque erat praeceptum ut de sua quisque tribu aut familia acciperet uxorem. sequitur et nomen virginis maria.

Beda. Maria hebraice stella maris, syriace vero domina vocatur; et merito: quia et totius mundi dominum, et lucem saeculis meruit generare perennem.

LUCA 1,28-29

9128 (Lc 1,28-29)

:

Ambrosius. Disce virginem moribus; sola in penetralibus, quam nemo virorum videret, solus angelus reperiret: unde dicitur et ingressus angelus ad eam. et ne quo degeneri depravaretur affatu, ab angelo salutatur.

Graecus. Contra vocem prius editam mulieri dirigitur nunc sermo ad virginem. In illa doloribus partus est causa peccati punita; in hac per gaudium moestitia pellitur: unde iucunditatem non absurde praenuntiat angelus virgini, dicens ave. Quod autem digna cognosceretur sponsalium, attestatur cum dicit gratia plena: quasi enim quaedam arrha aut dos sponsi ostenditur, quod fecunda sit gratiis. Horum enim quae dicit, haec sunt sponsae, alia sponsi. **Hieronymus.** Et bene gratia plena: quia ceteris per partes praestatur; mariae vero simul se totam infudit gratiae plenitudo. Vere gratia plena, per quam largo spiritus sancti imbre superfusa est omnis creatura. Iam autem erat cum virgine qui ad virginem mittebat angelum, et praecessit nuntium suum dominus, nec teneri potuit locis qui omnibus habetur in locis: unde sequitur dominus tecum.

Augustinus. magis quam mecum: ipse enim in tuo est corde, in tuo fit utero, adimplet mentem, adimplet ventrem.

Graecus. Hoc autem est totum legationis complementum. Dei enim verbum, ut sponsus supra rationem unionem efficiens, tamquam ipse germinans, idemque germinatus, totam naturam humanam sibi ipsi conformavit. Ultimum vero ponitur tamquam perfectissimum et compendiosum benedicta tu in mulieribus: una scilicet prae cunctis mulieribus: ut etiam benedicantur in te mulieres, sicut mares in filio; sed magis uterque in utrisque. Velut enim per unam feminam et unum marem peccatum simul ac tristitia intravit: sic et nunc per unam et unum benedictio revocata est et laetitia et ad singulos est profusa.

Ambrosius de salut. Ang.. Disce autem virginem a verecundia, quia pavebat: nam sequitur quae cum audisset, turbata est in sermone eius. Trepidare virginum est, et ad omnes ingressus viri pavere, omnes viri affatus vereri. Disce, virgo, verborum vitare lasciviam: Maria etiam salutationem angeli verebatur.

Graecus. Cum assueta foret his visionibus, evangelista non visioni, sed relatibus turbationem attribuit, dicens turbata est in sermone eius. Attende autem virginis et pudicam et prudentem et animam simul et vocem. audita laetitia dictum examinavit, et neque manifeste obstitit per incredulitatem, nec statim paret ex levitate; evae levitatem evitans simul et duritiam zachariae; unde sequitur et cogitabat qualis esse ista salutatio: non conceptio, nam adhuc ignorabat immensitatem mysterii, sed salutatio: numquid libidinosa, ut a viro ad virginem; an divina, dum dei faceret mentionem dicens dominus tecum? **Ambrosius** in lucam. Benedictionis etiam novam formulam mirabatur, quae nusquam est ante comperta: soli mariae hoc servabatur.

Origenes in lucam. si enim scivisset Maria ad alium quempiam similem factum esse sermonem, utpote quae habebat legis scientiam, nunquam eam, quasi peregrinam, talis salutatio exterruisset.

LUCA 1,30-33

9130 (Lc 1,30-33)

Beda. Quia salutatione insolita virginem turbatam viderat, quasi familiaris notam vocans ex nomine, ne timere debeat iubet: unde dicitur et ait ei angelus: ne timeas, maria.

Graecus. Quasi dicat: non accessi decepturus, immo deceptionis absolutionem depromere; non veni praedaturus inviolabilem tuam virginitatem, sed conditori puritatis et custodi contubernia reserare; non sum serpentis minister, sed perimentis serpentem legatus; sponsalium tractator, non insidiarum molitor. Sic ergo nequaquam distrahentibus ipsam considerationibus vexari permisit, ne diiudicaretur infidus minister negotii.

Chrysostomus. qui autem apud deum meretur gratiam, non habet quid timeat; unde sequitur invenisti enim gratiam apud deum. Qualiter autem illam quisque reperiet, nisi humilitate mediante? humilibus enim dat deus gratiam.

Graecus. inveniet enim gratiam virgo coram deo, quia splendore pudicitiae propriam exornans animam, gratum Deo se habitaculum praeparavit; nec solum caelibatum inviolabilem conservavit, sed etiam immaculatam conscientiam custodivit.

Origenes in lucam. Invenerant enim plures gratiam ante eam; et ideo subdit quod proprium est, dicens ecce concipies in utero.

Graecus. Quod dicitur ecce, celeritatem et praesentiam denotat, insinuans cum eius verbo celebratam esse conceptionem. Dicit autem concipies in utero, ut demonstret, dominum ab ipso utero virginali et de nostra substantia carnem suscipere. Venit enim divinum verbum emundaturum naturam humanam, et partum, et nostrae generationis primordia; et ideo sine peccato et humano semine, per singula sicut nos in carne concipitur, et novem mensium spatio gestatur in utero.

Gregorius nyssenus. sed quoniam contingit specialiter divinum concipi spiritum, et spiritum parere salutarem, secundum prophetam; ideo addidit et paries filium.

Ambrosius. Non autem omnes sunt sicut maria, ut dum de spiritu sancto concipitur, verbum pariant; sunt autem quae abortivum excludant verbum, antequam pariant; sunt quae in utero Christum habeant, sed nondum formaverint.

Gregorius nyssenus. cum autem expectatio partus mulieribus timorem incutiat, sedat timoris metum dulcis partus relatio, cum subditur et vocabis nomen eius iesum: salvatoris enim adventus est cuiuslibet timoris propulsio.

Beda super lucam. iesus autem salvator sive salutaris interpretatur.

Graecus. Dicit autem tu vocabis, non pater: patre enim caret quantum ad inferiorem generationem, sicut et matre respectu supernae.

Cyrillus. Hoc autem nomen de novo fuit verbo impositum, nativitati congruens carnis, secundum illud propheticum: vocabitur tibi nomen novum quod os domini nominavit.

Graecus. Verum quia hoc nomen commune est sibi cum successore moysi, idcirco innuens angelus quod non erit secundum illius similitudinem, subiungit hic erit magnus.

Ambrosius. dictum est quidem etiam de iohanne quia erit magnus; sed ille quasi homo magnus, hic quasi deus magnus. Late enim funditur dei virtus, late caelestis substantiae magnitudo porrigitur: non loco clauditur, non opinione comprehenditur, non aestimatione concluditur, non aetate variatur.

Origenes. vide ergo magnitudinem salvatoris quomodo in toto orbe diffusa sit: ascende in caelos, quomodo caelestia repleverit; descende cogitatione ad abyssos, et vide eum illuc descendisse: si hoc videris, pariter intueberis opere completum hic erit magnus.

Graecus. Neque carnis assumptio deitatis derogat celsitudini; immo potius humanitatis humilitas sublimatur; unde sequitur et filius altissimi vocabitur. non utique tu impones vocabulum, sed ipse vocabitur: a quo nisi a consubstantiali genitore? nullus enim filium novit nisi pater. Penes quem vero infallibilis est

notitia geniti, is verus interpres est erga impositionem congruam nominis: propter quod dicit: hic est filius meus dilectus, ab aeterno siquidem est, quamvis nunc ad nostram doctrinam nomen eius patuerit. Et ideo ait vocabitur, non: fiet vel generabitur: nam et ante saecula fuerat consubstantialis patri. Hunc ergo concipies, huius mater efficieris, hunc virginalis cella concludet, cuius caeleste spatium capax non exitit.

Chrysostomus. ceterum si quidem enorme quibusdam videtur, deum habitare corpus; nonne sol, cuius est corpus sensibile, quocumque radios mittit, non laeditur in propria puritate? multo ergo magis iustitiae sol ex utero virginali mundissimum corpus assumens, non tantum contaminatus non est, immo etiam ipsam matrem sanctiorem ostendit.

Graecus. Et ut virginem redderet memorem prophetarum, subdit et dabit illi dominus deus sedem david patris eius, ut noscat liquido quoniam qui nasciturus est ab ea, ipse est Christus, quem illi promiserunt ex david semine nasciturum.

Cyryllus. Non tamen ex ioseph est editum corpus Christi mundissimum; secundum enim unam lineam cognationis profluxerant ioseph et virgo, ex qua formam humanitatis unigenitus sumpsit.

Basilus. Non autem in materiali sede david sedit dominus, translato iudaico regno ad herodem; sed sedem appellat david, in qua resedit dominus, indissolubile regnum; unde sequitur et regnabit in domo iacob in aeternum.

Chrysostomus. Dicit autem ad praesens domum iacob eos qui de numero iudaeorum crediderunt in illum: ut enim paulus dicit: non omnes qui ex israel sunt, hi sunt israelitae; sed qui sunt filii promissionis, computantur in semine.

Beda. Vel domum iacob totam ecclesiam dicit, quae vel de bona radice nata, vel cum oleaster esset, merito tamen fidei in bonam est inserta olivam.

Graecus. nullius autem est in aeternum regnare, nisi dei solius: quo fit ut etsi propter incarnationem dicatur david sedem accipere, tamen idem ipse, in quantum deus, rex aeternus agnoscitur. sequitur et regni eius non erit finis: non solum in quantum deus est, sed etiam in eo quod homo: et in praesenti quidem habet regnum multorum, finaliter vero universorum, cum ei omnia subicientur.

Beda. Omittat ergo nestorius dicere hominem tantum ex virgine natum, et hunc a verbo dei non in unitatem personae esse receptum: angelus enim qui ait eundem ipsum patrem habere david, quem filium altissimi vocari praenuntiat, in duabus naturis unam Christi personam demonstrat. Non autem ideo futuri temporis verbis angelus utitur, quia secundum haereticos Christus ante mariam non fuerit, sed quia secundum eandem personam homo cum Deo idem filii nomen sortitur.

LUCA 1,34-35

9134 (Lc 1,34-35)

Ambrosius. Neque non credere angelo Maria debuit, neque tam temere usurpare divina; unde dicitur dixit autem Maria ad angelum: quomodo fiet istud? temperatior est ista responsio quam verba sacerdotis. Haec ait quomodo fiet istud? ille respondit unde hoc sciam? negat ille se credere, et quasi fidei adhuc alium quaerit auctorem; ista se facere profitetur, nec dubitat esse faciendum, quod quomodo fiat inquirat. Legerat maria: ecce concipiet in utero, et pariet filium: ideo credidit futurum; sed quomodo fieret ante non legerat: non enim quemadmodum fieret vel prophetae tanto fuerat revelatum: tantum enim mysterium non hominis fuit, sed angeli ore promendum.

Gregorius nyssenus. Attende etiam munda virginis vocem: partum annuntiat angelus; ipsa vero virginitati innititur, praestantiorem incorruptibilitatem angelica visione diiudicans: unde dicit quoniam virum non cognosco.

Basilus. cognitio multifarie dicitur: dicitur enim cognitio nostri conditoris sapientia, ac magnalium suorum notitia, nec non mandatorum custodia, et quae fit apud eum appropinquatio, et copula nuptialis, ut hic accipitur.

Gregorius nyssenus. haec igitur mariae verba indicium sunt eorum quae tractabat in mentis arcano: nam si causa copulae coniugalis ioseph desponsari voluisset, cur admiratione ducta est dum sibi narratur

conceptio? cum nimirum ipsa praestolaretur ad tempus mater effici iuxta legis naturam. Verum quia oblatum corpus Deo quasi quoddam ex sacris inviolabile reservari decebat, ideo dicit quoniam virum non cognosco; quasi dicat: etsi sis angelus, tamen quod virum cognoscam ex impossibilibus cernitur; qualiter igitur mater ero carens coniuge? ioseph siquidem in sponsum agnovi.

Graecus. Sed considera qualiter virgini solvit dubium angelus, ac explanat intemeratum connubium, et ineffabilem partum: sequitur enim et respondens angelus dixit ei: spiritus sanctus superveniet in te.

Chrysostomus. Quasi dicat: non quaeras ordinem naturalem ubi naturam transcendunt et superant quae tractantur. Dicitis quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? quinimmo eo ipso continget quod es coniugis in experta: nam si virum experta fuisses, non digna censereris hoc mysterio: non quia profanum sit coniugium, sed quia virginitas potior. Decebat enim communem omnium dominum, et in nativitate nobiscum participare, et ab ea discrepare: quod enim ex utero nasceretur, habuit commune nobiscum; quod autem absque concubitu nasceretur, plus a nobis obtinuit. quam beatum corpus illud quod ob exuberantem munditiam virginis mariae, ut videtur, donum animae ad seipsum allexit. In singulis enim ceteris vix utique anima sincera sancti spiritus impetrabit praesentiam; sed nunc caro receptaculum efficitur spiritus.

Gregorius nyssenus. Tabulas enim nostrae naturae quas culpa confregerat, denuo verus legislator de terra nostra sibi dolavit, absque concubitu divinitatis suae corpus susceptibile creans, quod divinus digitus sculpsit, scilicet spiritus superveniens virgini.

Chrysostomus. Insuper et virtus altissimi obumbrabit tibi. Altissimi regis virtus Christus est, qui per adventum spiritus sancti formatur in virgine.

Gregorius moralium. Per obumbrationis enim vocabulum, incarnandi dei utraque natura significatur: umbra enim a lumine formatur et corpore; dominus autem per divinitatem lumen est: quia ergo lumen incorporeum in eius erat utero incorporandum, recte ei dicitur virtus altissimi obumbrabit tibi; idest, corpus in te humanitatis accipiet incorporeum lumen divinitatis: hoc enim mariae dicitur propter mentis refrigerium caelitus datum.

Beda. Non ergo virili, quod non cognoscis, semine, sed spiritus sancti, quo impleris, opere concipies: concupiscentiae in te non erit aestus, ubi umbram faciet spiritus sanctus.

Gregorius nyssenus. vel dicit obumbrabit tibi: quia sicut corporis umbra praecedentium caractere conformatur, ita indicia deitatis filii ex virtute generandi patebunt. Sicut enim in nobis quaedam vivifica virtus in materia corporali conspicitur qua homo formatur, sic in virgine altissimi virtus per vivificantem spiritum pariter corpori insitam materiam carnis ex virgineo corpore ad formandum novum hominem assumpsit: unde sequitur ideoque et quod nascetur ex te sanctum.

Athanasius. profiteamur enim quoniam naturae humanae assumptum ex Maria corpus verissimum extitit, et idem secundum naturam corpori nostro: soror namque nostra Maria est, cum omnes ab adam descenderimus.

Basilii lib. de spir. S. Unde et paulus dicit quoniam misit deus filium suum natum non per mulierem, sed ex muliere. Nam hoc quod dico: per mulierem, transituram poterat indicare nativitatis sententiam; quod autem dicitur ex muliere, manifestat communionem naturae geniti respectu parentis.

Gregorius moralium. ad distinctionem autem nostrae sanctitatis, iesus singulariter sanctus nasciturus asseritur: nos quippe etsi sancti efficimur, non tamen nascimur, quia ipsa naturae corruptibilis cognatione constringimur: ille autem solus veraciter sanctus natus est qui ex coniunctione carnalis copulae conceptus non est; qui non, sicut haereticus desipit, alter in humanitate, alter in deitate est; ut purus homo conceptus atque editus, et post per meritum ut deus esset accepit: sed nuntiante angelo, et adveniente spiritu, mox verbum in utero, mox intra uterum verbum caro: unde sequitur vocabitur filius dei.

Theophylactus. vide quomodo sanctam trinitatem declaravit, non solum spiritum sanctum commemorans, sed et virtutem, idest filium, et altissimum, scilicet patrem.

LUCA 1,36-38

9136 (Lc 1,36-38)

Chrysostomus. Quoniam praecedens dictum superabat virginis mentem, ad humiliora declinavit

sermonem, per sensibilia ipsi suadens: unde dicit et ecce elisabeth cognata tua. Animadvertite gabrielis industriam: non memoravit eam sarae vel rebeccaе vel rachelis, quia antiquiora erant exempla: sed imminens factum inducit, ut eius mentem corroboret, et ob hoc et aetatem commemoravit, cum dicit et ipsa concepit filium in senectute sua: et defectum naturae, sequitur enim et hic mensis est sextus illi quae vocatur sterilis. Non enim a principio conceptus elisabeth statim annuntiavit, sed acto sex mensium spatio, ut tumor ventris perhibeat argumentum.

Gregorius nazianzenus. Sed quaeret aliquis: qualiter ad david Christus refertur? siquidem Maria de sanguine manavit aaron, cuius cognatam angelus elisabeth asseruit. Sed hoc nutu superno contingit ut regium genus sacerdotali stirpi iungeretur, ut Christus qui rex est et sacerdos, ab utrisque secundum carnem nasceretur. Legitur etiam in exodo, quoniam aaron primus secundum legem sacerdos duxit ex tribu iudae coniugem elisabeth filiam aminadab; et attende sacratissimam spiritus administrationem, dum et hanc zachariae coniugem statuit elisabeth vocari, reducens nos ad illam elisabeth quam duxerat aaron.

Beda. sic ergo, ne virgo se parere posse diffidat, accepit exemplum sterilis anus pariturae, ut discat omnia Deo possibilis esse, etiam quae naturae ordini videntur esse contraria: unde sequitur quia non erit impossibile apud deum omne verbum.

Chrysostomus. Ipse namque cum sit naturae dominus, cuncta potest cum velit, qui cuncta peragit et disponit, vitae mortisque lora gubernans.

Augustinus contra faustum. Quisquis autem dicit: si omnipotens deus est, faciat ut ea quae facta sunt, facta non fuerint: non percipit se dicere ut ea quae vera sunt, eo ipso quod vera sunt, falsa sint. Potest enim facere quod aliquid non sit quod erat: velut cum aliquem qui coepit esse nascendo, faciat non esse moriendo. Quis autem dicat ut id quod iam non est, faciat non esse? quidquid enim praeteritum est, iam non est; si de ipso fieri aliquid potest, adhuc est de quo fiat. Et si est, quomodo praeteritum est? non ergo est quod vere diximus fuisse; sed ideo verum est illud fuisse, quia in nostra sententia verum est, non in ea re quae iam non est: hanc autem sententiam deus falsam facere non potest. Omnipotentem autem deum non ita dicimus ac si eum etiam mori posse credamus. Ille plane omnipotens vere solus dicitur qui vere est, et a quo solo est quidquid aliquo modo est.

Ambrosius. Vide autem humilitatem virginis, vide devotionem: sequitur enim dixit autem maria: ecce ancilla domini. ancillam se dicit quae mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est. Mitem enim humilemque paritura, humilitatem debuit etiam ipsa praeferre: simul etiam ancillam se dicendo, nullam sibi praerogativam tantae gratiae vindicavit, quin faceret quod iuberetur: unde sequitur fiat mihi secundum verbum tuum. habes obsequium, vide votum. Ecce ancilla domini, apparatus officii est; fiat mihi secundum verbum tuum, conceptus est voti.

Eusebius. Alius aliud quiddam in praesenti sermone virginis extollet apicibus; hic quidem constantiam, hic obedientiae promptitudinem; alius quod non allecta est tam splendidis et arduis per magnum archangelum promissis pollicitis; alius quod non excessit modum in dando instantias, sed aequaliter cavit et evae levitatem et zachariae inobedientiam: mihi autem humilitatis profunditas non minus conspicitur admiranda.

Gregorius moralium. per ineffabile namque sacramentum concepto sancto partu inviolabili secundum veritatem utriusque naturae, eadem virgo ancilla domini fuit et mater.

Beda. Accepto autem virginis consensu, mox angelus caelestia repetit: unde sequitur et discessit ab illa angelus.

Eusebius. non solum impetrans quod optabat, sed stupens in virginea forma, et virtutis plenitudine.

LUCA 1,39-45

9139 (Lc 1,39-45)

Ambrosius. Angelus cum abscondita nuntiaret, ut fides astrueretur, exemplo feminae sterilis conceptum virgini nuntiavit. Ubi hoc audivit maria, non quasi incredula de oraculo, nec quasi incerta de nuntio, nec quasi dubitans de exemplo; sed quasi laeta pro voto, religiosa pro officio, festina prae gaudio in montana perrexit: unde dicitur exurgens autem Maria in diebus illis abiit in montana. Quo enim, iam Deo plena, nisi ad superiora cum festinatione conscenderet? **Origenes** in lucam. iesus enim, qui in utero illius erat,

festinabat adhuc in ventre matris iohannem positum sanctificare: unde sequitur cum festinatione.

Ambrosius. Nescit tarda molimina spiritus sancti gratia. Discite, virgines, non circumcursare per alienas aedes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones.

Theophylactus. propter hoc abiit in montana, quia zacharias in montanis habitabat, unde sequitur in civitatem iuda, et intravit in domum zachariae.

Ambrosius. Discite vos, sanctae mulieres, sedulitatem, quam praegnantibus debeatis exhibere cognatis. Mariam autem quae sola in intimis penetralibus versabatur, non a publico virginitatis pudor, non a studio asperitas montium, non ab officio prolixitas itineris retardavit. discite etiam, virgines, humilitatem mariae: venit propinqua ad proximam, iunior ad seniore; nec solum venit, sed et prior salutavit: unde sequitur et salutavit elisabeth. Decet enim ut quanto castior virgo, tanto humilior sit, noveritque deferre senioribus. Sit magistra humilitatis in qua est professio castitatis. est etiam causa pietatis: quia superior venit ad inferiorem, ut inferior adiuvetur; Maria ad elisabeth; Christus ad iohannem.

Chrysostomus super matth.. vel aliter celabat quae supra dicta sunt in se virgo, nec cuiquam hominum pandit: non enim credebat ab aliis posse fidem adhiberi mirandis relatibus; immo magis putabat se pati convicia si diceret, quasi volens scelus proprium palliare.

Graecus. ad solam autem refugit elisabeth: sic enim consueverat propter cognationem, et propter ceteram huiusmodi coniunctionem.

Ambrosius. Cito autem adventus mariae, et praesentiae dominicae beneficia declarantur: nam sequitur et factum est, ut audivit salutationem mariae elisabeth, exultavit infans in utero eius. Vide distinctionem, singulorumque verborum proprietates. vocem prior elisabeth audivit, sed iohannes prior gratiam sensit; illa naturae ordine audivit, iste exultavit ratione mysterii; illa mariae, iste domini sensit adventum.

Graecus. Propheta enim parente acutius videt et audit, salutaturque prophetatum; sed quoniam verbis non poterat, saltat in utero; quod maximum existit in gaudio. Quis unquam novit tripudium nativitate antiquius? insinuavit gratia quae naturae ignota extiterant; reclusus ventre miles agnovit dominum ac regem oriturum, ventris tegmine non obstante mysticae visioni: inspexit enim non palpebris, sed spiritu.

Origenes. Non autem antea repletus fuerat spiritu donec assisteret quae Christum gerebat in utero; tunc autem et spiritu erat plenus, et resultabat in parente: unde sequitur et repleta est spiritu sancto elisabeth. Non autem dubium est quin quae tunc repleta est spiritu sancto, propter filium sit repleta.

Ambrosius. Illa autem quae se occultaverat et conceperat filium, iactare se coepit, quia gerebat prophetam; et quae erubescerat ante, benedicit: unde sequitur et exclamavit voce magna, et dixit: benedicta tu inter mulieres. Magna voce clamavit, ubi domini sensit adventum, quia religiosum credidit partum.

Origenes. dicit autem benedicta tu inter mulieres: nulla enim unquam tantae fuit gratiae particeps aut esse poterit; unius enim divini germinis parens est unica.

Beda. Eadem autem voce ab elisabeth qua a gabriele benedicitur, quatenus et angelis et hominibus veneranda monstretur.

Theophylactus. Quia vero aliae sanctae mulieres fuerunt, quae tamen genuerunt filios peccato inquinatos, subiungit et benedictus fructus ventris tui. vel aliter intelligitur. Dixerat benedicta tu inter mulieres; deinde quasi interrogante aliquo, quare, subiungit et benedictus fructus ventris tui, sicut dicitur in psalmo 117, 26-27: benedictus qui venit in nomine domini, deus dominus, et illuxit nobis. Consuevit enim sacra scriptura et pro quia recipere.

Origenes. fructum autem ventris dei genitricis dominum dixit: quia nequaquam ex viro, sed ex sola Maria processit: nam qui semen sumpserunt a patribus, fructus eorum existunt.

Graecus. Solus ergo hic fructus benedictus: quia absque viro et absque peccato producitur.

Beda. Iste est fructus, qui david promittitur: de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Severus. In qua parte emergit eutyphis redargutio, dum fructus ventris Christus asseritur omnis enim fructus est eiusdem naturae cum planta: unde et virginem relinquatur eiusdem fuisse naturae cum secundo adam, qui tollit peccata mundi. sed et qui phantasticam opinionem de carne Christi confingunt, in vero dei genitricis partu

erubescant; nam ipse fructus ex ipsa substantia procedit arboris. ubi sunt etiam dicentes, quasi per aquaeductum Christum transisse per virginem? advertant ex dictis elisabeth, quam replevit spiritus, Christum fructum fuisse ventris. sequitur unde hoc mihi ut veniat mater domini mei ad me? **Ambrosius.** non quasi ignorans dicit: scit enim esse sancti spiritus gratiam et operationem, ut mater domini matrem prophetae ad profectum sui pignoris salutet: sed quasi non humani hoc meriti, sed divinae gratiae munus esse cognoscat, ita dicit unde hoc mihi: hoc est qua iustitia, quibus factis, pro quibus meritis? **Origenes.** Convenit autem hoc dicens cum filio; nam et ioannes indignum se sentiebat adventu Christi ad ipsum. Matrem autem domini nuncupat adhuc virginem existentem, praeoccupans eventum ex dicto prophetico. divina autem promissio duxerat mariam ad elisabeth, ut ioannis testimonium ab utero perveniret ad dominum; ex tunc enim ioannem dominus in prophetam constituit: unde sequitur ecce enim, ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit infans in utero meo.

Augustinus ad dardanum. hoc autem ut diceret, sicut evangelista praelocutus est, repleta est spiritu sancto; quo proculdubio revelante cognovit quid illa exultatio significasset; idest, infantis illius venisse matrem, cuius ipse praecursor, et demonstrator esset futurus. Potuit ergo esse ista significatio rei tantae a maioribus cognoscendae, non a parvulo cognitae: non enim dixit: exultavit in fide infans in utero meo, sed exultavit in gaudio. Videmus autem exultationem non solum parvulorum, sed etiam pecorum: non utique de aliqua fide vel religione, vel quacumque rationabili cognitione venientem. sed haec inusitata et nova extitit, quia in utero, et eius adventu quae omnium salvatorem fuerat paritura. Ideo haec exultatio, et tamquam matri domini reddita resalutatio, sicut solent miracula fieri, facta est divinitus in infante, non humanitus ab infante; quamquam etiam si usque adeo in illo puero est acceleratus usus rationis et voluntatis ut intra viscera materna iam posset agnoscere, credere et consentire, etiam hoc in miraculis habendum divinae potentiae, non ad humanae tradendum exemplar naturae.

Origenes. venerat autem mater domini visura elisabeth miraculosum conceptum, quem retulerat angelus, ut per hoc sequatur credulitas potioris ad virginem manaturi: et ad hanc fidem facit sermo elisabeth, dicentis et beata quae credidisti, quoniam perficientur ea quae dicta sunt tibi a domino.

Ambrosius. Vides minime dubitasse mariam, sed credidisse; et ideo fructum fidei consecutam.

Beda. nec mirum, si dominus redempturus mundum, operationem suam inchoavit a matre; ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret ex pignore.

Ambrosius. Sed et vos beati qui audivistis et credidistis: quaecumque enim crediderit anima, et concipit et generat dei verbum, et opera eius agnoscit.

Beda. omnis autem anima quae verbum dei mente concepit, virtutum statim celsa cacumina gressu conscendit amoris, quatenus civitatem iuda, idest confessionis et laudis arcem, penetrare, et usque ad perfectionem fidei, spei et caritatis, quasi tribus in ea mensibus valeat commorari.

Gregorius super ezech.. Simul et de praeterito et de praesenti et de futuro per prophetiae spiritum tacta est, quae et eam promissionibus angeli credidisse cognovit, et matrem nominans, quia redemptorem humani generis in utero portaret, intellexit: et cum omnia perficienda praediceret, quid etiam de futuro sequeretur aspexit.

LUCA 1,46

9146 (Lc 1,46)

Ambrosius. Sicut peccatum a mulieribus coepit, ita et bona a mulieribus inchoantur: unde non otiosum videtur quod et ante ioannem elisabeth prophetizat, et Maria ante domini generationem. sequitur autem ut mariae quo persona melior, eo prophetia sit plenior.

Basilus. virgo enim intentione sublimes ac speculatione profunda immensitatem contemplans mysterii, quasi profundius gradiens, magnificat deum: unde dicitur et ait maria: magnificat anima mea dominum.

Graecus. Quasi diceret: mirabilia quae deus praenuntiavit, in meo corpore exercent; sed anima mea infructuosa apud deum non erit. Convenit autem mihi et voluntatis fructum afferre: nam quantum amplo doceor miraculo, tantum teneor glorificare in me mirabilia operantem.

Origenes in lucam. Si autem dominus nec augmentum nec detrimentum recipere potest; quid est quod

Maria loquitur magnificat anima mea dominum? sed si considerem dominum salvatorem imaginem esse invisibilis dei, et animam factam ad eius imaginem, ut sit imago imaginis: tunc videbo quoniam, in exemplo eorum qui solent imagines pingere, quando magnificavero animam meam opere, cogitatione, sermone, tunc imago dei grandis efficitur, et ipse dominus, cuius imago est in anima mea, magnificatur.

LUCA 1,47

9147 (Lc 1,47)

Basilius. Primus spiritus fructus est pax et gaudium. Quia ergo virgo sancta totam sibi hauserat spiritus gratiam, merito subiungit et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Idem animam dicit et spiritum. Consueta autem in scripturis exultationis prolatio insinuat alacrem quemdam et iocosum habitum animae in his qui digni sunt. Proinde virgo exultat in domino ineffabili cordis tripudio et resultatione in strepitu honesti affectus. sequitur in Deo salutari meo.

Beda. quia eiusdem iesu, idest salvatoris, spiritus virginis aeterna divinitate laetatur, cuius caro temporali conceptione foetatur.

Ambrosius. magnificat ergo anima mariae dominum, et exultat spiritus eius in deo: eo quod anima et spiritu patri filioque devota, unum deum, per quem omnia, pio veneratur affectu. Sit autem in singulis mariae anima, ut magnificet dominum, sit in singulis spiritus mariae, ut exultet in domino. Si secundum carnem una mater est Christi, secundum fidem tamen omnium fructus est Christus: omnis enim anima accipit dei verbum; si tamen immaculata et immunis a vitiis sit, et intemerato castimoniam pudore custodiat.

Theophylactus. ille autem deum magnificat, qui digne sequitur Christum, et dum Christianus vocatur, Christi non minuit dignitatem, magna et caelestia operando; et tunc spiritus eius, idest spirituale chrisma exultabit, idest proficiet, et non mortificabitur.

Basilius. Si quando vero lux in cor suum irrepserit, et ad deum diligendum, et contemnenda corporea per illam obscuram et brevem imaginem perfectam perceperit iustorum conscientiam, absque ulla difficultate consequetur in domino gaudium.

Origenes. prius autem anima magnificat dominum, ut postea exultet in deo: nisi enim antea crediderimus, exultare non possumus.

LUCA 1,48

9148 (Lc 1,48)

Graecus. Causam manifestat cur se magnificare deum deceat ac exultare in illo, dicens quia respexit humilitatem ancillae suae; quasi diceret: ipse providit, non ego expectavi; humilibus eram contenta. nunc autem ad ineffabile consilium eligor, et exaltor de terra ad sidera.

Augustinus. o vera humilitas, quae deum hominibus peperit, vitam mortalibus edidit, caelos innovavit, mundum purificavit, paradysum aperuit, et hominum animas liberavit. Facta est mariae humilitas scala caelestis, per quam deus descendit ad terras. Quid enim est dicere respexit, nisi approbavit? multi enim videntur in conspectu hominum humiles esse; sed eorum humilitas a domino non respicitur. Si enim veraciter humiles essent deumque ab hominibus non se laudari vellent; non in hoc mundo, sed in Deo spiritus eorum exultaret.

Origenes in lucam. sed quid humile atque deiectum habebat quae dei filium gestabat in utero? sed considera quoniam humilitas in scripturis una de virtutibus praedicatur, quae a philosophis atyphia, sive metriotis, dicitur. Sed et nos eam possumus appellare quodam circuitu, cum aliquis non est inflatus, sed ipse se deicit.

Beda. Cuius autem humilitas respicitur, recte beata ab omnibus cognominatur: unde sequitur ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Athanasius. Si enim secundum prophetam beati sunt qui habent semen in sion, et proximos in ierusalem: quantum debet esse praeconium divinae ac sacrosanctae virginis mariae, quae secundum carnem verbi

genitrix est effecta? Graecus. Non autem se beatam appellat inani vexata gloria: unde enim focus in ipsa superbiae, quae se ancillam domini nuncupavit? sed sacro tacta spiritu quae futura sunt praescivit.

Beda. decebat enim ut, sicut per superbiam primi parentis mors in mundum intravit, ita per humilitatem mariae vitae introitus videretur.

Theophylactus. et ideo dicit omnes generationes; non solum elisabeth, sed etiam omnes credentium nationes.

LUCA 1,49

9149 (Lc 1,49)

Theophylactus. Ostendit virgo non per suam virtutem se beatam praedicandam; sed causam assignat, dicens quia fecit mihi magna qui potens est. Quae tibi magna fecit? credo ut creatura ederes creatorem, famula dominum generares, ut per te mundum deus redimeret, per te illuminaret, per te ad vitam revocaret. Titus. Quomodo vero magna, nisi quod manens illibata concipio, superans nutu dei naturam? digna reputata sum sine viro, non quomodocumque genitrix effici, sed unigeniti salvatoris.

Beda. Respicit autem hoc ad initium carminis, ubi dictum est magnificat anima mea dominum: sola enim anima illa cui dominus magna facere dignatur, dignis eum praeconiis magnificare potest. Titus. Dicit autem qui potens est, ut si quis diffidat in conceptionis negotio, dum virgo manens concepit, retorqueat miraculum ad potentiam operantis. nec quia unigenitus accessit ad feminam, ex hoc inquinatur: quia sanctum est nomen eius.

Basilius. Sanctum vero dicitur nomen dei, non quia in syllabis quamdam significativam virtutem contineat, sed quia quomodolibet dei speculatio sancta dignoscitur et sincera.

Beda. singularis enim potentiae culmine transcendit omnem creaturam, et ab universis quae fecit lege segregatur; quod graeca locutione melius intelligitur: in quo ipsum verbum quod dicit agion, quasi extra terram esse significat.

LUCA 1,50

9150 (Lc 1,50)

Beda. A specialibus se donis ad generalia dei iudicia convertens, totius humani generis statum describit, subdens et misericordia eius a progenie in progenies timentibus eum; quasi dicat: non solum mihi fecit magna qui potens est, sed et in omni gente qui timet deum acceptus est illi.

Origenes in lucam. misericordia enim dei, non in una generatione, sed in sempiternum extenditur a generatione in generationem.

Graecus. Et misericordia eius, quam habet in generationes generationum, ego concipio; ac ipse corpori animato coniungitur, nostram tractans salutem solius intuitu pietatis. Miseretur autem non qualitercumque, sed his quos timor eius compescuit in qualibet natione: unde dicitur timentibus eum; qui scilicet poenitentia ducti, ad fidem et poenitentiam convertuntur; nam qui obstinati sunt, incredulitatis vitio clauserunt sibi ianuam pietatis.

Theophylactus. Vel per hoc innuit, quod timentes misericordiam consequenter in generatione ista, idest in praesenti saeculo, et futura, idest in saeculo futuro; in hoc saeculo centuplum accipientes, in illo vero multo maiora.

LUCA 1,51

9151 (Lc 1,51)

Beda. Humani generis statum describens, quid superbi et quid humiles mereantur, ostendit dicens fecit

potentiam in brachio suo, idest in ipso dei filio: sicut enim tuum brachium est quo operaris, sic brachium dei dictum est eius verbum, per quod operatus est mundum.

Origenes in lucam. Timentibus autem se fecit potentiam in brachio suo: quia licet infirmus ad deum accesseris, si timueris eum, promissam virtutem consequeris.

Theophylactus. In brachio suo, scilicet eius filio incarnato, potentiam fecit: quia natura devicta est, virgine pariente et Deo humanato.

Graecus. Vel dicit fecit pro faciet potentiam; non ut dudum per moysen contra aegyptios, nec per angelum, puta quando multa millia rebellium prostravit assyriorum, nec quoquam alio mediante, nisi in proprio brachio triumphum docuit, intelligibiles hostes superando; unde sequitur dispersit superbos mente cordis sui, scilicet quamlibet mentem elatam, non parentem eius adventui; quin etiam aperuit, et vitiosas ostendit superbas cogitationes eorum.

Cyrillus. magis autem proprie de daemonum hostili caterva intelligenda sunt haec: hos enim saevientes in terra dissipavit adveniens dominus, et compeditos ab eis obedientiae suae restituit.

Theophylactus. potest hoc etiam et de iudaeis intelligi, quos in omnem dispersit regionem sicut nunc dispersi sunt.

LUCA 1,52

9152 (Lc 1,52)

Beda. Quod dixit fecit potentiam in brachio suo, et quod praemiserat, et misericordia eius a progenie in progenies, his versiculis per singula continuata est annectendum: quia scilicet per omnes saeculi generationes et perire superbi, et humiles exaltari, pia iustaque divinae potentiae dispensatione non cessant: unde dicitur deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

Cyrillus. Magna sapiebant daemones et diabolus, gentilium sapientes, pharisaei et scribae: hos tamen deposuit, erexitque humiliantes se sub potenti manu dei, dans illis virtutem calcandi serpentes et scorpiones, omnemque potestatem inimici. Erant et quandoque iudaei potestate superbi; sed prostravit hos incredulitas; ex gentibus autem ignobiles et humiles per fidem ad apicem conscenderunt.

Graecus. Deitatis enim tribunal noster intellectus esse cognoscitur; sed iniquae virtutes post transgressionem incubuerunt praecordiis protoplasti, tamquam in proprio solio. Ob hoc ergo venit dominus, et spiritus iniquos eiecit a sedibus voluntatum, et prostratos a daemoneis exaltavit, eorum conscientias purgans, et eorum mentem statuens propriam sedem.

LUCA 1,53

9153 (Lc 1,53)

Glossa. Quia humana prosperitas praecipue in honoribus potentatum et in abundantia divitiarum consistere videtur, post deiectionem potentium et exaltationem humilium de divitum exinanitione et pauperum repletionem mentionem facit, dicens esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.

Basilius super psal.. disponit quidem nos praesens verbum etiam quoad sensibilia, edocens rerum mundanarum incertitudinem. Caduca siquidem sunt haec, sicut unda quae ab impetu ventorum hinc inde diffunditur. intellectualiter autem sumendo, esuriebat genus humanum, exceptis iudaeis: hos namque ditaverat legis traditio, et sanctorum dogmata prophetarum. Quia vero non humiliter haeserunt verbo humanato, dimissi sunt inanes, nihil deferentes, non fidem, non scientiam: et spe bonorum privati sunt, et a terrena ierusalem et a vita futura exclusi. Quos vero de gentibus fames et sitis contriverat, cum haesissent domino, repleti sunt spiritualibus bonis.

Glossa. Qui etiam aeterna toto studio quasi esurientes desiderant, saturabuntur, cum Christus apparuerit in gloria; sed qui terrenis gaudent, in fine totius beatitudinis inanes dimittentur.

LUCA 1,54-55

9154 (Lc 1,54-55)

Glossa. Post generalem divinae pietatis et iustitiae commemorationem, ad singularem novae incarnationis dispensationem convertit verba, dicens suscepit israel puerum suum: quasi medicus aegrum, visibilis inter homines factus, ut faceret israel, idest videntem deum, puerum suum.

Beda. Obedientem scilicet, et humilem: nam qui contemnit humiliari, non potest salvari.

Basiliius. Israel enim dicit non materiale, quem sola nobilitabat appellatio, sed spirituale, qui nomen fidei retinebat, habens oculos tendentes ad deum videndum per fidem. potest etiam ad israel carnalem hoc adaptari, cum ex eo infiniti crediderunt. hoc autem fecit recordatus misericordiae suae: hoc enim implevit quod abrahamae promisit, dicens: quoniam benedicentur in semine tuo omnes cognationes terrae. Huius ergo promissionis, dei genitrix recordata dicebat sicut locutus est ad patres nostros, abraham, et semini eius in saecula. Nam et abrahamae dictum est: statuam pactum meum inter me et te, et inter semen tuum post te in generationibus suis foedere sempiterno, ut sim deus tuus et seminis tui post te.

Beda. Semen autem dicit non tam carne progenitos, quam fidei eius vestigia secutos quibus adventus salvatoris in saecula promissus est.

Glossa. Quia ipsa promissio haereditatis nullo fine claudetur, et usque in finem saeculi credentes non deerunt, et beatitudinis gloria erit perennis.

LUCA 1,56

9156 (Lc 1,56)

Ambrosius. Tamdiu mansit maria, quamdiu elisabeth pariendi tempus impleret; unde dicitur mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus.

Theophylactus. in sexto enim mense conceptionis praecursoris venit angelus ad mariam; quae mansit cum elisabeth mensibus tribus; et sic novem menses implentur.

Ambrosius. non autem sola familiaritas est causa quod diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus: nam si primo ingressu tantus profectus extitit, ut ad salutationem mariae exultaret infans in utero, repletur spiritu sancto mater infantis; quantum putamus usu tanti temporis sanctae mariae addidisse praesentiam? bene ergo inducitur exhibuisse officium, et mysticum numerum custodisse.

Beda. Anima enim casta quae spiritualis verbi desiderium concipit, necesse est ut alta caelestis exercitus iuga subeat, et quasi trium mensium dies ibidem demorata, quousque fidei et spei et caritatis luce radietur, perseverare non desistat.

Theophylactus. quando vero elisabeth paritura erat, virgo recessit; unde sequitur et reversa est in domum suam; scilicet propter multitudinem quae ad partum congregari debebat; inconveniens autem erat in talibus virginem esse praesentem.

Graecus. Mos enim est virginibus cedere quoties praegnans parit. Ut autem propriam applicuit domum, alio quidem nullatenus abiit; ibi vero manebat ulterius, donec adesse partus horam cognovit, ubique ioseph dubitans ab angelo edocetur.

LUCA 1,57-58

9157 (Lc 1,57-58)

Ambrosius. Si diligenter advertas plenitudinis verbum, nusquam invenies positum nisi in generatione iustorum; unde et nunc dicitur elisabeth autem impletum est tempus pariendi: plenitudinem enim habet iusti vita; inanes autem sunt dies impiorum.

Chrysostomus. Idcirco autem deus elisabeth partum retardavit, ut gaudium augetur, et famosiores faceret mulierem; unde sequitur et audierunt vicini et cognati eius quia magnificavit dominus misericordiam suam cum illa, et congratulabantur ei. Nam qui sterilitatem eius cognoverant, testes divinae gratiae sunt effecti. Nemo autem viso infante cum silentio discedebat; sed deum, qui illum ex insperato concesserat, collaudabat.

Ambrosius. Habet enim sanctorum editio laetitiam plurimorum, quoniam commune est bonum: iustitia enim communis est virtus; et ideo in ortu iusti futurae vitae insigne praemittitur, et gratia securae virtutis, exaltatione vicinorum praefigurante signatur.

LUCA 1,59-64

9159 (Lc 1,59-64)

Chrysostomus. Circumcisionis norma primo tradita est abrahamae in signum distinctionis, ut genus patriarchae impermixtum conservetur, et sic promissa bona consequi valeant; ubi autem pacti consummatur negotium, appositum signum de medio tollitur: sic igitur et per Christum circumcissione cessante baptismus succedit; sed antea iohannem circumcidi decebat; unde dicitur et factum est, in die octavo venerunt circumcidere puerum. Dixerat enim dominus: infans octo dierum circumcidatur in vobis. Hanc autem temporis mensuram a divina clementia constitutam autumo duplici de causa: primo quidem ut in tenerrima aetate levius patiatur dolorem sectionis carnis; secundo ut ex ipsis operibus moneamur quoniam hoc agebatur in signum: tener enim puer minime discernit quae circa ipsum fiunt. Post circumcissionem autem nomen imponebatur; unde sequitur et vocabant eum nomine patris sui zachariam. hoc autem ideo fiebat, quia prius oportet sumere signaculum domini, et postea nomen humanum: vel quia nullus, nisi prius abiciat carnalia, quod significat circumcisio, dignus est quod in libro vitae nomen eius scribatur.

Ambrosius. Mire autem sanctus evangelista praemittendum putavit quod plurimi infantem patris nomine zachariam appellandum putarunt; ut advertas, matri non nomen alicuius displicuisse de genere; sed id sancto infusum spiritu, quod ab angelo ante zachariae fuerat praenuntiatum. Et quidem ille mutus intimare vocabulum filii nequivit uxori; sed per prophetiam elisabeth didicit quod non didicerat a marito: unde sequitur et respondens mater eius dixit: nequaquam; sed vocabitur iohannes. Nec mireris, si nomen mulier quod non audivit asseruit, quando spiritus ei sanctus, qui angelo mandaverat, revelavit: neque poterat domini ignorare praenuntium, qui prophetaverat Christum. Et bene sequitur et dixerunt ad illam: quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine: ut intelligas nomen non generis esse, sed vatis. Zacharias quoque nutu interrogatur: unde sequitur innuebant autem patri eius quem vellet vocari eum. Sed quia incredulitas ei affatum eripuerat, et auditum; quod voce non poterat, manu et litteris est locutus: unde sequitur et postulans pugillarem, scripsit dicens: iohannes est nomen eius: hoc est, non ei nos nomen imponimus qui iam a Deo nomen accepit.

Origenes in lucam. zacharias quidem interpretatur memor dei; iohannes autem significat demonstrantem: ceterum et absentis memoria, et praesentis demonstratio est. Debebat autem iohannes non memoriam dei ut absentis exprimere, immo digito demonstrare praesentem, dicens: ecce agnus dei.

Chrysostomus. Quin etiam hoc nomen iohannes gratia dei interpretatur. quod ergo, gratia divina favente, non natura, elisabeth hunc filium cepit, beneficii memoriam in nomine pueri conscripserunt.

Theophylactus. Quia vero cum muliere circa hoc nomen pueri pater mutus concordavit, sequitur et mirati sunt universi: nemo enim huius nominis erat in cognatione eorum, ut aliquis diceret quod antea hoc ambo cogitassent.

Gregorius nazianzenus. Editus ergo iohannes zachariae solvit silentium: unde sequitur apertum est autem illico os eius et lingua eius. Absurdum enim erat ut cum vox verbi progressa fuisset, pater maneret elinguis.

Ambrosius. Merito etiam continuo resoluta est lingua eius: quia quam vinxerat incredulitas, solvit fides. Credamus igitur et nos, ut lingua nostra, quae incredulitatis vinculis est ligata, rationis voce solvatur: scribamus spiritu mysteria, si volumus loqui. Scribamus praenuntium Christi, non in tabulis lapideis sed in tabulis cordis carnalibus: etenim qui iohannem loquitur, Christum prophetizat: sequitur enim et loquebatur benedicens deum.

Beda. Allegorice autem iohannis celebrata nativitas, gratia novi testamenti est inchoata; cui vicini et cognati

nomen patris quam ioannis imponere malebant: quia iudaei qui ei legis observatione, quasi affinitate, iuncti erant, magis iustitiam quae ex lege est sectari, quam fidei gratiam suscipere cupiebant. sed ioannis, hoc est gratiae dei, vocabulum, mater verbis, pater litteris nuntiare satagunt: quia et lex ipsa psalmique et prophetae apertis sententiarum vocibus gratiam Christi praedicant, et sacerdotium illud vetus figuratis caeremoniarum ac sacrificiorum umbris eidem testimonium perhibet. Pulchreque zacharias octavo die prolis editae loquitur: quia per domini resurrectionem, quae octava die, hoc est post septimum sabbati, facta est, occulta legalis sacerdotii arcana patuerunt.

LUCA 1,65-66

9165 (Lc 1,65-66)

Theophylactus. Sicut in taciturnitate zachariae miratus est populus, ita et cum locutus est: unde dicitur et factus est timor super omnes vicinos eorum, et super omnia montana iudaeae divulgabantur omnia verba haec: ut propter haec duo, magnum aliquid circa natum puerum universi existiment. Haec autem omnia dispensative fiebant, ut qui testis esse Christi debebat, existeret fide dignus: unde sequitur et posuerunt omnes qui audierant in corde suo, dicentes: quis, putas, puer iste erit? **Beda.** Praecurrentia enim signa praebent iter praecursori veritatis, et futurus propheta praemissis commendatur auspiciis: unde sequitur etenim manus domini erat cum illo.

Glossa. prodigia enim deus in illo peragebat, quae non faciebat ioannes, sed dextera divina.

Graecus. Mystice autem tempore divinae resurrectionis, praedicata gratia Christi, salubris timor non solum iudaeorum, qui erant vicini vel situ loci vel scientia legis, sed etiam exterarum gentium corda concussit; nec tantum montana iudaeae, sed omnia mundani regni, mundanaeque sapientiae culmina Christi fama transcendit.

LUCA 1,67-68

9167 (Lc 1,67-68)

Ambrosius. Bonus deus, et facilis indulgere peccatis, non solum ablata restituit, sed etiam insperata concedit. Nemo ergo diffidat, nemo veterum conscius delictorum praemia divina desperet. Novit deus mutare sententiam, si tu noveris emendare delictum: ille siquidem dudum mutus prophetizat: unde dicitur et zacharias pater eius repletus est spiritu sancto.

Chrysostomus. Scilicet operatione sancti spiritus; nec quocumque modo gratiam spiritus sancti nactus, sed ad plenum; et fulgebat in eo prophetiae donum: unde sequitur et prophetavit.

Origenes in lucam. plenus autem spiritu sancto zacharias duas prophetias generaliter nuntiat: primam de Christo, alteram de iohanne: quod manifeste de verbis illius probatur, in quibus quasi de praesenti, et quasi iam versaretur in mundo, loquitur de iohanne; et primo de salvatore, dicens benedictus dominus deus israel, quia visitavit et fecit redemptionem plebis suae.

Chrysostomus. Dum deum benediceret zacharias, visitationem dicit esse factam ab eo erga populum suum: sive materiales israelitas quis velit accipere, venit enim ad oves quae perierant domus israel; sive spirituales, idest fideles, qui digni fuerunt hac visitatione, efficacem erga se divinam provisionem facientes.

Beda. Visitavit autem dominus plebem suam quasi longa infirmitate tabescentem, et quasi venditam sub peccato, unci filii sui sanguine redemit: quod quia zacharias proxime faciendum cognoverat, prophético more quasi iam factum narrat. Dicit autem plebem suam, non quia veniens suam invenit, sed quia visitando suam fecit.

LUCA 1,69

9169 (Lc 1,69)

Theophylactus. Videbatur deus dormire, peccata multa respiciens; sed in novissimis incarnatus

temporibus excitatus est, et contrivit daemones, qui nos oderant: unde dicitur et erexit cornu salutis nobis in domo david pueri sui.

Origenes in lucam. Quia de semine david secundum carnem natus est Christus: unde dicitur cornu salutis nobis in domo david: sicut et alibi dictum est: vinea facta est in cornu, idest in iesu Christo.

Chrysostomus. cornu autem nominat potestatem, gloriam et famam, metaphorice a brutis animalibus illud accipiens, quibus loco muniminis et gloriae cornua deus dedit.

Beda. cornu etiam salutis regnum salvatoris Christi vocatur. Ossa siquidem omnia carne involuta sunt: cornu excedit carnem: et ideo cornu salutis regnum Christi vocatur, quo mundus et carnis gaudia superantur; in cuius figuram david et salomon cornu olei sunt in regni gloriam consecrati.

LUCA 1,70

9170 (Lc 1,70)

Theophylactus. Quod de domo david Christus nasceretur, michaeas mentionem facit dicens: et tu, bethlehem, terra iuda, nequaquam minima es; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum israel. Sed et omnes prophetae de incarnatione dixerunt: et ideo dicitur sicut locutus est per os sanctorum prophetarum.

Graecus. Per quod innuit, deum per illos esse locutum, et non esse humanum quod dixerunt.

Beda. Dicit autem qui a saeculo sunt: quia tota veteris testamenti scriptura prophetice de Christo processit: nam et ipse pater adam, et ceteri patrum, factis suis eius dispensationi testimonium reddunt.

LUCA 1,71

9171 (Lc 1,71)

Beda. Cum primo breviter praemisisset erexit cornu salutis nobis, continuo explanans quid dixerit, subdit salutem ex inimicis nostris; quasi dicat erexit nobis cornu, idest erexit nobis salutem ex inimicis nostris, et de manu omnium qui oderunt nos.

Origenes in lucam. non autem putemus nunc de corporalibus inimicis dici, sed de spiritualibus. Venit enim dominus iesus fortis in praelio destruere omnes inimicos nostros, ut nos de eorum insidiis et tentationibus liberos faceret.

LUCA 1,72-73

9172 (Lc 1,72-73)

Beda. Dixerat dominum, iuxta eloquia prophetarum, in domo david nasciturum: dicit eundem, ad explendum testamentum quod abraham disposuit, nos esse liberaturum: quia his praecipue patriarchis de suo semine vel congregatio gentium vel Christi est incarnatio promissa. Praemittitur autem david, quia abraham sanctus ecclesiae coetus est promissus; david autem, quod ex eo Christus nasciturus esset, audivit. Et ideo post id quod dictum est de david, subdit de abraham, dicens ad faciendam misericordiam cum patribus nostris.

Origenes in lucam. ego puto quod in adventu domini salvatoris et abraham et isaac et iacob fructi sint misericordia dei. Non est enim credibile ut qui prius viderunt diem illius et laetati sunt, postea in adventu ipsius nihil utilitatis acciperent: cum scriptum sit: pacem faciens per sanguinem crucis suae, sive super terram, sive in caelis.

Theophylactus. Christi etiam gratia se usque ad illos extendit qui mortui extiterunt quia per eum resurgemus non solum nos, sed et qui fuerunt ante mortui. fecit et misericordiam cum patribus nostris, secundum quod eorum spem et desiderium implevit: unde sequitur et memorari testamenti sui sancti, illius scilicet de quo dicitur: benedicens benedicam tibi et multiplicabo te. multiplicatus est enim abraham in omnibus gentibus per imitationem fidei eius adoptatis in filios: sed etiam patres videntes suos filios talia

beneficia recepisse, congaudent et recipiunt misericordiam in seipsis: unde sequitur iusiurandum quod iuravit ad abraham patrem nostrum daturum se nobis.

Basiliius. Nemo autem audiens quod iurasset dominus abraham, ad iurandum sit promptus: sicut enim furor de Deo dictus non significat passionem, sed punitionem; sic neque deus iurat ut homo, sed verbum eius loco iuramenti nobis ad veritatem exprimitur immutabili sententia quod promissum est approbans.

LUCA 1,74

9174 (Lc 1,74)

Chrysostomus. Quia exortum nobis cornu salutis ex domo david dixerat, ostendit quod per ipsum et gloriam participamus, et dispendia inimici vitavimus: unde dicit ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi. duo praedicta non facile reperiet aliquis sese comitantia: plures enim evitant pericula, sed vita gloriosa privantur; sicut sceleris patratores, qui de carcere ex indulgentia regia absolvuntur: e contra gaudent alii gloria, sed ob hanc periclitari coguntur; sicut milites bellicosi vitam inclytam amplexantes, securitate multoties caruerunt. Sed hoc cornu et salvat et glorificat: salvat quidem eripiens a manibus hostium, non leviter, sed mirifice, ut non sit ultra timendum: et hoc est quod dicit ut sine timore.

Origenes in lucam. Vel aliter. Crebro de hostium manu aliqui liberantur, sed non absque timore: cum enim metus et discrimen ante praecesserint, et sic de inimicorum manu quis eruatur, liberatus est quidem, sed non sine timore: ideo dixit, quod Christi adventus sine timore nos a manibus hostium eripi fecit. Non enim eorum insidias sensimus, sed repente ab eis nos segregans eduxit ad sortis propriae mansionem.

LUCA 1,75

9175 (Lc 1,75)

Chrysostomus. Glorificat zacharias dominum, quia fecit nos sibi servire cum plena fiducia, non carnaliter, ut iudaei in sanguine victimarum, sed spiritualiter in bonis operibus: et hoc est quod dicit in sanctitate et iustitia: est enim sanctitas apta circa deum aequitas; iustitia vero quae est circa homines, puta quod aliquis reverenter exequatur divina, et quo ad homines laudabiliter conversetur. Dicit autem non coram hominibus, ut hypocritae volentes hominibus placere, sed coram deo, sicut hi quorum commendatio non est ab hominibus, sed a deo; et hoc non semel aut ad tempus, sed singulis diebus et quamdiu vixerint: unde dicit omnibus diebus nostris.

Beda. Nam qui vel ante mortem ab eius servitio discedit, vel immunditia qualibet sive iniustitia fidei suae sinceritatem commaculat, vel coram hominibus tantum et non coram deo, sanctus et iustus esse contendit, nondum perfecte de manu spiritualium inimicorum liberatus domino servit, sed exemplo veterum samaritanorum diis gentium pariter et domino servire conatur.

LUCA 1,76

9176 (Lc 1,76)

Ambrosius. Pulchre cum de domino prophetaret, ad prophetam sua verba convertit, ut hoc quoque beneficium esse domini designaret; ne cum publica numeraret, sua quasi ingratus tacuisse videretur; unde dicitur et tu, puer, propheta altissimi vocaberis.

Origenes in lucam. ideo reor zachariam festinasse ut loqueretur ad puerum, quia sciebat eum post paululum in eremo moraturum, nec se eius posse habere praesentiam.

Ambrosius. Sed fortasse aliqui quasi irrationabilem mentis excessum putent quod octo dierum infantem alloquitur; verum si tenemus superiora, intelligimus profecto quod potuit vocem patris natus audire, qui mariae salutationem antequam nasceretur audivit. Sciebat propheta alias esse aures prophetae, quae

spiritu dei, non corporis aetate reserantur. Habebat intelligendi sensum qui exultandi habebat affectum.

Beda. Nisi forte putandus est zacharias propter eos qui aderant potius instruendos futura sui filii munera, quae dudum per angelum didicerat, mox ut loqui potuit, praedicare voluisse. Audiant ariani, quod Christum quem iohannes prophetando praeibat, altissimum vocat, sicut in psalmo 86, 5 dicitur: homo natus est in ea, et ipse fundavit eam altissimus.

Chrysostomus. Sicut autem regibus commilitones sunt qui eis viciniore existunt, sic iohannes cum esset amicus sponsi, de prope eius adventum praecessit: et hoc est quod subditur praeibis enim ante faciem domini parare vias eius. Alii enim prophetae eminus Christi mysterium praedicaverunt; hic vero proprius praedicavit, ut et Christum videret, et eum ceteris indicaret.

Gregorius moralium. quisquis autem praedicando a sordibus vitiorum corda audientium mundat, venienti sapientiae ad cor viam praeparat.

LUCA 1,77

9177 (Lc 1,77)

Theophylactus. Qualiter praecursor viam domini praeparavit, exponit subdens ad dandam scientiam salutis plebi eius. Salus dominus iesus est; data est autem plebi scientia salutis idest Christi, a iohanne, qui testimonium perhibebat de Christo.

Beda. Quasi iesu, idest salvatoris, nomen exponere et diligentius commendare desiderans, salutis mentionem frequentat. Sed ne temporalem salutem promitti putarent, subdit in remissionem peccatorum eorum.

Theophylactus. Non enim aliter cognitus esset deus, nisi plebi peccata dimisisset: dei enim est peccata dimittere.

Beda. Verum iudaei non Christum suscipere, sed antiChristum malunt expectare: quia non intus a peccati dominio, sed foris ab humanae servitutis iugo cupiunt liberari.

LUCA 1,78

9178 (Lc 1,78)

Theophylactus. Quia deus peccata nobis dimisit, non propter opera nostra, sed propter misericordiam suam; ideo convenienter addidit per viscera misericordiae dei nostri.

Chrysostomus. Quam quidem misericordiam non ipsimet inquirentes invenimus: sed desuper nobis deus aperuit; unde sequitur in quibus, scilicet misericordiae operibus, visitavit nos, assumpta carne, oriens ex alto.

Graecus. in altis permanens, tamen in terrenis praesens, non divisionem patiens neque circumscriptionem: quod intellectus noster comprehendere non potest, nec ulla serie verborum exprimere.

LUCA 1,79

9179

(Lc 1,79)

Beda. Recte Christus oriens vocatur, quia nobis ortum verae lucis aperuit: unde sequitur illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.

Chrysostomus. tenebras hic appellat non materiales, sed errorem, et a fide distantiam.

Basilius. Tenebrosa enim erat plebs gentilis, quae idolorum cultu gravabatur, donec lux orta dispersit

caliginem, et splendorem veritatis expandit.

Gregorius moralium. Umbra vero mortis oblivio mentis accipitur: sicut enim mors hoc quod interficit, agit ut non sit in vita, ita oblivio hoc quod interficit, agit ut non sit in memoria: unde iudaeorum populus, qui dei oblitus fuerat, dicitur in umbra mortis sedere. Umbra etiam mortis mors carnis accipitur: quia sicut vera mors est qua anima separatur a deo, ita umbra mortis est qua caro separatur ab anima: unde voce martyrum dicitur: operuit nos umbra mortis. Per umbram etiam mortis imitatio diaboli, qui mors in apocalypsi dicitur, designatur: quia sicut umbra iuxta qualitatem corporis ducitur, ita actiones iniquorum de specie imitationis eius exprimuntur.

Chrysostomus. Recte autem dicit sedent: non enim ambulabamus in tenebris, sed sedebamus.

Theophylactus. non solum autem oriens dominus his qui in tenebris sedent illuminat, sed aliquid amplius facit: unde sequitur ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. Via pacis est via iustitiae, ad quam direxit pedes, idest affectus animarum nostrarum.

Gregorius in evang.. Tunc enim gressus nostros in viam pacis dirigimus quando per illud actionum iter pergimus in quo ab auctoris nostri gratia non discordemus.

Ambrosius. Simul et illud adverte, quam paucis elisabeth, quam multis zacharias prophetizet; et uterque sancto impletus spiritu loquebatur; sed disciplina servatur, ut mulier discere magis quae divina sunt studeat quam docere.

LUCA 1,80

9180 (Lc 1,80)

Beda. Praedicator patientiae futurus, ut liberius auditores suos a mundi illecebris erudiendo sustollat, primaevam in desertis transigit vitam; unde dicitur puer autem crescebat.

Theophylactus. Secundum corporalem aetatem. Et confortabatur spiritu: simul enim cum corpore spirituale donum crescebat, et spiritus operationes in eo magis ac magis ostendebantur.

Origenes in lucam. Vel crescebat spiritu, nec in eadem permanebat mensura qua coeperat; sed semper crescebat spiritus in eo, semper voluntas eius ad meliora tendens habebat profectus, et mens divinius aliquid contemplabatur. Exercebat se memoria, ut plura in thesauro suo recondere. Addit autem et confortabatur: infirma enim est humana natura: legimus enim: caro autem infirma. confortanda est itaque spiritu: spiritus enim promptus est. Multi confortantur carne; athleta autem dei spiritu roborandus est, ut sapientiam carnis elidat: unde recessit, fugiens tumultum urbium propter frequentiam; sequitur enim et erat in desertis: ubi purior aer est, caelum apertius, et familiarior deus: ut quia nondum baptismi et praedicationis tempus advenerat, vacaret orationibus, et cum angelis conversaretur, appellaret dominum, et illum audiret dicentem: ecce adsum.

Theophylactus. Vel erat in desertis ut extra multorum malitiam nutrireretur, et ut neminem vereretur arguere: si enim fuisset in mundo, forte fuisset amicitia et conversatione hominum depravatus: simul etiam ut esset fide dignus qui praedicaturus erat Christum. Occultabatur autem in desertis, donec placuit Deo ipsum israelitico populo demonstrare: unde sequitur usque ad diem ostensionis suae ad israel.

Ambrosius. Pulchre autem tempus quo fuit in utero propheta describitur, ne mariae praesentia taceatur, sed tempus siletur infantiae, eo quod praesentia matris domini in utero roboratur qui infantiae impedimenta nescivit.

LUCA 2,1-5

9201 (Lc 2,1-5)

Beda. Nasciturus in carne dei filius, sicut de virgine natus virginitatis sibi decus ostendit esse gratissimum; ita pacatissimo tempore saeculi procreatur; quia pacem quaerere docuit, et pacis sectatores invisere dignatur. Nullum autem potuit magis esse pacis indicium quam una totum orbem descriptione concludi; cuius moderator augustus, tanta duodecim annis circa tempus dominicae nativitatis pace regnavit ut, bellis

toto orbe sopitis, prophetae praesagium ad litteram videatur implesse: unde dicitur factum est autem in diebus illis, exiit edictum a caesare augusto ut describeretur universus orbis.

Graecus. Tunc etiam nascitur Christus cum principes iudaeorum defecerant, et ad romanos principes translatum erat imperium, quibus iudaei tributa solvebant; et sic impletur propheta praedicens: non deficere ducem de iuda, nec principem de femoribus eius, donec veniat qui mittendus est. Iam vero caesare augusto quadragesimum secundum annum imperii peragente, exiit ab eo edictum totum orbem conscribi ad tributa solvenda; quod cuidam cyrino caesar commiserat, quem iudaeae et syriae praesidem statuit: unde sequitur haec descriptio prima facta est a praeside syriae cyrino.

Beda. Signat hanc descriptionem vel primam esse earum quae totum orbem concluderint, quia pleraeque iam partes terrarum saepe leguntur fuisse descriptae; vel primo tunc coepisse quando cyrinus in syriam missus est.

Ambrosius. Pulchre autem praesidis nomen addidit, ut seriem temporis designaret: nam si consules ascribuntur tabulis emptionis, quanto magis redemptioni omnium debuit tempus ascribi? **Beda.** Superna autem dispensatione professio census ita descripta est ut in suam quisque patriam ire iuberetur: secundum quod sequitur et ibant omnes ut profiterentur singuli in civitatem suam: quod ideo factum est, ut dominus alibi conceptus, alibi natus, insidiantis herodis furorem facilius evaderet: unde sequitur ascendit autem et ioseph a galilaea de civitate nazareth in iudaeam.

Chrysostomus. domino autem dirigente augustus hoc edictum censuit, ut unigeniti praesentiae famuletur: nam hoc edictum matrem attrahebat in patriam quam prophetae praedixerant, scilicet in bethlehem iudae; unde dicit civitatem david quae vocatur bethlehem.

Graecus. Ideo autem addidit civitatem david, ut promissionem factam david a deo, quod ex fructu ventris eius rex perpetuus adveniret, esse completam annuntiet: unde sequitur eo quod esset de domo et familia david. per hoc autem quod ioseph erat de cognatione david, contentus fuit evangelista ipsam quoque virginem de cognatione david promulgare, cum lex divina praeciperet coniugales copulas ex eadem progenie contrahi: unde sequitur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante.

Cyrillus. dicit autem eam fuisse desponsatam, innuens quod solis sponsalibus praecedentibus est conceptio subsequuta; neque enim ex virili semine sancta virgo concepit.

Gregorius in evang.. Mystice autem nascituro domino mundus describitur: quia ille apparebat in carne qui electos suos ascriberet in aeternitate.

Ambrosius. et dum professio saecularis ostenditur, spiritualis implicatur, non terrarum regi dicanda, sed caeli. Professio ista fidei, census animorum est: abolito enim synagogae censu vetusto, novus census ecclesiae parabatur. Denique ut scias censum non augusti esse, sed Christi, totus orbis profiteri iubetur. Quis autem poterat professionem totius orbis exigere, nisi qui totius orbis habebat imperium? non enim augusti, sed: domini est terra et plenitudo eius.

Beda. Qui etiam vocabulum augusti perfectissime complevit, utputa suos et augere desiderans, et augere sufficiens.

Theophylactus. conveniens etiam erat ut per Christum cultus multorum deorum deficeret, et unus deus coleretur: unde unus rex orbi imperasse describitur.

Origenes in lucam. Diligentius autem intuenti sacramentum quoddam videtur figurari, quod in totius orbis professione describi oportuerit et Christum, ut cum omnibus scriptus sanctificaret omnes, et cum orbe relatus in censum communionem sui praeberet orbi.

Beda. sicut autem tunc imperante augusto et praesidente cyrino, ibant singuli in suam civitatem ut profiterentur censum; sic, modo imperante Christo per doctores ecclesiae praesides, profiteri debemus censum iustitiae.

Ambrosius. Haec est ergo prima professio mentium domino, cui omnes profitentur, non praeconis evocatione, sed vatis dicentis: omnes gentes, plaudite manibus. Denique ut sciant censum esse iustitiae, veniunt ad eum ioseph et maria, hoc est iustus et virgo: ille qui verbum servaret, ista quae pareret.

Beda. Civitas nostra et patria est patria beata, ad quam crescentibus quotidie virtutibus ire debemus.

quotidie autem sancta ecclesia suum comitata doctorem, de rota mundanae conversationis, quod galilaea sonat, in civitatem iuda, scilicet confessionis et laudis, ascendens, censum suae devotionis regi aeterno persolvit, quae, in exemplo beatae virginis mariae, concipit nos virgo de spiritu; quae alii quidem desponsata ab alio fecundatur, dum praeposito sibi pontifici visibiliter iungitur, sed invisibilis spiritus virtute cumulatur. unde et bene ioseph auctus interpretatur, indicans ipso nomine, quod instantia loquentis magistri nil valet, nisi augmentum superni iuvaminis, ut audiatur, acceperit.

LUCA 2,6-7

9206 (Lc 2,6-7)

Ambrosius. Breviter sanctus lucas et quo modo et quo tempore et quo loco secundum carnem Christus natus sit explicavit dicens factum est autem cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret. quo modo quidem, quia nupta concepit, sed virgo generavit.

Gregorius nyssenus. apparens enim ut homo, non per omnia legibus humanae naturae subicitur: nam quod ex muliere nascitur, humilitatem redolet; virginitas vero, quae ortui deservivit, ostendit quam transcenderet hominem. huius ergo iucunda portatio, ortus immaculatus, partus facilis, absque corruptela nativitas: nec ex luxu incipiens, nec doloribus edita: quia namque ea quae naturae nostrae mortem per culpam inseruit, damnata est ut cum doloribus pareret, oportebat parentem vitae cum gaudio partum perficere. Eo autem tempore per incorruptionem virgineam ad vitam transmigrat mortalium in quo diminui incipiunt tenebrae, et nocturna immensitas exuberantia radii deficere cogitur. Mors enim peccati finem pravitatis attigerat; sed de cetero tendit ad nihilum propter verae lucis praesentiam, quae radiis evangelicis totum orbem lustravit.

Beda. Eo etiam tempore dignatus est incarnari quo mox natus censu caesaris ascriberetur, atque ob nostri liberationem ipse servitio subderetur: unde etiam non solum propter iudicium regii stemmatis, sed etiam propter nominis sacramentum dominus in bethlehem nascitur.

Gregorius in evang.. Bethlehem quippe domus panis interpretatur: ipse namque est qui ait: ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. Locus ergo in quo dominus nascitur, domus panis antea vocabatur, quia futurum erat ut ibi ille per naturam carnis appareret qui electorum mentes interna satietate reficeret.

Beda. Sed et usque ad consummationem saeculi dominus in nazareth concipi, in bethlehem nasci non desinit cum quilibet audientium, verbi flore suscepto, domum in se aeterni panis efficit; quotidie in utero virginali, hoc est in animo credentium, per fidem concipitur, per baptismum gignitur. sequitur et peperit filium suum primogenitum. **Hieronymus** contra helvidium. ex hoc helvidius nititur approbare, primogenitum dici non posse nisi eum qui habeat et fratres, sicut unigenitus ille vocatur qui parentibus sit solus filius. Nos autem ita definimus. Unigenitus est primogenitus, non omnis primogenitus est unigenitus. Primogenitum non esse dicimus eum quem alii subsequuntur, sed ante quem nullus: alioquin si non est primogenitus nisi is quem sequantur et fratres, tamdiu sacerdotibus primogenita non debentur, quamdiu et alii fuerint procreati, ne forte partu postea non sequente, unigenitus sit, et non primogenitus.

Beda. Est etiam unigenitus in substantia divinitatis, primogenitus susceptione humanitatis; primogenitus in gratia, unigenitus in natura. **Hieronymus.** nulla autem ibi obstetrix, nulla muliercularum sollicitudo intercessit. Ipsa pannis involvit infantem; ipsa mater et obstetrix fuit; unde sequitur et pannis eum involvit.

Beda. Qui totum mundum vario vestit ornatu, pannis vilibus involvitur, ut nos stolam primam recipere valeamus. Per quem omnia facta sunt, manus pedesque astringitur, ut nostrae manus ad opus bonum exertae, nostri sint pedes in viam pacis directi.

Graecus. O admirabilem coarctationem et peregrinationem quam subiit qui continet orbem. Ab initio captat penuriam, et eam in seipso decorat. Nimirum si voluisset, venire poterat movendo caelum, concutiendo terram, emittens fulmina; non autem sic processit: non enim perdere, sed salvare volebat, et ab ipsis primordiis humanam conculcare superbiam; atque ideo non tantum homo fit, sed etiam homo pauper; et pauperem matrem elegit, quae caret his quibus natum infantem reclinet; sequitur enim et reclinavit eum in praesepio.

Beda. Duri praesepe angustia continetur cui caelum sedes est, ut nos per caelestis regni gaudia dilatet. qui panis est angelorum, in praesepio reclinatur, ut nos quasi sancta animalia carnis suae frumento reficiat.

Cyrillus. reperit etiam hominem factum bestialem in anima: et ideo in praesepio loco pabuli ponitur, ut vitam bestialem mutantem, ad consonam homini perducatur scientiam, pertinentes non fenum, sed panem caelestem, vitae corpus.

Beda. Qui autem ad dexteram patris sedet, in diversorio loco eget, ut nobis in domo patris sui multas mansiones praeparet; unde sequitur quia non erat eis locus in diversorio. nascitur non in parentum domo, sed in diversorio, et in via: quia per incarnationis mysterium via factus est, qua nos ad patriam, ubi veritate et vita fruemur, adduceret.

Gregorius in evang.. et ut ostenderet quia per humanitatem quam assumpserat, quasi in alieno nascebatur, non secundum potestatem, sed secundum naturam.

Ambrosius. Propter te ergo infirmitas, in se potentia; propter te inopia, in se opulentia; noli hoc aestimare quod cernis, sed quod redimeris agnosce. Plus, domine iesu, iniuriis tuis debeo quod redemptus sum, quam opibus quod creatus sum. Non prodesset nasci, nisi etiam redimi profuisset.

LUCA 2,8-12

9208 (Lc 2,8-12)

Ambrosius. Videte quemadmodum divina curia fidem astruat. Angelus mariam, angelus ioseph, angelus pastores edocet, de quibus dicitur et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.

Chrysostomus. ioseph quidem in somnis apparuit angelus; pastoribus autem visibiliter quasi rudioribus: non autem angelus ivit ierosolymam, non requisivit scribas et pharisaeos; erant enim corrupti, et prae invidia cruciabantur; sed hi erant sinceri, antiquam conversationem patriarcharum et moysis colentes. Est autem semita quaedam ad philosophiam perducens innocentia.

Beda. nusquam autem in tota veteris testamenti serie reperimus angelos, qui tam sedulo apparuere patribus, cum luce apparuisse. Sed hoc privilegium recte huic tempori est servatum quando exortum est in tenebris lumen rectis corde: unde sequitur et claritas dei circumfulsit illos.

Ambrosius. Ex utero funditur, sed coruscat a caelo; terreno in diversorio iacet, sed caelesti lumine viget.

Graecus. verum pavidi facti sunt in miraculo; unde sequitur et timuerunt timore magno. sed angelus, cum pavor ingruerit, fugat ipsum: unde sequitur et dixit illis angelus: nolite timere. Non solum sedat terrorem, sed etiam alacritatem infundit: sequitur enim ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: non soli populo iudaeorum, sed etiam omnibus. Causa autem gaudii ostenditur, novus et admirabilis partus manifestatur ex ipsis nominibus: nam sequitur quia natus est vobis hodie salvator, qui est Christus dominus: quorum primum, idest salvator, est actionis; tertium autem, scilicet dominus, maiestatis.

Cyrillus de incarn. Unigen.. Sed id quod in medio ponitur, scilicet Christus, non naturam significat, sed hypostasim compositam. in Christo enim salvatore unctionem fore celebratam fatemur; non tamen figuralem, sicut olim in regibus ex oleo, quasi ex prophetica gratia, neque ad perfectionem alicuius negotii, iuxta illud: haec dicit dominus Christo meo cyro, qui quamquam esset idololatra, dictus est Christus, ut caelesti censura totam occuparet babyloniorum provinciam. fuit autem unctus salvator spiritu sancto humanitus in forma servi; ungens autem ut deus spiritu sancto credentes in eum.

Graecus. Huius autem nativitatis et tempus ostendit cum dicit hodie, et locum cum subdit in civitate david, et signa cum subiungit et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum, et positum in praesepio. Ecce pastoribus angeli pastorem praecipuum praedicant, tamquam agnum in antro manifestatum et editum.

Beda. Crebris autem infantia salvatoris et angelorum praeconiis et evangelistarum nobis est conculcata testimoniis, ut nostris altius cordibus quid pro nobis factum sit infigatur. Et notandum, quod signum nati salvatoris datur non tyrio exceptum ostro, sed pannis squalentibus involutum: non in ornatis auro stratoriis, sed in praesepiis inveniendum.

Maximus in serm. Nativ.. Sed si tibi panni fortassis vilescunt, angelos collaudantes admirare: si praesepe despicias, erige parumper oculos, et novam in caelo stellam protestantem mundo nativitatem dominicam

contuere: si credis vilia, crede mirifica: si de his quae humilitatis sunt disputas, quae alta sunt et caelestia venerare.

Gregorius in evang.. Mystice autem quod vigilantibus pastoribus angelus apparet, eosque claritas dei circumfulsit, hoc est quod illi prae ceteris videre sublimia merentur qui fidelibus gregibus praeesse solliciti sciunt: dumque ipsi pie super gregem vigilant, divina super eos latius gratia coruscat.

Beda. significant enim mystice pastores isti gregum, doctores quosque ac rectores fidelium animarum. Nox, cuius vigiliis custodiebant super gregem suum, pericula tentationum indicat, a quibus se suosque subiectos custodire non desistunt. Et bene, nato domino, pastores super gregem vigilant: quia natus est qui dicit: ego sum pastor bonus; sed et tempus imminabat quo idem pastor oves suas, quae dispersae erant, ad vitae pascua revocaret.

Origenes in lucam. ceterum, si ad secretiorem oportet ascendere intellectum, dicam quosdam fuisse pastores angelos qui res humanas regerent; et cum horum unusquisque suam custodiam conservaret, venisse angelum nato domino, et annuntiasse pastoribus, quia verus esset pastor exortus. angeli enim ante adventum salvatoris parum poterant commissis sibi utilitatis afferre: vix enim aliquis unus ex singulis gentibus credebat in deum; nunc autem populi accedunt ad fidem iesu.

LUCA 2,13-14

9213 (Lc 2,13-14)

Beda. Ne parva unius angeli videretur auctoritas, postquam unus sacramentum novae nativitatis edocuit, statim multitudo caelestium agminum affuit; unde dicitur et subito facta est cum angelo multitudo militiae caelestis. Bene chorus adveniens angelorum, militiae caelestis vocabulum accipit, qui et duci illi in praelio qui ad debellandas aereas potestates apparuit, humiliter obsecundat, et ipse potestates easdem contrarias, ne mortales tantum tentare valeant quantum volunt, fortiter armis caelestibus perturbat. Quia vero deus et homo nascitur, hominibus pax et Deo gloria canitur; unde sequitur laudantium deum, et dicentium: gloria in altissimis deo. Uno angelo, uno evangelizante nuntio natum in carne deum, mox multitudo militiae caelestis in laudem creatoris prorumpit, ut et Christo devotionem impendat, et nos suo instruat exemplo, quoties aliquis fratrum sacrae eruditionis verbum insonuerit, vel ipsi quae pietatis sunt ad mentem reduxerimus, Deo statim laudes corde, ore et opere reddendas.

Chrysostomus. Et olim quidem angeli ad puniendum mittebantur, puta ad israelitas, ad david, ad sodomitas, ad gemitus convallem; nunc e contra canunt in terra gratias agentes deo: eo quod suum descensum ad homines eis reseravit.

Gregorius moralium. simul etiam laudant, quia redemptioni nostrae voces suae exultationis accommodant: simul etiam, quia dum nos conspiciunt recipi, suum gaudent numerum impleri.

Beda. Optant etiam pacem hominibus, cum subdunt et in terra pax hominibus: quia quos infirmos prius abiectosque despexerant, nascente in carne domino, iam socios venerantur.

Cyrillus. haec autem pax per Christum facta est: reconciliavit enim nos per se Deo et patri, culpam hostilem de medio auferens; duos populos in unum hominem pacificavit, ac caelicolas et terrenos in unum gregem composuit.

Beda. Quibus autem hominibus pacem poscant, exponunt dicentes bonae voluntatis, eis scilicet qui suscipiunt natum Christum: non enim est pax impiis, sed pax multa diligentibus nomen dei.

Origenes in lucam. sed diligens lector inquirat quomodo salvator dicat: non veni pacem mittere super terram; et nunc angeli de eius nativitate cantent in terra pax hominibus. sed hoc quod pax esse dicitur in hominibus bonae voluntatis, solvit quaestionem; pax enim quam non dat dominus super terram, non est pax bonae voluntatis.

Augustinus de trin.. pertinet enim iustitia ad bonam voluntatem.

Chrysostomus. Aspice autem mirandum processum: angelos ad nos deduxit prius, ac deinde duxit hominem ad superna: factum est caelum terra, cum terrena deberet recipere.

Origenes in lucam. Mystice autem videbant angeli, se opus quod eis creditum fuerat, implere non posse absque eo qui vere salvare poterat; et medicinam suam inferiorem esse quam hominum cura poscebat: unde sicut si veniat aliquis archiater qui habeat summam in medicina notitiam: et illi qui prius sanari nequiverant, cernentes magistri manu putredines cessare vulnere, non invideant, sed in laudes archiatri erumpant, et dei, qui sibi aegrotantibusque tantae scientiae hominem miserit; sic multitudo angelorum pro Christi adventu deum laudat.

LUCA 2,15-20

9215 (Lc 2,15-20)

Graecus. Quae visa sunt et relata stuporem ingesserunt pastoribus; et sic ovilia sua omiserunt, et profecti sunt nocte bethlehem, lucem indagantes salvatoris; unde dicitur et factum est ut discesserunt ab eis angeli in caelum, pastores loquebantur ad invicem: transeamus usque bethlehem, et videamus hoc verbum quod factum est.

Beda. Vere quasi vigilantes non dixerunt: videamus puerum, sed verbum quod factum est; idest, verbum quod semper erat videamus quomodo pro nobis caro factum est: siquidem hoc ipsum verbum dominus est; sequitur enim quod fecit dominus et ostendit nobis; idest, videamus quomodo verbum ipsum se fecerit, et ostenderit nobis carnem suam.

Ambrosius in lucam. Vide quam singulariter scriptura singulorum libret momenta verborum: etenim cum caro domini videtur, videtur verbum, quod est filius. Non mediocre fidei tibi hoc videatur exemplum: non vilis persona pastorum: simplicitas enim quaeritur, non ambitio desideratur. sequitur et venerunt festinantes; nemo enim cum desidia Christum requirit.

Origenes in lucam. Quia vero festinantes venerunt, et non pedetentim, ideo sequitur et invenerunt mariam, quae scilicet fudit iesum in partu, et ioseph, scilicet dispensatorem ortus dominici, et infantem positum in praesepio, scilicet ipsum salvatorem.

Beda. Est autem iusti ordinis, ut honore digno celebrata verbi incarnatione, ad ipsam quandoque verbi gloriam intuendam pertingat; unde sequitur videntes autem cognoverunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc.

Graecus. Occulta scilicet fide felicia relata contuentes, nec contenti de veritate stupere, quae primitus viderant et perceperant angelo nuntiante, non solum mariae et ioseph promebant, sed etiam ceteris; et, quod est amplius, eorum mentibus infigebant; unde sequitur et omnes qui audierunt mirati sunt, et de his quae dicta erant a pastoribus ad ipsos. Quomodo enim non erat mirandum videre caelicolam in terrenis, et terram pace conciliari caelestibus, et ineffabilem illum infantulum numine quidem caelestia, humanitate vero terrestria connectentem ad invicem, et sui compagine foedus mirandum praestantem? **Glossa.** Nec solum mirantur de incarnationis mysterio, sed etiam de tanta pastorum attestazione qui fingere inaudita nescirent, sed simplici facundia vera praedicarent.

Ambrosius. nec contemnenda putes quasi vilia verba pastorum: a pastoribus enim Maria colligit fidem: unde sequitur Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo. Discamus sanctae virginis in omnibus castitatem, quae non minus ore pudica quam corpore argumenta fidei conferebat in corde.

Beda. virginalis enim pudicitiae iura custodiens, secreta Christi quae noverat, nemini divulgare volebat; sed conferebat ea quae facienda legerat cum his quae iam facta cognovit; non ore promens, sed clausa in corde custodiens.

Graecus. quicquid etiam ei retulerat angelus, quicquid a pastoribus audierat, cuncta congerebat in mente; et ad invicem comparans, unam in omnibus mater sapientiae cernebat concordiam. Vere deus erat qui natus erat ex ea.

Athanasius. Singuli autem in Christi nativitate exultabant, non humanitus, sicut in puero nato soliti sunt homines congaudere, sed in Christi praesentia, et lucis divinae fulgore; unde sequitur et reversi sunt pastores glorificantes et laudantes deum in omnibus quae audierant.

Beda. Scilicet ab angelis; et viderant, scilicet in bethlehem, sicut dictum est ad illos; idest in hoc glorificant quod non aliud venientes invenerant, quam dictum est ad illos: sive sicut dictum est ad illos, gloriam Deo laudesque referunt: etenim hoc illis facere dictum est ab angelis, non quidem verbo imperantibus, sed formam suae devotionis offerentibus, cum Deo in excelsis gloriam resonarent.

Beda. mystice autem intellectualium pastores gregum, immo cuncti fideles, exemplo horum pastorum transeant cogitatione usque in bethlehem, et incarnationem Christi dignis celebrent honoribus. Transeamus autem abiectis concupiscentiis carnalibus toto mentis desiderio usque in bethlehem supernam, idest domum panis vivi; ut quem illi in praesepio videre vagientem, nos in patris solio mereamur videre regnantem; non est autem tanta beatitudo cum desidia ac torpore quaerenda; sed alacriter sunt Christi sequenda vestigia. videntes autem cognoverunt. Et nos quae dicta sunt de salvatore nostro, plena dilectione festinemus amplecti, ut hoc in futuro perfectae cognitionis visu comprehendere valeamus.

Beda. Dominici etiam gregis pastores praecedentium patrum vitam, in qua panis vitae servatur, quasi bethlehem portas contemplando subeunt; nihilque in hac aliud reperiunt quam virginalem ecclesiae pulchritudinem, quasi mariam, virilem spiritualium doctorum coetum, quasi ioseph, et humilem Christi adventum scripturae paginis sacrae insertum, quasi in praesepio positum Christum infantem.

Origenes in lucam. vel praesepe illud israel erat, secundum illud: cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe domini sui.

Beda. Non celavere autem silentio pastores quae agnoverant: quia ecclesiae pastores in hoc ordinati sunt ut quae in scripturis didicerunt, auditoribus ostendant.

Beda. Magistri etiam spiritualium gregum modo ceteris dormientibus contemplando caelestia subeunt, modo fidelium exempla quaerendo circumeunt, modo ad publicum pastoralis officii docendo revertuntur.

Beda. unusquisque etiam qui privatus vivere creditur, pastoris officium tenet, si bonorum actuum cogitationumque mundarum aggregans multitudinem, hanc iusto moderamine gubernare, scripturarum pastu nutrire, et contra daemonum insidias servare contendit.

LUCA 2,21

9221 (Lc 2,21)

Beda. Exposita nativitate dominica, subiungit evangelista atque ait et postquam consummati sunt dies octo ut circumcideretur puer.

Ambrosius. quis puer, nisi ille de quo dictum est: puer natus est nobis, et filius datus est nobis et: factus est enim sub lege, ut eos qui sub lege erant lucrifaceret? epiphanius adver. Haeres.. dicunt autem ebionis et cerinthi sequaces: sufficit discipulo, si sit sicut magister eius: circumcidit autem se Christus; tu ergo circumcidaris. Falluntur autem destruentes sua principia. Si enim fateretur ebion Christum deum caelitus descendentem octavo die fuisse circumcisum, tunc praerberet circumcisioni materiam argumenti; sed cum nudum hunc asserit hominem, non puer est causa ut circumcidatur, sicut nec infantes sunt suae circumcisionis auctores. Nos enim deum ipsum fatemur caelitus descendentem, et in claustrum virgineo moram debitam fetibus protraxisse, quoadusque sibi ex utero virgineo humanitatis carnem perfecte componeret, in qua circumcisus est veraciter, non apparenter octavo die, quatenus cum ad spiritualem effectum figurae pervenerint, tam ab ipso, quam a suis discipulis divulgentur non ultra figurae, sed veritas.

Origenes in lucam. Sicut enim mortui sumus cum illo moriente, et consurreximus resurgenti; sic cum eo circumcisi sumus: unde nequaquam nunc indigemus circumcisione carnali. Epiphanius. pluribus autem ex causis circumcisus est Christus. Et primo quidem ut ostendat carnis veritatem contra manichaeum et illos qui apparenter eum dicunt prodiisse: deinde ut pateat quod nequaquam deitati consubstantiale corpus extiterit, ut fatur apollinaris; neque caelitus detulit illud, ut asserit valentinus: et ut confirmet circumcisionem, quam olim instituerat eius adventui servientem: quin etiam ut nulla sit iudaeis excusatio: nam nisi circumcisus fuisset, obicere poterant quod non possent incircumcisum Christum recipere.

Beda. ut etiam nobis obediendi virtutem commendaret exemplo, et ut eos qui sub lege positi legis onera portare nequiverant, sua compassione iuvaret; ut qui in similitudine carnis peccati advenit, remedium quo caro peccati consueverat mundari, non respuat. Idem enim salutiferae curationis auxilium circumcisio in

lege contra originalis peccati vulnus agebat quod nunc baptismus revelatae gratiae tempore consuevit; excepto quod regni caelestis ianuam nondum intrare poterant, sed in sinu abrahamae post mortem beata requie consolati supernae pacis ingressum spe felici expectabant.

Athanasius. nihil enim aliud exprimebat circumcisio nisi generationis vetustae spoliationem per hoc quod circumcidebatur pars corporis quae corporalis nativitatis causa existit. hoc autem tunc temporis agebatur in signum futuri per Christum baptismatis. idcirco postquam venit signatum, cessavit figura: ubi namque tota vetustas tollitur per baptismum, superfluum est quod partis sectio praefigurat.

Cyrillus. Octavo autem die consuetum erat carnalem celebrari circumcisionem: octavo enim die Christus a mortuis resurrexit, et insinuavit nobis spiritualem circumcisionem, dicens: euntes, docete omnes gentes, baptizantes eos.

Beda. In eius autem resurrectione praefigurata est utraque nostra resurrectio, et carnis et spiritus: Christus enim circumcisis nostram naturam docuit et nunc per ipsum a vitiorum labe purgandam, et in novissimo die a mortis peste restaurandam; et sicut dominus octava die, hoc est post septimam sabbati, resurrexit; ita et ipsi post sex huius saeculi aetates et septimam sabbati animarum, quae nunc interim in alia vita geritur, quasi octavo tempore surgemus.

Cyrillus. Secundum legis praeceptum eodem die impositionem nominis recipit; unde sequitur vocatum est nomen eius iesus, quod interpretatur salvator: editus enim fuit ad totius orbis salutem, quam sua circumcisione praefiguravit: secundum quod apostolus dicit: circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, scilicet in circumcisione Christi.

Beda. sed et hoc quod eodem die suae circumcisionis nomen accepit, ad imitationem priscae observationis fecit: abraham enim, qui primum circumcisionis sacramentum accepit, in die suae circumcisionis amplificatione nominis benedici promeruit.

Origenes in lucam. Nomen autem iesu gloriosum omnique cultu dignissimum, nomen quod est super omne nomen, non decuit primum ab hominibus appellari, neque ab eis afferri in mundum: unde signanter evangelista subdit quod vocatum est ab angelo priusquam in utero conciperetur.

Beda. Huius autem nominis etiam electi in sua spirituali circumcisione participes existere gaudent; ut sicut a Christo Christiani, ita etiam a salvatore salvati vocentur; quod illis a Deo vocabulum non solum priusquam in utero ecclesiae per fidem conciperentur, sed etiam ante tempora saecularia vocatum est.

LUCA 2,22-24

9222 (Lc 2,22-24)

Cyrillus. Post circumcisionem rursus expectatur purgationis tempus; unde dicitur et postquam impleti sunt dies purgationis eius secundum legem moysi.

Beda. Si legis ipsius verba diligentius inspexeris, profecto reperies quod ipsa dei genitrix, sicut a commixtione virili, sic et a legali fit iure immunis. Non enim omnis mulier pariens, sed ea quae suscepto semine peperit, designatur immunda, ritumque docetur esse mundanda; ad distinctionem scilicet illius quae virgo concepit et peperit. Sed ut nos a legis vinculo solveremur, sicut Christus, ita et beata Maria legi est sponte subiecta. Titus. Unde eleganter evangelista protulit, quod completi sunt dies purgationis eius secundum legem: nam revera non incumbat necessitas virgini sacrae ut dies purgationis eius expectaretur, quae cum ex spiritu sancto concepisset, caruit coniugio. sequitur tulerunt illum in ierusalem, ut sisterent eum domino.

Athanasius. sed quando paternis aspectibus latuit dominus; aut quis locus excipitur ab eius imperio, ut ibi existendo semotus a patre sit, nisi afferatur ierosolymam, et introducatur in templum? sed forte causa nostri huiusmodi scripta sunt. Sicut enim non gratia sui homo factus est et circumcisis in carne, sed ut nos per gratiam faceret deos, et ut spiritualiter circumcidamur; sic propter nos sistitur domino, ut discamus Deo praesentare nosipsos.

Beda. Post tricesimum autem et tertium circumcisionis diem domino sistitur, mystice insinuans neminem nisi circumcisis vitiis, dominicis dignum esse conspectibus; neminem nisi mortalitatis nexibus absolutum,

supernae civitatis gaudia posse perfecte subire. sequitur sicut scriptum est in lege domini.

Origenes in lucam. ubi sunt qui deum legis negant a Christo fuisse in evangelio praedicatum? an putandum est quod filium suum bonus deus sub lege inimici fecit, quam ipse non dederat? in lege enim moysi scriptum est quod sequitur: quia omne masculinum adaperiens vulvam sanctum domino vocabitur.

Beda. Quod dicit adaperiens vulvam, et hominis et pecoris primogenitum significat; quod utrumque sanctum domino vocari, atque ideo sacerdotis esse, praeceptum est; ita dumtaxat ut pro hominis primogenito pretium acciperet et omne animal immundum redimi faceret.

Gregorius nyssenus. Hoc autem legis decretum in solo incarnato deo, singulariter et ab aliis differenter, impleri videtur: ipse namque solus ineffabiliter conceptus ac incomprehensibiliter editus, virginalem uterum aperuit, non ante a connubio reseratum; servans et post partum mirabile inviolabiliter signaculum castitatis.

Ambrosius in lucam. non enim virilis coitus vulvae virginalis secreta reseravit: sed immaculatum semen inviolabili utero spiritus sanctus infudit. qui ergo vulvam sanctificavit alienam ut nasceretur propheta, hic est qui aperuit matri suae vulvam, ut immaculatus exiret.

Beda. Quod ergo ait adaperiens vulvam, consuetae nativitatis more loquitur; non quod dominus sacri ventris hospitium, quod ingressus sanctificarat, egressus devirginasse credendus sit.

Gregorius nyssenus. solus autem hic partus masculinus spiritualiter esse conspicitur qui nil de femineitate culpae portavit: unde revera sanctus vocatus est: unde et gabriel quasi hoc decretum ad ipsum solum pertinere memorans, dicebat: quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius dei. Et in ceteris quidem primogenitis sanctos illos vocari evangelica solertia statuit, tamquam oblatione divina sortitos huiusmodi nomen: at in totius primogenito creaturae, quod nascitur sanctum pronuntiat angelus, quasi proprie sanctum existens.

Ambrosius. solus enim per omnia in natis de femina sanctus dominus iesus, qui terrenae contagia corruptelae immaculati partus novitate non senserit, et caelesti maiestate depulerit: nam si litteram sequimur, quomodo sanctus omnis masculus, cum multos sceleratissimos fuisse non lateat? sed ille sanctus quem in figura futuri mysterii legis divinae praescripta signabant; eo quod solus sanctae ecclesiae virginis ad generandos populos aperiret genitale secretum.

Cyrillus. O profunditas scientiarum sapientiae et scientiae dei. offert hostias qui per singulas hostias honoratur cum patre; figuras legis custodit veritas; qui legis est conditor sicut deus, legem custodivit ut homo; unde sequitur et ut darent hostiam, secundum quod dictum erat in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

Beda. hostia autem haec pauperum erat; praecepit quippe dominus in lege ut qui possent agnum pro filio aut filia, simul et turturem sive columbam offerrent: qui vero non sufficiebant ad offerendum agnum, duos iam turtures vel duos columbae pullos offerrent. ergo dominus cum dives esset, pauper fieri dignatus est, ut nos sua paupertate divitiarum suarum donaret esse participes.

Cyrillus. Videndum autem quid haec oblata insinuant. Nimirum loquacissima est turtur in avibus; et columba est animal mansuetum. Talis autem factus est erga nos salvator, mansuetudinem perfecte colens, et ut turtur orbem allexit, replens hortum suum propriis melodiis. Occidebatur ergo turtur aut columba, ut ipse per figuras nobis pandatur passurus in carne pro vita mundi.

Beda. vel columba simplicitatem, turtur indicat castitatem: quia et columba simplicitatis, et castitatis amator est turtur; ita ut si coniugem casu perdiderit, non ultra aliam quaerere curet. Merito ergo turtur et columba domino offeruntur in hostiam: quia simplex et pudica fidelium conversatio est illi iustitiae sacrificium gratum.

Athanasius. ideo vero bina iussit offerri, quia homine consistente ex anima et corpore, duplum a nobis poscit deus, castitatem et mansuetudinem, non solum corporis, sed etiam animae: alioquin erit homo factor et hypocrita, gerens in tegumentum occultae malitiae innocentiam apparentem.

Beda. Cum vero utraque avis propter consuetudinem gemendi praesentes sanctorum luctus designet; in hoc tamen differunt, quod turtur solivagus, columba autem gregatim volare consuevit; et ob id iste secretas orationum lacrymas, illa publicos ecclesiae conventus insinuat.

Beda. Vel columba, quae gregatim volat, activae vitae frequentiam demonstrat; turtur qui singularitate gaudet, speculativae vitae culmina denuntiat. Et quia aequae utraque conditori accepta est hostia, consulte

lucas utrum turtures an pulli columbarum pro domino sint oblati non dixit, ne unum alteri vivendi ordinem praeferret, sed utrumque sequendum doceret.

LUCA 2,25-28

9225 (Lc 2,25-28)

Ambrosius in lucam. Non solum ab angelis et prophetis, a pastoribus et a parentibus, sed etiam a senioribus et iustis generatio domini accepit testimonium; unde dicitur et ecce homo erat in ierusalem cui nomen simeon, et homo iste iustus et timoratus.

Beda. Quia difficulter iustitia sine timore custoditur: non illum dico timorem qui temporalia sibi bona subtrahi perhorrescit, quem perfecta dilectio foras mittit; sed timorem domini sanctum qui manet in saecula, quo iustus deum quanto ardentius diligit, tanto solertius offendere cavet.

Ambrosius. et bene iustus, qui non suam sed populi gratiam requirebat; unde sequitur et expectans consolationem israel.

Gregorius nyssenus. Non utique mundanam felicitatem in consolationem israel prudens simeon expectabat; sed veram translationem ad veritatis decorem per separationem a legis umbra: habuerat namque per oracula quod visurus esset Christum domini priusquam de saeculo praesenti transmigraret; unde sequitur et spiritus sanctus erat in eo; a quo scilicet iustificabatur. et responsum acceperat a spiritu sancto non visurum se mortem nisi prius videret Christum domini.

Ambrosius. Cupiebat ipse quidem corporeae vinculis fragilitatis absolvi; sed expectabat videre promissum; sciebat enim quia beati oculi qui eum viderent.

Gregorius moralium. in quo etiam discimus quanto desiderio ex plebe israelitica sancti viri incarnationis eius mysterium videre cupierunt.

Beda. Videre autem mortem, experiri eam significat; multumque felix mortem videbit carnis quicumque Christum domini prius oculis carnis videre sategerit, conversationem habendo in caelesti ierusalem, templi dei limina frequentando, hoc est sanctorum, in quibus deus habitat, exempla sectando. Eadem autem spiritus gratia, qua olim venturum praecognoverat, et nunc venientem cognovit; unde sequitur et venit in spiritu in templum.

Origenes in lucam. et tu si vis tenere iesum et amplexari manibus, omni labore nitere ut ducem habeas spiritum, veniasque ad templum dei; sequitur enim et cum inducerent puerum iesum parentes eius, scilicet Maria mater et ioseph, qui putabatur pater, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo; et ipse accepit eum in ulnas suas.

Gregorius nyssenus. Quam beatus ille sacer ad sacra introitus, per quem ad vitae terminum maturavit. Beatae manus quae verbum vitae palpaverunt, et ulnae quoque quas ad susceptionem paravit.

Beda. Accepit autem iustus secundum legem puerum iesum in ulnas suas, ut significet iustitiam operum, quae ex lege erat, per manus et brachia figuratorum, humili quidem, sed salutari fidei evangelicae gratia mutandum. Accepit senior infantem Christum, ut insinuet hoc saeculum quasi senio iam defessum, ad infantiam et innocentiam Christianae conversationis rediturum.

LUCA 2,29-32

9229 (Lc 2,29-32)

Origenes in lucam. Si ad tactum fimbriae vestimenti mulier sanata est, quid putandum est de simeone, qui in suas ulnas accepit infantem, et gaudebat videns parvulum a se gestari, qui venerat ad victos resolvendos, sciens neminem eum posse de clastro corporis emittere cum spe futurae vitae, nisi is quem in brachiis continebat; unde dicitur et benedixit deum, et dixit: nunc dimittis servum tuum, domine.

Theophylactus. quod dicit domine, confitentis est quod ipse mortis est et vitae dominus; et sic puerum quem suscepit, deum confitetur.

Origenes. Quasi dicat: quamdiu Christum non tenebam, clausus eram, et de vinculis exire non poteram.

Basiliius. Si autem voces iustorum inquiras, omnes super hoc mundo et eius flebili mora ingemiscunt. heu mihi, dicit david, quia incolatus meus prolongatus est.

Ambrosius. vide ergo iustum velut corporeae carcere molis inclusum velle dissolvi, ut incipiat esse cum Christo. Sed qui vult dimitti, veniat in templum, veniat in ierusalem, expectet Christum domini, accipiat in manibus verbum dei, et complectatur velut quibusdam fidei suae brachiis; tunc dimittetur ut non videat mortem, qui viderit vitam.

Graecus. Simeon autem benedicebat deum inter cetera, quod promissa sibi facta sortita erant efficaciae veritatem: nam consolationem israel oculis prospicere meruit, et manibus portare: et ideo dicit secundum verbum tuum; idest, cum finem obtinuerim promissorum. At ubi visibiliter sensi quod desiderabam, nunc solvis tuum servum, nec gustu mortis attonitum, nec haesitationis cogitationibus conturbatum; et ideo subditur in pace.

Gregorius nyssenus. Quia postquam Christus culpam hostilem destruxit, nos quoque patri reconciliavit, facta est translatio sanctorum in pace.

Origenes. quis est autem qui de saeculo isto recedit in pace, nisi is qui intelligit quod deus erat in Christo mundum reconcilians sibi; nihilque habet inimicum deo, sed omnem pacem bonis in se operibus assumpsit? Graecus. Fuerat autem sibi repromissum non visurum se mortem nisi prius videret Christum domini; et ideo hoc impletum ostendens, subdit quia viderunt oculi mei salutare tuum.

Gregorius nyssenus. Beati oculi tui tam animae quam corporis; hi quidem visibiliter deum suspicientes, illi vero non solum quae visa sunt attendentes, immo illuminati fulgore spiritus domini, verbum in carne cognoscentes: salutare namque quod tuis oculis percepisti, ipse iesus est, quo nomine salus declaratur.

Cyryllus. Fuerat autem Christi mysterium quod patuit in ultimis temporibus saeculi praeparatum ante mundi originem; unde sequitur quod parasti ante faciem omnium populorum.

Athanasius. Scilicet confectam toti mundo per Christum salutem. Qualiter ergo supra dictum est, quod expectabat israel consolationem? eo quod scilicet tunc futuram esse consolationem israel agnovit in spiritu cum et omnibus populis paratum est salutare.

Graecus. Attende etiam sagacitatem digni et venerandi senis: antequam dignus videretur beatae visionis, praestolabatur solamen israel; ut autem quod sperabat obtinuit, exclamat se vidisse salutem omnium populorum: adeo enim infantis ineffabile iubar illustravit eum, ut processu temporis secutura mox sibi fierent nota.

Theophylactus. Signanter autem dicit ante faciem, ut scilicet omnibus eius incarnatio appareret. Hoc autem salutare dicit esse gentium lumen et gloriam israel; unde sequitur lumen ad revelationem gentium.

Athanasius. gentes enim ante Christi adventum in ultimis tenebris erant constitutae, cognitione divina privatae.

Cyryllus. Sed Christus adveniens factus est lux tenebrosis et erraticis, quos diabolica manus pressit. vocati sunt autem a Deo patre ad notitiam filii, qui est lux vera.

Athanasius. israel autem, licet tenuiter, lege illuminabatur; et ideo non dicit quod lumen illis protulerit, sed subdit et gloriam plebis tuae israel: memorans antiquam historiam, quod sicut olim moyses dominum alloquendo gloriosam retulit faciem, sic et ipsi divinam humanitatis lucem pertingentes, vetus abicientes velamen, in eandem imaginem transformarentur de gloria in gloriam.

Cyryllus. nam etsi quidam eorum inobedientes fuerint, tamen reliquiae salvae factae sunt, et per Christum pervenerunt ad gloriam. harum primitiae fuere divini apostoli, quorum fulgores universum orbem illuminant. fuit etiam Christus singulariter israel gloria, quia secundum carnem ex eis processit; quamvis cunctis ut deus praeesset per saecula benedictus.

Gregorius nyssenus. Et ideo signanter dixit plebis tuae, quia non ab eis tantum est adoratus, sed insuper ex eis est secundum carnem natus.

Beda. et bene revelatio gentium, israelis gloriae praefertur, quia, cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis israel salvus erit.

LUCA 2,33-35

9233 (Lc 2,33-35)

Graecus. Transcendentium rerum notitia quoties in memoriam venerit, toties renovat in mente miraculum; unde dicitur et erant pater eius et mater mirantes super his quae dicebantur de illo.

Origenes in lucam. Tam ab angelo quam a multitudine caelestis exercitus, necnon et a pastoribus et ipso simeone.

Beda. Patrem salvatoris appellat, non quod vere pater fuerit ei, sed quod ad famam mariae conservandam pater sit ab omnibus aestimatus.

Augustinus de cons. Evang.. Quamvis et eo modo pater illius valeat dici, quo et vir mariae recte intelligitur sine commixtione carnis, ipsa copulatione coniugii; multo videlicet coniunctius quam si esset aliunde adoptatus. neque enim propterea non erat appellandus ioseph pater Christi, quia non eum concumbendo genuerat; quandoquidem pater esset et ei quem non ex sua coniuge procreatum aliunde adoptasset.

Origenes. Qui autem altius aliquid inquit, potest dicere quoniam generationis ordo a david usque ad ioseph deducitur; et ne videretur frustra ioseph nominari, quia pater non fuerat salvatoris, ut generationis ordo haberet locum, pater domini appellatus est.

Graecus. laudibus autem divinis exhibitis, vertit se simeon ad benedictionem adducentium puerum; unde sequitur et benedixit illis simeon. Benedictione igitur utrumque donat; occultorum vero praesagia dirigit tantum ad matrem; quatenus per communem benedictionem non privetur ioseph similitudine patris; per ea vero quae dicit matri seorsum a ioseph, veram praedicet genitricem; unde sequitur et dixit ad matrem eius: ecce positus est hic in ruinam et in resurrectionem multorum in israel.

Ambrosius. Vide uberem in omnes gratiam domini in generatione diffusam, et prophetiam incredulis negatam esse, non iustis. Ecce et simeon prophetizat, in ruinam et resurrectionem multorum venisse Christum iesum.

Origenes. qui simpliciter exponit, potest dicere in ruinam eum venisse infidelium, et in resurrectionem credentium.

Chrysostomus. sicut enim lux, etsi oculos debiles turbet, lux est; hoc modo salvator perseverat, etsi corruant plurimi; neque enim est eius officium destructio, sed eorum vesaniae. Quamobrem non solum ex salute bonorum, sed etiam ex malorum dissipatione virtus eius ostenditur; nam sol quoniam multum radiat, propterea visus debiles praecipue perturbat.

Gregorius nyssenus. Attende autem distinctionis exquisitam prolationem: praeparatio quippe salutis dicitur coram omni populo; sed casus et sublevatio plurium. Divinum enim propositum est salus et deificatio singulorum: casus autem et sublevatio consistit in plurium intentione, credentium et non credentium. Quod autem iacentes et increduli sublevantur, non est absurdum.

Origenes. Qui autem curiosus interpret est, dicit nequaquam eum cadere qui ante non steterit. Da mihi igitur qui fuerit ille qui stetit, et in cuius ruinam salvator advenerit? **Gregorius** nyssenus. sed per hoc designat ruinam ad infima: quasi non puniendos aequaliter ante incarnationis mysterium et post datam dispensationem et praedicationem. Et maxime hi sunt ex israel, quos necesse erat et pristinis bonis carere, et poenas luere graviores quam omnes aliae gentes: eo quod dudum prophetatum in eis et adoratum et ex eis productum minime susceperunt. idcirco specialiter eis minatur ruinam, non solum a spirituali salute, sed etiam propter destructionem urbis et habitantium civitatem. Resurrectio vero promittitur credentibus, partim quidem velut sub lege iacentibus, et ab eius servitute sublevandis; partim vero velut consepultis cum Christo, et ei consurgentibus. his autem verbis intellige per concordiam intellectuum ad dicta prophetica, unum et eundem deum et legislatorem et in prophetis et in novo testamento locutum esse: lapidem namque ruinae et petram scandali futurum, ne confundantur credentes in eum, sermo propheticus declaravit.

Origenes in lucam. Est autem et altius quid intelligendum adversus eos qui contra conditorem latrant dicentes: ecce deus legis et prophetarum, videte qualis sit. Ego, inquit, occidam, et ego vivificabo. Sed si propterea cruentus est iudex et crudelis conditor, quia haec dicit, manifestissimum est et iesum esse illius filium; eadem siquidem de eo hic scripta sunt, quod veniat in ruinam et resurrectionem multorum.

Ambrosius. Ut scilicet iustorum iniquorumque merita discernat, et pro nostrorum qualitate factorum iudex verus et iustus aut supplicia decernat aut praemia.

Origenes. Videndum est autem ne forte salvator non aequè aliis in ruinam venerit et in resurrectionem: quia enim peccato stabam, primo mihi utilitas fuit ut caderem et peccato morerer. Denique et sancti prophetae cum augustius aliquid contemplabantur, cadebant in faciem suam, ut peccata per ruinam plenius purgarentur: hoc ipsum et salvator tibi primum concedit. Peccator eras; cadat in te peccator, ut possis dehinc resurgere et dicere: si commortui sumus, et convivemus.

Chrysostomus. Resurrectio quidem est conversatio nova: cum enim lascivus castus efficitur, avarus misericors, atrox mansuescit, resurrectio celebratur, mortuo quidem peccato, resurgente vero iustitia. sequitur et in signum cui contradicetur.

Basiliius. Signum contradictionem accipiens proprie crux dicitur a scriptura. fecit enim, inquit, moyses serpentem aeneum, et posuit pro signo.

Gregorius nyssenus. Miscet autem dedecus gloriae. Huius enim rei nobis Christicolis est hoc signum indicium; contradictionis vero, dum ab his quidem accipitur ut ridiculosum et horribile, ab his vero admodum venerandum. vel forsàn ipsum Christum nominat signum, tamquam supra naturam existentem et signorum auctorem.

Basiliius. Est enim signum alicuius rei mirabilis et occultae indicativum; visum quidem a simplicioribus, intellectum vero ab habentibus exercitatum intellectum.

Origenes in lucam. omnia autem quae de Christo narrat historia, signum sunt cui contradicetur: non quod contradicant hi qui credunt in eum: nos quippe scimus omnia vera esse quae scripta sunt: sed quia apud incredulos universa quae de eo scripta sunt, signum sunt cui contradicetur.

Gregorius nyssenus. Haec siquidem de filio dicuntur; spectant tamen ad eius genitricem, dum singula sibi assumit simul periclitata et glorificata: nec tantum prospera, sed illi denuntiat etiam dolorosa; nam sequitur et tuam ipsius animam pertransibit gladius.

Origenes. Nulla docet historia beatam mariam ex hac vita gladii occisione migrasse; praesertim cum non anima, sed corpus ferro soleat interfici: unde restat intelligi gladium illum de quo dicitur: et gladius in labiis eorum, hoc est, dolorem dominicae passionis animam eius pertransisse: quae etsi Christum utpote dei filium sponte propria mori, mortemque ipsam non dubitaret esse devicturum: ex sua tamen carne procreatum, non sine doloris affectu potuit videre crucifigi.

Ambrosius. vel prudentiam mariae non ignaram mysterii caelestis ostendit: vivum est enim verbum dei, et validum et acutius omni gladio acutissimo.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam.. vel per hoc significavit quod maria, per quam gestum est incarnationis mysterium, in morte domini stupore quodam dubitavit, videns filium dei sic humiliatum ut usque ad mortem descenderet. Et sicut gladius pertransiens iuxta hominem, timorem facit, non percutit; ita et dubitatio moestitiam fecit, non tamen occidit: quia non sedit in animo, sed pertransiit quasi per umbram.

Gregorius nyssenus. Sed nec ipsam solam in ea passione occupari significat cum subditur ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. Quod dicit ut eventum designat; non autem causaliter ponitur. his enim omnibus evenientibus, secuta est erga multos intentionum detectio: quidam enim deum fatebantur in cruce; alii nec sic ab infamiis et criminationibus desistebant. Vel hoc dictum est, quatenus tempore passionis pateant ex plurium cordibus meditationes, et emendentur per resurrectionem: velox enim illis post ambiguitatem certitudo supervenit: nisi forte revelationem illuminationem quis aestimet, ut solitum est scripturae.

Beda. sed et usque ad consummationem saeculi praesentis ecclesiae animam gladius durissimae tribulationis pertransire non cessat, cum signo fidei ab improbis contradici; cum audito dei verbo multos cum Christo resurgere, sed plures a credulitate ruere, gemebunda pertractat; cum revelatis multorum cordium

cogitationibus, ubi optimum evangelii sevit semen, ibi zizania vitiorum vel plus iusto praevalere, vel sola germinare conspicit.

Origenes in lucam. Cogitationes etiam malae in hominibus erant; quae propterea revelatae sunt, ut occideret eas ille qui pro nobis mortuus est. Quamdiu enim absconditae erant, impossibile erat eas penitus interfici; unde et nos si peccaverimus, debemus dicere: iniquitatem meam non abscondi. Si enim revelaverimus peccata nostra non solum deo, sed his qui possunt mederi vulneribus nostris, delebuntur peccata nostra.

LUCA 2,36-38

9236 (Lc 2,36-38)

Ambrosius in lucam. Prophetaverat simeon, prophetaverat copulata coniugio, prophetaverat virgo, debuit et vidua prophetare; nec qua professio deesset aut sexus; et ideo dicitur et erat anna prophetissa filia phanuel de tribu aser.

Theophylactus. Immoratur evangelista circa annae descriptionem, et patrem et tribum enarrans; testes quasi multos adducens qui patrem et tribum viderunt.

Gregorius nyssenus. Vel quia tunc temporis cum hac aliae quaedam eodem nomine nuncupabantur. Ut igitur ad eam manifesta discretio fieret patrem eius commemorat, et generis qualitatem describit.

Ambrosius. Anna vero et stipendiis viduitatis et moribus talis inducitur ut digna fuisse credatur quae redemptorem omnium nuntiaret; unde sequitur haec processerat in diebus multis, et vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua, et haec vidua usque ad annos octuaginta quatuor.

Origenes in lucam. Neque enim spiritus sanctus fortuito habitavit in ea: bonum enim est primum si qua potest virginitatis gratiam possidere; si autem hoc non potuerit, sed evenerit ei ut perdat virum, vidua perseveret: quod quidem non solum post mortem viri, sed etiam cum ille vivit, debet habere in animo ut etiam si non evenerit, voluntas ipsius et propositum a domino coronetur, et dicat: hoc voveo, hoc promitto: si mihi humanum aliquid, quod non opto, contigerit, nihil aliud faciam quam incontaminata, et vidua perseverem. Iuste ergo sancta mulier spiritum prophetandi meruit accipere, quia longa castitate, longis etiam ieiuniis ad hoc culmen ascenderat; unde sequitur quae non discedebat de templo, ieiuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte.

Gregorius nyssenus. In quo liquet quod ceterarum virtutum inerat ei congeries. Et aspice eam conformem simeoni virtutibus: simul enim erant in templo, simul etiam digni reputati sunt prophetica gratia; unde sequitur et haec ipsa hora superveniens confitebatur domino; hoc est, regratiabatur, videndo mundi salutem in israel, et confitebatur de iesu, quoniam ipse esset redemptor, idemque salvator; unde sequitur et loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem israel. Verum quia anna prophetissa modicum aliquid et non nimis clarum de Christo disseruit, evangelium non seriatim induxit quae ab ea sunt dicta. Forsan autem ob hoc aliquis simeonem praevenisse fatebitur, eo quod is quidem formam legis gerebat: nam et ipsum nomen notat obedientiam; illa vero gratiae, quod interpretatio nominis manifestat: inter quos Christus medius erat: idcirco illum quidem dimisit cum lege morientem, hanc vero fovet ultra viventem per gratiam.

Beda. Iuxta intellectum etiam mysticum anna ecclesiam significat, quae in praesenti sponsi sui est morte quasi viduata. Numerus etiam annorum viduitatis eius tempus ecclesiae designat, quo in corpore constituta peregrinatur a domino. Septies quippe duodeni octuaginta quatuor faciunt: et septem quidem ad huius saeculi cursum, qui diebus septem volvitur, duodecim vero ad perfectionem doctrinae apostolicae pertinent. Ideoque sive universalis ecclesia, seu quaelibet anima fidelis, quae totum vitae suae tempus apostolicis curat mancipare institutis, octoginta quatuor annis domino servire laudatur. tempus etiam septem annorum, quo cum viro suo manserat, congruit: nam propter dominicae privilegium maiestatis, quo in carne versatus docuit, in signum perfectionis simplex septem annorum est numerus expressus. Arridet etiam ecclesiae mysteriis et anna, quae gratia eius interpretatur, et filia est phanuelis, qui facies dei dicitur, et de tribu aser, idest beati, descendit.

LUCA 2,39-41

9239 (Lc 2,39-41)

Beda. Praetermisit hoc loco lucas quae a Matthaeo satis exposita noverat: dominum videlicet post hoc, ne ab herode necandus inveniretur, in aegyptum a parentibus esse delatum, defunctoque herode, sic demum in galilaeam reversum, nazareth civitatem suam inhabitare coepisse. solent enim evangelistae singuli sic omittere quaedam quae vel ab aliis commemorata viderunt, vel ab aliis commemoranda in spiritu praeviderunt, ut continuata suae narrationis serie, quasi nulla praetermissis videantur; quae tamen, alterius evangelistae considerata scriptura, quo loco transita fuerint, diligens lector inveniat. Unde multis praetermissis, lucas dicit et ut perfecerunt omnia secundum legem domini, reversi sunt in galilaeam in civitatem suam nazareth.

Theophylactus. erat quidem eorum civitas bethlehem sicut patria, nazareth vero tamquam habitaculum.

Augustinus de cons. evang.. Forte autem hoc movet quomodo dicat Matthaeus propterea cum puero parentes eius iisse in galilaeam, quia metu archelai in iudaeam ire noluerunt; cum propterea magis iisse in galilaeam videantur, quia civitas eorum erat nazareth galilaeae, sicut lucas hic non tacet. Sed intelligendum est, ubi angelus in somnis in aegyptum dixit ad ioseph: surge, et accipe puerum et matrem eius, et vade in terram israel, sic intellectum primo esse a ioseph, ut putaret iussum se esse pergere in iudaeam: ipsa enim intelligi primitus potuit terra israel. Porro autem postea, quoniam comperit illic regnare filium herodis archelaum, noluit obicere se illi periculo; cum posset terra israel etiam sic intelligi, ut etiam galilaea illi deputaretur, quia et ipsam populus israel incolebat.

Graecus. Vel aliter. Enumerat hic lucas tempus ante descensum in aegyptum; neque enim ante purgationem eam ioseph deduxisset. Ante vero quam in aegyptum descenderent, non receperant per oracula ut nazareth pergerent; immo quasi libentius in patria conversantes, illuc ultro pergebant. Cum enim ad nihil aliud ascensus in bethlehem evenisset nisi causa descriptionis, expedito eo cuius causa ascenderant, descendunt in nazareth.

Theophylactus. Poterat autem secundum corpus ex ipso utero in mensura matura aetatis prodire; sed videretur hoc secundum phantasiam: propterea paulatim crescit; unde sequitur puer autem crescebat et confortabatur.

Beda. Notanda est distinctio verborum: quia dominus iesus christus in eo quod puer erat, idest habitum humanae fragilitatis induerat, crescere et confortari habebat.

Athanasius contra arianos. Ceterum si, secundum quosdam, caro in divinam naturam mutata est, quomodo capiebat augmentum? increato enim augmentum attribuere nefarium est.

Cyrillus. Decenter vero aetatis incremento sapientiae coniunxit augmentum, cum dicit et confortabatur, scilicet spiritu; nam iuxta mensuram aetatis corporeae, natura divina sapientiam propriam revelabat.

Theophylactus. si enim dum parvus aetate erat, omnem sapientiam demonstrasset, videretur prodigium; sed per profectum aetatis seipsum ostendebat, ut totum impleret orbem. Non autem quasi suscipiens sapientiam, spiritu confortari dicitur: quod enim ab initio perfectissimum est, quomodo potest deinde perfectius fieri? unde sequitur plenus sapientia; et gratia dei erat in illo.

Beda. Sapientia quidem, quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; gratia autem, quia homini iesu christo magna gratia donatum est ut ex quo homo fieri coepisset, perfectus esset et deus; multo autem magis in eo quod verbum dei et deus erat, nec confortari indigebat, nec habebat augeri. Adhuc autem cum parvulus esset, habebat gratiam dei; ut quomodo in illo omnia mirabilia fuerant, ita et pueritia mirabilis esset, ut dei sapientia compleretur. sequitur et ibant parentes eius per omnes annos in ierusalem, in die solemni paschae.

Chrysostomus. In hebraeorum solemnitatibus non solum tempus, sed etiam locum observare lex iusserat: et ideo nec domini parentes extra hierosolimam celebrare pascha volebant.

Augustinus de cons. Evang.. Quomodo autem ibant parentes eius per omnes annos pueritiae christi in ierusalem, si archelai timore illuc prohibebantur accedere? hoc mihi dissolvere non esset difficile, nec si aliquis evangelistarum expressisset quamdiu regnaret archelaus: fieri enim poterat ut per diem festum inter tam ingentem turbam latenter ascenderent mox reversuri; ubi tamen aliis diebus habitare metuerunt, ut nec solemnitate praetermissa essent irreligiosi, nec continua mansione conspicui. Cum vero etiam de regno archelai omnes quam fuerit diuturnum tacuerint, iste quoque intellectus patet: quod lucas dicit, per omnes

annos eos ascendere solitos in ierusalem, tunc accipimus factum, cum iam non timeretur archelaus.

LUCA 2,42-50

9242 (Lc 2,42-50)

Cyrellus. Quia dixerat evangelista quod puer crescebat et confortabatur, proprium sermonem verificat, inducens iesum una cum sacra virgine in ierusalem ascendentem: unde dicitur et cum factus esset iesus annorum duodecim, ascendentibus illis in hierosolymam, etc..

Graecus. Non enim indicium sapientiae transcendit aetatis mensuram; sed quo tempore penes nos discretionis ratio perfici consuevit, duodecimo scilicet anno, Christi sapientia demonstratur.

Ambrosius in lucam. vel a duodecimo anno dominicae sumitur disputationis exordium: hic enim praedicandae fidei evangelizantium numerus debebatur.

Basilus. Possumus et hoc dicere: quia sicut septenario numero, sic et duodenario, qui multiplicatis inter se invicem septenarii partibus constat, vel rerum vel temporum universitas ac perfectio designetur: atque ideo quo omnia loca vel tempora doceat occupari, recte a duodecimo numero iubar Christi sumit exordium.

Beda. quod autem dominus per omnes annos cum parentibus in pascha hierosolymam venit, humilitatis est humanae indicium: hominis namque est ad offerenda Deo sacrificia concurrere, et eum orationibus conciliare. Fecit ergo dominus, inter homines homo natus, quod faciendum hominibus per angelos imperavit deus: unde dicitur secundum consuetudinem diei festi. Sequamur igitur iter humanae conversationis eius, si deitatis gloriam delectamur intueri.

Graecus. Celebrato autem festo, aliis remeantibus, iesus latenter remansit; unde sequitur consummatisque diebus, cum redirent, remansit puer iesus in ierusalem; et non cognoverunt parentes eius. Dicit autem consummatis diebus, quia septem diebus durabat solemnitas. Ideo autem latenter remanet, ne parentes impedimento essent disputationi peragenda cum legisperitis: vel forsitan hoc evitans, ne videatur parentes contemnere, si mandantibus non pareret. Latenter ergo remanet, ne aut retrahatur, aut sit inobediens.

Origenes in lucam. Non autem miremur parentes vocatos, quorum alter ob partum, alter ob obsequium, patris et matris meruerunt vocabula.

Beda. sed quaeret aliquis quomodo dei filius tanta parentum cura nutritus, potuerit obliviscendo relinqui. Cui respondendum: quia filiis israel moris fuit ut temporibus festis vel hierosolymam confluentes, vel ad propria redeuntes, seorsum viri, seorsum feminae incederent, infantesque vel pueri cum quolibet parente indifferenter ire potuerunt; ideoque mariam vel ioseph vicissim putasse puerum iesum, quem secum non cernebant, cum altero parente reversum; unde sequitur existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et notos.

Origenes. sicut autem quando insidiabantur ei iudaei, elapsus est de medio eorum, et non apparuit; sic et nunc puto remansisse puerum iesum, et parentes eius ubi remanserit ignorasse: sequitur enim et non invenientes, reversi sunt in ierusalem, requirentes eum.

Glossa. Una quidem die reversi sunt a ierusalem; secunda quaerunt inter cognatos et notos; et non invenientes, tertia die regressi sunt in ierusalem, et ibi invenerunt; unde sequitur et factum est post triduum, invenerunt eum in templo.

Origenes. Non statim ut quaeritur invenitur: non enim inter cognatos et carnis propinquos invenitur iesus: neque enim poterat humana cognatio dei filium continere. Non invenitur inter notos, quia maior est mortali notitia. In multorum comitatu non potest inveniri; nec ubique invenerunt, sed in templo. Et tu ergo quaere iesum in templo dei, quaere in ecclesia, ubi Christi sermonem atque sapientiam, idest filium dei, reperies.

Ambrosius. Post triduum reperitur in templo, ut esset indicio quia post triduum triumphalis passionis, in sede caelesti et honore divino fidei nostrae se ostenderet, resurgens qui mortuus credebatur.

Glossa. Vel quia quaesitus adventus Christi a patriarchis ante legem non est inventus, quaesitus a prophetis et iustis sub lege non est inventus: quaesitus a gentilibus sub gratia invenitur.

Origenes. Quia vero parvulus erat, invenitur in medio praeceptorum, sanctificans et erudiens eos; unde dicitur sedentem in medio doctorum, audientem illos, et interrogantem; et hoc, pietatis officio, ut nos doceret quid pueris, quamvis sapientes et eruditi sint, conveniret, ut audiant potius magistros quam docere desiderent, et se vana ostentatione non iactent. Interrogabat autem non ut addiceret, sed ut interrogans erudiret: ex uno quippe doctrinae fonte manat et interrogare et respondere sapienter; unde sequitur stupebant autem omnes qui eum audiebant, super prudentia et responsis suis.

Beda. ad ostendendum enim quia homo erat, homines magistros humiliter audiebat; ad probandum vero quia deus erat, eisdem loquentibus sublimiter respondebat.

Graecus. Quaerit enim rationabiliter, audit prudenter, respondetque prudentius: quod stuporem faciebat; unde sequitur et videntes admirati sunt.

Chrysostomus super iohannem. Nullum quippe miraculum egit dominus in pueritia; hoc tamen unum prodit lucas, per quod mirabilis videbatur.

Beda. Divina siquidem lingua sapientiam prodebat, sed infirmitatem aetas praetendebat humanam: unde iudaei inter alta quae audiunt, et infima quae vident, dubia admiratione turbantur. nos autem nequaquam miremur, scientes secundum isaiae prophetiam quod sic parvulus natus est nobis quod permanet deus fortis.

Graecus. Miranda vero dei genitrix maternis affecta visceribus, quasi cum lamentis inquisitionem dolorosam ostendit, et omnia sicut mater et fiducialiter, et humiliter, et affectuose exprimit; unde sequitur et dixit mater eius ad illum: fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te.

Origenes. noverat virgo sacrata hunc non esse filium ioseph; et tamen patrem vocat illius sponsum suum, propter iudaeorum suspicionem, aestimantium ipsum vulgo fore conceptum. Dicitur autem forte simplicius, quod eum honoravit spiritus sanctus patris nomine, eo quod puerum iesum educavit; artificiosius vero eo quod genealogiam ioseph ex david produxit, ne superflua censeretur. Cur autem dolentes eum quaerebant? an ex eo quod perierit puer, an erraverit? absit. numquid etiam fieri poterat ut perditum formidarent infantem quem dominum esse cognoverant? sed quomodo tu, si quando scripturas legis, quaeris in eis sensum cum dolore, non quod scripturas errasse arbitreris; sed veritatem quam intrinsecus habent, quaeris invenire; ita illi quaerebant iesum, ne forte relinquens eos reversus esset ad caelos, cum illi placuisset iterum descensus. Oportet ergo eum qui quaerit iesum, non negligenter et dissolute transire, sicut multi quaerunt, et non inveniunt; sed cum labore et dolore.

Glossa. Vel metuebant ne, quod herodes in infantia eius patrasse quaesierat, tunc iam in pueritia positum, inventa opportunitate, alii interficerent.

Graecus. Sed ipse dominus respondet ad omnia, et corrigens quodammodo dictum eius de eo qui putabatur pater, verum patrem manifestat, docens non per infima gradi, sed in altum extolli; unde sequitur et ait ad illos: quid est quod me quaerebatis? **Beda.** Non eos quod filium quaerant vituperat; sed quid ei potius cui ipse aeternus est filius, debeat, eos cogit oculos mentis tollere; unde sequitur nesciebatis quia in his quae patris mei sunt oportet me esse? **Ambrosius.** duae sunt in Christo generationes: una est paterna, altera materna; paterna diviniore, materna vero quae in nostrum laborem usumque descendit.

Cyrillus. Hoc igitur dicit, ostendens se mensuram humanam transcendere, et innuens quod sacra virgo effecta sit minister negotii cum peperit carnem. Ipse vero naturaliter et vere deus erat, et filius patris excelsi. hinc autem valentini sequaces audientes quod templum erat dei, pudeat dicere, quod creator et legis deus et templi, non ipse pater est Christi. Epiphanius adv. haer.. Attendat et ebion, quod post annos duodecim et non post tricesimum annum Christus reperiretur stupendus in sermonibus gratiae. Quamobrem non est dicere, quod postquam venit ad eum spiritus in baptismo, factus fuit Christus; sed ab ipsa pueritia et templum agnovit et patrem.

Graecus. Haec est demonstratio prima sapientiae et virtutis pueri iesu; quae namque puerilia eius vocant, diabolicam putamus esse considerationem: nisi quis ea sola velit acceptare nequaquam his quae tenemus oppugnantia, sed magis consona prophetis dictis: quia speciosus prae filiis hominum, et matri obediens, et moribus facetus, et visu non modicum venerandus et placidus, ad loquendum facundus, dulcis et providus, et multum strenuitate cognitus, tamquam qui repletus sapientia fuerat; et sicut in aliis sic conversationis humanae atque locutionis, quamvis supra hominem, terminus et ratio; mansuetudo enim sibi praecipuum elegit locum. Super haec autem omnia nihil ascendit super verticem eius, nec humana manus, excepta materna. Hinc autem possumus utilitatem consequi: dum enim mariam increpat dominus quaerentem ipsum

inter propinquos, omissionem vinculorum sanguinis apertissime suggerit; ostendens quod non contingit metam perfectionis attingere eum qui adhuc vagatur in his quae corpori conferunt; et quod homo deficit a perfectione per affectum cognatorum. sequitur et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad illos.

Beda. quia scilicet de sua divinitate ad eos loquebatur.

Origenes in lucam. vel nesciebant utrum dicens in his quae patris mei sunt, significaret in templo, an aliquid altius, et quod magis aedificat: unusquisque enim nostrum, si bonus fuerit atque perfectus, possessio dei patris est, et habet in medio sui iesum.

LUCA 2,51-52

9251 (Lc 2,51-52)

Graecus. Totam intermediam Christi vitam, quae est inter ostensionem aetatis et tempus baptismatis, velut immunem alicuius famosi et publici miraculi et doctrinae, evangelista sub uno verbo colligit dicens et descendit cum eis, et venit nazareth.

Origenes in lucam. crebro iesus descendit cum discipulis suis, nec semper versatur in monte: quia non valebant qui variis morbis laborabant, ascendere in montem; idcirco et nunc descendit ad illos qui deorsum erant. sequitur et erat subditus illis.

Graecus. quandoque enim verbo prius leges instituens, ipse secundo opere comprobabat; sicut illud: bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis; ipse namque paulo post, nostram salutem exquirens, animam exposuit propriam: aliquando vero prius vivendi proponit exemplar, et postea promebat verbo tenus sanctionem, sicut hic, haec tria prae ceteris opere monstrans, diligere deum, honorare parentes, deum vero et ipsis praeferre parentibus. Cum enim reprehenderetur a parentibus, minoris curae cetera reputat quam quae sunt dei. Denique ipsis quoque parentibus obedientiam praestat.

Beda. Quid enim magister virtutis nisi officium pietatis impleret? quid inter nos aliud quam quod agi a nobis vellet, ageret? **Origenes.** Discamus ergo et nos filii parentibus nostris esse subiecti. Quod si patres non fuerint, subiciamur his qui patrum habent aetatem. iesus filius dei subicitur ioseph et mariae; ego vero subiciar episcopo, qui mihi constitutus est pater. Puto quod intelligebat ioseph quia maior se erat iesus, et trepidus moderabatur imperium. videat ergo unusquisque quod saepe qui subiectus est, maior sit: quod si intellexerit, non elevabitur superbia qui est sublimior dignitate, sciens sibi meliorem esse subiectum.

Gregorius nyssenus. Amplius: quoniam impuberibus adhuc est imperfecta discretio, egetque per provectos ad statum provehi perfectiorem; ideo cum pertigisset duodecimum annum, paret parentibus, ut ostendat quod quicquid per promotionem perficitur, antequam ad finem perveniat, obedientiam tamquam perducentem ad bonum utiliter amplexatur.

Basilius in lib. Relig.. Ab ipsa autem primaeva aetate parentibus obediens quemlibet laborem corporeum humiliter et reverenter sustinuit. Cum enim homines essent honesti et iusti, egeni tamen, et necessariorum penuriam patientes, teste praesepe partus venerandi ministro, manifestum est quod sudores corporeos continuo frequentabant, necessaria vitae sibi quaerentes. Iesus autem obediens illis, ut scriptura testatur, etiam in sustinendo labores subiectionem plenariam sustinebat.

Ambrosius. Et miraris si patri defert qui subditur matri? non utique infirmitatis, sed pietatis est ista subiectio. Attollat licet caput haereticus, ut alienis auxiliis asserat eum qui mittitur indigere; numquid et humano egebat auxilio, ut materno serviret imperio? deferebat ancillae, deferebat simulato patri; et miraris si Deo detulit? an homini deferre pietatis est, deferre Deo infirmitatis? **Beda.** Virgo autem sive quae intellexit, sive quae nondum intelligere potuit, omnia suo pariter in corde quasi ruminanda et diligentius scrutanda recondebat; unde sequitur et mater eius conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo.

Graecus. considera prudentissimam mulierem mariam, verae sapientiae matrem, qualiter scholaris sit pueri: non enim ut puero, neque ut viro, sed ut Deo vacabat; ulterius et illius voces divinas et opera reputabat: idcirco nil ex dictis aut actis ab eo incassum illi cadebat; sed sicut ipsum verbum prius in visceribus, ita nunc eiusdem modos et dicta concipiebat, et in corde suo quodammodo fovebat; et hoc quidem iam secum in praesenti contemplantur: hoc autem expectabat in futurum clarius revelandum: et hac quidem tamquam regula et lege per totam vitam utebatur: unde sequitur et iesus proficiebat aetate et sapientia et gratia apud deum et homines.

Theophylactus. sed inquit: quomodo potest aequalis patri esse in substantia qui quasi imperfectus crescere dicitur? non autem in eo quod est verbum, dicitur incrementum suscipere, sed in eo quod factus est homo. si enim vere profecit postquam factum est caro, qui ante imperfectus extiterat; quid ergo gratias agimus ei velut incarnato pro nobis? qualiter autem, si ipse est vera sapientia, in sapientia potest augeri? vel qualiter qui ceteris largitur gratiam, ipse in gratia promovetur? amplius: si nemo scandalizatur cum audit quod verbum seipsum humiliaverit, infirma quaedam de Deo verbo sentiens: sed potius miratur misericordiam eius: quomodo non est supervacaneum scandalizari audiendo quod profecit? nam sicut pro nobis humiliatus est, sic pro nobis profecit, ut nos in eo proficiamus qui lapsi fuimus per peccatum: nam quicquid spectat ad nos, ipse vere pro nobis Christus suscepit, ut cuncta reformet in melius.

Cyrillus. Et attende quod non dixit proficere verbum, sed iesum, ne simplex verbum proficere intelligas, sed verbum carnem factum.

Theophylactus. Et sicut verbum in carne passum fatemur, quamvis sola caro fuit passa, quia caro verbi erat quae patiebatur; ita proficere dicitur ex eo quod humanitas proficiebat in ipso.

Gregorius nazianzenus. Dicitur autem secundum humanitatem proficere, non quod ipsa suscipiat augmentum quae ab initio fuit perfecta; sed ex eo quod paulatim manifestabatur.

Theophylactus. Naturalis enim lex respuit hominem sensu maiore uti quam aetas corporis patiatur. Erat itaque verbum factum homo perfectum, cum sit virtus et sapientia patris; verum quia dandum erat aliquid nostrae naturae moribus, ne aliquod extraneum a videntibus reputetur; tamquam homo, paulatim crescente corpore, manifestabat seipsum, et quotidie sapientior ab audientibus et videntibus censebatur.

Graecus. Proficiebat ergo secundum aetatem quidem, corpore in virilem statum promotum; sapientia autem per eos qui ab eo divina docebantur; gratia vero, qua cum gaudio promovemur, credentes in fine obtinere quae ab ipso promissa sunt; et hoc quidem apud deum ex eo quod assumpta carne paternum opus peregit; apud homines vero per conversionem eorum a cultu idolorum ad summae trinitatis notitiam.

Theophylactus. Dicit enim apud deum et homines: quia prius decet placere deo, et postea hominibus.

Gregorius nyssenus. Differenter etiam proficit verbum in his qui ipsum suscipiunt: secundum enim mensuram illius apparet aut infans, aut adultus, aut perfectus.

LUCA 3,1-2

9301 (Lc 3,1-2)

Gregorius in evang.. Redemptoris praecursor quo tempore verbum praedicationis accepit, memorato romanae reipublicae principe et iudaeae regibus designatur, cum dicitur anno autem quintodecimo imperii tiberii caesaris. Quia enim illum praedicare veniebat qui ex iudaea quosdam, et multos ex gentibus redempturus erat; per regem gentium et principes iudaeorum praedicationis eius tempora designantur. Quia autem gentilitas colligenda erat in romana republica, unus praefuisse describitur, cum dicitur imperii tiberii caesaris.

Graecus. Mortuo enim augusto monarcha, a quo romani principes nomen augusti adepti sunt, tiberius post illum ad iura monarchiae succedens, decimumquintum annum suscepti principatus agebat.

Origenes in lucam. Et in prophetico quidem sermone solis iudaeis praedicato, solum iudaeorum regnum describitur: visio isaiae in diebus oziae, ioathan et achaz regum iuda; at in evangelio, quod erat praedicandum universo mundo, dominium describitur tiberii caesaris, qui totius orbis dominus videbatur. verum si solum hi qui sunt de gentibus essent salvandi, satis erat solius tiberii facere mentionem; sed quia oportebat et iudaeos credere, ob hoc etiam iudaeorum regna describuntur, seu tetrarchiae, cum subditur procurante pontio pilato iudaeam, tetrarcha autem galilaeae herode: philippo autem fratre eius tetrarcha ituraeae et trachonitidis regionis, et lysania abilinae tetrarcha.

Gregorius. quia enim iudaea erat pro culpa perfidiae dispergenda, in iudaeae regno per partem et partem plurimi principabantur, secundum illud: omne regnum in seipsum divisum desolabitur.

Beda. Pilatus quidem duodecimo anno tiberii caesaris in iudaeam missus, procuracionem gentis suscepit;

atque ibi per decem continuos annos usque ad ipsum pene finem tiberii perduravit. Herodes autem et philippus et lysanias filii sunt herodis illius sub quo dominus natus est, inter quos et ipse herodes archelaus frater eorum decem annis regnavit, qui a iudaeis apud augustum criminatus, apud viennam exilio periit. Regnum autem iudaeae quo minus validum fieret, idem augustus per tetrarchias dividere curavit.

Gregorius. Et quia iohannes illum praedicavit qui simul rex et sacerdos existeret; lucas evangelista praedicationis eius tempora non solum per regnum, sed etiam per sacerdotium designavit; unde subditur sub principibus sacerdotum anna et caipha.

Beda. Ambo quidem incipiente praedicatione iohannis, idest annas et caiphas, principes fuere sacerdotum; sed annas illum annum, caiphas vero eum quo crucem dominus ascendit, administrabat, tribus aliis in medio pontificatu perfunctis: verum hi maxime qui ad domini passionem pertinent, ab evangelista commemorantur. Legalibus namque tunc praeceptis vi et ambitione cessantibus, nulli pontificatus honor vitae vel generis merito reddebatur; sed romana potestate summa sacerdotii praestabatur. Iosephus enim refert, quod valerius graccus anna a sacerdotio deturbato, ismaelem pontificem designavit filium baphi; sed etiam hunc non multo post abiiciens, eleazarum ananiae pontificis filium surrogavit: post annum vero et hunc arcet officio, et simoni cuidam caiphae filio pontificatus tradidit ministerium; quo non amplius ipse quam unius anni spatio perfunctus, iosephum, cui et caiphas nomen fuit, accepit successorem: itaque omne hoc tempus quo dominus noster docuisse describitur, intra quadriennii spatia coarctatur.

Ambrosius. Congregaturus autem ecclesiam dei filius, ante operatur in servulo; et ideo bene dicitur factum est verbum domini super iohannem zachariae filium: ut ecclesia non ab homine coeperit, sed a verbo. Bene autem lucas compendio usus est, ut iohannem declararet prophetam, dicens factum est super eum verbum dei, alia non addens: nullus enim eget iudicio sui qui verbo dei abundat. Unum itaque dicens, omnia declaravit; at vero Matthaeus et marcus et vestitu et cinctu et cibo prophetam declarare voluerunt.

Chrysostomus. Verbum autem dei hic mandatum esse dicitur: quia non a se venit zachariae filius, sed Deo ipsum movente.

Theophylactus. Per totum autem tempus praeteritum usque ad sui ostensionem occultus fuit in deserto; et hoc est quod subditur in deserto: ut nulla suspicio innascatur hominibus, ut gratia affinitatis ad Christum, vel conversationis a teneris annis, talia de ipso testaretur: unde ipse testificans dicebat: ego nesciebam illum.

Gregorius nyssenus. simul etiam qui in spiritu et virtute eliae hanc vitam ingressus est, amotus a conversatione humana, invisibilium speculationi vacans, ne huiusmodi fallaciis quae per sensus ingeruntur assuetus, quamdam confusionem ac errorem incurreret erga viri boni discretionem. Et ideo ad tantum divinarum gratiarum elevatus est apicem, ut plusquam prophetis sibi gratia infunderetur: quia mundum et expers cuiuslibet naturalis passionis desiderium suum a principio usque ad finem divinis aspectibus obtulit.

Ambrosius. Desertum etiam est ipsa ecclesia: quia plures filii desertae, magis quam eius quae habet virum. factum est ergo verbum domini, ut quae erat ante deserta fructum nobis terra generaret.

LUCA 3,3-6

9303 (Lc 3,3-6)

Ambrosius. Factum verbum vox secuta est: verbum enim prius intus operatur, sequitur vocis officium; unde dicitur et venit in omnem regionem iordanis.

Origenes in lucam. Iordanis idem est quod descendens: descendit enim dei fluvius aquae salubris. Quae autem loca decebat perambulare baptistam, nisi iordani circumadiacentia? ut si quem poenitere contingeret, protinus occurreret fluenti humiditas ad recipiendum poenitentiae baptismum; subditur enim praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.

Gregorius in evang.. cunctis legentibus liquet quia iohannes baptismum poenitentiae non solum praedicavit, verum etiam quibusdam dedit; tamen baptismum suum in remissionem peccatorum dare non potuit.

Chrysostomus super iohannem. Cum enim nondum oblata esset hostia, nec descendisset spiritus, qualiter erat fienda remissio? quid est ergo quod lucas dicit in remissionem peccatorum? erant siquidem iudaei ignari, nec culpas proprias perpendebant. Quoniam igitur haec erat causa malorum; ut peccata agnoscerent ad redemptorem quaerendum, venit iohannes hortans illos poenitentiam agere, ut per poenitentiam effecti

meliores atque contriti ad recipiendam veniam satagant. Apte ergo, cum dixisset quod venit praedicans baptismum poenitentiae, addidit in remissionem peccatorum; quasi dicat: idcirco suadebat illis poenitere, ut subsequentem veniam facilius impetrarent, credentes in Christum, nam nisi poenitentia ducerentur, nequaquam exposcerent gratiam: unde baptisma illud nullam aliam habet causam, nisi quod praeparatorium erat ad fidem Christi.

Gregorius. Vel iohannes dicitur praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum; quoniam baptismum quod peccata solveret, quia dare non poterat, praedicabat: ut sicut incarnatum verbum patris praecurrebat verbo praedicationis, ita baptismum poenitentiae, quo peccata solvuntur, praecurret suo baptisate, quo peccata solvi non possunt.

Ambrosius. Et ideo plerique sancto iohanni typum legis imponunt, eo quod lex peccatum denuntiare potuit, donare non potuit.

Gregorius nazianzenus. et ut aliquatenus de baptismatum differentia disseramus, baptizavit moyses, sed in aqua, nube et mari; hoc autem figuraliter agebatur. Baptizavit quoque iohannes non utique ritu iudaeorum, non enim solum in aqua, sed etiam in remissionem peccatorum: non tamen omnino spiritualiter: neque enim addit, in spiritu. baptizat iesus, sed in spiritu: et hic est perfectio. Est quoque quartum baptisma, quod fit per martyrium et sanguinem, quo etiam ipse Christus est baptizatus; quod ceteris est venerabilius nimis, eatenus, quatenus iteratis contagiis non foedatur. est etiam quintum ex lacrymis, laboriosius tamen; iuxta quod quidam singulis noctibus suum rigat cubile et stratum in lacrymis. sequitur sicut scriptum est in libro isaiae prophetae: vox clamantis in deserto.

Ambrosius. Bene vox dicitur iohannes verbi praenuntius: quia vox praecedit inferior, verbum sequitur quod praecellit.

Gregorius in evang.. Qui etiam in deserto clamat, quia derelictae ac destitutae iudaeae solatium redemptionis annuntiat. Quid autem clamaret, aperitur, cum dicitur parate viam domini, rectas facite semitas eius. Omnis enim qui fidem rectam et bona opera praedicat, quid aliud quam venienti domino ad corda audientium viam parat, ut rectas Deo semitas faciat, dum mundas in animo cogitationes per sermonem bonae praedicationis format? **Origenes** in lucam. vel in corde nostro via praeparanda est domino: magnum enim est cor hominis et spatiosum; si tamen fuerit mundum. neque in corporis quantitate, sed in virtute sensuum, magnitudinem eius intellige, quae tantam scientiam capiat veritatis. praepara ergo in tuo corde viam domino per conversationem bonam, et egregiis vel perfectis operibus dirige semitam vitae, ut in te sermo dei absque offensa perambulet.

Basilius. Et quia semita est via quam praecedentes calcaverant, et quam priores homines corruperant, eam iterato dirigere iubet sermo illis qui a praecedentium zelo recedunt.

Chrysostomus. Clamare autem parate viam domini, non regis erat, sed praecursoris officium: et ideo eum vocaverat vocem, quia verbi erat praecursor.

Cyryllus. Sed quasi quis responderet, et diceret: qualiter viam praeparabimus domino, vel qualiter eius semitas rectas faciemus, cum plura sint impedimenta honestam vitam volentibus ducere? ad hoc propheticus sermo respondet. Sunt enim viae quaedam et semitae nequaquam ad eundum habiles; adeo ut alicubi ad tumulos et iuga tollantur, alicubi declives sint; et ad hoc removendum dicit omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur. Quaedam viarum inaequaliter dispositae sunt; et dum nunc sursum erigunt, nunc vergunt deorsum, valde sunt ad eundum difficiles; et quantum ad hoc subdit et erunt prava in directa et aspera in vias planas. Hoc autem intelligitur actum esse per nostri salvatoris potentiam: quondam enim evangelicae conversationis et vitae iter erat ad eundum difficile, ex eo quod et mentes singulorum mundanae voluptates oppresserant; ut autem deus factus homo peccatum damnavit in carne, explanata sunt omnia, et reddita sunt ad eundum facilia; et nec collis, nec vallis proficere volentibus obviat.

Origenes. quando enim venit iesus, et spiritum suum misit, omnis vallis repleta est operibus bonis et fructibus spiritus sancti; quos si habueris, non solum vallis esse desistis, sed etiam mons dei esse incipies.

Gregorius nyssenus. Vel quietam in virtutibus conversationem significat per convalles, secundum illud: valles abundabunt frumento.

Chrysostomus. elatos autem superbos nomine montis denuntiat, quos Christus humiliavit. Colles autem desperatos appellat, non solum ob superbiam mentis suae, sed propter desperationis sterilitatem: collis enim nullos fructus producit.

Origenes in lucam. vel intelligas quoniam montes et colles, qui sunt adversariae potestates, per adventum Christi prostrati sunt.

Basiliius. sicut autem colles respectu montium magnitudine differunt, in aliis sunt idem; sic et adversae potestates proposito quidem conformes sunt, immanitate tamen offensionum secernuntur.

Gregorius. vel vallis impleta crescit, mons autem et collis humiliatus decrescit: quia in fide Christi et gentilitas plenitudinem gratiae accepit, et iudaea per errorem perfidiae hoc unde tumebat perdidit. Humiles enim donum accipiunt, quod a se corda superbientium repellunt.

Chrysostomus in Matthaeum. Vel per hoc declarat legis difficultatem in fidei facilitatem conversam; ac si dicat: non ulterius sudores et dolores imminet; sed gratia et remissio peccatorum facilem viam pariunt ad salutem.

Gregorius nyssenus. vel iubet valles impleri, deiici vero colles et montes; volens ostendere quod nec ob defectum virtutis ordo sit concavus, nec discrepet ob excessum.

Gregorius. Prava autem directa fiunt, cum malorum corda per iniustitiam detorta, ad iustitiae regulam diriguntur. aspera autem in vias planas immutantur, cum immites atque iracundae mentes per infusionem supernae gratiae ad lenitatem mansuetudinis redeunt.

Chrysostomus. Deinde horum subicit causam, dicens et videbit omnis caro salutare dei: ostendens quoniam usque ad fines mundi diffundetur evangelii virtus atque cognitio, ex more ferino et obstinata voluntate ad mansuetudinem et lenitatem humanum genus convertens. non autem solum iudaei et proselyti, immo tota humana natura salutare dei videbit.

Chrysostomus. Idest, patris qui filium misit ut nostrum salvatorem. caro autem praesens accipitur pro toto homine.

Gregorius in evang.. vel aliter. Omnis caro, idest omnis homo, salutare dei, videlicet Christum, in hac vita videre non potuit. Propheta ergo oculum ad extremum iudicii diem tendit, quando hunc omnes et electi et reprobi pariter videbunt.

LUCA 3,7-9

9307 (Lc 3,7-9)

Chrysostomus. Manens aliquis in pristino statu, et mores suos et consuetudinem non relinquens, nequaquam rite ad baptismum venit. Si quis ergo velit baptizari, egrediatur: unde signanter dicitur et dicebat ad turbas quae exhibant, ut baptizarentur ab ipso. Egredientibus itaque ad lavacrum turbis, loquitur quae sequuntur; si enim iam egressi essent, nequaquam ad eos diceret genimina viperarum.

Chrysostomus. Ille itaque cultor deserti videns omnes incolas palaestinae circumstantes ipsum et admirantes, non flectebatur pro tanta reverentia, sed insurgens in ipsos arguebat eos. Sacra autem scriptura, secundum stimulantes passiones, plerumque ferarum nomina imponit hominibus; interdum canes eos nominans causa procacitatis, equos ob luxum, asinos propter dementiam, et leones et pardos causa rapacitatis et petulantiae, aspides causa doli, serpentes et viperas causa veneni et calliditatis. Unde et nunc iohannes iudaeos audacter genimina viperarum vocat.

Basiliius contra eunom.. oportet autem scire, quod haec nomina natus et filius de animalibus dicuntur; genimen vero potest dici fetus antequam effingatur; fructus etiam palmarum genimina dicuntur; raro autem in animalibus accipiuntur, et semper in malo.

Chrysostomus in Matthaeum. ferunt autem viperam matrem coeundo necare, cuius semen excrescens perimit matrem; et sic prodit in lucem scisso parentis utero, in vindictam quodammodo parentis genitoris; itaque parricida est proles viperea. Tales erant iudaei, qui patres spirituales eorum atque doctores occidebant. quid autem si non invenit eos peccantes, sed incipientes converti? non debebat eis conviciari, sed permulcere. dicendum, quod non adhibebat mentem his quae fiebant exterius; mentis enim eorum arcana cognoverat domino revelante: nimis enim se iactabant in progenitoribus. hanc ergo radicem scindens nominat illos genimina viperarum, non quidem vituperans patriarchas, aut eos viperas nominans.

Gregorius in evang.. sed quia per hoc quod bonis invident eosque persequuntur, patrum suorum carnalium vias sequentes, quasi venenati filii de veneficis parentibus nati sunt. quia vero supradicta sententia intendit quod extremo Christus examine ab omni carne videbitur, recte subditur quis ostendit vobis fugere a ventura ira? ventura ira est animadversio ultionis extremae.

Ambrosius. Ostenditur autem his dei miseratione infusa prudentia, ut gerant suorum poenitentiam delictorum, futuri terrorem iudicii provida devotione metuentes: aut fortasse, iuxta quod scriptum est: estote prudentes sicut serpentes, ostenduntur habere prudentiam naturalem, qui profutura videant et sponte deposcant, sed adhuc noxia non relinquunt.

Gregorius. Quia vero tunc fugere ab ira peccatorum non valet qui nunc ad lamenta poenitentiae non recurrit, subditur facite ergo fructus dignos poenitentiae.

Chrysostomus. Non enim satis est poenitentibus peccata dimittere, sed opus est eius fructus ferre, secundum illud: declina a malo, et fac bonum; sicut non sufficit ad sanationem sagittam evellere, sed oportet ulceri medicamentum apponere. Non autem dicit fructum, sed fructus, copiam designans.

Gregorius. Nec solum fructus poenitentiae, sed dignos poenitentiae admonet esse faciendos. Quisquis enim illicita nulla commisit, huic conceditur ut licitis utatur; at si quis in culpam lapsus est, tanto a se licita debet abscindere, quanto meminit se perpetrasse illicita. neque enim par fructus esse boni operis debet eius qui minus, et qui amplius deliquit: aut eius qui in nullis, et eius qui in quibusdam facinoribus cecidit. Per hoc ergo cuiuslibet conscientia convenitur, ut tanto maiora quaerat bonorum lucra per poenitentiam, quanto graviora sibi intulit damna per culpam.

Maximus. Poenitentiae fructus est impassibilitas animae, qua plenarie non fruimur, dum interdum passionibus instigamur: nondum enim fructus poenitentiae dignos peregrimus. Poeniteamus ergo veraciter, ut a passionibus expediti, peccatorum veniam consequamur.

Gregorius. Sed iudaei de generis nobilitate gloriantes, idcirco se agnoscere peccatores nolebant, quia de abrahamae stirpe descenderant: quibus recte dicitur et ne coeperitis dicere: patrem habemus abraham.

Chrysostomus. Non hoc indicans quod ab abraham naturali origine non descenderent; sed quia nihil prodest ab abraham descendisse, nisi secundum virtutem cognationem observent. cognationis namque leges consuevit scriptura vocare non eas quae secundum naturam consistunt, sed quae derivantur a virtute vel vitio; quibus namque se quisque conformem statuit, horum filius, vel frater vocatur.

Cyriillus. Quid enim confert carnalis generositas, nisi consimilibus studiis fulciatur? vanum est igitur extolli de bonis praedecessoribus, et deficere ab eorum virtutibus.

Basilius. Neque enim equum velocem esse facit patris erga cursum strenuitas; sed veluti ceterorum animalium probitas consideratur in singulis, sic quoque laus propria viri discernitur quam praesentium bonorum in se comprobatur argumentum. Turpe namque est alienis ornari decoribus quem virtus propria non venustat.

Gregorius nyssenus. Sic igitur iudaeorum promulgato exilio, consequenter ingerit convocationem gentilium, quos lapides appellat: unde sequitur dico enim vobis, quia potest deus de lapidibus istis suscitare filios abrahamae.

Chrysostomus in Matthaeum. Quasi dicat: ne putetis quod, si vos perieritis, filiis privetur patriarcha: potest enim deus etiam ex lapidibus homines illi praebere, et ad illum perducere sanguinem: nam et ab ipso principio sic evenit: ei namque quod est ex lapidibus homines fieri, aequipollet exitus filii ab illo emortuo utero sarae.

Ambrosius. Sed licet deus possit diversas convertere et mutare naturas, tamen mihi plus mysterium quam miraculum prodest. Quid enim aliud quam lapides habebantur qui lapidibus serviebant, similes utique his qui fecerant eos? prophetatur igitur saxosis gentilium fides infundenda pectoribus, et futuros per fidem abrahamae filios oraculo pollicetur. Ut autem scias quia lapidibus comparati sunt homines, arboribus quoque homines comparavit, cum subdit iam enim securis posita est ad radicem arboris. exempli autem ideo facta est mutatio, ut illo comparationis processu quidam intelligatur homini clementior iam profectus.

Origenes in lucam. Et quidem si iam ingrueret consummatio et temporum finis instaret, nulla mihi quaestio nasceretur: dicerem enim propterea hoc prophetatum esse, quia illo tempore complebitur. cum autem tanta

post saecula fluxerint ex quo spiritus sanctus hoc dixit, ego puto israelitico populo prophetari, quod praecisio eius vicina sit. His enim qui egrediebantur ad eum ut baptizarentur, haec inter cetera loquebatur.

Cyrillus. securim ergo in praesenti nominat mortiferam iram, quae divinitus irruit in iudaeos propter exercitiam impietatem in Christum. Non tamen haesisse radici securim praenuntiat, sed ad radicem, idest iuxta radicem positam: decisi namque fuerunt rami, nec radicitus extirpata est planta; reliquiae enim israel salvae fient.

Gregorius. Vel aliter. Arbor huius mundi est universum genus humanum: securis vero est redemptor noster, qui velut ex manubrio et ferro, tenetur ex humanitate, sed incidit ex divinitate: quae videlicet securis iam ad radicem arboris posita est, quia etsi per patientiam expectata, videtur tamen quid factura est. et notandum, quod non iuxta ramos securim positam, sed ad radicem dicit: cum enim malorum filii tolluntur, quid aliud quam rami infructuosae arboris abscinduntur? cum vero tota simul progenies cum parente tollitur, infructuosa arbor a radice abscissa est. Unusquisque autem perversus paratam citius gehennae concremationem invenit, qui fructum boni operis contemnit; unde sequitur omnis ergo arbor quae non facit fructum bonum excidetur, et in ignem mittetur.

Chrysostomus. eleganter dictum est non faciens fructum, et adicitur bonum: officiosum enim hoc animal deus creavit, et naturalis est sibi exercitorum instantia, otium vero innaturale. Obest enim inertia etiam cunctis corporis membris, nulli autem ut animae: ea namque cum continuo sit naturaliter mobilis, otium non patitur. sicut autem otium malum est, ita et indecens exercitium. Ex eo autem quod praemisit poenitentiam, praedicat quod securis adiacet, non quidem incidens, sed terrorem incutiens.

Ambrosius. Faciat ergo fructum qui potest gratiae, et qui debet poenitentiae. Adest dominus qui fructum requirat, fecundos vivificet, steriles reprehendat.

LUCA 3,10-14

9310 (Lc 3,10-14)

Gregorius in evang.. In praemissis verbis baptistae ioannis constat, quod audientium corda turbata sunt, quae consilium quaerebant, cum subinfertur et interrogabant eum turbae dicentes: quid ergo faciemus?

Origenes in lucam. tres ordines inducuntur sciscitantium ioannem super salute sua: unus quem scriptura appellat turbas; alius quem publicanos nominat; tertius qui militum appellatione censetur.

Theophylactus. et quidem publicanis et militibus a malo abstinere praecepit; turbis autem, quasi non malitiosis existentibus, bonum aliquod praecepit observari; unde sequitur respondens autem dicebat illis: qui habet duas tunicas, det non habenti.

Gregorius. Propter hoc quod tunica plus est necessaria usui nostro quam pallium, ad fructum dignum poenitentiae pertinet ut non solum exteriora quaecumque, sed ipsa nobis valde necessaria dividere cum proximis debeamus; scilicet vel tunicam qua vestimur, vel escam qua carnaliter vivimus; unde sequitur et qui habet escas, similiter faciat.

Basilius. Hic autem docemur quod ex omni eo quod affluit supra proprii victus necessitatem, tenemur erogare illi qui non habet, propter deum, qui quaecumque possidemus largitus est.

Gregorius. Quia enim in lege scriptum est: diliges proximum tuum sicut teipsum, minus proximum amare convincitur qui non cum eo in necessitate illius etiam ea quae sunt sibi necessaria partitur: idcirco de dividendis cum proximo duabus tunicis datur praeceptum; quoniam si una dividitur, nemo vestitur. Inter haec autem sciendum est quantum misericordiae opera valeant, cum ad fructus dignos poenitentiae ipsa prae ceteris praecipuntur.

Ambrosius. Alia enim officiorum praecepta propria sunt singulorum: misericordia communis est usus: ideo commune praeceptum est omnibus ut conferant non habenti. Misericordia est plenitudo virtutum. Misericordiae tamen ipsius pro possibilitate conditionis humanae mensura servatur, ut non sibi unusquisque totum eripiat, sed quod habet cum paupere partiat.

Origenes in lucam. profundiorum autem locus iste recipit intellectum. Quomodo enim non debemus duobus servire dominis, sic nec duas habere tunicas, ne sit unum indumentum veteris hominis et alterum novi: sed debemus nos exuere veterem hominem, et ei dare qui nudus est: alius enim habet unum, alius

vero omnino non habet, contraria scilicet fortitudo; et quomodo scriptum est ut in profundum maris praecipitemus nostra delicta, sic proici a nobis oportet vitia atque peccata, et iacere super eum qui eorum nobis causa extitit.

Theophylactus. quidam autem tunicas duas esse dixit spiritum scripturae et litteram. Habentem vero duo haec monet iohannes ut instruat ignorantem, et det ei ad minus litteram.

Beda. Quantum autem baptistae sermo virtutem habuerit, hinc probatur, cum et publicanos et milites ad consilium salutis suae coegerit inquirendum; unde sequitur venerunt autem publicani ut baptizarentur, et dixerunt: magister, quid faciemus? **Chrysostomus.** Magna est virtutis fortitudo, dum felicitatis viam requirunt ab indigo locupletes.

Beda. Praecepit ergo eis ne ultra praescriptum exigant; unde sequitur et ille dixit ad eos: nihil amplius quam quod vobis constitutum est faciatis. publicani vero appellantur hi qui vectigalia publica exigunt, sive qui conductores sunt vectigalium fisci, vel rerum publicarum; nec non et hi qui saeculi huius luca per negotia sectantur, eodem vocabulo censentur; quos omnes pariter in suo quemque gradu ab agenda fraude coercent; ut dum primo se ab alienorum temperarent appetitu, tandem ad propria cum proximis communicanda pertingerent. sequitur interrogabant autem eum et milites, dicentes: quid faciemus et nos? iustissimo autem moderamine praemonet, ne ab eis calumniando praedam requirant, quibus militando prodesse debuerant; unde sequitur et ait illis: neminem concutiatis, scilicet per violentiam, neque calumniam faciatis, scilicet per fraudulentam malitiam; et contenti estote stipendiis vestris.

Ambrosius. Docens idcirco stipendia militiae constituta, ne dum sumptus quaeritur, praedo grassetur.

Gregorius nazianzenus. stipendium enim appellat imperialem provisionem, et deputata per legem dignitatibus munera.

Augustinus contra faustum. sciebat enim eos cum militarent non esse homicidas, sed ministros legis; et non ultores iniuriarum suarum, sed salutis publicae defensores: alioquin responderet eis: arma abjicite, militiam istam deserite, neminem percutite, vulnerate, prosternite. Quid enim culpatur in bello? an quia moriuntur quandoque morituri, ut dominantur in pace victuri? hoc reprehendere timidorum est, non religiosorum. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si qua similia, haec sunt quae in bellis iure culpantur; quae plerumque ut etiam inde puniantur, adversus violentiam resistentium, sive deo, sive aliquo legitimo imperio iubente, gerenda ipsa bella suscipiuntur a bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inveniuntur ubi eos vel iubere tale aliquid, vel in talibus obedire iuste ipse ordo constringit.

Chrysostomus super matth.. Volebat autem iohannes quando publicanis et militibus loquebatur, ad aliam maiorem philosophiam ipsos traducere; sed quoniam nondum erant ad illam idonei, minora reserat: ne si potiora proferret, nequaquam illis intenderent, et his etiam privarentur.

LUCA 3,15-17

9315 (Lc 3,15-17)

Origenes in lucam. Dignum erat ut plus iohanni quam ceteris hominibus deferretur, qui aliter quam cuncti mortales vixerat: quam ob causam diligebant quidem eum iustissime, sed non servabant in caritate modum; unde dicitur existimante autem populo, et cogitantibus omnibus in cordibus suis de iohanne, ne forte ipse esset Christus, etc..

Ambrosius. Quid autem ineptius quam quod is qui in alio aestimatur, in seipso esse non creditur? quem per mulierem venturum putabant, per virginem venisse non credunt: et utique divini adventus signum in virginis partu, non in mulieris constitutum est.

Origenes. habet autem periculum dilectio, si modum transeat: debet enim qui aliquem diligit, naturam et causas considerare diligendi, et non plus diligere quam meretur: nam mensuram caritatis modumque si transcenderit, et qui diligit et qui diligitur in peccato erit.

Graecus. Unde iohannes non fuit gloriatus in habita opinione de ipso ab hominibus, nec aliquatenus visus est primatum appetere; sed infirmam humilitatem amplexus est; unde sequitur respondit iohannes, dicens

omnibus: ego quidem baptizo vos in aqua.

Beda. Quomodo autem respondit eis qui in secreto cordis quia Christus esset, cogitabant, nisi quia non solum cogitabant, sed etiam, sicut alius evangelista declarat, missis ad eum sacerdotibus ac levitis, an esset Christus inquirebant? **Ambrosius.** Vel videbat iohannes cordis occulta. Sed consideremus cuius gratia: dei enim munus est qui revelat, non virtus hominis qui divino magis adiuvatur beneficio, quam naturali cernit officio. Cito autem respondens probavit non esse se Christum, qui visibili operatur officio: nam cum ex duabus naturis, idest ex anima homo subsistat et corpore, visibile per visibilia, invisibile per invisibile mysterium consecratur: aqua enim corpus abluitur, spiritu animae delicta mundantur: licet etiam in ipso fonte sanctificatio divinitatis aspiret: et ideo aliud fuit baptisma poenitentiae, aliud est gratiae: istud baptisma ex utroque, illud ex uno: opus hominis est gerere poenitentiam delictorum, dei munus est gratiam implere mysterii. Declinans ergo maiestatis invidiam, non verbo sed opere declaravit non esse se Christum; unde sequitur venit enim fortior me post me. In hoc quod dicit fortior me, comparisonem non fecit: neque enim inter dei filium et hominem ulla poterat esse comparatio; sed quia multi fortes, fortior nemo nisi Christus. Denique fecit comparisonem, eo quod addiderit cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum eius.

Augustinus de cons. Evang.. Matthaeus quidem dicit: cuius non sum dignus calceamenta portare. Itaque si ad rem pertinet aliud intelligere in eo quod dictum est: calceamenta portare, et corrigiam calceamentorum solvere, ut unus evangelistarum hoc, alii aliud dicerent, omnes verum narraverunt: si autem nihil intendit iohannes, cum de calceamentis domini diceret, nisi excellentiam eius et humilitatem suam; quodlibet horum dixerit, sive de solvenda calceamentorum corrigia, sive de portandis calceamentis, eandem tamen sententiam tenuit quisquis etiam verbis suis per calceamentorum memoriam, eandem significationem humilitatis expressit.

Ambrosius. Per hoc etiam quod dicit: cuius non sum dignus calceamenta portare, evangelicae praedicationis ostendit in apostolos gratiam esse collatam, qui sunt calceati in evangelium. Videtur tamen ideo hoc dicere quod plerumque iohannes personam accipit populi iudaeorum.

Gregorius in evang.. Sed et iohannes se indignum esse ad solvendum corrigiam calceamenti eius denuntiat; ac si aperte dicat: ego redemptoris vestigia denudare non valeo, qui sponsi nomen mihi immeritus non usurpo. Mos enim apud veteres fuit ut si quis eam quae sibi competeret, accipere nollet uxorem, ille ei calceamentum solveret qui ad hanc sponsus iure propinquitatis veniret. Vel quia calceamenta ex mortuis animalibus fiunt, incarnatus dominus quasi calceatus apparuit, qui morticina nostrae corruptionis assumpsit. Corrigia ergo calceamenti est ligatura mysterii. iohannes itaque solvere corrigiam calceamenti eius non valet: quia incarnationis mysterium nec ipse investigare sufficit qui hanc per prophetiae spiritum agnovit.

Chrysostomus in Matthaeum. et quia dixerat quod suum baptisma nil plus haberet quam aquam, consequenter ostendit excellentiam exhibiti per Christum baptismatis, cum subdit ipse vos baptizabit in spiritu sancto et igni: per ipsam dicti metaphoram ostendens abundantiam gratiae: non enim ait: dabit vobis spiritum sanctum, sed baptizabit: ac rursus per id quod de igne subicit, ostendit virtutem gratiae; et sicut Christus aquam vocat spiritus gratiam, ostendens per vocabulum aquae, nitorem qui contingit ex ea, et consolationem immensam quae mentibus capacibus illius ingeritur; sic et iohannes per ignis vocabulum exprimit fervorem et rectitudinem gratiae, necnon et peccatorum consumptionem.

Beda. Potest et spiritus sanctus nomine ignis significatus intelligi: quia incendit per amorem, et per sapientiam corda quae replet, illuminat: unde et apostoli baptisma spiritus in ignis visione percipiunt. Sunt qui ita exponunt, quod in praesenti in spiritu, et in futuro baptizemur in igne; ut videlicet, sicut in remissionem omnium peccatorum ex aqua et spiritu renascimur; ita et tunc de levibus quibusdam peccatis purgatorii ignis ante ultimum iudicium baptisate permundemur.

Origenes in lucam. et quomodo iohannes iuxta iordanem fluvium venientes ad baptismum praestolabatur, et alios abigebat, dicens: generatio viperarum, eos vero qui confitebantur peccata, suscipiebat, sic stabit in igneo flumine dominus iesus iuxta flammeam rhomphaeam; ut quicumque post exitum vitae huius ad paradysum transire desiderat, et purgatione indiget, hoc eum amne baptizet, et ad paradysum transmittat: eum vero qui non habet signum priorum baptismatum, lavacro igneo non baptizet.

Basiliius. Non autem propter hoc quod dicit baptizabit vos in spiritu sancto, integrum quis esse baptisma fatebitur in quo nomen solius spiritus invocatum est: oportet enim semper illibatam manere assignatam traditionem in vivificante gratia: nam addere vel minuere quicquam excludit a vita perpetua: sicut enim credimus, sic et baptisma suscipimus in nomine patris et filii et spiritus sancti.

Graecus. Per hoc ergo quod dicit baptizabit in spiritu sancto, ostendit abundantiam gratiae et beneficii copiam. Ne autem aliqui putent quod dona largiri et potestas et voluntas est creatori: punire vero inobedientes nullam sibi fore causam; ob hoc subdit cuius ventilabrum in manu eius: ostendens quod non solum munificus est dignis, sed etiam praevaricationum ultor. Ventilabrum autem promptitudinem iudicii exprimit: non enim cum induciis, sed in instanti et absque quolibet intervallo separat damnandos a collegio salvandorum.

Cyrillus. Per hoc autem quod subdit et permundabit aream suam, designat baptista ecclesiam pertinere ad Christum, quasi ad dominum.

Beda. Per aream enim praesens ecclesia figuratur, in qua multi sunt vocati, pauci vero electi; cuius areae purgatio et nunc viritim geritur, cum quisque perversus vel ob manifesta peccata de ecclesia, sacerdotali castigatione, eicitur, vel ob occulta post mortem divina districtione damnatur. Et universaliter in fine perficietur, quando mittet filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala.

Ambrosius. ventilabri ergo indicio, discriminandorum dominus declaratur ius habere meritorum, eo quod dum frumenta ventilantur in area, plena a vacuis velut quodam aerae spirantis examine separantur; unde sequitur et congregabit triticum in horreum suum; paleas autem comburet igne inextinguibili. Per hanc comparisonem dominus ostendit quod iudicii die solida merita fructusque virtutis ab inanis iactantiae, exiliumque factorum infructuosa levitate discernat, perfectioris meriti viros locaturus in mansione caelesti. Ipse enim perfectior fructus est qui meruit eius esse conformis qui sicut granum tritici excidit, ut plurimos fructus afferret.

Cyrillus. at paleae lentos et inanes signant, et quolibet vento peccati ventilatos et volubiles.

Basilius. Conferunt autem his qui digni sunt regno caelorum velut palea tritico; non tamen intuitu divinae caritatis et proximorum hoc faciunt, sive spiritualibus donis, sive corporalibus beneficiis.

Origenes in lucam. Vel quia absque vento non possunt triticum et paleae separari; ideo habet ventilabrum in manu sua; quod alios paleas, alios triticum esse demonstrat. Cum enim esses palea levis, idest incredulus, ostendit te esse tentatio quod latebas. Cum autem fortiter tentamenta toleraveris, non te faciet fidelem tentatio atque patientem; sed virtutem, quae in te latebat, profert in medium.

Gregorius nyssenus. Expediit autem scire, quod nec bona quae per repromissiones reposita sunt honeste viventibus, talia sunt ut verbo valeant explicari: quia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt: nec peccatorum poenae ad aliquid eorum quae in praesenti sensum afficiunt, proportionem habent: et quamvis aliquae illarum poenarum per nostra nominentur vocabula, differt tamen non modicum: cum enim audis ignem, aliud quiddam conicere doceris ex eo quod additur inextinguibili, quod in istum ignem non cadit.

Gregorius moralium. miro modo expressus est ignis gehennae: ignis namque noster corporeus per congesta ligna nutritur, nec valet nisi fatus subsistere; at contra gehennae ignis, cum sit corporeus, et in se missos reprobos corporaliter exurat, lignis non nutritur, sed creatus semel inextinguibilis durat.

LUCA 3,18-20

9318 (Lc 3,18-20)

Origenes in lucam. Annuntiaverat iohannes Christum, baptismum spiritus sancti praedicabat, et cetera quae evangelii tradit historia: exceptis ergo his alia annuntiasse monstratur in eo quod dicitur multa quidem et alia exhortans evangelizabat populo.

Theophylactus. Exhortatio enim eius erat bona doctrina; et ideo convenienter evangelium dicitur.

Origenes. et quomodo in evangelio secundum iohannem de Christo refertur, quia multa et alia locutus est, sic et in praesenti loco intellige quod lucas hic dixit, quoniam maiora quaedam a iohanne annuntiabantur quam ut deberent litteris credi. Miramur autem iohannem, quo inter natos mulierum maior nemo fuerit, quod in tantam opinionem meritis virtutis ascenderit ut a plerisque Christus putaretur; sed illud multo mirabilius, quod non timuit herodem, non formidavit interitum; unde sequitur herodes autem tetrarcha cum corripere ab illo, etc..

Eusebius eccles. Hist.. Dicitur autem tetrarcha ad differentiam alterius herodis, quo regnante natus est Christus: erat enim ille rex, hic autem tetrarcha. erat autem illi coniux aretae regis arabum filia, quam, cum coniux esset fratris sui philippi, more sacrilego duxit, quamvis prolem haberet a fratre: his enim solum licebat hoc agere quorum fratres sine prole vitam compleverant. Super hoc herodem reprehenderat baptista. Primo quidem diligenter eius audiebat sermones, cum sciret eos ponderosos, et consolatione plenos; sed herodiadis concupiscentia cogebat eum aspernari verba ioannis: unde et eum detrudit in carcerem; et hoc est quod dicitur adiecit et hoc super omnia, et inclusit ioannem in carcere.

Beda. non autem his diebus captus est ioannes, sed, iuxta evangelium ioannis, post aliqua gesta signa a domino, et post eius baptismum diffamatum. Sed a luca propter exaggerandam malitiam herodis praeoccupatum est: qui cum videret ad praedicationem ioannis multos confluere, milites credere, publicanos poenitere, totum vulgus baptismum suscipere, ipse e converso non solum ioannem contemnit, sed vinculat et occidit.

Glossa. Ante etiam quam lucas aliquid narret de actibus iesu, dicit ioannem ab herode captum; ut ostendat se solummodo ea domini facta praecipue descripturum quae eo anno gesta sunt quo ioannes captus est vel punitus.

LUCA 3,21-22

9321 (Lc 3,21-22)

Ambrosius. Pulchre in his quae a ceteris dicta sunt, lucas compendium sumpsit. et intelligendum magis quod a ioanne dominus baptizatus est, quam expressum reliquit; unde dicitur factum est autem, cum baptizaretur omnis populus, et iesu baptizato et orante, apertum est caelum. baptizatus est autem dominus, non mundari volens, sed mundare aquas; ut ablutae per carnem Christi, qui peccatum non cognovit, baptismatis ius haberent.

Gregorius nazianzenus. Accedit etiam Christus ad baptismum, forsan sanctificaturus baptistam; quod autem nulli dubium est, ut totum veteranum adam immergat aquae.

Ambrosius. Quae etiam sit dominici causa baptismatis, dominus ipse declarat, dicens: sic decet implere omnem iustitiam. Quae est ergo iustitia, nisi quia quod alterum tibi facere velis, prior ipse incipias, et tuo alios hortaris exemplo? nemo igitur refugiat lavacrum gratiae, quando Christus lavacrum poenitentiae non refugit.

Chrysostomus. Fuerat autem baptismum iudaicum quod sordes carnis amovebat, non conscientiae crimina; nostrum autem baptismum separat a peccatis, lavat animam, et spiritus copiam elargitur. baptismum vero ioannis iudaico praestantius fuit: neque enim ad observantiam corporalium mundificationum inducebat, sed monebat a vitio in virtutem converti: nostro vero baptismate minus, eo quod nec spiritum sanctum administrabat, nec remissionem quae per gratiam sit exhibebat; cum quasi finis quidam esset utrumque baptismatum. Sed neque iudaico baptismate, nec nostro baptizatus est Christus: quia nec indulgentia peccatorum egebat, nec illa caro expers erat spiritus sancti quae per spiritum sanctum ab ipso principio concepta est. Sed baptizatus est ioannis baptismate, ut ex ipsa natura baptismatis scias quia neque causa peccati, neque propter indigentiam doni baptizatus est. Dicit autem baptizato et orante, ut perpendas quod, suscepto baptismate, opportuna sit iugis oratio.

Beda. Quia etsi peccata sunt omnia in baptismo laxata, non adhuc terrena carnis est fragilitas solidata: nam quasi transito mari rubro gratulamur submersos aegyptios; sed in deserto mundanae conversationis hostes concurrunt alii, qui duce Christi gratia nostro sudore vincantur, donec perveniamus ad patriam.

Chrysostomus. Dicit autem apertum est caelum, tamquam hactenus reclusum fuisset. Iam autem ovili superno et infimo in unum redacto, et uno existente ovium pastore, caelum patuit, et homo terricola aggregatus est angelis.

Beda. Non enim ei caelum tunc apertum est cuius oculi interiora cernebant; sed virtus ibi baptismatis ostenditur, de quo quisque cum egreditur, regni caelestis ei ianua aperitur, dumque caro innoxia frigentibus tangitur aquis, opposita quondam noxiis rhomphaea extinguitur ignea.

Chrysostomus. descendit etiam spiritus sanctus ad Christum tamquam ad generis nostri principium, ut in

Christo sit primo, qui non sibi, sed nobis potius illum suscepit: unde sequitur et descendit spiritus sanctus corporali specie, sicut columba, in ipsum. non existimet aliquis quod cum non habuit eum, suscepit ipsum: ipse namque illum desursum tamquam deus mittebat; at idem ut homo recipiebat inferius. igitur ex eo devolavit in eum, ex ipsius deitate ad eius humanitatem.

Augustinus de trin.. Absurdissimum autem est, cum iam triginta annorum esset, accepisse spiritum sanctum: sed venit ad baptismum sicut sine peccato, ita non sine spiritu sancto. Si enim de iohanne scriptum est: spiritus sancto replebitur ab utero matris suae, quid de homine Christo credendum est, cuius carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritualis fuit? nunc ergo corpus suum, idest ecclesiam, praefigurare dignatus est, in qua baptizati praecipue accipiunt spiritum sanctum.

Chrysostomus. redolebat illud baptismum aliquid vetustatis, et partim sapiebat novitatem: quod enim baptismum susciperet a propheta, ostendebat aliquid vetustatis: quod autem spiritus descenderit, novum aliquid designabat.

Ambrosius. Merito autem spiritus se in corpore demonstravit, quoniam divinitatis substantia non videtur. Advertamus mysterium quare sicut columba: simplicitatem enim lavacri requirit gratia: quoniam in typo veteri columba quondam ad illam arcam, quae sola fuit diluvii immunis, reversa est.

Chrysostomus. Vel nunc ut mansuetudinem magistri declaret, in specie columbina apparet; in pentecoste autem quemadmodum ignis, ut ostendat poenam. Cum enim oportebat delictis ignoscere, mansuetudo necessaria erat; sed ut adepti sumus gratiam, restat examinis et iudicii tempus. Cyprianus de simpl. praelat.. Est autem columba simplex et laetum animal, non felle amarum, non moribus saevum, non unguis laceratione violentum; hospitia humana deligere, unius domus nosse consortium; cum generant filios simul sedere; cum comitant, volatu invicem cohaerere; conversatione communi vitam suam degere; oris osculo concordiam pacis agnoscere; legem circa omnia unanimatis implere.

Chrysostomus. Et quidem Christus in ortu suo per plurima se manifestaverat oracula: verum quia noluerunt advertere, cum medio latuerit tempore, rursus se ab alio clariore patefecit principio. Non stella, sed desuper indicabat pater in undis iordanis, et spiritus devolabat protrahens illam vocem super verticem eius qui baptizabatur; unde sequitur et vox de caelo facta est: tu es filius meus dilectus, in te complacui mihi.

Ambrosius. Vidimus spiritum, sed in specie corporali; et patrem quem videre non possumus, audiamus: invisibilis enim est pater, sed et filius invisibilis secundum divinitatem: sed demonstrare se voluit in corpore: et quia pater corpus non gerebat, ideo probare voluit nobis in filio sese praesentem, dicens tu es filius meus.

Athanasius de syn. Nyc.. Sacra quidem scriptura ex nomine filii duplicem intellectum ostendit; unum quidem, ut in evangelio iohannis dicitur: dedit eis potestatem ut fiant filii dei; alterum autem intellectum, iuxta quem isaac est filius abrahamae. Christus ergo non simpliciter dicitur dei filius, sed cum articuli additione, ut comprehendamus quoniam ipse solus est qui revera et secundum naturam est filius; quamobrem et unigenitus dicitur: nam si secundum insaniam arii dicitur filius, sicut qui hoc nomen per gratiam assequuntur; in nullo a nobis differre videbitur. restat ergo, secundum alium intellectum, fatendum esse Christum filium dei, secundum quem isaac filius abrahamae esse cognoscitur: quod enim ab alio naturaliter gignitur, non autem ab extrinseco sumit exordium, filium naturam recenset. Sed dicitur: numquid ut hominis est passibilis nativitas filii? minime; sed deus cum sit indivisibilis, impassibiliter pater est filii: unde verbum patris dicitur: quia nec ipsum verbum humanum passibiliter producitur; et cum simplex sit natura divina, unius solius filii pater est; et propter hoc additur dilectus.

Chrysostomus. Cum enim quis unum solum possidet filium, maxime diligit; si vero pater factus sit plurium, dispertitus affectus remittitur.

Athanasius. cum autem antea propheta protulerit dei promissa dicentis: mittam Christum filium meum, nunc apud iordanem, quasi consummato promisso, decenter subiungit in te complacui mihi.

Beda. Ac si dicat: in te placitum meum constitui, idest hoc per te gerere quod mihi placet.

Gregorius super ezech.. Vel aliter. Omnis qui poenitendo corrigit aliqua quae fecit, eo ipso quod poenitet, se sibi displicuisse indicat, quia emendat quod fecit. Et quia omnipotens pater humano modo de peccatoribus locutus est, dicens: poenitet me fecisse hominem, quasi sibimetipsi displicuit in peccatoribus quos creavit: in solo autem Christo sibi complacuit, quia in solo eo non invenit culpam, in qua se reprehendat quasi per poenitentiam.

Augustinus de cons. Evang.. Quod autem Matthaeus dicit: hic est filius meus, lucas autem tu es filius

meus dilectus, ad eamdem sententiam explicandam valet: vox enim caelestis unum horum dixit; sed Matthaeus ostendere voluit ad id valere quod dictum est: hic est filius meus, ut illis qui potius audiebant, indicaretur quod ipse esset filius dei: non enim Christo indicabatur, qui sciebat; sed audiebant qui aderant, propter quos etiam ipsa vox facta est.

LUCA 3,23-38

9323 (Lc 3,23-38)

Origenes in lucam. Cum autem baptizatum dominum dixisset, generationem domini exponit, non a superioribus ad inferiora deducens, sed a Christo usque ad ipsum pervenit deum; unde dicit et ipse iesus erat incipiens quasi annorum triginta. Quando enim baptizatus est, et mysterium secundae generationis assumpsit, tunc dicitur incepisse, ut tu quoque priorem nativitatem destruas, et in secunda regeneratione nascaris.

Gregorius nazianzenus. est ergo considerandum qui esset qui baptizatus est, et a quo, et quando. Mundus siquidem, et a iohanne, et iam inceptis miraculis; ut ex hinc suscipiamus doctrinam nos praemundandi, et humilitatem amplexandi, quin et in perfectione et spiritualis et carnalis aetatis praedicandi: quorum primum dictum est baptisma suscipientibus, et non praemunientibus se per habitum bonum; nam etsi relaxationem peccatorum faciat donum baptismi, verendum tamen est ne ad eundem vomitum revertamur. Secundum dictum est adversus insurgentes contra dispensatores mysterii: siquidem ipsi dignitate praecellunt. tertium editum est illis qui de iuventa confidunt, et quodlibet tempus arbitrantur ad praelationem vel doctrinam spectare. Purgatur iesus, et tu purgationem contemnis; a iohanne, ac tu in tuum monitorem insurgis; tricenarius, tu autem docendo seniores, lanuginem praevenis. Sed adsunt danielis et similibus exempla in ore: nam quilibet noxius ad respondendum paratus est. Non est autem lex ecclesiae quod raro contingit, eo quod nec unica hirundo ver statuit.

Chrysostomus. Vel idcirco usque ad illam aetatem quae cuncta peccata recipit, expectat, totam legem perficiens, ne quis dicat, quod ideo legem solvit, quod eam non poterat consummare.

Graecus. Ob hoc etiam tricenarius accedit ad baptisma, ut ostendat quod spiritualis regeneratio viros parit perfectos secundum spiritualem aetatem.

Beda. Potest etiam tricenalibus baptizati salvatoris aetas, nostri etiam baptismatis intimare mysterium, propter fidem scilicet trinitatis, et operationem decalogi.

Gregorius nazianzenus. baptizandus est tamen infantulus, si necessitas urgeat: nam utilius est insensibiliter sanctificari, quam non signatos transmigrare. Sed dices: Christus tricenarius baptizatur, cum deus esset; tu vero iubes accelerare baptisma. Sed cum dixisti: deus, id obiectum solvisti. Ipse non indigebat purgamine, nec aliquod imminere ei periculum dum differret baptisma; at tibi in parvum non redundat piaculum, si transmigras in corruptione natus, non autem incorruptionis veste indutus. At forsitan times ne baptizatus baptismatis munditiam custodias et propterea differs baptismum. Sed melius est nonnunquam parumper inquinari, quam omnino gratia carere.

Cyrillus. Licet tamen Christus secundum carnem careat patre, suspicabantur aliqui eum patrem habere; unde sequitur ut putabatur filius ioseph.

Ambrosius in lucam. Bene ut putabatur, qui vere non erat; sed ideo putabatur, quia eum maria, quae ioseph viro suo erat desponsata genuerat. Cur autem ioseph magis quam mariae generatio describitur, cum Maria de spiritu sancto genuerit Christum, et ioseph a generatione domini videatur alienus, dubitare possemus, nisi consuetudo nos instrueret scripturarum, quae semper viri originem quaerit: maxime cum in ioseph origine etiam origo sit mariae: nam cum vir iustus fuerit ioseph, utique ex tribu sua et ex patria sua accepit uxorem: itaque et census tempore ascendit ioseph de domo et de patria david, ut profiteretur cum Maria uxore sua. Quae ex eadem domo et ex eadem patria professionem defert, utique eiusdem tribus et eiusdem patriae se esse designat: unde generationem ioseph explicans subdit qui fuit heli. Illud autem advertamus, quod sanctus Matthaeus iacob, qui fuit pater ioseph, filium nathan esse commemorat; lucas vero ioseph, cui desponsata fuit maria, filium heli esse descripsit. Quomodo unius duo patres, scilicet heli et iacob, esse potuerunt? **Gregorius** nazianzenus. Dicunt autem quidam quod unica est successio a david usque ad ioseph; licet diversis nominibus ab utroque evangelista narratur. Sed hoc absurde fatentur: quoniam initium huius generationis duos fratres obtinuit, nathan scilicet et salomonem: unde generationes diversimode profluxerunt.

Eusebius eccl. hist.. Ipsorum ergo verborum sententiae intellectum attentius explicemus: si enim approbante Matthaео ioseph esse filium iacob, lucas similiter approbasset ioseph esse filium heli, esset aliqua controversia. ceterum cum approbante Matthaео, lucas plurimum opinionem declararet, non propriam, dicens ut putabatur, non arbitror aliquid relinqui dubium. Cum enim essent inter iudaeos diversae opiniones de Christo, et omnes reducerent ipsum ad david propter promissiones ei factas; plurimi autem assererent Christum a david esse futurum per salomonem et alios reges; quidam hanc opinionem vitabant, eo quod plurima de regibus dicuntur enormia; et quia de iechonia ieremias dixit, quod non oriretur semen ex eo collocandum in sede david: quorum opinionem commemorat lucas, sentiens enarrare Matthaеum qualis esset veritas generationis: et haec est prima ratio. Est et alia profundior. Matthaеus enim cum inciperet scribere ante conceptionem mariae, et carnalem nativitatem iesu, opportune velut in historia praemittit carnalem progeniem: unde et generationem a superioribus derivat descendens: cum enim verbum dei carnem acciperet, descendebat. Sed lucas ad factam per lavacrum regenerationem prosilit, et ibi aliam generum successionem exponit, et ab imis ad prima sublevans, pariter et peccatorum, quos narravit Matthaеus, memoriam abdicat (eo quod quicumque in Deo renascitur, sit alienus a criminosis parentibus, dei filius factus), et eorum qui secundum deum vitam duxerunt honestam, meminit. Sic enim abraham dictum est: tu proficisceris ad patres tuos, non quidem carnales, sed in Deo patres, propter similitudinem honestatis. Igitur ei qui in Deo nascitur ascribit parentes, qui sunt secundum deum per aequiparantiam morum.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam.. vel aliter. Matthaеus a david per salomonem descendit ad ioseph; lucas vero ab heli, qui tempore fuit salvatoris, ascendit per traducem nathan filii david, et heli et ioseph iunxit tribum, ostendens unius generis esse utrumque; ac per hoc non solum ioseph filium esse salvatorem, sed et heli. Ipsa enim ratione qua ioseph filius dicitur esse salvator, ipsa etiam est heli filius, et caeterorum omnium qui de eadem tribu sunt. Hinc est quod dicit apostolus: quorum patres, et ex quibus Christus secundum carnem.

Augustinus de quaest. evang.. Vel tres causae concurrunt, quarum aliquam evangelista secutus sit: aut enim unus evangelista patrem eius a quo genitus est, nominavit, alter vero vel avum maternum, vel aliquem de cognatis maioribus posuit: aut unus erat ioseph naturalis pater et alter eum adoptavit: aut more iudaeorum, cum sine filiis unus decessisset, eius uxorem propinquus recipiens, filium quem genuit propinquo mortuo deputavit.

Ambrosius. Traditur enim, nathan, qui a salomone genus duxit, iacob generasse filium, et uxore superstite decessisse, quam postea melchi accepit uxorem, ex qua generatus est heli; rursus heli, fratre iacob sine liberis decedente, copulatus est fratris uxori, et generavit alium ioseph, qui iuxta legem iacobi filius dicitur: quoniam semen fratris defuncti iuxta legis veteris seriem suscitabat.

Beda. Vel aliter. Iacob fratris heli sine liberis defuncti uxorem de mandato legis accipiens genuit ioseph, natura quidem germinis filium suum, secundum vero legis praeceptum efficitur filius heli.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam.. Probabilius enim intelligimus lucam adoptantis originem tenuisse, qui noluit ioseph genitum dicere ab illo cuius filium esse narravit. Commodius enim filius dictus est eius a quo fuerat adoptatus, quam diceretur ab illo genitus cuius carne non erat natus. Matthaеus autem dicens: abraham genuit isaac, isaac autem genuit iacob, atque in hoc verbo, quod est genuit, perseverans donec in ultimo diceret: iacob autem genuit ioseph, satis expressit ad eum se patrem perduxisse originem generantium, a quo ioseph non adoptatus, sed genitus erat. quamquam si etiam genitum lucas diceret ioseph ab heli, nec sic nos hoc verbum perturbare deberet: neque enim absurde quisque dicitur non carne, sed caritate genuisse quem sibi filium adoptavit. merito autem lucas adoptionis originem suscipit: quia per adoptionem efficiuntur filii dei; per carnalem vero generationem filius dei potius propter nos filius hominis factus est.

Chrysostomus. Quia vero haec pars evangelii consistit in serie nominum, nihil pretiosum exinde acquiri existimant. Ne igitur hoc patiamur, experiamur etiam hunc passum scrutari. Est enim ex nudis nominibus copiosum haurire thesaurum, quia plurimum rerum indicativa sunt nomina: nam et divinam clementiam, et oblatas a mulieribus gratiarum actiones sapiunt: cum enim filios impetrabant, nomen imponebant a dono.

Glossa. Interpretatur igitur heli, deus meus, vel scandens; qui fuit mathat, idest donans peccata; qui fuit levi, idest additus.

Ambrosius. Pulchre lucas, quoniam filios iacob non poterat plures comprehendere, ne extra generationes evagari superflua serie videretur, licet in aliis longe posterioribus patriarcharum tamen antiqua nomina non praetermittenda arbitratus est: ioseph, iudae, simeonis et levi. Quatuor enim genera in his cognoscimus

fuisse virtutum: in iuda passionis dominicae per figuram mysterium prophetatum; in ioseph praecessisse castitatis exemplum, in simeone vindictam pudoris; in levi officium sacerdotis; unde sequitur qui fuit melchi, idest rex meus; qui fuit ianne, idest dextera; qui fuit ioseph, idest accrescens (fuit autem alius iste ioseph); qui fuit mathathiae, idest donum dei, vel aliquando; qui fuit amos, idest onerans, vel oneravit; qui fuit nahum, idest consolatio, vel consolans; qui fuit hesli, idest, adiuva me; qui fuit nagge, idest meridies, vel meridianum; qui fuit mahath, idest desiderium; qui fuit mathathiae, ut supra; qui fuit semei, idest obediens; qui fuit ioseph, idest augmentum; qui fuit iuda, idest confitens; qui fuit ioanna, idest dominus, vel gratia eius, vel dominus misericors; qui fuit resa, idest misericors; qui fuit zorobabel, idest princeps, vel magister babylonis; qui fuit salathiel, idest petitio mea deus; qui fuit neri, idest lucerna mea; qui fuit melchi, idest regnum meum; qui fuit addi, idest robustus, vel violentus; qui fuit cosan, idest dominans; qui fuit helmadam, quod est dei mensura; qui fuit her, quod est vigilans, vel vigilia, vel pelliceus; qui fuit iesu, quod est salvator; qui fuit eliezer, idest deus meus adiutor; qui fuit iorim, idest dominus exultans, vel exaltans; qui fuit mathat, ut supra; qui fuit levi, ut supra; qui fuit simeon, id est audivi tristitiam, vel signum; qui fuit iuda, ut supra; qui fuit ioseph, ut supra; qui fuit iona, idest columba, vel dolens; qui fuit eliakim, quod est dei resurrectio; qui fuit melcha, idest rex eius; qui fuit menna, quod est viscera mea; qui fuit mathathiae, idest donum; qui fuit nathan, idest dedit, vel dantis.

Ambrosius. Per nathan autem expressam advertimus prophetiae dignitatem; ut quia unus omnis Christus iesus, in singulis quoque maioribus genera virtutum diversa praecederent. sequitur qui fuit david.

Origenes in lucam. Dominus descendens in mundum, assumpsit peccatorum hominum personam, et nasci voluit de stirpe salomonis, ut refert Matthaeus, cuius peccata scripta sunt, et ceterorum, ex quibus multi fecerunt malum in conspectu dei. Quando vere ascendit, et secundo per baptismum ortus esse describitur, ut refert lucas, non per salomonem, sed per nathan nascitur, qui arguit patrem super uriae morte, ortuque salomonis.

Augustinus in lib. Retract.. dicendum autem, quod huiusmodi nominis propheta arguit david, ne putetur idem fuisse homo, cum alter fuerit.

Gregorius nazianzenus. Sed a david ultra, secundum utrumque evangelistam, est generis processus indivisibilis; unde sequitur qui fuit iesse.

Glossa. interpretatur david manu fortis, iesse incensum. sequitur qui fuit obed, quod est servitus; qui fuit booz, quod est fortis; qui fuit salomon, quod est sensibilis, vel pacificus; qui fuit naasson, quod est augurium, vel serpentinus; qui fuit aminadab, idest populus voluntarius; qui fuit aram, quod est erectus, vel excelsus; qui fuit esron idest sagitta; qui fuit phares, quod est divisio; qui fuit iudae, idest confitens; qui fuit iacob, quod est supplantator; qui fuit isaac, quod est risus, vel gaudium; qui fuit abraham, quod est pater multarum gentium, vel videns populum.

Chrysostomus. Matthaeus quidem tamquam qui iudaeis scribebat, nihil statuit ulterius scribere nisi quod ab abraham et david Christus processerat: hoc enim maxime placabat iudaeos. Lucas vero, sicut qui omnibus communiter loquebatur, ulterius protendit sermonem, attingens usque ad adam; unde sequitur qui fuit thare.

Glossa. Quod interpretatur exploratio, sive nequitia; qui fuit nachor, quod est requievit lux; qui fuit sarug, quod est corrigia, vel comprehendens lorum, vel perfectio; qui fuit ragau, quod est aegrotus, vel pascens; qui fuit phaleg, quod est dividens, vel divisum; qui fuit heber, quod est transitus; qui fuit sale, quod est tollens; qui fuit cainan, quod est lamentatio, vel possessio eorum.

Beda. Nomen et generatio cainan, iuxta hebraicam veritatem neque in genesi, neque in verbis dierum invenitur, sed arphaxad selaa vel sale filium nullo interposito genuisse perhibetur. scito ergo lucam hanc generationem de septuaginta interpretum editione sumpsisse, ubi scriptum est quod arphaxad centum triginta quinque annorum genuerit cainan, et ipse cainan cum triginta quinque fuerit annorum, genuerit sale. sequitur qui fuit arphaxad.

Glossa. quod est sanans depopulationem; qui fuit sem quod est nomen, vel nominatus; qui fuit noe, quod est requies.

Ambrosius. Noe quidem iusti inter dominicas generationes commemoratio non debuit praetermitti: ut quia aedificator ecclesiae nascebatur, eum sui generis auctorem praemisisse videatur qui eam in typo ante fundaverat. qui fuit lamech.

Glossa. quod est humiliatum vel percutiendum, percussum vel humilem; qui fuit mathusalem, quod est

mortis emissio, vel mortuus est, et interrogavit.

Ambrosius. huius ultra diluvium numerantur anni; ut quoniam solus est Christus unus, cuius vita nullam sentit aetatem, in maioribus quoque suis non sensisse diluvia videretur. qui fuit enoch: et hic pietatis dominicae et divinitatis manifestum indicium est, eo quod nec mortem senserit dominus, et ad caelum remeaverit, cuius generis auctor raptus ad caelum est. Unde manifestum est Christum potuisse non mori, sed voluisse, ut nobis mors illa prodesset: et ille quidem raptus ne malitia mutaret cor eius; dominus autem, quem malitia saeculi mutare non poterat, eo unde venerat, naturae suae maiestate remeavit.

Beda. Pulchre autem a baptizato dei filio usque ad deum patrem ascendens, septuagesimo gradu enoch ponit, qui dilata morte translatus est in paradysum; ut significet eos qui in gratiam adoptionis filiorum ex aqua et spiritu sancto regenerantur, interim post corporis absolutionem, aeternam suscipiendos in requiem: septuagenarius enim, propter septimam sabbati, illorum requiem significat qui iuvante dei gratia decalogum legis impleverunt.

Glossa. Interpretatur autem enoch dedicatio; qui fuit iared, quod est defendens, sive continens; qui fuit malaleel, quod est laudatus dei, vel laudans deum; qui fuit cainan, ut supra; qui fuit enos, idest homo desperans, vel violentus; qui fuit seth, quod est positio sive posuit.

Ambrosius. Seth posterior filius adae non siletur; ut cum duae sint populi generationes, significaretur in typo, in posteriore potius quam in priore generatione Christum numerandum. sequitur qui fuit adam.

Glossa. quod est homo, vel terrenus, vel indigens. Qui fuit dei.

Ambrosius. Quid pulchrius potuit convenire quam ut sancta generatio a dei filio inciperet, et usque ad dei filium duceretur; creatusque praecederet in figura, ut natus in veritate sequeretur; ad imaginem factus praeiret, propter quem dei imago descenderet? putavit etiam lucas ad deum Christi originem referendam, quod verus Christi generator deus sit, vel secundum generationem veram pater, vel secundum lavacrum et regenerationem mystici auctor numeris. Et ideo non a principio generationem eius coepit describere, sed posteaquam baptisma eius explicuit; ut secundum naturam et secundum gratiam dei filium demonstraret. Quod autem evidentius divinae generationis indicium, quam quod de generatione dicturus patrem praemisit loquentem tu es filius meus dilectus? **Augustinus.** De cons. Evang.. Satis etiam per hoc demonstravit, non se ideo dixisse ioseph filium heli, quod de illo genitus: sed quod ab illo potius fuerit adoptatus; cum etiam ipsum adam filium dixit, cum sit factus a deo; sed per gratiam, quam postea peccando amisit, tamquam filius in paradiso constitutus sit.

Theophylactus. Ideo etiam generationem finit in deum, ut addiscamus quod qui in medio sunt patres, Christus ad deum eriget, et filios dei faciet; et ut etiam crederetur Christi generatio sine semine fuisse; quasi dicat: si non credis quod secundus adam factus sit sine semine, devenias ad primum adam: invenies enim absque semine factum a deo.

Augustinus de cons. Evang.. et Matthaesus quidem significare voluit dominum descendente ad nostram mortalitatem; ideo generationes ab abraham usque ad Christi nativitatem descendendo commemoravit ab initio evangelii sui. lucas autem non ab initio, sed a baptismo Christi generationes narrat, nec descendendo, sed ascendendo, tamquam sacerdotem in expiandis peccatis magis assignans; cui iohannes testimonium perhibuit dicens: ecce qui tollit peccata mundi. Ascendendo autem pervenit ad deum, cui mundati et expiati reconciliamur.

Ambrosius. Nec sic evangelistae discrepare videantur, qui veterem ordinem sunt secuti. Nec mireris, si ab abraham plures secundum lucam successiones usque ad Christum sunt, pauciores secundum Matthaesum, cum per alias personas generationem fatearis esse decursam. Potest enim fieri ut alii longaevam transegerint vitam, alterius vero generationis viri immatura aetate decesserint: cum videamus quam plures senes cum suis nepotibus vivere, alios vero viros statim filiis obire susceptis.

Augustinus de cons. evang.. Convenientissime autem lucas baptizato domino generationes per septuaginta septem personas sursum versus numerat; nam et ascensus ad deum, cui per peccatorum abolitionem reconciliamur, expressus est; et per baptismum fit homini omnium remissio peccatorum, quae illo numero significantur: nam undecies septem, septuaginta et septem sunt: in denario autem perfectio beatitudinis est; unde manifestum est quod transgressio denarii designat peccatum per superbiam plus aliquid habere cupientis. Hoc autem septies propterea ducitur, ut motu hominis facta significetur illa transgressio: ternario enim numero incorporea pars hominis significatur; quaternario vero corpus; motus autem in numeris non exprimitur, cum dicimus: unum, duo, tria; sed cum dicimus: semel, bis, ter. Unde per septies undecim significatur motu hominis facta transgressio.

LUCA 4,1-4

9401 (Lc 4,1-4)

Theophylactus. Post baptismum Christus tentatur, innuens nobis quod postquam erimus baptizati, tentationes imminet nobis; unde dicitur iesus autem plenus spiritu sancto regressus est a iordane.

Cyrillus. Dudum dixit deus: non permanebit spiritus meus in hominibus istis, eo quod sunt caro; ubi vero regeneratione per aquam et spiritum ditati sumus, facti sumus divinae naturae participes per spiritus sancti participationem. primogenitus autem in multis fratribus, primus recepit spiritum, qui et spiritus dator est, ut etiam ad nos per ipsum perveniat gratia spiritus sancti.

Origenes in lucam. Quando igitur legis iesum plenum spiritu sancto, et in actibus scribitur de apostolis, quod repleti fuerint spiritu sancto, vide ne aequales putes esse apostolos salvatori: quomodo enim si volueris dicere, haec vasa plena sunt vino vel oleo, non statim dices, quod aequali mensura sunt plena; sic et iesus et paulus pleni erant spiritu sancto; sed vas pauli multo minus erat quam iesu, et tamen erat secundum mensuram suam utrumque repletum. Accepto itaque baptismo, salvator plenus spiritu sancto, qui super eum in specie columbae de caelis venerat, ducebatur a spiritu: quia quotquot spiritu dei ducuntur, hi filii dei sunt; iste autem supra omnes proprie filius dei est.

Beda. Ne cui autem veniret in dubium a quo spiritu ductum sive expulsum, alii evangelistae dicerent in desertum, consulte lucas demum intulit et agebatur in desertum a spiritu quadraginta diebus: ne quid contra eum valuisse spiritus putaretur immundus, qui plenus spiritu sancto quaecumque volebat, agebat.

Graecus. si vero nos arbitrio proprio nostram vitam disponimus, quomodo ipse trahebatur invitus? quod ergo dicitur agebatur spiritu, huiusmodi habet intellectum: sponte spiritualement duxit conversationem, ut locum exhiberet tentanti.

Basilus. non enim verbo provocans inimicum, sed opere incitans quaerit desertum: delectatur enim diabolus in deserto, non patitur esse in urbibus, contristat ipsum concordia civium.

Ambrosius. Agebatur igitur consilio in desertum, ut diabolum provocaret: nam nisi ille certasset, non mihi iste vicisset: mysterio, ut illum adam de exilio liberaret qui de paradiso in desertum eiectus est; exemplo, ut ostenderet nobis diabolum ad meliora tendentibus invidere, et tunc magis esse cavendum ne mysterii gratiam deserat mentis infirmitas; unde sequitur et tentabatur a diabolo.

Cyrillus. ecce factus est in athleticis iubens agones deus in his, qui coronat sanctorum vertices.

Gregorius moral.. Hostis tamen noster mentem mediatoris dei et hominum tentatione quassare non valuit: sic enim dignatus est tentationes exterius suscipere, ut tamen eius mens interius divinitati inhaerens inconcussa permaneret.

Origenes in lucam. Tentatur autem iesus a diabolo quadraginta diebus; et quae fuerint tentamenta nescimus; quae ideo forsitan praetermissa sunt, quia maiora erant quam ut litteris traderentur.

Basilus. Vel dominus per quadragenam intentatus mansit; noverat enim diabolus quod ieiunabat et non famescebat; et ideo non audebat accedere; unde sequitur et nihil manducavit in diebus illis: ieiunavit siquidem, ostendens quod illi qui se vult ad pugnas tentationum accingere, sobrietas est necessaria.

Ambrosius in lucam. tria igitur sunt quae ad usum proficiunt salutis humanae: sacramentum, desertum et ieiunium. Nemo nisi qui legitime certaverit, coronatur; nemo autem ad certamen virtutis admittitur, nisi prius ab omnibus ablutus maculis delictorum, gratiae caelestis munere consecratur.

Gregorius nazianzenus. quadraginta siquidem diebus ieiunavit nihil manducans: erat enim deus: nos autem ieiunium possibilitati proportionamus, licet zelus aliquibus progredi suadeat ultra posse.

Basilus. Sed tamen non sic utendum est carne ut per egestatem alimenti naturalis vigor eius solvatur; neque ut ad ultimum torporem intellectus urgeatur per dissolutionis excessum. Unde dominus noster semel hoc peregit, sed per totum consequens tempore debito gubernavit corpus; et similiter moyses et elias.

Chrysostomus. Valde autem prudenter factum est quod in ieiunando eorum non excessit numerum; ne scilicet putaretur apparenter venisse, non autem recepisse veram carnem, aut praeter humanam esse naturam.

Ambrosius. Quadraginta autem dierum mysticum numerum recognoscis: tot enim diebus aquas abyssi effusas esse meministi, et tot ieiunio dierum sanctificato refusam caeli serenioris ostendit clementiam, tot ieiunio dierum moyses perceptionem legis emeruit, tot annos in eremo constituti patres panem angelorum consecuti sunt.

Augustinus de cons. evang.. Numerus autem iste laboriosi huius temporis sacramentum est, quo sub disciplina regis Christi adversus diabolum dimicamus. Hic enim numerus temporalem vitam significat: tempora enim annorum quadripartitis vicibus currunt: quadraginta autem quater habent decem: porro ipsa decem ab uno usque ad quatuor progrediente numero consummantur; quod declarat quod quadraginta dierum ieiunium, hoc est humiliationem animae, consecravit et lex et prophetae per moysen, et eliam, et evangelium per ipsius domini ieiunium.

Basilius. Verum quia non esurire supra hominem est, assumpsit dominus passionem famis, indicans eam non esse peccatum, et concessit cum voluit naturae humanae quae sua sunt pati et agere; unde sequitur et consummatis illis esuriit, non coactus ad necessitatem quae praeest naturae, sed quasi provocans diabolum ad duellum: sentiens enim diabolus, quia ubi fames, ibi imbecillitas, aggreditur ad tentandum; et quasi tentationum excogitator, famem Christo patienti suadebat lapidibus appetitum sedare; unde sequitur dixit autem illi diabolus: si filius dei es, dic lapidi huic ut panis fiat.

Ambrosius. Tria praecipue docemur tela esse diaboli, quibus ad convulnerandam mentem hominis consuevit armari: gulae unum, aliud iactantiae, tertium ambitionis. Inde ergo coepit unde iam vicit, scilicet adam. Discamus igitur cavere gulam, cavere luxuriam, quia telum est diaboli. Sed quid sibi vult talis sermo: si filius dei es, nisi quia cognoverat dei filius esse venturum, sed venisse per hanc infirmitatem corporis non putabat? aliud est explorantis, aliud tentantis: ideo profitetur se credere, et homini conatur illudere.

Origenes in lucam. Rogato autem patre a filio panem, nec dante lapidem pro pane, iste quasi adversarius et fallax, pro pane dabat lapidem.

Basilius. Suadebat quidem lapidibus appetitum sedare; hoc est, permutare desiderium ab alimento naturali ad existentia praeter naturam.

Origenes. puto etiam quod usque hodie lapidem diabolus ostendit, ut hortetur singulos ad loquendum: dic ut lapis iste panis fiat. Si videris haereticos dogmatum suorum mendacium pro pane comedere, scito lapidem eorum esse sermonem, quem monstrat eis diabolus.

Basilius. Dissipator autem tentationum Christus non repellit a natura famem; unde sequitur et respondit ad illum iesus: scriptum est, quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo dei.

Theophylactus. quasi dicat: non solis panibus humana natura sustentatur; immo sufficit verbum dei ad nutriendum universam naturam humanam. Taliter pastus est israeliticus populus, colligens annis quadraginta manna, et gaudens volatilium praeda. Divino consilio elias convivas habuit corvos; eliseus herbis agrestibus socios nutrit.

Cyrellus. Vel aliter. Terrenis cibis terrenum nostrum alitur corpus; anima vero rationalis divino verbo vigoratur ad bonam habitudinem spiritus: non enim naturam incorpoream corpus alit.

Gregorius nyssenus. Unde non alitur virtus pane, nec per carnes bene se habet anima et pinguescit: aliis epulis vita sublimis educatur et crescit: nutrimentum boni castitas, panis sapientia, pulmentum iustitia, potus impassibilis status, delectatio bene sapere.

Ambrosius. Vides igitur quo genere utatur armorum, quo hominem a spiritualis nequitiae incursione defendat adversum incitamenta gulae: non enim quasi deus utitur potestate: quid enim mihi proderat? sed quasi homo commune sibi accepit auxilium, ut divino pabulo lectionis intentus famem corporis negligat, alimentum verbi acquirat: non enim potest qui verbum sequitur, panem desiderare terrenum: humanis enim divina praestare non dubium est. Simul cum dicit non in solo pane vivit homo, ostendit hominem esse tentatum, hoc est susceptionem nostram, non suam divinitatem.

LUCA 4,5-8

9405 (Lc 4,5-8)

Theophylactus. Primo inimicus Christum de gula tentaverat, sicut et adam; deinde de cupiditate sive avaritia, in hoc quod ostendit ei omnia regna mundi; unde sequitur et duxit illum diabolus in montem excelsum, et ostendit ei omnia regna orbis terrae in momento temporis.

Gregorius in evang.. Quid mirum si se permisit ab illo in montem duci qui se pertulit etiam a membris ipsius crucifigi? Theophylactus. sed qualiter ostendit ei omnia regna orbis terrae? quidam dicunt, quod mente haec ei ostendit; ego autem dico, quod sensibilter et in phantasia apparere fecit. titus. Vel descripsit orbem verbo et velut quamdam domum intentioni eius manifestavit, ut existimabat.

Ambrosius. bene autem in momento temporis saecularia et terrena monstrantur: non enim tam conspectus celeritas indicatur, quam caducae fragilitas potestatis exprimitur. in momento enim cuncta illa praetereunt; et saepe honor saeculi abiit antequam venerit. sequitur et ait illi: tibi dabo potestatem hanc universam et gloriam illorum, quia mihi tradita sunt, et cui volo do illa. titus. In utroque mentiebatur: neque enim habebat, nec conferre poterat quo carebat: nullus enim obtinet potestatem, sed ad pugnam est adversarius derelictus.

Ambrosius. Alibi enim legitur quia omnis potestas a Deo est; itaque a Deo est potestatum ordinatio, a malo ambitio potestatis; nec est potestas mala, sed is qui male utitur potestate. Quid ergo? bonum est uti potestate, studere honori? bonum, si deseratur, non eripiat. Distingue tamen hoc ipsum bonum; alius enim bonus in saeculo; alius perfectae virtutis usus. Bonum est enim deum quaerere et cognoscendae divinitatis studium nullis occupationibus impediri. Quod si is qui deum quaerit, propter fragilitatem carnis et mentis angustias saepe tentatur; quanto magis qui saeculum quaerit, obnoxius est. Docemur ergo ambitionem despiciere, eo quod diabolicae subicit potestati. titus. Habet autem forensis gratia domesticum periculum, et ut dominetur aliis prius servit; curvatur ad obsequium ut honore donetur; et dum vult esse sublimior, simulata humilitate fit vilior; unde subdit tu ergo si adoraveris coram me, erunt tibi omnia subdita.

Cyrillus. Quomodo tu, cuius sors est inextinguibilis flamma, qualiter omnium domino quae sua sunt spondes? putasti cultorem habere, cuius metu tremunt universa? **Origenes** in lucam. vel aliter totum. Duo reges certatim regnare festinant: peccati rex peccatoribus diabolus, et iustitiae rex iustis Christus: sciensque diabolus ad hoc venisse Christum ut regnum eius tolleret, ostendit ei omnia regna mundi: non quidem regnum persarum et indorum, sed regnum suum, quomodo regnaret in mundo, quomodo scilicet alii regnentur a fornicatione, alii ab avaritia: et ostendit ei in puncto temporis, hoc est in praesenti temporum cursu, qui ad comparisonem aeternitatis puncti obtinet instar: neque enim necessarium habebat salvator ut ei diutius huius saeculi negotia monstrarentur; sed statim ut aciem luminum suorum ad contemplandum vertit, et peccata regnantia, et eos qui regnarentur a vitiis conspexit. Dicit ergo ad eum: venisti ut adversus me de imperio dimices. Adora me, et accipe regnum quod teneo. Verum dominus vult quidem regnare, sed iustitia, ut absque peccato regnet; et vult gentes sibi esse subiectas, ut serviant veritati; nec sic vult regnare ceteris ut ipse regnetur a diabolo; unde sequitur et respondens iesus dixit illi: scriptum est: dominum deum tuum adorabis, et illi soli servies.

Beda. Dicens diabolus salvatori si procidens adoraveris me, e contrario audit, quod ipse magis adorare eum debeat quasi dominum et deum suum.

Cyrillus. qualiter autem, si, secundum haereticos, filius est creatura, adoratur? quod crimen inferretur adversus eos qui servierunt creaturae et non creatori, si filium secundum eos creaturam existentem colimus tamquam deum? **Origenes.** vel aliter. Hos, inquit, omnes propterea mihi volo esse subiectos, ut dominum deum adorent et ipsi soli serviant; tu autem a me vis incipere peccatum, quod ego dissoluturus huc veni.

Cyrillus. hoc autem mandatum eius tetigit intima; ante adventum enim eius ipse ubique colebatur: lex autem divina eiciens ipsum a dominio usurpato, adorare statuit solum eum qui naturaliter deus est.

Beda. quaeret autem aliquis quomodo conveniat quod hic praecipitur, soli domino serviendum, apostoli verbo, qui dicit: per caritatem servite invicem. sed in graeco dulia intelligitur servitus communis, hoc est sive deo, sive homini exhibita; latria autem vocatur servitus divinitatis cultui debita. lubemur ergo per caritatem servire invicem, quod est graece duleuin; iubemur uni Deo servire, quod est graece latreuin: unde hic dicitur et illi soli servies; quod est graece latreuis.

LUCA 4,9-13

9409 (Lc 4,9-13)

Ambrosius. Sequitur iactantiae telum, quo in proclive delinquitur: quia dum homines gloriam virtutis suae iactare desiderant, de loco meritorum et statione decidunt: unde dicitur et duxit illum in ierusalem, et statuit eum supra pinnaculum templi.

Origenes in lucam. sequebatur plane, quasi athleta ad tentationem sponte proficiscens, et quodammodo loquebatur: duc quo vis, et inuenies me in omnibus fortiozem.

Ambrosius. Ita est autem iactantia ut dum se putat unusquisque ad altiora conscendere, sublimium usurpatione factorum ad inferiora trahatur; unde sequitur et dixit illi: si filius dei es, mitte te hinc deorsum.

Athanasius. Non autem contra divinitatem certamen diabolus iniit, neque enim audebat; et ideo dicebat si filius dei es: sed cum homine certamen iniit, quem quondam seducere potuit.

Ambrosius. Vere autem diabolica vox est quae mentem hominis de gradu altiori meritorum praecipitare contendit. simul infirmitatem suam diabolus malitiamque designat: quia nemini potest nocere nisi ipse deorsum se miserit: nam qui relictis caelestibus terrena eligit, voluntarium quoddam praecipitium vitae labentis incurrit. Simul quoniam telum suum diabolus vidit obtusum, qui omnes proprie subiecerat potestati, plus coepit quam hominem iudicare. Transfiguratur autem se satanas velut angelum lucis, et de scripturis saepe divinis laqueum fidelibus parat; unde sequitur scriptum est enim: quoniam angelis suis mandavit de te, ut conservent te, et quia in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Origenes. unde tibi, diabole, hoc scire, quod ista scripta sunt? numquid legisti prophetas vel divina eloquia? legisti quidem non ut ipse ex lectione eorum melior fieres, sed ut de simplici littera eos qui amici sunt litterae interficias. Scis quia si de aliis eius voluminibus loqui volueris, non decipies.

Ambrosius. Ergo non te capiat haereticus, quia potest de scripturis aliqua exempla proferre: utitur et diabolus testimoniis scripturarum, non ut doceat, sed ut fallat.

Origenes. Vide autem quomodo et in ipsis testimoniis versipellis est; vult enim minuere gloriam salvatoris, quasi angelorum indigeat auxilio: offensurus pedem, nisi eorum manibus sublevetur. Hoc enim testimonium non de Christo, sed de sanctis generaliter scriptum est: neque enim indiget angelorum auxilio qui maior est angelis, quin potius disce, diabole, quod nisi deus adiuveret angelos, offenderent pedem suum; et tu propterea offendisti, quia credere in iesum Christum dei filium noluisti. Quare autem siles quod sequitur: super aspidem et basiliscum ambulabis, nisi quia tu es basiliscus, tu draco, tu leo? **Ambrosius.** Sed dominus rursus ne ea quae de se fuerant prophetata, ad arbitrium diaboli putaret esse facienda, sed divinitatis propriae auctoritate servata, versutiae eius occurrit; ut quia scripturarum exemplum praetenderat, scripturarum vinceretur exemplis; unde sequitur et respondens iesus ait illi: dictum est quia non tentabis dominum deum tuum.

Chrysostomus. diabolicum enim est seipsum inicere ad pericula, et tentare si eripiat deus.

Cyrillus. non enim tentantibus largitur deus auxilia, sed credentibus in eum: unde Christus tentantibus eum non ostendebat miracula, quibus dicebat: generatio prava signum quaerit, et non dabitur ei.

Chrysostomus. Aspice autem quomodo non turbatus est dominus; immo de scripturis humillime cum iniquo disceptat, ut conformeris Christo pro posse. Novit diabolus arma Christi, quibus succubuit: ex mansuetudine eum cepit, ex humilitate devicit. tu quoque, cum videris hominem effectum diabolum, et tibi obviantem, eo modo devincas, doceas animam tuam formare os condecens ori Christi: sicut enim cum romanus forsitan residet iudex, non exaudiet responsum ignorantis eo modo loqui quo ipse, sic et Christus nisi suo modo loquaris, non exaudiet te, nec vacabit tibi.

Gregorius nyssenus. Legitime autem pugnanti agonom reperitur terminus; vel quod adversarius sua sponte cedat vincenti, vel trino casu deponitur secundum pugnatoriae artis decretum; unde sequitur et consummata omni tentatione diabolus recessit usque ad tempus ab illo.

Ambrosius. non dixisset scriptura omnem tentationem consummatam, nisi in tribus praemissis esset

omnium materia delictorum: quia causae tentationum, causae cupiditatum sunt: scilicet carnis oblectatio, spes gloriae, aviditas potentiae.

Athanasius. Accesserat quidem ad eum hostis ut ad hominem; non inveniens autem in ipso antiqui sui seminis signa, discessit.

Ambrosius. Vides ergo ipsum diabolum in stadio non esse pertinacem, cedere verae solere virtuti; et si invidere non desinat, tamen instare formidat, quia frequentius refugit triumphari. Audito itaque dei nomine, recessit, inquit, usque ad tempus; postea enim non tentaturus, sed aperte pugnaturus venit.

Theophylactus. vel quia de voluptate tentaverat in deserto, recessit ab eo usque ad tempus crucis, in quo eum erat de tristitia tentaturus.

Maximus. Vel diabolum in deserto Christo suggesserat praeferre mundi materiam divino amori; quem dominus retrocedere iussit, quod erat indicium divini amoris: unde postea satagebat praevaricatorem eum facere dilectionis ad proximos; et ideo docente eo semitas vitae provocabat ad illius insidias pharisaeos et scribas, ut ad eorum odium perverteretur. Sed dominus dilectionis intuitu, quem habebat in eos, monebat, arguebat, beneficia conferre non cessabat.

Augustinus de cons. Evang.. totum autem hoc similiter Matthaeus narrat, sed non eodem ordine: unde incertum est quid prius factum sit: utrum regna terrae prius demonstrata sint ei et postea in pinnam templi levatus sit; an hoc prius et illud postea: nihil tamen ad rem, dum omnia facta esse manifestum sit.

Maximus. Ob hoc autem evangelistarum hanc iste, illam vero ille praemittit, quia inanis gloria et avaritia ad invicem sese gignunt.

Origenes in lucam. ioannes autem, quia a Deo exordium fecerat, dicens: in principio erat verbum, tentationem domini non descripsit, quia deus tentari non potest, de quo ei erat sermo: quia vero in Matthaei evangelio et in luca generatio hominis scribitur et in Marco: homo autem est qui tentatur; ideo Matthaeus, lucas et marcus tentationem domini descripserunt.

LUCA 4,14-21

9414 (Lc 4,14-21)

Origenes in lucam. Quia dominus tentatorem vicerat, virtus ei addita est; quantum scilicet ad manifestationem; unde dicitur et egressus est iesus in virtute spiritus in galilaeam.

Beda. Virtutem spiritus signa miraculorum dicit.

Cyrillus. Agebat autem miracula, non ab extrinseco, et quasi acquisitam habens spiritus sancti gratiam, sicut alii sancti; sed potius, cum esset naturaliter dei filius et consors omnium quae sunt patris, tamquam propria virtute et operatione, utitur ea quae est spiritus sancti. Decebat autem ex tunc eum notum fieri, et humanationis fulgere mysterium apud eos qui erant de sanguine israel; ideo sequitur et fama exiit per universam regionem de illo.

Beda. Et quia sapientia pertinet ad doctrinam, virtus vero refertur ad opera, utraque hic coniunguntur; unde sequitur et ipse docebat in synagogis eorum. Synagoga graece, latine dicitur congregatio; quo nomine non solum turbarum conventum, sed et domum in qua ad audiendum verbum dei conveniebant, iudaei appellare solebant; sicut nos ecclesias et loca et choros fidelium vocamus. Verum differt inter synagogam quae congregatio, et ecclesiam quae convocatio interpretatur: quia scilicet et pecora et quaeque res congregari in unum possunt; convocari non possunt nisi ratione utentia: ideo novae gratiae populum quasi maiore dignitate praeditum, rectius ecclesiam quam synagogam nominare apostolicis doctoribus visum est. merito autem et magnificatus a praesentibus asseveratur praecedentibus factorum dictorumve indiciis, cum sequitur et magnificabatur ab omnibus.

Origenes in lucam. Cave autem ne beatos tantum illos iudices, et te arbitreris privatum esse Christi doctrina: quia nunc etiam in toto orbe docet per organa sua, et nunc magis glorificatur ab omnibus quam illo tempore quo tantum in una provincia cognoscebatur.

Cyrillus. Largitur autem sui notitiam illis inter quos educatus est secundum carnem; unde sequitur et venit

nazareth, ubi erat nutritus.

Theophylactus. ut et nos doceat prius proprios beneficere et docere, deinde et ad reliquos amicitiam spargere.

Beda. Confluebant autem die sabbati in synagogis, ut feriatis mundi negotiis ad meditanda legis monita quieto corde residerent; unde sequitur et intravit secundum consuetudinem suam die sabbati in synagogam.

Ambrosius. Ita autem dominus ad omnia se curvavit obsequia, ut ne lectoris quidem aspernaretur officium; unde sequitur et surrexit legere, et traditus est illi liber isaiae. accepit quidem librum, ut ostenderet seipsum esse qui locutus est in prophetis, et removeret sacrilegia perfidorum, qui alium deum dicunt veteris testamenti, alium novi; vel qui initium Christi dicunt esse de virgine; quomodo enim coepit ex virgine qui ante virginem loquebatur? **Origenes.** Non autem fortuito revolvit librum, et caput de se vaticinans reperit lectionis; sed hoc providentiae dei fuit; unde sequitur et ut revolvit librum, invenit locum ubi scriptum erat: spiritus domini super me; Christus enim est qui ita commemoratur.

Athanasius. explicans enim nobis causam factae in mundo revelationis, id est suae humanationis, hoc dicit: sicut enim filius, cum sit spiritus dator, non recusat fateri tamquam homo, quod in spiritu dei eicit daemonia; ita non recusat dicere spiritus domini super me, pro eo quod factus est homo.

Cyrillus. Similiter autem fatemur eum unctum fuisse in quantum carnem suscepit; unde sequitur propter quod unxit me: non enim ungitur divina natura, sed quod nobis cognatum existit: sic etiam et quod dicit se missum, imputandum est humanitati; nam sequitur evangelizare pauperibus misit me.

Ambrosius. Vides trinitatem coaeternam atque perfectam: ipsum loquitur scriptura iesum deum hominemque in utero perfectum; loquitur et patrem et spiritum sanctum, qui cooperatur ostenditur quando corporali specie sicut columba descendit in Christum.

Origenes in lucam. Pauperes autem nationes dicit: isti enim erant pauperes nihil omnino possidentes, non deum, non legem, non prophetas, non iustitiam, non reliquas virtutes.

Ambrosius. Vel universaliter ungitur oleo spirituali et virtute caelesti, ut paupertatem conditionis humanae, thesauro resurrectionis rigaret aeterno.

Beda. Mittitur etiam evangelizare pauperibus, dicens: beati pauperes, quia vestrum est regnum caelorum.

Cyrillus. Forsitan enim pauperibus spiritu in his ostendit exhibitum liberale donum inter omnia dona quae per Christum obtinentur. sequitur sanare contritos corde. Vocat contritos corde debiles, fragilem mentem habentes, et resistere nequeunt insulibus passionum; quibus remedium sanitatis promittit.

Basilus. Vel contritos corde venit sanare, id est remedium dare habentibus cor contritum a satana per peccatum: eo quod prae ceteris peccatum cor humanum prosternit.

Beda. Vel quia scriptum est: cor contritum et humiliatum deus non spernit, ideo missum se dicit ad sanandum contritos corde, secundum illud: qui sanat contritos corde. sequitur et praedicare captivis remissionem.

Chrysostomus. Captivationis vocabulum multiplex est. Est enim captivatio bona, sicut paulus dicit: captivantes omnem intellectum ad obedientiam Christi. Est et prava et sensibilis; quae est a corporalibus hostibus. sed deterior est intelligibilis, de qua hic dicit: fungitur enim peccatum pessima tyrannide, praecipiens mala, et obedientes confundens. Ab hoc intelligibili carcere nos Christus eripuit.

Theophylactus. Possunt autem et haec de mortuis intelligi, qui captivi existentes, soluti sunt ab inferni dominio per Christi resurrectionem. sequitur et visum caecis.

Cyrillus. profluentes enim a diabolo tenebras in corda humana, Christus quasi sol iustitiae removet, faciens homines filios non noctis et tenebrarum, sed lucis et diei: qui enim aliquando errabant, perceperunt iustorum semitas. sequitur dimittere confractos in remissionem.

Origenes in lucam. quid enim ita fractum, atque collisum fuerat ut homo, qui a iesu dimissus est et sanatus? **Beda.** Vel dimittere confractos in remissionem, id est eos, qui legis pondere importabili fuerant depressi relevare.

Origenes. Ista autem omnia praedicta sunt, ut post visionem ex caecitate, post libertatem ex vinculis, post sanitatem a diversis vulneribus veniamus ad annum domini acceptum; unde sequitur praedicare annum domini acceptum. Aiunt autem quidam iuxta simplicem intelligentiam, anno uno evangelium salvatorem in iudaea praedicasse; et hoc est quod dicitur praedicare annum domini acceptum. Vel annus domini acceptus est totum tempus ecclesiae, quo dum versatur in corpore, peregrinatur a domino.

Beda. Neque enim solus ille annus quo dominus praedicabat fuit acceptabilis, sed etiam iste quo praedicat apostolus dicens: ecce nunc tempus acceptabile. Post annum sane domini acceptabilem, subdit et diem retributionis, scilicet extremae, quando reddet unicuique secundum opus suum.

Ambrosius. Vel diem hunc annum domini acceptum dicit perpetuis diffusum temporibus, qui redire in orbem laboris nesciat, continuationem fructus hominibus et quietis indulgeat. sequitur et cum plicuisset librum, reddidit ministro, et sedit.

Beda. Librum audientibus illis qui aderant legit; sed lectum ministro reddidit: quia dum esset in mundo, palam locutus est, docens in synagogis et templo; sed ad caelestia reversurus, his qui ab initio viderant, et ministri sermonis fuerant, evangelizandi officium tradidit. Stans legit, quia nobis scripturas quae de ipso erant aperuit, quando in carne dignatus est operari; sed reddito libro residet, quia se supernae quietis solio restituit: stare enim operantis est, sedere autem quiescentis vel iudicantis. sic et praedicator verbi surgat et legat, idest operetur, et praedicet; et resideat, idest praemia quietis expectet. revolutum autem librum legit, quia ecclesiam misso spiritu omnem veritatem docuit; plicatum ministro reddidit, quia non omnia omnibus dicenda, sed pro captu audientium committit doctori dispensandum verbum. sequitur et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum.

Origenes in lucam. Et nunc etiam si volumus, oculi nostri possunt intendere in salvatorem: cum enim principalem cordis tui direxeris aciem ad sapientiam et veritatem deique unigenitum contemplandum, oculi tui intuentur iesum.

Cyrillus. tunc autem omnium oculos convertibat ad se, quodammodo stupentium qualiter litteras novit quas non didicit. sed quoniam mos erat iudaeis promulgatas de Christo prophetias dicere consummari vel in quibusdam eorum praepositis, vel in aliquibus sanctis prophetis, dominus hoc praedicavit; unde sequitur coepit autem dicere ad illos: quia hodie impleta est haec scriptura in auribus vestris.

Beda. Quia scilicet, sicut illa scriptura praedixerat, et magna faciebat, et maiora dominus evangelizabat.

LUCA 4,22-27

9422 (Lc 4,22-27)

Chrysostomus in Matthaeum. cum venisset in nazareth dominus, a miraculis abstinet, ne provocaret eos ad maiorem livorem. Praetendit autem eis doctrinam non minus admirandam miraculis: erat enim quaedam divina gratia ineffabilis in dictis salvatoris concurrens, animas permulcens auditorum; unde dicitur et omnes testimonium illi dabant et mirabantur in verbis gratiae quae procedebant de ore ipsius.

Beda. Testimonium illi dabant, attestando illum vere esse ut dixerat, de quo propheta cecinerat.

Chrysostomus. Sed stulti admirantes sermonis virtutem, parvipendunt ipsum ab eo qui putabatur pater; unde sequitur et dicebant: nonne hic est filius ioseph? **Cyrillus.** Sed quid impedit ut venerabilis et admirabilis sit, si filius esset, ut putabatur, ioseph? nonne vides divina miracula? satanam iam prostratum, nonnullos ab his aegritudinibus liberatos? **Chrysostomus.** Post multum enim tempus et signorum ostensionem profectus est ad eos, nec eum sustinuerunt, sed iterum se succendebant invidia; unde sequitur et ait illis: utique dicetis mihi hanc similitudinem: medice, cura te ipsum. Quanta audivimus facta in capharnaum, fac et hic in patria tua.

Cyrillus. Commune quidem proverbium erat apud hebraeos ad improprium excogitatum: clamabant enim aliqui contra medicos infirmos: medice, sana te ipsum.

Glossa. Quasi dicerent: quia in capharnaum plures te curasse audivimus, cura etiam teipsum; idest, fac similiter in tua civitate, ubi conceptus es et nutritus.

Augustinus de cons. Evang.. cum autem iam magna ab illo facta fuisse commemorat, quae se nondum narrasse scit; quid evidentius quam hoc eum scienter praeoccupasse narrandum? neque enim tantum ab eius baptismo progressus est, ut oblitus putetur nondum se aliquid commemorasse de his quae in capharnaum gesta fuerant.

Ambrosius. Non otiose autem salvator se excusat quod nulla in patria sua miracula virtutis operatus sit, ne fortassis aliquis viliores patriae nobis esse debere putaret affectum; nam sequitur ait autem: amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua.

Cyrillus. Quasi dicat: vultis multa prodigia inter vos a me fieri, penes quos sum nutritus; sed non latet me quaedam communis, quae multis accidit, passio: contemnunt enim quodammodo semper etiam optima quaeque quando non raro contingunt alicui, sed suppetunt ad velle; et sic etiam contingit in hominibus: familiaris enim, quia semper praesto est, debita reverentia privatur a notis eius.

Beda. Prophetam autem dici in scripturis Christum et moyses testis est, qui dicit: prophetam vobis suscitabit deus de fratribus vestris.

Ambrosius. hoc autem exemplo declaratur quod frustra opem misericordiae caelestis expectes, si alienae fructibus virtutis invidias: aspersionem enim deus invidorum est, et ab his qui divina beneficia in aliis persequuntur, miracula suae pietatis avertit. dominicae quippe carnis actus divinitatis exemplum est, et invisibilia eius nobis per ea quae sunt visibilia demonstrantur. videte igitur quid mali invidia afferat: indigna propter invidiam patria iudicatur in qua civis operetur, quae digna fuit in qua dei filius nasceretur.

Origenes in lucam. Quantum ad lucae historiam pertinet, nondum in capharnaum fecisse aliquod signum describitur: nam antequam veniret in capharnaum, in nazareth dixisse legitur quaecumque audivimus facta in capharnaum. Unde puto in praesenti sermone aliquid latitare mysterii, et nazareth in typo iudaeorum, capharnaum in typo praecessisse gentium. Erit enim tempus quando diciturus est populus israel: quae ostendis universo orbi, ostende et nobis; praedica sermonem tuum populo tuo israel, ut saltem cum subintraverit plenitudo gentium, tunc omnis israel salvus fiat. Quamobrem videtur mihi convenienter respondisse salvator nemo propheta acceptus est in patria sua, plus iuxta sacramentum quam iuxta litteram, licet et ieremias in anathoth patria sua non fuerit acceptus, et reliqui prophetae; sed magis videtur mihi intelligi ut dicamus patriam omnium prophetarum fuisse populum circumcisionis. Et nationes quidem susceperunt vaticinium iesu Christi, magis habentes moysen et prophetas de Christo praedicantes, quam illi qui ex his non susceperunt iesum.

Ambrosius. Bene autem apto comparationis exemplo arrogantia civium retunditur invidorum, dominicumque factum scripturis docetur veteribus convenire; nam sequitur et in veritate dico vobis: multae viduae erant in diebus eliae: non quia eliae dies fuerunt, sed in quibus elias operatus est.

Chrysostomus. Ipse quidem terrestris angelus, caelestis homo, qui nec tectum, nec mensam, nec amictum habebat, ut multi, clavem caelorum gerit in lingua; et hoc est quod sequitur quando clausum est caelum annis tribus et mensibus sex. postquam autem caelum seravit, terramque reddit sterilem, regnabat fames, et consumpta sunt corpora; unde sequitur cum facta esset fames in terra.

Basiliius. ut enim aspexit ex saturitate non modicum generari opprobrium, per famem illis ieiunium attulit, quo culpam eorum, quae in immensum crescebat, cohibuit. corvi autem facti sunt iusto cibi ministri, qui consueverunt aliorum pabula usurpare.

Chrysostomus. Sed quoniam exsiccatus est fluvius, ex quo pocula iusto dabantur, vade, inquit deus, in sareptam sidoniae; illic mandabo mulieri viduae ut pascat te; unde et hic sequitur et ad nullam earum missus est elias, nisi in sareptam sidoniae ad mulierem viduam: quod ex quadam dei dispensatione factum est: fecit enim deus eum per longum iter pergere usque in sidonem, ut visa mundi peste poscat a domino pluvias. Multi autem tunc temporis opulenti erant; sed nullus tale aliquid fecit ut vidua; reverentia enim mulieris ad prophetam, non praediorum, sed voluntatis fiebant divitiae.

Ambrosius. mystice autem dicit in diebus eliae: quia dies faciebat illis qui in eius operibus lucem videbant gratiae spiritualis; et ideo aperiebatur caelum videntibus divina mysteria, claudebatur quando fames erat, quia nulla erat cognoscendae divinitatis ubertas. In vidua autem illa ad quam elias directus est, typus ecclesiae praemissus est.

Origenes in lucam. occupante enim fame populum israel, scilicet audiendi sermonem dei, venit propheta ad viduam, de qua dicitur: multi filii desertae magis quam eius quae habet virum; et cum venisset, panem

illius et alimenta multiplicat.

Beda. sidonia autem venatio inutilis, sarepta incendium vel angustia panis interpretatur: quibus omnibus gentilitas exprimitur, quae inutili venationi dedita, idest lucris et negotiis saeculi serviens, incendium carnalium cupiditatum panisque spiritualis angustias patiebatur; donec elias, idest propheticus sermo, cessante scripturarum intelligentia, pro perfidia iudaeorum venit ad ecclesiam, ut receptus pasceret et reficeret corda credentium.

Basilius. Quaelibet etiam anima viduata et privata virtute et divina notitia, postquam divinum verbum recipit, propria delicta cognoscens, docetur nutrire verbum virtutum panibus, et irrigare fonte vitae doctrinam veritatis.

Origenes in lucam. Sed et aliud ad eundem sensum pertinens loquitur, cum subdit et multi leprosi erant in israel sub eliseo propheta; et nemo eorum mundatus est, nisi naaman syrus; qui utique non erat ex israel.

Ambrosius. Mystice autem populus ecclesiam contingit, ut sequatur populus ille ex alienigenis congregatus, ante leprosus, prius quam mystico baptizaretur in flumine; idest, post sacramenta baptismatis, maculis corporis et mentis ablutis, immaculata virgo coepit esse sine ruga.

Beda. Naaman enim, qui decorus interpretatur, populum significat nationum, qui septies lavari iubetur; quia illud baptisma salvat quod septiformis spiritus regenerat. Caro eius post lavacrum sicut pueri apparet; quia mater gratia omnes in unam parit infantiam: vel quia Christo conformatur, de quo dicitur: puer natus est nobis.

LUCA 4,28-30

9428 (Lc 4,28-30)

Graecus. Quia pravam eorum intentionem redarguerat, ideo indignantur; et hoc est quod dicitur et repleti sunt omnes in synagoga ira: pro eo etiam quod dixerat hodie completa est haec prophetia, arbitrati sunt quod seipsum compararet prophetis; et ideo indignantur, et fugant eum extra civitatem; unde sequitur et surrexerunt, et eiecerunt illum extra civitatem.

Ambrosius. Nec mirum, si perdiderunt salutem qui eiecerunt de suis finibus salvatorem. Dominus autem, qui docuerat apostolos exemplo sui omnibus omnia fieri, nec volentes repudiat, nec invitos alligat, nec eicientibus reluctatur, nec rogantibus deest. Non mediocriter autem invidia proditur, quae caritatis oblita in acerba odia causas amoris inflectit. cum enim ipse dominus per populos beneficia diffunderet, illi iniurias irrigabant; unde sequitur et duxerunt illum usque ad supercilium montis, super quem civitas illorum erat aedificata, ut praecipitarent eum.

Beda. Peiores sunt iudaei discipuli diaboli diabolo magistro; ille enim ait: mitte te deorsum: isti facto mittere conantur; sed illorum mente mutata subito, vel obstupefacta, descendit, quia adhuc illis poenitentiae locum reservat; unde sequitur ipse autem transiens per medium illorum ibat.

Chrysostomus. In quo et quae sunt humanitatis et quae sunt divinitatis ostendit: stare enim in medio insidiantium et non apprehendi, divinitatis eminentiam ostendebat; discedere vero, dispensationis approbat mysterium.

Ambrosius. simul intellige non ex necessitate fuisse, sed voluntariam corporis passionem: etenim quando vult capitur, quando vult elabatur. Nam quemadmodum a paucis teneri potuit, qui a populo non tenetur? sed voluit sacrilegium esse multorum, ut a paucis quidem affligeretur, sed pro toto orbe moreretur. Quin etiam malebat iudaeos adhuc sanare quam perdere; ut inefficaci furoris exitu desinerent velle quod implere non possent.

Beda. Nondum etiam venerat hora passionis, quae in parasceve paschae futura extiterat; necdum locum passionis adierat, qui non in nazareth, sed hierosolymis hostiarum sanguine figurabatur; nec hoc genus mortis elegerat, qui crucifigendum se a saeculo praeconabatur.

LUCA 4,31-37

9431 (Lc 4,31-37)

Ambrosius. Non indignatione commotus dominus, nec scelere offensus, iudaeam deseruit; quin etiam immemor iniuriae, memor clementiae, nunc docendo, nunc sanando, infidae plebis corda demulcet; unde dicitur et descendit in capharnaum civitatem galilaeae, ibique docebat illos sabbatis.

Cyrillus. Quamvis enim sciret quod inobedientes essent et duri cordis, tamen visitat illos, sicut bonus medicus illos qui ultima laborant aegritudine tentat sanare. Docebat autem in synagogis confidenter, secundum illud: nequaquam occulte locutus sum, nec in obscuro loco terrae. In sabbato quoque disputabat cum eis, quia vacabant. Mirati sunt ergo de doctrinae virtute et potestatis magnitudine; unde sequitur et stupebant in doctrina eius, quia in potestate erat sermo ipsius; idest non blandus, sed imperiosus ad salutem. Iudaei autem putabant esse Christum sicut aliquem sanctorum aut prophetarum. Ut autem maiorem de eo opinionem accipiant, transcendit mensuram propheticam; non enim dicebat: haec dicit dominus, ut prophetae consueverant dicere; sed sicut dominus legis, quae sunt supra legem proferebat, transferens litteram ad veritatem, et figuras ad spiritualem intelligentiam.

Beda. sermo etiam doctoris in potestate fit, cum ea quae docet operatur: qui enim facto destruit quod praedicat, contemnitur.

Cyrillus. Opportune autem dogmatibus plerumque ardua miscet opera: quos enim non disponit ratio ad cognoscendum, hos instigat signorum ostensio: unde sequitur et in synagoga erat homo habens daemonium immundum.

Ambrosius. sabbato medicinae divinae opera coepta significat, ut inde nova creatura coeperit unde vetus creatura ante desivit; ne sub lege esse dei filium, sed supra legem, in ipso principio designaret. Bene etiam sabbato coepit, ut ipsum se ostenderet creatorem, quia opera operibus interserit, et prosequitur opus quod ipse ante iam coeperat; ut si domum faber renovare disponat, non a fundamentis, sed a culminibus incipit solvere vetustatem, ita ut ibi prius manum admoveat ubi ante desierat. Deinde a minoribus incipit, ut ad maiora perveniat. liberare a daemone etiam homines, sed in verbo dei, possunt; resurrectionem mortui imperare, divinae solius est potestatis.

Cyrillus. Calumniabantur autem iudaei gloriam Christi, dicentes: hic non eicit daemones nisi in beelzebub principe daemoniorum; ad quod removendum cum repraesentarentur daemones invictae potestati eius, nec tolerarent congressum deitatis, saevam vocem emittebant; unde et hic sequitur exclamavit voce magna dicens: sine: quid nobis et tibi, iesu nazarene? venisti perdere nos? **Beda.** Quasi dicat: paululum a me vexando quiesce, cui nulla est societas cum nostra fraude.

Ambrosius. Nec quemquam movere debet quod iesu nazareni nomen in hoc libro diabolus dixisse primus inducitur: nec enim ab eo Christus nomen accepit, quod de caelo angelus ad virginem detulit. est huius impudentiae diabolus, ut inter homines aliquid primus usurpet, et ad homines quasi novum deferat, quo terrorem suae potestatis incutiat; unde sequitur scio enim te, quia sis sanctus dei.

Athanasius. Non dicebat eum sanctum dei, quasi aliis sanctis similis, sed quasi eo singulariter sancto existente cum articuli adiectione: ipse est enim naturaliter sanctus, cuius participatione omnes alii sancti vocantur: neque tamen hoc dicebat quasi eum veraciter nosset, sed se cognoscere fingebat.

Cyrillus. Putaverunt enim daemones quod per huiusmodi laudem facerent ipsum inanis gloriae amatorem, ut abstineret ab eorum contrarietate, utpote pro gratia gratiam recompensans.

Chrysostomus. Voluit etiam daemon perturbare ordinem rerum, et apostolorum rapere dignitatem, et suggerere multis ut ei obediant.

Athanasius. Quamvis igitur vera fateretur, compescebat tamen eius sermonem, ne simul cum veritate etiam suam iniquitatem promulget; ut nos etiam assuefaciat ne curemus de talibus, etsi vera loqui videantur. Nefas est enim ut cum adsit nobis scriptura divina, instruamur a diabolo; unde sequitur et increpavit illum, dicens: obmutesce, et exi ab illo.

Beda. Divina autem permissione liberandus a daemone homo proicitur in medium, ut virtus patefacta salvatoris plures ad viam salutis invitet; unde sequitur et cum proiecisset illum daemonium in medium, exiit

ab illo, nihilque illi nocuit. Videtur autem repugnare quod hic dicitur Marco qui ait: et discernens eum spiritus immundus, et exclamans voce magna, exivit ab eo, nisi intelligamus hoc dixisse Marcum: discernens eum, quod lucas dicit et cum proiecisset illum in medium; ut quod secutus ait nihilque illi nocuit, intelligatur quia iactatio illa membrorum atque vexatio non eum debilitavit, sicut solent exire daemona etiam quibusdam membris amputatis aut evulsis. Unde merito pro tam integra restitutione sanitatis mirantur; nam sequitur et factus est pavor in omnibus, et colloquebantur ad invicem, dicentes: quod est hoc verbum quod in potestate et virtute imperat immundis spiritibus, et exeunt? Theophylactus. quasi dicant: quale est praeceptum hoc quod praecepit exi ab eo, et exit? **Beda.** Expellere quidem daemona et homines sancti, sed in verbo dei, possunt; ipsum autem dei verbum propria potestate virtutes operatur.

Ambrosius. Mystice autem qui in synagoga spiritum habebat immundum, populus est iudaeorum, qui innodatus diaboli laqueis, simulatam corporis munditiam interioris mentis sordibus inquinabat: et bene spiritum immundum habebat, quia spiritum sanctum amiserat: introierat enim diabolus, unde Christus exierat.

Theophylactus. Sciendum est etiam, quod multi nunc daemona habent, scilicet qui daemoniorum desideria implent, ut furiosi habent daemonium irae, et sic de ceteris. Sed dominus in synagogam venit, cum mens hominis fuerit congregata, et tunc dicit daemone inhabitanti obmutesce; et statim eiciens eum in medium, egreditur ab eo; non enim decet hominem semper iracundum esse, bestiale namque hoc est; nec semper absque ira, insensibile namque hoc est: sed medium iter ambulare oportet, et iram contra mala habere; et sic proicitur homo cum immundus spiritus ab eo egreditur.

LUCA 4,38-39

9438 (Lc 4,38-39)

Ambrosius. Postquam lucas virum a spiritu nequitiae liberatum ante praemisit, substituit feminae sanitatem. Utrumque enim sexum dominus curaturus advenerat; et prior sanari debuit qui prior creatus est; unde dicitur surgens autem de synagoga introivit in domum simonis.

Chrysostomus in Matthaem. manebat enim apud discipulos honorans ipsos, et ob hoc animosiores reddens.

Cyrillus. Aspice autem quomodo manet penes virum inopem Christus, qui spontanea voluntate paupertatem pro nobis passus est, ut discamus cum pauperibus conversari, nec spernere depressos et pauperes. sequitur socrus autem simonis tenebatur magnis febribus: et rogaverunt illum pro ea.

Hieronymus super Matthaem. modo salvator rogatus, modo ultro curat aegrotos; ostendens se contra peccatorum quoque passiones et precibus semper annuere fidelium; et ea quae ipsi minime in se intelligunt, vel intelligenda dare, vel non intellecta dimittere: secundum illud: delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, domine.

Chrysostomus. quod autem Matthaemus hic reticuit, non differt: illud enim est brevitatis, hoc autem exquisitae interpretationis. sequitur et stans super illam, imperavit febrim; et dimisit illam.

Basilus. In quo lucas figuravit sermonem tamquam de praecepto animali sensibili facto, sic dicens febrim imperatum, et quod febris non omisit imperantis operationem; unde sequitur et continuo surgens ministrabat illis.

Chrysostomus. Quia enim morbus curabilis erat, per modum medendi potestatem suam declaravit, faciens quod minime ars medicinae facere potuisset: post febris enim sedationem, multo tempore patientes egent ut pristinae restituantur sanitati; tunc autem simul omnia facta sunt.

Ambrosius. Si autem altiori consilio ista perpendamus, animi debemus intelligere et corporis sanitatem: ut prius animus, qui serpentis laborabat insidiis, absolutus sit. Denique non prius eva esuriit, quam serpentis eam versutia tentavit; et ideo adversus ipsum auctorem peccati prius debuit medicina salutis operari. Fortassis etiam in typo mulieris illius, variis criminum febribus caro nostra languescebat; nec minorem febrem amoris esse dixerim quam caloris.

Beda. Si enim virum a daemonio liberatum moraliter animum ab immunda cogitatione purgatum significare dixerimus; consequenter femina febribus tenta, sed ad imperium domini curata, carnem ostendit a concupiscentiae suae fervore per continentiae praecepta frenatam.

Cyrillus. Et nos ergo suscipiamus iesum: cum enim visitaverit nos, et portamus eum in mente et corde, tunc enormium voluptatum aestum extinguet, et incolumes faciet, ut ministremus ei, hoc est, ei beneplacita peragamus.

LUCA 4,40-41

9440 (Lc 4,40-41)

Theophylactus. Considerandum est turbae desiderium: nam cum sol occidisset, adducunt ad eum infirmos, non a tempore impediti; unde dicitur cum autem sol occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum.

Origenes. Ideo quidem circa solis occasum, idest elapsa die, illos educebant, quia verecundabantur, vel timebant pharisaeos; vel quia de die intenti erant circa alia; vel quia putabant non licere sanare in sabbato. Ipse autem sanabat eos; unde sequitur at ille singulis manus imponens, curabat omnes.

Cyrillus. quamvis autem ut deus potuisset omnes verbo pellere morbos, tamen tangit eos, ostendens propriam carnem efficacem ad praestanda remedia, nam caro dei erat. Sicut enim ignis appositus vasi aeneo imprimit ei propriae caliditatis effectum; sic omnipotens dei verbum, cum univit sibi veraciter assumptum templum ex virgine animatum et intellectivum, particeps suae potestatis, eius effectum inseruit. Tangat et nos, immo potius nos illum tangamus, quatenus et nos ab animarum infirmitatibus liberet, nec non a daemonum impugnatione et superbia; sequitur enim exhibant autem daemonia a multis clamantia et dicentia: quia tu es filius dei.

Beda. Daemonia filium dei confitentur, et, sicut postea dicitur, sciebant ipsum esse Christum: quia cum ieiunio fatigatum eum diabolus videret, verum hominem intellexit; sed quia tentando non praevaluit, utrum filius dei esset dubitabat; nunc autem per signorum potentiam vel intellexit vel potius suspicatus est esse filium dei. Non igitur ideo iudaeis eum crucifigere persuasit, quia Christum sive dei filium non esse putavit; sed quia se morte illius non praevidit esse damnandum. De hoc enim mysterio a saeculis abscondito dicit apostolus quod nemo principum huius saeculi cognovit: si enim cognovissent, nunquam dominum gloriae crucifixissent.

Chrysostomus in Marcum. in hoc autem quod sequitur et increpans non sinebat ea loqui, percipe Christi humilitatem: non sinebat ut daemones immundi eum manifestarent; non enim oportebat eos subripere officii apostolici gloriam, nec decebat Christi mysterium lingua foeda publicari.

Theophylactus. quia non est speciosa laus in ore peccatoris; vel quia nolebat invidiam accendere iudaeorum ex hoc quod ab omnibus laudaretur.

Beda. Ipsi autem apostoli praecipuntur reticere de illo, ne divina maiestate praedicata, passionis dispensatio differretur.

LUCA 4,42-44

9442 (Lc 4,42-44)

Chrysostomus. Postquam satis utilitatis populis per miracula est collatum, oportebat eum abesse: maiora namque putantur miracula post absentiam operantis, dum ipsa magis exclamant, et vice vocis fruuntur; unde dicitur facta autem die, egressus ibat in desertum locum.

Graecus. Abiit etiam in desertum, ut marcus dixit, et orabat: non quod ipse oratione indigeret, sed ut nobis bonae operationis fieret forma.

Chrysostomus. pharisaei quidem, ipsis prodigiis praedicantibus, potentia Christi scandalizabantur; populi vero eloquia audientes, acquiescebant et sequebantur; unde sequitur et turbae requirebant eum, et venerunt usque ad ipsum; et detinebant illum, ne discederet ab eis; non quidem aliqui primatum aut scribarum, sed quoscumque malitiae fucus non denigraverat, et illaesam habebant conscientiam.

Graecus. Quod autem marcus dicit apostolos pervenisse ad eum dicentes quod omnes quaerunt te, lucas vero dicat populus pervenisse, non discrepant ab invicem. Applicuerant enim ad ipsum populi, apostolorum sequentes vestigia; dominus autem gaudebat detentus, sed mandabat ut eum dimitterent, ut etiam alii participes forent eius doctrinae, quasi tempore suae praesentiae non multum duraturo; unde sequitur quibus ait: quia et aliis civitatibus oportet me evangelizare regnum dei, quia ideo missus sum. Marcus dicit: ad hoc veni, ostendens divinitatis eius celsitudinem, et voluntariam exinanitionem; lucas vero dicit ad hoc missus sum, idest incarnationem ostendens, necnon beneplacitum patris missionem appellans; et ille quidem simpliciter dicit: ut praedicem, iste vero regnum dei adiungit, quod est ipse Christus.

Chrysostomus. simul etiam considera, quod poterat in eodem loco manendo, omnes attrahere ad se; non tamen hoc fecit, praebens nobis exemplum ut perambulemus et requiramus pereuntes, sicut pastor ovem perditam, et medicus accedit ad infirmum: una enim anima recuperata, poterit aliquis mille delicta abolere; unde et hic sequitur et erat praedicans in synagogis galilaeae. Frequentabat quidem synagogas, docens illos quod non esset seductor: nam si iugiter inhabitata coleret, diffamarent eum velut latitantem.

Beda. Si autem occasu solis mystice mors domini exprimitur, die redeunte resurrectio illius indicatur; cuius manifestata luce, a credentium turbis requiritur, et in gentium deserto inventus, ne abeat detinetur; maxime cum hoc contigerit prima sabbati, quo resurrectio celebrata est.

LUCA 5,1-4

9501 (Lc 5,1-4)

Ambrosius in lucam. Ubi dominus impertivit multis varia genera sanitatum, nec tempore, nec loco coepit a studio sanandi turba cohiberi: vespera incubuit, sequebantur: stagnum occurrit, et turbae urgebant: unde dicitur factum est autem cum turbae irruerent in eum.

Chrysostomus. Erant enim ei connexi, diligentes eum et mirantes, et tenere cupientes. Quis enim discessisset, dum huiusmodi miracula faciebat? quis nolisset solam prospicere faciem, et os talia loquens? neque enim in agendo miracula solum admirabilis erat; sed visus eius abundabat plurima gratia; unde et loquentem eum audiunt in silentio, seriem locutionis non irrumpentes; dicitur enim ut audirent verbum dei, et ipse stabat secus stagnum genezareth.

Beda. stagnum genezareth idem dicunt esse quod mare galilaeae, vel mare tiberiadis; sed mare galilaeae ab adiacente provincia dicitur; mare autem tiberiadis a proxima civitate. Porro genezareth a lacu ipsius natura, quae crispantibus aquis de seipso sibi excitare auram perhibetur, graeco vocabulo quasi generans sibi auram dicitur: neque enim in stagni morem sternitur aqua, sed frequentibus auris spirantibus agitur, haustu dulcis, et ad potandum habilis. Sed hebraeae linguae consuetudine omnis aquarum congregatio, sive dulcis, sive salsa, mare nuncupatur.

Theophylactus. Fugit autem dominus gloriam quanto magis ipsa eum sequebatur; et ideo a turbis se separans ascendit in navem. et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant, et lavabant retia.

Chrysostomus. Quod signum erat vocationis. Secundum vero Matthaeum invenit eos reficientes retia; tantus enim erat paupertatis excessus, ut laniata repararent, nova nequeuntes habere. Volens autem diligenter congregare spectaculum, ut nemo remaneret post tergum, sed omnes facie ad faciem cernerent, ascendit in navim; unde dicitur ascendens autem in unam navim, quae erat simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum.

Theophylactus. Vide autem Christi mansuetudinem, quomodo rogat petrum; et petri obedientiam, quomodo in omnibus fuit obediens.

Chrysostomus. postquam vero multa peregerat miracula, iterum doctrinam proponit, et existens in mari piscatur existentes in terra; unde sequitur et sedens docebat turbas de navicula.

Gregorius nazianzenus. cunctis condescendens, ut a profundis extrahat piscem, hominem scilicet natantem in mobilibus rebus, et amaris huius vitae procellis.

Beda. Mystice autem duae naves circumcisionem et praeputium figurant; quas videt dominus, quia in

utroque populo novit qui sunt eius, et ad futurae vitae tranquillitatem quasi ad littus videndo, hoc est misericorditer visitando, provehit. piscatores sunt ecclesiae doctores, qui nos per rete fidei comprehendunt, et quasi littori, sic terrae viventium advehunt. sed haec retia modo laxantur in capturam, modo lota plicantur: quia non omne tempus est habile doctrinae; sed nunc exercenda est lingua doctoris, et nunc suimet cura gerenda. Navis simonis est ecclesia primitiva, de qua paulus dicit: qui operatus est petro in apostolatam circumcisionis; bene una dicta, quia multitudinis credentium erat cor unum et anima una.

Augustinus de quaest. Evang.. De qua docebat turbas, quia de auctoritate ecclesiae docet gentes. Quod autem dominus ascendens in navim rogat eum a terra reducere pusillum, significat temperate utendum verbo ad turbas, ut nec terrena eis praecipiantur, nec a terrenis in profunda sacramentorum recedatur. Vel prius in proximis regionibus gentibus praedicandum, ut quod postea dicit duc in altum, ad remotiores gentes postea praedicandum praecipiat.

LUCA 5,5-7

9505 (Lc 5,5-7)

Cyrillus. Postquam sufficienter populum docuerat, regreditur iterum ad magnificentias proprias, et per piscatoria ministeria piscatur discipulos; unde sequitur ut autem cessavit loqui, dixit ad simonem: duc in altum, et laxate retia vestra in capturam.

Chrysostomus. Condescendens enim hominibus, sicut magos per sidus vocavit, sic et piscatores per piscatoriam artem.

Theophylactus. Petrus autem non distulit; unde sequitur et respondens simon dixit illi: praeceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus. non autem addidit: non te audiam, nec secundis laboribus me exponam; sed magis subdit in verbo autem tuo laxabo rete: quia vero turbam de navicula dominus instruxerat, non sine mercede naviculae dominum dereliquit, dupliciter beneficians ipsum: quia primo dedit ei multitudinem piscium, et deinde discipulum ipsum fecit. Et cum hoc fecisset, concluderunt piscium multitudinem copiosam. tot autem pisces cepit ut non posset eos foras educere, sed a sociis auxilium peteret; unde sequitur rumpebatur autem rete eorum: et annuerunt sociis qui erant in alia navi, ut venirent et adiuvarent eos. Per nutum ipsos vocant: quia ex stupore propter capturam piscium loqui non poterant. Et sequitur de eorum auxilio, cum dicitur et venerunt, et impleverunt ambas naviculas, ita ut pene mergerentur.

Augustinus de cons. Evang.. ioannes quidem videtur simile miraculum dicere; sed illud longe aliud est, quod factum est post resurrectionem domini ad mare tiberiadis: ibi enim non solum ipsum tempus valde diversum est, sed etiam res ipsa plurimum distat: nam retia illic in dexteram partem missa, centum quinquaginta tres pisces ceperunt, magnos quidem; sed pertinuit ad evangelistam dicere, quod cum tam magni essent, retia non sunt disrupta; respicientem scilicet ad hoc factum quod lucas commemorat, ubi prae multitudine piscium retia rumpebantur.

Ambrosius. Mystice autem navis petri, secundum Matthaeum fluctuat, secundum lucam repletur piscibus, ut et principia ecclesiae fluctuantis, et posteriora exuberantis agnoscas. Non turbatur ista quae petrum habet; turbatur illa quae iudam habet: in utraque petrus; sed qui suis meritis firmus est, turbatur alienis. Caveamus igitur proditorem, ne per unum plurimi fluctuemus. Illic turbatio ubi modica fides; hic securitas ubi perfecta dilectio. Denique etsi aliis imperatur ut laxent retia sua, soli tamen petro dicitur duc in altum, hoc est in profundum disputationum. quod est tam altum quam scire dei filium? quae sunt autem apostolorum quae laxari iubentur retia, nisi verborum complexiones, et quasi quidam orationis sinus, et disputationum recessus, qui eos quos ceperint non amittant? et bene apostolica instrumenta piscandi retia sunt, quae non captos perimunt, sed reservant, et fluctuantes de infimis ad superna transducunt. Dicit autem praeceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus: quia non hoc humanae facundiae opus, sed supernae vocationis est munus. qui autem nihil ante ceperant, magnam in verbo domini concludunt piscium multitudinem.

Cyrillus. Hoc autem fuit figura futuri: non enim incassum laborabunt evangelicae doctrinae rete tendentes; sed greges gentium aggregabunt.

Augustinus de quaest. Evang.. quod autem retia rumpebantur piscium copia, et naviculae impletae sunt, ita ut pene mergerentur, significat hominum carnalium multitudinem tantam futuram in ecclesia, ut etiam disruptione pacis per haereses et schismata scinderetur.

Beda. Rumpitur autem rete, sed non labitur piscis, quia suos dominus inter persequentium scandala servat.

Ambrosius. alia autem navis est iudaea, ex qua iohannes et iacobus eliguntur. Hi igitur de synagoga ad navim petri, hoc est ad ecclesiam, convenerunt, ut implerent ambas naviculas: omnes enim in nomine iesu genuflectunt, sive iudaeus sive Graecus.

Beda. Vel alia navis est ecclesia gentium, quae et ipsa, una navicula non sufficiente, piscibus impletur electis: quia novit dominus qui sunt eius. Et apud ipsum certus est suorum numerus electorum; dumque tot in iudaea credituros non invenit quot ad fidem vitamque praedestinos novit aeternam, quasi alterius navis receptacula piscibus quaerens suis, corda quoque gentium fidei gratia replet. Et bene rupto reti socia navis advocatur, quando iudas proditor, simon magus, ananias et saphira, et multi discipulorum abierunt retro: ac deinde barnabas et paulus ad gentium sunt apostolatam segregati.

Ambrosius. Possumus tamen et aliam ecclesiam intelligere navim alterius: ab una enim plures ecclesiae derivantur.

Cyrillus. Innuit autem sociis ut auxiliarentur eis: multi enim sequuntur apostolorum labores; et prius illi qui evangeliorum ediderunt scripturas, post quos alii praesides et populorum pastores, et in deitatis doctrina periti.

Beda. Harum autem impletio navium in fines saeculi crescit; sed quod impletae merguntur, hoc est in submersione premuntur (non enim sunt submersae, sed periclitatae), apostolus exponit dicens: in novissimis diebus erunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes, etc.: nam mergi naves, est homines in saeculo, ex quo electi per fidem fuerant, morum pravitate relabi.

LUCA 5,8-11

9508 (Lc 5,8-11)

Ambrosius. Admirabatur petrus dona divina; et quo plus metuerat, praesumebat minus; unde dicitur quod cum videret simon petrus, procidit ad genua iesu, dicens: exi a me, domine, quia homo peccator sum.

Cyrillus. Reducens enim ad conscientiam patrata delicta, tremit et trepidat, et velut immundus mundum non credit se posse suscipere: acceperat enim a lege, distinguendum esse inter maculatum et sanctum.

Gregorius nyssenus. cum enim mandasset demergere retia, tanta copia piscium capta est, quantum ipse maris dominus et terrae voluerat. vox enim verbi semper est vox virtutis, cuius praecepto in origine mundi lux et ceterae creaturae prodibant. In his admiratur petrus; unde sequitur stupor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, in captura piscium quam ceperant; similiter autem iacobum et iohannem filios ze Bedaei, qui erant socii simonis.

Augustinus de cons. Evang.. andream non nominat, qui tamen intelligitur in ea navi fuisse, secundum Matthaei et Marci narrationem. et ait ad simonem iesus: noli timere.

Ambrosius. Dic et tu exi a me, domine, quia peccator sum, ut respondeat deus noli timere. Indulgenti domino peccatum fatere. Vides quam bonus dominus, qui tantum tribuit hominibus ut vivificandi habeant potestatem; unde sequitur ex hoc iam homines eris capiens.

Beda. hoc ad ipsum petrum specialiter pertinet: exponit enim ei dominus quid haec captura piscium significet; quod scilicet ipse sicut nunc per retia pisces, sic aliquando per verba sit capturus homines: totusque facti huius ordo quid in ecclesia, cuius ipse typum tenet, quotidie geratur, ostendit.

Chrysostomus. Considera autem eorum fidem et obedientiam; habentes enim opus prae manibus appetibilis piscationis, cum audissent mandantem, non distulerunt, sed relictis omnibus sequebantur. talem enim obedientiam requirit a nobis Christus, ut eam non praetermittamus, etiam si aliquid valde necessarium urgeat; unde et sequitur et subductis ad terram navibus, relictis omnibus, secuti sunt eum.

Augustinus de cons. Evang.. Matthaeus et marcus breviter hoc perstringunt quemadmodum gestum sit, quod lucas hic apertius explicavit. hoc tamen videtur distare quod tantum petro a domino dictum commemorat ex hoc iam homines eris capiens, quod illi ambobus fratribus dictum esse narraverunt. sed

potuit utique prius hoc petro dici, cum de capta ingenti multitudine piscium miraretur, quod lucas insinuavit; ambobus postea, quod illi duo commemoraverunt. Vel intelligendum est hoc primo fuisse factum quod lucas commemorat; nec tunc eos a domino vocatos, sed tantum fuisse praedictum petro quod homines esset capturus: non autem quod numquam pisces esset capturus: unde datur locus intelligere eos ad capturam piscium remeasse, ut postea fieret quod Matthaeus et marcus narrant: tunc enim non subductis ad terram navibus, tamquam cura redeundi, sed ita eum secuti sunt, tamquam vocantem aut iubentem. Sed si, secundum iohannem, iuxta iordanem secuti sunt eum petrus et andreas; quomodo ab aliis evangelistis dicitur quod eos in galilaea piscantes invenit et ad discipulatum vocavit, nisi quia intelligendum est, non sic eos vidisse dominum iuxta iordanem ut ei inseparabiliter cohaerent, sed tantum cognovisse quis esset, eumque miratos ad propria remeasse? **Ambrosius.** Mystice autem quos petrus in verbo capit, negat suam praedam, negat suum munus. Exi, inquit, a me, domine. Noli timere et tu quae tua sunt domino deferre, quia quae sua sunt nobis ille concessit.

Augustinus de quaest. evang.. Vel aliter. Ex persona ecclesiae carnalibus hominibus plenae petrus dicit exi a me, quia homo peccator sum; tamquam ecclesia turbis carnalium impleta, et eorum moribus pene submersa, regnum spiritualium, in quibus maxime persona Christi eminet, a se quodammodo repellat. Non enim hoc voce linguae dicunt homines bonis ministris dei, ut eos a se repellant; sed voce morum et actuum suadent a se recedi, ne per bonos regantur, et eo vehementius quo deferunt eis honorem; ut honorificentiam eorum significaverit petrus cadens ad pedes domini, mores autem in eo quod dixit exi a me.

Beda. Confortat autem dominus timorem carnalium, ne quis vel de suae conscientia culpa tremens, vel de aliorum innocentia stupens sanctitatis iter formidet aggredi.

Augustinus de quaest. Evang.. dominus autem dum non recessit ab eis, significat, in bonis et spiritualibus viris non esse oportere hanc voluntatem ut peccatis turbarum commoti, quo quasi securius tranquilliusque vivant, munus ecclesiasticum deserant. Quod autem subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum, potest significare finem temporis quo ab huius mundi salo, qui Christo inhaeserunt penitus recessuri sunt.

LUCA 5,12-16

9512 (Lc 5,12-16)

Ambrosius in lucam. Quarto signo, ex quo in capharnaum dominus venit leprosus sanatur. Si autem quarto die solem illuminavit, et clariorem ceteris fecit, hoc clarius opus aestimare debemus, de quo dicitur et factum est cum esset in una civitate, et ecce vir plenus lepra. bene ubi leprosus mundatur, certus non exprimitur locus, ut ostendatur non unum populum specialis alicuius civitatis, sed omnes populos fuisse sanatos.

Athanasius. adoravit autem leprosus dominum deum existentem in corpore; et neque propter carnem putavit esse creaturam verbum dei; nec pro eo quod verbum erat, vilipendit carnem quam vestiebat; immo ut in templo creato adorabat omnium creatorem, in faciem procidens; sequitur enim et videns iesum et procidens in faciem, rogavit eum.

Ambrosius. Quod in faciem procidit, humilitatis est et pudoris, ut unusquisque de vitae suae maculis erubescat: sed confessionem verecundia non repressit: ostendit vulnus, remedium postulavit, dicens domine, si vis, potes me mundare. De voluntate domini non quasi pietatis incredulus dubitavit; sed quasi iniquitatis suae conscius non praesumpsit: religionis autem et fidei plena confessio est quae in voluntate domini posuit potestatem.

Cyrillus. noverat enim lepram experimentis medicorum non cedere; sed vidit divina maiestate pelli daemones, et ceteros ab aliis valetudinibus curari, quae coniecit divina dextera fieri. Titus. Addiscamus etiam ex verbis leprosi corporalium infirmitatum medelam non quaerere, sed divino beneplacito totum committere, qui novit opportuna, et omnia iudicio disposuit.

Ambrosius. Eo autem sanat genere quo fuerat obsecratus; unde sequitur et extendens iesus manum, tetigit illum. lex tangi leprosus prohibet; sed qui dominus legis est, non obsequitur legi, sed legem facit. Non ergo tetigit, quia sine tactu mundare non poterat, sed ut probaret quia subiectus non erat legi, nec contagium timebat ut homines, sed quia contaminari non poterat qui alios liberabat; simul e contrario ut lepra tactu domini fugaretur, quae solebat contaminare tangentem.

Theophylactus. Ipsius enim sacra caro est purgativa, et vitam tribuens, sicut existens verbi dei caro.

Ambrosius. In hoc autem quod subdit volo, mundare, habes voluntatem, habes et pietatis effectum.

Cyrillus. A maiestate autem processit imperiosum mandatum. qualiter igitur in servis computatur unigenitus filius, qui volendo tantummodo cuncta potest? legitur de Deo patre, quod omnia quaecumque voluit fecit. qui vero sui patris potestate fungitur, quomodo diversificabitur in natura ab eo? solent etiam quaecumque sunt eiusdem virtutis, eiusdem esse substantiae. mirare tamen in his Christum divine et corporaliter operantem: divinum enim est ita velle ut praesto fiant omnia, humanum autem extendere dexteram. Unus itaque Christus ex utrisque perficitur, eo quod verbum caro factum est.

Gregorius nyssenus. Et quia cum utraque hominis particula, anima scilicet et corpore, unita est deitas, per utraque patebant supernae naturae indicia. Corpus enim reconditum in se lumen declarabat, cum palpando praestabat remedia, sed anima praepotenti voluntate divinam ostendebat virtutem: velut enim sensus tactus proprius corporis est, sic et animae voluntarius motus: vult anima, tangit corpus.

Ambrosius. Dicit ergo volo, propter photinum; imperat propter arium; tangit propter manichaeum. Nihil autem medium est inter opus dei atque praeceptum, ut intelligas medentis affectum, virtutem operis; unde sequitur et confestim lepra discessit ab illo. Sed ne lepra transire possit in medicum, unusquisque dominicae humilitatis exemplo iactantiam vitet; nam sequitur et praecepit illi ut nemini diceret: ut scilicet doceret non vulganda nostra beneficia, sed premenda, ut non solum a mercede abstinemus pecuniae, sed etiam gratiae. Aut fortasse illa silentii causa est imperati, quod meliores putabat, qui fide magis spontanea quam speratis beneficiis credidissent.

Cyrillus. leproso etiam silente sufficebat ipsa negotii vox ad narrandum omnibus agnoscentibus per eum potestatem curantis.

Chrysostomus in matth.. Et quia ut plurimum homines, dum aegrotant, dei sunt memores, ut autem convalescunt hebetantur, mandat ut deum prae oculis habeat, dans gloriam deo; unde sequitur sed vade, ostende te sacerdoti: ut scilicet mundatus leprosus committeret se sacerdotis aspectui; ac sic per illius censuram numeraretur inter suos.

Ambrosius. Et ut etiam intelligeret sacerdos non legis ordine, sed gratia dei supra legem esse curatum; et dum mandatur sacrificium secundum praeceptum moysi, ostendit dominus quia legem non solveret, sed impleret; unde sequitur et offer pro emundatione tua sicut praecepit moyses.

Augustinus de quaest. Evang.. videtur hic approbare sacrificium quod per moysen praeceptum est, cum id non recipiat ecclesia: quod ideo iussisse intelligi potest, quia nondum coeperat esse sacrificium sanctum sanctorum, quod corpus eius est: non enim oportebat auferri significativa sacrificia priusquam illud quod significabatur confirmatum esset contestatione apostolorum praedicantium, et fide credentium populorum.

Ambrosius. vel quia lex spiritualis est, videtur sacrificium mandasse spirituale; unde dixit sicut praecepit moyses; denique addidit in testimonium illis. Titus. Haeretici perperam hoc accipiunt, dicentes in opprobrium legis esse dictum. Qualiter autem iuberet offerre pro emundatione secundum praeceptum moysi?

Chrysostomus in Matthaeum. Dicit ergo in testimonium illis, quia ex hoc facto ostenditur Christum incomparabili excellentia moysi praeferri; quia enim moyses insufficiens erat a sorore leprae pellere morbum, orabat dominum ut eam liberaret; sed salvator in potestate divina protulit volo, mundare.

Cyrillus. vel in testimonium illis, hoc est ad reprehensionem eorum, et ad probationem quod legem revereor. Cum enim te curaverim, mitto te ad sacerdotum experientiam, ut attesteris mihi quod non sum praevaricatus in legem. Et quamvis dominus impendens remedia, moneret nemini dicere, instruens nos evitare superbiam; fama tamen eius volabat, undique installans auditui cunctorum miraculum; unde sequitur perambulabat magis sermo de illo.

Beda. Unius autem perfecta salvatio multas ad dominum cogit turbas: unde sequitur et conveniebant turbae multae, ut audirent et curarentur ab infirmitatibus suis. Ut enim leprosus exterius se sanatum doceret, perceptum beneficium, ut marcus ait, etiam iussus non tacet.

Gregorius moralium. redemptor autem noster per diem miracula in urbibus exhibet, et ad orationis studium in nocte pernoctat: unde sequitur ipse autem secedebat in desertum, et orabat: ut perfectis videlicet praedicatoribus innuat quatenus nec activam amore speculationis funditus deserant, nec contemplationis

gaudia operationis nimietate contemnant; sed quieti contemplantes sorbeant quod occupati erga proximos loquentes profundant.

Beda. Quod autem secedit orare, non ei naturae tribuas quae dicit volo, mundare, sed ei quae extendens manum tetigit leprosum: non quod iuxta nestorium gemina sit filii persona; sed eiusdem personae, sicut naturae, sic et operationes sunt duae.

Gregorius nazianzenus. Et opera quidem in populo, orationes autem in deserto peragebat ut plurimum; sanciens quod liceat parumper quiescere, ut mente sincera cum Deo colloquamur. Neque enim ipse indigebat remotione, quia non erat in eo quod remitteretur, cum deus esset: sed ut pateat nobis et operationis hora et altioris solertiae.

Beda. Typice autem leprosus humanum genus languidum peccatis designat, plenum lepra: quia omnes peccaverunt, et egent gratia dei, ut scilicet extenta manu, idest verbo dei humanam contingente naturam, a prisca erroris varietate mundentur, et offerant Deo pro emundatione corpora sua hostiam vivam.

Ambrosius. Si autem leprae medicina verbum est, contemptus verbi lepra mentis est.

Theophylactus. vide autem, quod postquam mundatus est aliquis, tunc dignus est offerre hoc munus, scilicet corpus et sanguinem domini, quod est divinae unitum naturae.

LUCA 5,17-26

9517 (Lc 5,17-26)

Cyrillus. Scribae et pharisaei, qui facti fuerant prodigiorum Christi visores, audiebant ipsum quoque docentem; unde dicitur et factum est in una dierum, et iesus sedebat docens; et erant pharisaei sedentes, et legis doctores, qui venerant ex omni castello galilaeae, et iudaeae, et ierusalem; et virtus domini erat ad sanandum eos. Non quasi mutuo acciperet potestatem alterius, sed quasi deus et dominus propria operabatur virtute. fiunt autem homines saepe donorum spiritualium digni; sed plerumque deficiunt ea ratione quam novit donorum largitor; quod in Christo non accidit: affluebat enim in praestandis remediis virtus divina. Quia vero necessarium erat, ubi tanta scribarum et pharisaeorum turba convenerat, aliquid fieri ex his quae virtuti attestarentur ipsius coram eis qui eum parvipendebant, factum est quoddam miraculum in paralytico: in quo quia defecisse videbatur medicinalis ars, portabatur a proximis ad supernum et caelestem medicum; unde sequitur et ecce viri portantes in lecto hominem qui erat paralyticus; et quaerebant eum inferre, et ponere ante eum.

Chrysostomus. mirandi vero sunt qui paralyticum adduxerunt, qualiter cum nequissent intrare per ostium, novum aliquid et alienum attentaverunt; unde sequitur et non inveniendes qua parte eum inferrent prae turba, ascenderunt supra tectum. Detegentes autem tectum deponunt grabatum, et ponunt in medio paralyticum; unde sequitur et per tegulas submiserunt illum cum lecto in medium ante iesum. Dicit aliquis demissum fuisse locum a quo per tegulas deposuerunt paralytici lectum.

Beda. Hominem autem dominus a paralyti curaturus, primo peccatorum vincula dissolvit, ut ostenderet eum ob nexus culparum artuum dissolutione damnari, nec nisi his relaxatis membrorum posse recuperatione sanari; unde sequitur quorum fidem ut vidit, dixit: homo, remittuntur tibi peccata tua.

Ambrosius. magnus dominus, qui aliorum merito ignoscit aliis; et dum alios probat, aliis relaxat errata. Cur apud te, homo, collega non valeat, cum apud deum servus et interveniendi meritum et ius habeat impetrandi? si gravium peccatorum diffidis veniam, adhibe precatores, adhibe ecclesiam quae pro te precetur, cuius contemplatione, quod tibi dominus negare posset, ignoscat.

Chrysostomus in Matthaum. occurrebat autem et in hoc ipsius patientis fides: non enim sustinisset se inferius submitti, nisi credidisset.

Augustinus de cons. Evang.. quod autem dicit homo, dimittuntur tibi peccata, ad hoc insinuandum valet quia homini dimittebantur peccata, qui hoc ipso quod homo erat, non posset dicere: non peccavi: simul etiam ut ille qui homini dimittebat, intelligeretur deus.

Chrysostomus. Nos autem si corporaliter patimur, satagimus nocivum abicere; cum vero male sit animae, differimus; atque ideo nec a corporis nocivis curamur. abscindamus igitur fontem malorum, et cessabunt

aegritudinum fluxus. Metu autem multitudinis suam intentionem aperire pharisaei non audebant, sed solum in cordibus suis meditabantur; unde sequitur et coeperunt cogitare scribae et pharisaei, dicentes: quis est hic qui loquitur blasphemias? **Chrysostomus**. In quo mortis praecipitant sententiam. Erat enim mandatum in lege, quod quicumque blasphemaret in deum, morte puniretur.

Ambrosius. Itaque ab ipsis ex operibus suis dei filius accipit testimonium; nam et validius est ad fidem quod confitentur inviti, et perniciosius ad culpam quod negant qui suis assertionibus relinquuntur; unde sequitur quis potest peccata dimittere, nisi solus deus? magna infidae plebis amentia, ut cum confessa fuerit solius dei esse donare peccata, non credat Deo peccata donanti.

Beda. Verum enim dicunt: quia nemo peccata dimittere nisi deus potest, qui per eos quoque dimittit quibus dimittendi tribuit potestatem. Et ideo Christus vere deus esse probatur, quia dimittere peccata quasi deus potest.

Ambrosius. Dominus autem salvos volens facere peccatores, ex occultorum cognitione deum se esse demonstrat; unde sequitur ut autem cognovit iesus cogitationes eorum, respondens dixit ad illos: quid cogitatis in cordibus vestris? **Cyrillus**. Quasi dicat: o pharisaei, quia dicitis quis potest peccata dimittere, nisi solus deus? respondeo vobis: quis potest secreta cordis scrutari, nisi solus deus? qui per prophetas dicit: ego dominus scrutans corda et probans renes.

Chrysostomus. Si ergo increduli estis erga primum, scilicet remissionem peccati, ecce aliud adicio, dum intima vestra patefacio: quin etiam aliud dum paralytici corpus consolido; unde subdit quid est facilius, dicere: dimittuntur tibi peccata, an dicere: surge et ambula? palam quidem est quia consolidare corpus facilius est: quanto namque nobilior est anima corpore, tanto est excellentior absolutio criminum: verum, quia illud non creditis eo quod lateat, adiciam quod minus est; apertius tamen, quatenus quod est magis occultum per hoc demonstratur. Et quidem cum allocutus est infirmantem, non dixit: dimitto tibi peccata, propriam exprimens potestatem; sed remittuntur tibi peccata. cogentibus autem illis, evidentius propriam declarat potestatem, dicens ut autem sciatis quia filius hominis potestatem habet in terris dimittendi peccata.

Theophylactus. vide quod in terra dimittit peccata: dum enim sumus in terra, peccata nostra delere possumus, postquam vero a terra tollimur, non valebimus confiteri: clauditur enim ianua.

Chrysostomus. Demonstrat autem peccatorum veniam per corporis sanationem; unde sequitur ait paralytico: tibi dico: surge. Ipsam vero corporis sanationem demonstrat per lecti portationem, ut sic non reputetur phantasia quod factum est; unde sequitur tolle grabatum tuum, et vade in domum tuam; quasi dicat: ego volebam per tuam passionem curare illos qui sani videntur, infirmantur autem in anima; sed quia nolunt, vade tuam correcturus familiam.

Ambrosius. Nec mora ulla sanitatis intervenit; unum dictorum remediorumque momentum est; unde sequitur et confestim consurgens coram illis, tulit lectum in quo iacebat, et abiit in domum suam, magnificans deum.

Cyrillus. Quo facto patuit quod filius hominis potest in terra relaxare peccata; quod pro se et pro nobis dixerat. Ipse namque ut deus factus homo tamquam dominus legis peccata dimittit. Sortiti sumus etiam nos ab eo tam mirabilem gratiam: dictum est enim discipulis: quorum remisistis peccata, remittuntur eis. Quomodo autem non magis ipse peccata dimittit, qui ceteris potestatem faciendi hoc tradidit?

Chrysostomus. Reges autem terreni et principes homicidas absolventes, a poena praesenti liberant, a criminibus autem expiare non possunt.

Ambrosius. Spectant autem surgentem increduli, mirantur abeuntem; unde sequitur et stupor apprehendit omnes, et magnificabant deum.

Chrysostomus in Matthaeum. paulatim serpunt iudaei magnificantes deum, non tamen putant eum deum esse; obstabat enim eis caro: nec tamen erat modicum aestimare eum praecipuum esse mortaliu[m] et a Deo processisse.

Ambrosius. Divini autem operis miracula malunt timere quam credere; unde sequitur et repleti sunt timore, dicentes: quia vidimus mirabilia hodie. Si autem credidissent, non timuissent utique, sed dilexissent: perfecta enim dilectio foras timorem excludit. Non otiosa autem huius paralytici nec angusta medicina est, quoniam orasse praemittitur, non propter suffragium, sed propter exemplum.

Augustinus de quaest. Evang.. de paralytico enim potest intelligi animam dissolutam membris, hoc est operationibus, Christum quaerere, idest voluntatem verbi dei; impediri autem a turbis, scilicet cogitationum,

nisi tecta, idest operta scripturarum, aperiatur, et per hoc ad notitiam Christi perveniat, hoc est, ad eius humilitatem fidei pietate descendat.

Beda. Et bene domus iesu tegulis contacta describitur, quia sub contemptibili litterarum velamine spiritualis gratiae virtus invenitur.

Ambrosius. Unusquisque autem aeger petendae praedicatores salutis debet adhibere, per quos nostrae vitae compago resoluta, actuumque nostrorum clauda vestigia, verbi caelestis remedio refoventur. sint igitur aliqui monitores mentis, qui animum hominis, quamvis exterioris corporis debilitate torpentem, ad superiora erigant, quorum rursus adminiculis et attollere et humiliare se facili ante iesum locetur, dominico videri dignus aspectu: humilitatem enim respicit dominus.

Augustinus de quaest. Evang.. Hi ergo a quibus deponitur, bonos doctores ecclesiae possunt significare; quod autem cum lecto deponitur, significat ab homine in ista carne adhuc constituto Christum debere cognosci.

Ambrosius. Dominus autem plenam spem resurrectionis ostendens, peccata donat animorum, et debilitatem carnis excludit: hoc est enim totum hominem esse curatum. Quamvis igitur magnum sit hominibus peccata dimittere, tamen multo divinius est resurrectionem donare corporibus, quandoquidem deus resurrectio est. Lectus autem qui tolli iubetur, nihil est aliud quam corpus humanum.

Augustinus de quaest. evang.. Ut non iam in carnalibus gaudiis tamquam in lecto requiescat infirmitas animae, sed magis ipsa contineat affectiones carnales, et tendat ad domum suam, idest requiem secretorum cordis sui.

Ambrosius. Vel domum repetere suam, hoc est ad paradysum redire: ea enim est vera domus quae hominem prima suscepit, non iure amissa, sed fraude. Merito ergo restituitur, quoniam venerat qui nexum fraudis aboleret, iusque reformaret.

LUCA 5,27-32

9527 (Lc 5,27-32)

Augustinus de cons. Evang.. post paralyticum sanatum, de conversione publicani subiungit, dicens et post haec exiit et vidit publicanum nomine levi, sedentem ad telonium. Ipse est Matthaheus, qui et levi.

Beda. Sed lucas et marcus propter honorem evangelistae, nomen tacent vulgatum; Matthaheus autem in sermonis principio accusator sui factus, Matthaenum se et publicanum nominat, ne quis a salute desperet pro immanitate peccatorum, cum ipse de publicano in apostolum sit mutatus.

Cyrillus. Publicanus enim fuerat levi, vir avarus, effrenis erga superflua, alieni amator, (hoc enim est publicanorum officium); sed ab ipsis officinis malitiae detrahitur, Christo eum vocante; unde sequitur et ait illi: sequere me.

Ambrosius. Sequi iubet, non corporis gressu, sed mentis affectu. Itaque ille verbo vocatus, propria dereliquit qui rapiebat aliena; unde sequitur et relictis omnibus, surgens secutus est eum.

Chrysostomus in Matthaenum. ubi et vocantis virtutem et vocati obedientiam considera. Neque enim obstitit, neque vacillavit; sed protinus paruit, nec in propriam domum ire voluit ut suis hoc intimaret, sicut nec piscatores.

Basilus. Nec solum fenora telonii postposuit, sed etiam contempsit pericula quae sibi ac suis accidere poterant, dum calculos telonii dimitteret imperfectos.

Theophylactus. Et sic ab accipiente censum a transeuntibus, Christus censum accepit: non quidem eius accipiens pecuniam, sed totaliter eum transferens ad suum consortium.

Chrysostomus. vocatum autem levi dominus honoravit, dum cum eo confestim epulatus est: hoc enim maiorem praestabat fiduciam; unde sequitur et fecit ei convivium magnum levi in domo sua. Nec solum cum eo discumbit, immo cum pluribus; unde sequitur et erat turba multa publicanorum et aliorum qui cum illis erant discumbentes. Convenerant enim publicani ad eum sicut ad collegam, et hominem eiusdem officii,

sed et ipse glorians de praesentia Christi, convocavit omnes. Christus etiam quodlibet genus remedii exhibebat, et non solum disputando et praestando sanitatis remedia, vel etiam redarguendo aemulos, sed etiam comedendo, nonnullos errantium corripuit; inde nos instruens quod quodlibet opus et tempus potest nobis utilitatem afferre. sed nec publicanorum participationem vitavit propter utilitatem sequentem, more medici, qui nisi tangeret saniem, non liberaret a morbo.

Ambrosius. Cum peccatoribus enim manducando, etiam cum gentibus non prohibet nos inire convivium.

Chrysostomus. Sed tamen dominus inculpatus est inde a pharisaeis invidentibus et volentibus a Christo discipulos separare; unde sequitur et murmurabant pharisaei et scribae dicentes ad discipulos eius: quare cum publicanis et peccatoribus manducatis et bibitis? **Ambrosius.** Serpentina vox est: hanc primam vocem serpens emisit dicens evae: quid dixit deus: nolite manducare, etc.? ergo patris sui venena diffundunt.

Augustinus de cons. evang.. Videtur autem lucas hoc aliquanto differentius ab aliis evangelistis commemorasse: non enim dicit tantum domino obiectum esse quod cum publicanis et pharisaeis manducaret et biberet, sed discipulis; quod de ipso ac de ipsis acciperetur. Propterea enim Matthaeus et marcus de Christo discipulis obiectum narrant: quia quod discipuli cum publicanis et peccatoribus manducabant, magistro magis obiciebatur, quem sectando imitabantur. Una ergo sententia est, tanto melius insinuata quanto quibusdam verbis, manente veritate variata.

Chrysostomus. Ipse autem dominus in contrarium eorum sermonem convertit, ostendens non esse culpam cum peccatoribus conversari, sed etiam consonum misericordiae propriae; unde sequitur et respondens iesus dixit ad illos: non egent medico qui sani sunt, sed qui male habent; in quo commonet eos communis infirmitatis, et de numero languentium eos esse ostendit; se vero medicum esse latenter subiungit non enim veni vocare iustos, sed peccatores.

Gregorius nyssenus. Quasi dicat: adeo peccatores non abominor, quod eorum tantum gratia veni, non ut maneant peccatores, sed ut convertantur, et boni fiant.

Augustinus de cons. Evang.. Unde addit in poenitentiam, quod ad explanandam sententiam valet, ne quisquam peccatores ob hoc ipsum quod peccatores sunt, diligere arbitretur a Christo; cum et illa similitudo de aegrotis bene intimet quid velit deus vocando peccatores, tamquam medicus aegrotos, ut ab iniquitate tamquam ab aegritudine salvi fiant.

Ambrosius. sed quomodo dum iustitias dilexit, neque vidit david iustum derelictum, si iustus derelinquitur, peccator asciscitur? nisi intelligas quod eos iustos dicit qui ex lege praesumant, et evangelii gratiam non requirant. Nemo autem iustificatur ex lege, sed redimitur ex gratia. non vocat ergo eos qui se iustos dicunt: usurpatores enim iustitiae non vocantur ad gratiam: nam si gratia est ex poenitentia, utique qui fastidit poenitentiam, abdicat gratiam.

Beda. Peccatores autem vocat eos qui sua mala attendentes, nec per legem iustificari se posse putantes, Christi gratiae se poenitendo subiciunt.

Chrysostomus. Ironice autem dicit illos iustos, sicut quando dicitur: ecce adam factus est quasi unus nostrum. Quod autem nullus erat iustus super terram, ostendit paulus dicens: omnes peccaverunt et egent gratia dei.

Gregorius nyssenus. vel dicit non egere sanos et iustos medico, scilicet angelos; sed male habentes et peccatores, idest nos: quia morbum peccati incurrimus, qui in caelis non est.

Beda. Per Matthaei autem electionem fides gentium exprimitur, qui prius mundanis inhiabant, sed nunc Christi corpus sedula devotione conficiunt.

Theophylactus. vel publicanus est qui principi mundi servit, et debitum carni reddit; cui gulosus reddit escas, adulter voluptatem, et alius aliud. Cum autem viderit eum dominus sedentem in telonio, idest non moventem se ad maiorem nequitiam; tunc a malo erigetur et sequetur iesum, et suscipiet in domo animae dominum.

Ambrosius. Qui autem domicilio Christum recipit interno, maximis delectationibus exuberantium pascitur voluptatum. Itaque libenter dominus ingreditur, et in eius recumbit affectu. Sed rursus accendit invidia perfidorum, et futurae poenae species praefiguratur: epulantibus enim fidelibus in regno caelorum, perfidia ieiuna torquebitur.

Beda. Vel per hoc designatur iudaeorum invidia, quae de gentium salute torquetur.

Ambrosius. Simul etiam ostenditur quantum sit inter aemulos legis et gratiae: quod illi qui legem sequuntur, mentis famem patientur aeternam; qui vero verbum in interioribus animae receperunt, alimenti caelestis et fontis ubertate recreati, esurire et sitire non possunt. et ideo, qui animo ieiunabant, murmurabant.

LUCA 5,33-39

9533 (Lc 5,33-39)

Cyrillus. Postquam primum verbum acceperunt a Christo, ab aliis ad alia se transferunt, volentes ostendere sacros discipulos, et ipsum cum eis iesum minime curasse de lege: unde dicitur at illi dixerunt ad eum: quare discipuli iohannis ieiunant frequenter et observationes faciunt, similiter et pharisaei; tui autem edunt et bibunt? quasi dicant: comeditis cum publicanis et peccatoribus, cum iubeat lex immundo non communicare; sed in excusationem praevaricationis vobis accedit misericordia. Cur ergo non ieiunatis, ut mos est secundum legem volentibus vivere? sed sancti quidem idcirco ieiunant ut corpus affligentes, quietent passiones ipsius; sed Christus non egebat ieiunio ad perfectionem virtutis, cum tamquam deus absolutus esset a quolibet vinculo passionis; sed nec eius comitiva ieiunio egebat, sed particeps gratiae eius sine ieiunio decorata virtuose conversabatur. quod si Christus quadraginta diebus ieiunaverat, non hoc fuit ut in se passionem mortificaret, sed ut normam abstinentiae ostendat carnalibus.

Augustinus de cons. evang.. Evidenter autem lucas alios de aliis hoc dixisse narravit; unde ergo Matthaeus dixit: tunc accesserunt ad eum discipuli iohannis dicentes: quare nos et pharisaei ieiunamus? nisi quia et ipsi aderant, et omnes certatim ut quisque poterat hoc obiecerunt.

Augustinus de quaest. Evang.. Est autem duplex ieiunium: unum in tribulatione ad propitiandum deum in peccatis; aliud in gaudio, cum tanto minus delectant carnalia, quanto spiritualium maior sarcina est. Interrogatus ergo dominus cur discipuli eius non ieiunarent, de utroque ieiunio respondit: et primo de ieiunio tribulationis: sequitur enim quibus ipse ait: numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere ieiunare? **Chrysostomus** in Matthaeum. quasi dicat: praesens tempus laetitiae est et alacritatis; non igitur immiscenda sunt tristitia.

Cyrillus. Salvatoris enim nostri in hoc saeculo demonstratio nihil aliud fuit quam quaedam festivitas, intelligibiliter quasi quamdam sponsam copulans illi nostram naturam, ut quondam sterilis fecunda fieret. Igitur filii sponsi esse noscuntur quicumque vocati sunt ab eo per novam et evangelicam disciplinam; non autem scribae cum pharisaeis, qui solam legis umbram considerant.

Augustinus de cons. Evang.. Per hoc autem quod solus lucas dicit non potestis filios sponsi facere ieiunare, intelligitur eos ipsos qui loquebantur, fuisse facturos ut lugentes ieiunarent filii sponsi, quando ipsi essent sponsum occisuri.

Cyrillus. ubi vero concesserat filiis sponsi quod non decebat eos laborare, tamquam qui spiritualem solemnitatem habebant, ne inter nos annullaretur ieiunium, dispensative subiungit dicens venient autem dies cum ablati fuerint ab eis sponsus; tunc ieiunabunt in illis diebus.

Augustinus de quaest. Evang.. Quasi dicat: tunc desolabuntur, et in moerore et luctu erunt, donec eis per spiritum sanctum gaudia consolatoria tribuantur.

Ambrosius. vel aliter. Non hoc ieiunium relegatur quo conficitur caro, et corporis luxuria castigatur; hoc ieiunium nos commendat deo. Sed non possumus ieiunare qui Christum habemus, et Christi carnem epulamur et sanguinem.

Basilius. Filii etiam sponsi ieiunare nequeunt, hoc est animae nutrimentum non sumere, sed vivere in omni verbo quod de ore dei procedit.

Ambrosius. Sed qui sunt illi dies quibus nobis Christus auferetur, cum ipse dixerit: vobiscum ero usque ad consummationem mundi? sed nemo tibi Christum potest auferre, nisi te illi ipse auferas.

Beda. Quamdiu enim sponsus nobiscum est, in laetitia sumus, nec ieiunare possumus nec lugere; cum

autem per peccata ille recedit, tunc indicendum est ieiunium, et requirendus luctus.

Ambrosius. Denique de animi dictum est ieiunio, ut sequentia declarant; sequitur enim dicebat autem similitudinem ad illos, quod nemo commissuram, idest particulam ablatam, a vestimento novo immittit in vestimentum vetus. Appellavit ieiunium vestimentum vetus, quod exuendum apostolus aestimavit, dicens: spoliare vos veterem hominem cum actibus suis. In eadem igitur forma series convenit praeceptorum, ne actus veteris et novi hominis misceamus.

Augustinus de quaest. Evang.. Vel aliter. dono spiritus sancti percepto, genus etiam ieiunii quod fit per laetitiam iam renovati in vitam spiritualem convenientissime celebrant; quod antequam accipiant, dicit eos esse tamquam vetera vestimenta, quibus inconvenienter pannus novus assuitur, idest aliqua particula doctrinae quae ad novae vitae temperantiam pertinet: quia si hoc fiat, et ipsa doctrina quodammodo scinditur, quae docet generale ieiunium non a concupiscentia ciborum tantum, sed ab omni laetitia temporalium delectationum: cuius particulam quae ad cibos pertinet dicit non oportere hominibus adhuc veteri consuetudini deditis impartiri: quia et illic quasi concisio videtur fieri, et ipsi vetustati non convenit. dicit etiam eos esse similes veteribus utribus; unde sequitur et nemo mittit vinum novum in utres veteres.

Ambrosius. fragilitas humanae conditionis aperitur, cum corpora nostra exuviis defunctorum animalium comparantur.

Augustinus de quaest. Evang.. Veteribus autem utribus comparantur apostoli, qui vino novo quasi spiritualibus praeceptis facilius disrumpuntur quam contineant; unde sequitur alioquin rumpit vinum novum utres, et ipsum effunditur et utres pereunt. erunt autem novi utres, cum post ascensionem accepto desiderio consolationis eius, orando et sperando innovabuntur; unde sequitur sed novum vinum in utres novos mittendum est, et utraque conservantur.

Beda. Vino siquidem intus reficimur, veste autem foris tegimur. Vestis ergo sunt bona opera quae foris agimus, quibus coram hominibus lucemus; vinum fervor fidei, spei et caritatis. Aliter. Veteres utres sunt scribae et pharisaei; novus pannus et novum vinum praecepta evangelii.

Gregorius nyssenus. Vinum enim de novo elicatum, propter fervorem naturalis humidi, fumosum est despumans naturali agitatione a se materialem immunditiam. tale vinum, novum testamentum est, quod antiqui utres qui, propter incredulitatem inveterati sunt, non capiunt; immo scinduntur excellentia doctrinae, necnon et gratiam spiritus incassum fluere faciunt, quia in malevolam animam non introibit sapientia.

Beda. Sed cuicumque animae nondum innovatae, sed in vetustate malitiae perseveranti, novorum mysteriorum sacramenta non debent committi. Qui etiam praeceptis evangelicis praecepta legis miscere volunt, ut galatae, vinum novum in utres veteres mittunt. sequitur et nemo bibens vetus, statim vult novum; dicit enim: vetus melius est: quia iudaeis vitae veteris saliva imbutis, novae gratiae praecepta sordebant: quia maiorum traditionibus commaculati dulcedinem spiritualium verborum percipere non valebant.

LUCA 6,1-5

9601 (Lc 6,1-5)

Ambrosius in lucam. Non solum comprehensione verborum, sed etiam ipso usu specieque gestorum incipit hominem dominus veteris observatione legis exuere; unde dicitur factum est autem in sabbato secundo primo, cum transiret per sata, vellebant discipuli eius spicas et manducabant, confricantes eas manibus suis.

Beda. Non habentes enim discipuli spatium manducandi propter importunitatem turbarum, esuriebant ut homines; sed vellentes spicas inedia consolabantur: quod est indicium austerioris vitae, non praeparatas escas, sed simplices quaerere cibos.

Theophylactus. Dicit autem in sabbato secundo primo: quia iudaei omnem festivitatem sabbatum nuncupabant: requies enim dicitur sabbatum: multoties ergo contingebat in parasceve festivitas, et vocabant parascevem sabbatum propter festum; deinde principale sabbatum secundum primum dicebant, quasi secundum existens a praecedentis diei festivitate.

Cyryllus. Duplex enim erat festum; et principalis festi et alterius solemnitatis sabbati. Isidorus. Vel dicit secundo primo quia secundum erat pascha, primum autem azymorum; cum immolarent enim pascha in

sero, sequenti die festum azymorum celebrabant. Quod autem ita sit, patet ex hoc quod apostoli vellebant spicas, et manducabant: in illo namque tempore spicae flectuntur a fructu. epiphanius contra haer.. Die igitur sabbati visi sunt transeuntes per segetes, et spicas edebant, ostendentes quoniam dissolutum est vinculum sabbati, ubi magnum advenit sabbatum, hoc est Christus, qui fecit nos quiescere ab opere delictorum nostrorum.

Cyrillus. Pharisei autem et scribae ignari sacrarum scripturarum, in unum conspiraverant, ad reprehendendum Christi discipulos; unde sequitur quidam autem pharisaeorum dicebant illis: quid facitis quod non licet in sabbatis? dic mihi tu: cum in sabbato tibi mensa proponitur, nonne frangis panem? quid igitur alios reprehendis? **Beda.** Alii vero dicunt, ipsi domino haec fuisse obiecta; sed a diversis et ipsi domino et discipulis potuerunt obici; et cuicumque obiectum, ad ipsum maxime respicit.

Ambrosius. Dominus autem defensores legis arguit nescire quae legis sunt, exemplum inducens david; unde sequitur et respondens iesus ad eos, dixit: nec hoc legistis quod fecit david, cum esurisset ipse et qui cum eo erant? **Cyrillus.** quasi dicat: cum expresse dicat lex moysi: iudicate iustum iudicium, nec considerabitis personam in iudicio; qualiter increpatis discipulos, qui usque in hodiernum diem extollitis david ut sanctum et prophetam, cum moysi praeceptum non servaverit? **Chrysostomus** in Matthaeum. Et attende, quod quaecumque domino sit sermo pro servis, idest discipulis, servos ducit in medium, scilicet david et sacerdotes; quando vero pro se, introducit patrem, sicut ibi: pater meus usque modo operatur, et ego operor.

Theophylactus. aliter autem eos reprimat cum subditur et dicebat illis, quia dominus est filius hominis etiam sabbati; quasi dicat: ego sum dominus sabbati tamquam dispositor, et sicut legislator potestatem habeo solvere sabbatum: filius enim hominis vocatus est Christus, qui dei existens filius, miraculose dignatus est filius hominis propter homines fieri et vocari.

Chrysostomus in Matthaeum. marcus autem de communi natura hoc ipsum protulisse fatetur: dicebat enim: propter homines sabbatum factum est, non homo propter sabbatum. expedit igitur potius sabbatum homini subici, quam hunc colla subicere sabbato.

Ambrosius. Non mediocre autem mysterium hoc est. Ager enim est hic mundus; agri seges in satione humani generis fecunditas numerosa sanctorum; spicae agri fructus ecclesiae, quos operibus discutientes suis apostoli pascebantur, nostro se alentes profectu, et tamquam folliculis corporum, mentium fructus ad fidei lucem praeclaris operum suorum miraculis eruebant.

Beda. Spicas enim confricant: quia in illis quos in corpus Christi volunt traicere, mortificant veterem hominem cum actibus suis, a terrena intentione extrahendo.

Ambrosius. Sed hoc putabant iudaei sabbato non licere; Christus autem novae gratiae munere designabat otium legis opus gratiae: mire tamen secundo primum, non primo secundum sabbatum dixit: quia sabbatum illud ex lege solutum est quod erat primum; et hoc primum factum est quod secundo constitutum est. Sabbatum igitur dicitur secundum iuxta numerum, primum iuxta operationis gratiam: melius est enim sabbatum quo impunitas datur, quam quo poena praescribitur. Aut hoc forte primum est in praedestinatione consilii, et secundum in sanctione decreti. Deinde quod david cum sociis fugit, hic praefiguratus in lege Christus est, qui cum apostolis principem mundi lateret. Quomodo autem ille observator legis atque defensor panes et ipse manducavit, et dedit his qui secum erant, quos non licebat manducare nisi sacerdotibus; nisi ut per illam demonstraret figuram, sacerdotalem cibum ad usum transire populorum; sive quod omnes vitam sacerdotalem debemus imitari; sive quod omnes filii ecclesiae sacerdotes sunt? ungimur enim in sacerdotium sanctum, offerentes nosmetipsos Deo hostias spirituales. si autem sabbatum propter homines factum est; utilitas autem hominum postulabat esurientem hominem, qui diu fuerit terrae fructibus abdicatus, veteris famis vitare ieiunia: non utique lex solvitur, sed impletur.

LUCA 6,6-11

9606 (Lc 6,6-11)

Ambrosius. Hic ad alia progreditur dominus; nam qui totum hominem salvum facere disposuerat, per singula membra curabat; unde dicitur factum est autem in alio sabbato ut intraret in synagogam, et doceret.

Beda. Sabbatis maxime curat et docet, non solum propter insinuandum spirituale sabbatum, sed etiam propter celebriorem populi conventum.

Cyrillus. docebat autem revera transcendentia intellectum, et quae salutis futurae per eum reserabant audientibus semitam; deinde, praecedente doctrina, subito divinam ostendebat virtutem; unde sequitur et erat ibi homo, et manus eius dextera arida.

Beda. Quia vero destructionem sabbati quam in discipulis arguebant, probabili magister excusaverat exemplo, nunc ipsum observando magistrum calumniari volunt; unde sequitur observabant autem scribae et pharisaei si in sabbato curaret; ut scilicet si non curet, crudelitatis vel imbecillitatis; si curet, transgressionis vitio arguant; unde sequitur ut invenirent unde accusarent eum.

Cyrillus. Hic enim est mos adversarii: pascit in se doloris morbum aliorum praeconiis. Sed dominus novit omnia, et corda rimatur; unde sequitur ipse autem sciebat cogitationes eorum et ait homini qui habebat manum aridam: surge et sta in medio. Et surgens stetit; ut forsitan incitaret ad pietatem crudelem pharisaeum, et ipsa passio flammam mitigaret livoris.

Beda. Praeveniens autem dominus calumniam quam sibi praeparabant, arguit eos qui praecepta legis male interpretando etiam a bonis operibus sabbato aestimabant feriandum, cum lex a servili opere, id est a malis, abstinere praecipiat in sabbato; unde sequitur ait autem ad illos iesus: interrogo vos, si licet sabbato bene facere an male? **Cyrillus.** Nimis est idonea quaestio: nam si licet in sabbato bene facere, nec aliquid obstat ut laborantes a Deo misericordiam consequantur, desinas colligere adversus Christum calumniam: si autem non licet in sabbato benefacere, et lex prohibet animarum salutem, factus es legis accusator. Ipsam quoque sabbati sanctionem si velimus discutere, ad opus pietatis introductum fuisse reperiemus. Iussit enim in sabbato feriari: ut quiescat puer tuus et ancilla tua, bos tuus et quodlibet pecus tuum. Qui vero bovis miseretur et ceterorum pecorum, quomodo non miserebitur hominis gravi morbo perplexi? **Ambrosius.** Lex autem in praesentibus formam praefiguravit futurorum; in quibus utique malorum feriae sunt, non bonorum: nam licet saecularia opera conquiescant, non otiosus tamen boni operis actus est, in dei laudes requiescere.

Augustinus de quaest. Evang.. cum autem dominus corpus curaverit, sic interrogavit: animam salvam facere, an perdere? vel quia illa miracula propter fidem faciebat, ubi salus est animae; vel quia ipsa sanatio manus dexteræ salutem animae significabat, quae a bonis operibus cessans, aridam quodammodo dexteram habere videbatur; vel animam pro homine posuit, sicut dici solet: tot animae ibi fuerunt.

Augustinus de cons. Evang.. sed potest movere quomodo Matthaeus dixerit quod ipsi interrogaverunt dominum, si licet curare sabbato; cum lucas hic illos potius a domino interrogatos esse perhibeat. Itaque intelligendum est, quod illi prius interrogaverunt dominum, si licet sabbato curare. deinde intelligens cogitationes eorum, aditum accusandi quaerentium, constituit in medio eum quem fuerat sanaturus, et interrogavit quae marcus et lucas eum interrogasse commemorant. sequitur et circumspectis omnibus. titus. Quasi collectis omnium oculis, quin etiam incitata mente eorum ad considerationem negotii, dixit homini: extende manum tuam: ego tibi mando qui creavi hominem. Audit autem qui laesam habebat manum, et sanus fit; unde sequitur et extendit, et restituta est sanitati manus eius. Quos autem oportebat in miraculo stupere, augent malitiam; unde sequitur ipsi autem repleti sunt insipientia, et colloquebantur ad invicem, quidnam facerent de iesu.

Origenes. Et, ut narrat Matthaeus, exeunt et consiliantur, ut occidant eum.

Cyrillus. Cernis, o pharisaeae, operantem divina, ac superna maiestate liberantem languentes, et mortem portas ex livore.

Beda. Homo autem iste humanum genus significat infecunditate boni operis arefactum pro manu in primo parente ad pomum extensa, quam sanavit innocens manus in cruce extensa. Et bene manus in synagoga erat arida; quia ubi maius donum scientiae, ibi transgressor maiori subiacet culpae.

Ambrosius. Audisti igitur verba dicentis extende manum tuam. communis ista generalisque medicina est: et tu qui putas manum habere te sanam, cave ne avaritia vel sacrilegio contrahatur. extende saepius eam, ut proximum iuves, ut viduae praesidium feras, eripias iniuriae quem vides iniuste contumeliae subiacere; extende ad pauperem, qui te obsecrat; extende ad dominum pro peccatis tuis: sic manus extenditur, sic manus sanatur.

LUCA 6,12-16

Glossa. Insurgentibus adversarii contra Christi miracula et doctrinam, apostolos elegit quasi defensores veritatis et testes: quorum electioni orationem praemittit; unde dicitur factum est autem in illis diebus, exiit in montem orare.

Ambrosius. noli insidiatrices aperire aures, ut putes filium dei quasi infirmum rogare, ut impetret quod implere non possit: potestatis enim auctor, obedientiae magister, ad praecepta virtutis suo nos informat exemplo.

Cyrillus. Scrutemur igitur in his quae Christus egit, qualiter nos doceat orationibus divinis insistere, semotim scilicet et secreto, nemine vidente, amota quoque mundana sollicitudine, ut sursum ad divinae speculationis intuitum erigatur intentio: quod designatur in hoc quod semotim orabat iesus in montem.

Ambrosius. ubique etiam solus obsecrat: dei enim consilium humana vota non capiunt; nec quisquam interiorum potest esse particeps Christi. Non autem omnis qui orat, ascendit in montem, sed qui orat a terrenis ad superiora progrediens; sed non ille qui de saeculi divitiis aut de honore sollicitus est. Omnes sublimes in montem ascendunt: quare in evangelio invenies solos in montem cum domino ascendisse discipulos. Species autem tibi, Christiane, datur; forma praescribitur quam debeas aemulari, cum sequitur et erat pernoctans in oratione dei. Quid enim te pro salute tua facere oportet, quando pro te Christus in oratione pernoctat? **Chrysostomus.** exurge igitur et tu tempore noctis. purior est enim tunc temporis anima; ipsae tenebrae, silentium nimium possunt sufficienter ad compunctionem perducere. ceterum si ipsum quoque caelum inspicias punctatum stellis, quasi infinitis luminibus; si consideres quod qui per diem saltant iniurianturque, hi tunc nihil, a mortuis discrepant; detestaberis quemlibet ausum humanum. Haec omnia sufficiunt ad animam erigendam: tunc non vexat inanis gloria, non acedia, non concitatio occupat; non sic ignis ferri sequestrat rubiginem, velut nocturna oratio aeruginem peccatorum. Quem de die solis aestus perussit, nocte refrigeratur. Quemlibet rorem superant nocturnae lacrymae; et contra concupiscentiam valent, et quemlibet timorem. Si vero praedicto rore non foveatur, homo arescit sub die. quapropter licet non multum ores, semel ora vigilando, et sufficit: ostende quod non solum ad corpus nox pertinet, sed etiam ad animam.

Ambrosius. Quid autem te facere convenit cum vis aliquod officium pietatis adoriri, quando Christus missurus apostolos prius oravit? sequitur enim et cum dies factus esset, vocavit discipulos suos, et elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit; quos scilicet ad propagandum auxilium salutis humanae per terrarum orbem satores fidei destinavit. simul adverte caeleste consilium: non sapientes aliquos, non divites, non nobiles, sed piscatores et publicanos, quos dirigeret, elegit; ne divitiis aut potentiae nobilitatisque auctoritate traxisse aliquos ad suam gratiam videretur; ut veritatis ratio, non disputationis gratia praevaleret.

Cyrillus. Attende autem maximam evangelistae sedulitatem; non solum dicit electos fuisse sacros apostolos, immo nominatim eos enumerat, ne quisquam audeat alios inscribere apostolorum catalogo. simonem quem cognominavit petrum, et andream fratrem eius.

Beda. Non modo primum eum cognominavit, sed longe prius; cum ab andrea adducto dicitur: tu vocaberis cephas, quod interpretatur petrus. Sed volens lucas nomina apostolorum enumerare, cum necesse haberet petrum dicere, breviter voluit innuere quod non hoc antea cognominaretur, sed ita dominus cognominaverit.

Eusebius. Secunda autem combinatio est iacobi et ioannis; unde sequitur iacobum et ioannem; ambos scilicet filios ze **Beda**e, qui etiam piscatores fuerunt. Post hos autem dicit philippum et bartholomaeum. Philippum dicit ioannes fuisse de bethsaida, concivem andreae et petri; ipse quoque bartholomaeus, vir simplex et expers scientiae mundanae et amaritudinis. Matthaeus vero ex his qui prius census exigebant vocatus est, de quo subdit Matthaeum et thomam.

Beda. Matthaeus compari suo thomae in ordine, humilitatis causa se supponit, cum a ceteris evangelistis praelatus sit. sequitur iacobum alphaei et simonem, qui vocatur zelotes.

Glossa. Quia scilicet fuit de cana galilaeae, qui interpretatur zelus, quod additur ad differentiam simonis petri. sequitur iudam iacobi, et iudam iscariotem qui fuit proditor.

Augustinus de cons. Evang.. In nomine iudae iacobi lucas videtur discrepare a Matthaeo, qui eum thaddaeum appellat. Sed quis unquam prohibuit duobus vel tribus nominibus unum hominem vocari? eligitur autem iudas proditor, non per imprudentiam, sed per providentiam: suscepit quidem hominis fragilitatem, et ideo nec has partes recusavit infirmitatis humanae: voluit ab apostolo suo tradi, ut tu a socio proditus moderate feras, tuum errasse iudicium, periisse beneficium.

Beda. Mystice autem mons in quo apostolos elegit, altitudinem designat iustitiae, qua instituendi erant, et eam praedicaturi: sic et lex in monte data fuit.

Cyrillus. Quod si libet interpretationem apostolicorum nominum scire, scito quia petrus dicitur dissolvens vel agnoscens; andreas decora potentia vel respondens; iacobus autem supplantator doloris; ioannes domini gratia; Matthaeus donatus; philippus os magnum vel orificium lampadis; bartholomaeus filius aquas suspendentis; thomas abyssus, vel geminus; iacobus alphaei supplantator gressus vitae; iudas confessio, et simon obedientia.

LUCA 6,17-19

9617 (Lc 6,17-19)

Cyrillus. Celebrata ordinatione apostolorum, pluribus congregatis et de regione iudaeorum, nec non a maritima tyri et sidonis, qui erant idololatrae, constituit eos totius orbis doctores, utpote qui evocarent iudaeos a legis servitute cultores autem daemonum ab errore gentili ad veritatis cognitionem; unde dicitur et descendens de monte cum illis, stetit in loco campestri, et turba discipulorum eius, et multitudo copiosa plebis ab omni iudaea et ierusalem et maritima.

Beda. Non a proximo mari galilaeae maritima dicit, quia hoc non miraculi loco poneretur; sed a mari magno cognominatur, in quo etiam tyrus et sidon comprehendi poterant; de quibus sequitur et tyri et sidonis; quae quia civitates gentium sunt, consulto nominatim ponuntur, ut quanta sit fama virtusque salvatoris intimeretur, quae exteras etiam ad sanitatem doctrinamque capessendam civitates accersierat; unde sequitur qui venerant ut audirent eum.

Theophylactus. Hoc est ad animarum medelam; et sanarentur a languoribus suis, hoc est ad medelam eorum corporum.

Cyrillus. Postquam autem sacros publicavit apostolos, plurima et ardua fecit miracula: ut qui convenerant iudaei et gentiles, scirent eos decoratos esse a Christo dignitate apostolatus; et quod ipse non erat sicut unus aliorum hominum, magis autem deus, ut verbum incarnatum; unde sequitur et omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes. Neque enim alienam virtutem accipiebat Christus: sed cum naturaliter esset deus, propriam virtutem super infirmos emittens sanabat omnes.

Ambrosius. Adverte autem omnia diligenter, quomodo et cum apostolis ascendat, ac descendat ad turbas; quomodo eum turba non sequitur ad excelsa; denique ubi descendit, invenit infirmos: in excelsis enim infirmi esse non possunt.

Beda. raro hoc quoque uspiam vel turbas dominum ad altiora sequi, vel quempiam debilem invenies in monte curari; sed extincta febre libidinum, accensaque scientiae luce, pedetentim quemquam ad culmen subire virtutum. Turba autem quae dominum tangere potuit, spiritus illius virtute sanatur ut supra leprosus domino tangente mundatur. Tactus ergo salvatoris opus est salutis, quem tangere est fideliter in eum credere a quo tangi est eius munere sanari.

LUCA 6,20-23

9620 (Lc 6,20-23)

Cyrillus. Post apostolorum ordinationem, ad evangelicae vitae novitatem salvator suos discipulos rectificavit.

Ambrosius. divinitatis autem prompturus oracula, incipit esse sublimior; etsi in humili stabat, tamen oculos elevavit; unde dicitur et ipse elevatis oculis. Quid est levare oculos nisi interius lumen aperire? **Beda.** Et quamvis generaliter omnibus loquatur, specialius tamen oculos in discipulos levat; sequitur enim in discipulos suos: ut his qui verbum intenta cordis aure percipiunt, latius saporis intimi lumen aperiat.

Ambrosius. Quatuor autem tantum beatitudines lucas posuit, octo vero Matthaeus; sed in istis octo illae sunt quatuor, et in istis quatuor illae octo. Hic enim quatuor velut virtutes amplexus est cardinales; ille in illis octo mysticum ordinem reseravit: sicut enim spei nostrae octava perfectio est, ita octava summa virtutum

est. Primam autem beatitudinem paupertatis uterque evangelista posuit: ordine enim prima est, et parens quaedam virtutum: quia qui contempserit saecularia, ipse merebitur sempiterna: nec potest quisquam meritum regni caelestis adipisci qui a mundi cupiditate pressus emergendi non habet facultatem; unde sequitur dicebat: beati pauperes.

Chrysostomus. in evangelio quidem quod est secundum Matthaeum, beatos fieri dixit pauperes spiritu, ut intelligamus esse pauperem spiritu, habentem intellectum modestum, et quodammodo remissum: unde dicit salvator: discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Hic autem beatos asserit pauperes, non addito spiritu, pauperes appellans divitias contemnentes: decebat enim ut cum praenuntiaturi essent salutiferi evangelii dogma, mentem non gererent cupidam, sed promptum affectum haberent erga maiora.

Basiliius. Non autem omnis quem paupertas premit, beatus est, sed qui Christi praeceptum mundanis praetulerit opibus. Plures enim pauperes sunt in substantia, avarissimi tamen secundum affectum; quos non salvat paupertas, sed affectus damnat. Nihil enim involuntarium beatificabile est, eo quod omnis virtus libero designatur arbitrio. beatus ergo pauper, quasi Christi discipulus, qui pro nobis paupertatem sustinuit: nam ipse dominus quodlibet opus implevit quod ad beatitudinem ducit, se praebens exemplar discentibus.

Eusebius. sed cum caeleste regnum in multis gradibus bonorum consideretur, primus gradus scandentium est eorum qui divino intuitu colunt paupertatem; tales autem fecit eos qui primo facti sunt eius discipuli: ob hoc in eorum persona dicit quia vestrum est regnum dei; quasi demonstrative hoc proferens ad praesentes, ad quos etiam oculos elevavit.

Chrysostomus. Postquam igitur mandavit paupertatem colere, ea quae consequuntur inopiam coronat honoribus. Contingit autem paupertatem colentes, necessariorum incurrere defectum, et vix acquirere victum; idcirco non sinit discipulos pusillanimes super hoc fieri, dicens beati qui nunc esuritis.

Beda. Idest, beati qui castigatis corpus vestrum et servituti subicitis, qui in fame et siti verbo operam datis: quia caelestium tunc gaudiorum habebitis ubertate perfrui.

Gregorius nyssenus. altius autem, sicut secundum sensibilem escam diversificatur participantium appetitus ad comestibilium species, sic et in cibo animae, ab his quidem opinabile, ab his autem appetitur quod naturaliter est bonum: unde hic secundum Matthaeum beatificantur qui iustitiam loco cibi et potus reputant; non, inquam, particularem, sed universalem virtutem, quam qui esurit beatificandum dicit.

Beda. Apertissime nos instruens nunquam nos satis iustos aestimare debere, sed quotidianum iustitiae semper amare profectum; ad cuius perfectam saturitatem non in hoc saeculo, sed in futuro possumus pervenire, ut psalmista ostendit dicens: satiabor cum manifestabitur gloria tua; unde sequitur quia saturabimini.

Gregorius nyssenus. Avidis enim iustitiae, desideratorum copiam spondet. Nihil enim eorum quae secundum voluptatem in vita quaeruntur satiat inquirentes; solum autem virtutis studium subsequitur praemium quod indeficiens gaudium inserit animae.

Cyrillus. Consequitur autem inopiam non solum defectus rerum ad delectationes facientium, sed etiam depressus vultus propter moestitiam; unde sequitur beati qui nunc fletis. Beatificat flentes, non eos qui simpliciter ab oculis lacrymas emittunt: commune enim est hoc tam fidelibus quam infidelibus, si quid tristium accidat. Magis autem illos beatos asserit qui levem vitam et implicitam carnalibus voluptatibus deditam vitant, refutantes delicias, et pene lacrymantes propter odium mundanorum.

Chrysostomus. magnum quid vero secundum deum tristitia est, et impetrat poenitentiam in salutem; unde paulus, cum non haberet suos defectus flere, pro alienis lugebat. Talis luctus est alacritatis materia: unde sequitur quia ridebitis. Etenim si nihil prosumus his pro quibus flemus, tamen proficimus nobismetipsis: nam qui sic aliena deflet, multo magis non praeteribit inflebiliter sua delicta; magis autem nec facile labetur in scelus. Non dissolvamur in hac brevi vita, ne suspiremus in infinita: non quaeramus delicias, a quibus manat luctus et dolor nimius; sed tristemur tristitia, quae germinat veniam. Est etiam dominum saepius reperire lugentem, ridentem nequaquam.

Basiliius. Promittit autem flentibus risum, non quidem emissum per mandibulas sonum, sed meram et impermixtam cuilibet tristitiae alacritatem.

Beda. Qui ergo propter divitias hereditatis Christi, propter panem vitae aeternae, propter spem caelestium gaudiorum, fletus, esuriam, paupertatemque pati desiderat, beatus est; multo autem beatior qui has virtutes inter adversa servare non trepidat; unde sequitur beati eritis cum vos oderint homines: licet enim homines

odiant corde nefando dilectum cor Christo laedere nequeunt. sequitur et cum separaverint vos. Separent, et a synagoga expellant: Christus invenit et confirmat. sequitur et exprobraverint. Exprobrent nomen crucifixi: ipse commortuos sibi conresuscitat, et consedere facit in caelestibus. sequitur et eiecerint nomen vestrum tamquam malum: ubi nomen Christianorum significat, quod a gentilibus iudaeisque saepissime quantum ad ipsos memoriae abrasum, et ab hominibus est abiectum, nulla existente causa odii, nisi propter filium hominis; qui scilicet credentes nomen Christi, suum cognomen facere voluerunt. Docet ergo eos ab hominibus insectandos, sed ultra homines esse beandos; unde sequitur gaudete in illa die, et exultate: ecce enim merces vestra multa est in caelo.

Chrysostomus. Multum et paucum mensuratur dignitate proferentis. quaeramus igitur: quis multam promisit mercedem? si quidem propheta vel apostolus, velut homo paucum esse multum existimavit; nunc autem dominus, qui possidet perennes thesauros, et opes quae quemlibet intellectum transcendunt, multam pollicitus est mercedem.

Basilius. rursus, magnum aliquando absolutam habet intentionem; sicut magnum est caelum, et magna est terra; aliquando vero ad aliquid habet relationem: ut magnus equus et bos in comparatione similibus. Sic arbitror multam fore mercedem repositam patientibus opprobria propter Christum, non tamquam comparatam ad ea quae penes nos sunt, sed in se multam existentem, et tamquam a Deo donatam. damascenus. Illa etiam quae mensurari vel numerari possunt, determinate ingeruntur; quod autem ex quadam excellentia omnem transcendit mensuram et numerum, indeterminate dicitur magnum et multum: puta quando dicimus multam esse dei misericordiam.

Eusebius. Deinde muniens discipulos ad pugnam adversariorum, quam passuri erant per totum orbem praedicantes, subdit secundum haec enim faciebant prophetis patres eorum.

Ambrosius. Quia prophetae iudaei usque ad mortem corporis persecuti sunt.

Beda. Quia vera dicentes solent persecutionem pati; nec tamen ideo prophetae antiqui timore persecutionis a veritatis praedicatione defecerunt.

Ambrosius. In hoc ergo quod dicit beati pauperes, habes temperantiam, quae a peccato abstinet, saeculum calcat, illecebrosa non quaerit. Beati qui esuritis: habes iustitiam: qui enim esurienti compatitur, compatiendo largitur, largiendo fit iustus, quia iustitia eius manet in aeternum. Beati qui nunc fletis; habes prudentiam, cuius est flere quotidiana, et ea quae aeterna sunt quaerere. Beati eritis cum vos oderint homines: habes fortitudinem; sed eam quae non odium meretur ex crimine, sed persecutionem patitur ex fide. Sic enim ad passionis pervenitur coronam, si gratiam hominum negligas, divinam sequaris. Ergo temperantia cordis habet munditiam, iustitia misericordiam, pacem prudentia, mansuetudinem fortitudo. Connexae sibi sunt et concatenatae virtutes, ut qui unam habet, plures habere videatur: et sanctis una competit virtus; sed eius quae fuerit uberius, uberius est praemium. Quanta hospitalitas in abraham, quanta humilitas? sed quia fide praestitit, fidei prae ceteris meruit principatum. Ergo unicuique plura praemia, quia plurima incentiva virtutum; sed quod in aliquo merito copiosius, hoc etiam in praemio redundantius.

LUCA 6,24-26

9624 (Lc 6,24-26)

Cyrillus. Praedicto, quod paupertas propter deum causa sit cuiuslibet boni, et quod esurire et flere non vacabit mercede sanctorum, transfert sermonem ad apposita, et innuit ipsa damnationis et supplicii fore materiam; unde dicitur verumtamen vae vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram.

Cyrillus. Haec enim dictio vae semper in scripturis dicitur his qui non possunt evadere a futuro supplicio.

Ambrosius. Licet autem in pecuniariis copiis multa sint lenocinia delictorum, pleraque tamen sunt incentiva virtutum; quamquam virtus subsidia non requirat, et commendatior sit collatio pauperis, quam divitis liberalitas; tamen non eos qui habent divitias, sed eos qui uti his nesciant, sententiae caelestis auctoritate condemnat. Nam ut ille pauper laudabilior est qui prompto largitur affectu, ita criminiosior dives est qui de eo referre gratiam Deo debuit quod accepit, nec censum ad communem usum datum sine usu abscondere. Non census igitur, sed affectus in crimine est. Et quamquam nulla poena gravior sit quam successorum profutura compendiis anxio timore servare, tamen quoniam avaritiae desideria congerendi quadam voluptate pascuntur, qui consolationem vitae praesentis habuerunt, remunerationem perpetuam perdidit. Possumus tamen hic divitem intelligere populum iudaeorum, vel haereticos, vel certe

phariseos, qui ubertate verborum, et quodam ambitiosae facundiae patrimonio delectati, simplicitatem verae fidei supergressi, thesauros inutiles condiderunt. sequitur vae vobis qui saturati estis, quia esuriets.

Beda. Dives ille purpuratus saturabatur, epulans quotidie splendide; sed dirum vae sustinebat esuriens, quando de lazari, quem despexerat, digito guttam aquae quaerebat.

Basilius. Quod autem necessaria sit abstinentiae ratio, palam est ex eo quod apostolus eam inter fructus spiritus enumeravit. Subiectio enim corporis per nihil aliud sic obtinetur, sicut per abstinentiam; qua sicut quodam freno decet compescere iuventutis fervorem. Est igitur abstinentia interemptio criminis, amotio passionum, vitae spiritualis initium, obtundens in se illecebrarum aculeum. ne autem coincidentia fiat cum inimicis dei, decet accipi quodlibet cum exigit tempus, ad ostendendum quod mundis omnia munda; procedendo quidem ad necessaria vitae, abstinendo autem omnino ab his quae faciunt ad voluptatem. attamen nec eamdem horam sibi cunctos sancire possibile, nec modum, nec mensuram. sit autem communis intentio non expectare repletionem; replere namque ventrem, ipsum quoque corpus inutile facit erga proprias operationes, somnolentum, et ad nocumenta dispositum.

Beda. Aliter. Si beati sunt illi qui iustitiae semper esuriunt opera, infelices e contra aestimandi sunt qui sibi in desideriis placentes, nullam veri boni famem patiuntur. sequitur vae vobis qui ridetis nunc, quia lugebitis et flebitis.

Basilius. Cum dominus ridentes nunc arguat, palam est quod numquam erit fideli tempus risus; et praecipue in tanta multitudine eorum qui in peccato moriuntur, pro quibus oportet lugere. Superfluum autem risus est immoderantiae signum, et effrenis animae motus; sed usque ad vultus iucunditatem exprimere passionem animae non dedecet.

Chrysostomus. Dic autem mihi cur concuteris et defluis qui debes assistere terribili iudicio, et ponere rationem de omnibus hic operatis? **Beda.** Quia vero ipsa peccati nutrix adulatio, sicut oleum flammis, sic in culpa ardentibus solita est ministrare fomentum, subdit vae cum benedixerint vobis omnes homines.

Chrysostomus. Non autem contrarium est quod hic dicitur ei quod alibi dominus dicit: luceat lux vestra coram hominibus, ut scilicet manifestemus bene agere ad gloriam dei, non ad propriam. Perniciosum enim quid est inanis gloria: et inde sumit ortum iniquitas atque desperatio, et mater malorum avaritia. Quod si viam quaeris divertendi ab hoc, dirigas aspectum semper ad deum, et esto contentus ea quae apud eum est gloria: nam si in qualibet facultate doctiores eligere oportet in arbitros, quomodo virtutis experimentum pluribus credis, non autem illi qui prae omnibus eam novit, et dare et coronare potest? a quo si gloriam cupis, vita laudem humanam: de nullo enim alio magis consuevimus admirari quam de respiente gloriam. Quod si nos, multo magis dominus omnium. deinde illud consideres, quod hominum gloria celeriter deficit, quia per cursum temporis oblivioni traditur. sequitur secundum haec enim faciebant pseudoprophetae patres eorum.

Beda. pseudoprophetae significantur, eo quod ad captandum vulgi favorem futura praeloqui conentur. Itaque dominus in monte beatitudines solummodo proborum, in campo vero etiam vae describit reproborum: quia rudes adhuc auditores necesse est terroribus ad bona compelli, perfectos autem satis est praemiis invitari.

Ambrosius. Et attende quod Matthaeus, praemiis ad virtutem et fidem populos provocavit; hic autem etiam a criminibus atque peccatis futurorum suppliciorum denuntiatione deterruit.

LUCA 6,27-31

9627 (Lc 6,27-31)

Beda. Quia dixerat supra quid ab inimicis pati possent, nunc qualiter cum eisdem inimicis agere debeant ostendit, dicens sed vobis dico qui auditis.

Ambrosius. non otiose plurimorum factorum caelestium enumeratione progressus ad hunc locum serius venit, ut populus divinis miraculis roboratus ultra legis tramitem virtutum vestigiis progredi edoceret. denique inter tria maxima, spem, fidem et caritatem, maior est caritas, quae ordinatur cum dicitur diligite inimicos vestros.

Basilius. Inimici quidem proprium est obesse et insidiari. Omnis igitur qui qualitercumque nocet alicui,

dicitur inimicus.

Cyrillus. Conveniens autem erat huiusmodi conversatio doctoribus sanctis, qui praedicaturi erant ubique terrarum salutarem sermonem; quos si contingeret velle recipere de persequentibus vindictam, omisissent eos ad cognitionem veritatis vocare.

Chrysostomus in Matthaëum. Non autem dicit: ne odio habeas; sed: diligas; neque simpliciter mandavit diligere, sed etiam benefacere; unde sequitur benefacite his qui oderunt vos.

Basilius. Verum quia homo ex corpore consistit et anima, secundum animam quidem beneficiemus, huiusmodi arguentes et componentes eos, et omnino ad conversionem manucentes; secundum corpus autem beneficientes eis in necessariis victui. sequitur benedicite maledicentibus vobis. qui enim percutiunt proprias animas, digni sunt lacrymis et fletibus, non maledictionibus. nihil enim detestabilius est anima maledica, nec immundius lingua quae maledictiones effert. Homo es; aspidum venena non evomas, nec vertaris in belluam. Est tibi datum os, non ut mordeas, sed ut aliorum vulnera sanes. inimicos autem mandavit nobis annumerare gradui amicorum, non quorumcumque, sed praecipuorum, pro quibus orare solemus; unde sequitur orate pro persequentibus vos. Plerique autem e contra procumbentes, et fronte super terram percutientes, et manus expandentes, non pro suis criminibus orant deum, sed adversus inimicos; quod nihil aliud est quam seipsum transfodere. Cum eum qui prohibuit contra inimicos orare, precaris ut te maledicentem inimicis exaudiat, quomodo possibile est audiri, quando provocas exauditurum, verberando inimicum coram rege, etsi non manibus, verbis tamen? quid facis, homo? stas ut veniam impetres peccatorum, et imples os amaritudine. Mitigationum est tempus, orationis et gemitus, non furoris.

Beda. Sed merito movetur quaestio, quomodo in prophetis inveniuntur multae imprecationes adversus inimicos. Ubi videndum est, quia prophetae per imprecationem quid esset futurum cecinerunt, non optantis voto, sed spiritu praevidentis.

Cyrillus. Vetus autem lex mandabat non offendere alios; vel si prius fuerimus laesi, non ultra proportionem laedentium iras protendere; sed perfectio legis in Christo est, et in suis mandatis; unde sequitur et qui te percutit in maxillam, praebe ei et alteram.

Chrysostomus in Matthaëum. Nam et medici cum calce feriuntur ab insanis, tunc maxime miserentur eis, et accingunt se ad eorum remedia. Tu quoque similem habeas coniecturam erga persequentes: ipsi namque sunt qui praecipue infirmantur; nec prius desistamus quam totam amaritudinem evomuerint; tunc uberes gratias agent tibi, et ipse deus te coronabit, eo quod fratrem tuum in pessima aegritudine liberasti.

Basilius. Fere autem cuncti contra hoc mandatum procedimus; et praesertim potentes vel principes, non solum si passi fuerint contumelias, sed et si praestita eis non sit reverentia, adversarios reputantes quicumque eos minus reveriti sunt quam se reputaverunt dignos. est autem magna infamia principis esse promptum ad vindictam: nam et qualiter alium docebit nil mali pro malo rependere, qui nocenti retribuere satagit? **Cyrillus.** Vult autem dominus insuper esse contemptorem rerum; unde sequitur et ab eo qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere: haec est enim virtus animae quae omnino aversa est a passione cupiditatis divitiarum. Decet enim eum qui pius est et oblivisci malorum, ut et ea quibus caros amicos iuvamus, persequentibus conferamus.

Chrysostomus in Matthaëum. Non autem dixit: fer humiliter iniuriantis impetum; sed: procedas per sapientiam, et ulterius te disponas ad patiendum quae ille cupiat facere, superans insolentiam eius ubertate prudentiae, ut habito pudore in excellenti patientia tua discedat. Sed dicet aliquis: quomodo potest hoc fieri? cum videris deum factum hominem, tot passum pro te, adhuc quaeris et dubitas quomodo possibile sit nequitiis ignoscere conservorum? quis tale passus est quale dominus tuus dum ligaretur, flagellaretur, sputa perferens, mortem patiens? unde sequitur omni autem petenti te tribue.

Augustinus de serm. Dom.. non dicit: omnia petenti; sed ut id des quod iuste et honeste potes, id est quod nec tibi, nec alteri noceat, quantum sciri aut credi ab homine potest; et cui iuste negaveris quod petit, indicanda est iustitia; et aliquando melius aliquid tribues, cum petentem iniusta correxeris.

Chrysostomus. in hoc tamen peccamus non modicum, non solum non dando petentibus, sed et eos increpando. cur, inquis, non laborat? cur otiosus alitur? dic mihi: et tu laborando possides? sed et si laboras, ad hoc laboras ut vituperes alium? propter unicum panem et tunicam appellas cupidum. Nihil tribuis? nec conviciaris. Cur nec tu misereris, et volentibus dissuades? si cunctis indifferenter erogaverimus, semper miserebimur. quia enim abraham cunctos recipiebat, recepit et angelos. Nam etsi homicida sit et praedo, nonne tibi dignus videtur panis habendi? non igitur simus severi aliorum censores, ne nos quoque exquisite iudicemur. sequitur et qui aufert quae tua sunt, ne repetas.

Chrysostomus. a Deo percipimus omnia; quod autem dicimus meum et tuum, nuda tantum sunt verba: si namque domum tuam asseris, emisisti verbum carens subsistentia rei: nam et aer et solum et caementum creatoris sunt, tu etiam ipse qui domum construxisti: sed et si tuus sit usus dubitatur, non solum propter mortem, sed etiam propter rerum eventus. anima tua non possidetur a te, et quo pacto tuae reputabuntur opes? vult autem deus tua fore quae tibi pro fratribus credita sunt; fient autem tua, si pro aliis dispensaveris; si vero tibi affluenter expenderis, quae sunt tua iam facta sunt aliena. sed propter nefandam opum cupidinem homines in curiis conrixantur; contra quod Christus ait et qui auferit quae tua sunt, ne repetas.

Augustinus de serm. dom.. Quod de veste, domo, fundo, iumento, et generaliter omni pecunia dicit. Non autem Christianum oportet sic possidere servum quomodo equum aut argentum. Servus si honestius a te regetur quam ab illo qui eum tibi cupit auferre; nescio utrum quisquam dicere audeat eum debere contemni.

Chrysostomus. Est autem nobis insita lex naturalis, per quam dignoscimus quid sit virtus et vitium; unde sequitur et prout vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter. Non ait: quaecumque non vultis ut faciant, nec vos faciatis: cum enim duae sint viae quae ducunt ad virtutem, scilicet abstinentia mali, et operatio boni, hanc ponit, per istam et illam significans. Et si quidem dixisset: ut sitis homines, diligite bestias, esset mandatum difficile; si vero homines diligere iussit, ad quod naturalis monitio est, quam difficultatem res continet, quam leones et lupi servant, in quibus naturalis cognatio amicitiam cogit? ostenditur igitur quod Christus nihil statuit nostram transcendens naturam; sed quod dudum inseruit conscientiae nostrae, docet; ut propria voluntas pro lege sit tibi; ut si vis bene tibi, bene facias alii; si vis ut alius tui misereatur, proximi miserearis.

LUCA 6,32-36

9632 (Lc 6,32-36)

Chrysostomus. dixerat dominus diligendos esse inimicos. Ne autem putares hyperbolice esse dictum, aestimans solum ad terrorem eis dici, adicit rationem, dicens et si diligitis eos qui vos diligunt, quae vobis est gratia? plures quidem causae sunt quae dilectiones constituunt; dilectio vero spiritualis universas praecellit; nihil enim terrenum eam parit; non utilitas, non beneficium, non natura, non tempus, sed de caelo descendit. Quid autem miraris si non indiget beneficio ut consistat, quando nec ex casu malorum pervertitur? pater quidem passus iniurias, rumpit foedus amoris; coniux post iurgia virum relinquit; filius si longaeuum videat patrem, gravatur: at paulus ibat ad lapidantes, benefactorus eis; moyses lapidatur a iudaeis, et orat pro eis. Veneremur itaque spirituales amicitias, quia sunt insolubiles. Unde arguens volentes pigrescere, subdit, nam et peccatores diligentes se diligunt; quasi dicat: quia volo vos his amplius aliquid possidere, non moneo solum amicos diligere, sed etiam inimicos. Benefacientibus etiam benefacere commune est omnibus. Ostendit autem se parum plus petere quam sit moris peccatorum, qui benefaciunt amicis; unde sequitur et si benefacitis his qui vobis benefaciunt, quae vobis est gratia? siquidem et peccatores hoc faciunt.

Beda. Non solum autem dilectionem vel beneficium peccatorum, quasi infructuosa redarguit, sed etiam mutuuum; unde sequitur et si mutuuum dederitis his a quibus speratis recipere, quae gratia est vobis? nam et peccatores peccatoribus fenerantur, idest mutantur, ut recipiant aequalia.

Ambrosius. In tres autem partes philosophia sibi videtur divisisse iustitiam: unam in deum, quae pietas vocatur; alteram in parentes vel reliquum genus humanum; tertiam in mortuos, ut his exequiarum iura solvantur. At dominus, legis oraculum ac prophetiae fastigium supergressus, in eos quoque qui laeserunt, pietatis correxit officium, cum subdit verumtamen diligite inimicos vestros.

Chrysostomus in genesim. in quo plus tibi quam illi conferes: ille enim diligitur a conservo, tu vero efficiaris similis deo. Est autem maximae virtutis quando nocere volentes beneficiis complectimur; unde subditur et benefacite. Sicut enim fornacem succensam aqua proiecta extinguit, sic iram ratio cum lenitate: quod enim est aqua igni, hoc est irae humilitas et mansuetudo. Et sicut non extinguitur ignis per ignem, sic nec ira per iram mitigatur.

Gregorius nyssenus. Debet autem homo vitare damnosam sollicitudinem, ne quaerat ab inope divitiarum augmenta, aeris et auri metallorum sterilius exigens fructum; unde subdit et mutuuum date, nihil inde sperantes. Malignam fenorum excogitationem si quis appellet furtum et homicidium, non peccabit: nam quid refert suffosso pariete quemquam erepta possidere, ac fenorum necessitate possidere illicita? Basilius.

Talis autem avaritiae species, graece tocos idest partus, latine fenus, quasi fetus propter mali fecunditatem, ut arbitror, appellatur. Aut fortasse partus dicitur propter partus dolores, quos animis eorum qui mutuo ad usuram acceperunt, inducere solet. Animalia temporis progressu nascuntur, adolescunt et pariunt; at fenus statim cum oritur parere incipit. Animalia quae citius pariunt, citius parere cessant: sed avarorum pecunia simul cum omni tempore adaugetur. Animalia ubi pariendi vim ad sobolem suam transtulerunt, ipsa parere cessant; at feneratorum pecuniae et novas pariunt, et veteres renovant. Nullus itaque mortiferam hanc bestiam attendet. Sed magna, inquis, o pauper, necessitas, et utilitas est ut mutuum sumam. Et quaenam haec est utilitas? rursus veniet tibi paupertas, et eadem cum accessione necessitas. Meditare iam unde restituas. Unde tibi pecuniae intantum multiplicabuntur ut et sufficiant ad usus necessitatem, et ad restitutionem? verum ais: quomodo igitur me enutriam nisi fenus accipiam? mille sunt victus parandi solertiae. Manus habes, labora, servi, tandem mendica: omnia tibi tolerabiliora sunt quam pecuniam ad usuram sumere. Ceterum dives ait: quale illud est mutuum cui nulla retributionis spes adiuncta est? considera vim dicti, et legislatoris admiraberis humanitatem. cum pauperi dare voles propter dominum, idem et donum est et mutuum: donum quidem, quia non speras receptionem; mutuum vero, propter domini magnificentiam, qui paucis per pauperem acceptis, magna pro ipsis reddet; unde sequitur et erit merces vestra multa. Non vis universorum dominum obnoxium tibi ipsi habere ad persolvendum? aut si quis in urbe dives promittat se tibi pro alio exsolvendum, fideiussionem ipsius accipies, deum autem pro pauperibus persolutorem non admittes? **Chrysostomus.** attende mutui naturam mirabilem: alius recipit, et alius obligat se pro debitis, centuplum in praesenti reddens, in futuro vero vitam aeternam.

Ambrosius. Quanta misericordiae merces qui filiis divinae misericordiae asciscitur? sequitur enim et eritis filii altissimi. Sequere igitur misericordiam, ut merearis gratiam. Late patet benignitas dei: super ingratos pluit, malis fecunda non negat terra proventus. sequitur quia ipse benignus est super ingratos et malos.

Beda. Vel temporalia bona largiendo, vel caelestia dona singulari gratia inspirando.

Cyrillus. Magnum est ergo praeconium pietatis: reddit enim haec virtus nos Deo conformes, et quasi quaedam signa sublimis naturae nostris imprimi animabus; unde sequitur estote ergo misericordes sicut et pater vester misericors est.

Athanasius. Ut scilicet aspicientes beneficia eius, bona quae facimus, non hominum, sed eius intuitu faciamus; quatenus a deo, non ab hominibus praemia consequamur.

LUCA 6,37-38

9637 (Lc 6,37-38)

Ambrosius. Addidit dominus non temere iudicandum, ne tui conscius ipse delicti in alterum cogaris ferre sententiam: unde dicit nolite iudicare.

Chrysostomus in Matthaeum. Non iudices praecedentes te, idest qui discipulus es magistrum, peccator innocentem; quos non oportet increpare, sed monere, et caritative corrigere: nec etiam iudicandum est in incertis et qualibuscumque, quae nec similitudinem habent peccati, aut quae non sunt gravia, sive prohibita.

Cyrillus. Sedat ergo hic pessimam passionem nostrarum conscientiarum, contemptus principium: quamvis enim deceat aliquos se circumspicere, et secundum deum conversari; hoc non faciunt, sed examinant aliena. Et si videant aliquos infirmari, tamquam propriarum passionum obliti, faciunt hoc detractionis materiam.

Chrysostomus. Nec facile reperies quemquam neque patremfamilias, neque claustralem expertem huius erroris. Sunt autem et hae diabolicae tentationis insidiae: nam qui severe discutit aliena, nunquam propriorum reatum merebitur veniam; unde sequitur et non iudicabimini; sicut enim pius et mitis reprimit peccatorum timorem; sic severus et dirus adjicit criminibus propriis.

Gregorius nyssenus. Non igitur cum acrimonia praecipitetis in servos sententiam, ne similia patiamini: vocat enim iudicium asperiores damnationem; unde sequitur nolite condemnare, et non condemnabimini: non enim iudicium cum venia prohibet.

Beda. Brevi autem sententia cuncta quae de conversando cum inimicis mandaverat, comprehendendo concludit, dicens dimittite et dimittetur vobis, date et dabitur vobis: ubi dimittere nos iniurias et dare beneficia iubet, ut et nobis peccata dimittantur, et vita detur aeterna.

Cyrillus. Quod autem ampliori manu recompensationem accipiemus a deo, qui largiflue donat diligentibus eum, ostendit subdens mensuram bonam, et confertam, et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum.

Theophylactus. quasi dicat: sicut si farinam sine parcitate mensurare velles, conferres eam, coagitares et supereffunderes abunde; sic dominus mensuram magnam et supereffluentem dabit in sinum vestrum.

Augustinus de quaest. Evang.. Dicit autem dabunt, quia per illorum merita quibus vel calicem aquae frigidae in nomine discipuli dederunt, mercedem caelestem recipere merebuntur. sequitur eadem quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis.

Basilus. qua enim mensura unusquisque vestrum mensurat in bene operando aut peccando, eadem vel praemia vel poenas feret.

Theophylactus. interrogabit autem fortassis aliquis subtilius: si enim supereffluenter redditur, quo modo eadem est mensura? ad quod dicimus, quod non dixit: in tanta mensura remetietur vobis, sed in eadem. Qui enim benefecit, bene fiet ei: quod est remetiri eadem mensura. Sed supereffluentem mensuram dicit, quia millies benefiet ei: sic et in iudicando: qui enim iudicat et deinde iudicatur, accipit eandem mensuram; secundum vero quod ad plus diiudicabitur, quia sibi similem iudicavit, secundum hoc supereffluens est mensura.

Cyrillus. Hoc autem solvit apostolus dicens: qui parce seminat, hoc est modice et manu tenaci, parce et metet, hoc est non copiose; et qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus et metet, hoc est, copiose. Si quis autem non habet, si non faciat, non delinquit: in eo enim quod habet acceptatur, non in eo quo caret.

LUCA 6,39-42

9639 (Lc 6,39-42)

Cyrillus. Addidit dominus praedictis parabolam valde necessariam; unde dicitur dicebat autem illis et similitudinem. erant enim eius discipuli futuri mundi doctores; unde decebat eos scire viam conversationis honestae, quasi illustratam mentem habentes divino fulgore ne caeci caecos ducerent; et ideo subdit numquid potest caecus caecum ducere? nonne ambo in foveam cadunt? et si contingat aliquos hoc attingere ut aequalem virtutem docentium virtuti possideant, sistant in mensura docentium, et illorum sequantur vestigia; unde sequitur non est discipulus supra magistrum; perfectus autem omnis erit, scilicet discipulus, si sit sicut magister eius; unde et paulus dicit: imitatores mei estote, sicut et ego Christi. Christo ergo non iudicante, cur tu iudicas? neque enim venit iudicare mundum, sed misereri.

Theophylactus. vel aliter. Si tu alium iudicas, et ipse in eisdem peccas, nonne assimilaris caeco caecum ducenti? quomodo enim ille a te ducetur ad bonum, cum et tu pecces? non est enim discipulus supra magistrum. si igitur tu peccas, qui te magistrum et ductorem putas, ubi erit qui a te disciplinatur et ducitur? perfectus enim erit discipulus, si sit sicut magister eius.

Beda. Vel sensus huius sententiae pendet ex superioribus, ubi danda eleemosyna et iniuria dimittenda praecipitur. Si te, inquit, ira contra violentum, et contra petentem avaritia caecaverit, numquid tu mente vitiata vitium eius curare poteris? si etiam magister Christus, qui quasi deus potuit suas ulcisci iniurias, maluit persecutores patiundo reddere mitiores, eandem necesse est quod discipuli, qui puri homines sunt, regulam perfectionis sequantur.

Augustinus de quaest. Evang.. vel quod dicit numquid potest caecus caecum ducere? ideo subiunxit, ut non sperarent a levitis se accepturos mensuram illam de qua dixit dabunt in sinum vestrum, quoniam decimas dabant eis quos caecos dixit, quia evangelium non tenerent; ut illam remunerationem per discipulos domini potius plebs inciperet iam sperare; quos imitatores suos volens ostendere, addit non est discipulus supra magistrum.

Theophylactus. Inducit autem dominus et aliam parabolam de eodem, subdens quid autem vides festucam, idest modicum criminis, in oculo fratris tui, trabem autem quae in oculo tuo est, idest peccatum tuum maximum, non consideras? **Beda.** Hoc autem ad superiorem sensum respicit, ubi caecum a caeco duci, idest peccantem a peccatore castigari non posse praemonuit; unde dicitur aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater, sine eiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? **Cyrillus.** quasi

dicat: qui gravibus obnoxius est peccatis, quae trabem vocat, qualiter damnat eum qui pauca vel quandoque nil mali commisit? hoc enim festuca significat.

Theophylactus. Convenit autem hoc omnibus, et maxime doctoribus, qui subditorum cum minima peccata puniant, propria impunita relinquunt. Propter hoc eos dominus hypocritas vocat, qui ex hoc aliorum peccata iudicant ut iusti videantur; unde sequitur hypocrita, eice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris tui.

Cyrillus. Videlicet teipsum primum mundum ostendas a magnis peccatis; consequenter consules proximo modica committenti.

Basilius. Videtur enim revera cognitio sui ipsius gravissimum omnium: neque enim solus oculus exteriora videns super se visu non utitur; sed et ipse noster intellectus, cum alienum velociter coniectat peccatum, lentus est erga propriorum perceptionem defectuum.

LUCA 6,43-45

9643 (Lc 6,43-45)

Beda. Contra hypocritam quae coeperat dominus exequitur dicens non est enim arbor bona quae facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum: quasi dicat: si veram et non fictam vis habere iustitiam, quae verbis ostentas, etiam facto compensa: quia etsi se bonum fingat hypocrita, non est bonus qui facit opera mala; et si reprehendat insontem, non ideo malus est qui facit opera bona. Titus. Hoc autem audiens, non sumas inde tibi favorem inertiae: naturaliter enim arbor movetur, tu vero libero arbitrio fungeris; et omnis arbor sterilis ad aliquid ordinata est, tu vero factus es ad opera virtutum. Isidorus abbas. non ergo poenitentiam, sed pertinaciam mali excludit: cum enim mala sit, non potest fructus bonos producere; in virtutem vero conversa fructificat. Quod autem est arboribus natura, hoc est nobis affectio. etsi ergo arbor mala non potest fructum bonum producere, poterit tamen.

Chrysostomus in Matthaeum. Quamvis autem fructus causetur ex arbore, facit tamen notitiam arboris, eo quod arboris distinctio per fructum apparet; unde sequitur unaquaeque enim arbor de fructu suo cognoscitur.

Cyrillus. Sed et vita morum uniuscuiusque erit significativa: neque enim extrinsecis ornamentis et fictis humilitatibus, vere felicitatis apprehenditur decor, sed et ex his quae aliquis operatur: cuius rei exemplum ponens subdit neque enim de spinis colliguntur ficus.

Ambrosius. in spinis istius mundi ficus illa reperiri non potest; quae quia fecundis fructibus melior est, bene species ei resurrectionis aptatur: vel quia, ut legisti: ficus dederunt grossos suos; quod immaturus et caducus et inutilis in synagoga fructus ante praecessit: vel quia immatura nostra vita est in corpore, matura in resurrectione: et ideo procul a nobis debemus saeculares sollicitudines abdicare, quae mordent animum, mentemque adurunt, ut maturos fructus culturae diligentis possimus adipisci. hoc ergo ad mundum et resurrectionem; alterum ad animam et corpus refertur, cum subditur neque de rubo vindemiant uvam; vel quia nemo peccatis fructum acquirit animae suae, quae sicut uva, proxima terris corrumpitur, in superioribus maturatur; vel quia nemo potest damnationem carnis evadere, nisi quem Christus redemerit, qui sicut uva pependit in ligno.

Beda. Vel spinas et rubum, saeculi curas et punctiones puto esse vitiorum; ficus vero et uvam, dulcedinem novae conversationis et fervorem dilectionis. Non autem de spinis ficus, neque uva de rubo colligitur: quia mens adhuc veteris hominis consuetudine depressa similare potest, sed fructus novi hominis ferre non potest. Sed sciendum, quod sicut ferax palmas sepi involutus recumbit, portansque fructum spina non suum usibus servat humanis; sic dicta vel acta malorum si quando prosunt bonis, non hoc ipsi faciunt mali, sed fit de illis dei consilio.

Cyrillus. Postquam autem ostendit quod ex operibus potest discerni homo bonus et malus, sicut ex fructibus arbor; nunc idem ostendit per aliud signum, dicens bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum; et malus homo de malo thesauro profert malum.

Beda. idem est thesaurus cordis quod radix est arboris. Qui ergo in corde thesaurum patientiae perfectique habet amoris, optimos fructus effundens diligit inimicum, et cetera facit quae supra edocuit; at qui thesaurum nequam corde servat, contraria facit.

Basilius. Verbi etiam conditio cor a quo processit manifestat, evidenter ostendens dispositionem praecordiorum nostrorum; unde sequitur ex abundantia enim cordis os loquitur.

Chrysostomus in Matthaeum. Naturalis enim consequentia est ut cum intus abundet nequitia, effluent oretenus verba nequam: unde cum audiveris hominem inhonesta proferentem, non tantam in eo putes latere malitiam quanta verbis exprimitur; sed coniecta fontem rivo esse uberiozem.

Beda. Per oris etiam locutionem dominus universa quae dicto, vel facto, vel cogitatu de corde proferimus, insinuat; moris enim est scripturarum, verba pro rebus ponere.

LUCA 6,46-49

9646 (Lc 6,46-49)

Beda. Ne aliquis sibi frustra blandiretur ex eo quod dictum est ex abundantia cordis os loquitur, quasi verba solum et non magis opera veri Christiani quaerantur, consequenter dominus adiungit quid autem vocatis me: domine, domine, et non facitis quae dico? quasi dicat: quid folia rectae confessionis vos germinare iactatis, qui nullos operis boni fructus ostenditis? **Cyrillus.** Convenit autem soli supremae omnium naturae, dominationis et nomen et res.

Athanasius. non est ergo hoc verbum hominis, sed dei ostendentis proprium ortum a patre: dominus enim est qui natus est a solo domino. Non timeas autem dualitatem: non enim secundum naturam separantur.

Cyrillus. Quae autem sit utilitas in mandatorum observatione, quodve damnum accidere possit ex inobedientia, ostendit subdens omnis qui venit ad me, et audit sermones meos, et facit eos, ostendam vobis cui similis sit. Similis est homini aedificanti domum, qui fodit in altum, et posuit fundamentum supra petram.

Beda. Petra erat Christus, qui fodit in altum, qui praeceptis humilitatis terrena omnia de cordibus fidelium eruit, ne propter commodum temporale serviant deo.

Basilius. Ponere autem fundamentum supra petram, hoc est inniti fidei Christi, ut immobilis perseveret in adversis, sive humanitus, sive divinitus accidant.

Beda. vel fundamentum domus, ipsa est intentio bonae conversationis, quod perfectus verbi auditor in adimplendis Christi mandatis firmiter inserit.

Ambrosius. Vel omnium fundamentum docet esse virtutum obedientiam caelestium praeceptorum, per quam domus haec nostra, non profluvio voluptatum, non nequitiae spiritualis incursu, non imbre mundano, non haereticorum possit nebulosis disputationibus commoveri; unde sequitur inundatione autem facta, illisum est flumen domui illi, et non potuit eam movere.

Beda. inundatio tribus modis fit: vel immundorum spirituum, vel improborum hominum, vel ipsa mentis aut carnis inquietudine; et quantum propriis viribus homines fidunt, inclinantur; quantum vero invictissimae illi petrae adhaerent, etiam labefactari nequeunt.

Chrysostomus in Matthaeum. ostendit etiam nobis dominus quod nullam parit fides utilitatem, si foeda sit conversatio; unde sequitur qui autem audit et non facit, similis est homini aedificanti domum suam supra terram sine fundamento.

Beda. Domus diaboli mundus, qui in maligno positus est: quam super terram aedificat, quia obsequentes sibi de caelis ad terrena detrahit; sine fundamento fundamentum non habet, quia non ex propria natura subsistit; malum quippe aedificat, quia omne peccatum sine substantia est, quod tamen, quodcumque sit, in boni natura convalescit. quia vero a fundo dicitur fundamentum, possumus etiam fundamentum pro fundo positum non inconvenienter accipere: sicut qui in puteo mergitur, putei fundo retinetur; sic anima corruens, quasi in quodam fundi loco consistit, si se in aliqua peccati mensura continet. Sed cum peccato in quod labitur non potest esse contenta, dum quotidie ad deteriora deicitur, quasi in puteo in quem cecidit, fundum non invenit quo figatur. Ingruente autem qualibet tentatione, et vere mali et fidei boni peiores fiunt, donec ad extremum perpetuam labantur in poenam; unde sequitur in quam illisus est fluvius, et continuo cecidit, et facta est ruina domus illius magna. Potest etiam per impetum fluminis, extremi iudicii discrimen intelligi, quando utraque domo consummata, ibunt impii in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.

Cyrillus. Vel super terram sine fundamento aedificat qui super arenam dubietatis, quae secundum opinionem est, ponit fundamentum spiritualis fabricae, quos paucae stillae tentationum dissiparunt.

Augustinus de cons. Evang.. hunc autem sermonem domini prolixum sic exorsus est lucas, sicut et Matthaeus: uterque enim dixit beati pauperes; deinde multa quae sequuntur in utriusque narratione similia sunt; et ad extremum sermonis ipsa conclusio prorsus eadem reperitur, scilicet de homine qui aedificat supra petram, et super arenam. Posset ergo facillime credi eundem lucas domini interposuisse sermonem, aliquas tamen praetermississe sententias quas Matthaeus posuit, item alias posuisse quas Matthaeus non dixit; nisi moveret quod Matthaeus in monte dicit habitum sermonem a domino sedente, lucas autem in loco campestri a domino stante. Non tamen istos duos sermones longa temporis distantia separari hinc probabiliter creditur, quod et ante et postea quaedam similia vel eadem ambo narrarunt. Quamquam illud possit occurrere, in aliqua excelsiori parte montis primo cum solis discipulis fuisse dominum, quando ex eis illos duodecim elegit; deinde cum eis descendisse de monte, scilicet de ipsa montis celsitudine, in campestrum locum, idest in aliquam aequalitatem quae in latere montis erat, et multas turbas capere poterat, atque ibi stetisse, donec ad eum turbae congregarentur; ac postea cum sedisset, accessisse propinquius discipulos suos, atque illis ceterisque turbis praesentibus unum habuisse sermonem.

LUCA 7,1-10

9701 (Lc 7,1-10)

Titus. Cum perfectioribus documentis suos refecisset discipulos, vadit capharnaum, ibi prodigiosa operaturus; unde dicitur cum autem impleisset omnia verba sua in aures plebis, intravit in capharnaum.

Augustinus de cons. Evang.. hic intelligendum est quia non ante quam haec verba terminasset intravit, sed non esse expressum post quantum temporis intervallum, cum istos sermones terminasset, intraverit capharnaum: ipso quippe intervallo leprosus ille mundatus est, quem suo loco Matthaeus interponit.

Ambrosius. Pulchre autem ubi praecepta complevit, formam docet suorum praeceptorum exequi: nam statim gentilis centurionis servus domino curandus offertur; unde sequitur centurionis autem cuiusdam servus male habens, erat moriturus, qui illi erat pretiosus. Quod moriturum dixerit, evangelista non fefellit; moriturus enim erat, nisi fuisset sanatus a Christo.

Eusebius. Strenuus siquidem in bellis erat iste centurio, et militibus romanis praefectus. Quia vero specialis serviens eius domi languens iacebat, considerans quales salvator erga ceteros virtutes agebat sanando languidos, et iudicans quod non secundum vires humanas haec agebantur miracula, mittit ad eum ut ad deum, non habito respectu ad apparens organum, quo cum hominibus conversabatur; unde sequitur et cum audisset de iesu, misit ad eum seniores iudaeorum, rogans eum ut veniret, et salvaret servum suum.

Augustinus de cons. Evang.. quomodo ergo verum erit quod Matthaeus narrat: accessit ad eum quidam centurio, cum ipse non accesserit? ubi diligenter advertentes intelligamus, Matthaeum non deseruisse usitatum modum loquendi: si enim ipsa perventio usitate dicitur per alios fieri, quanto magis accessus per alios fieri potest? non ergo absurde Matthaeus per alios facto accessu centurionis ad dominum, compendio dicere voluit, ipsum potius accessisse ad Christum, quam illos per quos verba sua misit: quia quo magis creditur, eo magis accessit.

Chrysostomus in Matthaeum. qualiter etiam Matthaeus dicit quod ipse dixit: non sum dignus ut intres sub tectum meum; lucas autem hic dicit, quoniam rogat ut veniat? sed mihi videtur quod lucas significat nobis iudaicas blanditias. Credibile enim est ut cum vellet abire centurio, retraheretur a iudaeis blandientibus, et dicentibus, quia nos euntes ducemus eum: unde et eorum preces adulationibus plenae sunt; sequitur enim at illi cum venissent ad iesum, rogabant eum sollicitate, dicentes: quia dignus est ut hoc illi praestes: diligit enim gentem nostram, et synagogam ipse aedificavit nobis. Decebat quidem ipsos dicere, quoniam ipse volebat venire et supplicare; nos autem detinuimus, calamitatem videntes, et cadaver quod in domo iacebat, aut promere fidei eius immensitatem; sed nolebant propter invidiam fidem viri detegere; ne magnus aliquis esse videretur cui preces porriguntur. quod autem Matthaeus significat ipsum israelitam non esse, lucas vero dicit quoniam aedificavit synagogam, non est contrarium; potuit enim et iudaeus non esse, et synagogam construxisse.

Beda. in hoc autem ostendunt, quia sicut nos ecclesiam, sic etiam illi synagogam non conventum solummodo fidelium, sed etiam locum quo conveniebant sint soliti appellare.

Eusebius. Et seniores quidem iudaeorum pro modicis sumptibus ad opus synagogae datis gratiam poscunt; sed dominus non propter hoc, sed pro maiori causa, volens scilicet generare credulitatem in cunctis mortalibus per suam virtutem, seipsum exhibuit; unde sequitur iesus autem ibat cum illis.

Ambrosius. quod utique non ideo faciebat quia absens curare non poterat; sed ut formam tibi daret humilitatis imitandae, ad reguli filium noluit pergere, ne videretur magis divitiis detulisse; hic ipse perrexit, ne videretur in centurionis famulo conditionem despexisse servilem. Centurio vero militari tumore deposito, reverentiam sumit, et ad fidem facilis, et ad honorificentiam promptus; unde sequitur et cum non longe esset a domo, misit ad eum centurio amicos, dicens: domine, noli vexari. Non enim hominis, sed dei potestate coniecit dari a Christo hominibus sanitatem. Iudaei quidem dignitatem eius praetenderant; iste vero indignum se asseruit non solum beneficii, sed etiam susceptionis domini: non enim dignus sum ut sub tectum meum intres.

Chrysostomus in Matthaëum. Postquam enim liberatus est a iudaeorum taedio, tunc mittit dicens: ne putes prae taedio me non venisse; sed indignum reputavi te domi recipere.

Ambrosius. bene autem lucas in occursum amicos dicit esse a centurione transmissos, ne praesentia sua, et generare domini verecundiam videretur, et officio provocasse; unde sequitur propter quod et meipsum non sum dignum arbitratus ut venirem ad te; sed dic tantum verbo, et sanabitur puer meus.

Chrysostomus. ubi attende centurionem debitam opinionem habentem de domino: non enim dixit: ora; sed tantummodo: iube, dubitans ne se humiliando renueret. subdit nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites; et dico huic: vade, et vadit; et alii: veni, et venit; et servo meo: fac hoc, et facit.

Beda. Hominem se potestati vel tribuni vel praesidis subditum dicit; imperare tamen minoribus: ut subaudiatur, eum multo magis qui deus sit, non per adventum tantum corporis, sed per angelorum ministeria posse implere quod vellet: repellendae enim erant vel infirmitates corporum, vel fortitudines contrariae, et verbo domini, et ministeriis angelorum.

Chrysostomus. Est autem hic notandum, quod hoc verbum fac imperium designat dictum servo. Ob hoc deus cum hominem vellet creare non ait unigenito: fac hominem; sed faciamus hominem, ut per formam consensus verborum declaret aequiparantiam. Quia ergo in Christo considerabat excellentiam dominii, ob hoc ait dic verbo: nam et ego dico servo meo, etc.. Christus autem non eum reprehendit, sed eius intentionem roboravit; unde sequitur quo audito iesus miratus est.

Beda. Sed quis in illo fecerat ipsam fidem nisi ille qui admirabatur? sed et si alius eam fecisset, quid miraretur qui praescius erat? quod ergo miratur dominus, nobis mirandum esse significat: omnes enim tales motus cum de Deo dicuntur, non perturbati animi signa sunt, sed docentis magistri.

Chrysostomus. Ut autem liqueat tibi quod dominus hoc ideo dixit ut alios instruat, prudenter evangelista hoc aperiens subdit amen dico vobis, nec in israel tantam fidem inveni.

Ambrosius. et quidem si sic legas: in nullo tantam fidem inveni in israel, simplex intellectus et facilis est; si vero iuxta graecos: nec in israel tantam fidem inveni, fides huiusmodi etiam electioribus, et deum videntibus antefertur.

Beda. Non autem de omnibus retro patriarchis et prophetis, sed de praesentis aevi loquitur hominibus; quibus ideo centurionis fides antefertur, quia illi legis prophetarumque monitis edocti, hic autem nemine docente sponte credidit.

Ambrosius. Probatum autem fides domini, et servi sanitas roboratur; unde sequitur et reversi qui missi fuerant domum, invenerunt servum qui languerat sanum. Potest ergo meritum domini et famulis suffragari, non solum fidei merito, sed et studio disciplinae.

Beda. Plenius autem haec explicat Matthaëus, quod dicente domino centurioni: vade, sicut credidisti fiat tibi, sanatus sit puer ex illa hora. Sed beato lucae moris est, quod plene viderit ab aliis evangelistis exposita abbreviare, vel etiam de industria praeterire; quae vero ab eis omissa vel breviter cognoverit tacta, dilucidare solertius.

Ambrosius. Mystice autem servo centurionis populus nationum, qui mundanae servitutis vinculis tenebatur, aeger lethalibus passionibus, beneficio domini sanandus exprimitur.

Beda. Centurio autem, cuius fides israeli praefertur, electos a gentibus ostendit; qui quasi centenario milite stipati virtutum spiritualium sunt perfectione sublimes: numerus enim centenarius, qui de laeva transfertur ad dexteram, in caelestis vitae significationem poni consuevit. Tales ergo pro his necesse est ut domino supplicent qui adhuc spiritu servitutis premuntur; nos autem, qui de gentibus credimus, non ipsi ad dominum venire possumus, quem in carne videre non valemus; sed ad eum accedere debemus per fidem. Seniores autem iudaeorum mittere, hoc est summos ecclesiae viros, qui nos ad dominum praecesserunt, suppliciter obsecrando patronos acquirere, qui nobis testimonium reddentes, quod ecclesiam aedificare curemus, pro nostris peccatis intercedant. pulchre autem dicitur quia iesus non longe erat a domo, quia prope timentes eum salutare ipsius; et qui naturali lege recte utitur, quo bona quae novit operatur, eo illi qui bonus est appropriat.

Ambrosius. Non vult autem iesum vexari centurio; quia quem iudaeorum populus crucifixit, inviolatum ab iniuria manere desiderat populus nationum; et, quod ad mysterium spectat, vidit in pectora adhuc gentilium non esse penetrabilem Christum.

Beda. Milites autem et servi, qui centurioni obediunt, virtutes sunt naturales, quarum copiam multi ad dominum venientes deferunt secum.

Theophylactus. vel aliter. Centurio est intellectus, qui multorum in militia princeps existit, dum multas in hac vita res habet. Habet autem servum infirmum, irrationabilem animae partem, irascibilem et concupiscibilem dico. Et mittit ad iesum mediatores iudaeos, idest confessionis cogitationes et verba; et confestim suscipit servum sanum.

LUCA 7,11-17

9711 (Lc 7,11-17)

Cyrillus. Mira dominus miris annectit; et supra quidem accersitus occurrit, hic vero non vocatus accedit; unde dicitur et factum est, deinceps ibat in civitatem quae vocatur naim.

Beda. Naim est civitas galilaeae in secundo milliario montis thabor. Divino autem nutu multa turba dominum comitatur, ut multi essent tanti miraculi testes; unde sequitur et ibant cum illo discipuli eius et turba copiosa.

Gregorius nyssenus. Resurrectionis autem experimentum non ita verbis sicut operibus a salvatore didicimus, qui ab inferioribus inchoans opus miraculi, fidem nostram assuefacit ad maiora. Primo quidem in aegritudine desperata servi centurionis, resurrectionis incepit potestatem; post haec altiori potestate ducit homines ad fidem resurrectionis, dum suscitavit filium viduae, qui ferebatur ad monumentum; unde sequitur cum autem appropinquaret portae civitatis, ecce defunctus efferebatur filius unicus matris suae. Diceret enim aliquis de puero centurionis, quod moriturus non erat: ut igitur temerariam linguam compesceret, iam defuncto iuveni Christum obviare fatetur unico filio viduae; nam sequitur et haec vidua erat, et turba civitatis multa cum illa. Aerumnae molem brevibus verbis explicuit. Mater vidua erat, et non sperabat ulterius filios procreare; non habebat in quem aspectum dirigeret vice defuncti; hunc solum lactaverat, solus aderat alacritatis causa in domo; quicquid matri dulce ac pretiosum, hic solus extiterat.

Cyrillus. Miseranda passio, et ad fletum et lacrymas potens provocare. Unde sequitur quam cum vidisset dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: noli flere.

Beda. Quasi dicat: desiste quasi mortuum flere, quem mox vivum resurgere videbis.

Chrysostomus. iubens autem cessare a lacrymis qui consolatur moestos, monet nos praesentibus defunctis consolationem recipere, resurrectionem sperantes. Tenet autem feretrum vita obvians morti; unde sequitur et accessit, et tetigit loculum; hi autem qui portabant steterunt.

Cyrillus in ioannem. Ideo autem non solo verbo peragit miraculum, sed et feretrum tangit, ut cognoscas efficax esse sacrum Christi corpus ad humanam salutem: est enim corpus vitae, et caro verbi omnipotentis, cuius habet virtutem: sicut enim ferrum adiunctum igni perficit opus ignis, sic postquam caro unita est verbo quod vivificat omnia, ipsa quoque facta est vivificativa, et mortis expulsiva. Titus. Non autem salvator similis est eliae deflenti filium sareptanae, nec qualis eliseus, qui proprium corpus applicuit corpori defuncti, nec qualis est petrus, qui pro thabita oravit; sed ipse est qui non entia velut entia vocat, qui mortuos ut vivos

alloqui potest; unde sequitur et ait: adolescens, tibi dico: surge.

Gregorius nyssenus. Qui dixit adolescentem, florentis significavit temporis horam, primam producentem lanuginem: qui paulo ante muliebris erat maternorum oculorum aspectui, iam aspirans ad tempus sponsalium, virga generis, successionis ramus, baculus senectutis. Titus. Incunctanter autem erectus est cui sunt mandata directa: divina enim potestas est irrefragabilis: nulla mora, nulla orationum instantia; unde sequitur et resedit qui erat mortuus, et coepit loqui; et dedit illum matri suae. Indicia sunt haec verae resurrectionis: corpus enim exanime loqui non potest; nec reportasset mulier ad domum defunctum filium inanimatum.

Beda. Pulchre autem evangelista dominum prius misericordia motum esse super matre, ac sic filium resuscitare testatur, ut in uno nobis exemplum imitandae pietatis ostenderet, in altero fidem mirandae potestatis astrueret; unde sequitur accepit autem omnes timor, et magnificabant deum, dicentes: quia propheta magnus surrexit in nobis, et quia deus visitavit plebem suam.

Cyrillus. hoc magnum fuit in populo insensibili et ingrato: post modicum enim nec prophetam, nec ad utilitatem populi procedere ipsum existimavit. Neminem autem habitantium iudaeam hoc miraculum latuit; unde sequitur et exiit hic sermo in universam iudaeam, et in omnem circa regionem.

Ambrosius. Idoneum autem est dicere, quod septem resurrectiones ante dominicam narrantur; quarum prima est filii sareptanae, secunda filii sunamitis, tertia quae facta est in reliquiis elisei, quarta quae facta est in naim, quinta filiae archisynagogi, sexta lazari, septima in Christi passione, multa namque corpora sanctorum surrexerunt; octava est Christi, qui expers mortis remansit ulterius, in signum quod communis resurrectio, quae futura est in octava aetate, non tolletur morte, sed indissolubilis permanebit.

Beda. Defunctus autem qui extra portam civitatis multis est intuentibus elatus, significat hominem lethali funere criminum soporatum, et animae mortem non cordis adhuc cubili tegentem, sed ad multorum notitiam per locutionis operis indicium, quasi per civitatis ostia, propalantem. Portam enim civitatis puto aliquem de sensibus esse corporalibus: qui bene filius unicus matris suae fuisse perhibetur, quia una est ex multis personis collecta mater ecclesia: viduam autem esse ecclesiam, omnis anima quae se domini morte redemptam meminit, agnoscit.

Ambrosius. Hanc enim viduam populorum turba circumseptam plus video esse quam feminam, quae resurrectionem unci adolescentis filii a pompa funeris revocat ad vitam, quarum contemplatione lacrymarum, quae flere prohibetur eum cui resurrectio debebatur.

Beda. Vel novati dogma confunditur, qui dum poenitentium mundationem evacuare conatur, matrem ecclesiam de natorum suorum spirituali extinctione plorantem spe vitae reddendae negat consolari debere.

Ambrosius. hic autem mortuus in loculo materialibus quatuor ad sepulchrum ferebatur elementis; sed spem resurgendi habebat, quia ferebatur in ligno; quod etsi nobis ante non proderat, tamen posteaquam Christus id tetigit, proficere coepit ad vitam; ut esset iudicio salutem populo per crucis patibulum refundendam. in secreto enim iacemus exanimes, cum vel ignis immodicae cupiditatis exaestuatur, vel frigidus humor exundat, et pigra quadam corporis habitudine vigor hebetatur animorum.

Beda. Vel locus in quo mortuus effertur, male secunda desperati peccatoris conscientia est: qui vero sepeliendum portant, vel immunda desideria, vel blandimenta sunt sociorum; qui, domino loculum tangente, steterunt: quia superni formidine iudicii tacta conscientia, carnales saepe voluptates et iniuste laudantes coercens ad se revertitur, vocantique ad vitam respondet salvatori.

Ambrosius. Si ergo grave peccatum est, quod poenitentiae tuae lacrymis ipse lavare non possis, fleat pro te mater ecclesia, assistat et turba; iam resurges a funere, et incipies vitalia loqui, timebunt omnes; unius enim exemplo omnes corriguntur: laudabunt etiam deum, qui tanta nobis remedia vitandae mortis indulsit.

Beda. Visitavit autem deus plebem suam, non solum semel verbum suum incorporando, sed semper in corda mittendo.

Theophylactus. viduam etiam potes intelligere animam virum amittentem, idest divinum sermonem: filius enim est intellectus, qui extra civitatem effertur viventium; locus eius est corpus eius, quod quidam dixerunt esse sepulchrum: tangens autem eum dominus levat ipsum, iuvenescere faciens eum qui surgens a peccato incipit loqui et alios edocere: non enim prius ei crederetur.

LUCA 7,18-23

9718 (Lc 7,18-23)

Cyrillus. Miraculum quod omnes inhabitantes iudaeam et galilaeam sciverant, referunt sancto baptistae quidam ex eius discipulis, unde sequitur et nuntiaverunt ioanni discipuli eius de omnibus his.

Beda. Non simplici corde, ut opinor, sed invidia stimulante: nam et alibi conqueruntur dicentes: rabbi, qui erat tecum trans iordanem, ecce hic baptizat; et omnes veniunt ad eum.

Chrysostomus. tunc autem magis ad eum erigimur cum incumbit necessitas: et ideo iohannes detrusus in carcerem, quando magis discipuli eius indigebant iesu, tunc mittit eos ad Christum; sequitur enim et convocavit duos de discipulis suis iohannes, et misit eos ad iesum, dicens: tu es qui venturus es, an alium expectamus? **Beda.** non ait: tu es qui venisti; sed: tu es qui venturus es? et est sensus: manda mihi, quia interficiendus ab herode et ad inferna descensus sum, utrum te et inferis debeam nuntiare, qui superis nuntiavi; an hoc non conveniat filio dei, et alium ad haec sacramenta missurus es? **Cyrillus.** Sed omnino reprobanda est talis opinio: nunquam enim reperimus sacram scripturam disserere, quod infernalibus praenuntiaverit baptista iohannes salvatoris adventum. Illud etiam verum est dicere, quod non ignoravit baptista virtutem mysterii incarnationis unigeniti; unde et hoc cum aliis noverat quod illuminaturus erat in inferno manentes, cum pro omnibus gustaverit mortem, tam vivis quam mortuis. Sed quoniam sermo sacrae scripturae hunc quidem praedixit venturum tamquam deum et dominum; alii vero missi sunt sicut famuli ante Christum: ideo omnium salvator et dominus a prophetis nominabatur, qui venit vel qui venturus est, secundum illud: benedictus qui venit in nomine domini; et in habacuc: post modicum qui venturus est veniet et non tardabit. Igitur divinus baptista quasi nomen accipiens a sacra scriptura, misit quosdam discipulorum suorum quaesituros an ipse sit qui venit vel qui venturus est.

Ambrosius. Sed quomodo fieri posset ut de quo dixerat: ecce qui tollit peccatum mundi, adhuc eum dei filium esse non crederet? aut enim insolentiae est ei tribuere divina quae nescit, aut de dei filio dubitasse perfidiae est. nonnulli autem de ipso iohanne intelligunt magnum quidem ita prophetam ut Christum agnosceret; sed tamen non tamquam dubium, sed tamquam pium vatem quem venturum crediderat, non credidisse moriturum. Non igitur fide, sed pietate dubitavit, sicut et petrus dicens: propitius tibi esto, domine, non fiet hoc.

Cyrillus. Vel ex dispensatione interrogat; noverat enim ut praecursor passionis Christi mysterium; sed ut discipulis suis constet quanta sit excellentia salvatoris, ex propriis discipulis prudentiores misit, quos praecepit sciscitari, et viva salvatoris voce conicere, si ipse est qui expectabatur; unde subditur cum autem ad eum venissent viri, dixerunt: iohannes baptista misit nos ad te, dicens: tu es qui venturus es, an alium expectamus? sciens autem ut deus quo animo misset eos iohannes, et causam adventus eorum, tunc temporis egit uberiora miracula; unde sequitur in ipsa autem hora curavit multos a languoribus et plagis et spiritibus malis, et caecis multis donavit visum. Non dicit eis expresse: ego sum; sed ducit eos magis ad rei certitudinem, ut congrua ratione sumentes fidem ipsius revertantur ad eum qui misit eos; unde non ad verba, sed ad propositum mittentis responsum exhibuit; nam sequitur et respondens dixit illis: euntes renuntiate ioanni quae vidistis et audistis; quasi dicat: narrate ioanni quae quidem audistis per prophetas, consummari vero vidistis a me: ea enim tunc agebat quae praedixerant prophetae eum facturum; de quibus subditur quia caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.

Ambrosius. plenum sane testimonium, quo dominum propheta cognosceret: de ipso enim fuerat prophetatum quia dominus dat escam esurientibus, erigit elisos, solvit compeditos, illuminat caecos; et quod qui ista facit, regnabit in aeternum. ergo non humanae ista, sed divinae virtutis insignia sunt. Huius autem evangelii exempla vel rara vel nulla inveniuntur: unus tobias oculos recepit; et haec fuit angeli, non hominis medicina; elias mortuum suscitavit; ipse tamen rogavit et flevit, hic iussit; eliseus leprosum mundari fecit; non tamen ibi valuit praecepti auctoritas, sed mysterii figura.

Theophylactus. sunt enim haec verba isaiae dicentis: deus ipse veniet, et salvabit nos. Tunc aperientur oculi caecorum, et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus, claudus.

Beda. Et, quod his non minus est, subditur pauperes evangelizantur, pauperes scilicet spiritu vel opibus, intus illuminantur, ut inter divites et egenos in praedicatione nulla distantia sit. Hoc magistri comprobavit veritatem; quando omnis qui apud eum salvari potest, aequalis est.

Ambrosius. Sed tamen parva adhuc ista dominicae testificationis exempla: plenitudo fidei crux domini,

obitus, sepultura est; unde addidit et beatus est qui non fuerit scandalizatus in me. Crux enim etiam electis scandalum posset afferre; sed nullum hoc maius divinae personae est testimonium; nihil enim est quod magis esse ultra humana videatur, quam totum se obtulisse pro mundo.

Cyrillus. Vel per hoc volebat ostendere quod quaecumque versabantur in cordibus eorum, ab oculis ipsius effugere nequiverunt; ipsi enim erant qui scandalizabantur de ipso.

Ambrosius. Mystice autem in iohanne supra diximus typum esse legis, quae praenuntia fuit Christi. Mittit ergo iohannes discipulos suos ad Christum ut supplementum scientiae consequantur, quia plenitudo legis est Christus: et fortasse isti discipuli sunt duo populi, quorum unus ex iudaeis credit, alter ex gentibus, qui ideo credit, quia audivit. voluerunt ergo et isti videre: quia beati oculi qui vident. Cum autem venerint ad evangelium, et cognoverint illuminari caecos, ambulare claudos, tunc dicent: oculis nostris perspeximus: videmur enim nobis vidisse quae legimus: aut fortasse in parte quadam corporis nostri, omnes videmur investigasse dominicae seriem passionis: fides enim per paucos ad plures pervenit. Lex ergo Christum venturum annuntiat, evangelii scriptura venisse confirmat.

LUCA 7,23-28

9723 (Lc 7,23-28)

Cyrillus. Coniecit dominus, tamquam hominum secreta cognoscens, aliquos dicturos: si usque hodie ignorat iohannes iesum, qualiter eum ostendebat nobis, dicens: ecce agnus dei, ecce qui tollit peccata mundi? ut igitur sanaret hanc passionem quae eis acciderat, damnum quod ex scandalo procedebat, exclusit; unde dicitur et cum discessissent nuntii iohannis, coepit dicere de iohanne ad turbas: quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? quasi dicat: mirati estis de iohanne baptista, et pluries perrexistis ad eum, percurrentes tam longa deserti itinera: frustra siquidem, si sic levem ipsum existimatis, ut similis sit arundini declinanti quocumque agitat ventus. talis enim esse videtur, si quae cognovit, ex levitate se ignorare fatetur. Titus. non autem existis in desertum, ubi nulla iucunditas, civitatibus omissis, nisi de hoc viro curam gerentes.

Graecus. Hoc autem post recessum discipulorum iohannis dominus dixit: non enim praesentibus eis proferre volebat baptistae praeconia, ne blandientis verba esse putarentur.

Ambrosius. non otiose autem iohannis hic persona laudatur, qui vitae amore posthabito, iustitiae formam nec mortis terrore mutavit. Deserto enim mundus hic comparari videtur adhuc sterilis, adhuc incultus; in quem negat nobis dominus ita prodeundum ut mente carnis inflatos, vacuosque virtutis internae viros, et fragili se gloriae saecularis sublimitate iactantes, exemplari quodam et imagine nobis putemus imitandos, quos procellis huius mundi obnoxios vita mobilis inquietat, iure arundini comparandos.

Graecus. est etiam infallibile testimonium vitae iohannis vestitus cum carcere, in quem detrusus non fuisset, si scivisset favere principibus; unde sequitur sed quid existis videre? hominem mollibus vestimentis indutum? ecce qui in veste pretiosa sunt et in deliciis, in domibus regum sunt. Mollibus vestimentis indutus viventes in deliciis significat.

Chrysostomus. mollis autem vestis dissolvit rigidam animam; et si rigidum corpus assumat et asperum, facile per huiusmodi mollitiem delicatum reddit et fragile. Facto vero corpore molliori, necesse est et animam participare laesionem; nam ut plurimum operationes ipsius consonant dispositionibus corporis.

Cyrillus. Qualiter ergo tanta sedulitas religionis ut carnales passiones subiceret, ad tantam ignorantiam deveniret, nisi ex mentis levitate, quam non asperitates, sed illecebrae mundanae delectant? igitur si velut non colentem deliciosa iohannem imitami, date ei robur continentiae competens si vero nihil amplius debetur honestae conversationi, quid, omissa reverentia delicatorem, incolam deserti, vileque tegumen et camelorum vellus mirami? **Chrysostomus** in Matthaem. per utrumque autem dictorum designat, quod iohannes nec naturaliter, nec facile mobilis erat, nec ulla voluptate flecteretur.

Ambrosius. Et quamvis plerosque mollioris cura vestis effeminet, tamen alia videtur hic indumenta significare; humana scilicet corpora, quibus anima nostra vestitur. Sunt autem mollia indumenta deliciosi actus et mores; hi vero quibus fluida deliciis membra solvuntur, regni caelestis extorres sunt; quos rectores mundi huius atque tenebrarum ceperunt: hi sunt enim reges qui dominantur suorum operum aemulos.

Cyrillus. Sed forte inconveniens est circa hoc excusare iohannem; fatemini enim eum imitabilem esse; unde

subdit sed quid existis videre? prophetam? utique dico vobis: et plusquam prophetam. Prophetae namque praedicabant venturum: hic autem non solum venturum praedicavit, sed et praesentem indicavit, dicens: ecce agnus dei.

Ambrosius. maior sane propheta, in quo finis est prophetarum: quia multi cupierunt videre quem iste conspexit, quem iste baptizavit.

Cyrillus. Cum igitur et a loco et a vestibus et ex concursu hominum morem eius descripserit, introducit prophetae testimonium, dicens hic est, de quo scriptum est, scilicet in malachia: ecce mitto angelum meum. Titus. Angelum appellat hominem, non quia natura esset angelus, homo enim naturaliter erat; sed quia opus angeli exercebat, nuntiando Christi adventum.

Graecus. Quod autem subdit ante faciem tuam, propinquitatem designat: apparuit enim hominibus prope Christi adventum; quapropter et plusquam prophetam ipsum esse existimandum est; nam et hi qui in militiis collaterales sunt regibus, digniores et familiariores sunt.

Ambrosius. viam autem domino non solum nascendi secundum carnem ordine fideique nuntio, sed etiam praecursu quodam paravit passiones; unde sequitur qui praeparabit viam tuam ante te. Si autem et Christus propheta, quomodo maior hic omnibus? sed inter mulieris, non virginis natos: maior enim iis fuit quibus aequalis poterat esse sorte nascendi; unde sequitur dico enim vobis: maior inter natos mulierum propheta iohanne baptista non est.

Chrysostomus in Matthaum. sufficit quidem domini vox praebens testimonium praeeminentiae iohannis inter homines; reperiet autem qui vult et rei veritatem consonam, si mensam eius consideraverit, si vitam, si mentis excellentiam: velut enim qui caelitus descendisset, degebat in terra, fere nullam gerens curam de corpore, intellectualiter erectus in caelum, et soli Deo coniunctus, de nullo mundanorum sollicitus; sermo severus et lenis: nam cum populo iudaeorum viriliter et ferventer, cum rege audacter, cum propriis discipulis leniter conferebat: nil frustra vel leviter, omnia convenienter agebat. Isidorus abbas. Maior etiam inter natos mulierum iohannes eo quod ab ipso matris utero prophetavit, et positus in tenebris lumen quod iam venerat non ignoravit.

Ambrosius. Denique eo usque cum dei filio non poterit iohannis esse ulla collatio ut et infra angelos aestimetur; unde sequitur qui autem minor est in regno dei, maior est illo.

Beda. Haec sententia duobus modis potest intelligi: aut enim regnum dei appellavit quod nondum accepimus, in quo sunt angeli, et quilibet in eis minor, maior est quolibet iusto portante corpus, quod aggravat animam; aut si regnum dei intelligi voluit huius temporis ecclesiam, seipsum dominus significavit, qui nascendi tempore minor erat iohanne, maior autem divinitatis auctoritate et potestate dominica: proinde secundum primam expositionem ita distinguitur: qui autem minor est in regno dei, ac deinde subinfertur maior est illo; secundum posteriorem vero ita: qui autem minor est, ac deinde subinfertur in regno dei maior est illo.

Chrysostomus. ut enim copia laudum iohannis occasionem iudaeis non daret praefereendi iohannem Christo, hoc subdidit. ne autem putes quod comparative se dixerit maiorem iohanne.

Ambrosius. Alia enim est ista natura, nec humanis generationibus comparanda: non potest enim homini cum Deo ulla esse collatio.

Cyrillus. mystice autem, cum iohannis praerogativam ostendit inter natos mulierum, ponit ex opposito aliquid maius eo, scilicet qui per spiritum sanctum natus est filius dei: regnum enim donum dei spiritus est. Quamvis ergo secundum operationem et sanctitatem, minores sumus his qui legis mysterium sunt assecuti, quos iohannes significat: tamen maiora per Christum attingimus, participes facti divinae naturae.

LUCA 7,29-35

9729 (Lc 7,29-35)

Chrysostomus in Matthaum. praemissa commendatione iohannis, magnum pharisaeorum et legisperitorum prodidit crimen, qui nec post publicanos baptisma iohannis acceperunt; unde dicitur et omnis populus audiens et publicani iustificaverunt deum, baptizati baptismo iohannis.

Ambrosius in lucam. iustificatur deus per baptismum, dum se homines peccata propria confitendo iustificat: qui enim peccat, et confitetur Deo peccatum, iustificat deum: cedens ei vincenti, ab eoque gratiam sperans. in baptisate igitur iustificatur deus, in quo est et confessio, et venia peccatorum.

Eusebius in lucam. Quia etiam crediderunt, iustificaverunt deum: apparuit enim eis iustus in omnibus quae fecit. Pharisei autem repellendo iohannem, tamquam inobedientes, non consonabant prophetae dicenti: ut iustificeris in sermonibus tuis; unde sequitur pharisei autem et legisperiti consilium dei spreverunt in semetipsis, non baptizati ab eo.

Beda. Haec verba sive ex persona evangelistae, sive ex persona salvatoris, ut quibusdam placet, dicta sunt. quod autem dicit in semetipsis, vel contra semetipsos, significat quia qui gratiam dei respuit, contra semetipsum facit. vel ad semetipsos missum dei consilium stulti et ingrati vituperantur noluisse recipere. consilium ergo est dei, quod per passionem et mortem Christi salvare decrevit: quod pharisei et legisperiti spreverunt.

Ambrosius. Non condemnamus ergo, sicut pharisei, consilium dei quod est in iohannis baptisate: hoc est consilium quod magni consilii angelus reperit. iohannis consilium nemo contemnit, dei consilium quis refutet? **Cyryllus.** erat autem quidam modus ludendi talis consuetus apud filios iudaeorum: bipartiebatur puerorum caterva, qui rerum praesentis vitae deridentes repentinam transmutationem, hi quidem canebant, hi vero moerebant; sed nec gaudentibus congaudebant moerentes, nec qui gaudebant confirmabant se flentibus; deinde arguebant se invicem impropertantes incompassionis malitiam. tale quid passam fuisse iudaeorum plebem una cum principibus Christus innuebat; unde ex persona Christi subditur cui ergo similis dicam homines generationis huius, et cui similes sunt? similes sunt pueris sedentibus in foro, et loquentibus ad invicem, et dicentibus: cantavimus vobis tibiis, et non saltastis; lamentavimus, et non plorastis.

Beda. Generatio iudaeorum comparatur pueris, quia doctores olim prophetas habebant, de quibus dicitur ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.

Ambrosius. cantaverunt autem prophetae spiritualibus modulis publicae salutis oracula resultantes, fleverunt threnis flebilibus iudaeorum dura corda mulcentes. Hoc canticum non in foro, non in plateis canebatur, sed in ierusalem: ipsa est enim dominicum forum, in quo praeceptorum caelestium iura conduntur.

Gregorius nyssenus. canticum autem et lamentatio nil aliud est quam excessus, hoc quidem gaudii, illud vero moeroris. Resonat autem quaedam consona melodia ex organo musico, secundum quam dum homo pede et motu consono corporis commovetur, intrinsecam dispositionem manifestat; et ideo dicit lamentavimus, et non plorastis.

Augustinus de quaest. Evang.. haec autem pertinent ad iohannem et Christum. Quod enim dicit lamentavimus, et non plorastis, ad iohannem pertinet, cuius abstinencia a cibis et potu luctum poenitentiae significabat; unde exponendo subdit venit enim iohannes baptista neque manducans panem, neque bibens vinum; et dicitis: daemonium habet.

Cyryllus. Praesumunt criminari virum qualibet admiratione dignum: daemonium habere dicunt mortificantem legem peccati, quae latet in membris.

Augustinus de quaest. Evang.. Quod autem dixerat cantavimus tibiis, et non saltastis, ad ipsum dominum pertinet, qui utendo cum ceteris cibo et potu, laetitiam regni significabat; unde sequitur venit filius hominis manducans et bibens; et dicitis: ecce homo devorator et bibens vinum. titus. Noluit enim Christus abstinere ab huiusmodi cibis, ne occasionem daret haereticis, qui dicunt creaturas esse malas, et vituperant carnes et vinum.

Cyryllus. ubi autem potuerunt ostendere dominum voratorem? invenitur enim Christus ubique reprimere immoderantiam, et ad modestiam ducere. Conversabatur autem cum publicanis et peccatoribus; unde contra eum dicebant amicus publicanorum et peccatorum; cum tamen nullatenus ipse posset in peccatum incidere, sed e contra fiebat eis causa salutis: non enim coinquinatur sol radians super totam terram, et frequenter superveniens immundis corporibus; nec sol iustitiae laedetur conversando cum pravis. Nemo autem conetur comparare propriam mensuram dignitatibus Christi: sed quilibet propriam fragilitatem considerans vitet consortia talium: prava namque colloquia mores corrumpunt bonos. sequitur et iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis.

Ambrosius. Sapientia dei filius est per naturam, non per profectum: quae iustificatur per baptisma, in eo

quod non per contumaciam refutatur, sed per iustitiam dei munus agnoscitur. In eo ergo iustificatio dei est, si non ad indignos et obnoxios, sed ad innocentes, per ablutionem sanctos et iustos, videatur sua munera transtulisse.

Chrysostomus. Filios autem sapientiae dicit sapientes: consuevit enim scriptura malos magis ex peccato quam ex nomine indicare, bonos autem filios appellare informantis eos virtutis.

Ambrosius. Bene autem dicit ab omnibus: quia circa omnes iustitia reservatur, ut susceptio fiat fidelium et eiectio perfidorum.

Augustinus de quaest. Evang.. Vel quod dicit iustificata est sapientia ab omnibus filiis suis, ostendit filios sapientiae intelligere, nec in abstinendo, nec in manducando esse iustitiam, sed in aequanimitate tolerandi inopiam: non enim usus, sed concupiscentia reprehendenda est, dummodo congruas in generibus alimenterum his cum quibus tibi vivendum est.

LUCA 7,36-50

9736 (Lc 7,36-50)

Beda. Quia superius dictum fuerat: et omnis populus audiens et publicani iustificaverunt deum, baptizati baptisate iohannis, idem evangelista, quae verbis proposuerat, etiam factis astruit: iustificatam scilicet sapientiam a iustis et poenitentibus, dicens rogabat autem illum quidam pharisaeus ut manducaret cum illo.

Gregorius nyssenus. haec conscriptio quemdam utilem intellectum sapit. Sunt enim plerique eorum qui se iustificant inflati suspicione vani sensus, priusquam veniat verum iudicium, separantes seipsos velut agnos ab hoedis, nec tecto, nec escis cum plerisque communicare volentes, abominantes omnes quicumque non extremum sed medium tenent callem in vita. Lucas ergo plus medicus animarum quam corporum, ostendit ipsum deum et salvatorem nostrum piissime alios visitantem; unde sequitur et ingressus domum pharisaei discubuit: non ut aliquid de vitiis eius sortiatur, sed ut impartiat de iustitia propria.

Cyrillus. Mulier autem inhonestae vitae, promens autem fidelem affectum, venit ad Christum, quasi potentem veniam commissorum largiri; sequitur enim et ecce mulier quae erat in civitate peccatrix, ut cognovit quod iesus accubuit in domo pharisaei, attulit alabastrum unguenti.

Beda. Alabastrum est genus marmoris candidi variis coloribus intertincti, quod ad vasa unguentaria cavari solet, eo quod optime servare ea incorrupta dicatur.

Gregorius in evang.. quia enim haec mulier turpitudinis suae maculas aspexit, lavanda ad fontem misericordiae cucurrit: convivantes non erubuit; nam quia semetipsam graviter erubescerat intus, nihil esse credidit quod verecundaretur foris. Discite quo dolore ardet quae flere inter epulas non erubescit.

Gregorius nyssenus. Indignitatem autem suam ostendens stabat post tergum, deiectis luminibus et effusa coma, pedes amplectens, lacrymisque eos perfundens; rebus tristem animum ostendebat, veniam implorans; sequitur enim et stans retro secus pedes eius, lacrymis coepit rigare pedes eius.

Gregorius. oculis enim terrena cupierat; sed hos iam per poenitentiam conterens flebat: capillos ad compositionem vultus exhibuerat; sed iam capillis lacrymas tergebat; unde sequitur et capillis capitis sui tergebat. ore superba dixerat; sed pedes domini osculans, hoc in redemptoris sui vestigia figebat; unde sequitur et osculabatur pedes eius. Unguentum sibi pro odore suae carnis exhibuit; quod ergo sibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat; unde sequitur et unguento ungebat. Quot ergo in se habuit oblectamenta, tot de se invenit holocausta. convertit ad virtutum numerum, numerum criminum; ut totum Deo serviret in poenitentia quicquid ex se deum contempserat in culpa. Sic igitur meretrix effecta est honestior virginibus: postquam enim accensa est poenitentia, exarsit in Christi amorem. Et haec quidem quae dicta sunt agebantur exterius; quae vero revolvebat eius intentio, multo ferventiora his erant, quae solus deus inspiciebat.

Gregorius. haec autem pharisaeus intuens despicit, et non solum venientem peccatricem mulierem, sed etiam suscipientem dominum reprehendit. Videns autem pharisaeus qui vocaverat eum, ait intra se dicens: si hic esset propheta, sciret utique quae et qualis mulier est quae tangit eum. Ecce pharisaeus veraciter apud se superbus, et fallaciter iustus, aegrum reprehendit de aegritudine, et medicum de subventionem: quae profecto mulier, si ad pharisaei pedes venisset, calcibus repulsa discederet. Inquinari enim se alieno

peccato crederet, quia hunc vera sua iustitia non replebat. Sic et quidam sacerdotali officio praediti, si quid fortasse iuste exterius vel tenuiter egerint, protinus subiectos despiciunt, et peccatores quosque in plebe positos dedignantur. Necesse est autem ut cum peccatores quosque conspiciamus, nosmetipsos prius in eorum calamitate defleamus, quia fortasse in similibus aut lapsi sumus aut labi possumus. oportet autem ut sollicitate discernamus quia distractionem debemus vitii, compassionem naturae. Si enim feriendus est peccator, nutriendus est proximus; cum vero iam per poenitentiam percutit ipse quod fecit, iam noster proximus peccator non est, quia hic in se punit quod iustitia divina reprehendit. Inter duos ergo aegros medicus aderat: sed unus in febre sensum tenebat, alter sensum perdiderat mentis: illa quippe flebat quod fecerat, pharisaeus autem de falsa iustitia elatus, vim suae valetudinis exaggerabat. titus. Dominus autem non verba eius audiens, sed cogitationes inspiciens, dominum se prophetarum ostendit; unde sequitur et respondens iesus, dixit ad illum: simon, habeo tibi aliquid dicere.

Glossa. Quod quidem dixit eius cogitationi respondens. Pharisaeus autem ex verbis domini attentior est factus; unde dicitur at ille ait: magister, dic.

Gregorius. de duobus autem ei debitoribus paradigma opponitur, quorum unus minus, alius amplius debet; unde sequitur duo debitores erant cuidam feneratori: unus debebat denarios quingentos, et alius quinquaginta. Titus. Quasi dicat: neque tu absque debito es: quid igitur si in paucioribus teneris? non superbias, quia tu quoque venia egēs; unde de venia subdit, dicens non habentibus autem illis unde redderent, donavit utrisque.

Glossa. Nullus enim potest per seipsum a debito peccati liberari, nisi divina gratia veniam consequatur.

Gregorius in evang.. Utrorumque autem debito dimisso, quis amplius largitorem debiti diligit, pharisaeus interrogatur: sequitur enim quis ergo plus eum diligit? quibus verbis protinus ille respondit aestimo quia is cui plus donavit. qua in re notandum est, quod dum sua sententia pharisaeus convincitur, quasi phreneticus funem portat ex quo ligetur; unde sequitur at ille dixit ei: recte iudicasti. Enumerantur autem ei bona peccatricis, enumerantur et mala falsi iusti; unde sequitur et conversus ad mulierem, dixit simoni: vides hanc mulierem? intravi in domum tuam; aquam pedibus meis non dedisti: haec autem lacrymis rigavit pedes meos.

Ambrosius. quasi dicat: facilis est usus aquarum, non est facilis lacrymarum effusio: tu promptis non es usus, haec effudit non prompta: lavans lacrymis pedes meos, lavit maculas proprias: tersit comis, ut per eas sibi assumat sacros sudores, et quibus venata est ad peccatum iuventutem, venata est sanctitatem.

Chrysostomus in Matthaëum. Sicut autem ubi vehemens imber prorumpit, fit serenitas, sic lacrymis effusis apparet tranquillitas, et perit caligo reatum; et sicut per aquam et spiritum, sic per lacrymas et confessionem denuo mundamur; unde sequitur propter quod dico tibi: remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. nam qui vehementer se ingesserunt malis, rursus et bonis vehementer insistent, conscii ad quot debita se obligaverunt.

Gregorius. tanto ergo amplius peccati rubigo consumitur, quanto peccatoris cor magno caritatis igne concrematur. titus. Contingit autem saepius eum qui multum peccavit, per confessionem purgari; pauca vero peccantem, ex arrogancia non venire ad confessionis remedium; unde sequitur cui autem minus dimittitur, minus diligit.

Chrysostomus in Matthaëum. opus est ergo nobis ferventi anima, quia nihil impedit hominem fieri magnum. Nullus ergo constitutorum in peccatis desperet, nemo virtuosus dormitet: nec hic confidat, saepe enim meretrix praecedet eum; nec ille diffidat, possibile namque est eum etiam primos superare; unde et hic subditur dixit autem ad illam: remittuntur tibi peccata tua.

Gregorius in evang.. ecce quae ad medicum venerat aegra, sanata est; sed de salute eius adhuc alii aegrotant; sequitur enim et coeperunt qui simul accumbebant dicere intra se: quis est hic qui etiam peccata dimittit? sed caelestis medicus aegros non respicit, quos etiam de medicamento fieri deteriores vidit; eam autem quam sanaverat, per pietatis suae sententiam confirmat; unde sequitur dixit autem ad mulierem: fides tua te salvam fecit: quia scilicet hoc quod petiit, posse se accipere non dubitavit.

Theophylactus. Postquam autem ei peccata dimisit, non sistit in remissione peccati, sed adicit operationem boni; unde subditur vade in pace, idest in iustitia: quia iustitia est pax hominis ad deum, sicut peccatum est inimicitia inter deum et hominem; quasi dicat: operare omnia quae ad pacem dei te ducunt.

Ambrosius. Hoc autem loco plerique pati videntur scrupulum quaestionis, utrum videantur evangelistae

discordasse de fide.

Graecus. Quia enim quatuor evangelistae dicunt Christum unctum fuisse unguento a muliere, tres puto fuisse mulieres ex personarum qualitate, ex modo agendi, ex differentia temporum. Ioannes quidem narrat de Maria sorore lazari, quoniam sex diebus ante pascha unxit pedes iesu in propria domo. At Matthaeus, postquam dominus dixerat: scitis quia post biduum fiet pascha, subdit, quod in bethania in domo simonis leprosi mulier fudit unguentum super domini caput; non autem unxit pedes, ut maria; marcus etiam Matthaeo similiter. Lucas autem non circa tempus paschae, sed in medio evangelii hoc refert.

Chrysostomus autem binas asserit has mulieres fuisse: unam quidem quae continetur in ioanne, alteram vero cuius mentio fit a tribus.

Ambrosius. Hanc ergo mulierem inducit Matthaeus supra caput Christi effundentem unguentum; et ideo noluit dicere peccatricem: nam peccatrix, secundum lucam, supra Christi pedes effudit unguentum. potest ergo non eadem esse, ne sibi contrarium evangelistae dixisse videantur. potest etiam quaestio meriti et temporis diversitate dissolvi, ut adhuc illa peccatrix sit, iam ista perfectior.

Augustinus de cons. Evang.. Eadem enim mariam bis hoc fecisse, arbitror intelligendum; semel scilicet quod lucas narravit, cum primo accedens cum humilitate et lacrymis meruit remissionem peccatorum. unde ioannes, cum de lazaro resuscitando coepisset loqui, antequam veniret in bethaniam, dicit: Maria autem erat quae unxit dominum unguento, et tersit pedes eius capillis suis, cuius frater lazarus infirmabatur. Iam itaque hoc Maria fecerat. Quod autem in bethania rursum fecit, aliud est, quod ad lucae narrationem non pertinet, sed pariter narratur ab aliis tribus.

Gregorius. Mystico autem intellectu, pharisaeus de falsa iustitia praesumens, iudaicum populum, peccatrix mulier, sed ad vestigia domini veniens et plorans, conversam gentilitatem designat.

Ambrosius in lucam. Vel princeps huius saeculi quidam leprosus est, domus autem simonis leprosi terra est; ergo dominus ex illis superioribus locis descendit in terram; neque enim sanari potuisset haec mulier, quae speciem habet animae vel ecclesiae, nisi Christus venisset in terram. Merito autem speciem accipit peccatricis, quia Christus quoque formam peccatoris accepit. Itaque si constituas animam fideliter appropinquantem deo, non peccatis turpibus et obscoenis, sed pie servientem dei verbo, habentem immaculatae fiduciam castitatis; ad ipsum Christi caput ascendit: caput autem Christi deus est. Sed qui caput non tenet Christi, ille pedes teneat. Peccator ad pedes, iustus ad caput. Habet tamen etiam ea quae peccavit unguentum.

Gregorius. quid aliud unguento nisi bonus odor opinionis exprimitur? si igitur recta opera agimus, quibus opinione boni odoris ecclesiam respergamus, quid in corpore domini nisi unguentum fundimus? sed secus pedes mulier stetit: contra pedes enim domini stetimus, cum in peccatis positi, eius itineribus renitebamur; sed si ad veram poenitentiam post peccata convertimur, iam retro secus pedes stamus, quia eius vestigia sequimur quem impugnamus.

Ambrosius. Defer et tu post peccata poenitentiam; ubicumque audieris Christi nomen, accurre; in cuiuscumque interiorem domum iesus intrasse cognoveris, et ipse festina: cum repereris sapientiam, cum repereris iustitiam in aliquibus penetralibus recumbentem, accurre ad pedes; hoc est, vel extremam partem quaere sapientiae, lacrymis confitere peccata. Et fortasse ideo non lavit pedes suos Christus, ut eos lacrymis nos lavemus. Bonae lacrymae, quae non solum nostrum possunt lavare delictum, sed etiam verbi caelestis rigare vestigium, ut gressus eius nobis exuberent. Bonae lacrymae, in quibus non solum redemptio peccatorum, sed etiam iustorum refectio est.

Gregorius. lacrymis enim domini pedes rigamus, si quibuslibet ultimis membris domini compassionis affectu inclinemur. capillis pedes domini tergimus, quando sanctis eius, quibus ex caritate compatimur, ex his quae nobis superfluunt, miseremur.

Ambrosius. Expande etiam capillos, sterne ante eum omnes corporis tui dignitates; non mediocres capilli sunt qui possunt pedes tergere Christi.

Gregorius. osculatur mulier pedes quos tersit: quod nos quoque plane agimus si studiose diligimus quos ex largitate continemus. Potest quoque per pedes ipsum mysterium incarnationis eius intelligi. Osculamur igitur redemptoris pedes, cum mysterium incarnationis eius ex toto corde diligimus. unguento pedes unguimus, cum ipsam humilitatis eius potentiam sacri eloquii bona opinione praedicamus. Sed hoc etiam pharisaeus vidit, et invidit; quia cum iudaicus populus gentilitatem deum praedicare conspicit, sua apud se malitia tabescit. Sic autem pharisaeus retunditur ut per eum perfidus ille populus ostendatur: quia videlicet

infidelis ille populus nec ea quae extra se erant, unquam pro domino tribuit; conversa autem gentilitas pro eo non solum rerum substantiam, sed etiam sanguinem fudit; unde pharisaeo dicit aquam pedibus meis non dedisti; haec autem lacrymis rigavit pedes meos. aqua quippe extra nos est, lacrymarum humor intra nos est. Infidelis etiam ille populus Deo osculum non dedit, quia ex caritate eum amare noluit cui ex timore servivit; osculum quippe dilectionis est signum: vocata autem gentilitas redemptoris sui vestigia osculari non cessat, quia in eius continuo amore suspirat.

Ambrosius. non mediocris autem haec meriti est, de qua dicitur ex quo intravi, non cessavit osculari pedes meos; ut aliud nisi sapientiam loqui nesciat, nisi iustitiam diligere, nisi castitatem habere, nisi pudicitiam osculari.

Gregorius. pharisaeo autem dicitur oleo caput meum non unxisti: quia ipsam quoque divinitatis potentiam, in quam se iudaicus populus credere spondit, digna laude praedicare neglexit; haec autem unguento unxit pedes meos: quia dum incarnationis eius mysterium gentilitas credidit, summa laude eius etiam ima praedicavit.

Ambrosius. Beatus qui potest et oleo ungere pedes Christi; sed beatior qui ungit unguento: multorum enim florum in unum collecta spargit; et fortasse istud unguentum non posset alius nisi ecclesia sola deferre, quae diversi spiraminis innumerabiles habet flores: et ideo nemo potest tantum diligere quantum illa quae in pluribus diligit. In domo autem pharisaei, idest in domo legis et prophetae, non pharisaeus, sed ecclesia iustificatur: pharisaeus enim non credidit, ista credebat; lex mysterium non habet, quo occulta mundantur; et ideo quod in lege minus est, consummatur in evangelio. Duo autem debitores, duo populi sunt feneratori illi thesauri caelestis obnoxii. Non materialem autem feneratori huic debemus pecuniam, sed meritum examinatum, aera virtutum; quarum merita gravitatis pondere, iustitiae specie, sono confessionis expenduntur. non mediocris autem est iste denarius, in quo regis imago formatur. vae mihi, si non habuero quod accepi: aut quia difficile quisquam est qui feneratori huic debitum integrum possit exsolvere, vae mihi, si non petiero concedi mihi debitum. Sed quis est populus iste qui amplius debet, nisi nos, quibus amplius creditum est? illis credita sunt eloquia dei; nobis creditur virginis partus emmanuel, idest nobiscum deus, domini crux, mors, resurrectio. Itaque non est dubium quod plus debet qui plus accipit. Secundum homines plus fortasse offendit qui plus debuerit; sed per misericordiam domini causa mutatur, ut amplius diligat qui amplius debuit, si tamen gratiam consequatur. Et ideo, quoniam nihil est quod digne Deo referre possimus, vae mihi et si non dilexero. Reddamus ergo amorem pro debito; amplius enim diligit cui donatur amplius.

LUCA 8,1-3

9801 (Lc 8,1-3)

Theophylactus. Qui caelitus descendit, ut exemplum fieret nobis et forma, instruit nos non pigritare in docendo; unde dicitur et factum est deinceps, et ipse iter faciebat per civitates et castella, praedicans, et evangelizans regnum dei.

Gregorius nazianzenus. Vadit quippe de loco in locum, non solum ut plures lucretur, sed etiam ut multa dedicet loca. dormit, laborat, ut somnum et laborem sanctificet; plorat ut det pretium lacrymis; praedicat caelestia, ut audientes exaltet. titus. Qui enim de caelo ad terram descendit, annuntiat habitantibus terram regnum caeleste, ut terram in caelum convertat. quis autem praedicare debebat regnum dei, nisi filius dei, cuius est regnum? venerunt plures prophetae, non tamen praedicaverunt regnum caelorum: nam qualiter eorum quae non viderunt sermonem praetenderent? isidorus abbas. hoc autem regnum dei aliquibus videtur altius et melius regno caelesti; quibusdam vero unum et idem secundum essentiam, sed diversimode nominari; aliquando quidem regnum dei a regnante, aliquando autem regnum caelorum a subditis angelis et sanctis, qui caeli dicuntur.

Beda. More autem aquilae provocantis ad volandum pullos suos, dominus pedetentim discipulos suos ad sublimia erigit. siquidem primo docet in synagogis et miracula facit; ex hinc duodecim, quos apostolos nominat, eligit; postmodum omnes praedicans secum ducit; unde sequitur et duodecim cum illo.

Theophylactus. non docentes, aut praedicantes, sed instruendi ab eo. Ne autem femineus sexus prohiberi videretur sequi Christum, subditur et mulieres aliquae, quae erant curatae a spiritibus malis et infirmitatibus; Maria quae vocatur magdalena, de qua septem daemonia exierant.

Beda. Maria magdalena ipsa est, cuius tacito nomine proxima lectio poenitentiam narrat. nam pulchre evangelista ubi eam cum domino iter facere commemorat, noto hanc vocabulo manifestat; ubi vero

peccatricem, sed poenitentem describit, mulierem generaliter dicit, ne nomen tantae famae, prisci erroris nota fuscaret, de qua daemona septem exiisse referuntur.

Gregorius in evang.. Quid enim per septem daemona nisi universa vitia intelliguntur? quia enim septem diebus omne tempus comprehenditur, recte septenario numero universitas figuratur. Septem ergo daemona Maria habuit, quae universis vitiis plena fuit. sequitur et ioanna uxor chusae procuratoris herodis, et susanna, et aliae multae, quae ministrabant ei de facultatibus suis. **Hieronymus** comm. Super matth.. Consuetudinis iudaicae fuit, nec ducebatur in culpam more gentis antiquo, ut mulieres de substantia sua victum atque vestitum praeceptoribus darent. Hoc quia scandalum facere poterat in nationibus, paulus se abiecisse commemorat. ministrabant autem domino de substantia sua, ut meteret earum carnalia, cuius ipsae metebant spiritualia: non quod indigeret cibus dominus creaturarum; sed ut typum ostenderet magistrorum, quod victu atque vestitu de discipulis deberent esse contenti.

Beda. interpretatur autem Maria amarum mare propter poenitentiae rugitum, magdalena turris, vel melius turrensis, a turre, de qua dicitur: factus est spes mea turris fortitudinis a facie inimici. Ioanna dominus gratia eius, vel dominus misericors interpretatur, videlicet quia eius est omne quod vivimus. Si autem Maria mundata a sorde vitiorum ecclesiam de gentibus insinuat, cur non ioanna eamdem designat ecclesiam quondam idolorum cultui subditam? nam quilibet malignus spiritus dum pro regno diaboli facit, quasi herodis procurator existit. Interpretatur susanna lilium, aut gratia eius, propter odoriferum caelestis vitae candorem, aureumque internae dilectionis ardorem.

LUCA 8,4-15

9804 (Lc 8,4-15)

Theophylactus. Quod david in persona Christi praedixerat: aperiatur in parabolis os meum, hic dominus implet; unde dicitur cum autem turba plurima conveniret, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem. loquitur autem dominus per similitudinem primo quidem ut attentiores faceret auditores: consueverunt enim homines in obscuris se exercitare, et spernere manifesta: deinde ut non caperent indigni quae mystice dicebantur.

Origenes. Et ideo signanter dicitur cum turba plurima conveniret: non enim sunt multi, sed pauci qui per arctam viam incedunt, et qui inveniunt viam quae ducit ad vitam: unde Matthaeus dicit quod extra domum docebat per parabolas, sed intra domum parabolam discipulis exposuit.

Eusebius. satis autem congrue Christus primam proponit parabolam multitudini, non solum tunc astantium, sed etiam futurorum post illos, inducens ad audientiam verborum suorum, cum dicit exiit qui seminat, seminare semen suum.

Beda. Satorum illum nullum melius quam filium dei intelligere possumus, qui de sinu patris, quo creaturae non erat accessus, egrediens, ad hoc venit in mundum ut testimonium perhiberet veritati.

Chrysostomus in Matthaeum. exiit autem qui ubique est, non localiter, sed per amictum carnis nobis appropinquavit. Decenter autem adventum proprium Christus exitum nominat: eramus enim exclusi a deo; et sicuti condemnati et rebelles regi eiecti sunt; qui vero reconciliare vult eos, exeundo ad ipsos extra cum eis loquitur, donec dignos iam factos aspectu regio eos introducat: sic etiam Christus fecit.

Theophylactus. exiit autem nunc, non ut agricolas perderet aut combureret terram; sed exiit seminare: saepe enim agricola qui seminat, ob aliam causam exit, non solum ut seminet.

Eusebius. Exierunt autem nonnulli a patria caelesti, et ad homines descenderunt, non tamen ut sererent, neque enim satores erant, sed administratorii spiritus in ministerium missi. Moyses et prophetae post eum non inseruerunt hominibus mysteria regni caelorum; sed retrahendo insipientes ab errore nequitiae et idolorum cultu, quasi colebant animas hominum, et in novalia redigebant. Solus autem omnium sator verbum dei exivit, evangelizaturus nova semina, scilicet mysteria regni caelorum.

Theophylactus. Non cessat autem dei filius semper in nostris animabus seminare; nam non solum cum docet, sed etiam cum creat, in nostris animabus seminat semina bona. Titus. Exiit autem ut seminaret semen suum; non autem accepit verbum quasi mutuatum, cum ipse naturaliter sit verbum dei vivi. Non est igitur suum proprium semen pauli vel ioannis; sed habent cum acceperint; Christus autem habet proprium semen, proferens doctrinam ex sua natura; unde et iudaei dicebant: qualiter hic litteras novit, quas non

didicit? Eusebius. docet igitur duos esse gradus eorum qui recipiunt semina: primum quidem eorum qui digni facti sunt vocatione caelesti, sed labuntur a gratia propter negligentiam et torporem; secundum vero multiplicantium semen in bonis fructibus. Ponit autem secundum Matthaeum tres differentias in quolibet gradu. Nam qui corrumpunt semen, non similem habent perditionis modum; et qui ab eo fructificant, non aequam recipiunt copiam. Sane actiones perdentium ostendit semen. Quidam enim cum non peccaverint, suis animabus insita sibi semina salubria perdiderunt, subtracta ab intentione et memoria eorum per spiritus malignos et daemones, qui volant per aerem, vel viros fallaces et callidos, quae volatilia nuncupavit; unde subdit et dum seminat, aliud cecidit secus viam.

Theophylactus. Non dixit quod seminans proiecit aliud secus viam, sed quod semen cecidit. Qui enim seminat, docet rectum sermonem; sed sermo diversimode cadit in audientes, ut quidam eorum via dicantur. et conculcatum est, et volucres caeli comederunt illud.

Cyrillus. Arida enim est et inculta quodammodo omnis via, eo quod a cunctis conculcatur, ac nihil ex seminibus humatur in ea. Sic igitur habentes cor indocile non penetrat divina monitio, ut possit laudem germinare virtutum; sed tales sunt via frequentata immundis spiritibus. sunt iterum aliqui leviter gerentes fidem in se quasi in verborum simplicitate; horum fides caret radice; de quibus subditur et aliud cecidit supra petram, et natum aruit, quia non habebat humorem.

Beda. petram dicit durum et indomitum cor. hoc est autem humor ad radicem seminis, quod iuxta aliam parabolam oleum ad lampades virginum nutriendas, idest amor et perseverantia virtutis.

Eusebius. Sunt etiam aliqui qui per avaritiam et appetitum voluptatum et mundanas sollicitudines, quas quidem spinas nuncupat, immissum sibi semen suffocari fecerunt; de quibus subditur et aliud cecidit inter spinas; et simul exortae spinae suffocaverunt illud.

Chrysostomus in Matthaeum. Sicut enim spinae non permittunt oriri semen, sed ex condensatione suffocant immissum; sic sollicitudines vitae praesentis semen spirituale fructificare non sinunt. Increpandus autem esset agricola qui super sensibiles spinas, et petram, et viam seminaret. non enim possibile est petram terram fieri, nec viam non esse viam, nec spinas non esse spinas; in rationalibus autem secus est; possibile est enim petram converti in terram pinguem, et viam non conculcari, et spinas dissipari.

Cyrillus. Sunt autem terra pinguis et ferax, animae honestae et bonae, quae in profundo suscipiunt verbi semina, et retinent, et fovent; et quantum ad hoc subditur et aliud cecidit in terram bonam, et ortum fecit fructum centuplum. Cum enim in mentem mundam ab omnibus perturbationibus verbum divinum infunditur, tunc immittit radices in profundum, et germinat tamquam spica, et convenienter perficitur.

Beda. Fructum enim centuplum, fructum perfectum dicit: nam denarius numerus pro perfectione semper accipitur, quia in decem praeceptis legis custodia continetur: denarius autem numerus per semetipsum multiplicatus in centenarium surgit; unde per centenarium magna perfectio significatur.

Cyrillus. Quae autem sit sententia parabolae, accipiamus per eum qui eam composuit; unde sequitur haec dicens clamabat: qui habet aures audiendi, audiat.

Basiliius. Audire pertinet ad intellectum: unde per hoc dominus excitat ad exaudiendum attente mentionem eorum quae dicuntur.

Beda. Quoties enim haec admonitio vel in evangelio, vel in apocalypsi iohannis interponitur, mysticum esse quod dicitur, quaerendumque a nobis intentius ostenditur; unde discipuli ignorantes, salvatorem interrogant; sequitur enim interrogabant autem eum discipuli eius quae esset haec parabola. Nemo tamen putet finita mox parabola discipulos hoc interrogasse; sed, ut marcus ait: cum esset singularis, interrogaverunt eum.

Origenes. Est autem parabola sermo quasi facti, non autem facti iuxta quod dicitur, possibilis autem fieri; rerum significativus per transumptionem eorum quae in parabola traduntur. Aenigma vero est processus sermonis in his quae traduntur quasi facta; quae tamen non sunt facta, nec possibilia fieri, significant vero aliquid in occulto; sicut quod dicitur in libro iudicum quod ligna iverunt ut ungerent sibi regem. Non est autem ad litteram factum quod dicitur exiit qui seminat, sicut ea narrat historia, possibile tamen fuit fieri.

Eusebius. Dominus vero docuit eos causam quare turbis per parabolas loquebatur; unde subditur quibus ipse dixit: vobis datum est nosse mysterium regni dei.

Gregorius nazianzenus. cum hoc audis, non introducas diversas naturas secundum quosdam haereticos, qui putant hos quidem esse pereuntis naturae, hos vero salubris; quosdam vero sic se habere, ut eorum

voluntas eos ducat ad peius vel melius, sed addas ei quod dicitur vobis datum est, idest volentibus, et simpliciter dignis.

Theophylactus. His autem qui sunt indigni tantis mysteriis obscure dicuntur; unde subditur ceteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant. Videre enim se putant, non vident autem; et audiunt quidem, sed non intelligunt. Huius ergo gratia hoc eis Christus abscondit, ne maius eis praeiudicium generetur, si postquam noverint Christi mysteria, contempserint. qui enim intelligit et postea spernit, gravius punietur.

Beda. Recte igitur in parabolis audiunt, quando clausis sensibus cordis, non curant cognoscere veritatem, oblitii eius quod dominus dixerat: qui habet aures audiendi, audiat.

Gregorius in evang.. Dominus autem dignatus est exponere quod dicebat, ut sciamus rerum significationes quaerere etiam in his quae per semetipsum noluit explanare; sequitur enim est autem haec parabola: semen est verbum dei.

Eusebius. Destruentium autem immissa semina suis animabus tres dicit esse causas. Quidam enim destruunt in se semen reconditum, dantes leviter auditum volentibus fallere; de quibus subdit quod autem secus viam, hi sunt qui audiunt; deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.

Beda. Qui scilicet verbum quod audiunt, nulla fide, nullo intellectu, nulla saltem tentandae utilitatis actione percipere dignantur.

Eusebius. Quidam vero cum in mentis profundo non susceperint verbum dei, facile extinguuntur adveniente adversitate; de quibus subdit nam qui supra petram, hi sunt qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum; et hi radices non habent, quia ad tempus credunt, et in tempore tentationis recedunt.

Cyrillus. Cum enim intrant ecclesiam, laetanter attentant divina mysteria, sed ex levi voluntate; ut autem egressi sunt ecclesiam, obliviscuntur sacrarum disciplinarum: et si fides Christiana non fluctuet, permanent; turbante vero persecutione, profugam habent mentem, quia fides eorum caret radice.

Gregorius. Multi boni operis initia proponunt; sed mox ut fatigari adversitatibus vel tentationibus coeperint, inchoata derelinquunt. Petrosa ergo terra humorem non habuit, quae hoc quod germinaverat, ad fructus perseverantiam non perduxit.

Eusebius. Quidam vero suffocant reconditum in eis semen divitiis et illecebris, quasi quibusdam suffocantibus spinis; de quibus subditur quod autem in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt, et a sollicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitae, euntes suffocantur, et non referunt fructum.

Gregorius. Mirum quomodo dominus divitias spinas interpretatus sit, cum illae pungant, istae delectent; et tamen spinae sunt, quia cogitationum suarum punctionibus mentem lacerant, et cum usque ad peccatum pertrahunt, quasi inflicto vulnere cruentant. Duo autem sunt quae divitiis iungit, sollicitudines et voluptates: quia per curam mentem opprimunt, et per affluentiam resolvunt. suffocant autem semen, quia importunis cogitationibus guttur mentis strangulant; et dum bonum desiderium intrare ad cor non sinunt, quasi aditum vitalis flatus vetant.

Eusebius. Haec autem ex provisione a salvatore praedicta sunt. Sic autem se habere patefacit effectus; non enim aliter aliqui a verbo divini cultus deficiunt nisi secundum aliquem modorum praedictorum ab eo.

Chrysostomus in Matthaeum. Et ut plura brevibus comprehendam, hi quidem tamquam negligentes audire, hi tamquam delicati et debiles, hi vero tamquam servi facti voluptatis et rerum mundi, a bono desistunt. bonus etiam ordo viae, petrae et spinarum: opus enim est primo memoriae et cautela, deinde fortitudinis, consequenter contemptus praesentium. Consequenter ponit bonam terram contrario modo se habentem ad viam, et petram, et spinas, cum subdit quod autem in terram bonam, hi sunt qui in corde bono et optimo verbum retinent, et fructum afferunt in patientia. nam qui secus viam positi sunt, non retinent verbum, sed rapit eis semen diabolus: qui vero sunt in petra, non sustinent in patientia tentationis insultum propter imbecillitatem; qui vero sunt in spinis, non fructificant, sed suffocantur.

Gregorius. Terra ergo bona fructum per sapientiam reddit: quia nulla sunt bona quae agimus, si non aequanimiter etiam proximorum mala toleramus. fructum ergo per patientiam reddunt: quia cum humiliter flagella suscipiunt, post flagella ad requiem sublimiter cum gaudio suscipiuntur.

LUCA 8,16-18

9816 (Lc 8,16-18)

Beda. Quia supra dixerat apostolis: vobis datum est nosse mysterium regni dei, ceteris autem in parabolis, nunc ostendit per eos aliquando etiam ceteris idem mysterium esse revelandum, dicens nemo autem lucernam accendens operit eam vase, aut subtus lectum ponit, sed supra candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen.

Eusebius. Quasi dicat: sicut lucerna accenditur ut luceat, non ut operiatur sub modio vel lecto; sic etiam secreta regni caelorum in parabolis edita, quamvis lateant alienos a fide, tamen penes omnes manifestum habebunt sensum; unde subdit non enim est occultum quod non manifestetur, nec absconditum quod non agnoscat et in palam veniat; quasi dicat: quamvis plurima in parabolis dicta sint, ut videntes non videant, et audientes non intelligant propter sui incredulitatem, totus tamen sermo patebit.

Augustinus de quaest. Evang. vel aliter totum. His verbis typice docet fiduciam praedicandi, ne quis timore carnalium incommodorum lucem scientiae abscondat; vasis enim et lecti nomine carnem, lucernae autem vocabulo verbum designat; quod ob metum carnalium incommodorum occultat qui ipsam carnem praeponit manifestationi veritatis, et ea quasi operit verbum qui praedicare trepidat. Supra candelabrum autem ponit lucernam qui corpus suum ministerio dei subicit, ut superior sit praedicatio veritatis, et inferior servitus corporis.

Origenes de serm. dom. Sed et qui vult adaptare lucernam perfectioribus Christi discipulis persuadebit nobis per ea quae dicta sunt de iohanne, quoniam ipse erat lucerna ardens et lucens. Non decet ergo eum qui lucernam rationalem accendit in anima, abscondere eam sub lecto ubi quis requiescit, nec sub aliquo alio vase: quia qui facit hoc, non providet intrantibus domum, quibus lucerna paratur: sed oportet superponere candelabro, idest omni ecclesiae.

Chrysostomus in Matthaeum. hoc autem dicens, inducit eos ad vitae diligentiam, docens eos strenuos esse quasi expositos aspectibus omnium, ac pugnantes in mundo quasi in teatro; quasi dicat: ne consideretis quod manemus in modica parte mundi; eritis enim omnibus noti: quia tantam virtutem impossibile est latere.

Maximus. vel forsitan seipsum appellat dominus lucernam radiantem cunctis habitantibus domum, idest mundum, cum sit naturaliter deus, et factus dispensative caro; et sic quasi lux ad instar lucernae retinetur in testa carnis per mediam animam, sicut per lychnum ignis in testa lucernae. vocat autem candelabrum ecclesiam, supra quam verbum divinum effulgens, quasi quamdam domum illuminat radiis veritatis. dixit autem similitudinarie vas aut lectum, corporalem cultum legis, sub quo contineri non vult.

Beda. Instante autem nos dominus docet verbo auscultare, ut et nostro illud pectore continue ruminare, et alieno eructare sufficiamus auditui; unde sequitur videte ergo quid audiatis. Qui enim habet, dabitur illi; et quicumque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo. Quasi dicat: tota intentione verbo quod auditis operam date: quia qui amorem habet verbi, dabitur illi et sensus intelligendi quod amat: at qui verbi audiendi amorem non habet, etsi vel naturali ingenio, vel litterario callere se putaverit exercitio, nulla sapientiae dulcedine gaudebit. saepe enim desidiosus ingenium accipit, ut de negligentia iustius puniatur; quia quod sine labore assequi potuit, scire contemnit; et nonnunquam studiosus tarditate intelligentiae premitur, ut eo maiora praemia retributionis inveniat, quo magis studio inventionis elaborat.

LUCA 8,19-21

9819 (Lc 8,19-21)

Titus. Derelictis cognatis carnalibus, dominus insistebat doctrinae paterna. quia vero desiderabatur propter absentiam, accedunt ad eum: unde dicitur venerunt autem ad illum mater et fratres eius, et non poterant adire eum prae turba. Si audiveris de fratribus domini, addisce pietatem, et intellige gratiam: nullus enim secundum divinitatem salvatoris frater est, unigenitus enim est; sed pietatis gratia communicavit nobis in carne et sanguine, et factus est frater noster, cum esset naturaliter deus.

Beda. Fratres tamen domini secundum carnem dicuntur non filii beatae mariae genitricis dei, secundum

elvidium, nec filii ioseph de alia uxore secundum quosdam putandi sunt; sed eorum potius intelligendi sunt esse cognati. titus. Putabant autem fratres eius quod cum eorum audiret praesentiam, dimitteret populum, reveritus maternum nomen, et flexus amore materno; unde sequitur et nuntiatum est illi: mater tua et fratres tui foris stant, volentes te videre.

Chrysostomus in Matthaëum. Considera quale erat, astante ei toto populo, et ab ore eius pendente, iam inchoata doctrina, eum foras extrahere. Ob hoc dominus quasi increpando respondit; sequitur enim qui respondens dixit ad eos: mater mea et fratres mei hi sunt qui verbum dei audiunt et faciunt.

Ambrosius. moralis magister, qui de se ceteris praebet exemplum, praescripturus ceteris quoniam qui non reliquerit patrem aut matrem suam, non est filio dei dignus, sententiae huic ipse primus se subicit: non quod maternae refutet pietatis obsequia: ipsius enim praeceptum est: qui non honorificaverit patrem et matrem, morte moriatur; sed quia paternis se mysteriis amplius quam maternis affectibus debere cognoscit. Neque tamen iniuriose refutantur parentes; sed religiosiores copulae mentium docentur esse quam corporum. Ergo hic non, ut quidam haeretici tendiculas aucupantur, mater negatur, quae etiam de cruce agnoscitur; sed necessitudini corporali praescriptorum caelestium forma praefertur.

Beda. hi igitur qui verbum dei audiunt et faciunt, mater domini vocantur, eo quod illum quotidie suo exemplo vel dicto quasi parturiunt in cordibus proximorum; fratres quoque sunt eius, cum et ipsi faciant voluntatem patris eius qui in caelis est.

Chrysostomus in Matthaëum. non autem hoc dixit increpando matrem, sed eam plurimum adiuvando. nam si erga ceteros sollicitus erat, ut generaret eis de se debitam opinionem, multo magis erga matrem: non autem elevasset eam ad illa fastigia, si semper expectaret honorari ab eo tamquam a filio, non autem eum dominum reputaret.

Theophylactus. Quidam vero hoc sic intelligunt, quod Christo docente quidam invidentes, subsannantes eum super doctrina eius, dixerunt mater tua, et fratres tui stant foris volentes te videre: tamquam propter hoc ignobilem eum demonstrarent: et ideo qui mentem eorum cognovit, sic eis respondit, quoniam non nocet vilis consanguinitas; sed si ignobilis quis existat, audiat autem verbum dei, ipsum consanguineum reputat. Quia tamen audire solum neminem salvat, sed magis condemnat, subiungit et faciunt: decet enim audire, et facere. Verbum autem dei dicit suam doctrinam: quaecumque enim ipse dicebat, patris erant.

Ambrosius. mystice autem non debuit foris stare qui Christum quaerebat; unde et ille ait: accedite ad eum, et illuminamini. si enim foris stant, nec ipsi agnoscuntur parentes; et propter nostrum fortasse non agnoscuntur exemplum, quemadmodum nos non agnoscimur si foris stemus. Illud quoque intelligere non abhorret, quia per figuram parentum demonstrat iudaeos, ex quibus est Christus secundum carnem, ecclesiamque synagogae credidit praefendam.

Beda. Intus enim eo docente venientes intrare nequeunt, cuius spiritualiter intelligere dicta negligunt. Praeoccupans autem turba intravit in domum; quia diferente iudaea, gentilitas confluit ad Christum. Foris autem stantes volunt Christum videre, qui spiritualem in lege sensum non quaerentes, sese ad custodiam litterae foris fixerunt; et quasi Christum potius ad docenda carnalia cogunt exire, quam se ad discenda spiritualia consentiunt intrare.

LUCA 8,22-25

9822 (Lc 8,22-25)

Cyrillus. Quia discipuli omnes beneficiatos a Christo videbant, decebat etiam ipsos sensim in beneficiis Christi delectari: non enim similiter quis considerat quae fiunt in alienis corporibus ut in suo: et ideo dominus discipulos et mari et ventis exposuit; unde dicitur factum est autem in una dierum, et ipse ascendit in unam naviculam, et discipuli eius; et ait ad illos: transfretemus trans stagnum. Et ascenderunt.

Chrysostomus in Matthaëum. vitans quidem lucas quaestionem quae sibi fieri posset de temporum ordine, dicit eum in una dierum intrasse naviculam.

Cyrillus. Si autem vigilante domino accidisset tempestas, vel non timuissent discipuli, vel non exhorruissent, vel non credidissent eum posse tale aliquid facere. Quapropter dormit, praestans tempus timori; sequitur enim navigantibus autem illis, obdormivit, et descendit procella venti in stagnum.

Ambrosius. supra habes quia pernoctabat in oratione; quomodo hic in tempestate dormit? sed exprimitur securitas potestatis; quomodo omnibus timentibus solus intrepidus quiescebat, sed quiescebat corporis somno cum intenderet divinitatis mysterio; nihil enim sine verbo fit.

Cyrillus. Cum magna autem dispensatione videtur esse peractum ne mox postquam tempestas invadere coepit naviculam, quaerent ab eo suffragium, sed postquam malum invaluit, ut manifestior fiat divinae maiestatis potestas; unde dicitur et compellebantur, et periclitabantur: quod quidem dominus permisit exercitationis gratia, ut cum confessi fuerint periculum, cognoscant miraculi magnitudinem. Unde postquam magnitudo periculi in intolerabilem metum eos urgebat, tamquam aliam spem non habentes salutis nisi solum ipsum dominum virtutum, eum excitaverunt. sequitur accedentes autem suscitaverunt eum, dicentes: praeceptor, perimus.

Augustinus de cons. Evang.. Matthaeus quidem dicit: domine, salva nos, perimus; marcus autem: magister, non ad te attinet quia perimus? eadem autem est sententia excitantium dominum, volentiumque salvari. Nec opus est quaerere quis horum potius Christo dictum sit: sive enim aliquid horum trium dixerint, sive alia verba quae nullus evangelistarum commemoravit, tantumdem autem valentia, quid ad rem interest? quamquam etiam hoc fieri potuerit ut, pluribus eum excitantibus, omnia haec, aliud autem ab alio diceretur.

Cyrillus. non autem erat possibile eos perire existente cum eis omnipotente: unde illico surgit Christus, qui habet omnium potestatem, et sedat confestim procellam et ventorum impetum. Et cessavit tempestas, et facta est tranquillitas: in quo ostendit se deum esse, cui dicitur: tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum eius tu mitigas.

Beda. Sic igitur in hac navigatione dominus utramque unius eiusdemque personae naturam ostendit, dum is qui ut homo dormit in navi, furorem maris ut deus verbo coercescit.

Cyrillus. Simul autem cum tempestate aquarum solvit tempestatem animarum; unde sequitur dixit autem illis: ubi est fides vestra? in quo verbo ostendit quod timorem non facit tentationum inductio, sed imbecillitas mentis. Sicut enim aurum probatur in igne, sic in tentationibus fides.

Augustinus de cons. Evang.. hoc autem ab aliis evangelistis aliis verbis dictum est. Matthaeus enim dicit eum dixisse: quid timidi estis modicae fidei? marcus autem dicit: quid timidi estis? necdum habetis fidem? idest illam perfectam velut granum sinapis. Hoc ergo et ille ait: modicae fidei; lucas autem: ubi est fides vestra? et totum quidem dici potuit: quid timidi estis? ubi est fides vestra? modicae fidei? unde aliud hic, aliud ille commemorat.

Ambrosius. Pacata igitur tempestate ad imperium Christi, discipuli stupefacti miraculo, susurrabant ad invicem; unde sequitur qui timentes, mirati sunt, ad invicem dicentes: quis, putas, hic est, quia et ventis imperat et mari, et obediunt? non autem discipuli, ut ignorantes eum, hoc dixerunt ad invicem; noverant enim eum deum esse, et filium dei iesum: admirantur autem innatae potestatis abundantiam, et divinitatis gloriam; quamvis similis nobis esset et visibilis secundum carnem; unde dicunt quis est hic? idest qualis et quantus, et in quanta virtute et maiestate? imperiosum enim est opus, dominativum praeceptum, non servilis petitio.

Beda. Vel non discipuli, sed nautae et alii mirantur qui in navi erant. Allegorice autem mare vel stagnum tenebrosus est et amarus mundi aestus. Navicula arbor crucis, cuius beneficio fideles adiuti, emensis mundi fluctibus, obtinent littus patriae caelestis.

Ambrosius. Itaque dominus, qui se intelligit propter divinum in terras mysterium venisse, relictis parentibus navem ascendit.

Beda. Ascendunt autem et discipuli admoniti cum eo; unde ipse ait: si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam et sequatur me. Discipulis navigantibus, idest fidelibus saeculum calcantibus, et futuri saeculi animo quietem meditantibus, et per sancti spiritus flatum, vel etiam proprii remigii conatum, infidos mundi fastus certatim post terga iactantibus, subito obdormivit dominus; idest, advenit tempus dominicae passionis; et descendit procella, quia domino somnum mortis in cruce subeunte, fluctus persecutionum daemoniacis flatibus exsurgunt. Fluctibus autem non domini patientia turbatur, sed discipulorum imbecillitas concutitur et trepidat: qui suscitavit dominum ne eo dormiente pereant: quia cuius mortem viderant, resurrectionem optant: quae si differetur, ipsi in perpetuum perirent. unde surgens increpat ventum: quia celeri resurrectione per mortem destruit superbiam diaboli, qui habebat imperium mortis. Tempestatem autem aquae facit cessare, quia rabiem iudaeorum morti eius insultantium resurgens

labefacit.

Ambrosius. Et advertas, sine tentatione neminem posse ex hoc vitae curriculo demigrare, quia exercitium fidei tentatio est. Subiecti igitur sumus nequitiæ spiritualis procellis; sed quasi pervigiles nautæ gubernatorem excitemus, qui non serviat, sed imperet ventis; qui etsi iam non dormiat sui corporis somno, caveamus tamen ne nostri corporis somno nobis dormiat, et quiescat. Bene autem arguuntur qui praesente Christo timebant, cum utique ibi aderat qui perire non posset.

Beda. Cui simile est quod post mortem discipulis apparens exprobravit incredulitatem eorum: et sic tumidis gurgitibus sedatis, patefecit cunctis potentiam suae divinitatis.

LUCA 8,26-39

9826 (Lc 8,26-39)

Chrysostomus. Salvator navigando una cum discipulis ad portum pervenit; unde dicitur et navigaverunt ad regionem gerazenorum, quae est contra galilaeam. Titus. veraciora exemplaria nec gerazenorum habent, nec gadarorum, sed gergezinorum; est enim gadara civitas in iudaea, stagnum autem vel mare nullatenus invenitur in ea; sed geraza civitas arabiae est, nec stagnum, nec mare iuxta habens. Est autem gergeza, a qua gergezaei, urbs antiqua iuxta tiberiacum stagnum, circa quam est rupes stagno vicina, in quod ostenditur deiectos fuisse porcos a daemonibus. Quia tamen geraza et gedara confinium habent cum terra gergezinorum, verisimile est inde ad horum terram porcos fuisse adductos.

Beda. Geraza enim urbs est insignis arabiae trans iordanem iuncta monti galaad, quam tenuit tribus manasse, non longe a stagno tiberiadis, in quo porci praecipitati sunt.

Chrysostomus in Matthaëum. cum autem dominus descendisset a mari, occurrit ei aliud terribilius miraculum: nam daemonicus, tamquam servus videns dominum, servitatem confitetur; unde sequitur et cum egressus esset ad terram, occurrit illi vir quidam qui daemonium habebat iam temporibus multis.

Augustinus de cons. Evang.. quod Matthaëus duos dicit fuisse daemonicos, marcus autem et lucas unum commemorant, intelligas unum eorum fuisse personae alicuius clarioris et famosioris, quem regio illa maxime dolebat, et pro cuius salute plurimum satagebat. hoc volentes significare duo evangelistae, solum commemorandum iudicaverunt de quo facti huius fama latius praeclariusque fragraverat.

Chrysostomus in Matthaëum. vel lucas elegit ex illis duobus eum qui saevior erat: unde flebiliter narrat eius infortunium, cum subdit et vestimentis non induebatur, neque in domo manebat, sed in monumentis. visitant autem daemones mortuorum sepulchra, volentes imbuere homines periculosa doctrina, quod scilicet mortuorum animae daemones fiunt.

Cyrillus. quod autem nudus petebat defunctorum sepulchra, daemonicæ ferocitatis erat indicium. permittit autem quosdam dispensative deus subesse daemonibus, ut nos perpendamus per eos quales sunt daemones erga nos, ut renuamus eis subici velle; et sic uno patiente aedificantur quamplures.

Chrysostomus. quia vero hominem eum populi fatebantur, accesserunt daemones divinitatem praedicantes ipsius, quam etiam mare sua tranquillitate clamaverat; unde sequitur is ut vidit iesum, procidit ante illum, et exclamavit voce magna, et dixit.

Cyrillus. Attendas hic timorem annexum audaciae et desperationi multae; signum enim diabolicæ desperationis est in audendo dicere quid mihi et tibi est, iesu fili dei altissimi? timoris vero cum precatur obsecro te, ne me torqueas. sed si nosti eum esse filium dei altissimi, fateris eum deum caeli et terrae, et eorum quae continentur in eis. Qualiter igitur non tua, immo sua usurpas, et dicis quid mihi et tibi? quis autem principum terrenorum omnino sustinebit a barbaris lacessiri suo subiectos imperio? unde sequitur praecipiebat enim spiritui immundo ut exiret ab homine; et necessitatem praecepti ostendit subdens multis enim temporibus arripiebat illum; et vinciebatur catenis et compedibus custoditus; et ruptis vinculis agebatur a daemonio in deserta.

Chrysostomus. Unde, quia nemo audebat daemonicum tenere, ipse Christus ad eum vadit, alloquens ipsum. sequitur interrogavit autem illum iesus, dicens: quod tibi nomen est? non velut inscius nomen inquit, sed ut confessa peste quam tolerabat, virtus curantis gratior emicaret.

Beda. Sed et nostri temporis sacerdotes qui per exorcismi gratiam daemones eicere norunt, solent dicere, patientes non aliter valere curari, nisi omne quod ab immundis spiritibus vigilantes dormientesve pertulerint, confitendo patenter exponant; et maxime quando corporis humani concubitus petere se ac patrare confingunt; unde et hic confessio subditur: at ille dixit: legio; quia intraverant daemones multa in eum.

Gregorius nyssenus. Imitantes quidam daemones supernas militias et legiones angelicas, dicunt se legionem, sicut et eorum princeps dicit se positurum thronum super astra, ut fiat altissimo similis.

Chrysostomus. Postquam autem dominus supervenerat daemonibus creaturam dei perturbantibus, putabant eum propter excessum eorum quae fiebant non expectare tempus supplicii: et quia culpam diffiteri non poterant, instant ne cito sustineant poenam; unde sequitur et rogaverunt illum ne imperaret illis ut in abyssum irent.

Theophylactus. quod quidem postulant daemones volentes adhuc cum hominibus conversari.

Cyrillus. Hic autem palam est quod aemulae catervae maiestatis divinae, ineffabili potentia salvatoris detrudebantur ad inferna.

Maximus. Statuit autem deus unicuique peccatorum consonam poenam; gehennam ignis propter carnis incendium, stridorem dentium propter risum lascivum, intolerabilem sitim propter voluptatem et crapulam, pervigilem vermem propter obliquum et malignum cor, caliginem perpetuam propter ignorantiam et fallaciam, lymbum abyssi propter superbiam: unde daemonibus tamquam superbis abyssus delegatur. sequitur erat autem ibi grex multorum porcorum pascentium in monte.

Augustinus de cons. Evang.. quod marcus dixit circa montem fuisse gregem porcorum, lucas autem in monte, non repugnat: grex enim porcorum tam magnus fuit, ut aliquid eius esset in monte, aliquid circa montem: erant enim duo millia porcorum, sicut marcus expressit.

Ambrosius. Daemones autem caelestis luminis claritatem sustinere non poterant, ut qui oculos dolent, radios solis ferre non possunt.

Cyrillus. Et ideo turba immundorum spirituum petit mitti in conformem sibi gregem immundorum porcorum. sequitur et rogabant eum ut permitteret eis in illos ingredi.

Athanasius in vita antonii. Quod si super porcos potestatem non habent, multo magis nullum habent dominium contra homines factos ad imaginem dei. Oportet ergo deum solum timere, contemnere autem illos.

Cyrillus. Dominus autem concessit eis potestatem, ut hoc inter cetera fiat nobis causa salutis, et roboris spes. sequitur et permisit illos. Considerare ergo oportet, quod daemones pravi sunt, et hostiles his qui eis sunt subditi; ut potest patere ex eo quod praecipitaverunt et suffocaverunt porcos in aquis; unde sequitur exierunt ergo daemones ab homine, et intraverunt in porcos, et impetu abiit grex per praeceptum in stagnum, et suffocatus est. Et ideo concessit eis Christus petentibus, ut ex eventu appareat quam sint crudeles. Erat etiam necessarium ostendere filium dei providentiam rerum habere non minus quam pater, ut aequalitatis decor in utroque appareat. Titus. fugam autem pastores arripiunt, ne cum porcis perirent; unde sequitur quod ut viderunt factum, qui pascebant fugerunt et nuntiaverunt in civitatem et in villas: et huiusmodi terrorem civibus intulerunt. duxit autem eos ad salvatorem damni necessitas. sequitur exierunt autem videre quod factum est, et venerunt ad iesum. Ubi considera, quod dum deus homines punit in rebus, confert beneficium animabus. cum autem profecti essent, viderunt sanum eum qui iugiter vexabatur. sequitur et invenerunt hominem sedentem, a quo daemones exierant, vestitum, qui antea continuo nudus erat, ac sana mente ad pedes eius: non enim discedit a pedibus, a quibus est nactus salutem: et sic agnoscentes signum, mirati sunt passionis remedium, et obstupuerunt in facto. sequitur et timuerunt. Hoc autem factum partim visu comperiunt, partim verbis audiverant. sequitur nuntiaverunt autem illis qui viderant quomodo sanus factus esset a legione. Oportebat autem eos supplicare domino ne inde recederet, sed custos esset regionis, ne daemones haberent accessum ad eos; sed prae timore propriam salutem amiserunt, rogantes salvatorem recedere. sequitur et rogaverunt illum omnis multitudo regionis gerazentorum, ut discederet ab ipsis, quia timore magno tenebantur.

Theophylactus. Timebant enim ne iterum damnum aliquod paterentur, sicut passi fuerant in submersione porcorum.

Chrysostomus. Attendas autem Christi humilitatem: postquam enim collatis a se talibus beneficiis

emittebant eum, non obstat, sed discedit, eos qui se ipsos indignos sua doctrina promulgaverant relinquens. sequitur ipse autem, ascendens navim, reversus est. Titus. Sed eo discedente, ille qui passus fuerat, a salvatore non discedit. sequitur et rogabat illum vir a quo daemonia exierant, ut cum eo esset.

Theophylactus. Nam, sicut expertus, timebat ne forte elongatus a iesu, rursus daemonibus esset paratus. Dominus autem ostendit ei quod quamvis non sit cum eo praesentialiter, tamen potest eum gratia sua protegere; sequitur enim dimisit autem eum iesus, dicens: redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit deus. Non autem dixit: quanta tibi feci ego; formam praebens humilitatis, ut rectitudines nostras referamus in deum. titus. Nec tamen praevaricatur in lege veritatis; quidquid enim filius operatur, pater operatur. Cur autem qui ubique omnes liberatos monebat nulli dicere, huic liberato a legione dicit narra quanta tibi fecit deus? quia scilicet tota regio illa deum ignorabat, irretita cultibus daemonum. vel verius, quandoquidem ad patrem retorquet miraculum, dicit narra; cum vero loquitur de seipso, monet nulli dicere. Ille autem qui liberatus est a daemonibus, noverat deum esse iesum, et ideo praedicavit quanta fecit illi iesus; sequitur enim et abiit per universam civitatem praedicans quanta illi fecit iesus.

Chrysostomus. Et sic illos qui se indignos sua doctrina promulgaverant derelinquens, statuit eis eum in magistrum qui fuerat a daemonibus liberatus.

Beda. Mystice autem geraza significat nationem gentium, quas post passionem et resurrectionem suam dominus per praedicores visitavit; unde geraza vel gergesi, ut quidam legunt, interpretatur colonum eiciens, idest diabolium, a quo prius incolebatur; vel advena propinquans, qui prius longe erat.

Ambrosius. licet autem discordet numerus curatorum a Christo secundum lucam et Matthaem, tamen concordat mysterium: ut enim iste qui habebat daemonium, populi gentilis est figura, duo quoque illi similiter figuram populi gentilis accipiunt: quoniam cum tres filios noe generavit, sem, cham et iaphet, sem tantummodo familia in possessionem ascita est dei: ex duobus illis diversarum nationum populi pullularunt. Qui multis, inquit, temporibus habebat daemonium, utpote qui a diluvio usque ad adventum domini vexabatur. Nudus autem erat, quia tegumentum naturae suae et virtutis amisit.

Augustinus de quaest. Evang.. in domo non habitabat; hoc est, in conscientia sua non requiescebat: in monumentis manebat; idest in mortuis operibus, hoc est peccatis, delectabatur.

Ambrosius. vel quid sunt corpora perfidorum nisi quaedam sepulchra in quibus dei verba non habitant?
Augustinus de quaest. Evang.. Quod autem compedibus ferreis et catenis ligabatur, significat graves et duras leges gentium, quibus etiam in eorum republica peccata cohibentur: quod autem vinculis talibus diruptis agebatur a daemonio in desertum, significat quod etiam ipsis transgressis legibus ad ea scelera cupiditate ducebatur quae iam vulgarem consuetudinem excederent, quod vero in eo legio daemonum erat, significatae sunt gentes, quae multis daemonibus serviebant; quod in porcos pascentes in montibus daemonia ire concessa sunt, significat etiam immundos et superbos homines, quibus daemonia dominantur propter idolorum cultus.

Ambrosius. Porci enim hi sunt qui immundorum usu animalium, vocis et rationis expertes, lutulentis vitae suae actibus naturalium coinquinaverunt ornamenta virtutum.

Augustinus. Quod autem in stagnum praecipitati sunt, significat quod iam clarificatur ecclesia, et liberato populo gentium a dominatione daemoniorum, in abditis agunt sacrilegos ritus suos qui Christo credere noluerunt, caeca et profunda curiositate submersi.

Ambrosius. Impetu autem feruntur in praecepta, quoniam nullius meriti contemplatione revocantur; sed tamquam de superioribus ad inferiora per improbitatis proclive detrusi, inter fluentia mundi huius intercluso pereunt spiritus commeatu. Neque enim in his qui fluido aestu voluptatis huc atque illuc feruntur, illius spiritus potest esse vitale commercium. videmus igitur quia homo ipse suae est auctor aerumnae: nam nisi quis porci more vixisset, numquam accepisset in eum diabolus potestatem; aut si accepisset, non ut perderet, sed ut probaret: et fortasse diabolus, quia post domini adventum bonos iam depraedari non poterat, non omnium hominum, sed levium quaerit interitum; ut latro non armatis, sed insidiatur inermibus. Viderunt hoc magistri gregum, et fugerunt: neque enim vel philosophiae professores vel principes synagogae pereuntibus populis possunt ferre medicinam: solus est Christus qui aufert peccata populorum.

Augustinus. vel quod porcorum pastores fugientes ista nuntiaverunt, significat quosdam primates impiorum, quamquam Christianam legem fugientes, potentiam tamen eius pergentes stupendo et mirando praedicare. quod autem gerazeni cognoscentes quod factum est, rogant iesum ut ab eis discederet, magno timore perculsi, significat magnitudinem vetusta suavitate delectatam, honorare quidem, sed nolle pati Christianam legem, dum dicunt quod eam implere non possunt; admirantes tamen fidelem populum a

pristina perdita conversatione sanatum.

Ambrosius. vel in gerazenorum civitate species synagogae videtur existere: qui rogabant ut discederet, quia timore magno tenebantur; infirma enim mens non capit dei verbum, nec potest pondus sustinere sapientiae. Et ideo diutius molestus non fuit, sed ascendit ab inferioribus ad superiora, a synagoga scilicet ad ecclesiam: et regressus est per stagnum: nemo enim de ecclesia ad synagogam sine periculo transit salutis; sed ille qui de synagoga ad ecclesiam transire desiderat, crucem suam tollat, ut discrimen evadat.

Augustinus. quod autem ille sanatus cupit iam esse cum Christo, et dicitur ei redi in domum tuam, et narra quanta tibi fecit deus: sic intelligitur, ut sic quisquis intelligat post remissionem peccatorum redeundum sibi in conscientiam bonam sicut in domum, et serviendum evangelio propter aliorum salutem, ut deinde cum Christo requiescat: ne cum praepropere vult esse cum Christo, negligat ministerium praedicationis fraternae redemptioni accommodatum.

LUCA 8,40-48

9840 (Lc 8,40-48)

Augustinus de cons. Evang.. post narratum apud gerazenos miraculum, transit ad narrandum, de archisynagogi filia, dicens factum est autem cum rediisset iesus, excepit illum turba: erant enim omnes expectantes eum.

Theophylactus. simul quidem propter doctrinam, et propter miracula.

Augustinus. quod vero adiungit et ecce venit vir cui nomen iairus, non continue factum accipiendum est, sed prius illud de convivio publicanorum, sicut narrat Matthaeus; cui rei sic coniungit hoc ut non possit aliud factum consequenter intelligi. titus. Est autem positum nomen, iudaeorum causa, qui tunc noverunt quod accidit, ut nomen demonstratio miraculi fiat. Accessit autem non aliquis infirmorum, sed princeps synagogae, ut magis obturarentur iudaeorum ora; unde sequitur et ipse princeps synagogae erat. Accessit autem ad Christum causa necessitatis: urget enim aliquando dolor ad agendum ea quae decent, secundum illud: in camo et freno maxillas eorum constringe qui non approximant ad te.

Theophylactus. unde necessitate instante cecidit ad pedes eius; sequitur enim et cecidit ad pedes iesu. Decebat autem ut absque necessitate cogente caderet ad pedes eius, et cognosceret ipsum deum esse.

Chrysostomus. sed considera eius inertiam: quaerit enim a Christo ut in domum veniat; sequitur enim rogans eum ut intraret in domum eius; ignorans scilicet quod absens poterat liberare: nam si scivisset, dixisset sicut centurio: dic verbo, et curabitur filia mea.

Graecus. Causa autem adventus eius ponitur, cum subditur quia unica filia erat illi, domus fundamentum, successio generis, fere annorum duodecim, in ipso scilicet flore aetatis; et haec moriebatur, pro thalamis efferenda ad tumulum.

Chrysostomus. Advenerat autem dominus, non ut iudicaret mundum, sed ut salvaret: quapropter non examinat dignitatem petentis, sed aequanimiter arripit opus, sciens quod maius erat futurum eo quod quaerebatur: vocabatur autem ad remedium aegrotantis; novit autem se suscitaturum iam mortuam, et inserturum terrenis firmam spem resurrectionis.

Ambrosius. Suscitaturus autem mortuam, ad faciendum fidem, haemorrhoidis ante curavit; sicut et resurrectio temporalis in passione domini celebratur, ut perpetua illa credatur. et contigit dum iret, a turba comprimebatur.

Cyryllus. Quod maximum erat indicium quod veram carnem induerat, et omnem conculcasset superbiam: neque enim a longe sequebantur, sed eum circumdabant.

Graecus. Quaedam autem mulier gravi morbo detenta, ob cuius infirmitatis curam medici omnes divitias consumpserant, solam spem in tanta diffidentia reperit ut procideret domino; de qua sequitur et mulier quae erat in fluxu sanguinis ab annis duodecim, quae in medicos erogaverat omnem substantiam suam, nec ab ullo potuit curari, accessit retro. Titus. Qualiter autem non est digna praeconio haec mulier, quae viribus extinctis corporeis ob continuum sanguinis fluxum, et tanto populo concurrente circa illum, affectu roborata et fide petierat populum, et retro latens tetigerat fimbriam vestimenti? sequitur tetigit fimbriam vestimenti

eius.

Cyrillus. Neque enim licebat immundis vel tangere quemquam sanctorum, vel appropinquare viro sancto.

Chrysostomus in Matthaëum. Ritu autem legis huiusmodi passio reputabatur immunditia magna. Aliter etiam: nondum enim nec ipsa habebat dignam opinionem de eo; non enim putavisset latere; sed tamen confisa de sanitate accedit.

Theophylactus. sicut autem cum aliquis oculum lucernae lucenti adhibet, aut igni spinas, statim operationem illorum experitur; sic quidem qui fidem affert potenti curare, statim curationem consequitur. Et confestim stetit fluxus sanguinis eius.

Chrysostomus. Non autem sola vestimenta ipsius mulierem salvarunt; nam et milites sortiti sunt ea inter se; sed fidei eius intentio.

Theophylactus. Credidit enim, et salvata est; et, ut congruum fuit, primo tetigit Christum intellectualiter, deinde corporaliter.

Graecus. Audivit autem dominus tacitas mulieris considerationes, et tacens liberavit tacentem, passus sua sponte sanitatis rapinam; sed postea miraculum publicat; unde sequitur et ait iesus: quis est qui me tetigit?

Cyrillus. non enim latuit dominum perpetratum miraculum; sed qui cuncta cognoscit, quasi nesciret interrogat.

Graecus. Nescientibus autem discipulis quod quaerebatur, sed putantibus de simplici quodam tactu dicere, domini quaestioni respondent; sequitur enim negantibus autem omnibus, dixit petrus, et qui cum illo erant: praeceptor, turbae te comprimunt et affligunt, et dicis: quis me tetigit? et ideo dominus tactum sua responsione distinguit; sequitur enim et dixit illis iesus: tetigit me aliquis; sicut etiam dicebat: qui habet aures audiendi, audiat; quamvis omnes habeant huiusmodi corporalem auditum, sed non est vere audire, si audiatur incaute, nec vere tangere, si infideliter tangatur.

Cyrillus. propalat autem consequenter quod factum est, cum subditur nam et ego novi virtutem de me exiisse. Materialius respondet secundum opinionem audientium; hic tamen nobis manifestatur quod ipse verus est deus, et ex eo quod prodigialiter factum est, et etiam ex sermonibus: transcendit enim naturam nostram, et forsitan angelicam, posse quemquam virtutem emittere quasi a propria natura; convenit autem hoc soli supremae naturae: nulla namque creaturarum aliquam gerit salvandi potestatem, vel etiam aliqua alia, scilicet miracula, faciendi, sed divinitus praestitam. non autem ambitione gloriae non dimisit latere divinae virtutis ostensionem qui multoties praeceperat taceri sua miracula: sed quia spectabat ad utilitatem eorum qui vocabantur per fidem ad gratiam.

Chrysostomus in Matthaëum. primo enim solvit femineum metum, ne remorsum conscientiae pateretur quasi surripiens gratiam; secundo corrigit eam, quia latere putaverat; tertio fidem eius exprimit cunctis, ut et alii imitentur: proditque non minus miraculum retentione sanguinis, dum ostendit sibi cuncta patere.

Cyrillus. Insuper principem synagogae persuadebat indubitabiliter credere quod a laqueis mortis eripiet filiam eius.

Chrysostomus. Ob hoc autem dominus non statim eam manifestaverat, ut ostenso quod omnia sibi liquent, faciat mulierem praedicare quod factum est, ut suspicione miraculum careat; unde sequitur videns autem mulier quia non latuit eum, tremens venit et procidit ante pedes eius, et ob quam causam tetigit eum, indicavit coram omni populo, et quemadmodum confestim sanata sit.

Origenes. eamdem autem sanitatem quam nacta est mulier ex contactu, verbis confirmavit salvator; unde sequitur at ipse dixit illi: filia, fides tua te salvam fecit; vade in pace: idest esto sana a tuo flagello: et sanat quidem primo per fidem animam, deinde vero corpus. Titus. Vocat autem filiam iam fidei causa sanata; fides enim gratiam adoptionis impendit.

Eusebius eccl. Hist.. Dicunt autem hanc mulierem in paneade, quae est caesarea philippi, unde fuit oriunda, statuisse triumphos insignes collati sibi beneficii a salvatore: stabat namque super altam basim ad limina domus eius aeneum simulacrum mulieris flexis genibus manibusque iunctis, quasi precaretur; ex cuius opposito aliud erectum simulacrum ad instar viri, eiusdemque materiae, amictum diploide, et manum versus mulierem extendens; ante cuius pedes super ipsam basim aliena species plantae orta, quae usque ad aeneae diploidis oras pertingens, medicina omnium passionum esse ferebatur. hanc autem statuum dicebant repraesentare Christum, quam maximus destruxit.

Ambrosius. Mystice autem reliquerat in gerazenis synagogam Christus, et quem sui non receperant, recipiunt alieni.

Beda. vel in fine saeculi dominus est ad iudaeos rediturus, atque ab eis per fidei confessionem libenter excipiendus.

Ambrosius. quem autem putamus synagogae principem esse nisi legem, cuius contemplatione dominus synagogam non penitus dereliquerit? **Beda.** Vel princeps synagogae moyses intelligitur: unde bene iairus, idest illuminans vel illuminatus, vocatur: quia qui accipit verba vitae dare nobis, et per hoc ceteros illuminat, ipse a spiritu sancto illuminatur. Cecidit autem archisynagogus ad pedes iesu, quia legislator cum tota patrum progenie Christum in carne apparentem longe sibi praeferendum esse cognovit. Si enim caput Christi deus, convenienter pedes accipiendi sunt incarnatio, qua terram nostrae mortalitatis tetigit. Rogavit autem intrare in domum eius, quia eius videre desiderabat adventum. filia autem unica eius est synagoga, quae sola legali est institutione composita; quae duodecimo aetatis anno, hoc est tempore pubertatis appropinquante, moriebatur; quia nobiliter a prophetis educata, postquam ad intelligibiles annos pervenerat, in quibus spirituales Deo fructus gignere debebat, subito errorum languore consternata, spiritualis vitae viam amisit: et si Christus non succurreret, corruisset in mortem. Ad puellam autem sanandam pergens dominus a turba comprimitur, quia genti iudaeae salutaria monita praebens, carnalium populorum est consuetudine gravatus.

Ambrosius. Ad hanc autem principis filiam dum properat dei verbum, ut salvos faceret filios israel, sancta ecclesia ex gentibus congregata, quae inferiorum lapsu criminum deperibat, paratam aliis fide praeripuit sanitatem.

Beda. dupliciter autem sanguinis fluxus potest intelligi; hoc est, et super idolatriae prostitutione, et super his quae carnis et sanguinis oblectatione patrantur.

Ambrosius. Quid autem sibi vult quod haec principis filia annorum duodecim moriebatur, et mulier ista fluxu sanguinis ab annis duodecim laboravit, nisi ut intelligatur quia quamdiu synagoga vixit, laboravit ecclesia? **Beda.** una enim pene saeculi aetate synagoga in patriarchis nasci coepit, et gentilium nationem idololatria foedavit.

Ambrosius. Sicut autem illa in medicos erogaverat omnem substantiam suam, ita congregatio gentium amiserat omnia dona naturae.

Beda. medicos autem intellige sive falsos theologos, sive philosophos, legumque doctores saecularium, qui multa de virtutibus vitiisque disserentes, utilia se vivendi instituta mortalibus dare promittebant; se ipsos immundos spiritus, qui velut hominibus consulendo, se pro Deo colendos ingerebant; quibus audiendis gentilitas quanto magis naturalis industriae vires expenderat, tanto minus potuit ab iniquitatis suae sorde curari.

Ambrosius. audiens autem aegrotare populum iudaeorum, sperare coepit salutis suae remedium; tempus venisse cognovit quo medicus adesset de caelo: surrexit ut occurreret fide promptior, pudore contractior: hoc enim est pudoris et fidei, agnoscere infirmitatem, non desperare veniam. verecunda ergo fimbriam tetigit, fidelis accessit, religiosa credidit, sapiens sanata se esse cognovit: sic sancta plebs gentium, quae Deo credidit, peccatum erubuit ut desereret, fidem detulit ut crederet, devotionem exhibuit ut rogaret, sapientiam induit ut sanitatem suam ipsa sentiret, fiduciam sumpsit ut fateretur quod praeripuisset alienum. Retro autem tangitur Christus, quia scriptum est: post dominum deum tuum ambulabis.

Beda. Et ipse ait: si quis mihi ministrat, me sequatur, sive quia praesentem in carne dominum non videns, vel quia peractis dispensationis sacramentis per fidem coepit vestigia eius subsequi.

Gregorius moralium. Premente autem turba, una redemptorem nostrum mulier tetigit: quia carnales quique in ecclesia eum comprimunt a quo longe sunt, et soli tangunt qui huic veraciter humiles adiunguntur. Turba igitur premit, et non tangit: quia et importuna est per praesentiam, et absens per vitam.

Beda. vel una credula mulier dominum tangit: quia qui diversis haeresibus inordinate affligitur, solo catholicae ecclesiae corde fideliter quaeritur.

Ambrosius. Non enim credunt qui comprimunt; credunt qui tangunt: fide tangitur Christus, fide videtur. denique ut fidem credentis exprimeret, dicit ego cognovi virtutem de me exiisse: quod est evidentius indicium quia non intra possibilitatem conditionis humanae atque intra corporis claustrum divinitas coarctata

est, sed ultra fines nostrae mediocritatis virtus exundat aeterna; non enim humana ope plebs gentium liberatur; sed dei munus est congregatio nationum, quae etiam brevi fide misericordiam inclinat aeternam. Nam si consideremus quanta sit fides nostra, et intelligamus quantus sit dei filius; videmus quia comparatione eius fimbriam tantummodo tangimus, superiora vero vestimenti eius nequimus attingere. Si igitur et nos curari volumus, fide tangamus fimbriam Christi. Non autem latet eum quicumque tetigerit. Beatus qui extremam partem verbi tetigerit; nam totum quis potest comprehendere?

LUCA 8,49-56

9849 (Lc 8,49-56)

Augustinus de cons. Evang.. sed cum Matthaeus archisynagogum non morituram filiam suam narret domino nuntiasse, sed omnino defunctam; lucas autem et marcus nondum mortuam, usque adeo ut dicant venisse postea qui mortuam nuntiarent; considerandum est ne repugnare videatur. Et intelligendum est, brevitatis hoc causa Matthaeum potius dicere voluisse, rogatum esse dominum ut faceret quod eum fecisse manifestum est, ut scilicet mortuam suscitarret. Attendit enim non verba patris de filia sua, sed, quod est potissimum, voluntatem. sane si alii duo vel quisquam eorum patrem commemorasset dixisse quod venientes de domo dixerunt, ut iam non vexaretur iesus, quia puella mortua fuisset; repugnarent eius cogitationi verba quae posuit Matthaeus: nunc vero illud nuntiantibus et prohibentibus ne magister veniret, non legitur quod ipse consenserit; unde dominus non diffidentem reprehendit, sed credentem robustius confirmavit; unde sequitur iesus autem audito hoc verbo respondit patri puellae: noli timere, sed crede tantum, et salva erit.

Athanasius. fidem dominus exigit ab invocantibus eum, non quia indiget adminiculo aliorum: ipse namque et dominus, et largitor est fidei: sed ne videretur ex acceptione personarum sua dona conferre, ostendit quod credentibus favet, ne sine fide accipiant beneficia, et ea per infidelitatem aboleant: vult enim benefaciens durare gratiam, et sanans inconcussum permanere remedium.

Theophylactus. Mortuam autem suscitaturus eiecit omnes, quasi nos docens absque inani gloria esse, et nihil ad demonstrationem facere; et quod cum quis debet miracula perpetrare, non decet ipsum esse in medio plurimorum, sed solitarium, et ab aliis separatum; unde sequitur et cum pervenisset ad domum, non permisit intrare secum quemquam nisi petrum et iohannem et iacobum et patrem et matrem puellae. Solos autem hos intromisit tamquam discipulorum vertices, et potentes miraculum occultare: non enim volebat ipsum ante tempus pluribus revelari, forte propter invidiam iudaeorum. sic et cum quis nobis invidet, non debemus iustitias nostras ei revelare, ne ei maioris invidiae occasio tribuatur.

Chrysostomus. ceteros autem discipulos non assumpsit, provocans eos ad appetitum maiorem, ob id quoque quod nondum erant plene dispositi, ut et alii istos imitentur. assumpsit etiam parentes in testes, ne quis dicere posset fallax esse resurrectionis indicium. Ad hoc etiam illud nota, quod deflentes exclusit a domo, et indignos ostendit huius visione; sequitur enim flebant enim omnes, et plangebant illam. Quod si tunc exclusit, multo magis nunc; tunc enim nondum patuerat in somnum mortem fuisse conversam. Nullus ergo de cetero se contemnat, iniuriam inferens Christi victoriae, qui superavit mortem, et eam in somnum convertit; ad cuius ostensionem subditur at ille dixit: noli flere; non est enim mortua puella, sed dormit: ostendens singula sibi fore in promptu, et quod eam vivificaret, quasi suscitarret a somno. Nihilominus tamen deridebant eum; sequitur enim et deridebant eum scientes quia mortua esset. Quos non obiurgavit, nec derisionem repressit, ut etiam derisio fiat mortis indicium; nam, quia ut plurimum post acta miracula homines perseverant increduli, verbis propriis eos praevenit. Ut autem quasi per visum disponeret ad resurrectionis fidem, tenet manum puellae; unde sequitur ipse autem tenens manum eius, clamavit dicens: puella, surge. Cumque tenuisset, suscitavit eam; unde sequitur et reversus est spiritus eius; et surrexit continuo: non enim infudit aliam animam, sed illam eandem quae expiraverat restituit; nec solummodo suscitavit, immo iubet etiam illam cibari; sequitur enim et iussit illi dare manducare: ne scilicet phantasticum esse videatur quod factum est: nec ipse propinat, sed aliis mandat; sicut et in lazaro dixit: solvite eum, ac deinde participem mensae fecit.

Graecus. Deinde stupefactos miraculo et pene clamantes parentes cohibet ne factum praedicent; sequitur enim et stupuerunt parentes eius; quibus praecepit ne alicui dicerent quod factum erat: ostendens quod largitor bonorum est, non autem cupidus gloriae, datque totum, nihil recipiens. Qui vero venatur operum gloriam, aliquid quidem exhibuit, aliquid vero recepit.

Beda. Mystice autem salvata a fluxu sanguinis muliere, mox filia principis mortua nuntiatur: quia dum ecclesia a vitiorum labe mundata est, continuo synagoga perfidia atque invidia soluta est: perfidia quidem,

quia in Christum credere noluit; invidia vero, quia ecclesiam credidisse doluit.

Ambrosius. Adhuc autem et servuli principis increduli erant ad resurrectionem, quam iesus in lege praedixit, in evangelio complevit; unde dicunt noli vexare illum: quasi sit sibi impossibile suscitare mortuam.

Beda. Vel per eos significantur qui adeo destitutum synagogae statum vident, ut restaurari posse non credant; ideoque pro suscitatione illius supplicandum esse non aestiment. Sed quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud deum: unde dominus ei dixit noli timere, crede tantum, et salva erit. Pater puellae coetus doctorum legis accipitur: qui si credere voluerit, etiam subiecta ei synagoga salva erit.

Ambrosius. Itaque cum venisset in domum, paucos futurae resurrectionis arbitros ascivit: non enim a multis continuo est credita resurrectio. quae tamen tantae diversitatis est causa? supra publice filius viduae suscitatur, hic remouentur plures arbitri. Sed puto quod pietas ibi domini declaratur, quia vidua mater unici filii non patiebatur moras. Est etiam forma sapientiae, in filio viduae cito ecclesiam credituram: in archisynagogi filia credituros quidem iudaeos, sed ex pluribus pauciores. Denique dicente domino non est mortua puella, sed dormit, deridebant eum: quicumque enim non credit, irridet. Fleant igitur mortuos suos, qui putant mortuos: ubi resurrectionis fides est, non mortis species, sed quietis est.

Beda. Synagoga etiam, quia sponsi laetitiam, qua vivere possit, amisit, quasi inter plangentes mortua iacens, nec hoc ipsum quare plangatur intelligitur.

Ambrosius. Tenens autem dominus manum puellae sanavit eam: beatus enim si cuius manus sapientia teneat, inducat in penetralia sua, iubeat manducare: panis enim caelestis est dei verbum: inde et illa sapientia, quae dei corporis et sanguinis altaria replevit alimentis. Venite, edite panes meos, et bibite vinum quod miscui vobis.

Beda. surrexit autem puella continuo, quia Christo manum confortante, homo a morte animae respiscit. Sunt enim nonnulli qui latente tantum cogitatione peccati sibi mortem consciscunt; sed tales se vivificare significans dominus, suscitavit filiam archisynagogi. alii vero ipsum malum quo delectantur agendo, mortuum suum quasi extra portas efferunt; et hos se suscitare demonstrans, suscitavit filium viduae extra portas civitatis. Quidam vero etiam peccati consuetudine se quasi sepeliendo corrumpunt; et ad hos etiam erigendos adest gratia salvatoris; ad quod intimandum resuscitavit lazarus quatuor dies in monumento habentem. Quanto autem gravior est mors animae, tanto acrior poenitentis fervor insistat. Unde iacentem in conclavi mortuam levi voce resuscitat; delatum foras iuvenem pluribus dictis corroborat; ad quatruiduanum vero suscitandum fremuit spiritu, lacrymas fudit, et voce magna clamavit. Sed et hic notandum, quod publica noxia publico egent remedio; levia peccata secreta queunt poenitentia deleri. Puella in domo iacens paucis arbitris resurgit; iuvenis extra domum turba multa comitante suscitatur; lazarus de monumento vocatus multis populis innotuit.

LUCA 9,1-6

9901 (Lc 9,1-6)

Cyrillus. Decebat institutos ministros sacrarum doctrinarum posse mira peragere, et per ipsos effectus credi quod essent dei ministri; unde dicitur convocatis autem iesus duodecim apostolis, dedit illis virtutem et potestatem super omnia daemona: in quo elevatum supercilium diaboli flectit, qui dicebat aliquando: non est qui contradicere valeat.

Eusebius. Et ut per eos venetur genus humanum, non solum dat eis ut pravos spiritus pellant, sed etiam quamlibet infirmitatem sanent ex eius imperio; unde sequitur et ut languores curarent.

Cyrillus. Attendas hic divinam filii potestatem naturae corporali non convenientem; agere namque miracula aderat sanctis, non natura, sed participatione spiritus sancti. Super hoc autem aliis concedere potestatem prorsus alienum erat ab eorum virtute: qualiter enim posset natura creata super spiritus dona possidere dominium? at dominus noster iesus Christus, tamquam naturaliter deus existens, impertitur huiusmodi gratiam quibus vult, non invocans in eos alienam virtutem, sed infundens ex promptuariis propriis.

Chrysostomus in Matthaeum. postquam autem satis confortati fuerant ex eius comitiva, et competens nacti sunt argumentum virtutis eius, mittit eos; unde sequitur et misit illos praedicare regnum dei, et sanare infirmos. Ubi considera, quod non committitur eis aliquod sensibile dicere, sicut moyses et prophetae, qui terram et bona terrena promittebant; hi vero regnum caelorum, et quaecumque continentur in eo.

Gregorius nazianzenus. Mittens autem discipulos ad praedicandum, dominus multa eis iniunxit, quorum summa est, sic eos virtuosos esse, sic constantes atque modestos, et, ut breviter loquar, caelestes, ut non minus propter eorum modum vivendi quam propter verbum evangelica doctrina propagaretur. Et ideo cum aeris et baculi carentia et amictus singularitate mittebantur; et ideo subdit et ait ad illos: nihil tuleritis in via: neque virgam neque peram, neque panem, neque pecuniam, neque duas tunicas habeatis.

Chrysostomus in Matthaicum. plurima quidem per hoc constituebat: primo quidem unsuspectos reddens discipulos; secundo sequestrans eos a qualibet cura, ut totum studium adhiberent verbo; tertio docens eos propriam virtutem. sed forsitan dicet aliquis cetera quidem habere rationem; sed non habere peram in via, nec duas tunicas, nec baculum, cuius rei causa praecipit? volens scilicet excitare eos in qualibet diligentia: et, ut ita loquar, ex hominibus angelos faciebat eos, dirimens a qualibet cura vitae, ut una sola cura detineantur doctrinae.

Eusebius. Volens igitur eos carere cupidine rerum in sollicitudine vitae, protestatus est haec: sumebat enim experimentum fidei et animositatis eorum, qui habito in mandatis extremae vitam ducere paupertatis, non effugiunt quae iubentur; decebat enim eos quidem commercium facere, et recipientes salubres virtutes recompensare obedientia mandatorum: et cum milites eos faceret regni dei, accingit eos ad pugnam in hostes, monens colere paupertatem; nullus enim militans Deo implicat se vitae saecularis negotiis. Qualis ergo esse debeat qui evangelizat regnum dei, praeceptis evangelicis designatur; hoc est, ut subsidii saecularis adminicula non requirat, fideique totus inhaerens, putet, quo minus requirat, magis posse suppetere.

Theophylactus. Sic enim ipsos mendicos mittit, quod neque panes ipsos portare vult, nec aliquid aliud, quibus indigent multi.

Augustinus de cons. evang.. Vel dominus haec possidere discipulos ac ferre noluit, non quod necessaria non sint sustentationi huius vitae; sed quia sic eos mittebat ut eis haec deberi monstraret ab illis quibus evangelium credentibus annuntiarent; ut sic securi non possiderent, neque portarent huic vitae necessaria, nec magna, nec minima. Ideo posuit secundum Marcum: nisi virgam, ostendens a fidelibus suis omnia deberi ministris suis nulla superflua requirentibus. Hanc autem potestatem virgae nomine significavit, cum diceret ne quid tollerent in via nisi virgam tantum.

Ambrosius. possunt etiam qui volunt, hoc ad eum deducere tractatum, ut spiritualem tantummodo locus iste formare videatur affectum, qui velut indumentum quoddam videatur corporis exuisse, non solum potestate reiecta contemptisque divitiis, sed etiam carnis ipsius illecebris abdicatis.

Theophylactus. quidam etiam apostolos non portare peram, neque baculum aut duas tunicas sic intelligunt, quod non thesaurizent: hoc enim pera innuit congregans multa: neque sint iracundi et tribulati spiritus, quod significat baculus; neque sint ficti et duplici corde, quod significat tunica duplex.

Cyrillus. Sed diceret aliquis: unde eis necessaria erunt? et ideo subdit et in quamcumque domum intraveritis, ibi manete, et inde ne exeatis; quasi dicat: sufficiat vobis discipulorum fructus, qui recipientes a vobis spiritualia, vos procurabunt. iussit autem eos in una domo manere, ut nec hospitem gravent, eum scilicet dimittendo, nec ipsi gulositatis et levitatis suspicionem incurrant.

Ambrosius. alienum namque a praedicatore regni caelestis asserit cursitare per domos, et inviolabilis hospitii iura mutare. Sed ut hospitii gratia deferenda censetur, ita etiam si non recipiantur, excutiendum pulverem, egrediendumque de civitate mandatur, cum sequitur et quicumque non receperint vos, exeuntes de civitate illa, etiam pulverem pedum vestrorum excutite in testimonium super illos.

Beda. pulvis excutitur de pedibus apostolorum in testimonium laboris sui, qui ingressi sint in civitatem, et praedicatio apostolica ad illos pervenerit; sive excutitur pulvis cum nihil ab eis accipiant, nec ad victum quidem necessarium, qui evangelium spreverunt.

Cyrillus. Nam improbable valde est contemnentes sermonem et patremfamilias, se famulis benignos ostendere, vel benedictiones eorum exigere.

Ambrosius. vel non mediocri etiam boni remuneratio docetur hospitii, ut non solum pacem tribuamus hospitibus, verum etiam si qua eos terrena obumbrant delicta levitatis, receptis apostolicae praedicationis vestigiis auferantur.

Beda. Qui vero perfida negligentia, vel etiam studio verbum dei contemnunt, horum vitanda communio est,

excutiendus pulvis pedum, ne gestis inanibus pulveri comparandis mentis castae vestigium polluat.

Eusebius. Cum autem praecinxisset dominus discipulos suos tamquam milites dei divinis virtutibus et sapientiae monitis, mittens eos iudaeis ut doctores et medicos, ipsi secundum hoc procedebant; unde sequitur egressi autem circuibant per castella, evangelizantes et curantes ubique: quasi doctores quidem evangelizantes; sed quasi medici praestantes remedia, et verba miraculis comprobantes.

LUCA 9,7-9

9907 (Lc 9,7-9)

Chrysostomus in Matthaem. multo transacto tempore, non a principio, percepit herodes facta iesu, ut pateat tibi tyranni superbia; unde dicitur audivit autem herodes tetrarcha omnia quae fiebant ab eo.

Theophylactus. Iste herodes erat filius magni herodis, qui pueros interemit; sed ille quidam rex erat, iste autem tetrarcha. Inquirebat autem de Christo quis esset; unde sequitur et haesitabat.

Chrysostomus. Peccatores enim scientes et nescientes quemque strepitum pertimescunt: peccatum enim nemine arguente hominem prodit, nemine accusante condemnat, et timidum et pigrum reddit delinquentem. Causa autem timoris ponitur consequenter cum dicit eo quod diceretur a quibusdam quia iohannes surrexit a mortuis, a quibusdam vero quia elias apparuit, ab aliis autem quia propheta unus de antiquis surrexit.

Theophylactus. iudaei enim resurrectionem mortuorum expectabant in vita carnali, et in comessionibus et potationibus. sed resurgentes non erunt in carnalibus actibus.

Chrysostomus. Cum ergo audisset herodes quibus iesus uteretur miraculis, ait: iohannem ego decollavi; quod non erat ostentationis verbum, sed consolantis suum timorem, et persuadentis animae perturbatae recolere quod ipse eum occidit. et quia iohannem decollaverat, subdit quis autem est iste, de quo audio talia? Theophylactus. Quasi dicat: si iohannes est, et a mortuis resurrexit, videns eum cognoscam; unde sequitur et quaerebat videre eum.

Augustinus de cons. Evang.. lucas autem hunc eundem narrandi ordinem quem marcus tenens, non cogit credi rerum gestarum eundem ordinem fuisse. In his etiam verbis Marco attestatur, ad hoc dumtaxat quod alii dixerint, non herodes, iohannem a mortuis surrexisse. Sed quia haesitantem commemoravit herodem, intelligendum est: aut post istam haesitationem confirmasse in animo suo quod ab aliis dicebatur, cum ait pueris suis, sicut Matthaeus narrat: hic est iohannes baptista, ipse surrexit a mortuis; aut ita pronuntianda sunt haec verba Matthaei ut haesitantem adhuc indicent.

LUCA 9,10-17

9910 (Lc 9,10-17)

Augustinus de cons. Evang.. Matthaeus et marcus ex praecedentium occasione narrant quemadmodum sit iohannes ab herode occisus; lucas autem qui iam longe supra de passione iohannis narraverat, postquam commemoravit illam herodis haesitationem de domino quisnam esset, continuo subiungit et reversi apostoli narraverunt illi quae fecerunt.

Beda. Non solum autem narrant quae ipsi fecerunt, et docuerunt; sed etiam quae iohannes eis in docendo occupatis sit passus, vel sui, vel eiusdem iohannis ei discipuli renuntiant, sicut Matthaeus insinuat. isidorus. Quia vero dominus viros sanguinum abominatur, et commorantes cum eis, si a propriis criminibus non discedant, post occisionem baptistae deserens occisores, discessit; unde sequitur et assumptis illis, secessit seorsum in locum desertum, qui est bethsaida.

Beda. est autem bethsaida in galilaea civitas andreae, et petri, et philippi apostolorum, prope stagnum genezareth. Non autem timore mortis hoc egit, ut quidam arbitrantur, sed parcens inimicis suis, ne homicidio homicidium iungerent; simul et opportunum suae passionis tempus expectans.

Chrysostomus in Matthaem. non autem prius, sed relato sibi quod acciderat, discessit, manifestans per singula carnis veritatem.

Theophylactus. in desertum autem locum abiit dominus, quia operaturus erat miraculum panum: ne quis diceret: de civitate prope existente oblatis sunt panes.

Chrysostomus. vel vadit in desertum locum, ut nemo sequeretur. Sed nec sic plebs discessit, sed comitatur ipsum; unde sequitur quod cum cognovissent turbae, secutae sunt illum.

Cyrillus. Hi quidem postulantes a daemonibus liberari, hi vero languorum remotionem; necnon quos eius oblectabat doctrina, illum attentissime visitabant.

Beda. Ipse autem ut potens piusque salvator, excipiendo fatigatos, docendo inscios, sanando aegrotos, reficiendo ieiunos, quantum devotione credentium delectetur, insinuat; unde sequitur et exceptit illos, et loquebatur illis de regno dei, et eos qui cura indigebant sanabat.

Theophylactus. Ut addiscas, quod quae secundum nos est sapientia, dividitur verbo et opere; et quod decet dicere operata, et operari dicta. Reclinante autem die, discipuli iam incipientes aliorum curam habere, turbae miserentur, unde sequitur dies autem coeperat declinare, et accedentes duodecim dixerunt illi: dimitte turbas, ut euntes in castella villasque quae circa sunt, divertant et inveniant escas: quia hic in loco deserto sumus.

Cyrillus. Sicut enim dictum est, diversarum passionum postulabant remedia: et quia videbant discipuli solo nutu posse perfici quod infirmi petebant, dicunt: dimitte eos, ne amplius anxientur. aspice autem exuberantem mansuetudinem eius qui rogatur: non enim illa tantum largitur quae postulant discipuli, sed sequentibus ipsum adjicit bona munificae dexterae, mandans eis escas exhiberi; unde sequitur ait autem ad illos: vos date illis manducare.

Theophylactus. Non autem hoc dicit eorum responsionem ignorans, sed volens ipsos inducere ut dicerent quot panes haberent; et sic magnum ostenderetur ex eorum confessione miraculum, panum quantitate audita.

Cyrillus. sed quod mandabatur, intolerabile discipulis erat, quod non habebant penes se nisi quinque panes et duos pisces; unde sequitur at illi dixerunt: non sunt nobis plusquam quinque panes et duo pisces, nisi forte nos emamus in omnem hanc turbam escas.

Augustinus de cons. evang.. In quibus quidem verbis lucas in unam sententiam constrinxit responsionem philippi dicentis: ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat, et responsionem andreae dicentis: est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces, ut narrat iohannes. quod enim ait non sunt nobis plusquam quinque panes et duo pisces, ad andreae retulit responsionem; quod vero adiunxit nisi forte nos emamus, et emamus in omnem hanc turbam escas, videtur ad responsionem philippi pertinere, nisi quod de ducentis denariis tacuit: quamquam et in ipsius andreae sententia hoc posset intelligi; cum enim dixisset: est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces, adiunxit: sed haec quid sunt inter tantos? hoc est dicere nisi forte nos emamus, et emamus in omnem hanc turbam escas. ex qua varietate verborum, rerum autem sententiarumque concordia, satis apparet salubriter nos doceri, nihil quaerendum in verbis nisi loquentium voluntatem; cui demonstrandae invigilare debent omnes veridici narratores, cum de homine, vel de angelo, vel de Deo aliquid narrant.

Cyrillus. Ut autem adhuc ad magis ardua feratur miraculum, ostenditur non parva fuisse multitudo virorum, cum sequitur erant autem viri fere quinque millia, exceptis scilicet mulieribus atque pueris, ut alius evangelista refert.

Theophylactus. Docet autem dominus quod decet cum hospitamur aliquem, reclinare ipsum, et omnis consolationis participem facere; unde sequitur ait autem ad discipulos suos: facite illos discumbere per convivia quinquagenos: et ita fecerunt; et discumbere fecerunt omnes.

Augustinus de cons. evang.. Quod lucas hic dicit, quinquagenos iussos esse discumbere, marcus vero quinquagenos et centenos, ideo non movet, quia unus partem dixit, alter totum. Verum si alius de quinquagenis tantum commemoraret, alius de centenis, valde videretur esse contrarium, nec satis dignosceretur utrumque dictum esse. Unum autem ab altero, alterum ab altero esse commemoratum, et tamen attentius consideratum inveniri debuisse quis non fateatur? hoc ideo dixi, quia existunt saepe aliqua eiusmodi quae parum intendentibus temere iudicantibus contraria videantur, et non sint.

Chrysostomus in Matthaicum. et quia credendum erat Christum venisse a patre, facturus miraculum,

aspexit in caelum; unde sequitur acceptis autem quinque panibus et duobus piscibus, respexit in caelum.

Cyrillus. Hoc etiam dispensative pro nobis fecit: ut discamus quod in principio mensae, cum frangere debemus panem, debemus Deo offerre et elicere super ipsum benedictionem supernam; unde sequitur et benedixit, et fregit, et discipulis suis distribuit, ut ponerent ante turbas.

Chrysostomus in Matthaëum. Dat quidem eis per manus discipulorum, honorando eos, et ne dent oblivioni iam peracto miraculo. non autem ex non entibus facit escas ad pascendum turbas, ut obturet os manichaei asserentis alienam esse ab eo creaturam, ostendens se esse victualium largitorem, et eum qui dixit: germinet terra. Multiplicat quoque pisces, ad significandum quod tam mari quam aridae dominabatur. Bene autem in languentibus speciale peregit miraculum; agit et beneficium generale, alens omnes etiam non languentes; unde sequitur et manducaverunt omnes, et saturati sunt.

Gregorius nyssenus. Quibus nec caelum fluebat manna, nec tellus iuxta sui naturam producens frumentum, eorum satisfaciebat egestati; sed ex ineffabilibus horreis divinae potentiae beneficium affluebat. panis paratur factus in manibus ministrantium, necnon per saturitatem edentium augmentatur. Esum etiam piscium eorum necessitati non administrabat mare; sed ille qui in mari piscium genus inseruit.

Ambrosius. Non exiguo, sed multiplicato cibo populum liquet esse satiatum. Vides incomprehensibili quodam ritu inter dividendum manus, quas non fregerant multiplicare particulas, et intacta frangentium digitis sponte sua fragmenta subripere.

Cyrillus. Nec usque ad hoc tantum pervenit miraculum, sed sequitur et sublatum est quod superfuit eis fragmentorum cophini duodecim: ut hinc esset manifesta certificatio quod opus caritatis in proximos uberem vindicet retributionem a deo.

Theophylactus. et ut addisceremus quantum hospitalitas potest, et quantum augentur nostra, cum indigentibus subvenimus.

Chrysostomus in Matthaëum. Fecit autem superabundare non panes, sed fragmenta; ut ostendat illorum panum esse reliquias, quae tot factae sunt, ut totidem essent cophini quot et discipuli.

Ambrosius. Mystice autem postquam illa quae ecclesiae typum accepit, a fluxu curata est sanguinis, posteaquam apostoli ad evangelizandum sunt destinati, gratiae caelestis impartitur alimentum. Sed quibus impartitur advertit: non otiosis, non in civitate, quasi in synagoga, vel saeculari dignitate residentibus, sed inter deserta quaerentibus Christum.

Beda. Qui derelicta iudaea, quae prophetiae non credendo, sibi caput abstulerat, in deserto ecclesiae, quae virum non habebat, verbi pabula largitur. Petentem vero deserta gentium Christum, multae fidelium catervae, relictis moenibus priscae conversationis variorum dogmatum, sequuntur.

Ambrosius. Qui autem non fastidiunt, ipsi excipiuntur a Christo; et cum ipsis loquitur dei verbum, non de saecularibus, sed de regno: et qui corporalis gerunt ulcera passionis, his medicinam suam libenter indulget. Ubique autem mysterii ordo servatur: ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea vero alimonia mensae caelestis exuberet.

Beda. Die autem declinante turbam reficit, idest fine saeculorum appropinquante, vel cum sol iustitiae pro nobis occubuit.

Ambrosius. quamquam nondum validioribus haec turba reficiatur alimentis: primum enim in modum lactis quinque sunt panes; secundum septem; tertium ipsum corpus Christi est esca solidior. Si quis autem petere cibum veretur, ipse relictis suis omnibus festinet ad dei verbum. Dum autem aliquis audire incipit dei verbum, incipit esurire. Incipiunt apostoli esurientem videre; et si illi adhuc non intelligant quid esuriant, intellexit Christus: scit quod non saecularem cibum esuriant, sed cibum Christi: nondum enim intellexerant apostoli cibum credentis non esse venalem. Noverat Christus nos potius esse redimendos, suas vero epulas esse gratuitas.

Beda. Nondum autem erant apostolis nisi quinque panes mosaicae legis, et duo pisces utriusque testamenti; quae in abdito mysteriorum latentium, quasi aquis abyssi tegebantur. Quia vero quinque sunt exteriores hominis sensus, quinque millia viri dominum secuti, designant eos qui in saeculari adhuc habitu positi, exterioribus, quae possident, bene uti noverunt; qui quinque panibus aluntur, quia tales necesse est legalibus adhuc praeceptis instrui: nam qui mundo ad integrum renuntiant, evangelica refectioe sublimes sunt. Diversi autem convivantium discubitus designant diversos per orbem terrarum ecclesiarum conventus

qui unam catholicam faciunt.

Ambrosius. hic vero panis, quem frangit iesus, mystice quidem dei verbum est, et sermo de Christo; qui cum dividitur augetur; de paucis enim sermonibus, populis redundantem alimoniam ministravit. Dedit sermones nobis velut panes, qui nostro dum libantur ore, geminantur.

Beda. turbis autem esurientibus salvator non nova creat cibaria; sed acceptis his quae habuerunt discipuli benedicit: quia veniens in carne, non alia quam praedicta sunt praedicat; sed prophetiae dicta mysteriis gratiae grava demonstrat. Respicit in caelum, ut illuc dirigendam mentis aciem, ibi lucem scientiae doceat esse quaerendam. Frangit, et ante turbas ponenda distribuit discipulis: quia legis et prophetiae sacramenta eis, ut per mundum praedicent, patefecit.

Ambrosius. Non otiose autem quae turbae supersunt, a discipulis colliguntur: quia ea quae divina sunt, apud electos facilius possis quam apud populos reperire. Beatus ille qui potest colligere quae etiam doctis supersunt. Qua ratione autem cophinos Christus duodecim implevit, nisi ut illud populi iudaici solveret, quia manus eius in cophino servierunt? hic est populus, qui ante lutum in cophinis colligebat, sed iam per crucem Christi vitae caelestis operatur alimoniam. Nec paucorum hoc munus, sed omnium est: nam per duodecim cophinos, tamquam tribuum singularum, fidei firmamentum redundat.

Beda. Vel per cophinos duodecim apostoli figurantur, et omnes sequentes doctores; foris quidem hominibus despecti, sed intus salutaris cibi reliquiis cumulati.

LUCA 9,18-22

9918 (Lc 9,18-22)

Cyrillus. Sequestratus a populis dominus et seorsum positus vacabat orationibus; unde dicitur et factum est cum solus esset orans, erant cum illo et discipuli. Formam enim in hoc seipsum constituebat, docens discipulos artem facilem doctrinalium dogmatum: reor enim oportere populorum antistites etiam meritis praeesse subditis suis, in rebus necessariis iugiter conversantes, et illa tractantes quibus deus placatur.

Beda. aderant autem discipuli domino; sed ipse patrem solus oravit: quia possunt sancti domino fidei amorisque societate coniungi. Ubique solus obsecrat, quia dei consilium humana vota non capiunt, nec quisquam potest interiorum particeps esse cum Christo.

Cyrillus. Poterat autem orationis negotium turbare discipulos: videbant enim humanitus orare quem olim viderant auctoritate divina peragentem miracula. ut igitur huiusmodi propelleret turbationem, eos interrogat, non quia nesciret ab exterioribus sibi collata praeconia, sed ut eos a plurium opinione auferret, et rectam fidem eis insereret; unde sequitur et interrogavit illos dicens: quem me dicunt esse turbae? **Beda.** Pulchre dominus fidem discipulorum exploraturus, prius turbarum sententiam interrogat, ne illorum confessio, non veritatis agnitione probata, sed vulgi videatur opinione formata; nec comperta credere, sed instar herodis de auditis haesitare putentur.

Augustinus de cons. Evang.. potest autem illud movere quod lucas dominum interrogasse discipulos suos, quem illum dicerent homines, tunc dixit cum esset solus orans, et adessent etiam ipsi: porro autem marcus in via dicit illos hoc ab eodem interrogatos. sed hoc eum movet, quia nunquam oravit in via.

Ambrosius. Non est autem otiosa turbae opinio quam discipuli respondent, cum subditur at illi responderunt, et dixerunt: alii ioannem baptistam, quem decollatum sciebant; alii autem eliam, quem venturum putabant; alii autem, quia propheta unus de prioribus surrexit. Sed hoc quaerere alterius prudentiae est: nam si paulo apostolo satis est nihil scire nisi Christum iesum, et hunc crucifixum, quid amplius mihi desiderandum est scire quam Christum? **Cyrillus.** Vide autem in interrogationibus elegantiam. Dirigit enim prius eos ad extrinsecas laudes, ut eis evulsis veram opinionem generet. Unde cum dixissent discipuli plebis opinionem, eorum sententiam interrogat, cum subditur dicit autem illis: vos autem quem me esse dicitis? o quam praecipuum illud vos. Excipit eos ab aliis, ut eorum vitent opiniones; quasi dicat: vos, qui censura mea vocati estis ad apostolatum, testes miraculorum meorum, quem me esse dicitis? praevenit autem petrus ceteros, fitque os totius collegii, eructatque divini amoris eloquia, profertque fidei confessionem, cum dicitur respondens autem petrus dixit: Christum dei. Non ait simpliciter eum esse Christum dei, sed magis cum articulo Christum illum dei: unde in graeco habetur ton Christon. Nam plures divinitus uncti, diversimode vocati sunt Christi. Quidam enim uncti fuerunt in reges, quidam in prophetas; nos autem per Christum sancto peruncti spiritu, nomen obtinuimus Christi; sed unus solus est qui est

Christus dei et patris, quasi ipso solo proprium habente patrem, qui in caelis est: et sic lucas concordat quidem in sententiis cum Matthaeo, qui narravit petrum dixisse: tu es Christus filius dei vivi; sed utens breviloquio, ait eum dixisse Christum dei.

Ambrosius. In uno enim hoc nomine et divinitatis et incarnationis expressio, et fides est passionis. complexus est itaque omnia qui et naturam et nomen expressit, in quo summa virtutum est.

Cyrillus. Sed notandum, quod unum confessus est esse Christum prudentissimus petrus contra praesumentes emmanuel in duos Christos dividere. neque enim sciscitatus est eos, dicens quem dicunt homines esse divinum verbum, sed filium hominis? quem petrus confessus est esse filium dei. In hoc ergo admirandus est, et dignus factus tam praecipuis honoribus, quia quem admiratus est in forma nostra, hunc credit esse Christum patris, scilicet hominem factum verbum, quod processit de patris substantia.

Ambrosius. Dominus autem iesus Christus praedicari se primo noluit, ne ullus strepitus nasceretur; unde sequitur at ille increpans eos, praecepit ne cui dicerent. Multis ex causis iubet tacere discipulos: ut fallat principem mundi, ut declinet iactantiam, doceat humilitatem. ergo Christus noluit gloriari; et tu, qui ignobilis natus es, gloriaris? simul ne rudes et imperfecti adhuc discipuli maximae praedicationis molibus opprimantur. prohibentur ergo evangelizare eum dei filium, ut evangelizarent postea crucifixum.

Chrysostomus in Matthaeum. opportune etiam dominus tunc vetuit nulli dicere quod ipse esset Christus, quatenus sublatis de medio scandalis, et crucis consummato patibulo, habitualiter imprimeretur audientium menti conveniens de eo opinio; nam radicum semel, et postmodum evulsum, vix unquam denuo insitum retinebitur; quod autem semel insitum perseverat immobile, de facili concrevit. Nam si petrus ex solo auditu scandalizatus est, quid quamplures paterentur, cum audissent filium dei esse, viderent autem crucifixum et consputum? **Cyrillus.** Oportebat ergo discipulos eum ubique terrarum praedicare (hoc enim erat opus electorum ab eo ad apostolatus officium): sed, ut sacra scriptura testatur, tempus est unicuique rei. Decebat enim ut crux et resurrectio impleretur, et sic sequeretur apostolorum praedicationis; unde sequitur dicens, quia oportet filium hominis multa pati, et reprobari a senioribus, et principibus sacerdotum et scribis, et occidi, et tertia die resurgere.

Ambrosius. Fortasse, quia sciebat dominus difficile passionis et resurrectionis mysterium etiam discipulos credituros, ipse voluit esse suae passionis et resurrectionis assertor.

LUCA 9,23-27

9923 (Lc 9,23-27)

Cyrillus. Ducum magnanimi strenuos in armis ad audaciam provocant, non solum eis honores pollicendo victoriae, sed etiam ipsum pati generosum esse fatentes. Tale quid videmus docere dominum iesum Christum. Praedixerat enim apostolis quod oporteret eum perpeti iudaeorum calumnias, occidi, et tertia die resurgere. Ne igitur putarent Christum quidem passurum persecutiones pro vita mundi, eis vero licere laetam vitam ducere; ostendit quod necessario per aequa certamina gradi decet cupientes eius gloriam obtinere; unde dicitur dicebat autem ad omnes.

Beda. Pulchre posuit ad omnes: quia superiora, quae ad fidem dominicae nativitatis vel passionis pertinent, cum solis discipulis seorsum egit.

Chrysostomus in Matthaeum. Cum autem salvator sit pius et benignus, nullum invitum aut coactum habere vult famulum, sed spontaneos, et gratias agentes ei pro famulatu; et ideo neminem cogendo, aut necessitatem imponendo, sed persuadendo et benefaciendo, universos volentes attrahit, dicens si quis vult.

Basiliius. vitam autem propriam in formam optimae conversationis tradidit volentibus ei obedire, cum dicit post me venire; non obsecutionem corporalem insinuans: esset enim in omnibus impossibilis, domino iam in caelis existente: sed debitam conversationis pro posse imitationem.

Beda. nisi autem quis a semetipso deficiat, ad eum qui supra ipsum est non appropinquat; unde dicitur abneget semetipsum.

Basiliius. Abnegatio quidem sui ipsius est totalis praeteritorum oblivio, et recessus a propriis voluntatibus.

Origenes. Abnegat etiam aliquis seipsum, dum vitam prius in malitia consuetam alteratione debita

commutat: puta qui dudum in lascivia vixerat, abnegat semetipsum lascivum, cum fit castus; et similiter abstinentia cuiuslibet criminis, suis ipsius abnegatio est.

Basiliius. appetitus autem mortis tolerandae pro Christo, et mortificatio membrorum, quae sunt super terram, et viriliter disponi ad omne periculum sustinendum pro Christo, et non affici quemquam ad vitam praesentem, hoc est tollere crucem suam; unde subditur et tollat crucem suam quotidie.

Theophylactus. Crucem hic dicit mortem exprobrabilem, innuens quod si quis vult Christum sequi, non debet effugere propter ipsum etiam exprobrabilem mortem.

Gregorius in evang.. duobus etiam modis crux tollitur: dum aut per abstinentiam affligitur corpus, aut per compassionem afficitur animus.

Graecus. Recte autem coniungit haec duo: abneget semetipsum, et tollat crucem suam. Sicut enim qui paratus est ascendere crucem, sumit in mente sua mortis intentionem, sicque vadit ut non aestimans amplius hanc vitam participare; ita qui sequi vult dominum, primo debet abnegare seipsum, et sic tollere crucem, ut eius voluntas sit prompta ad omnem miseriam sustinendam.

Basiliius. In hoc igitur consistit perfectio, ut impassibiliter se habeat secundum affectum etiam ad ipsum vivere, et habeat in promptu mortis responsum, ut nequaquam in seipso confidat. Sumit autem exordium perfectio ab exteriorum alienatione, puta possessionum, vel inanis gloriae, vel praecise affectionis inutilium rerum.

Beda. Praedictam igitur crucem et quotidie tollere, et ea sumpta dominum sequi iubemur, qui crucem propriam baiulavit; unde sequitur et sequatur me.

Origenes. Huius autem causam assignat subdens qui enim voluerit animam suam salvam facere, perdet illam; idest, qui vult secundum vitam praesentem vivere, et propriam animam in sensibilibus conservare, hic eam perdet, non ducens eam ad terminos beatitudinis. E contrario autem subdit nam qui perdidit animam suam propter me, salvam faciet illam; idest, qui negligit sensibilia intuitu veritatis, exponens se morti, hic tamquam animam perdens pro Christo, eam potius salvabit. itaque si animam salvam beatum est, relatum ad eam quae est in Deo salutem, debet esse et quaedam bona perditio animae quae fit intuitu Christi. Videtur etiam mihi persimile ei quod est abnegare seipsum, secundum praedicta, decere perdere quemlibet propriam animam peccatricem, ut sumat eam quae per virtutem salvatur.

Cyryllus. Quod autem incomparabiliter exercitium pacis Christi superet delicias et pretiosa mundi, insinuat subdens quid proficit homini si lucretur universum mundum, seipsum autem perdat, et detrimentum sui faciat? quasi dicat: cum aliquis aspiciens praesentem dulcedinem aut utilitatem, renuit quidem pati, eligit autem splendide vivere, si sit opulentus, quod inde sibi commodum erit cum perdidit animam? transit enim huius mundi figura, et amoena velut umbra discedunt: non enim proderunt thesauri impietatis; eripit autem a morte iustitia.

Gregorius in evang.. quia ergo sancta ecclesia habet aliud tempus persecutionis atque aliud pacis, dominus utraque tempora designavit in praeceptis; nam persecutionis tempore ponenda est anima; quod significavit dicens qui perdidit animam; pacis autem tempore ea quae amplius dominari possunt, frangenda sunt desideria terrena; quod significavit dicens quid proficit homini? plerumque autem labentia cuncta despiciamus; sed tamen adhuc humanae verecundiae usu praepedimur, ut rectitudinem quam servamus in mente, nondum exprimere valeamus in voce. Sed huic quidem vulnere congruum dominus subiungit medicamentum, dicens nam qui me erubuerit et meos sermones, hunc filius hominis erubescet.

Theophylactus. erubescit Christum qui dicit: numquid credam crucifixo? sed et sermones eius erubescit qui evangelii ruditer contemnit. quod autem hunc dominus erubescet in regno suo, tale est sicut si aliquis paterfamilias habens servum pravum, erubescat eum nominare.

Cyryllus. Incutit autem eis timorem, dicens se caelitus descensurum, non in pristina humilitate, et mensura proportionabili nobis, sed in gloria patris, ministrantibus angelis; sequitur enim cum venerit in maiestate sua et patris et sanctorum angelorum. pessimum igitur et damnosum notari inimicitia et operis inertia, quando tantus iudex descenderit, agminibus circumstantibus angelorum. Hinc autem percipias quod, carne sumpta et sanguine, filius non minus est deus, quod se pollicetur in maiestate dei patris venturum, et quod ei tamquam iudici omnium ministrabunt angeli qui factus est homo similis nobis.

Ambrosius. Semper autem dominus sicut erigit ad praemia futura virtutum, atque utilem saecularium

rerum docet esse contemptum, ita etiam infirmitatem mentis humanae praesentium remuneratione sustentat. Arduum quippe est crucem tollere, et animam periculis, morti corpus offerre; negare quod sis, cum velis esse quod non sis; raroque quamvis excelsa virtus futuris commutat praesentia. Ergo bonus magister, ne quis desperatione frangatur aut taedio, continuo se videndum fidelibus pollicetur, dicens dico autem vobis: vere sunt aliqui hic stantes qui non gustabunt mortem, donec videant regnum dei.

Theophylactus. Idest gloriam in qua iusti erunt. Hoc autem dixit de transfiguratione quae forma erat futurae gloriae; ac si diceret: sunt aliqui hic stantes, scilicet petrus, iacobus et ioannes, qui non attingent mortem, donec in tempore transfigurationis videant in qua gloria erunt qui me confitentur.

Gregorius. vel regnum dei hoc loco praesens ecclesia vocatur: et quidam ex discipulis usque adeo in corpore victuri erant ut ecclesiam dei constructam conspicerent, et contra mundi huius gloriam erectam.

Ambrosius. Itaque si nos volumus mortem non timere, stemus ubi Christus est: soli enim non quaerunt gustare mortem qui stare possunt cum Christo: in quo licet ex verbi ipsius qualitate perpendere, nec tenuem quidem sensum mortis habituros qui Christi videntur meruisse consortia. Certe mors corporis libando gustetur, vita animae possidendo teneatur: non enim hic mors corporis, sed animae denegatur.

LUCA 9,28-31

9928 (Lc 9,28-31)

Eusebius. Cum dominus discipulis suis secundae apparitionis suae promulgaverit ingens mysterium, ne solis verbis credere viderentur, procedit ad opera, ostendens eis oculata fide imaginem regni sui; unde dicitur factum est autem post haec verba fere dies octo, et assumpsit petrum et iacobum et ioannem, et ascendit in montem ut oraret. Damascenus. Matthaeus quidem et marcus sexto die post factam promissionem discipulis, lucas autem post octavum dicit celebratum fuisse transfigurationem; nec est dissonantia in dictis; sed qui sex numeraverunt, demptis extremis, primo dico et ultimo, quo pollicitus est, et quo fecit, medios computaverunt; at qui octo connumeravit, utrumque praedictorum computavit. Sed cur non omnes, sed aliqui vocati sunt ad hanc visionem? unus quidem erat qui solus indignus erat divinitatis visione, scilicet iudas, secundum illud: tollatur impius, ne videat gloriam dei. Si solus ergo esset omissus, tamquam invidus ad maiorem esset malitiam provocatus. Proinde proditori tollit prodicionis occasionem, cum dimisit inferius reliquam apostolorum congeriem. assumpsit autem tres, ut in duobus vel tribus stet omne verbum. petrum quidem assumpsit, volens testimonium quod testatus fuerat, ei ostendere per patris testimonium confirmari, et quasi praesidem futurum totius ecclesiae. sed iacobum assumpsit tamquam moriturum pro Christo ante omnes discipulos. ioannem vero tamquam theologiae purissimum organum, ut visa gloria filii, quae non subiacet tempori, resonet illud: in principio erat verbum.

Ambrosius. vel petrus ascendit, qui claves regni caelorum accepit; ioannes, cui committitur mater; iacobus qui primus solium sacerdotale conscendit.

Theophylactus. vel assumit hos tamquam hanc rem celare potentes, et nulli alii revelare. Ascendit autem in montem ut oraret, docens nos solitarios et ascendentes orare ad nihil terrenorum declinantes. damascenus. Aliter tamen orant servi, aliter orabat dominus: nam servi orantis oratio est per intellectus ascensum ad deum; sed sacer intellectus Christi, qui secundum hypostasim Deo unitus erat, manuducens nos ad ascensum, quo per orationem ad deum ascenditur, et docens quod adversarius dei non est, sed tamquam principium veneratur genitorem, quin etiam alliciens tyrannum explorantem si deus esset, quod miraculorum virtus praedicabat, quasi sub quadam esca hamum contegeret, ut qui spe deificationis hamaverat hominem, corporis amictu decenter hamaretur; unde sequitur et facta est, dum oraret, species vultus eius altera.

Cyrillus. Non tamquam corpore humanam formam mutante, sed quadam splendida gloria superveniente. Damascenus. videns autem diabolus orationibus refulgentem, recordatus est moysi, cuius glorificata est facies. Sed moyses quidem glorificatur extrinsecus adveniente gloria, dominus autem ex innato gloriae divinae fulgore: cum enim secundum hypostasis unionem, una et eadem sit gloria verbi et carnis, transfiguratur, non quasi accipiens quod non erat, sed quod erat manifestans discipulis: unde secundum Matthaeum dicitur, quod transfiguratus est coram eis, et quod facies eius refulsit ut sol: quod enim est in sensibilibus sol, hoc in intelligibilibus deus: et sicut sol, qui est lucis fons, de facili videri non potest, lux autem eius ex eo quod ad terram pervenit aspicitur, sic facies Christi intensius refulget ut sol, vestimenta autem eius dealbantur ut nix; unde sequitur et vestitus eius albus refulgens; illustratus scilicet per divinae lucis participationem. his autem ita se habentibus, ut unus ostenderetur dominus novi et veteris testamenti,

et haereticorum ora obturentur, et fides fiat resurrectionis, necnon qui transfigurabatur vivorum et mortuorum dominus crederetur; moyses et elias tamquam famuli assistunt domino in gloria; unde sequitur ecce duo viri loquebantur cum illo; erant autem moyses et elias visi in maiestate. Oportebat enim ut videntes conservorum gloriam et fiduciam, mirarentur quidem pium dominicum descensum, zelarent vero eos qui prius laboraverant, visuri amoenitatem futurorum bonorum, et magis fortificarentur in laboribus: nam qui laborum noverit emolumenta, labores facilius tolerabit.

Chrysostomus in Matthaeum. aliter quoque, quoniam vulgus asserebat eum esse eliam vel ieremiam, ut discerneretur inter dominum et famulos, et ut pateat eum non esse adversarium dei, et legis transgressorem, eos sibi assistentes monstravit: non enim legislator moyses, et qui pro gloria divina zelatus est elias astitissent ei: sed et propter virtutes virorum demonstrandas; nam uterque pro mandatis divinis quamplurimes se morti exposuerat. Volebat etiam discipulos eos imitari in regimine populi, ut fierent mites sicut moyses, et zelantes sicut elias. Inducit etiam eos, ut ostendat crucis gloriam, ad consolandum petrum et alios passionem timentes; unde sequitur et dicebant excessum eius quem completurus erat in ierusalem.

Cyrillus. videlicet mysterium dispensationis in carne, necnon salutiferam passionem completam in venerabili cruce.

Ambrosius. Mystice autem post verba praedicta, transfiguratio Christi ostenditur; quoniam is qui verba Christi audit et credit, resurrectionis gloriam videbit: octava enim die facta est resurrectio: unde et plerique psalmi pro octava scribuntur; aut forte ut ostenderet nobis quod dixerat, quod is qui propter dei verbum perdidit animam suam, salvam faciet eam, quoniam promissa sua in resurrectione restituet.

Beda. nam sicut post septimam sabbati, qua in sepulchro quieverat, a mortuis resurrexit, et nos post sex saeculi aetates, et septimam quietis animarum, quae interim in alia vita geritur, quasi octava aetate resurgemus.

Ambrosius. Sed Matthaeus et marcus post dies sex assumptos hos esse commemorarunt: de quo possemus dicere, quod post sex millia annorum, mille enim anni in conspectu dei tamquam dies una. Sed plures quam sex millia computantur anni; et maluimus sex dies per symbolum intelligere, quod sex diebus mundi opera sunt creata, ut per tempus opera, et per opera mundum intelligamus. et ideo mundi temporibus impletis, resurrectio futura monstratur, aut quia is qui supra mundum ascenderit, et huius saeculi momenta transcenderit, velut in sublimi locatus, futurae resurrectionis fructus expectabit in aeternum.

Beda. unde in montem oraturus et transfigurandus ascendit, ut ostendat eos qui fructum resurrectionis expectant, et regem in decore suo videre desiderant, mente in excelsis habitare, et continuis precibus debere incumbere.

Ambrosius. Putarem in tribus qui ducuntur ad montem, mystice genus humanum comprehensum, quia ex tribus filiis noe genus omne defluxit humanum, nisi electos cernerem. Tres igitur eliguntur qui ascendunt in montem; quia nemo potest resurrectionis videre gloriam, nisi qui mysterium trinitatis incorrupta fidei sinceritate servaverit.

Beda. transfiguratus autem salvator gloriam futurae vel suae vel nostrae resurrectionis ostendit; qui qualis tunc apostolis apparuit, post iudicium cunctis apparebit electis. Vestitus autem talis domini sanctorum illius chorus accipitur: qui videlicet domino in terris consistente despectus videbatur; sed illo montem petente, novo candore refulget: quia nunc filii dei sumus, et nondum apparuit quid erimus; scimus autem quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus.

Ambrosius. Vel aliter. Pro tua possibilitate tibi verbum aut minuitur aut crescit; ac nisi altioris prudentiae cacumen ascendas, non tibi apparet quanta sit gloria in dei verbo. Vestimenta autem verbi sunt sermones scripturarum, et quaedam intellectus indumenta divini. Et sicut vestitus albus refulsit, ita in oculis tuae mentis divinarum lectionum sensus albescit. Inde apparet moyses et elias, hoc est lex et propheta in verbo; neque enim lex potest esse sine verbo, nec propheta nisi qui de dei filio prophetavit.

LUCA 9,32-36

9932 (Lc 9,32-36)

Theophylactus. Christo vacante orationi, petrus somno deprimitur: infirmus enim erat, et quod humanum erat implevit; unde dicitur petrus vero, et qui cum illo erant, gravati erant somno. excitati autem gloriam eius

cernunt, et duos viros cum eo; unde sequitur et evigilantes viderunt maiestatem eius, et duos viros qui stabant cum illo.

Chrysostomus in Matthaëum. Vel somnum vocat ingestum eis nimium stuporem ex illa visione: neque enim nocturnum tempus erat, sed lucis excellentia gravabat oculorum debilitatem.

Ambrosius. premit enim incomprehensibilis splendor divinitatis, nostri corporis sensus: nam si solis radium e regione oculorum contuentium corporea nequit acies continere, quomodo dei gloriam humanorum ferret corruptela membrorum? et fortasse ideo gravati somno erant, ut resurrectionis viderent speciem post quietem. itaque vigilantes viderunt maiestatem eius: nemo enim nisi vigilans gloriam videt Christi. Delectatus est petrus: et quem saeculi huius illecebrosa non caperent, gloria resurrectionis illexit; unde sequitur et factum est cum discederent ab illo, ait petrus ad iesum: praeceptor, bonum est nos hic esse.

Cyrillus. Aestimabat forsitan divus petrus imminere tempus regni dei; et ideo approbat montis incolatum. Damascenus. non est autem bonum, petre, tibi quod Christus ibi moretur: quoniam si mansisset, nequaquam tibi facta promissio consequeretur effectum: neque enim claves obtinuisses regni, nec mors tyranni abolita esset. Non quaeras ante tempus felicia, ut adam deificationem. Erit quando hunc aspectum indesinenter percipias, et cohabitabis illi qui lux est et vita.

Ambrosius. petrus autem non solum affectu, sed etiam factorum devotione praestantior, ad aedificanda tabernacula tria impiger operarius, communis obsequii ministerium pollicetur; sequitur enim et faciamus tria tabernacula: unum tibi, et unum moysi, et unum eliae. Damascenus. non autem te dominus tabernaculorum, sed universalis ecclesiae constructorem constituit: verba tua tui discipuli, oves tuae, mandaverunt effectui, Christo tabernaculum construentes, necnon et servis eius. Hoc autem non ex intentione petrus proferebat, sed inspiratione spiritus revelantis futura; unde sequitur nesciens quid diceret.

Cyrillus. Nesciebat etiam quid diceret: neque enim aderat tempus finis saeculi, nec participandae a sanctis promissae spei: et cum iam sumeret exordium dispensatio, quo pacto Christum oportebat desistere a mundi dilectione, volentem pati pro eo? damascenus. Decebat etiam non solum perstringere fructum incarnationis ad opus existentium in monte, sed diffundi ad omnes credentes quod per crucem et passionem erat consummandum. titus. Ignorabat etiam petrus quod dixerat, quia non oportebat tribus tria tabernacula facere: non enim connumerantur domino famuli, nec comparantur creaturae creatori.

Ambrosius. neque capit humana conditio in hoc corruptibili corpore facere tabernaculum deo, sive in animo, sive in corpore, sive in quolibet alio loco. Et quamvis nesciret quid diceret, tamen pollicebatur officium; cui non inconsulta petulantia, sed praematura devotio fructus pietatis accumulatur: nam quod ignorabat, conditionis fuit; quod promittebat, devotionis.

Chrysostomus in Matthaëum. Vel aliter. Audiebat quod oportebat ipsum mori, et tertia die resurgere; videbat autem multam distantiam et solitudinem; unde consideravit quod plurimam haberet locus tutelam; ob hoc dixit bonum est hic esse. Aderat quoque moyses, qui nubem intravit, et elias, qui in monte ignem deduxit. Igitur evangelista confusionem mentis eius ex qua hoc proferebat, ostendens, dixit nesciens quid diceret.

Augustinus de cons. Evang.. quod autem hic lucas dixit de moyse et elia et factum est dum discederent ab illo, ait petrus ad iesum: praeceptor, bonum est nos hic esse, non debet putari contrarium ei quod Matthaëus et marcus ita coniunxerunt, petrum haec suggestisse, quasi adhuc moyses et elias cum domino loquerentur; non enim expresserunt tunc, sed tacuerunt potius quod iste addidit, illis descenditibus, hoc petrum domino suggestisse.

Theophylactus. petro autem dicente faciamus tria tabernacula, dominus tabernaculum non manufactum fabricat, et in eum ingreditur cum prophetis; unde subditur haec autem illo loquente, facta est nubes, et obumbravit eos: ut ostenderet quod non minor est pater: sicut enim in veteri testamento in nube habitare dominus dicebatur, sic et nunc nubes suscepta dominum, non caliginosa, sed lucida.

Basilius. Nam obscuritas legis transierat: sicut enim fumes ab igne, sic nubes a luce causata est. Verum, quia nebula signum tranquillitatis est, quies futurae mansionis ostenditur per nubis operimentum.

Ambrosius. Divini enim spiritus est obumbratio ista, quae non caligat affectibus hominum, sed revelat occulta.

Origenes in Matthaëum. Hanc autem gloriam discipuli sufferre nequeuntes, procubuerunt humiliati sub potenti dextera dei, nimium timentes, cum scirent quod dictum fuit moysi: non videbit homo faciem meam, et

vivet; unde sequitur et timuerunt intransibilibus illis in nubem.

Ambrosius. Cognosce autem nubem istam non coacti aeris caligine piceam, et quae caelum tenebrarum horrore subtexit, sed lucidam nubem, quae nos non pluvialibus aquis immadidet, sed qua mentes hominum in voce dei omnipotentis emissa fidei ros rigavit; sequitur enim et vox facta est de nube, dicens: hic est filius meus dilectus. Non elias filius, non moyses filius; sed hic est filius, quem solum videtis.

Cyrillus. qualiter ergo oportebat eum qui revera filius est, factum vel creatum existimare, Deo patre desuper intonante hic est filius meus? quasi dicat: non unus ex filiis, sed qui vere et naturaliter est filius; ad cuius exemplar alii sunt adoptivi. illi ergo iussit obedire, cum subdit ipsum audite; et magis quam moysen et eliam, quia Christus est finis legis et prophetarum; unde signanter evangelista subdit et dum fieret vox, inventus est iesus solus.

Theophylactus. ne scilicet putaret aliquis hoc dictum hic est filius meus dilectus, de moyse vel elia fuisse prolatum.

Ambrosius. recesserunt ergo illi ubi coeperat dominus designari. Tres etiam in principio videntur, unus in fine: perfecta enim fine unum sunt. Ergo et illi quasi recipiuntur in Christi corpus, quia et nos unum erimus in Christo iesu; aut fortasse quia lex et prophetae ex verbo.

Theophylactus. quae autem ex verbo coeperunt, in verbo desinunt: per hoc enim innuit quod usque ad tempus aliquod lex et prophetae appaerent, sicut hic moyses et elias; postmodum autem solus iesus, illis recedentibus: nam nunc evangelium manet transactis legalibus.

Beda. et nota, sicut domino in iordane baptizato, sic etiam in monte clarificato totius trinitatis mysterium declarari; quia gloriam illius, quam in baptizato confitemur, in resurrectione videbimus. Nec frustra spiritus sanctus hic in lucida nube, illic apparet in columba: quia qui nunc simplici corde fidem quam percepit servat, tunc luce apertae visionis quae crediderat contemplabitur.

Origenes. Non vult autem iesus dici quae ipsius spectant ad gloriam ante suam passionem; unde sequitur et ipsi tacuerunt, et nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his quae viderant: offensi enim fuissent, et praecipue vulgus, si vidisset crucifigi eum qui sic fuerat glorificatus. damascenus. Hoc etiam praecepit dominus, sciens discipulos imperfectos, qui nondum sortiti erant plenam spiritus participationem; ne corda aliorum qui non viderant, subverterentur tristitia: et ne proditor incitaretur ad invidiae rabiem.

LUCA 9,37-43

9937 (Lc 9,37-43)

Beda. Loca rebus congruunt. In monte dominus orat, transformatur, discipulis arcana suae maiestatis aperuit; in inferiora descendens, turbae occursum excipitur; unde dicitur factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illis turba multa. sursum patris vocem pandit, deorsum spiritus malos expellit; unde sequitur et ecce vir de turba exclamavit dicens: magister, obsecro te, respice in filium meum. Titus. Videtur mihi sapiens quidem hic esse; non enim dixit salvatori: fac hoc vel istud; sed respice. Hoc enim sufficit ad salutem, sicut propheta dicebat: respice in me, et miserere mei. Et dicit in filium meum, ut rationabilem demonstret inverecundiam, quod solus in multitudine clamat. Addit quia unicus est mihi; quasi dicat: nullus alius expectatur futurum remedium senectutis. consequenter explicat passionem, ut audientem moveat ad pietatem, dicens et ecce spiritus apprehendit eum, et subito clamat, et elidit, et dissipat eum cum spuma, et vix discedit dilanians eum. deinde videtur criminari discipulos; sed magis respondit, quod iuste verecundiam deposuerit, dicens et rogavi discipulos tuos ut eicerent illum, et non potuerunt; quasi dicat: non putes quod leviter ad te pervenerim: stupenda est dignitas tua, nec statim te molestavi: ad discipulos tuos accessi primo; nunc quia non curaverunt, cogor proficisci ad te; unde et dominus non ipsum, sed genus incredulum increpat; sequitur enim respondens autem iesus dixit: o generatio infidelis et perversa, usquequo ero apud vos, et patiar vos? **Chrysostomus** in Matthaem. Sed hunc hominem multum infirmari in fide, evangeliorum scriptura ostendit ex pluribus; ex eo scilicet quod dixit: adiuva incredulitatem meam, et: si potes, et ex eo quod Christus dixit: credenti omnia possible sunt.

Cyrillus. Unde melius puto incredulum reputatum daemoniaci patrem, quod et sacros apostolos obiurgavit, dicens eos non posse imperare daemonibus; potius autem erat honorando deum ab eo petere gratiam; annuit enim veneratus. Qui autem dicit debilitari erga virtutem quae est in spiritus malignos, eos qui a Christo adepti sunt potestatem eiciendi eos, gratiam magis calumniatur quam fulgentes ea, in quibus

Christus operatur. Unde offenditur Christus accusatis sanctis quibus est commissum verbum praedicationum sacrarum; propter quod dominus increpat eum et concordet ei, dicens o generatio infidelis et perversa; quasi dicat: causa tuae infidelitatis, gratia effectum sortita non est.

Chrysostomus. non autem dirigit sermonem ad eum tantum, sed ad omnes iudaeos, ne faciat eum haesitare: oportebat enim scandalizari quamplures.

Theophylactus. Quod autem dicit perversa, demonstrat quod non a principio, neque naturaliter inerat eis malitia; sed natura quidem erant recti semen abrahamae existentes, sed per malitiam erant perversi.

Cyrillus. Quasi nescientes procedere rectis incessibus. Cum eis autem qui sic sunt dispositi, Christus commorari dedignatur; unde dicitur usquequo ero apud vos, et patiar vos? ferens quasi moleste eorum conversationem propter pravitatem ipsorum.

Chrysostomus. per hoc etiam ostendit desideratum sibi esse suum recessum, et quod non erat grave crucis patibulum, sed magis ipsorum conversatio.

Beda. non quod taedio superatus sit mansuetus et mitis; sed in similitudinem medici si aegrotum videat contra sua praecepta se gerere, dicat: usquequo accedam ad domum tuam, me aliud iubente, te aliud faciente? intantum autem non est iratus homini, sed vitio, ut statim intulerit adduc huc filium tuum. Titus. Poterat quidem solo iussu eum liberare; sed pro palat suam passionem subiciens infirmum praesentium visioni. Deinde daemonium, postquam dominum sensit, concutit puerum; unde sequitur et cum accederet, elisit illum daemonium et dissipavit; ut sic prius exprimatur passio, deinde adhibeatur remedium.

Chrysostomus. non tamen hoc dominus ad ostentationem facit, sed causa patris; ut cum viderit daemonium conturbari propter solam vocationem, sic saltem inducatur ad fidem futuri miraculi; de quo sequitur et increpavit iesus spiritum immundum, et sanavit puerum, et reddidit illum patri eius.

Cyrillus. Antea autem non erat patris, sed daemonis occupantis. Subdit autem evangelista stupere plebem in magnaliis dei, dicens stupebant autem omnes in magnitudine dei, quod dicit propter donum Christi, qui sacris quoque apostolis contulit potestatem agendi divina miracula, et imperandi daemonibus.

Beda. Mystice autem pro qualitate meritorum quotidie aliis ascendit dominus, dum perfectos, quorum conversatio in caelis est, sublimius extollendo glorificat, et de aeternis instruit, et docet quae a turbis audiri non valent; aliis autem descendit, dum terrenos et insipientes confortat, docet et castigat. Hunc autem daemonicum Matthaeus lunaticum, marcus surdum et mutum describit: significat enim illos qui ut luna mutantur, per diversa vitia crescentes et decrescentes; qui muti sunt non confitendo fidem, et surdi, nec ipsum fidei audiendo sermonem. dum puer autem ad dominum accedit, eliditur: quia conversi ad dominum plerumque a daemonio gravius pulsantur, ut vel odium virtutis incutiat, vel expulsionis suae vindicet iniuriam: sicut ecclesiae primordiis tot gravissima intulit certamina, quot suo regno doluit subito illata dispendia. Non puerum autem qui vim patiebatur, sed daemonem qui inferebat increpat: quia qui peccantem emendare desiderat, vitium arguendo et odiendo depellere, sed hominem debet amando refovere, donec sanatum spiritualibus ecclesiae possit reddere patribus.

LUCA 9,44-45

9944 (Lc 9,44-45)

Cyrillus. Omnia quaecumque operabatur iesus, admiratione digna penes omnes erant: irradiabat enim quiddam praecipuum et divinum in qualibet operatione ipsius, secundum illud: gloriam et decorem superpones ei. Et si omnes quidem mirarentur in his quae faciebat, ipse tamen haec quae sequuntur, non omnibus, sed discipulis retulit; unde dicitur omnibusque mirantibus in omnibus quae faciebat, dixit ad discipulos suos: ponite vos in cordibus vestris sermones istos. Ostenderat in monte discipulos gloriam suam, et post hoc liberaverat quemdam a spiritu nequam; sed oportebat eum sustinere passionem pro nobis. Poterant autem discipuli conturbari dicentes: numquid decepti sumus dum deum esse eum arbitraremur? ut ergo scirent quid circa ipsum futurum erat, velut quoddam depositum iubet eos in mente habere passionis mysterium, dicens ponite vos in cordibus vestris. Quod dicit vos, distinguit eos ab aliis: neque enim oportebat vulgares scire quoniam passurus esset; sed erant potius certificandi quoniam mortuus resurgeret, destruens mortem, ne scandalizarentur. titus. Cunctis igitur admirantibus signa, ipse praenuntiat passionem: non enim signa salvant, sed crux beneficia praestat; unde subditur filius enim hominis futurum est ut tradatur in manus hominum.

Origenes in Matthaëum. Non autem exprimit manifeste a quo tradendus sit: aliquis enim dicit eum tradendum a iuda, aliquis a populo. Paulus autem dicit quod deus pater pro nobis omnibus tradidit eum; sed iudas tamquam pro pecunia tradens eum hostiliter prodidit; sed pater beneficii causa.

Theophylactus. Eorum autem infirmitati dominus condescendens et eos disciplina quadam gubernans, quod de cruce dictum est, intelligere non permisit; unde sequitur at illi ignorabant verbum istud, et erat velatum ante eos ut non sentirent illud.

Beda. Haec ignorantia discipulorum non tam de tarditate quam de amore nascitur; qui carnales adhuc, et mysterii crucis ignari, quem deum verum crediderunt, morituum credere nequiverunt: et quia per figuras eum saepe loquentem audire solebant, etiam quae de sua traditione loquebatur, figurative eum illud significare putabant.

Cyrillus. Dicet autem aliquis forsan: qualiter ignoraverunt discipuli crucis Christi mysterium, cum per umbram legis in pluribus locis tangeretur? sed, ut paulus commemorat, usque ad hodiernum diem, quando legitur moyses, velamen adiacet cordi eorum. Expediit ergo accedentes ad Christum dicere: detege oculos meos, et contemplantur mirabilia de lege tua.

Theophylactus. vide etiam discipulorum reverentiam in hoc quod sequitur et timebat interrogare eum de hoc verbo: nam timor gradus est reverentiae.

LUCA 9,46-50

9946 (Lc 9,46-50)

Cyrillus. Insidiatur diabolus multimode diligentibus optimam vitam; et si quidem per carnales illecebras obsidere valet alicuius mentem, affectus voluptatem exacuit: si quis hos effugerit laqueos cupidinis, gloriae suscitatur passionem, quae quidem passio vanae gloriae invasit quemdam apostolorum suorum; unde dicitur intravit autem cogitatio in eos, quis eorum esset maior: hoc enim cogitare est cupientis ceteris superesse. improbable autem puto omnes discipulos hanc aegritudinem incurrisse: et ideo ne crimen aliquod contra aliquem discipulorum evangelista machinari videretur, exprimit indeterminate dicens, quod intravit in eos cogitatio.

Theophylactus. videtur autem hanc passionem ex hoc ortam fuisse quod daemonicum curare non valuerunt, eis de hoc altercantibus; uno dicente quod non propter meam impotentiam, sed alterius curari non valuit, ut ex hoc accensa contentio fuerit quis eorum maior esset.

Beda. Vel quia viderant petrum, iacobum et iohannem seorsum ductos in montem, et petro claves regni caelorum promissas fuisse, irati sunt, vel ipsos tres ceteris, vel petrum omnibus esse praelatum: vel quia tributi solutione petrum ipsi domino parificatum viderant, ipsum prae ceteris arbitrabantur praeferendum. Sed diligens lector hanc intra eos quaestionem etiam ante didrachma redditum inveniet fuisse versatam. denique Matthaëus hoc in capharnaum memorat esse gestum. dicit autem marcus: et venerunt capharnaum. Qui cum in domo essent, interrogabat eos: quid in via tractabatis? at illi tacebant: siquidem inter se in via disputaverant quis illorum esset maior.

Cyrillus. dominus autem, qui novit salvos facere, videns in mente discipulorum super hoc cogitationem exortam, velut quamdam amaritudinis radicem, priusquam augmentum susciperet, radicitus eam evellit: cum enim inchoant passionem in nobis, facile devincuntur; sed auctae difficile sunt mobiles; unde sequitur at iesus videns cogitationes cordis eorum, apprehendit puerum et statuit illum penes se. Discat qui nudum hominem putat esse iesum, se errasse; quamvis enim verbum caro factum sit, mansit tamen deus: nam solius dei est posse rimari corda et renes. Quod autem puerum assumpsit, et ponebat penes se, agebatur causa apostolorum utilitatis et nostrae. Depascitur enim inanis gloriae morbus ut plurimum eos, qui praeeminent in hominibus aliis. Puer autem sinceram gerit mentem, immaculatum cor, et manet in simplicitate cogitationum: non ambit honores, nec novit cuiusvis praeogativae modum, nec refugit videri minus se habere, non multam gerit severitatem in mente et corde. Tales autem dominus amplexatur, et diligit, et prope se dignatur habere, quasi qui elegerunt quae sua sunt sapere. Ait enim: discite a me, quia mitis sum et humilis corde; unde sequitur et ait: quicumque susceperit puerum istum in nomine meo, me recipit; quasi dicat: quando una et eadem est merces honorantibus sanctos, sive forsan minimus sit, sive praeclarus honore et gloria, quia in eo Christus suscipitur; quomodo non vanum est petere invicem fungi praeogativa? **Beda.** in hoc autem vel simpliciter pauperes Christi ab his qui velint esse maiores, pro eius

docet honore suscipiendos; vel malitia parvulos istos esse suadet; unde cum diceret quicumque susceperit puerum istum, addit in nomine meo; ut scilicet formam virtutis, quam natura duce puer observat, ipsi pro nomine Christi rationis industria sequantur. sed quia et se in puero suscipi docet, et ipse puer natus est nobis, ne putaretur hoc esse solum quod videbatur, subiunxit et quicumque me recipit, recipit illum qui misit me: talem se utique ac tantum credi volens, qualis et quantus est pater.

Ambrosius. Qui enim imitatore Christi recipit, Christum recipit; et qui imaginem dei recipit, deum recipit. Sed quia imaginem dei non poteramus videre, facta est nobis per incarnationem verbi praesens, ut reconciliaretur nobis quae supra nos est, divinitas.

Cyrillus. Adhuc autem magis insinuat praemissi verbi intentionem, dicens nam qui minor est inter vos omnes, hic maior est. Quod de modesto dicit, qui nihil de se sublime putat propter honestatem.

Theophylactus. Quia dominus dixerat qui minor est inter vos omnes, hic maior est, timuit iohannes ne forte malum aliquod fecerint, propria potestate quemdam hominem prohibentes; nam prohibitio non minorem prohibentem ostendit, sed maius aliquid sapientem; unde subditur respondens autem iohannes dixit: praeceptor, vidimus quemdam in nomine tuo eicientem daemona, et prohibuimus eum: non quidem invidentes, sed operationem miraculorum diiudicantes: non enim cum eis miraculorum potestatem acceperat, neque eum dominus miserat sicut illos, neque iesum in omnibus sequebatur; unde subdit qui non sequitur te nobiscum.

Ambrosius. Iohannes enim plurimum diligens, et ideo redamatus plurimum, excludendum putat beneficio eum qui non utatur obsequio.

Cyrillus. sed oportebat magis pensare non hunc ipsum esse miraculorum auctorem, sed gratiam quae est in eo qui in virtute Christi miracula perficit. Quid autem si non connumerentur apostolis qui Christi gratia coronantur? multae sunt differentiae Christi donorum; sed quia tradidit salvator potestatem apostolis ut spiritus immundos eicerent, putaverunt nulli aliorum quam sibi solis licere concessam gerere dignitatem; et ideo accedunt sciscitantes si liceat et aliis hoc agere.

Ambrosius. non reprehenditur autem iohannes, quia amore faciebat, sed docetur, ut noverit infirmorum esse firmorumque distantiam. et ideo dominus etsi fortiores remunerat, tamen non excludit infirmos; unde sequitur et ait ad illos iesus: nolite prohibere: qui enim non est adversum vos, pro vobis est. Bene, domine: nam et ioseph et nicodemus, occulti discipuli propter metum, in tempore tamen suum tibi officium non negaverunt. Sed tamen, quia alibi dixisti: qui non est mecum, adversum me est, et qui mecum non colligit, dispergit, aperi nobis, ne videatur esse contrarium. Et puto, quia si quis mentium consideret scrutatorem, non debeat dubitare uniuscuiusque factum mente discerni.

Chrysostomus. Illic enim cum dixit: qui non est mecum, adversum me est, ostendit diabolum et iudaeos sibi esse contrarios; hic autem ostendit eum qui in nomine Christi daemones eiciebat, in parte cum eis existere.

Cyrillus. quasi dicat: pro vobis, qui Christum diligitis, sunt qui prosequi volunt quae ad ipsius gloriam spectant, eiusdem gratia coronati.

Theophylactus. Mirare autem Christi virtutem, qualiter per indignos et non discipulos eius gratia operatur; sicut et per sacerdotes sanctificantur homines, quamvis sacerdotes sancti non fuerint.

Ambrosius. Cur autem hic eos qui possunt per manus impositionem immundis imperare spiritibus in nomine iesu, negat esse prohibendos? secundum Matthaenum dicit his: non novi vos. Sed advertere debemus, non esse sententiarum discordiam; sed illud censerit, quod non solum officii in clericos, sed etiam virtutis opera requirantur; tantumque esse Christi nomen, ut etiam parum sanctis opituletur ad praesidium, etsi non opituletur ad gratiam: unde nemo purgati hominis sibi gratiam vindicet, in quo aeterni nominis virtus operata sit: non enim merito suo diabolus, sed odio sui vincitur.

Beda. Itaque in haereticis et malis catholicis non sacramenta communia in quibus nobiscum sunt et adversum nos non sunt, sed divisionem paci veritatisque contrariam, qua adversum nos sunt, et dominum non sequuntur nobiscum, detestari et prohibere debemus.

9951 (Lc 9,51-56)

Cyrillus. Cum immineret tempus quo decebat dominum, peracta passione salubri, caelum ascendere, decrevit ascendere ierosolymam; unde dicitur factum est autem, dum completerentur dies assumptionis eius, et ipse faciem suam firmavit ut iret in ierusalem. Titus. Quia ibi oportebat verum agnum offerri, ubi figuralis agnus immolabatur. Dicit autem firmavit faciem suam; idest, non huc et illuc ibat, nec perambulabat vicos et municipia, sed iter tenebat versus ierusalem.

Beda. Cessent ergo pagani quasi hominem ridere crucifixum, quem et tempus suae crucifixionis constat quasi deum praevidissee, et quasi sponte crucifigendus locum quo crucifigendus erat firmata facie, idest obstinata atque imperterrita mente, petiisse.

Cyrillus. Misit autem nuntios paraturos ei et comitibus eius hospitium; qui cum ivissent ad terram samaritanorum, non fuerunt admissi; unde sequitur et misit nuntios ante conspectum suum; et euntes intraverunt in civitatem samaritanorum, ut pararent illi. Et non receperunt illum.

Ambrosius. Disce quia recipi noluit ab his quos sciebat non simplici mente conversos; nam si voluisset, ex indevotis devotos fecisset; sed deus quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit. Cur autem non receperunt, evangelista memorat dicens quia facies eius erat euntis in ierusalem.

Theophylactus. sed si intelligamus quod propter hoc illum non receperunt quia ire ierusalem determinaverat, inveniuntur hi excusati qui non receperunt eum. Sed dicendum est, quod in hoc quod dicit evangelista: et non receperunt illum, intelligitur illud quod neque in samariam venit; deinde quasi aliquo interrogante quare non receperunt ipsum, neque eos adivit, solvens dicit, non quia impotens esset, sed quod illuc ire nolebat, sed magis hierosolymam.

Beda. Vel ierusalem ire conspicientes samaritani, dominum non recipiunt: non enim contumuntur iudaei samaritani, ut iohannes ostendit.

Cyrillus. Sed cum dominus, quia omnia noverat, sciret quod eius nuntii non essent a samaritanis recipiendi, ideo tamen praecepit eis quod praecederent, quia mos erat ei omnia satagere erga profectum discipulorum. ascendebat quidem hierosolymam propinquante tempore passionis. Ut igitur quando pati eum viderent, non scandalizarentur, considerantes quod oportet patientes esse cum contumelias inferunt aliqui, praemisit quasi quoddam praeludium samaritanorum repulsam. Profuit autem eis et aliter. Futuri enim erant doctores orbis terrarum, civitates et villas percurrentes ad praedicandum evangelicam doctrinam; quibus aliquando occurrerent aliqui minime recipientes sacram praedicationem, quasi non concedentes secum commorari iesum. Docuit igitur eos quod divinam annuntiantes doctrinam pleni esse debebant patientia et mansuetudine; non autem hostiles et iracundi, et in peccantes in eos atrociter insurgentes: sed adhuc non erant tales; immo zelo fervido concitati, volebant ignem de caelo super eos deducere. sequitur cum vidissent autem discipuli eius iacobus et iohannes, dixerunt; domine, vis dicimus ut ignis descendat de caelo, et consumat illos? **Ambrosius.** sciebant enim, et phinees reputatum ad iustitiam quia sacrilegos interemerat, et ad preces eliae ignem descendisse de caelo, ut prophetae vindicaretur iniuria.

Beda. Sancti enim viri quod optime scirent mortem istam, quae animam dissolvit a corpore, non esse formidandam; secundum eorum tamen animum qui illam timerent, nonnulla peccata morte punierunt, quo et viventibus utilis metus incuteretur, et illis qui morte puniebantur, non ipsa mors noceret, sed peccatum, quod augeri posset si viverent.

Ambrosius. Sed vindicetur qui timet: vindictam non quaerit qui non timet. Similiter ostenditur nobis in apostolis fuisse merita prophetarum, quando eamdem sibi potestatem quam propheta meruit, impetrandi iure praesumunt; et bene praesumunt quod ad sermonem suum ignis de caelo descenderet, quoniam filii sunt tonitruum. Titus. censetur autem ab eis multo iustius esse samaritanos perire, dominum non admittentes, quam quinquaginta servum excludere tentantes. Dominus autem in eos non commovetur, ut ostenderet quia non habet ultionis studium perfecta virtus, nec ulla sit iracundia ubi plenitudo est caritatis; nam nec excludenda est infirmitas, sed iuvanda. Procul a religiosis indignatio, procul a magnanimis cupiditas ultionis; unde sequitur et conversus increpavit illos, et dixit: nescitis cuius spiritus estis.

Beda. Reprehendit in eis dominus non exemplum prophetae sancti, sed ignorantiam vindicandi, quae adhuc erat in rudibus, animadvertens eos non amore correptionem, sed odio desiderare vindictam. itaque posteaquam eos docuit quid esset diligere proximum tamquam seipsum, infuso etiam spiritu sancto non defuerunt tales vindictae, quamvis multo rarius quam in veteri testamento: quia, sicut sequitur, filius hominis non venit animas perdere, sed salvare; quasi dicat: et vos ergo, qui eius spiritu signati estis, etiam acta eius

imitamini, nunc pie consulentes, sed in futuro iuste iudicantes.

Ambrosius. non enim semper in eos qui peccaverunt est vindicandum; quia nonnunquam amplius prodest clementia, tibi ad patientiam, lapso ad correptionem. Denique samaritani citius crediderunt, a quibus hoc loco ignis arcetur.

LUCA 9,57-62

9957 (Lc 9,57-62)

Cyrillus. Etsi munificus sit omnium dominus, non simpliciter et improvide singulis dat superna et divina dona, sed illis qui digni sunt recipere, qui scilicet animam suam alienant a maculis pravitatum; et hoc nos docet evangelicorum verborum virtus, cum dicitur factum est autem ambulatibus illis in via, dixit quidam ad illum: sequar te quocumque ieris. primo quidem plurima continetur in accessu inertia; consequenter ostenditur quod plenus impudentia nimia: neque enim simpliciter Christum sequi petebat, sicut alii plures de populo; sed magis insiliebat ad apostolicas dignitates, cum paulus dicat: non assumat quisquam sibi honorem, sed a Deo vocatus.

Athanasius. ausus etiam fuit comparare se incomprehensibili salvatoris potestati, dicens sequar te quocumque ieris: eo quod sequi salvatorem simpliciter ad eius audiendam doctrinam possibile est humanae naturae proprietate, qua fungitur erga homines; non est autem possibile secum concurrere ubilibet existenti: ipse namque incomprehensibilis est, et non circumscribitur loco.

Cyrillus. Alio quoque modo non immerito recusabilem facit eum; decebat enim ipsum crucem suam accipere ad sequendum dominum, et abrenuntiare praesentis vitae affectibus: et hoc dominus in eo reprehendit, non vituperans, sed corrigens. sequitur et ait iesus: vulpes foveas habent et volucres caeli nidos; filius autem hominis non habet ubi caput suum reclinet.

Theophylactus. Quia enim viderat dominum multum populum adducentem, putavit quod ab eis haberet pretium, et quod si ipse dominum sequeretur, posset pecuniam congregare.

Beda. unde dicitur ei: quid me propter divitias et lucra huius saeculi cupis sequi, cum tantae sim paupertatis ut nec hospitium quidem habeam, et non meo utar tecto? **Chrysostomus.** Aspice qualiter paupertatem quam dominus docuerat, per opera demonstrat. Non erat ei mensa, non candelabrum, non domus, nec quicquam aliud talium.

Cyrillus. Mystica autem significatione vulpes et volatilia caeli malignas et astutas potestates daemonum vocat: quasi dicat: quando vulpes et volatilia in te mansionem habent, qualiter Christus in te requiescet? quid commune est luci et tenebris? Athanasius. Vel in hoc dominus magnitudinem sui muneris docet; quasi dicat: omnia generabilia circumscribi possunt; verbum vero dei incomprehensibilis potestatis est: et ideo ne dicas sequar te quocumque ieris. ceterum si velis discipulus fieri, abdicas irrationabilia: eo quod impossibile est eum qui moratur in irrationabilitate, verbi discipulum fieri.

Ambrosius. Vel vulpes haereticis comparat: fallax quippe animal et insidiis semper intentum, rapinam fraudis exercet: nihil tutum, nihil otiosum, nihil patitur esse securum, eo quod intra ipsa hospitia hominum praedam requirit. Ita sunt haeretici, qui domum sibi parare non norunt, sed circumscriptionibus suis alios decipere conantur. Hoc animal neque mansuescit unquam; unde apostolus ait: haeticum hominem post unam correctionem devita. Volucres vero caeli frequenter ad nequitiae spiritualis similitudinem derivantur; et veluti nidos quosdam struunt in pectoribus improborum: et ideo dominante versutia in affectibus singulorum, nulla potest divinitatis esse possessio; ubi autem mentem probaverit innoxiam, supra ipsum quodammodo vim suae maiestatis reclinat, quia profusiore quadam gratia honorum pectoribus inseritur. Sic igitur non videtur convenire rationi ut simplicem fidelemque ipsum arbitremur qui domini dignatione respuitur, cum indefessi famulatus obsequium spondidisset. Sed dominus non obsequiorum speciem, sed puritatem quaerit affectus; nec obsequium eius admittitur cuius non probatur officium: circumspectum etenim fidei debet esse hospitium: ne dum infidelibus nostrae domus interna reseramus, in alienam perfidiam improvida credulitate labamur. Itaque ut advertas deum non cultus aspernantem esse, sed fraudis; qui repudiavit fraudulentum, elegit innocentem; sequitur enim ait autem ad alterum: sequere me. Sed hoc dicit ei cuius patrem iam sciebat mortuum; unde sequitur ille autem dixit: domine, permitte mihi primum ire et sepelire patrem meum.

Beda. Non discipulatum respuit; sed expleta primum paterni funeris pietate, liberior assequi desiderat.

Ambrosius. Sed dominus quos miseretur advocat; unde sequitur dixitque iesus: sine ut mortui sepeliant mortuos suos; tu autem vade, et annuntia regnum dei. Cum religiosum humani corporis sepeliendi acceperimus officium, quomodo paterni quoque funeris sepultura prohibetur, nisi ut intelligas humana posthabenda divinis? bonum studium, sed maius impedimentum; nam qui partitur studium, derivat affectum; qui dividit curam, differt profectum; ergo prius sunt obeunda quae maxima: nam et apostoli ne occuparentur studio dispensandi, ministros pauperibus ordinaverunt.

Chrysostomus in Matthaëum. Quid autem magis necessarium paternis exequiis; quid facilius, cum non esset multum temporis dandum? per hoc docemur quod minime tempus frustra ducere decet, etsi mille cogentia sint; immo praeferre spiritualia cunctis admodum necessariis. Diabolus enim insistit attentius, volens aliquem aditum invenire; et si modicam sumat negligentiam, magnam operatur pusillanimitatem.

Ambrosius. Non ergo paterni funeris sepultura prohibetur: sed necessitudini generis divinae religionis pietas antefertur. Illud consortibus relinquitur, hoc mandatur relictis. Quomodo autem mortui sepelire mortuos possunt, nisi geminam hic intelligas mortem, unam naturae, alteram culpae? est etiam mors tertia, in qua peccato morimur, Deo vivimus.

Chrysostomus in Matthaëum. cum ergo dixisset mortuos suos, ostendit hunc non esse mortuum eius; puto enim de numero infidelium fuisse defunctum.

Ambrosius. Aut quia sepulchrum patens est guttur impiorum, memoria eorum abolenda praescribitur quorum simul cum corpore meritum occidit; nec revocatur ab officio patris filius, sed fidelis a perfido communionem secernitur; non interdictum est muneris, sed religionis mysterium, communionem nobis cum gentibus mortuis non futuram.

Cyrillus. Vel aliter. Erat enim pater senectute gravatus. Putat autem honestum aliquid agere, dum proponeret observare ei debitam pietatem, secundum illud: honora patrem tuum et matrem tuam. Unde ubi vocatus est ad evangelicum ministerium, dicente domino sequere me, quaerebat inducias quae sufficere possent ad decrepiti patris sustentationem dicens permittite mihi primum ire, et sepelire patrem meum: non quod defunctum patrem sepelire rogaret; neque enim Christus hoc agere volentem impedivisset; sed dixit sepelire, idest sustentare in senectute usque ad mortem. sed dominus ad eum dixit sine mortuos sepelire mortuos suos: erant enim et alii curatores linea parentelae astricti, sed, ut aestimo, mortui, eo quod nondum Christo crediderant. Hinc percipe quod praeferenda sit pietas qua Deo tenemur, amoris parentum; quibus reverentiam exhibemus, quia per eos geniti sumus; sed omnium deus, cum non essemus, ad esse nos conduxit; parentes autem facti sunt ministri introitus ad esse.

Augustinus de cons. Evang.. Hoc ergo dicebat dominus illi cui dixerat sequere me. alius vero discipulus misit se in medio, cui nemo aliquid dixerat; unde sequitur et alter ait: sequar te, domine, sed primum permittite mihi ire, et renuntiare his qui domi sunt, ne forte, quomodo fieri solet, quaerant me.

Cyrillus. Imitanda autem huiusmodi promissio, et omni laude plena; sed quaerere renuntiare his qui domi sunt, licentiando se ab eis, ostendit quod utcumque divisus sit a domino, dum hoc non perfecte adire proposuerit mente: nam velle consulere proximos non consensuros huic proposito, indicat se utcumque, labentem: propter quod dominus hoc improbat. sequitur ait ad illum iesus: nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno dei. apposuit manum aratro qui affectuosus est ad sequendum; tamen respicit retro qui dilationem petit, occasione redeundi ad domum et cum propinquis conferendi.

Augustinus de verb. Dom.. quasi dicat ei: vocat te oriens, et tu attendis occidentem.

Beda. Manum etiam cuilibet in aratrum mittere, est quasi quodam compunctionis instrumento, ligno et ferro dominicae passionis duritiem sui cordis atterere, atque ad serendos bonorum operum fructus aperire; quam si quis excolere incipiens cum uxore lot ad ea quae reliquerat, respicere delectatur, futuri iam regni munere privatur.

Graecus. Crebri namque intuitus eorum quae deseruimus, propter consuetudinem trahunt ad retro acta: violentum enim quid usus est ad retinendum sibi. Nonne habitus ex usu, ex habitu vero natura innascitur? naturam vero amovere vel alterare difficile: nam et si paulisper declinet coacta, redit ad seipsam velociter.

Beda. Si autem secuturus dominum discipulus, quia vel domi renuntiare velit arguitur, quid fiet illis qui nulla utilitatis gratia saepe visitant domos illorum quos in mundo reliquerunt?

LUCA 10,1-2

10001 (Lc 10,1-2)

Beda. Bene septuaginta duo mittuntur, quia totidem mundi gentibus evangelium praedicandum erat: ut quomodo duodecim primo, propter duodecim tribus israel; ita et hi propter exterarum gentes destinarentur imbuendas.

Augustinus de quaest. Evang.. sicut etiam viginti quatuor horis totus orbis peragitur atque lustratur, ita mysterium illustrandi orbis per evangelium trinitatis in septuaginta duobus discipulis intimatur: ter enim viginti quatuor septuaginta duo faciunt.

Beda. Sicut autem duodecim apostolos formam episcoporum praemonstrare nemo est qui dubitet; sic et hos septuaginta duos figuram presbyterorum, id est secundi ordinis sacerdotum, gessisse sciendum est; tametsi primis ecclesiae temporibus, ut apostolica scriptura testis est, utriusque presbyteri, utriusque vocabantur et episcopi; quorum unum sapientiae maturitatem, aliud industriam curae pastoralis significat.

Cyrillus. huius etiam forma in verbis moysi figurabatur, qui iubente Deo septuaginta elegit, quibus deus spiritum infundebat. in numeris etiam scriptum est de filiis israel, quod venerunt in helim, quod interpretatur ascensus; et erant ibi duodecim fontes aquarum, et septuaginta palmae. Convolantes enim ad augmentum spirituale reperimus duodecim fontes, scilicet sacros apostolos, a quibus haurimus salutis scientiam sicut a fontibus salvatoris; et septuaginta palmas, hos scilicet qui nunc destinati sunt a Christo. est enim palma arbor bonae medullae, bene radicata et fertilis, et semper nascens in aquis, alta simul, et frondes porrigens sursum. sequitur et misit illos binos.

Gregorius in evang.. Binos in praedicatione discipulos mittit, quia duo sunt praecepta caritatis, dei scilicet amor, et proximi; et minus quam inter duos caritas haberi non potest: quatenus in hoc nobis tacitus innuat, quia qui caritatem erga alterum non habet, praedicationis officium suscipere nullatenus debet.

Origenes. sicut etiam ex duodecim bini et bini numerati fuerunt, ut in eorum catalogo Matthaeus ostendit: quod enim bini famularentur dei verbo antiquum esse videtur: eduxit enim deus israel de aegypto per manus moysi et aaron: iosue quoque et caleb concordantes pacaverunt provocatum a duodecim exploratoribus populum; unde dicitur: frater a fratre adiutus ut civitas vallata.

Basilius. Simul etiam per hoc indicavit quod si aliqui pares sunt in spiritualibus donis, hoc non sinet in eis praevalere propriae opinionis passionem.

Gregorius in evang.. Bene autem subditur ante faciem suam in omnem civitatem et locum quo erat ipse venturus: praedicatores enim suos dominus sequitur: quia praedictio praevenit, et tunc ad mentis nostrae habitaculum dominus venit quando verba exhortationis praecurrunt, atque per hoc veritas in mente suscipitur. hinc praedicatoribus isaias dicit: parate viam domini, rectas facite semitas dei nostri.

Theophylactus. Designaverat autem dominus discipulos propter multitudinem doctoribus indigentem: sicut enim agri spicati multos menses desiderant, sic qui credituri erant innumerabiles existentes, multis doctoribus indigebant; unde sequitur messis quidem multa.

Chrysostomus. sed qualiter messem vocat, cum res ad praesens exordium sumant? nondum iacto aratro aut sulcis productis, de messibus tractat. Poterant enim discipuli vacillare et secum meditari, et dicere: qualiter nos numerus brevis emendare poterimus totum mundum, idiotae sophistas, munitos nudi, dominantes subiecti? ne igitur consideratione talium turbarentur, vocat evangelium messem; quasi dicat: parata sunt omnia, mitto vos ad paratam collectionem fructuum; eodem die et serere potestis et metere. Sicut ergo colonus exiens ad messes laetatur, sic etiam vos multo amplius et alacrius necessarium est exire in mundum: nam hoc negotium messis est, agros nobis exhibens praeparatos.

Gregorius. Sed non sine gravi moerore loqui possumus quod subditur operarii vero pauci: quia etsi sunt qui bona audiant, desunt qui dicant. ecce mundus sacerdotibus plenus; sed tamen in messe dei rarus valde reperitur operator: quia officium quidem sacerdotale suscipimus, sed opus officii non implemus.

Beda. Sicut autem messis multa est omnis turba credentium, ita operarii pauci sunt apostoli et imitatores eorum, qui mittuntur ad messem.

Cyrillus. Sicut autem agri spatiosi messorum multos exigunt, sic et multitudo creditorum in Christum; unde subdit rogate autem dominum messis ut mittat operarios in messem suam. Illud autem attende, quod cum dixisset rogate dominum messis ut mittat operarios in messem suam, ipse postmodum hoc peregit. Ipse igitur est dominus messis, ac per eum et cum eo deus pater omnibus dominatur.

Chrysostomus in Matthaem. Multiplicavit autem postmodum eos, non addens ad numerum, sed concedens virtutem. insinuat autem quam magnum donum est operarios mitti in messem divinam, per hoc quod dicit, dominum messis super hoc esse rogandum.

Gregorius in evang.. Per hoc etiam inducendi sunt subditi ut pro suis pastoribus rogent, ut digna eis operari valeant, nec ab exhortatione torpeat lingua; saepe enim pro sua nequitia praedicantium restringitur lingua: saepe vero ex subiectorum culpa agitur ut eis qui praesunt, praedicationis sermo subtrahatur.

LUCA 10,3-4

10003 (Lc 10,3-4)

Cyrillus. Narrat lucas consequenter, septuaginta discipulos vindicasse sibi a Christo apostolicam eruditionem, modestiam, innocentiam, aequitatem, nihilque mundanorum sacris praedicationibus praeferre, aspirare autem adeo ad fortitudinem mentis ut nullum terribilium formident, neque ipsam mortem; unde dicit ite.

Chrysostomus in Matthaem. erat enim inter omnia pericula eorum solatium virtus mittentis eos, et ideo dicit ecce ego mitto vos; quasi dicat: hoc sufficit ad consolationem vestram, hoc sufficit ad sperandum, et non timendum supervenientia mala, quae significat subdens sicut agnos inter lupos. isidorus abbas. Denotans simplicitatem et innocentiam: nam debacchantes et sua enormitate iniuriantes naturae, non agnos appellat, sed hoedos.

Ambrosius. Contraria autem sunt sibi ista animalia, ut alia ab aliis devorentur, scilicet agni a lupis; sed bonus pastor lupos gregi suo timere non novit; ideoque isti discipuli non in praedam, sed ad gratiam diriguntur; sollicitudo enim pastoris boni efficit ut lupi in agnos audere nihil possint. Mittit ergo agnos inter lupos, ut completeretur illud: tunc lupi et agni simul pascentur.

Chrysostomus. Hoc enim fuit manifestum indicium praeclari triumphi, ut circumdati essent discipuli Christi ab hostibus, quasi agni inter lupos; eos tamen converterent.

Beda. Vel specialiter lupos vocat scribas et pharisaeos, qui sunt clerici iudaeorum.

Ambrosius. Vel lupis sunt haeretici comparandi: lupi enim bestiae sunt quae insidiantur ovilibus, et circa pastorales versantur casas. Habitacula domorum intrare non audent; somnum canum, absentiam aut desidia pastorum explorant; ovium guttur invadunt ut cito strangulent; feri, rapaces, natura corporis rigidiores, ut se facile non possint inflectere, impetu quodam suo feruntur, et ideo saepe deluduntur. Si quem priores hominem viderint, vocem eius quadam naturae vi feruntur eripere; si autem homo prius eos viderit, exagitari memorantur. sic haeretici insidiantur ovilibus Christi, fremunt circa caulas nocturno tempore: semper enim perfidis nox est, qui lucem Christi nebulis pravae interpretationis obducunt; stabula tamen Christi intrare non audent; et ideo non sanantur, sicut curatus est ille in stabulo qui incidit in latrones. Explorant pastoris absentiam, quia praesentibus pastoribus oves Christi incusare non possunt; quadam etiam mentis intentione duri ac rigidi nequaquam solent a suo errore deflectere; quos scripturae verus interpres Christus illudit; ut in vanum suos effundant impetus, et nocere non possint: qui si quem versuta disputationis suae circumscriptione praeveniunt, faciunt obmutescere; mutus est enim qui verbum dei non eadem qua est gloria confitetur. Cave igitur ne tibi vocem tollat haeticus, ne priorem non ipse deprehenderit: serpit enim dum latet eius perfidia. Si autem commenta impietatis eius agnoveris, iacturam piae vocis timere non poteris. Guttur invadunt, vitalibus vulnus affigunt, dum animam petunt. Si etiam audies aliquem sacerdotem dici, et rapinas eius cognoscis, foris ovis, intus lupo est, qui humanae necis insaturabili crudelitate rabiem suam desiderat explere.

Gregorius. multi enim cum regiminis iura suscipiunt, ad lacerandos subditos inardescunt, terrorem potestatis exhibent; et quia caritatis viscera non habent, domini videri appetunt, patres se esse minime recognoscunt: humilitatis locum in elationem dominationis immutant. Contra quae omnia considerandum nobis est, quia sicut agni inter lupos mittimur, ut sensum servantem innocentiae, morsum malitiae non

habeamus: qui enim locum praedicationis suscipit, mala inferre non debet, sed tolerare; quem et si quando zelus rectitudinis exigit ut erga subiectos saeviat, intus paterna pietate diligat quos foris quasi insequendo castigat: quod tunc rector bene exhibet, cum terrenae cupiditatis oneribus nequaquam mentis colla supponit; unde subditur nolite portare sacculum neque peram.

Gregorius nazianzenus. quorum summa est ut adeo virtuosus existant quod non minus propter vitae modum quam propter eorum verbum evangelium proficiat.

Gregorius in evang.. tanta enim praedicatorum debet esse in Deo fiducia ut praesentis vitae sumptibus quamvis non provideant, tamen sibi hos non deesse certissime sciant: ne dum mens eius occupatur ad temporalia, minus aliis provideat aeterna.

Cyrillus. Sic igitur praeceperat nec de ipso subiecto curam habere, cum dixerat mitto vos sicut agnos inter lupos. nec etiam concessit sollicitos esse erga extrinseca corpori, cum dixit nolite portare sacculum neque peram. Nec etiam concessit portare aliquid eorum quae nondum unita sunt corpori; unde subdit neque calceamenta. Non solum autem sacculum et peram portare prohibuit, sed nec aliquam studii distractionem permisit assumere, quos nec ab obviantium salutatione distrahi voluit; unde subdit et neminem per viam salutaveritis: quod et dudum ab eliseo dictum fuit; quasi dicat: recto tramite ad opus procedite, non alternantes benedictionibus benedictiones: damnum enim est expendere tempus praedicationibus competens.

Ambrosius. non ergo haec dominus prohibuit quod benevolentiae displiceret officium, sed quod persequendae devotionis intentio plus placeret.

Gregorius nazianzenus. Mandavit etiam hoc eis dominus ad verbi gloriam, ne videretur in eis magis vigere blanditias: voluit etiam eos non esse sollicitos in verbis alienis.

Gregorius. Haec autem verba si quis etiam per allegoriam velit intelligi, pecunia clausa in sacculo est sapientia occulta. Qui igitur sapientiae verbum habet, et hoc erogare proximo negligit, quasi pecuniam in sacculo ligatam tenet. Per peram vero, onera saeculi, per calceamenta mortuorum operum exempla significantur. Qui ergo officium praedicationis suscipit, dignum non est ut onus saecularium negotiorum portet; ne dum hoc eius colla deprimit, ad praedicanda caelestia non assurgat: nec debet stultorum operum exempla conspiciere, ne sua opera quasi ex mortuis pellibus credat munire; ne scilicet quia alios talia fecisse considerat, se etiam facere licenter putet.

Ambrosius. Nihil etiam dominus in nobis mortale vult esse. Mortale enim atque terrenum calceamentum moyses iubetur solvere, cum mitteretur ad populum liberandum. Quod si quem movet qua ratione in aegypto calceati iubentur edere agnum, apostoli autem sine calceamento ad praedicandum evangelium diriguntur; is considerare debet, quia in aegypto positus debet adhuc morsus cavere serpentis, multa enim venena in aegypto: et qui typo pascha celebrat, patere potest vulnere: qui autem minister est veritatis, venena non trepidat.

Gregorius. omnis autem qui salutatur in via, ex occasione salutatur itineris, non ex studio optandae salutis. Qui igitur non amore aeternae patriae, sed praemiorum ambitu salutem audientibus praedicat, quasi in itinere salutatur: quia ex occasione et non ex intentione salutem audientibus exoptat.

LUCA 10,5-12

10005 (*Lc 10,5-12*)

Chrysostomus. Bonorum omnium mater pax est, sine qua cetera inania sunt: propter quod dominus discipulis intrantibus domos, illico pacem iussit proferre tamquam bonorum indicium, dicens in quamcumque domum intraveritis, primum dicite: pax huic domui.

Ambrosius. Ut scilicet pacis perferamus nuntium, ipse primus ingressus pacis benedictione celebretur.

Chrysostomus. Unde pontifex ecclesiae tradit eam, dicens: pax vobis. implorant autem pacem sancti, non solum eam quae versatur inter homines ad invicem, sed et eam quae pertinet ad nos ipsos: nam saepius in pectore bellum gerimus, et nullo molestante turbamur, nec non prava desideria contra nos crebro insurgunt. Titus. Dicitur autem pax huic domui, scilicet habitantibus domum: omnes alloquantur, maiores pariter et minores, neque cum indignis vestra salutatio dirigitur; unde subditur et si ibi fuerit filius pacis, requiescet

super illum pax vestra; quasi dicat: vos quidem proferetis verbum, res autem pacis applicabitur meo iudicio, ubicumque dignum esse videbitur. Si quis autem non sit dignus, non estis delusi, nec verborum vestrorum gratia periit; immo recipiatur ad vos; et hoc est quod subditur sin autem, ad vos revertetur.

Gregorius. pax enim quae ab ore praedicatoris offertur, aut requiescet in domo, si in ea fuerit quisquam praedestinatus ad vitam, et caeleste verbum sequitur, quod audit; aut si nullus audire voluerit, ipse praedicator sine fructu non erit, quia ad eum pax revertitur, dum ei a domino pro labore sui operis merces recompensatur. si autem pax nostra recipitur, dignum est ut ab eis terrena stipendia consequamur, quibus patriae caelestis praemia offerimus; unde sequitur in eadem autem domo manete edentes et bibentes quae apud illos sunt. Ecce qui peram et sacculum portari prohibuit, sumptus et alimenta ex eadem praedicatione concedit.

Chrysostomus. Sed ne aliquis diceret: consumo res proprias parando advenis mensam, illum primo intrantem facit tibi pacis donum offerre, cui nihil est aequale, ut scias te maiora, quam des, suscipere. Titus. Vel aliter continua. quia non estis constituti iudices eorum qui sunt digni vel indigni, edatis et bibatis quae vobis offeruntur ab eis. Dimittite autem mihi eorum qui vos recipiunt examen; nisi vobis quoque sit notum non esse ibi filium pacis; tunc enim fortassis retrocedere debetis.

Theophylactus. vide igitur qualiter discipulos mendicare instituit, et pro pretio eos nutrimentum habere voluit; nam subditur dignus est enim operarius mercede sua.

Gregorius in evang.. Sunt enim iam de mercede operarii ipsa alimenta sustentationis; ut hic merces de labore praedicationis inchoetur quae illic de veritatis visione perficitur. Qua in re considerandum est quod uni nostro operi duae mercedes debentur: una in via, quae nos in labore sustentat; alia in patria, quae nos in resurrectione remunerat. Merces itaque quae in praesenti recipitur, hoc in nobis debet agere ut ad sequentem mercedem robustius tendatur. Verus ergo quisque praedicator non ideo praedicare debet ut in hoc tempore mercedem accipiat; sed ideo mercedem recipere ut praedicare valeat. Quisque namque ideo praedicat ut hic laudis vel muneris mercedem recipiat, aeterna mercede se privat.

Ambrosius. Subditur virtus alia, ne de domo in domum quis vaga facilitate demigret; sequitur enim nolite transire de domo in domum: ut scilicet amore hospitali servemus constantiam, neque aliquam amicitiae necessitudinem facile resolvamus.

Beda. Descripto autem diversae domus hospitio, quid iam in civitatibus agere debeant docet: piis scilicet in omnibus communicare, ab impiorum vero per omnia societate secerni; unde sequitur et in quamcumque civitatem intraveritis, et susceperint vos, manducate quae apponuntur vobis.

Theophylactus. Quamvis modica existant et vilia, nihil amplius inquirentes. denuntiat etiam eis ut operantes miracula homines ad suas praedicationes attraherent; unde subdit et curate infirmos qui in illa sunt, et dicite illis: appropinquavit in vos regnum dei. si enim prius curaveritis, deinde docueritis, prosperabitur sermo, et homines credent regnum dei appropinquare: non enim curarent, nisi hoc aliqua virtus divina perficeret. Sed etiam cum secundum animam curantur, appropinquat in eos regnum dei, quod longe est ab eo cui dominatur peccatum.

Chrysostomus in Matthaeeum. Vide autem dignitatem apostolorum: nihil sensibile monentur proferre, qualia qui circa moysen et prophetas, scilicet bona terrena; sed quaedam nova et mirabilia, scilicet regnum dei.

Maximus. Dicitur autem appropinquavit: non ut ostendat temporis brevitatem; neque enim regnum dei venit cum observatione; sed ostendit dispositionem hominum ad regnum dei; quod quidem potentia est in omnibus credentibus, actu vero in his qui respuunt corporalem vitam, et solam eligunt spiritualem, qui dicere possunt: vivo autem non ego, sed vivit in me Christus.

Ambrosius. Deinde docet excutiendum de pedibus pulverem, si quis recipiendos civitatis hospitio non putaverit, dicens in quamcumque civitatem intraveritis, et non receperint vos, exeuntes in plateas eius, dicite: etiam pulverem pedum, qui adhaesit nobis de civitate vestra, extergimus in vos.

Beda. Vel ad contestationem terreni laboris quem pro illis inaniter susceperunt; vel ut ostendatur usque adeo se ab ipsis nihil terrenum quaerere ut etiam pulverem de terra eorum non sibi patiantur adhaerere. Vel per pedes ipsum opus et incessus praedicationis significatur; pulvis vero quo asperguntur, terrenae levitas est cogitationis, a qua et summi doctores immunes esse nequeunt. qui ergo spreverint doctrinam, labores et pericula docentium, ad testimonium suae damnationis inflectunt.

Origenes. extergendo ergo pulverem pedum in eos, quodammodo dicunt: pulvis peccatorum vestrorum merito veniet super vos. Et attende, quod quaecumque civitates non suscipiunt apostolos sanamque doctrinam, habent plateas, iuxta illud: lata est via quae ducit ad perditionem.

Theophylactus. Et sicut recipientibus apostolos appropinquare regnum dei dicitur in beneficium, sic non recipientibus in praeiudicium; unde subdit tamen hoc scitote, quia appropinquavit regnum dei; sicut adventus regis est quibusdam ad poenam, quibusdam vero ad honorem; unde de eorum poena subditur dico autem vobis, quia sodomis in illa die remissius erit quam illi civitati.

Eusebius. nam in civitate sodomitarum non caruerunt angeli hospitio; sed lot inventus est dignus eos hospitari. Si ergo ad accessum discipulorum, nec unus invenietur in civitate qui eos recipiat, quomodo non peior erit civitate sodomorum? hic sermo docebat eos audacter aggredi regulam paupertatis: non enim posset consistere civitas et villa, nec vicus, sine aliquo incola noto deo: nam nec sodoma subsisteret non reperto lot, quo recedente tota repente periit.

Beda. Sodomitae quoque ipsi etsi inhospitales fuerint inter cetera carnis animaeque flagitia, nulli tamen apud eos tales hospites quales apostoli reperti sunt: et lot quidem aspectu et auditu iustus erat, non tamen ibi aliquid docuisse aut signa fecisse perhibetur.

LUCA 10,13-16

10013 (Lc 10,13-16)

Ambrosius. Docet dominus graviori poenae obnoxios fore qui evangelium non sequendum quam qui legem iudicaverunt esse solvendam, dicens vae tibi, corozaim, vae tibi, bethsaida.

Beda. corozaim, bethsaida et capharnaum, tiberias quoque, quam iohannes nominat, civitates sunt galilaeae, sitae in littore lacu genezareth, qui ab evangelistis mare galilaeae, vel tiberiadis appellatur. Plangit ergo dominus has civitates, quae post tanta miracula atque virtutes non poenituerunt, peioresque sunt gentilibus naturale tantum ius dissipantibus: quia post descriptae legis contemptum, filium quoque dei et gloriam eius spernere non timuerunt; unde sequitur quia si in tyro et sidone factae fuissent virtutes quae in vobis factae sunt, olim in cilicio et cinere sedentes poeniterent. In cilicio, quod de pilis caprarum contextitur, asperam peccati pungentis memoriam significat; in cinere autem mortis considerationem, per quam in pulverem redigimur, demonstrat. porro in sessione humilitatem propriae conscientiae significat. Impletum autem videmus hodie dictum salvatoris: quia corozaim et bethsaida praesente domino credere noluerunt: tyrus autem et sidon et quondam david ac salomon amici fuere, et post evangelizantibus Christi credidere discipulis.

Chrysostomus in Matthaeum. Deplorat autem dominus has civitates ad nostrum exemplum: eo quod effusio lacrymarum et gemitus amarus super patientes insensibilitatem doloris, non modicum antidotum est et ad correctionem patientium, et ad remedium ingemiscentium super eos. non solum autem per deplorationem inducit eos ad bonum, sed etiam per terrorem; unde sequitur verumtamen tyro et sidoni remissius erit quam vobis in iudicio. Hoc et nos audire debemus: non enim solum illis, sed etiam nobis peius iudicium statuit, nisi receperimus intrantes ad nos hospites, quorum pulverem praecepit excutere. Cum autem plurima signa fecisset dominus in capharnaum, et eum ipsa incolam habuisset, videbatur super alias civitates exaltata; sed propter incredulitatem cecidit in ruinam; unde sequitur et tu, capharnaum, usque in caelum exaltata, usque ad infernum demergeris; ut scilicet iudicium sit proportionabile honori.

Beda. Duplex autem in hac sententia sensus est. Vel ideo ad infernum demergeris, quia contra praedicationem meam superbissime restitisti, ut scilicet intelligatur in caelum exaltata per superbiam: vel ideo quia es exaltata usque ad caelum meo hospitio, et meis signis, maioribus plecteris suppliciiis, quia his quoque credere noluisti. Et ne quis putaret hanc increpationem vel tantummodo civitatibus vel personis convenire quae dominum in carne videntes spernebant, et non omnibus qui hodie quoque evangelii verba despiciunt; consequenter adiunxit, dicens qui vos audit, me audit.

Cyrillus. per quod docet, quicquid per sanctos apostolos dicit, acceptandum esse: quia qui illos audit, Christum audit. Inevitabilis ergo poena haereticis imminet, qui apostolorum negligunt verba; sequitur enim et qui vos spernit, me spernit.

Beda. ut scilicet in audiendo quisque vel spernendo evangelii praedicationem, non viles quasque

personas, sed dominum salvatorem, immo ipsum patrem spernere se vel audire disceret; nam sequitur qui autem me spernit, spernit eum qui misit me: quia in discipulo magister auditur, et in filio pater honoratur.

Augustinus de verb. Dom.. Si autem sermo dei ad vos quoque pervenit, et in eo loco vos constituit, videte ne spernatis nos, ne ad illum perveniat quod nobis feceritis.

Beda. Potest et ita intelligi: qui vos spernit, me spernit; idest, qui non facit misericordiam uni de fratribus meis minimis, nec mihi facit. Qui autem me spernit, nolens credere filium dei, spernit eum qui me misit: quia ego et pater unum sumus. Titus. Simul autem in hoc discipulos consolatur; quasi dicat: non dicatis: cur imus passuri contumelias? accomodate linguam; ego praebeo gratiam, in me vestra redundat contumelia.

LUCA 10,17-20

10017 (Lc 10,17-20)

Cyrillus. Supra dictum est, quod dominus misit discipulos gratia spiritus sancti insignitos, et facti praedicationis ministri potestatem super immundos spiritus acceperunt; nunc autem reversi confitentur honorantis eos potentiam; unde dicitur reversi sunt autem septuaginta duo cum gaudio dicentes: domine, etiam daemones subiciuntur nobis in nomine tuo. Videbantur quidem gaudere magis quod facti sunt miraculorum auctores, quam quod facti erant praedicationis ministri. erat autem melius eos gaudere in illis quos ceperunt, sicut vocatis per ipsum dicit paulus: gaudium meum et corona mea.

Gregorius moralium. mire autem dominus ut in discipulorum cordibus elationem premeret, iudicium ruinae retulit, quod ipse magister elationis accepit; ut in auctore superbiae discerent quid de elationis vitio formidarent; unde sequitur videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem.

Basilus. Dicitur satanas, eo quod adversatur bono; hoc enim significat nomen hebraicum; sed diabolus dicitur, eo quod cooperatur nobis in malo, et accusator sit. Natura eius est incorporea, locus aereus.

Beda. Non autem dicit: modo video, sed: prius videbam, quando corruit. Quod autem ait sicut fulgur, vel praecipitem de supernis ad ima lapsum significat; vel quia deiectus adhuc transfiguratur se in angelum lucis. titus. Se autem dicit vidisse tamquam iudicem, qui novit incorporeorum passiones. vel dicit sicut fulgur, quia natura fulgidus erat ut fulgur; sed factus est tenebrosus propter affectum; quia quod deus fecit bonum, hoc ipse in se alteravit in malum.

Basilus. Supernae enim virtutes non sunt naturaliter sanctae, sed secundum analogiam divini amoris mensuram sanctificationis sortiuntur. Et sicut ferrum positum in igne non desinit esse ferrum, vehementi tamen flammae unione tam effectu quam aspectu in ignem pertransit; sic et almae virtutes ex participatione eius quod est naturaliter sanctum, insitam habent sanctificationem: neque enim cecidisset satanas, si natura fuisset insusceptibilis mali.

Cyrillus. Vel aliter. videbam satanam sicut fulgur de caelo cadentem, idest a suprema potentia in extremam fragilitatem. Nam ante salvatoris adventum subegerat sibi orbem, et ab omnibus colebatur; sed cum unigenitum verbum dei de caelo descendit, corruit tamquam fulgur, quia conculcatur ab adorantibus Christum; unde sequitur et ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes et scorpiones. Titus. Serpentes quidem aliquando figuraliter in deserto mordebant iudaeos et necabant eos, eo quod infideles erant; venit autem qui serpentes illos perimeret aeneus serpens crucifixus, ut si quis credens in eum prospexerit, liberetur a morsibus et salvetur.

Chrysostomus. Deinde ne putaremus hoc dici de bestiis, subiunxit et supra omnem virtutem inimici.

Beda. hoc est omne genus immundorum spirituum de obsessis corporibus eiciendi; et quantum ad ipsos subdit et nihil vobis nocebit: quamvis et ad litteram possit accipi: paulus enim a vipera invasus nihil mali patitur, et iohannes hausto veneno non laeditur. Hoc autem inter serpentes qui dente et scorpiones qui cauda nocent, distare arbitror, quod serpentes aperte saevientes, scorpiones clanculo insidiantes, vel homines vel daemones significant. vel serpentes qui inchoandis virtutibus venena pravae persuasionis obiciunt: scorpiones qui consummatas virtutes ad finem vitiare intendunt.

Theophylactus. Vel serpentes sunt qui visibiliter nocent, veluti fornicationis et homicidii daemon: qui vero invisibiliter nocent, scorpiones vocantur, sicut in vitiis spiritualibus.

Gregorius nyssenus. Voluptas etiam serpens dicitur in scriptura, cuius natura est quod si caput eius muri stricturam attigerit, totum sequens corpus ad se trahit: sic natura necessarium concessit homini domicilium; sed per hanc necessitatem aggrediens voluptas animum ad immoderatum quemdam ornatum pervertit; ad hoc subsequenter avaritiam trahit, quam impudicitia sequitur, idest ultimum membrum, et cauda bestialitatis. Sed quemadmodum non est per caudam serpentem retrahi, sic non est incipiendum ab ultimis ad evellendum voluptates, nisi quis priorem aditum obturet malitiae.

Athanasius. deludunt autem nunc per Christi virtutem pueri voluptatem, quae quondam seducebat grandaevos; et virgines perseverant conculcantes serpentinae voluptatis fallacias. Sed et quidam ipsum aculeum scorpionis, idest diaboli, conculcantes, scilicet mortem, non timuerunt interitum; verbi gratia, martyres facti; plerique vero postpositis terrenis, libero gressu conversantur in caelis, principem aeris non timentes. titus. Sed quia laetitia qua eos laetos videbat, inanem gloriam sapiebat: gaudebant enim quod quasi sublimes effecti, terribiles hominibus et daemonibus erant: ideo dominus subiungit verumtamen in hoc nolite gaudere, quia spiritus subiciuntur vobis.

Beda. De subiectione spirituum, cum caro sint, gaudere prohibentur: quia spiritus eicere, sicut et virtutes alias facere, interdum non est eius meriti qui operatur; sed invocatio nominis Christi hoc agit ad condemnationem eorum qui invocant, vel ad utilitatem eorum qui vident et audiunt.

Cyrillus. sed cur, domine, non sinis laetari in honoribus a te collatis, cum scriptum sit: in nomine tuo exultabunt tota die? sed dominus eos ad maius gaudium erigit; unde subdit gaudete autem quia nomina vestra scripta sunt in caelis.

Beda. Quasi dicat: non oportet vos de daemonum humiliatione, sed de vestra sublimatione gaudere. Salubriter autem intelligendum est, quod sive caelestia, sive terrestria quis opera gesserit, per hoc quasi litteris annotatus apud dei memoriam sit aeternaliter affixus.

Theophylactus. scripta sunt enim nomina sanctorum in libro vitae, non encausto, sed memoria dei et gratia. Et diabolus quidem desuper cadit; homines vero inferius existentes superius ascribuntur in caelis.

Basilus. Quidam autem sunt qui scribuntur quidem non in vita, sed, secundum ieremiam, in terra; ut secundum hoc intelligatur duplex quaedam descriptio, horum quidem ad vitam, illorum ad perditionem. quod autem dicitur: deleantur de libro viventium, intelligitur de his qui digni putabantur in libro dei conscribi; et secundum hoc fieri dicitur scripturae mutatio, quando a virtute delabimur in peccatum, vel e contra.

LUCA 10,21-22

10021 (Lc 10,21-22)

Theophylactus. Sicut benignus pater videns filios suos dirigi, gaudet; sic et Christus exultat, quod apostoli tantis bonis facti sunt digni; unde dicitur in ipsa autem hora exultavit in spiritu sancto.

Cyrillus. Inspexit quidem per spiritus operationem, quam apostolis tradidit, plurimum acquisitionem; unde in spiritu sancto laetatus dicitur, idest in effectibus, qui per spiritum sanctum proveniunt: quasi enim amator hominum, gaudii reputabat materiam conversionem errantium; de quo gratias agit; unde sequitur confiteor tibi, pater, domine caeli et terrae.

Beda. confessio non semper poenitentiam, sed et gratiarum actionem significat, ut in psalmis saepissime legimus.

Cyrillus. Ecce autem, inquit illi quorum corda perversa sunt, gratias refert filius patri tamquam minor. Sed quid impedit consubstantiali filium laudare proprium genitorem, mundum salvantem per eum? quod si censes confessionis causa hunc esse minorem, aspice quod vocat eum patrem suum, et dominum caeli et terrae. titus. Alia enim per Christum ex non entibus producta sunt; sed solus ipse incomprehensibiliter a patre est genitus: solius enim unigeniti tamquam veri filii naturaliter pater est; unde solus patri dicit confiteor tibi, pater; hoc est, glorifico te. Nec mireris si patrem filius glorificat: tota enim hypostasis unigeniti, genitoris est gloria: nam quae facta sunt, et caelum et angeli, gloria sunt creatoris: verum quia haec nimis infime sita sunt respectu dignitatis ipsius, solus filius, cum deus perfecte sit similis genitori, perfecte glorificat patrem.

Athanasius. novimus etiam saepius salvatorem humana proferre; habet enim adiunctam humanitatem divinitas; nec tamen propter corporis tegimen deum ignores. Sed quid respondent in hoc qui volunt subsistentiam esse mali, formant vero sibi deum alium a vero patre Christi, et hunc dicunt esse unigenitum mali creatorem et nequitiae principem, nec non mundialis machinae conditorem? ait autem dominus, approbans verba moysi, confiteor tibi, pater, domine caeli et terrae. Epiphanius. editum vero a marcione evangelium habet, eucharisto, idest, gratias ago tibi, domine caeli: tacens quod dicitur pater, et quod dicitur et terrae, ne videatur Christus opificem caeli et terrae habere patrem suum. Redarguitur autem, quia idem paulo infra habet: ita, pater.

Ambrosius. Postremo aperit caeleste mysterium, quo placuit Deo ut parvulis, magis quam prudentibus mundi suam gratiam revelaret; unde sequitur quod abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis.

Theophylactus. Potest sic distingui ut dicatur a sapientibus, idest a pharisaeis et scribis legem interpretantibus, et prudentibus, idest ab his qui a scribis fuerant docti; sapiens enim est qui docet, prudens vero qui docetur. Parvulos vero vocat dominus suos discipulos, quos non legis doctores, sed de turba et piscatores elegit, qui sunt vocati parvuli, quasi non malevoli.

Ambrosius. Vel parvulum hic accipiamus qui se exaltare non noverit, et phaleratis sermonibus artem suae iactare prudentiae: quod pharisaei plerique faciunt.

Beda. Gratias igitur agit, quod apostolis quasi parvulis adventus sui aperuit sacramenta, quae ignoraverunt scribae et pharisaei, qui sibi sapientes videntur, et in conspectu suo prudentes.

Theophylactus. Abscondita igitur sunt mysteria ab his qui putant se esse sapientes, et non sunt: nam si essent, eis revelata fuissent.

Beda. Unde sapientibus et prudentibus, non insipientes et hebetes, sed parvulos, idest humiles opposuit, ut probaret se tumorem damnasse, non acumen.

Origenes. Sensus enim defectus praeparatio fit supervenientis perfectionis: qui enim non sentit quod careat vero bono, propter bonum praesens, quod sibi inesse videtur, vero bono privatur.

Chrysostomus in Matthaeum. non autem laetatur et gratias agit quod dei mysteria latebant scribas et pharisaeos: haec enim non erat materia alacritatis, sed gemitus; sed de hoc gratias agit, quia quod sapientes non noverant, hi noverunt. Gratias autem super hoc agit patri, cum quo ipse simul hoc facit, ostendens nimiam dilectionem qua diligit nos. Ostendit autem consequenter, quod huius rei causa prima, voluntas sua sit, et patris, qui propria voluntate hoc agebat; unde sequitur etiam, pater, quia sic placitum fuit ante te.

Gregorius. his verbis exempla humilitatis accipimus, ne temere discutere superna consilia de aliorum vocatione aliorumve repulsione praesumamus: iniustum enim esse non potest quod placuit iusto. In cunctis ergo quae exterius disponuntur, apertae causa rationis est occultae iustitiae voluntatis.

Chrysostomus. Cum vero dixisset confiteor tibi, quia revelasti ea parvulis, ne putares quod ipse Christus hac virtute privatus non posset hoc facere, subiungit omnia tradita sunt mihi a patre meo.

Athanasius. Hoc non recte intelligentes arii sequaces delirant in dominum, dicentes: si data sunt ei omnia, idest dominium creaturae, fuit tempus quo ea non habuit; et sic non est de substantia patris: nam si esset, non esset ei opus recipere. Sed ex hoc magis dementia eorum carpitur. Si enim priusquam recepisset vacabat creatura a verbo, qualiter salvabitur illud: omnia in eo consistunt? ceterum si simul postquam facta est creatura, tota fuit tradita ei, non erat opus tradere; per ipsum namque facta sunt omnia. Non ergo, ut ipsi putant, significatur hic creaturae dominium; immo significativum est hoc verbum factae dispensationis in carne: postquam enim homo peccavit, perturbata sunt omnia; unde verbum caro factum est, ut omnia restauraret. Data sunt ergo ei omnia, non quia potestate careret, sed ut salvator emendet universa; ut sicut per verbum omnia in principio introducta sunt in esse, ita cum verbum caro factum est, in ipso omnia restaurentur.

Beda. Vel dicit omnia sibi tradita, non mundi elementa, sed hi quibus parvulis spiritu sacramenta filii pater revelavit, et de quorum salute, cum haec loqueretur, exultavit.

Ambrosius. Vel cum omnia legis, omnipotentem agnoscis, non degenerem patris; cum tradita legis, filium

confiteris; cui per naturam omnia unius substantiae iura sunt propria, non dono collata per gratiam. Cum autem dixisset omnia sibi fore a patre tradita, ascendit ad propriam gloriam et excellentiam, ostendens in nullo se superari a patre; unde subdit et nemo novit quis sit filius, nisi pater, et quis sit pater, nisi filius. Non valet enim creaturae intentio comprehendere modum divinae substantiae, quae omnem superat intellectum, et decor eius quamlibet considerationem transcendit; sed a seipsa quid sit natura divina cognoscitur. itaque pater per id quod est, novit filium; et filius per id quod est, novit patrem, non interveniente aliqua differentia quantum ad divinitatis naturam: quod enim sit deus, credimus; quid autem naturaliter sit incomprehensibile est. Si vero creatus est filius, quomodo solus sciret patrem, aut quomodo a solo patre sciretur? scire namque naturam divinam impossibile est cuilibet creaturae; scire autem quodcumque eorum quae creata sunt quid sit, non transcendit quemlibet intellectum, quamvis superet nostrum sensum.

Athanasius. Hoc autem domino dicente, constat arianos ei obsistere, dum dicunt non videri patrem a filio. Sed eorum ostenditur insania, si seipsum non novit verbum, quod omnibus patris et sui praestat notitiam; sequitur enim et cui voluerit filius revelare. Titus. Est autem revelatio traditio notionis iuxta proportionem naturae et virtutum uniuscuiusque; et ubi quidem est natura consimilis, ibi est cognitio sine doctrina; hic autem est per revelationem disciplina.

Origenes. Vult autem revelare ut verbum, non irrationabiliter, et tamquam iustitia, qui novit digne et tempora revelandi et mensuras revelationis. Revelat autem removens oppositum cordi velamen, necnon tenebras quas posuit in sui latibulum. Sed quoniam ex hoc putant qui alterius sunt opinionis, construere nefarium suum dogma, quod scilicet ignotus erat pater iesu sanctis antiquis; dicendum est eis, quoniam quod dicitur cuicumque vult filius revelare, non solum retorquetur ad tempus futurum, ex quo salvator hoc protulit, sed etiam ad tempus praeteritum. quod si velint hoc verbum revelare pro praeterito sumere, dicendum est eis, quod non est idem cognoscere et credere. Alii datur per spiritum sermo scientiae, alii fides in eodem spiritu. erant ergo primo quidem credentes, non autem cognoscentes.

Ambrosius. Ut scias autem quia sicut filius patrem quibus vult revelat, etiam pater revelat quibus vult filium; audi dominum dicentem: beatus es, simon bariona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in caelis est.

LUCA 10,23-24

10023 (Lc 10,23-24)

Theophylactus. Quia superius dixerat: nemo novit quis sit pater, nisi filius, et cui voluerit filius revelare, beatificat discipulos quibus pater per eum revelabatur; unde dicitur et conversus ad discipulos suos dixit: beati oculi qui vident quae vos videtis.

Cyrillus. convertitur quidem ad eos, quia repellens iudaeos surdos, et caecam mentem gerentes, nec videre volentes, totum se praebebat diligentibus eum; et beatos asserit oculos videntes quae prius aliis ipsi videbant. Illud tantum scire convenit, quia videre non significat actum oculorum, sed mentis recreationem in praestitis beneficiis; puta si quis dicat: iste vidit bona tempora, idest gavisus est in bonis temporibus, secundum illud: videas bona ierusalem. Multi enim iudaeorum viderunt Christum divina operantem, corporali scilicet intuitu; nec tamen omnibus beatificatio convenit: non enim crediderunt, sed neque viderunt gloriam dei oculis mentis. Beatificati sunt ergo oculi nostri in hoc quod fide vidimus verbum pro nobis hominem factum, imprimens nobis decorem sui numinis, ut nos sibi conformes faciat per sanctificationem atque iustitiam.

Theophylactus. beatificat autem eos, et omnes simpliciter qui eum fide respiciunt, ex hoc quod antiqui prophetae et reges deum in carne videre et audire optaverunt; unde sequitur dico enim vobis quod multi prophetae et reges voluerunt videre quae vos videtis, et non viderunt; et audire quae auditis, et non audierunt.

Beda. Matthaeus apertius prophetas et iustos appellat; ipsi enim sunt reges magni, quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo praeesse noverunt.

Chrysostomus. ex hoc autem dicto plures existimant prophetas caruisse Christi notitia. sed si optaverunt videre quae viderunt apostoli, noverunt illum venturum ad homines et dispensaturum quae dispensavit: nullus enim habet horum appetitum quae mente non concepit: noverant ergo filium dei: unde non simpliciter dicit voluerunt videre me, sed quae vos videtis; nec audire me, sed quae vos auditis. Viderant enim ipsum,

non tamen iam incarnatum, nec sic cum hominibus conversantem, nec tanta maiestate eis loquentem.

Beda. Illi enim a longe inspicientes per speculum et in aenigmate viderunt; apostoli autem in praesentiarum habentes dominum, quaecumque voluissent interrogando discentes, nequaquam per angelos aut alias visionum species opus habebant doceri.

Origenes. Sed quare dicit plerosque prophetas optasse, non autem omnes? quia de abraham dicitur quod vidit diem Christi et laetatus est; quam visionem non plures, immo pauci contigerunt. Fuerunt autem alii prophetae et iusti non tanti ut visionem abraham et peritiam apostolorum attingerent; et hos dicit non vidisse, sed optasse.

LUCA 10,25-28

10025 (Lc 10,25-28)

Beda. Dixerat supra dominus, quod nomina eorum scripta sunt in caelis: unde, ut puto, occasionem tentandi dominum legisperitus assumpsit; unde dicitur et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum.

Cyrillus. Erant enim quidam verbosi circumeuntes totam regionem iudaeorum, incusantes Christum et dicentes, quod praeceptum moysi inutile diceret, ipse autem quasdam novas doctrinas promeret. volens ergo legisperitus seducere Christum, ut aliquid contra moysen loqueretur, adest tentans ipsum, magistrum vocans, doceri non patiens. Et quia dominus solitus erat his qui veniebant ad eum, loqui de vita aeterna, utitur legisperitus eius eloquiis. Et quia tentabat astute, nihil aliud audit nisi quae per moysen edita sunt; sequitur enim at ille dixit ad eum: in lege quid scriptum est? quomodo legis? **Ambrosius.** Erat enim ex his qui sibi legisperiti videntur, qui verba legis tenent, vim legis ignorant: et ex ipso legis capitulo docet esse legis ignaros, probans quod in principio statim lex patrem et filium praedicaverit et incarnationis dominicae annuntiaverit sacramentum: sequitur enim ille respondens dixit: diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo et ex tota anima tua et ex omnibus viribus tuis et ex tota mente tua.

Basilus. Quod dicitur tota mente tua, in cetera non recipit sectionem: nam quantamcumque dilectionem in infimis expenderis, hoc tibi necessario a toto deficiet. Sicut enim in vase aliquo pleno liquore, quantum emanat foras, tantum necesse est plenitudini derogari; sic et in anima, in quantum emanaverit ab ipsius dilectione ad illicita, intantum minui necessarium est amorem ad deum.

Gregorius nyssenus. In tria autem quaedam animae vis discernitur. Haec enim est augmentativa solum et nutritiva, quae etiam in plantis reperitur; alia est quae sensualiter disponitur, quae salvatur in natura irrationalium animalium; perfecta autem vis animae est rationalis, quae in natura humana conspicitur. Dicendo ergo cor, substantiam corporalem significavit, scilicet nutritivam; dicendo vero animam, mediocrem, idest sensitivam; dicendo vero mentem, altiorem naturam, idest intellectivam et considerativam potentiam.

Theophylactus. Hic igitur intelligendum est, quod oportet nos omnem virtutem animae amori divino subicere, et hoc viriliter, et non remisse; unde additur et ex omnibus viribus tuis.

Maximus. Cum hac igitur intentione trinam ad deum dilectionem lex pertractat, ut avellat nos a trina mundi habitudine, qua respicitur ad possessiones, ad gloriam, et ad voluptates; in quibus etiam tentatus est Christus.

Basilus. Si quis autem quaerit quo pacto divina dilectio poterit obtineri, dicemus, quoniam indocibilis est divina dilectio: nam nec lucis gaudere praesentia, nec vitam amplecti ab alio didicimus, vel amare parentes aut alumnos; et multo magis divinae dilectionis doctrinam. sed seminalis quaedam ratio nobis insita est intrinsecus, habens causas ut homo Deo adhaereat; quam rationem accipiens doctrina divinorum praeceptorum colere diligenter, cauteque fovere, et ad perfectionem divinae gratiae perducere consuevit: naturaliter enim bonum amamus, amamus etiam proprium et cognatum, necnon et benefactoribus sponte affectionem totam profundimus. Si igitur bonus est deus, omnia vero bonum desiderant, quod voluntarie perficitur, naturaliter nobis inest; quem etsi per bonitatem minime novissemus, ex hoc tamen quod ab ipso processimus, tenemur ipsum ultra modum amare, tamquam scilicet nobis cognatum. maior etiam est et benefactor omnibus qui naturaliter diliguntur. Est igitur primum et praecipuum mandatum divinae dilectionis; secundum autem primi completivum, et ab eo completum, quo monemur diligere proximum: unde sequitur et proximum tuum sicut teipsum. Sortimur autem a Deo potentiam ad huius executionem mandati. Quis autem non novit quoniam mansuetum et communicativum animal est homo, non autem solitarium et

silvestre? nihil enim tam proprium est nostrae naturae, sicut ad invicem communicare, et mutuo indigere, et cognatum diligere. Quorum ergo praeveniens dominus nobis tradidit semina, horum consequenter fructus requirit.

Chrysostomus. Tu tamen attende qualiter fere cum eodem excessu postulat utrumque praeceptum; de Deo enim ait toto corde tuo; de proximo sicut teipsum: quod si diligenter observaretur, nec servus esset nec liber, nec victor nec victus, nec dives nec pauper, nec notus unquam esset diabolus: potius enim paleae ignis sustinerent immissionem, quam fervorem caritatis diabolus; adeo cuncta superat dilectionis constantia.

Gregorius moralium. cum autem dicatur diliges proximum tuum sicut teipsum, quomodo alteri miserando pius est qui adhuc iniuste vivendo sit impius sibimetipsi? **Chrysostomus.** Cum autem legisperitus respondisset quae continebantur in lege, Christus, cui nota sunt omnia, scindit fallaciae eius retia; sequitur enim dixitque illi: recte respondisti; hoc fac, et vives.

Origenes. Ex his indubitanter colligitur, quod vita quae praedicatur secundum mundi creatorem deum et antiquas scripturas ab eo traditas, vita perpetua est; attestatur enim dominus sumenti ex deuteronomio quidem illud diliges dominum deum tuum; ex levitico vero illud diliges proximum tuum sicut teipsum. Haec autem dicta sunt contra sequaces valentini, basilidis et marcionis. quid enim aliud voluit nos facere ad quaerendum vitam aeternam, nisi quae continent lex et prophetae?

LUCA 10,29-37

10029 (Lc 10,29-37)

Ambrosius. Respondit etiam quod nesciret proximum suum, quia non credebat in Christum; et qui Christum nescit, nescit legem. Cum enim veritatem ignoret, quomodo potest scire legem, quae annuntiat veritatem? Theophylactus. Salvator autem non actibus aut dignitatibus, sed natura determinat proximum: quasi dicat: non putes quod quamvis iustus sis, nullus tibi sit proximus: omnes namque qui eandem naturam communicant, proximi tui sunt. Fias igitur et tu eorum proximus, non loco, sed affectu, et circa eos cura; et ad hoc samaritanum in exemplum ducit; unde sequitur suscipiens autem iesus dixit: homo quidam descendebat ab ierusalem in iericho.

Graecus. Bene est generis appellatio; non enim ait: descendit quidam, sed homo quidam: nam sermo fit de tota humanitate.

Augustinus de quaest. Evang.. Homo enim iste ipse adam intelligitur in genere humano; ierusalem civitas pacis, illa caelestis, a cuius beatitudine lapsus est; iericho interpretatur luna, et significat mortalitatem nostram, propter hoc quod nascitur, crescit, senescit et occidit.

Augustinus hypognosticon. vel ierusalem, quae interpretatur visio pacis, paradysum dicimus. ante enim quam peccaret homo, in visione pacis erat, hoc est in paradiso, ubi quidquid videbat, pax erat, et laetitia. inde descendit quasi humiliatus, et miser factus per peccatum, in iericho, idest in mundum, in quo omnia orta occidunt, sicut luna.

Theophylactus. Non autem dicit: descendit, sed descendebat: semper enim humana natura ad inferiora tendebat; et non in parte, sed in toto vitae attendebat passibili.

Basilius. Convenit etiam hoc, si quis loca perspexerit: iericho enim tenet loca convallia palaestinae; ierusalem vero in cacumine sita est, occupans apicem montis. Venit igitur homo ab altis ad infima, ut a latronibus caperetur, qui incolebant desertum; unde sequitur et incidit in latrones.

Chrysostomus. primus istius hominis miserandus est casus, qui inermis ac destitutus in latrones incidit; quique improvidus incautusque eam viam elegerit qua evadere praedonum manus nequiverit; non enim posset inermis armatos, improvidus pessimos, incautus nocivos effugere: quippe cum malitia semper armata sit dolis, crudelitate septa, munita fallacia, et ad nocendi saevitiam praeparata.

Ambrosius. qui sunt autem isti latrones, nisi angeli noctis atque tenebrarum, in quos non incidisset nisi eis mandati caelestis devius se fecisset obnoxium? **Chrysostomus.** In exordio igitur mundi nocendi fallaciam diabolus est operatus in hominem, in quem fallendi virus exercuit, et malitiae nocentiam dedicavit.

Augustinus. incidit ergo in latrones, idest in diabolum et angelos eius: qui per inobedientiam primi hominis

humanum genus despoliaverunt, morum scilicet ornamentis, et vulneraverunt, dono scilicet possibilitatis liberi arbitrii perduto; unde sequitur qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt. In illo enim peccante plagam fecit, in nobis vero plagas, cum per unum peccatum quod contrahimus, superaddimus multa peccata.

Augustinus de quaest. Evang.. Vel spoliaverunt hominem immortalitate, et plagis impositis, peccata suadendo, reliquerunt semivivum: quia ex parte qua potest intelligere et cognoscere deum, vivus est homo: ex parte autem qua peccatis contabescit et premitur, mortuus est et hoc est quod subditur semivivo relicto.

Augustinus hypagnosticon. semivivus enim habet vitalem motum, idest liberum arbitrium, vulneratum; quod ad aeternam vitam, quam perdiderat, redire non sufficiebat: et ideo iacebat, quia vires ei propriae ad surgendum non sufficiebant, ut ad se sanandum medicum, idest deum, requireret.

Theophylactus. aut semivivus dicitur homo post peccatum; quia anima immortalis est, corpus vero mortale, ita ut medietas hominis morti succumbat: aut quia humana natura in Christo sperabat consequi salutem, ita ut non omnino morti succumberet; sed in quantum adam peccaverit, mors in mundum intravit; in Christi vero iustificatione mors erat destruenda.

Ambrosius. vel spoliavit quae accepimus indumenta gratiae spiritualis, et sic vulnera inferre consueverunt: nam si intemerata quae sumpsimus indumenta servemus, plagas latronum sentire non possumus.

Basilus. Vel potest intelligi quod expoliaverunt eum, plagis prius impositis: praecedunt enim vulnera nuditatem, ut intelligas quod peccatum gratiae praecedat carentiam.

Beda. dicuntur autem plagae peccata, quia his naturae humanae integritas violatur. abierunt autem non ab insidiis cessando, sed insidiarum fraudes occultando.

Chrysostomus. Hic itaque homo, idest adam, iacebat destitutus salutis auxilio, confossus vulneribus delictorum; cui nec sacerdos aaron transiens sacrificio potuit profuisse; sequitur enim accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem via; et viso eo praeterivit; nec etiam eius frater moyses levita, per legem potuit subvenire; unde sequitur similiter et levita, cum esset secus locum, et videret eum, pertransiit.

Augustinus hypagnosticon. vel in sacerdote et levita duo tempora intelliguntur, legis scilicet, et prophetarum: in sacerdote lex, per quam sacerdotium et sacrificia instituta sunt; in levita vaticinium prophetarum: quorum temporibus humanum genus sanari non potuit, quia per legem cognitio peccati, non abolitio.

Theophylactus. dicit autem praeterivit, quia lex venit, et stetit usque ad tempus praefixum; deinde non valens curare, abiit. vide etiam quod lex non ad hoc data est praecogitative ut hominem curaret: non enim poterat homo a principio suscipere Christi mysterium; et ideo dicit accidit ut sacerdos quidam descenderet: quod consuevimus dicere in his quae non praemeditative fiunt.

Augustinus de verb. dom.. Vel quia homo descendens a ierusalem in iericho israelita fuisse intelligitur: quod intelligi potest, quia transiens sacerdos utique genere proximus praeteriit iacentem; transiit levita, et hic genere proximus iacentem et ipse contempsit.

Theophylactus. Miserti, inquam, illius fuere cum cogitaverunt: postmodum vero tenacitate devicti abierunt retrorsum: hoc enim designat quod dicit praeteriit.

Augustinus. Transiit samaritanus genere longinquus, misericordia proximus; fecit quod sequitur: samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: in quo samaritano se voluit intelligi dominus noster iesus christus: samaritanus enim custos interpretatur et de ipso dicitur: non dormitabit neque dormiet qui custodit israel, quia resurgens a mortuis, iam non moritur. denique cum dictum esset illi: quia samaritanus es, et daemonium habes, negavit se habere daemonium, quia se noverat daemonum expulsorem, non se negavit infirmi custodem.

Graecus. Vocat autem hic christus se samaritanum opportune: cum enim alloqueretur legisperitum superbientem in lege, voluit exprimere quoniam nec sacerdos, nec levita, et qui conversabantur in lege, legis propositum implebant; sed ipse venit consummaturus legis propositum.

Ambrosius. Hic autem samaritanus etiam erat descendens; quis enim est qui descendit de caelo, nisi qui ascendit in caelum, filius hominis qui est in caelo? Theophylactus. Dicit autem iter faciens, quasi ex proposito hoc statuens, ut nos curaret.

Augustinus hypognosticon. venit autem in similitudine carnis peccati; ideo secus eum quasi in similitudine.

Graecus. Vel secus viam venit; fuit enim vere viator, non deviator, gratia nostri descendens ad terram.

Ambrosius. Veniens autem factus est compassionis nostrae susceptione finitimus, et misericordiae collatione vicinus; unde sequitur et videns eum, misericordia motus est.

Augustinus. videns quidem eum iacentem, non valentem, non currentem; et ideo misericordia motus est, quia in eo nullum meritum invenit, quo curari dignus esset; sed ipse de peccato damnavit peccatum in carne; unde sequitur et appropians alligavit vulnera eius, infundens oleum et vinum.

Augustinus de verb. Dom.. quid enim tam longinquum, quid tam remotum quam deus ab hominibus, immortalis a mortalibus, iustus a peccatoribus, non loco longe, sed dissimilitudine? cum ergo haberet in se duo bona, scilicet iustitiam et immortalitatem, et nos duo mala, scilicet iniquitatem et mortalitatem; si utrumque malum nostrum suscepisset, par noster fuisset, et liberatore nobiscum opus haberet. Ut ergo esset non hoc quod nos, sed prope nos, non est ille peccator ut tu; sed factus est mortalis quod tu; suscipiendo poenam, et non suscipiendo culpam, et culpam delevit et poenam.

Augustinus de quaest. evang.. Alligatio vulnerum est cohibitio peccatorum, oleum consolatio spei bonae per indulgentiam datam ad reconciliationem pacis; vinum exhortatio ad operandum ferventissime in spiritu.

Ambrosius. Vel constringit vulnera nostra austeriore praecepto, et sicut oleo fovet remissione peccati, sic vino compungit denuntiatione iudicii.

Gregorius moralium. vel in vino morsum distractionis adhibet, in oleo mollitiem pietatis; per vinum ungantur putrida, per oleum sananda foveantur. Miscenda est ergo lenitas cum severitate, et faciendum est quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subdit, neque nimia benignitate solvantur.

Theophylactus. Vel aliter. Quae secundum hominem est conversio, oleum est; quae vero secundum deum, vinum est; quod divinitatem significat, quam nemo potuisset sustinere, nisi oleum haberetur, idest conversatio humana: unde quaedam operatus est humane, quaedam divinitus. Infudit ergo oleum et vinum, quia nos humanitate et divinitate salvavit.

Chrysostomus. Vel vinum infudit, idest sanguinem passionis, et oleum chrismatis, ut indulgentia daretur per sanguinem, sanctificatio conferretur per chrismatis unctionem. A caelesti medico conscissa loca ligantur, et intra semetipsa retinentia medicinam, operante medicamine, pristinae sanitati redduntur. infuso ergo vino et oleo, imposuit eum super iumentum; unde sequitur et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, et curam eius egit.

Augustinus. Iumentum eius est caro, qua ad nos venire dignatus est; imponi iumento est in ipsam incarnationem Christi credere.

Ambrosius. Vel iumento imponit dum peccata nostra portat et pro nobis dolet: homo enim iumento similis factus est: et ideo supra iumentum suum nos imposuit, ne nos essemus sicuti equus et mulus: ut per nostri corporis assumptionem infirmitatem nostrae carnis aboleret.

Theophylactus. Vel imposuit in suum iumentum, idest in corpus suum: membra namque sua nos fecit, et participes corporis eius. Et lex quidem non omnes suscipiebat: moabitae et ammonitae non intrabunt in ecclesiam dei; nunc vero in omni gente qui timet dominum, ab eo suscipitur volens credere et pars ecclesiae fieri; propter hoc dicit, quod duxit eum in stabulum.

Chrysostomus. Est enim stabulum ecclesia, quae in itinere mundi lassatos et sarcinis delictorum defessos suscipit venientes; ubi deposito onere peccatorum, viator lassus reficitur, et relictus salubri pascuo reparatur; et hoc est quod dicitur et curam illius egit. totum enim quicquid contrarium, nocens et malum est, foris est, quia intra stabulum requies omnis salubritasque inclusa est.

Beda. Et bene iumento impositum duxit in stabulum, quia nemo, nisi per baptismum corpori Christi adunatus, ecclesiam intrabit.

Ambrosius. Sed quia non vacabat samaritano huic diu in terris degere, redeundum erat unde descenderat: unde sequitur et altera die protulit duos denarios, et dedit stabulario, et ait: curam illius habe.

Quis est iste alter dies, nisi forte ille dominicae resurrectionis, de quo dictum est: haec est dies quam fecit dominus? duo autem denarii sunt duo testamenta, quae imaginem in se habent aeterni regis expressam, quorum pretio vulnera nostra curantur.

Augustinus de quaest. Evang.. vel duo denarii sunt duo praecepta caritatis, quam per spiritum sanctum acceperunt apostoli ad evangelizandum ceteris; vel promissio vitae praesentis et futurae.

Origenes. Vel duo denarii videntur mihi esse scientia sacramenti, quomodo pater in filio et filius in patre sit, qua velut mercede donatur ecclesiae angelus, ut diligentius curet hominem sibi commendatum, quem pro angustia temporis etiam ipse curaverat. Et promittitur ei quicquid de suo in medelam semiviventis expenderet, illico esse reddendum; unde sequitur et quodcumque supererogaveris, ego, cum rediero, reddam tibi.

Augustinus. Stabularius fuit apostolus, qui supererogavit aut illud consilium quod ait: de virginibus autem praeceptum domini non habeo, consilium autem do, aut quod etiam manibus suis operatus est, ne infirmorum aliquem in novitate evangelii gravaret, cum ei liceret ex evangelio pasci. Multum etiam supererogaverunt apostoli; sed et pro tempore doctores, qui vetus et novum testamentum exposuere, supererogaverunt, pro quibus retributionem accipient.

Ambrosius. beatus ergo ille stabularius qui alterius vulnera curare potest; beatus ille cui dicit iesus quodcumque supererogaveris, revertens reddam tibi. Sed quando reverteris, domine, nisi iudicii die? nam licet ubique sis semper et stans in medio nostrum, non cerneris a nobis; erit tamen tempus quo universa caro te respiciet revertentem. Reddes ergo quod debes beatis quibus es debitor. Utinam nos simus idonei debitores, ut quod accepimus possimus exsolvere.

Cyrillus. His ergo praemissis, opportune iam dominus legisperitum interrogat, subdens quis horum trium tibi videtur proximus fuisse illi qui incidit in latrones? at ille dixit: qui fecit misericordiam in illum. Neque enim sacerdos, neque levita factus fuit proximus patientis, sed ille qui est eius misertus: inutilis est enim sacerdotii dignitas et legis scientia, nisi per bona opera confirmetur; unde sequitur et ait illi iesus: vade, et tu fac similiter.

Chrysostomus. Quasi dicat: si quem vides oppressum, non dicas: utique nequam est; sed sive gentilis sit, sive iudaeus, et ope indigeat, non cavilleris auxiliari, quaecumque mala fuerit passus.

Augustinus de doctr. Christ.. ex hoc intelligimus eum esse proximum cui vel exhibendum est officium misericordiae, si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret. Ex quo iam consequens est ut etiam ille a quo nobis vicissim exhibendum est, proximus noster sit: proximi enim nomen ad aliquid est; nec quisquam esse proximus nisi proximo potest. Nullum autem exceptum esse cui misericordiae denegetur officium, quis non videat? dicente domino: benefacite his qui vos oderunt. Unde manifestum est, hoc praecepto quo iubemur diligere proximum, etiam sanctos angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiae impenduntur officia, ex quo et ipse dominus proximum nostrum se dici voluit, significans se opitulatum esse semivivo iacenti in via.

Ambrosius. Non enim cognatio facit proximum, sed misericordia, quia misericordia est secundum naturam: nihil enim tam secundum naturam, quam iuvare consortem naturae.

LUCA 10,38-42

10038 (Lc 10,38-42)

Beda. Dilectio dei et proximi, quae superius verbis et parabolis continebatur, hic ipsis rebus et veritate designatur; dicitur enim factum est autem dum irent, et ipse intravit in quoddam castellum.

Origenes. Cuius quidem nomen lucas hic tacet; sed iohannes exprimit vocans ipsum bethaniam.

Augustinus de verb. dom.. Sed dominus qui in sua propria venit, et sui eum non receperunt, susceptus est tamquam hospes; sequitur enim et mulier quaedam martha nomine, excepit illum in domum suam; sicut solent suscipi peregrini; sed tamen suscepit famula dominum, aegra salvatorem, creatura creatorem. Ne quis autem dicat: o beati qui Christum suscipere in domum propriam meruerunt; noli dolere, cum inquit: quod enim uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. accepta autem forma servi, in illa pasci a servis voluit dignatione, non conditione. habebat carnem, in qua quidem esuriret et sitiret; sed in eremo esurienti angeli

ministrabant; ergo quod pasci voluit, pascenti praestitit. Martha igitur dominus pascere disponens et praeparans circa ministerium occupabatur; Maria vero soror eius pasci magis elegit a domino; sequitur enim et huic erat soror nomine maria, quae etiam sedens secus pedes domini, audiebat verbum illius.

Chrysostomus. non simpliciter dicitur de Maria quod sederet prope iesum, sed secus pedes illius; ut ostendat diligentiam, assiduitatem et solertiam erga auditionem, et multam reverentiam quam habebat ad dominum.

Augustinus de verb. Dom.. quanto autem humilius ad pedes sedebat, tanto amplius capiebat: confluit enim aqua ad humilitatem convallis, denatat de tumoribus collis.

Basilius. omnis autem operatio et verbum salvatoris regula est pietatis et virtutis; ob hoc enim induit corpus nostrum, ut nos conversationem illius imitemur pro posse.

Cyrillus. Exemplo igitur suo docet discipulos qualiter se gerere debeant in domibus eorum qui eos suscipiunt; ut scilicet applicantes ad domum, non resupini quiescant, sed potius repleant suscipientes sacris et divinis doctrinis: hi vero qui domum parant, exeant obviam hilariter et ferventer duabus de causis. primo quidem aedificabuntur in doctrinis eorum quos suscipiunt, deinde et recipient caritatis mercedem; unde et hic sequitur martha autem satagebat circa frequens ministerium.

Augustinus. bene martha circa corporalem domini necessitatem vel voluntatem ministrabat, quasi mortali; sed qui erat in carne mortali, in principio erat verbum; ecce quod Maria audiebat; verbum caro factum est, ecce cui martha ministrabat: laborabat ista, vacabat illa; verumtamen martha laborans multum in illa occupatione et negotio ministrandi interpellavit dominum, et de sorore conquesta est; sequitur enim et ait: domine, non est tibi curae quod soror mea reliquit me solam ministrare? erat enim Maria intenta dulcedini verbi domini; a martha convivium domino parabatur, in cuius convivio Maria iam iucundabatur. Cum ergo suaviter audiret verbum dulcissimum, et corde intentissimo pasceretur, interpellato domino a sorore sua, quomodo putamus eam timuisse ne diceret ei dominus: surge, et adiuva sororem tuam? mira enim suavitate tenebatur; quae profecto maior est mentis quam ventris. sed causam suam tamquam otiosa iudici maluit committere, nec in respondendo voluit laborare: si enim pararet respondendi sermonem, remitteret audiendi intentionem. respondit ergo dominus, qui in verbo non laborabat, quia verbum erat; sequitur enim et respondens dixit illi dominus: martha, martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Repetitio nominis indicium est dilectionis, aut forte movendae intentionis, ut audiat attentius. bis vocata audit turbaris erga plurima; idest, circa multa es occupata: vult enim homo occurrere quando ministrat, et aliquando non potest: quaeritur quod deest, paratur quod adest: distenditur animus; nam si martha sufficeret, adiutorium sororis non posceret: multa sunt, diversa sunt, quia carnalia sunt, temporalia sunt. Praeponitur autem unum multis; non enim a multis unum, sed multa ab uno; unde sequitur porro unum est necessarium. circa unum se voluit occupari, secundum illud: mihi adhaerere Deo bonum est. Unum sunt pater et filius et spiritus sanctus: ad hoc unum non nos perducit, nisi multi habeamus cor unum.

Cyrillus. Vel aliter. Cum susceperint aliqui fratres deum, non sollicitentur erga multum officium, nec poscant quae prae manibus non sunt, et opus exuperant: gravat enim passim in qualibet re quod superfluit: generat enim volentibus conferre taedium: convivis autem videtur quod sunt aliis causa laboris.

Basilius. absurdum etiam est cibos ad sustentationem corporis sumere, ac per eos iterum officere corpori, et impedire ipsum erga mandatorum divinatorum officium. Si ergo adveniat aliquis pauperum, sumat formam et exemplar modestiae ciborum; nec causa vivere volentium in deliciis mensam propriam praeparemus: uniformis enim est Christiani vita, ad unam intendens intentionem, scilicet ad gloriam dei; multiformis vero et varia vita eorum qui de foris sunt, pro libito variata. Tu vero cur dum copia ciborum et causa delectationis fratri praeparas mensam, criminaris eum voluptatis, et diffundis in eum gulositatis opprobria, arguens delicias eius in eo quod praeparas? non commendavit dominus martham occupatam circa frequens ministerium.

Augustinus de verb. Dom.. Quid ergo? putamus reprehensum esse ministerium marthae, quam cura hospitalitatis occupaverat, quae tanto hospite laetabatur? hoc si verum est, dimittant homines quod ministrant egentibus: vacent verbo, occupentur circa scientiam salutarem; nihil sit cura eis quis peregrinus in vico sit, quis egeat pane; vacent opera misericordiae, uni instetur scientiae.

Theophylactus. non ergo dominus hospitalitatem prohibet, sed plurimorum turbationem, scilicet abstractionem et tumultum. et vide consilium domini; quod prius dominus nihil dixerat marthae; sed postquam quam illa sororem ab auditu studebat avellere, tunc dominus occasione habita increpavit eam: usque enim adeo honoratur hospitalitas, donec ad necessaria nos attrahit; cum vero incipit ab utilioribus impedire, manifestum est quod honorabilior est divinatorum auditus.

Augustinus de verb. Dom.. Non ergo dominus opus reprehendit, sed munus distinxit; sequitur enim Maria optimam partem elegit, quae non auferetur ab ea. non tu malam, sed illa meliorem. Unde meliorem? quia ab ea non auferetur, a te auferetur aliquando onus necessitatis: non enim cum veneris ad illam patriam, invenies peregrinum quem suscipias hospitio. sed bono tuo auferetur, ut quod melius est detur: auferetur a te labor, ut requies detur. Tu navigas, illa in portu est: aeterna enim est dulcedo veritatis; in hac tamen vita augetur, in illa perficietur, numquam auferetur.

Ambrosius. agat ergo te sicut mariam desiderium sapientiae: hoc enim maius, hoc perfectius opus, ne ministerii cura cognitionem verbi caelestis avertat. Nec arguas eos et otiosos iudices, quos videas sapientiae studere.

Augustinus de quaest. Evang.. mystice autem quod martha excepit illum in domum suam, significat ecclesiam, quae nunc excepit dominum in cor suum. Maria soror eius, quae sedebat ad pedes domini, et audiebat verbum eius, significat eandem ecclesiam, sed in futuro saeculo, ubi cessans ab opere ministerioque indigentiae, sola sapientia perfruitur. Quod autem conqueritur quod soror eius eam non adiuvet, occasio datur sententiae domini, qua ostendit istam ecclesiam sollicitam esse et turbamur erga plurima, cum sit unum necessarium, ad quod per ministerii huius merita pervenitur. Mariam vero dicit optimam partem elegisse, quia per hanc ad illam tenditur, et non aufertur.

Gregorius moralium. Vel per mariam, quae verba domini residens audiebat, contemplativa vita exprimitur; per martham exterioribus obsequiis occupatam, activa vita significatur. Sed marthae cura non reprehenditur, mariae vero laudatur: quia magna sunt activae vitae merita, sed contemplativae potiora. Unde nec auferri unquam mariae pars dicitur: quia activae vitae opera corpore transeunt, contemplativae autem gaudia melius ex fine convalescunt.

LUCA 11,1-4

10101 (Lc 11,1-4)

Beda. Post historiam sororum, quae duas ecclesiae vitas significaverunt, non frustra dominus et ipse orasse, et discipulos orare docuisse scribitur; quia et oratio quam docuit, utriusque in se vitae continet mysterium et ipsarum perfectio vitarum, nostris non viribus est obtinenda, sed precibus; unde dicitur et factum est cum esset in quodam loco orans.

Cyrillus. cum autem habeat omnis boni plenitudinem, cur orat, si plenus est, et in nullo penitus eget? ad hoc dicimus, quod competit ei ex modo dispensationis in carne, cum voluerit, humana prosequi tempore ad hoc conveniente. Si enim comedit et bibit, non incongrue utebatur oratione: ut doceat nos non esse erga hoc tepidos, sed attentius insistere orationibus. titus. Cum autem novam conversationem vidissent discipuli, novam formam orationis postulaverunt, cum plures orationes continerentur in veteri testamento; unde sequitur ut cessavit, dixit unus ex discipulis eius ad eum: domine, doce nos orare; ne scilicet contra deum peccemus, alia quaerentes pro aliis, vel Deo assistentes in oratione non eo modo quo expedit.

Origenes. Et ut orationis doctrinam proferat, infert sicut iohannes docuit discipulos suos; de quo scilicet nos docuisti, quod inter natos mulierum nullus eo maior surrexit: et quia praecepisti nobis petere aeterna et grandia; unde erit nos ad horum pervenire notitiam, nisi a te Deo et salvatore nostro? **Gregorius** nyssenus. Orationis ergo doctrinam explicat discipulis, qui solerter notitiam orationis expostulant; ostendens qualiter implorari oporteat divinum auditum.

Basilius. Duo autem sunt modi orationis. unus quidem laudis cum humilitate: secundus vero petitionis, remissior. quoties ergo oras, non prius ad petendum prorumpas. Sin autem tuum criminari affectum, quasi necessitate coactus supplices deo. Sed cum incipis orare, quamlibet desere creaturam visibilem et invisibilem; sumas autem exordium a laude illius qui cuncta creavit; unde subditur et ait illis: cum oraveritis, dicite: pater.

Augustinus de verb. Dom.. Primus sermo quantae gratiae? faciem tuam non audebas ad caelum levare, et subito accepisti gratiam Christi. Ex malo servo factus es bonus filius; ideo praesume non de tua operatione, sed de Christi gratia. Non ergo hic arrogantia est, sed fides: praedicare quod acceperis, non est superbia, sed devotio. Ergo attolle oculos ad patrem; qui te per lavacrum genuit, qui per filium te redemit: patrem dicas quasi filius; sed noli tibi aliquid specialiter vindicare: solius Christi specialis est pater, nobis est pater omnibus in communi: quia illum solum genuit, nos autem creavit. Et ideo secundum Matthaeum

dicitur: pater noster, et additur: qui es in caelis; in illis scilicet caelis de quibus dictum est: caeli enarrant gloriam dei. Caelum est ubi culpa cessavit, ubi nullum mortis est vulnus.

Theophylactus. Non autem dicit: qui es in caelis, tamquam ibi circumscribatur; sed ut ad caelos erigat auditorem et abstrahat a terrenis.

Gregorius nyssenus. vide autem quantae praeparationis opus est ut audacter possis Deo dicere pater; quia si ad res mundanas intuitum dirigis, aut humanam gloriam ambis, aut sordes passibilis appetitus, et hanc orationem enunties; audire mihi videor deum dicentem: cum corruptae fueris vitae, si patrem vocas incorruptibilitatis genitorem, foeda voce inquinans incorruptibile nomen: nam qui patrem mandavit vocare, proferre mendacium non concessit. Omnium vero bonorum exordium est glorificare nomen dei in vita nostra; unde subdit sanctificetur nomen tuum. Quis enim est adeo bestialis qui videns in credentibus vitam puram, non glorificet nomen invocatum in tali vita? igitur qui dicit in oratione sanctificetur in me invocatum nomen tuum, hoc orat: fiam, tuo concurrente subsidio, iustus, et abstinens a quolibet malo.

Chrysostomus. sicut enim cum quis caeli pulchritudinem aspicit, dicit: gloria tibi, deus, sic etiam cum aspicit alicuius virtutem: quia hominis virtus multo magis quam caelum glorificat deum.

Augustinus de verb. Dom.. Vel dicitur sanctificetur nomen tuum, in nobis, ut ad nos possit eius sanctificatio pervenire. Titus. vel dicit sanctificetur nomen tuum: idest, nota sit tua sanctitas toti mundo, et laudet te decenter. Rectos autem decet collaudatio. iussit igitur orare pro emendatione mundi totius.

Cyrillus. Quoniam penes eos ad quos nondum pervenit fides, contemnitur adhuc nomen dei; sed ubi iubari veritatis super eos illuxerit, eum fatebuntur sanctum sanctorum. Titus. Et quia in nomine iesu est gloria dei patris; tunc nomen patris sanctificabitur, quando Christus erit notus.

Origenes. Vel quia nomen dei ab errantibus attribuitur culturis et creaturis, nondum est sanctificatum, ut sit separatum a quibus debuit separari. Decet ergo nos orare ut nomen dei adaptetur soli vero deo, cui adaptatur quod subditur adveniat regnum tuum: ut scilicet evacuetur principatus, et potestas, et virtus, et regnum mundi, quin etiam peccatum, quod regnat in mortalibus nostris corporibus.

Gregorius nyssenus. Imploramus etiam a domino liberari a corruptione, eximi a morte. Vel secundum quosdam, adveniat regnum tuum, idest, veniat super nos spiritus sanctus tuus, ut purificet nos.

Augustinus de verb. dom.. Tunc enim venit regnum dei quando eius sumus gratiam consecuti: ipse enim ait: regnum dei intra vos est.

Cyrillus. Vel qui hoc dicunt, videntur optare rursus refulgentem in mundo omnium salvatorem. Mandavit autem in oratione petere illud tempus revera terribile, ut sciant quod vivere decet eos non lente vel remisse, ut illud tempus non paret eis flammam et vindictam, sed magis honeste secundum voluntatem ipsius, ut eis tempus illud nectat coronas: unde, secundum Matthaenum sequitur: fiat voluntas tua, sicut in caelo et in terra.

Chrysostomus. Quasi dicat: praesta nobis, domine, conversationem imitari caelestem, quatenus quaecumque tu vis, nos etiam velimus.

Gregorius nyssenus. Quoniam enim vitam humanam post resurrectionem similem dicit esse venturam vitae angelicae, consequens est vitam mundanam ad vitam quae postmodum speratur, disponi, ut in carne viventes, carnaliter non vivamus. per hoc autem verus medicus animae solvit morbi naturam; ut quos occupavit infirmitas per hoc quod a voluntate divina recesserant, a morbo denuo liberet copulatio ad voluntatem divinam. Est enim sanitas animae executio debita voluntatis divinae.

Augustinus in enchir.. apud evangelistam igitur Matthaenum septem petitiones continere videtur dominica oratio; evangelista vero lucas in oratione dominica petitiones non septem, sed quinque complexus est, nec ab illo utique discrepavit. Sed quomodo illa septem sint intelligenda, ipse sub brevitate commonuit. nomen quippe dei sanctificatur in spiritu; dei autem regnum in resurrectione futurum est. Ostendens ergo lucas tertiam petitionem duarum superiorum esse quodammodo repetitionem, magis eam praetermittendo voluit intelligi. Deinde tres alias adiunxit; et primo de pane quotidiano, dicens panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Augustinus de verb. dom.. In graeco dicitur epusion, hoc est supersubstantialem. Non iste est panis qui vadit in corpus, sed ille panis vitae aeternae, qui animae nostrae substantiam fulcit. Latinus autem hunc quotidianum panem dicit, quem graeci dicunt advenientem. Si quotidianus ille est panis, cur post annum illum sumas, quemadmodum graeci in oriente facere consueverunt? accipe quotidie quod quotidie tibi

prosit: sic vive quod quotidie merearis accipere. Mors domini significatur, et remissio peccatorum. Qui vulnus habet, medicinam quaerit; vulnus est, quia sub peccato sumus; medicina est caeleste et venerabile sacramentum. Si quotidie accipis, quotidie tibi est hodie; Christus tibi quotidie resurgit: hodie est enim quando Christus resurgit. Titus. Vel panis animarum divina est virtus afferens futuram vitam perennem, sicut panis ex terra prodiens vitam temporalem conservat. Cum autem quotidianum dixisset, divinum qui advenit et futurus est, significat; quem nobis hodie praestari requirimus, poscentes quoddam eius principium atque gustum, quando spiritus in nobis inhabitans virtutem operatur, quae superat omnem virtutem humanam; puta castitatem, humilitatem, etc.

Cyrillus. Putant autem forsitan aliqui indecens esse, sanctos a Deo quaerere corporalia; et ob hanc causam applicant quod dicitur, ad spiritualem considerationem. ego autem concedam quod oportet sanctos praecipue satagere ad obtinenda spiritualia dona; illud tamen decet inspicere quod irreprensibiliter petunt, domino praecipiente, panem communem: ex eo enim quod panem iussit quaerere, idest quotidianum alimentum, videtur quod nihil concedat eos habere, sed magis honestam colere paupertatem: non enim est habentium panem petere, sed oppressorum penuria.

Basilus. Quasi dicat: panem quotidianum, qui nostrae substantiae competit ad vitam diurnam, non tibi ipsi commendes; sed ad deum causa eius refugias, exponens ei necessitatem naturae.

Chrysostomus in Matthaicum. Postulanda ergo sunt divinitus necessaria vitae, non ciborum diversitates et vina odorifera, et cetera quae delectant guttur, onerant autem ventrem, et mentem perturbant; sed panis, qui potest substantiam corporis sustentare; et illum qui nobis hodie tantummodo sufficit, ut de crastino non cogitemus. Unam autem solam petitionem sensibilem quaerimus, ut praesentibus non affigamur.

Gregorius nyssenus. Postquam autem per bona opera fiduciam sumere docuit, consequenter remissionem reatum docet implorare; sequitur enim et dimitte nobis peccata nostra. Titus. Hoc autem additum est necessario, pro eo quod nullus sine peccato reperitur, ne impediamur a sacra participatione propter humana peccata. cum enim teneamur exhibere Christo omnimodam sanctitatem, qui spiritum sanctum habitare facit in nobis, redarguendi sumus, si non observemus ei templum mundum. Huic autem defectui subvenitur per dei bonitatem indulgentem humanae fragilitati peccatorum punitionem. Hoc autem iuste fit a iusto deo, quando nos quasi debitoribus relaxamus, his scilicet qui nobis nocuerunt, et debita non exhibuerunt; unde subditur siquidem et ipsi dimittimus omni debenti nobis.

Cyrillus. vult enim, ut ita loquar, patientiae quam homines colunt, imitatore fieri deum, ut qualem ipsi exhibuerunt conservis bonitatem, talem pari lance recipere petant a deo, qui iuste recompensat, et novit omnium misereri.

Chrysostomus. Haec igitur animadvertendo grates agenda sunt debitoribus nostris: fiunt enim nobis, si sapimus, causa indulgentiae maximae; et pauca exhibentes, plurima reperiemus: nam et nos multa debemus et magna debita domino; quorum si minimam partem a nobis vellet exigere, iam perissemus.

Augustinus de verb. Dom.. Debitum autem quid est nisi peccatum? ergo si non accepisses alieni feneratoris pecuniam, non deberes; et ideo peccatum tibi imputatur. habuisti enim pecuniam, cum qua dives nascereris, ad imaginem et similitudinem factus dei; sed perdidisti quod habebas; sicut dum arrogantiam desideras vindicare, perdidisti humilitatis pecuniam; accepisti a diabolo debitum, quod non erat necessarium: cautionem tuam tenebat inimicus; sed eam dominus crucifixit, et suo cruore delevit. Potens est autem dominus, qui abstulit peccatum, et debita nostra donavit, custodire nos adversus diaboli insidias, qui culpam generare consuevit; unde sequitur et ne nos inducas in tentationem, quam scilicet ferre non possumus. sed quasi athleta talem vult tentationem, quam ferre possit humana conditio. titus. A diabolo enim non tentari est impossibile; sed ne a Deo relinquamur ad tentationes, hoc deprecamur. Quod autem ex permissione divina contingit, illud deus quandoque facere dicitur in scriptura; et secundum hoc, nisi prohibeat tentationis invalescentiam, quae supra nos est, tunc nos in tentationem inducit.

Maximus. Vel mandat dominus ut petamus ne nos inducas in tentationem; idest, non permittas voluptuosarum et spontanearum tentationum nos experientiam pati. iacobus autem docet, pro veritate certantes non remitti tentationibus involuntariis et causativis laborum, dicens: omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis.

Basilus. Non tamen decet nos orando petere afflictiones corporales; universaliter enim praecepit orare, non subire tentationem; sed postquam aliquis subiit, expedit a domino petere virtutem perferendi, ut consummetur in nobis illud: qui sustinet usque ad finem, salvus erit.

Augustinus in enchir.. at vero quod Matthaeus in ultimo posuit: sed libera nos a malo, iste non posuit, ut

intelligamus ad illud superius, quod de tentatione dictum est, pertinere: ideo quippe ait: sed libera, non ait: et libera; tamquam unam petitionem demonstrans: noli hoc, sed hoc. sed sciat unusquisque in eo se liberari a malo quod non infertur in tentationem.

Augustinus de verb. Dom.. unusquisque enim petit ut a malo, hoc est ab inimico et peccato, liberetur; sed qui Deo se committit, diabolus non timet. si enim deus pro nobis, quis contra nos?

LUCA 11,5-8

10105 (Lc 11,5-8)

Ambrosius. Quis etiam est nobis amior quam qui pro nobis corpus suum tradidit? datur autem nobis hic alius praecepti modus, ut omnibus momentis, non solum diebus, sed etiam noctibus, oratio deferatur; sequitur enim et ibit ad illum media nocte: sicut petiit david quando dixit: media nocte surgebam ad confitendum tibi; neque enim timuit excitare dormientem, quem scit semper esse vigilantem. Nam si ille tam sanctus, et qui regni erat necessitatibus occupatus, septies in die laudem domino dicebat; quid nos facere debemus, qui eo amplius rogare debemus quo frequentius carnis ac mentis fragilitate delinquimus? quid quod diligendo dominum deum tuum, non solum tibi, sed etiam aliis poteris mereri? sequitur enim et dicit illi: amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit ad me de via, et non habeo quod ponam ante illum.

Augustinus de verb. Dom.. quid autem sunt isti tres panes nisi mysterii caelestis alimentum? fieri enim potest ut aliquis passus fuerit amicum aliquid interrogantem quod respondere non possit; et tunc se invenit non habere quando coactus est dare. Venit ergo tibi amicus de via huius saeculi, in qua omnes velut peregrini transeunt, nec ullus quasi possessor manet; sed omni homini dicitur: transi, da venturo locum, aut forte de via mala, hoc est de vita mala, fatigatus nescio quis amicus tuus non inveniens veritatem, qua audita et percepta beatus fiat. Venit ad te tamquam ad Christianum, et dicit: redde mihi rationem: et interrogat quod forte tu per simplicitatem fidei nesciebas; et non est unde reficias esurientem et compelleris quaerere in dominicis libris: fortassis enim quod ille interrogavit, in libro positum est; sed obscurum est; ipsum paulum, aut petrum, aut aliquem prophetam interrogare non sineris: iam enim requiescit familia ista cum domino isto suo; et saeculi huius ignorantia valida est, hoc est nox media, et urget amicus esuriens, cui simplex fides non sufficit. Numquid deserendus est? ergo ad ipsum dominum, cum quo familia requiescit, pulsa orando; de quo subditur et ille de intus respondens dicat: noli mihi molestus esse. Qui differt dare, vult ut amplius desideres dilatatum, ne vilescat cito datum.

Basilus. Forsitan etiam ob hoc differt quasi ingeminans tui assiduitatem et frequentiam erga se, et ut agnoscas quid donum dei sit, et in timore donata custodias. Quicquid enim aliquis multo labore acquirit, nititur custodire, ne cum illud perdiderit, suum laborem amittat.

Glossa. Non ergo aufert impetrandi licentiam, sed vehementius accendit desiderium orandi, ostensa difficultate consequendi; sequitur enim iam ostium clausum est.

Ambrosius. hoc est ostium quod aperiri sibi etiam paulus exposcit, non solum suis, sed etiam populi orationibus obsecrans se iuvari, ut aperiatur sibi ostium ad loquendum mysterium Christi. Et fortasse illud est ostium quod apertum vidit iohannes, cui dictum est: ascende huc, et ostendam tibi quae oportet fieri.

Augustinus de quaest. Evang.. Significatur ergo tempus famis verbi cum intelligentia clauditur, et illi qui apostolicam sapientiam tamquam panem erogantes per orbem terrae praedicaverunt, iam sunt in secreta quiete cum domino; et hoc est quod subditur et pueri mei mecum sunt in cubili.

Gregorius nyssenus. Opportune eos qui per arma iustitiae impassibilitatem vindicaverunt sibi, pueros appellat, docens quod bonum, quod per studia in nobis acquiritur, ab initio fuerat in natura repositum: nam quando aliquis abrenuntians carni per rationem, exercitio vitae virtuosae passionem confutavit, tunc quasi puer insensibiliter se habet erga passiones. cubile autem requiem intelligimus salvatorum.

Glossa. Et propter praemissa subdit non possum surgere, et dare tibi: quod est ad difficultatem impetrandi referendum.

Augustinus. Vel aliter. amicus ad quem venit media nocte, ut accommodet tres panes, utique ad similitudinem ponitur secundum quam quis rogat deum in media tribulatione constitutus, ut ei tribuat intelligentiam trinitatis, qua praesentis vitae consoletur labores. ipsa enim angustia media nox est, qua

cogitur vehementer instare. In tribus autem panibus etiam illud significatur, unius substantiae esse trinitatem. Amicus autem veniens de via intelligitur hominis appetitus, qui debet rationi servire: serviebat autem consuetudini temporali: quam viam vocat propter omnia transeuntia. converso autem homine ad deum, etiam ille appetitus a consuetudine revocatur. sed si non consoletur interius gaudium de doctrina spirituali, qua creatoris trinitas praedicatur, magnae angustiae sunt in homine quem premit aerumna mortalis, cum ab his quae foris delectant praecipitur abstinencia, et intus non est refectio de laetitia doctrinae spiritualis: et tamen orando efficitur ut accipiat desiderans intellectum a domino, etiamsi homo desit per quem sapientia praedicetur; sequitur enim et ille si perseveraverit pulsans, dico vobis: et si non dabit illi surgens eo quod amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, et dabit illi quotquot habet necessarios. Comparatio est a minori: si enim amicus homo surgit de lecto et dat, non amicitia sed taedio compulsus, quanto magis deus dat, qui sine taedio largissime donat quod petitur? **Augustinus** de verb. Dom.. cum autem perveneris ad tres panes, hoc est ad cibum et intelligentiam trinitatis, habes et unde vivas, et unde pascas. Ne timeas, ne finias: non enim panis ille finietur, sed indigentiam tuam finiet; discere et doce, vive et pasce.

Theophylactus. vel aliter. Media nox finis est vitae, in quo multi ad deum adveniunt. Amicus autem est angelus, qui accipit animam. vel media nox est profundum tentationum, in quo constitutus petit a Deo tres panes, necessitatem scilicet corporis, animae et spiritus, per quae in tentationibus non periclitamur. Amicus autem qui de via venit, ipse deus est, qui in tentationibus nos probat: cui non habet quod apponat qui in tentatione infirmatur. Quod autem dicit et clausa est ianua, intelligendum est, quod docet nos ante tentationes praeparatos esse; postquam vero tentationi incidimus, praeparationis ianua clauditur, et imparati inventi, nisi deus adiuvet, periclitamur.

LUCA 11,9-13

10109 (Lc 11,9-13)

Augustinus de verb. Dom.. posita similitudine, adiunxit exhortationem dominus, et omnino stimulavit nos quaerere, petere, pulsare, donec accipiamus quod petimus; unde dicit et ego dico vobis: petite, et dabitur vobis.

Cyrillus. quod dicit dico vobis, vim habet iuramenti: deus enim non mentitur. Quodcumque autem innuit audientibus aliquid cum iuramento, ostendit inexcusabilem nostrae fidei parvitatem.

Chrysostomus in Matthaem. Per petitionem autem orationem ostendit; per inquisitionem vero studium et sollicitudinem, cum subdit quaerite, et invenietis: quae enim quaeruntur, plurima cura indigent: quod maxime est in deo. Plura namque sunt quae sensum nostrum impediunt. Sicut ergo aurum perditum quaerimus, sic deum sollicite perquiramus. Ostendit etiam quod quamvis non aperiat illico ianuam, tamen immorandum est; unde subdit pulsate, et aperietur vobis: quia si quaerens immoraberis, utique recipies; ob hoc reclusum est ostium ut faciat te pulsare: ideo non mox annuit ut exposcas.

Graecus. Vel per hoc quod dicit pulsate, forsitan insinuat petere cum effectu: pulsatur enim aliquis manu: boni autem operis signum est manus. vel haec tria possunt aliter distingui: virtutis enim initium est petere notam fieri viam veritatis; secundus vero gradus est quaerere qualiter oporteat transire per viam; tertius gradus est ut cum virtutes attigerit, pulset ad ostium, ut intret spatiosam cognitionem: quae omnia orando aliquis acquirit. Vel petere quidem est orare: quaerere vero, per bona opera agere orationi condigna; pulsare autem est orationi immorari, nec desistere.

Augustinus. non autem nos tantum hortaretur ut peteremus, nisi dare vellet. erubescat humana pigritia; plus vult ille dare quam nos accipere.

Ambrosius. Qui autem promittit aliquid, spem debet afferre promissi, ut mandatis obedientia deferatur, promissis fides; et ideo subdit omnis enim qui petit accipit, et qui quaerit invenit, et pulsanti aperietur.

Origenes. Quaeret autem aliquis qualiter quidam orantes non exaudiantur. Ad quod dicendum, quod quicumque recto tramite ad quaerendum accedit, nil omittens ex his quae conferunt ad petitorum obtentum, accipiet revera quod precatus est dari sibi: si quis autem divertat a proposito debitae petitionis, cum non petat ut decet, non petit; quo fit ut cum non recipiat, quod hic dicitur, non falsificetur; nam et magistro dicente: quicumque veniet ad me, assequetur disciplinarum peritiam, adire magistrum realiter accipimus, hoc est ut ferventer et diligenter vacet documentis ipsius; unde et iacobus dicit: petitis et non accipitis, eo quod male petatis, scilicet causa voluptatum vanarum. Sed dicet aliquis: immo cum aliqui rogant pro divina

notitia obtinenda et recuperatione virtutum, non obtinent. Cui dicendum, quod non propter se bona petiverunt accipere, sed ut commendentur per ea.

Basiliius. Si quis etiam ob torporem exhibeat se desideriiis, et traditor sui fiat in manus hostium, hunc deus nec adiuvat, nec exaudit, eo quod per peccatum alienum se fecit a deo. Decet ergo offerre quidem quicquid interest sua; clamare autem ad deum, ut adiuvet eum. Est autem divinum subsidium implorandum non remisse, nec mente huc illucque vagante: eo quod talis non solum non impetrabit quod petit, sed magis dominum irritabit: nam si aliquis coram principe stans, fixum habet et intrinsecum et extrinsecum oculus, ne forsitan puniatur: quanto magis coram Deo attentum ac tremebundum oportet assistere? si vero debilitatus a peccato fixe nequis orare, quantumcumque potes te ipsum cohibeas, ut stando coram Deo ad eum dirigas intellectum; et deus ignoscit, eo quod non ex negligentia, sed ex fragilitate non potes, ut oportet, assistere coram deo. Si sic ergo te ipsum compellis, ne discedas donec accipias. Ideo ergo quandoque petis et non accipis, quia perperam postulasti, vel infideliter, vel leviter, vel non conferentia tibi, vel destitisti. Saepius autem quidam obviant dicentes: quare oramus? an ignorat deus quibus opus est nobis? novit quippe, et omnia spiritualia uberius dat nobis et antequam postulemus; sed opera virtutis et regnum caelorum oportet prius optare, optantem vero quaerere, ingerentem per fidem et patientiam quicquid interest sua, in nullo delicto redargutum a propria conscientia.

Ambrosius. Ergo praeceptivus locus frequenter orandi spes est impetrandi. Ratio autem persuadendi prius fuit in praecepto, postea fit in exemplo; quod ostendit subdens quis autem ex vobis patrem petit panem, numquid lapidem dabit illi? **Cyrillus.** In quo instruit nos salvator quiddam necessarium: frequenter enim inconsulto, voluptatum impetu, irruimus ad perniciose desideria. Cum igitur aliquid talium a Deo petimus, nequaquam impetrabimus: ad quod ostendendum utitur patenti exemplo ex his quae penes nos sunt: cum enim filius tuus petit panem, gratanter propinas, quia cibum petit opportunum; quando vero sensus penuria lapidem poscit ut comedat, non affers ei, sed potius prohibes eum a nocivo desiderio: ut sit sensus: quis autem ex vobis patrem petit panem, quem scilicet pater dat, numquid lapidem dabit illi? scilicet si petierit. Eadem quoque ratio est in serpente et pisce, de quo subdit aut piscem; numquid pro pisce serpentem dabit illi? et similiter in ovo et scorpione, de quo subdit aut si petierit ovum, numquid porriget illi scorpionem?

Origenes. tu tamen attende, si panis quidem est animae cibus in cognitione, sine quo non contingit salvari: puta perspicax ratio vitae debitae: piscis autem est amor disciplinae; puta mundi constitutionem agnoscere, elementorum effectum, et quaecumque consequenter disserit sapientia. Itaque nec vice panis deus propinat lapidem, quem volebat diabolus a Christo manducari; nec vice piscis serpentem, quem comedunt aethiopes, indigni pisces comedere; nec similiter dat vice nutritivi et utilis, non comestibilia et nociva: quod refertur ad scorpionem et ovum.

Augustinus de quaest. Evang.. Vel potius intelligitur caritas propter maiorem appetitum et tam necessarium, ut sine illa cetera nihil sint, sicut sine pane mensa est inops: cui contraria est cordis duritia, quam lapidi comparavit. Piscis autem intelligitur fides invisibilium vel propter aquam baptismi, vel quia de invisibilibus locis capitur. Quod etiam fides huius mundi fluctibus circumiacata non frangitur, recte pisci comparatur; cui contrarium posuit serpentem propter venena fallaciae, quae etiam primo homini male suadendo praeseminavit. in ovo intelligitur spes; ovum enim nondum est fetus perfectus, sed fovendo speratur; cui contrarium posuit scorpionem, cuius aculeus venenatus retro timendus est, sicut contrarium spei est retroscipere, cum spes futurorum in illa quae ante sunt se extendat.

Augustinus de verb. Dom.. Quanta tibi loquitur mundus, quanta post dorsum strepit, ut retro respicias? o munde immunde, quid strepis, quid avertere conaris? tenere vis periens; quid faceres si maneres? quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris? **Cyrillus.** Ex praemisso autem exemplo concludit si ergo vos, cum sitis mali, idest cum mentem susceptivam pravitatis geratis, non autem uniformem et fixam in bono, sicut deus.

Beda. Vel malos vocat saeculi amatores, qui dant illa quae secundum sensum suum iudicant bona; quae etiam in sua natura sunt bona, et ad usum infirmae vitae pertinent; unde subdit nostis bona data dare filiis vestris. Apostoli etiam, qui merito electionis bonitatem humani generis excesserant, supernae bonitatis respectu, mali esse dicuntur: quia nihil per semetipsum bonum, nisi deitas sola. Quod vero subditur quanto magis pater vester de caelo dabit spiritum bonum petentibus se? pro quo Matthaeus posuit: dabit bona petentibus se, ostendit spiritum sanctum plenitudinem donorum dei: quia omnes utilitates quae ex donorum dei gratia suscipiuntur, ex isto fonte emanant.

Athanasius. Nisi autem spiritus sanctus esset de substantia dei, qui solus est bonus, nequaquam hic appellaretur bonus, quando dominus renuit dici bonus in eo quod homo factus est.

Augustinus de verb. Dom.. Ergo, avare, quid quaeris? aut si aliud petas, quid tibi sufficiat, cui deus non sufficit?

LUCA 11,14-16

10114 (Lc 11,14-16)

Theophylactus. Cophos, quem latini interpretantur mutum, apud graecos frequenter dicitur qui non loquitur; dicitur etiam et qui non audit; sed magis proprie qui nec audit nec loquitur. Qui autem a nativitate non audivit, ex necessitate non loquitur: ea enim loquimur quae per auditum loqui docemur. Si quis tamen ex aliqua passione superveniente auditum amiserit, hunc nihil prohibet loqui. qui autem domino oblatus fuit, et mutus erat lingua et surdus auditu. Titus. Mutum autem vel surdum dicit daemonium quod hanc ingerit passionem, quod non audiatur divinum verbum. Nam daemones auferentes aptitudinem humani affectus, obtundunt animae nostrae auditum. Idcirco venit Christus ut eiciat daemonium, et audiamus verbum veritatis; unum enim sanavit, ut universalem praegustationem faciat humanae salutis; unde sequitur et cum eiecisset daemonium, locutus est mutus. **Remigius.** Daemoniacus autem iste apud Matthaeum non solum mutus, sed et caecus fuisse narratur. Tria igitur signa simul in uno homine perpetrata sunt. caecus videt, mutus loquitur, possessus a daemone liberatur quod quotidie completur in conversione credentium, ut, expulso primum daemone, fidei lumen aspiciant; deinde ad laudes dei tacentia prius ora laxentur.

Cyrillus. Hoc autem miraculo peracto, extollebat eum multitudo praeconiis, et gloria quae deum decet; unde sequitur et admiratae sunt turbae.

Beda. turbis autem, quae minus eruditae videbantur, domini semper facta mirantibus, scribae et pharisaei vel negare, vel sinistra interpretatione pervertere laborabant; quasi non divinitatis, sed immundi spiritus opera fuissent; unde sequitur quidam autem ex eis dixerunt: in beelzebub principe daemoniorum eicit daemonia. beelzebub deus erat accaron: nam beel quidem ipse baal, zebub autem musca vocatur. Dicit autem beelzebub, quasi vir muscarum; ex cuius spurcissimo ritu principem daemoniorum cognominabant.

Cyrillus. alii vero paribus stimulati livoris aculeis, petebant ab eo caeleste videre portentum; unde sequitur alii tentantes signum de caelo quaerebant ab eo: quasi dicerent: quamvis ab homine daemonium eieceris, non tamen hoc est divinae operationis argumentum: nondum enim vidimus aliquid prioribus simile miraculis: moyses enim transduxit populum per medium maris, iosue vero successor eius solem retardavit in gabaon; tu vero nihil horum ostendisti. Quaerere enim prodigia de caelo innuit, quod huiusmodi cogitationibus tunc temporis afficiebantur erga Christum.

LUCA 11,17-20

10117 (Lc 11,17-20)

Chrysostomus in Matthaeum. cum pharisaeorum suspicio irrationabilis esset, metu multitudinis non audebant eam divulgare, sed in animo suo eam vertebant; unde dicitur ipse autem ut vidit cogitationes eorum, dixit eis: omne regnum in se divisum desolabitur, et domus supra domum cadet.

Beda. Non ad dicta, sed ad cogitata respondit; ut vel sic compellerentur credere potentiae eius, quae cordis videbat occulta.

Chrysostomus. non autem respondebat ex scripturis, quia non attendebant, falso eas exponentes; sed ex his respondet quae communiter accidunt. Domus enim et civitas si fuerit divisa, velociter dissipatur, et etiam regnum, quo nihil est validius: firmat enim regna et domos subditorum concordia. Si ergo, inquit, ego per daemonem daemonia eicio, dissensio inter eos est, et perit virtus eorum; unde subdit si autem et satanas in seipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius, quia dicitis me in beelzebub eicere daemonia? non enim satanas sibiipsi repugnat, nec suis satellitibus nocet, sed potius statuit regnum suum. Restat ergo quod divina virtute conteram satanam.

Ambrosius. In hoc etiam ostendit regnum suum individuum esse, atque perpetuum: et ideo qui non in Christo spem gerunt, sed in principe daemoniorum eicere daemones opinantur, eos regni negat esse perpetui, quod spectat etiam ad populum iudaeorum. Quomodo enim potest regnum iudaeorum esse perpetuum, quando a legis populo iesus negatur, qui ex lege debetur? ita ex parte se fides iudaicae plebis impugnat, impugnando dividitur, dividendo dissolvitur; et ideo regnum ecclesiae manebit aeternum, quia individua fides corpus est unum.

Beda. Regnum etiam patris et filii et spiritus sancti non est divisum, quod est aeterna stabilitate mansurum. Desistant igitur ariani iuniorum patre filium, filio vero spiritum sanctum dicere: quia quorum unum est regnum, horum est et una maiestas.

Chrysostomus in Matthaem. haec est prima solutio; secunda vero, quae est de discipulis, quam ponit subdens si autem ego in beelzebub eicio daemona, filii vestri in quo eiciunt? non dicit: discipuli mei, sed filii vestri, volens eorum permulcere furorem.

Cyrillus. Iudaei namque, et a iudaeis, secundum carnem, exorti sunt Christi discipuli: qui potestatem in spiritus immundos adepti erant a Christo, et oppressos ab eis in nomine Christi liberabant. Cum ergo filii vestri satanam in nomine meo conterunt, quomodo non habet multam amentiam, dicere me a beelzebub virtutem habere? damnabimini igitur ex fide natorum vestrorum; unde subditur ideo ipsi iudices vestri erunt.

Chrysostomus. quoniam enim ex vobis emanantes mihi obediunt, liquet quod condemnabunt operantes contraria.

Beda. Vel aliter. Filios iudaeorum exorcistas gentis illius significat, qui ad invocationem dei eiciebant daemones; quasi dicat: si expulsio daemonum in filiis vestris deo, non daemonibus deputatur: quare in me idem opus non eadem habeat causam? ergo ipsi vestri iudices erunt, non potestate, sed operatione, dum illi expulsionem daemonum Deo assignant, vos beelzebub principi daemoniorum.

Cyrillus. Postquam ergo quod dicitis, calumniae notam habet, manifestum est quod in spiritu dei eicio daemona; unde subdit porro si in digito dei eicio daemona, profecto pervenit in vos regnum dei.

Augustinus de cons. Evang.. Quod lucas digitum dei dicit, ubi Matthaesus dixit spiritum, ab eadem sententia non recedit; quin potius et aliquid docet, ut noverimus quemadmodum intelligamus ubicumque scripturarum legerimus digitum dei.

Augustinus de quaest. Evang.. dicitur autem spiritus sanctus digitus dei, propter partitionem donorum, quae in eo dantur unicuique propria, sive hominum, sive angelorum; in nullis enim membris nostris magis apparet partitio quam in digitis.

Cyrillus. Vel spiritus sanctus dicitur digitus dei: filius enim manus et brachium patris dictus est: operatur enim pater cuncta per eum. Sicut igitur digitus non est alienus a manu, sed ei naturaliter insitus; sic spiritus sanctus consubstantialiter connexus est filio, et per eum omnia filius operatur.

Ambrosius. nec tamen tibi membrorum compactione nostrorum portio quaedam videatur facienda virtutis; individuae enim rei non potest esse divisio; et ideo ad formam unitatis, non ad distinctionem potestatis referenda digiti nuncupatio est.

Athanasius contra arianos. Ad praesens autem non renuit dominus gratia suae humanitatis dicere se minorem spiritu sancto, dicens se in eo daemones eicere, quasi non sufficiente humana natura ad daemonum expulsionem, nisi virtute spiritus sancti.

Cyrillus. Et ideo convenienter dicitur pervenit in vos regnum dei; idest, si ego, homo existens, in spiritu divino eicio daemones, ditata est humana natura in me, et advenit regnum dei.

Chrysostomus in Matthaem. dicit autem super vos, ut eos attraheret; quasi dicat: si vobis adveniunt prospera, cur vestra bona fastiditis? **Ambrosius.** simul ostendit etiam imperialem quamdam esse spiritus sancti potestatem, in quo regnum est dei: nos quoque, in quibus habitat spiritus, esse regalem domum. titus. Vel dicit pervenit in vos regnum dei, ut intelligatur, pervenit contra vos, non pro vobis: horrendus enim est perfidis Christi secundus adventus.

LUCA 11,21-23

10121 (Lc 11,21-23)

Cyrillus. Quia necessarium erat per multas considerationes detrahentium retractare sermonem, utitur nunc exemplo manifestissimo, quod demonstrat volentibus intueri, quod principem huius saeculi virtute sibi insita vicit, dicens cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet.

Chrysostomus in Matthaëum. Fortem vocat diabolum, non quia naturaliter huiusmodi sit, sed innuens antiquam eius tyrannidem, quam pusillanimitas nostra causavit.

Cyrillus. Erat enim ante salvatoris adventum violentia multa, rapiens alienos greges, scilicet dei, et quasi ad proprium ducens ovile.

Theophylactus. Arma autem eius sunt omnes species peccatorum, in quibus confidens invaluit contra homines.

Beda. Atrium vero illius mundum vocat, qui in maligno positus est, in quo usque ad salvatoris adventum potiebatur imperio; quia in cordibus infidelium sine ulla contradictione quiescebat, sed fortiori potentia Christus victor, omnes homines liberando, ipsum eiecit; unde subditur si autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma eius auferet, in quibus confidebat, et spolia eius distribuet.

Cyrillus. Postquam enim dei summi verbum, totius fortitudinis dator, et dominus virtutum, factum est homo, invasit illum, et arma eius abstulit.

Beda. sunt ergo arma eius astutiae dolique nequitiae spiritualis; spolia vero eius ipsi homines sunt ab eo decepti.

Cyrillus. nam qui dudum irretiti fuerant ab eo iudaei in divinam ignorantiam et errorem, evocati sunt per sanctos apostolos ad notitiam veritatis, et oblati sunt Deo patri per fidem adhibitam filio.

Basilius. distribuit etiam spolia, exhibens fideles custodias angelorum ad hominum salutem.

Beda. Victor etiam Christus spolia distribuit, quod est insigne triumphantis: quia captivam ducens captivitatem, dedit dona hominibus: quosdam quidem apostolos, alios evangelistas, hos prophetas, illos pastores ordinans et doctores.

Chrysostomus. deinde ponitur quarta solutio, cum subditur qui non est mecum, adversum me est; quasi dicat: ego volo homines offerre deo, satanas autem contrarium. qualiter ergo qui mihi non cooperatur, sed dissipat quae mea sunt, tam mihi consentaneus fieret ut una mecum eiceret daemones? sequitur et qui non colligit mecum, dispergit.

Cyrillus. Quasi dicat: ego veni ut filios dei ab eo dispersos congregem; at ipse satanas, cum mecum non sit, quae collegi et salvavi, tentat dispergere. Qualiter ergo qui meis dispensationibus refragatur, virtutem mihi ministrat? **Chrysostomus.** at si qui non cooperatur, adversarius est, multo magis qui obstat. Videtur tamen mihi et iudaeos ad praesens sub aenigmate tangere, ordinans eos cum diabolo: nam et ipsi agebant contra eum, et dispergebant quos congregabat.

LUCA 11,24-26

10124 (Lc 11,24-26)

Cyrillus. Post praemissa ostendit dominus unde contigit populo iudaeorum ut ad huiusmodi opiniones laberentur de Christo, dicens cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquosa, quaerens requiem. Quod enim hoc exemplum ad iudaeos spectet, Matthaëus expressit dicens: sic erit et generationi huic pessimae. Quamdiu enim erant in aegypto viventes ritu aegyptiorum, inhabitabat in eis spiritus malignus, qui expulsus est ab eis, quando mactaverunt agnum in figura Christi, et liniti sunt eius sanguine, et sic evitarunt destructorem.

Ambrosius. Itaque in uno homine totius populi iudaici comparatio est, a quo per legem spiritus immundus exierat. sed quia in gentibus, quorum corda prius arida erant, sed postmodum per baptisma rore spiritus humescebant, propter fidem Christi requiem diabolus invenire non potuit (immundis enim spiritibus Christus incendium est): ideo regressus est ad plebem iudaeorum; unde sequitur et non inveniens, dicit: revertar in domum meam unde exivi.

Origenes. idest ad eos qui sunt ex israel: quos vidit nihil divinum in se continentem, sed desertos et vacantes habitationi eius; unde sequitur et cum venerit, invenit eam scopis mundatam.

Ambrosius. Forensi enim et perfunctoria specie compta animo manet interiore pollutior: neque enim sacri fontis irriguo aut abluebat aut restinguebat ardorem: meritoque ad eam spiritus redibat immundus, adducens secum septem spiritus nequiores; unde sequitur et tunc vadit, et assumit septem alios spiritus secum nequiores se; et ingressi habitant ibi: quoniam scilicet in hebdomada legis et octavae mysterium commisit. Itaque, ut nobis multiplicatur septiformis spiritus gratia; ita illis immundorum spirituum omnis cumulatur iniuria: universitas enim hoc numero aliquoties comprehenditur.

Chrysostomus in Matthaëum. incolunt autem animas iudaeorum daemones peiores prioribus: nam tunc temporis in prophetas saeviebant, nunc vero ipsi domino prophetarum iniuriantur; atque ideo a vespasiano et tito peiora passi fuerunt quam in aegypto et in babylone; unde sequitur et fiunt novissima hominis illius peiora prioribus. Tunc etiam aderat eis divina provisio et gratia spiritus sancti; nunc vero etiam hac cura privantur; propter quod virtutis maior penuria nunc, et aerumna intensior, et daemonum exactio saevior.

Cyrillus. Sunt etiam novissima peiora prioribus, secundum illud apostolicum: melius erat eis veritatis viam non cognoscere, quam post agnitam retroire.

Beda. potest etiam hoc accipi de haeretico quolibet vel schismatico, vel etiam malo catholico, de quo, tempore baptismatis, spiritus exierat immundus, locaque inaquosa peragravit; idest, corda fidelium, quae a mollitie fluxae cogitationis expurgata sunt, callidus insidiator explorat, si quos ibi nequitiae suae gressus figere possit. Dicit autem revertar in domum meam unde exivi: in quo timendum est ne culpa, quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat. Invenit autem eam scopis mundatam, hoc est gratia baptismatis a peccatorum labe castigatam, sed nulla boni operis industria cumulatam. Per septem autem malos spiritus, quos assumit, universa vitia designat. Nequiores autem dicuntur, quia non solum habebit illa septem vitia quae septem spiritualibus sunt contraria virtutibus, sed etiam per hypocrisim ipsas se virtutes habere simulabit.

Chrysostomus in Matthaëum. non solum autem illis, sed et nobis fore dicta accipiamus quae sequuntur et erunt novissima hominis illius peiora prioribus: quia si illustrati et a pristinis malis remoti, denuo redimus ad eandem nequitiam, gravior deinceps erit poena sequentium peccatorum.

Beda. Posset etiam simpliciter intelligi, dominum haec ad distinctionem suorum et satanae operum adiunxisse, quod scilicet ipse semper polluta mundare, satanas vero mundata gravioribus sordibus contaminare festinet.

LUCA 11,27-28

10127 (Lc 11,27-28)

Beda. Scribis et pharisaeis dominum tentantibus, simul et blasphemantibus, incarnationem eius magna fiducia quaedam mulier confitetur; unde sequitur factum est autem cum haec diceret, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti: ubi et praesentium calumniam, et futurorum confundit haeticorum perfidiam; nam sicut tunc iudaei, sancti spiritus opera blasphemando, verum dei filium negabant; sic haeretici postea negando mariam semper virginem, spiritus sancti cooperante virtute, nascituro unigenito Deo carnis suae materiam ministrasse, verum consubstantiali et patri filium hominis fateri non debere dixerunt. Sed si caro verbi dei secundum carnem nascentis, a carne virginis matris pronuntiatur extranea, sine causa venter qui eum portasset, et ubera quae lactassent, beatificantur. qua vero consequentia eius lacte credatur nutritus ex cuius semine negatur conceptus, cum ex unius et eiusdem fontis origine, secundum physicos, uterque liquor manare perhibetur? non autem tantummodo eam quae verbum dei corporaliter generare meruerat, sed et omnes qui idem verbum spiritualiter auditu fidei concipere, et boni operis custodia vel in suo, vel in proximorum corde parere et quasi alere studuerint, asserit esse beatos; sequitur enim at ille dixit: quinimmo beati qui audiunt verbum dei, et custodiunt illud.

Chrysostomus in Matthaëum. non fuit hoc responsum repudiantis matrem, sed ostendentis quod nihil ei partus profuisset, nisi valde bona et fidelis fuisset. ceterum si mariae non proderat sine virtutibus animae Christum ab ea ortum traxisse: multo magis nobis sive patrem, sive fratrem, sive filium virtuosum habeamus, nos autem absistamus ab illius virtute, nequaquam hoc prodesse valebit.

Beda. Eadem autem dei genitrix et inde quidem beata, quia verbi incarnandi ministra est facta temporalis; sed inde multo beatior, quia eiusdem semper amandi custos manebat aeterna. Hac etiam sententia

sapientes iudaeorum percutit, qui verbum dei non audire et custodire, sed negare et blasphemare quaerebant.

LUCA 11,29-32

10129 (Lc 11,29-32)

Beda. Duplici dominus fuerat quaestione pulsatus. Quidam enim calumniabantur eum in beelzebub eiecisse daemona, quibus hactenus est responsum; et alii tentantes, signum de caelo quaerebant ab eo, quibus ab hinc respondere incipit; unde sequitur turbis autem concurrentibus, coepit dicere: generatio haec, generatio nequam est.

Ambrosius. Ut scias synagogae populum deformari, ubi ecclesiae beatitudo laudatur. Sicut autem fuit ionas signum ninivitis, ita erit et filius hominis iudaeis; unde subditur signum quaerit; et signum non dabitur ei, nisi signum ionae prophetae.

Basilius. Signum est res in propatulo posita, alicuius occulti continens in se declarationem; sicut ionae signum descensum ad inferos ac iterum ascensum Christi, et resurrectionem a mortuis repraesentat; unde subditur nam sicut ionas fuit signum ninivitis, ita et filius hominis generationi isti.

Beda. signum eis tribuit, non de caelo, quia indigni erant videre; sed de profundo inferni: signum scilicet incarnationis, non divinitatis; passionis, non glorificationis.

Ambrosius. Ut autem ionae typus signum dominicae passionis est, ita etiam gravium, quae iudaei commiserunt, testificatio peccatorum est. simul advertere licet et maiestatis oraculum, et pietatis iudicium: namque ninivitarum exemplo et denuntiatur supplicium, et remedium demonstratur; unde etiam debent iudaei non desperare indulgentiam, si velint agere poenitentiam.

Theophylactus. sed ionas post exitum suum a ventre ceti, sua praedicatione ninivitas convertit; Christo vero resurgenti iudaeorum generatio non credit: unde praeiudicium fuit eis; de quo praeiudicio subdit duplex exemplum, cum dicitur regina austri surget in iudicio cum viris generationis huius, et condemnabit illos.

Beda. Non utique potestate iudicii, sed comparatione facti melioris; unde sequitur quia venit a finibus terrae audire sapientiam salomonis: et ecce plusquam salomon hic. Hic in isto loco non pronomen est, sed adverbium loci, et significat: idest, in praesentiarum inter vos conversatur qui incomparabiliter est salomone praestantior.

Cyrillus. non autem dixit: maior salomone ego sum; ut persuadeat nobis humiliari, etsi fecundi sumus spiritualium gratiarum; quasi dicat: festinavit ad audiendum salomonem mulier barbara, per tam longum iter auditura scientiam visibilium animantium, et vires herbarum; vos autem cum assistatis et audiatis de invisibilibus et caelestibus ipsam sapientiam vos instrumentem, et verba signis et operibus comprobantem; alienamini contra verbum, et miracula insensibiliter praeteritis.

Beda. Si autem regina austri, quae electa esse non dubitatur, surget in iudicio cum reprobis, ostenditur una cunctorum, bonorum scilicet malorumque, resurrectio mortalium; et hoc non iuxta fabulas iudaeorum mille annis ante iudicium, sed in ipso esse futura iudicio.

Ambrosius. In hoc quoque iudaeorum plebem damnans, ecclesiae mysterium vehementer exprimit, quae in regina austri per studium percipiendae sapientiae de totius orbis finibus congregatur, ut pacifici salomonis verba cognoscat: regina plane, cuius regnum est indivisum, de diversis et distantibus populis in unum corpus assurgens.

Gregorius nyssenus. Sicut autem illa regina erat aethiopum, et longe distans; sic in principio nigra erat ecclesia gentium, et multum distabat a veri dei notitia; at ubi pacificus Christus emicuit, tunc, caecutientibus iudaeis, accedunt gentiles, offeruntque Christo pietatis aromata, et aurum divinae notitiae, et gemmas, obedientiam scilicet praeceptorum.

Theophylactus. vel quia auster laudatur in scriptura, sicut calidus et vivificans. Anima igitur regnans in austro, idest in spirituali conversatione, venit audire sapientiam salomonis regis pacifici domini dei nostri; idest, in contemplationem erigitur, ad quam nullus perveniet, nisi regnet in bona vita. Ponit autem

consequenter exemplum de ninivitis, dicens viri ninivite surgent in iudicio cum generatione hac, et condemnabunt illam.

Chrysostomus super Matthaeum. condemnationis iudicium ex similibus vel dissimilibus fit: ex similibus quidem sicut in parabola de decem virginibus; ex dissimilibus autem, sicut cum ninivite condemnant eos qui erant tempore Christi, ut sic fiat condemnatio clarior: nam illi quidem barbari, hi vero iudaei; hi refecti propheticis documentis, illi numquam acceperant auditum divinum: illuc ivit servus, huc dominus; ille eversionem praedicabat, iste regnum caelorum annuntiat. Notum est ergo cuilibet quod iudaeos decebat potius credere; accidit autem contrarium; unde subdit quia poenitentiam egerunt in praedicatione ionae; et ecce plusquam ionas hic.

Ambrosius. Secundum mysterium autem, ex duobus constat ecclesia: ut aut peccare nesciat, quod scilicet pertinet ad austri reginam; aut peccare desinat, quod scilicet pertinet ad ninivitas poenitentiam agentes. Poenitentia enim delictum abolet, sapientia cavet.

Augustinus de cons. evang.. Hoc autem lucas narrat eo loco quidem quo Matthaeus, sed aliquanto dispari ordine. Quis autem non videat superfluo quaeri quo illa ordine dominus dixerit; cum et hoc discere debeamus per evangelistarum excellentissimam auctoritatem, non esse mendacium, si quisque non hoc ordine cuiusquam sermonem digesserit quo ille a quo processit, cum ipsius ordinis nihil intersit ad rem, sive ita sit, sive ita?

LUCA 11,33-36

10133 (Lc 11,33-36)

Beda. De se ipso dominus hic loquitur, ostendens, etsi supra dixerit nullum generationi nequam, nisi signum ionae dandum, nequaquam tamen lucis suae claritatem fidelibus occultandam. Ipse quidem lucernam accendit qui testam humanae naturae flamma suae divinitatis implevit: quam profecto lucernam nec credentibus abscondere, nec modio supponere, hoc est sub mensura legis includere, vel intra unius iudaeae gentis terminos voluit cohibere; sed supra candelabrum posuit, idest ecclesiam, quia in nostris frontibus fidem suae incarnationis affixit, ut qui ecclesiam fideliter ingredi voluerint, lumen veritatis palam queant intueri. Denique praecepit ne opera tantummodo, sed et cogitationes, et ipsas etiam cordis intentiones mundare et castigare meminerint; nam sequitur lucerna corporis tui est oculus tuus.

Ambrosius. vel lucerna fides est; iuxta quod scriptum est: lucerna pedibus meis verbum tuum, domine. Verbum enim dei fides nostra est. Lucerna autem lucere non potest, nisi aliunde lumen acceperit: unde et virtus nostrae mentis et sensus accenditur, ut mna quae perierat possit reperiri. Nemo ergo fidem sub lege constituat: lex enim intra mensuram est, ultra mensuram gratia: lex obumbrat, gratia clarificat.

Theophylactus. Vel aliter. quia iudaei videntes miracula accusabant ex eorum mentis malitia, propter hoc dicit dominus quod accipientes lucernam a deo, intellectum scilicet, aemulatione obscurati, miracula et beneficia non cognoscebant. sed ad hoc intellectum a Deo suscepimus ut supra candelabrum poneremus, ut etiam alii qui ingrediuntur, lumen videant. Sapiens quidem iam ingressus est; qui vero addiscit, adhuc ambulat. quasi pharisaeis dicat: oportet vos uti intellectu ad miraculorum notitiam, et aliis declarare: quoniam quae videtis sunt opera non beelzebub, sed filii dei; unde secundum hunc intellectum subdit lucerna corporis tui est oculus tuus.

Origenes. oculum quippe appellat proprie intellectum nostrum; totam autem animam, quamvis non corpoream, hic tropologice vocat corpus: illustratur enim ab intellectu anima tota.

Theophylactus. Sicut autem corporis oculus si lucidus fuerit, corpus lucidum erit: si vero tenebrosus, et corpus similiter tenebrosus: sic comparatur intellectus ad animam; unde subditur si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit: si autem nequam, totum corpus tuum tenebrosus erit.

Origenes. Intellectus enim a suo principio in solo simplicitatis studio est, nullam continens duplicitatem et dolum et divisionem in se.

Chrysostomus super Matthaeum. Si ergo intellectum corruperimus, qui potest solvere passiones, totam laesimus animam, patimurque diram caliginem, perversione excaecati intellectus; unde subdit vide ergo ne lumen quod in te est tenebrae sint. Non sensibiles dicit tenebras, sed intrinsecam habentes originem, et quas nobiscum passim deferimus, extincto nobis oculo animae; de cuius luminis virtute subdit, dicens si

ergo corpus tuum totum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum, et sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

Origenes. idest, si corpus tuum sensibile factum est luminosum, illustrato corpore a lucerna, adeo ut non amplius in te sit membrum tenebrosum; multo magis te non peccante, intantum fiet lucidum totum tuum corpus spirituale, ut comparentur splendores eius illustranti lucernae, dum lux quae erat in corpore, quae consueverat esse caligo, dirigitur quocumque praeceperit intellectus.

Gregorius nazianzenus. vel aliter. Ecclesiae lucerna et oculus est praelatus. Necesse est ergo ut, sicut oculo puro verum habente corpus dirigitur, impuro vero existente deviat: sic et in praelato, qualitercumque se habet, oportet pariter naufragium pati ecclesiam, vel salvari.

Gregorius moralium. vel aliter. Appellatione corporis unaquaeque actio intelligitur, quae intentionem suam quasi intuentium oculum sequitur; unde dicitur lucerna itaque corporis tui est oculus tuus, quia per bonae intentionis radium merita illustrantur actionis. Si ergo oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit: quia si recte intendimus per simplicitatem cogitationis, bonum opus efficitur, etiam si minus bonum esse videatur; et si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit; quia cum perversa intentione quid vel rectum agitur, etsi splendere coram hominibus cernitur, tamen apud examen interni iudicis obscuratur; unde et recte subditur vide ergo ne lumen quod in te est, tenebrae sint: quia si hoc quod bene nos agere credimus, ex mala intentione fuscamus; quanta ipsa mala sunt quae mala esse, et cum agimus, non ignoramus? **Beda.** Cum autem subdit si ergo corpus tuum lucidum fuerit etc., totum corpus nostrum omnia opera nostra dicit. Si igitur bonum bona intentione patrueris, non habens in tua conscientia aliquam partem tenebrae cogitationis; etsi contigerit aliquem proximorum tua bona actione noceri, tu tamen pro tuo simplici corde, et hic gratia, et in futuro lucis gloria donaberis. Quod significat subdens et sicut lucerna fulgoris illuminabit te. haec contra hypocrisim pharisaeorum sub dolo signa quaerentium, specialiter dicta sunt.

LUCA 11,37-44

10137 (Lc 11,37-44)

Cyrillus. Pharisaeus quamvis tenax esset sui propositi, dominum tamen in propriam domum vocat; unde dicitur et cum loqueretur, rogavit illum quidam pharisaeus ut pranderet apud se.

Beda. Consulte lucas non ait: et cum haec loqueretur; sed cum loqueretur, ut ostendat eum non statim finitis quae proposuerat verbis, sed aliquot interpositis, apud pharisaicum prandere rogatum.

Augustinus de cons. Evang.. Ut enim hoc lucas narraret, digressus est a Matthaeo circa illum locum ubi ambo commemoraverant quod dictum est a domino de signo ionae, et de regina austri, et de ninivitis, et de spiritu immundo: post quem sermonem dicit Matthaeus: adhuc eo loquente ad turbas, ecce mater eius et fratres stabant foris, quaerentes ei loqui. Lucas autem in eo sermone domini, commemoratis etiam quibusdam quae Matthaeus dixisse dominum praetermisit, ab ordine quem cum Matthaeo tenuerat, digreditur.

Beda. Itaque postquam nuntiatis sibi foris matre et fratribus ait: qui enim fecerit voluntatem domini, hic frater meus, et soror mea, et mater est, datur intelligi, rogatu pharisaei intrasse convivium.

Cyrillus. Sed ipse Christus, qui eorum pharisaeorum nequitiam noverat, dispensative condescendit, satagens commonere eos, ad similitudinem optimorum medicorum, qui gravior infirmantibus afferunt remedia suae industriae; unde sequitur et ingressus recubuit. Dedit autem occasionem verbis Christi indocilis pharisaeus scandalizatus, quia cum opinaretur eum iustum et prophetam, non conformabatur irrationabili eorum consuetudini; unde subditur pharisaeus autem coepit intra se reputans dicere, quare non baptizatus esset ante prandium.

Augustinus de verb. dom.. Omni enim die pharisaei antequam pranderent, abluabant se aqua; quasi quotidiana lavatio possit cordis esse mundatio. Apud seipsum autem pharisaeus cogitavit, voce non sonuit: ille tamen audivit qui interiora cernebat; unde sequitur et ait dominus ad illum: nunc vos, pharisaei, quod de foris est calicis et catini mundatis; quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate.

Cyrillus. Poterat autem dominus et aliis uti verbis, commonens pharisaicum insanum; captat tamen

tempus, et ex his quae erant prae manibus contextit documentum. hora namque mensae et pabuli, sumit pro exemplo calicem et catinum, ostendens quod mundos et lotos decet esse sincere ministrantes Deo non solum a spurcitia corporali, immo ab ea quae latet intrinsecus penes mentem: sicut aliquod vasorum quibus servitur in mensa, bonum est et extrinsecis et intrinsecis carere contagiis.

Ambrosius. Vide autem corpora nostra terrenorum et fragilium expressione significari, quae brevi lapsu praecipitata franguntur, et facile ea quae mens volvit interne, per sensus et gesta corporis prodit, sicut illa quae calix interius continet, foris lucent: unde et in posterioribus non dubium est vocabulo calicis passionem corporis declarari. Cernis igitur quod nos non exteriora huius calicis et catini, sed interiora contaminant; quia dixit quod intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate.

Augustinus. Sed quomodo non pepercit homini a quo fuerat invitatus? magis quidem obiurgando pepercit, ut correcto in iudicio parceret. deinde ostendit nobis quia et baptisma quod semel adhibetur, per fidem mundat; fides autem intus est, non foris. Fidem autem contemnebant pharisaei, et quod foris erat lavabant, intus inquinatissimi manebant; quod dominus improbat dicens stulti, nonne qui fecit quod de foris est, etiam id quod intus est fecit? **Beda.** Quasi dicat: qui utramque hominis naturam fecit, utramque mundari desiderat. Hoc est contra manichaeos qui animam tantum a deo, carnem vero putant a diabolo creatam. Hoc etiam est contra illos qui corporalia peccata, fornicationem scilicet, furtum, et cetera talia peccata, quasi gravissima detestantur; spiritualia vero, quae non minus damnat apostolus, ut levia contemnunt.

Ambrosius. Dominus autem, quasi bonus praeceptor, docuit quomodo nostri corporis mundare contagium debeamus, dicens verumtamen quod superest date eleemosynam; et ecce omnia munda sunt vobis. vides quanta remedia. Mundat nos misericordia, mundat nos dei sermo: iuxta quod scriptum est: iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis.

Augustinus de eleemosyna. misericors monet misericordiam fieri: et quia servare quaerit quos magno redemit pretio, post gratiam baptismi sordidatos, docet denuo posse purgari.

Chrysostomus. dicit autem date eleemosynam, non iniustitiam; est enim eleemosyna quae caret iniustitia qualibet: haec omnia facit munda, et ieiunio est praestantior; quod quamvis sit laboriosius, illa tamen est lucrosior. illustrat animam, impinguat, bonam efficit et decoram. Qui cogitat misereri roganti, citius a peccatis desistet. Sicut enim medicus qui crebro vulneratis medetur, frangitur de facili in aerumnis aliorum; sic et nos si vacaverimus egenorum auxiliis, de facili contemnemus praesentia, et in caelum levabimur. Non parvum est igitur eleemosynae cataplasma, cum valeat omnibus apponi vulneribus.

Beda. Dicit autem quod superest, scilicet necessario victui et vestimento. Neque enim ita facienda iubetur eleemosyna ut teipsum consumas inopia; sed ut tui cura corporis expleta, inopem quantum vales sustentens. Vel ita intelligendum: quod superest, idest quod tam multo scelere praeoccupatis solum remedium restat, date eleemosynam: qui sermo ad omnia quae utili miseratione fiunt, valet: non enim solum qui dat esurienti cibum et cetera huiusmodi, verum etiam qui dat veniam peccanti, atque orat pro eo; et qui corripit, et aliqua emendatoria poena plectit, eleemosynam dat.

Theophylactus. vel dicit quod superest: nam facultates praesident cupido cordi.

Ambrosius. totus itaque pulcherrimus ab hinc dirigitur locus, ut quoniam nos ad studium simplicitatis invitat, superflua iudaeorum et terrena condemnet. Et tamen ipsis peccatorum abolitio promittitur, si misericordiam consequantur.

Augustinus de verb. Dom.. Si autem mundari non possunt nisi credentes in eum qui fide mundat cor, quid est quod dicit date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis? attendamus: forte et ipse exponit. illi enim de omnibus suis fructibus decimam partem detrahebant, et eleemosynas dabant; quod non facile aliquis facit Christianus. Irriserunt ergo illum eis hoc dicentem, quasi hominibus qui eleemosynas non facerent. Hoc deus sciens subiungit sed vae vobis pharisaeis, qui decimatis mentham et rutam et omne olus, et praeteritis iudicium et caritatem dei. Non ergo est hoc facere eleemosynam; facere enim eleemosynam, est facere misericordiam. Si intelligis, a te incipe: quomodo enim es misericors alteri, si crudelis es tibi? audi scripturam dicentem: miserere animae tuae, placens deo. Redi ad conscientiam tuam quicumque male aut infideliter vivis; et ibi invenis mendicantem animam tuam, vel forte egestate obmutescentem. In iudicio et caritate fac eleemosynam cum anima tua. Quid est iudicium? displice tibi. Quid est caritas? dilige deum, dilige proximum. Hanc eleemosynam si praetermittis, quantumvis ames, nihil facis quando tecum non facis.

Cyrillus. Vel hoc dicit in pharisaeorum reprehensionem: quia illa sola praecepta attentius observari iuebant a populis subiectis quae causa erant illis reddituum fecundorum; unde nec minima olerum

postponebant, opus autem ingerendae dilectionis ad deum et iudicii iustam censuram negligebant.

Theophylactus. quia enim deum contemnebant, indifferenter sacra tractantes, praecipit eis dilectionem dei habere. Per iudicium vero dilectionem innuit proximi; nam quod aliquis iuste iudicet proximo, ex eius dilectione provenit.

Ambrosius. Vel iudicium, ideo quia non omnia quae agunt in iudicium referunt: caritatem, ideo quia non ex affectu diligunt deum. Sed ne rursus fidei studiosos nos faciat operum negligentes, perfectionem fidelis viri brevi sermone concludit, ut et fide et operibus approbetur, dicens haec autem oportuit facere, et illa non omittere.

Chrysostomus in Matthaeum. ubi quidem sermo iudaicae mundationis agebatur, totaliter praeterivit; sed quia decima eleemosyna quaedam est, et nondum erat tempus expresse interimendi legalia, propter hoc dicit haec oportuit facere.

Ambrosius. Arrogantiam quoque iactantium iudaeorum redarguit, dum primatus appetunt; sequitur enim vae vobis pharisaeis, qui diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro.

Cyrillus. Per ea quibus illos reprehendit, nos facit meliores: vult etenim nos ambitione carere, et non plus venari apparentiam quam veri existentiam; quod tunc pharisaei agebant. Salutari enim ab aliquibus, et praesidere eis, non vere nos idoneos esse ostendit; pluribus enim haec contingunt, cum boni non sint; unde subdit vae vobis qui estis ut monumenta quae non apparent. Volentes enim ab hominibus salutari et eis praesidere ut magni aestimentur, ab occultis sepulchris non differunt, quae nitent quidem extrinsecus ornamentis, sunt autem plena omni spurcitia.

Ambrosius. Et quasi sepulchra quae non apparent, specie fallunt visuque decipiunt transeuntes; unde sequitur et homines ambulantes supra nesciunt; ita scilicet ut cum foris speciosa promittant, plena intus foetoris includant.

Chrysostomus in Matthaeum. Sed quod tales extiterint pharisaei, non est mirabile; si autem nos digni reputati fieri templa dei, fiamus repente sepulchra solum foetorem continentia, hoc est extremae miseriae.

Cyrillus. Ait autem hic apostata iulianus, vitanda esse sepulchra, quae Christus ipse ait esse immunda; sed ignoravit vim verborum salvatoris; non enim iussit a monumentis discedere, sed eis comparavit pharisaeorum fictitium populum.

LUCA 11,45-54

10145 (Lc 11,45-54)

Cyrillus. Redargutio quae mansuetos transfert in melius, superbis hominibus communiter intolerabilis esse solet; unde cum salvator reprehenderet pharisaeos tamquam deviantes a recto calle, percelleretur ex hoc legisperitorum caterva; unde dicitur respondens autem quidam ex legisperitis, ait illi: magister, haec dicens, etiam nobis contumeliam facis.

Beda. Quam misera conscientia, quae audito dei verbo, sibi contumeliam fieri putat: et commemorata poena perfidorum, se semper intelligit esse damnandam.

Theophylactus. erant autem alii legisperiti a pharisaeis: nam pharisaei divisi ab aliis, quasi religiosi videbantur; legis autem periti scribae erant, doctoresque quaestiones legis solventes.

Cyrillus. Christus autem legisperitis invectivam ingerit, et deprimit vanum eorum supercilium; unde sequitur at ille ait: et vobis legisperitis vae: quia homines oneratis oneribus quae portare non possunt, et ipsi uno digito non tangitis sarcinas. Exemplo patenti utitur ad eos dirigendum. Erat lex onerosa iudaeis, ut fatentur Christi discipuli; ipsi vero fascis importabiles legis colligantes, et subditis superponentes, ipsi nullatenus operari curabant.

Theophylactus. quoties etiam doctor facit quae docet, alleviat fascem, tradens ad exemplum seipsum: quando vero nil agit eorum quae docet, tunc graves fascis videntur eis qui doctrinam suscipiunt, utpote qui nec a doctore possunt portari.

Beda. Recte autem audiunt quod sarcinas legis uno digito non tangerent; hoc est, nec in minimis quidem eam perficerent, quam se contra morem patrum sine fide et gratia Christi servare, et servanda tradere praesumebant.

Gregorius. Tales quoque modo plures sunt iudices severi peccantium, et debiles agonistae; intolerabiles legislatores, et debiles portatores; neque appropinquare volentes, nec palpate vitae honestatem, quam irremediabiliter exigunt a subiectis.

Cyrillus. Postquam igitur reprobavit onerosam legisperitorum officinam, inducit communem invectivam in cunctos principes iudaeorum, dicens vae vobis qui aedificatis monumenta prophetarum, et patres vestri occiderunt illos.

Ambrosius. bonus est hic locus adversus superstitionem vanissimam iudaeorum: quia aedificando sepulchra prophetarum, patrum suorum facta damnabant; aemulando autem paterna scelera, in seipsos sententiam retorquebant: non enim aedificatio, sed aemulatio loco criminis aestimatur; unde subdit profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam quidem ipsi eos occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulchra.

Beda. Simulabant quidem se, ob favorem vulgi captandum, patrum suorum horrere perfidiam, memorias prophetarum qui ab eis occisi sunt, magnifice honorando; sed ipso ore testificantur quantum paternae nequitiae consentiant, iniuriis agendo dominum a prophetis praenuntiatum; unde subditur propterea et sapientia dei dixit: mittam ad illos prophetas et apostolos, et ex illis occident et persequentur.

Ambrosius. Dei sapientia Christus est. Denique in Matthaeo habes: ecce ego mitto ad vos prophetas et sapientes.

Beda. Si autem eadem sapientia dei prophetas apostolosque misit, cessent haeretici Christo ex virgine principium dare; omittant alium legis et prophetarum, alium novi testamenti deum praedicare; quamvis saepe etiam apostolica scriptura prophetas non eos solum qui futuram Christi incarnationem, sed eos qui futura caelestis regni gaudia praedicunt appellet. Sed nequaquam hos crediderim apostolis in catalogi ordine praeferendos.

Athanasius. sive autem occidant, mors occisorum altius contra eos clamabit; sive persequantur, memorialia suae iniquitatis emittunt. Fuga enim persecutionem passorum in magnum redundat persequentium crimen: nemo enim pium et mansuetum fugit, sed potius austerum et moribus imbutum iniquis; et ideo sequitur ut inquiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista.

Beda. Quaeritur quomodo sanguis omnium prophetarum atque iustorum ab una iudaeorum generatione requiratur, cum multi sanctorum, sive ante incarnationem, sive post, ab aliis nationibus sint interempti. Sed moris est scripturarum duas saepe generationes hominum, bonorum malorumque computare.

Cyrillus. Etsi ergo dicat demonstrative a generatione ista, non exprimit solum tunc astantes et audientes, sed quemlibet homicidam: astruitur enim simili simile.

Chrysostomus in Matthaeum. ceterum si dicat, iudaeos graviora passuros; hoc non immerito fit, eo quod et peiora omnibus ausi sunt, et nullo praeteritorum castigati fuerunt; sed cum vidissent alios peccasse et punitos fuisse, non fuerunt meliores effecti, sed similia commiserunt; non autem ita quod pro commissis aliorum alii luant poenam.

Theophylactus. ostendit autem dominus iudaeos esse heredes malitiae cain, ex eo quod subdit a sanguine abel usque ad sanguinem zachariae, qui periit inter altare et aedem. Abel siquidem a cain occisus est; zachariam autem, quem occiderunt inter altare et aedem, quidam dicunt esse antiquum zachariam filium ioiadae sacerdotis.

Beda. Quare igitur a sanguine abel, qui primus martyrium passus est, mirum non est; sed quare usque ad sanguinem zachariae, quaerendum est, cum et multi post eum usque ad nativitatem Christi, et ipso mox nato innocentes perempti sint; nisi forte, quia abel pastor ovium, zacharias sacerdos fuit, et hic in campo, ille in atrio templi necatus est, utriusque gradus martyres, et laici scilicet, et altaris officio mancipati, sub eorum intimantur vocabulo.

Gregorius nyssenus. Quidam autem dicunt, quod zacharias pater ioannis spiritu prophetiae coniciens

mysterium virginitatis intactae dei genitricis, nequaquam sequestravit illam a loco templi virginibus deputato, volens ostendere quod in potestate conditoris omnium erat novum ortum ostendere, qui enixae vigorem caelibatus non auferret. Erat autem hic locus medius inter altare et aedem, in qua erat altare aeneum situm, ubi propter hoc eum occiderunt. aiunt etiam, quod, cum audirent regem mundi venturum, dispensative metu subiectionis aggrediuntur eum qui attestabatur ortum ipsius, mactantes sacerdotem in templo.

Graecus. Alii autem aliam causam dicunt esse interitus zachariae: cum enim occiderentur infantes, magnus iohannes cum coetaneis suis occidendus erat; sed elisabeth eripiens filium de medio caedis, petiit eremum: unde cum satellites herodis elisabeth et puerum non invenirent, convertunt iram in zachariam, occidentes ipsum ministrantem in templo. sequitur vae vobis legisperitis, qui tulistis clavem scientiae.

Basiliius. Haec vox vae, quae intolerabilibus profertur doloribus, eis convenit qui paulo post detrudendi erunt in grave supplicium.

Cyriillus. clavem autem scientiae ipsam dicimus esse legem: erat enim lex umbra et figura iustitiae Christi. Decebat ergo legisperitos quasi indagantes legem moysi et dicta prophetarum, reserare quodammodo populo iudaeorum ianuas notitiae Christi. Hoc autem non fecerunt; sed e contra derogabant divinis miraculis, et contra eius dogmata clamabant: quid eum auditis? sic igitur tulerunt, idest abstulerunt, clavem scientiae; unde sequitur ipsi non introistis, et eos qui introibant prohibuistis. Sed et fides est clavis scientiae: fit enim per fidem veritatis cognitio, secundum illud: nisi credideritis, non intelligetis. Sustulerunt igitur legisperiti clavem scientiae, non permittentes homines credere in Christum.

Augustinus de quaest. Evang.. Sed et clavis scientiae est humilitas Christi, quam nec ipsi intelligere, nec ab aliis intelligi volebant.

Ambrosius. Arguuntur etiam adhuc sub nomine iudaeorum, et futuro supplicio statuuntur obnoxii: quia cum doctrinam sibi divinae cognitionis usurpent, et alios impediunt, nec ipsi quod profitentur agnoscunt.

Augustinus de cons. evang.. Haec autem omnia Matthaesus narrat esse dicta postquam dominus in ierusalem venerat. Lucas autem hic narrat, cum adhuc dominus iter ageret in ierusalem: unde mihi similes videntur esse sermones, quorum ille alterum, iste alterum narravit.

Beda. Quam autem vera perfidiae, simulationis et impietatis suae crimina audierint pharisaei et legisperiti, ipsi testantur, qui non respicere, sed doctorem veritatis insidiis moliuntur aggredi; sequitur enim cum autem hoc ad illos diceret, coeperunt pharisaei et legisperiti graviter insistere.

Cyriillus. Sumitur autem insistere pro instare, vel invidere, vel saevire. coeperunt autem interrumpere sermonem eius in pluribus; unde sequitur et os eius opprimere de multis.

Theophylactus. cum enim plures interrogant unum de diversis materiis, cum nequeat simul omnibus respondere, videtur insipientibus quod dubitet. Hoc igitur ingeniabantur et illi nefarii contra ipsum; sed et aliter quaerebant os eius opprimere; scilicet ut provocarent eum ad aliquid dicendum, unde posset damnari; unde sequitur insidiantes ei, et quaerentes aliquid capere de ore eius, ut accusarent eum. Quod primo dixerat opprimere, nunc dicit capere, vel rapere, aliquid ex ore eius. Interrogabant eum nunc quidem de lege, ut arguant eum quasi blasphemum obloquentem de moyse; nunc vero de caesare, ut accusent eum tamquam insidiosum et hostem maiestatis caesareae.

LUCA 12,1-3

10201 (Lc 12,1-3)

Theophylactus. Pharisaei quidem conabantur iesum capere in sermone, ut populos ab eo abducerent; hoc autem in contrarium vertitur: magis enim adibant populi per millenarios congregati, adeo cupientes haerere Christo ut se invicem comprimerent: tam validum quid est veritas, et dolus imbecillis ubique; unde dicitur multis autem turbis circumstantibus, ita ut se invicem conculcarent, coepit dicere ad discipulos suos: attendite a fermento pharisaeorum, quod est hypocrisis.

Gregorius. quia enim cavillatores erant, ob hoc Christus ab eis sibi cavere admonebat discipulos.

Gregorius nazianzenus. est autem, quando fermentum laudatur, tamquam efficiens panem vitalem; est autem quando vituperatur, significans vetustam et acidam malitiam.

Theophylactus. vocat igitur fermentum hypocrisim tamquam alterantem et corrumpentem intentiones hominum, quibus se ingesserit: nihil enim sic alterat mores ut hypocrisis.

Beda. Nam sicut modicum fermentum totam farinae massam corrumpit, sic simulatio animum tota virtutum sinceritate et veritate fraudabit.

Ambrosius. Pulcherrimum autem locum tenendae simplicitatis et aemulandae fidei salvator intexuit, ne iudaicae more perfidiae, alia promamus in affectu, alia voce simulemus; cum ultimo tempore occulta cogitationum accusantium aut etiam defendentium secretum nostrae mentis aperitura videantur; unde subditur nihil autem opertum est quod non reveletur, neque absconditum quod non sciatur.

Origenes. Aut ergo de illo tempore hoc dicit quando iudicabit deus occulta hominum; aut id dicit, quia quantumcumque conetur aliquis occultare bona aliorum infamiis, bonum naturaliter latere non potest.

Chrysostomus in matth.. quasi dicat discipulis: quamvis nunc quidam vocent vos seductores et magos, deteget omnia tempus, et arguet eorum calumniam, et vestram declarabit virtutem: unde quaecumque vobis in parvo angulo palaestinae locutus sum, haec audacter et fronte detecta et qualibet sublata formidine toti orbi praedicate; et ideo subdit quoniam quae in tenebris dixistis, in lumine dicentur; et quod in aure locuti estis et in cubiculis, praedicabitur in tectis.

Beda. Vel hoc dicit, quia quae inter tenebras quondam pressurarum carcerumque umbras locuti vel passi sunt apostoli, nunc clarificata per orbem ecclesia, lectis eorum actibus publice praedicantur. sane quod dicit praedicabitur in tectis, iuxta morem provinciae palaestinae loquitur, ubi solent in tectis residere: non enim tecta nostro more culminibus sublimata, sed plano schemate faciunt aequalia. Ergo dicit praedicabitur in tectis: idest cunctis audientibus palam dicetur.

Theophylactus. Vel hoc proponitur pharisaeis, quasi dicat: o pharisaei, quae in tenebris dixistis, idest quod in opacis cordibus vestris tentare me conamini, in lumine dicentur: ego enim sum lux, et in me luce notum fiet quicquid vestra machinatur caligo; et quod in aure locuti estis et in cubiculis, idest quicquid mutuis susurris vestris auribus instillastis, praedicabitur in tectis; idest, ita mihi fuit audibile ac si in tectis praedicatum fuisset. hic etiam intelligere potes quod lux sit evangelium, tecta vero altae apostolorum animae. Quotquot vero consiliati sunt pharisaei, divulgata sunt postmodum, et audita in evangelii luce, flante magno praecone spiritu sancto super apostolorum animas.

LUCA 12,4-7

10204 (Lc 12,4-7)

Cyrillus. Quoniam gemina est causa perfidiae, quae aut ex inolita malitia aut ex accidenti metu nascitur; ne quis metu territus deum, quem corde cognoscit, negare cogatur, pulchre addit dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus.

Cyrillus. Non quibuscumque enim simpliciter hic sermo convenire videtur, sed his qui deum ex tota diligunt mente: quibus convenit dicere: quis nos separabit a caritate Christi? qui autem non tales sunt, labiles sunt, et ad prosiliendum parati. porro dominus dicit: maiorem hac dilectionem nemo habet quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. quomodo autem non est inconvenientissimum Christo non rependere quod ab eo recepimus? **Ambrosius.** Mortem etiam docet non esse terribilem, quam locupletiore fenore sit immortalitas redemptura.

Cyrillus. Est ergo advertendum, quod laboribus parantur coronae et honores, quibus mortales usque ad tempus suam iram extendunt, fitque illis nostrae persecutionis finis corporalis interitus; unde subdit et post hoc non habent amplius quid faciant.

Beda. Ergo supervacua furiunt insania qui mortua martyrum membra feris avibusque discernenda prociunt, cum nequaquam omnipotentiae dei, quin ea resuscitando vivificet, resistere possint.

Chrysostomus in Matthaeum. Considera qualiter dominus discipulos omnibus superiores constituit, ipsam mortem cunctis terribilem hortans contemnere. Simul autem et documenta immortalitatis animae ostendit eis, cum subdit ostendam autem quem timeatis: timete eum qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.

Ambrosius. Mors enim naturae finis, non poenae est; et ideo mortem supplicii corporalis esse defectum, poenam vero animae esse perpetuam, deumque solum esse metuendum, cuius potestati non natura praescribat, sed eadem natura subiaceat, concludit: ita dico vobis, hunc timete.

Theophylactus. Hinc nota, quod peccatoribus quidem mors ad supplicium fertur, et hic cruciatis ipsis per interitum, et consequenter in gehennam detrusis; sed si sermonem discusseris, quiddam aliud intelliges: non enim dicit: qui mittit in gehennam; sed qui potestatem habet mittere: non enim quicumque cum peccato moriuntur, semper mittuntur in gehennam. Hoc autem dico propter oblationes et distributiones quae fiunt pro defunctis, quae non parum conducunt etiam his qui in gravibus peccatis mortui sunt.

Ambrosius. Inspiraverat ergo dominus simplicitatis affectum, virtutem mentis erexerat; fides sola nutabat: bene eam de rebus vilioribus roboravit, subdens nonne quinque passeris veneunt dipondio, et unus ex illis non est in oblivione coram deo? quasi dicat: si deus oblivionem passerum non habet, hominum quomodo habere potest? **Beda.** Dipondius genus est ponderis levissimi, ex duobus assibus compositi.

Glossa. Quod autem in numeris est unum, hoc in ponderibus assis; quod duo, hoc dipondius.

Ambrosius. Fortasse autem dicat aliquis: quomodo apostolus dixit: nonne de bobus cura est deo? cum bos passere pretiosior sit? sed aliud est cura, aliud scientia.

Origenes. ad litteram igitur, acumen divinae provisionis, quae procedit usque ad minima, per hoc significatur; mystice autem quinque passeris spirituales sensus iuste significant, qui excelsa et supra homines sentiunt, deum intuentes, vocem audientes divinam, gustantes panem vitae, olfacientes odorem unguentorum Christi, palpantes vivum verbum: qui dipondio veneunt, idest vilipensi ab eis qui ea quae sunt spiritus, stultitiam iudicant, non dantur in oblivione coram deo. Dicitur autem deus aliquorum immemor fieri propter eorum facinora.

Theophylactus. Vel hi quinque sensus duobus assibus venduntur, novo scilicet et veteri testamento: et ideo non dantur oblivioni a deo: quorum enim sensus traduntur verbo vitae, ut sint apti ad spirituale pabulum, horum semper memor est dominus.

Ambrosius. Vel aliter. passer bonus est cui volandi natura suppeditat: volandi enim nobis gratiam natura dedit, voluptas abstulit, quae malorum escis gravat animam, atque in naturam corporeae molis inclinat. Quinque igitur corporis sensus si terrenarum sordium cibum quaerant, ad superiorum operum fructus revolare non possunt. Est ergo malus passer qui volandi usum terrenae vitio labis aboleverit, quales sunt isti passeris, qui dipondio veneunt, luxuriae scilicet pretio saecularis: adversarius enim tamquam captiva mancipia vilioris pretio aestimationis addicit; at dominus tamquam speciosa servitia, quae ad imaginem sui fecit, idoneos sui operis aestimat et magno pretio nos redemit.

Cyrillus. est igitur sibi curae diligenter nosse sanctorum vitam; unde subditur sed et capilli capitis vestri omnes numerati sunt; per quod significat quod omnia quae ad eos spectant, diligentissime novit: diligentiam enim curae adhibitae numeratio manifestat.

Ambrosius. Denique numerum capillorum non in actu computationis, sed in facilitate cognitionis accipitur. Bene tantum numerati dicuntur, quia ea quae volumus servare, numeramus.

Cyrillus. mystice autem caput quidem hominis est intellectus, capilli vero cogitationes, quae patent deo.

Theophylactus. Vel caput uniuscuiusque fidelium intelliges aptam Christo conversationem; crines autem eius, mortificativa corporis opera, quae numerantur a deo, et digna sunt provisione divina.

Ambrosius. Si igitur tanta dei est maiestas ut unus ex passeribus, aut nostrorum numerus capillorum praeter scientiam dei non sit: quam indignum est aestimare quod fidelium corda dominus aut ignoret, aut spernat, qui viliora cognoscat? unde convenienter concludit nolite ergo timere: multis passeribus plures estis vos.

Beda. Non plures estis legendum est, quod ad comparisonem numeri pertinet; sed plures estis hoc est, apud deum maioris dignitatis.

Athanasius. quaero autem ab arianis, si quasi dedignaretur deus alia facere, solum filium fecit, cetera vero filio subrogavit; quomodo provisione utitur usque ad tam modica, capillum et passerem? quorum enim provisione fungitur, horum creator est suo verbo.

LUCA 12,8-12

10208 (Lc 12,8-12)

Beda. Supra dictum est, opera quaelibet et verba abscondita esse revelanda: nunc autem concludit hanc revelationem non in vili quolibet conciliabulo, sed in conspectu supernae civitatis aeternique regis ac iudicis agendam, dicens dico autem vobis: omnis quicumque confessus fuerit me coram hominibus, et filius hominis confitebitur illum coram angelis dei.

Ambrosius. praeclare etiam fidem acuendo intexuit, et fidei ipsi virtutum fundamenta subiecit: nam ut fortitudinis incentivum est fides, ita fidei fundamentum est fortitudo.

Chrysostomus in Matthaeum. non est ergo dominus contentus intrinseca fide, sed exteriorem confessionem expostulat, urgens nos ad fiduciam, et maiorem affectum. Et quia hoc omnibus utile est, communiter loquitur, dicens omnis quicumque confessus fuerit me.

Cyrillus. Ait autem paulus: si confitearis ore tuo dominum iesum, et credas in corde tuo quod deus eum a mortuis suscitavit, salvus eris. Totum Christi mysterium in his interpretatur: decet enim prius ortum a Deo patre verbum, idest unigenitum ex ipsius substantia, fateri dominum omnium, non tamquam ab extrinseco et furtivum sortitum dominium, sed existentem revera et naturaliter dominum, sicut et pater. Consequenter oportet fateri quod deus hunc a mortuis suscitavit; ipsum scilicet factum hominem, et passum in carne pro nobis: sic enim resurrexit a mortuis. Quisquis ergo sic confitebitur Christum coram hominibus, videlicet ut deum et dominum, Christum eum confitebitur coram angelis dei, tunc temporis cum descendet cum sanctis angelis in gloria patris sui, in saeculi consummatione.

Eusebius. Quid autem erit gloriosius quam ipsum unigenitum dei verbum attestari pro nobis in divino iudicio, ac ipso effectu remunerationem testimonii promere indicium in animam eius cui testimonium perhibetur? non enim manens extra eum cui testimonium reddetur, sed habitans in eo, et implens eum lumine suo, testimonium dabit. Cum autem corroborasset eos spe bona per tanta promissa, iterum eos inducit terribilioribus minis, dicens qui autem negaverit me coram hominibus, denegabitur coram angelis dei.

Chrysostomus. Et in damnatione maius supplicium, et in bonis maior recompensatio ponitur; quasi dicat: tu hic confiteris, aut negas; ego autem illic: bonorum enim malorumque retributio cum augmento in futuro saeculo te praestolatur.

Eusebius. Opportune autem hanc comminationem ponit, ne confessionem ipsius contemnerent propter poenam, quae est negari a filio dei, quod est a sapientia denegari, et a vita deficere, et lumine privari, et omnibus destitui bonis; sed et haec cuncta pati coram patre, qui est in caelis, et angelis dei.

Cyrillus. negantes autem sunt primo quidem qui imminente persecutione fidem postposuerunt: abnegant etiam haeresum doctores et discipuli.

Chrysostomus. Sunt etiam alii abnegationis modi, quos paulus describit dicens: confitentur se nosse deum, factis autem negant; et iterum: si quis suorum, et maxime domesticorum, curam non habet, fidem negavit, et infideli est deterior; item: avaritiam fugite, quae est idololatria. postquam ergo tot sunt modi negationis, palam est quod totidem sunt confessionis; quos quicumque servaverit, audiet illam beatissimam vocem, qua Christus laudabit omnes qui confessi fuerint eum. Attende autem verborum cautelam. in graeco enim dicit quisquis confitebitur in me, ostendens, quod non propriis viribus, sed adiutus superna gratia, Christum aliquis confitebitur. De negante vero non dixit: in me, sed me; nam destitutus gratia denegat; redarguitur tamen, quia destitutio propter eum qui deseritur fit.

Beda. Ne autem ex eo quod ait, eos qui se negaverint esse denegandos, una cunctorum, hoc est eorum qui studio, et eorum qui infirmitate vel ignorantia negant, conditio putaretur, continuo subiecit et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi; ei autem qui in spiritum sanctum blasphemaverit, non remittetur.

Cyrillus. Sed si hoc vult innuere salvator, quod si quod iniuriosum verbum dicatur a nobis in hominem communem, obtinebimus, si poeniteamus, veniam; nulla difficultas est in sermone; quia cum naturaliter bonus sit deus, emendat volentes poenitere. Verum si ad ipsum Christum retorqueatur sermo, qualiter incondemnabilis est qui dicit verbum in eum? **Ambrosius.** Utique filium hominis Christum intelligimus, qui de spiritu sancto generatus ex virgine est, eo quod parens eius in terris sola sit virgo. numquid ergo maior

spiritus sanctus Christo, ut in Christum peccantes veniam consequantur, in spiritum sanctum delinquentes remissionem non mereantur adipisci? sed ubi unitas potestatis est, nulla comparationis est quaestio.

Athanasius. viri quidem antiqui, studiosus **Origenes** et mirandus theognostus, hanc conscribunt esse spiritus sancti blasphemiam, quando qui digni reputati sunt dono spiritus sancti per baptismum, regrediuntur ad peccandum: ob hoc enim aiunt illos nec veniam obtinere, prout paulus dicit: impossibile est eos qui facti sunt participes spiritus sancti, et prolapsi sunt, revocari rursus ad poenitentiam. Addidit autem uterque intentionem propriam. nam **Origenes** causam huius sic explicat: deus quidem pater omnia percurrit et singula continet; virtus autem filii ad sola rationalia extenditur; spiritus vero sanctus solus inest participantibus eum in dono baptismatis. Quando ergo cathecumeni peccant, et gentiles, peccant in filium, qui in eis manet; possunt tamen veniam obtinere, cum digni fiunt dono regenerationis: quando vero baptizati delinquant, dicit hoc nefas attingere spiritum, ad quem cum pervenissent, peccaverunt: et ideo irrevocabilem fore damnationem.

Theognostus vero ait, quod qui primum et secundum excessit limen, minorem poenam meretur; sed qui tertium quoque pertransit, non amplius accipiet veniam. Primum quidem et secundum limen vocavit doctrinam patris et filii; tertium vero in participatione spiritus sancti, secundum illud: cum venerit spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non tamquam doctrina spiritus dogma filii superet, sed quia filius condescendit imperfectis, spiritus vero signaculum est eorum qui perficiuntur. Sic igitur, non quia superet spiritus filium, expers est veniae blasphemia spiritus, sed quia imperfectorum quidem est remissio, perfectis vero nulla restat excusatio. Sed cum filius sit in patre, est in illis in quibus est pater, nec abest spiritus; indivisibilis est enim sancta trinitas. Ad haec, si omnia per filium facta sunt, et omnia in ipso consistunt, erit ipse nimirum in omnibus, ut necessarium sit peccantem in filium, in patrem et in spiritum sanctum peccare. Sacrum autem baptisma in nomine patris et filii et spiritus sancti datur: et sic peccantes post baptismum in sanctam trinitatem exercent blasphemiam. ceterum si pharisaei baptismum non susceperant, qualiter redarguebat eos ac si blasphemassent in spiritum sanctum, cuius nondum erant facti participes; praesertim cum non de peccatis simpliciter, sed de blasphemia eos increpabat? differunt autem: quoniam qui peccat, transgreditur legem; qui vero blasphemat, in ipsam offendit deitatem. Sed aliter. Si eis qui delinquant post baptismum, non indulgetur vindicta reatuum, qualiter apostolus poenitenti in corintho condonat: retrogressos vero galatas parit, quousque Christus denuo formetur in eis? cur autem et novatum arguimus interimentem poenitentiam post baptismum? apostolus igitur ad hebraeos non dissipat poenitentiam peccatorum. Sed ne putarent secundum ritum legis, poenitentiae causa multa fore et quotidiana baptismata, ob hoc poenitere quidem monet; unicam autem fore insinuat per baptismum renovationem. Talia vero considerans recurro ad dispensationem quae fit in Christo, qui deus existens, homo factus est: tamquam deus suscitabat mortuos; sicut carne vestitus sitiebat, laborabat et patiebatur. Quando igitur aliqui spectantes humana, vident dominum sitientem et patientem, et obloquuntur in salvatorem velut in hominem, peccant quidem, possunt tamen cito cum poenituerint, accipere veniam, praetendentes pro causa fragilitatem corporis; quando vero rursus aspicientes aliqui opera deitatis, dubitant de natura corporis, ipsi quoque nimium peccant; sed et his poenitentibus cito potest ignosci, eo quod et ipsi excusationem habent ab operum magnitudine. quando vero divinitatis opera retorquent ad diabolum, merito irrevocabilem ferunt scientiam, quoniam arbitrati sunt diabolum fore deum, et verum deum nihil plusquam daemones in operibus putaverunt habere. Ad hanc ergo perfidiam pharisaei pervenerant: salvatore enim ostendente patris opera, mortuos suscitans, pateros illuminans, et similia faciens, huiusmodi opera dicebant esse beelzebub: aequae enim dicere poterant videntes mundi ordinem et erga eum provisionem quod mundus a beelzebub est creatus. Quamdiu igitur ad humana spectantes mente claudicabant dicentes: nonne hic est carpentarii filius? et: quomodo litteras quas non didicit, novit? sustinebat eos tamquam in filium hominis peccantes; sed ubi magis insaniunt dicentes opera dei esse beelzebub, non amplius eos sustinuit. Sic enim et tamdiu patres eorum sustinebat, quamdiu causa panis et aquae murmurabant; sed postquam vitulum conflantes, in eum collata sibi divinitus beneficia referunt, puniti sunt: primo quidem non paucis eorum occisis, postmodum dixit: ego autem in die ultionis visitabo hoc peccatum eorum. Talem ergo et nunc pharisaei audiunt sententiam, ut in flamma diabolo parata perpetuo corrodantur cum eo. Non igitur faciendo collationem inter blasphemiam dictam in ipsum et spiritum sanctum, haec dixit, tamquam maior sit spiritus; sed utraque blasphemia in ipsum prolata, hanc minorem, illam validiorem ostendit: ipsum enim videntes hominem vituperabant, et eius opera beelzebub esse dicebant.

Ambrosius. Sic igitur videtur quibusdam, ut eumdem et filium et spiritum sanctum intelligamus, salva distinctione personarum, et unitate substantiae: quia unus et deus et homo Christus est spiritus, sicut scriptum est: spiritus ante faciem vestram Christus dominus. Idem spiritus sanctus, qui et pater sanctus, et filius sanctus, et spiritus sanctus. Si ergo utrumque Christus est, quae est diversitas nisi ut sciamus quia divinitatem Christi nobis negare non liceat? **Beda.** Vel aliter. qui opera spiritus sancti dicit esse beelzebub, illi non dimittetur neque in praesenti saeculo, neque in futuro; non quod negamus ei, si poenitentiam agere possit, posse dimitti a deo; sed quod credamus eum blasphemum, exigentibus meritis, sicut numquam ad remissionem, ita nec ad ipsos dignae poenitentiae fructus esse perventurum, secundum illud: excaecavi

oculos eorum ne convertantur, et sanem illos.

Cyrillus. Quod si creatura esset spiritus sanctus, non autem de divina substantia patris et filii, qualiter acta in eum contumelia tantam fert poenam quanta promulgatur contra blasphemantes in deum? **Beda.** Neque tamen quicumque spiritum sanctum non esse, aut deum non esse, sed patre filioque minorem confitentur, hoc irremissibilis blasphemiae crimine tenentur: quia humana ignorantia ducti faciunt, non invidentia diabolica, sicut principes iudaeorum.

Augustinus de verb. Dom.. vel aliter. Si hic diceretur: qui blasphemaverit quamcumque blasphemiam in spiritum sanctum, omnem intelligere deberemus; sed quia dictum est qui blasphemaverit in spiritum sanctum, ille intelligatur qui non omni modo, sed eo modo blasphemaverit ut ei numquam possit ignosci: sic enim dictum est: deus neminem tentat, scilicet non omni, sed quodam tentationis modo. Quis autem sit iste modus blasphemandi contra spiritum sanctum, dicamus. Primum quidem credentium beneficium est in spiritu sancto remissio peccatorum: contra hoc donum gratuitum loquitur cor impenitens: ipsa ergo impenitentia est spiritus blasphemia; quae non remittitur neque in hoc saeculo, neque in futuro: quia poenitentia impetrat remissionem in hoc saeculo quae valeat in futuro.

Cyrillus. Cum autem tantum metum incusserit dominus discedentibus a recta confessione, praecepit de cetero non curare de responso, eo quod fideliter dispositis constituit verba congrua spiritus tamquam doctor inhabitans; unde sequitur cum autem inducent vos in synagogas, et ad magistratus et potestates, nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis.

Glossa. Dicit autem qualiter, quantum ad modum proferendi; quid, quantum ad modum inveniendi; respondeatis, interrogantibus, aut quid dicatis, discere volentibus.

Beda. Cum enim propter Christum ducimur ad iudices, voluntatem tamen nostram pro Christo debemus offerre; ceterum in respondendo spiritus sancti gratia ministrabitur; unde subditur spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora quid oporteat vos dicere.

Chrysostomus in Matthaenum. alibi vero dicitur: estote parati cunctis ad respondendum, quicumque quaesiverint a vobis rationem spei quae fovet vos. Quando namque oritur inter amicos agon, praecipit nos meditari; quando vero terribile est praetorium, et pavor circumquaque, dat proprium monumentum, ut audendum sit et loquendum, non autem obstupescendum.

Theophylactus. quoniam igitur duplex est nostra infirmitas, et aut poenae formidine martyrium fugimus, aut quia rudes sumus, et nescimus reddere rationem fidei, utrumque exclusit: metum quidem poenarum in eo quod dixit ne timeatis occidentes corpus; timorem vero inscientiae in hoc quod dixit nolite solliciti esse qualiter aut quid respondeatis.

LUCA 12,13-15

10213 (Lc 12,13-15)

Ambrosius. Totus superior locus ad subeundam pro confessione domini passionem, aut contemptu mortis, aut spe praemii, aut mansuri denuntiatione supplicii, cui nunquam venia laxetur, instruitur. Et quoniam avaritia plerumque solet tentare virtutem, etiam huius abolendae rei praeceptum subicitur et exemplum, cum dicitur ait autem ei quidam de turba: magister, dic fratri meo ut dividat mecum hereditatem.

Theophylactus. Hi duo fratres, quia de hereditate paterna dividenda contendebant, consequens erat ut alter alterum fraudare intenderet. Dominus autem docens nos quod non oportet ad terrena flecti, repellit vocantem eum ad hereditatis divisionem; unde sequitur at ille dixit ei: homo, quis me constituit iudicem aut divisorem, scilicet facultatum, super vos? **Beda.** Qui magistro supernae pacis gaudia commendanti, terrenae divisionis vult ingerere molestiam, merito homo vocatur, secundum illud: cum sit inter vos zelus et contentio, nonne homines estis? **Cyrillus.** Fuit autem dei filius quando factus est similis nobis, constitutus a Deo patre in regem et principem super sion montem sanctum eius, annuntians mandatum divinum.

Ambrosius. bene ergo terrena declinat qui propter divina descenderat, nec iudex dignatur esse litium et arbiter facultatum, virorum habens mortuorumque iudicium arbitriumque meritorum. Non ergo quid petas, sed a quo postules, intuendum est; nec maioribus intento animo putes minoribus obstrependum: unde non immerito refutatur hic frater, qui dispensatorem caelestium gestiebat corruptibilibus occupare, cum inter fratres patrimonium non iudex medius, sed pietas debeat sequestra dividere: quamquam immortalitatis

patrimonium, non pecuniae, sit hominibus expectandum.

Beda. Occasione autem huius stulti petitoris, adversus avaritiae pestem, et turbas et discipulos praeceptis pariter et exemplis munire satagit; unde sequitur dixitque ad illos: videte, et cavete ab omni avaritia. dicit autem ab omni, quia nonnulla simpliciter geri videntur, sed internus arbiter qua intentione fiant diiudicat.

Cyrillus. vel dicit ab omni avaritia, scilicet magna et parva. Est enim inutilis avaritia, dicente domino: domos zelatas aedificabitis, et non habitabitis in eis; et alibi: decem iugera vinearum facient lagunculam unam, et triginta modii sementis facient modios tres. Sed et secundum alium modum est inutilis, quem ostendit subdens quia non in abundantia cuiusquam vita eius est ex his quae possidet.

Theophylactus. Hoc dicit dominus refellens avarorum intentiones, qui videntur coacervare divitias quasi diu victuri; sed numquid te opulentia longaevum efficiet? quid igitur manifeste sustines mala, incertae causa quietis? nam dubium est an debeas attingere senium, cuius gratia thesaurizas.

LUCA 12,16-21

10216 (Lc 12,16-21)

Theophylactus. Dicto quod ex affluentia opum non protendatur vita humana, ad huius fidem parabolam subdit, dicens dixit autem similitudinem ad illos, dicens: hominis cuiusdam divitis uberes fructus ager attulit.

Basilius. non facturi quidem ex ubertate fructuum aliquid boni, ut magis divina longanimitas pateat, quae usque ad malos suam bonitatem extendit, pluens super iustos et iniustos. Quae vero sunt quae hic homo benefactori recompensat? non meminit communis naturae, nec arbitratus est oportere quod superfluit, dispensari egentibus: et horrea quidem crepabant prae copia conditorum: avarus tamen animus nequaquam implebatur, nolens veteribus cedere propter avaritiam, nova non valens suscipere propter multitudinem: propter quod imperfecta erant eius consilia, et steriles curae; unde sequitur et cogitabat intra se, dicens: quid faciam, quia non habeo quo congregem fructus meos? conqueritur aequae pauperibus. An non quem premit inopia, dicit: quid faciam? unde victus, unde calceamenta? talia et locuples profert: urgent enim ipsius animam divitiae a promptuariis emanantes, ne forte cum exiverint prosint egentibus; a simili gulosorum, qui mallent edacitate crepare quam indigentibus de reliquiis impartiri.

Gregorius moralium. O angustia ex satietate nata. Dicens enim quid faciam? profecto indicat quia votorum suorum effectibus pressus, sub quodam rerum fasce laborabat.

Basilius. erat quidem in promptu dicere: aperiā horrea, convocabo egenos; sed cogitat non ut distribuat, sed ut congreget; sequitur enim et dixit: hoc faciam: destruam horrea mea. Bene facis: nam digna destructione nequitiae promptuaria: dissolve horrea, ex quibus nullus consolationem accepit. Subdit et maiora faciam. at si et hoc impleveris, numquid destrues iterum? quid stultius, quam in infinitum laborare? horrea sunt tibi, si vis, pauperum domus. Sed dices: cui iniuriam facio, propria retinendo? nam et sequitur et illuc congregabo omnia quae nata sunt mihi, et bona mea. Dic mihi: quae tua? unde ea sumens in vitam tulisti? sicut qui praeveniens spectacula prohiberet advenientes, appropriando sibi quod ad usum communem ordinatur; similes sunt divites, qui communia quae praeoccupaverunt, aestimant sua esse; si enim quilibet suae necessitatis sufficientiam recipiens, relinqueret superfluum indigenti, non esset dives nec pauper.

Cyrillus. Attende et aliter esse frivolum eius verbum, cum dicit congregabo omnia quae nata sunt mihi: quasi non putaret ea divinitus obtinere, sed fructus esse laborum suorum.

Basilius. Ceterum, si fateris ea tibi divinitus provenisse, an iniustus est deus inaequaliter res nobis distribuens? cur tu abundas, ille vero mendicat, nisi ut tu bonae dispensationis merita consequaris, ille vero patientiae braviis decoretur? at tu nonne spoliator es, quae dispensanda suscepisti, propria reputando? est panis famelici quem tu tenes, nudi tunica quam in conclavi conservas, discalceati calceus qui penes te marcescit, indigentis argentum quod possides inhumatum; quocirca tot iniuriaris quot dare valeres.

Chrysostomus. sed et in hoc errat, quod bona putat quae sunt indifferentia: rerum enim quaedam sunt bonae, quaedam malae, quaedam mediae. Bona quidem sunt castitas et humilitas et huiusmodi; quae cum homo eligit, fit bonus. His autem opposita sunt mala; quae homo dum eligit, fit malus. Media vero sunt, ut divitiae; quae quandoque quidem ordinantur in bonum, scilicet ad eleemosynam; quandoque ad malum, scilicet ad avaritiam; et similiter inopia quandoque ad blasphemiam, quandoque ad sapientiam secundum

affectum utentium.

Cyrillus. Dives igitur non parat permanentia horrea, sed caduca; et, quod stultius est, vitae longitudinem sibi taxat; sequitur enim et dicam animae meae: anima, habes multa bona posita in annos plurimos. Sed, o dives, fructus quidem habes in horreis, sed annos plurimos unde poteris obtinere? Athanasius. Si quis autem sic vivat quasi quotidie moriturus, eo quod incerta est naturaliter vita nostra, non peccabit: semper enim maior timor plurimum voluptatis dissolvit. Sed e contrario dives longaevitatem sibi repromittens, ad voluptates aspirat; sequitur enim requiesce, scilicet a labore, comede, bibe, epulare, magno scilicet apparatu.

Basilus. tam improvidus es erga bona animae, ut escas corporeas animae ascribas: si quidem virtutem habet, si fecunda est operationum bonarum, si Deo adhaesit, bona plurima possidet, et bono gaudio gaudet. verum quia totus carnalis es passionibus subiectus, a ventre, non ab anima clamas.

Chrysostomus. Non autem decet vacare deliciis, et impinguare corpus, et attenuare animam, fascemque ei gravare, et tenebras obducere, spissumque velamen: eo quod in deliciis dominativum animae servit, servile vero corporis dominatur. Alimentorum autem indiget corpus, non deliciarum: ut nutriatur, non ut scindatur et fluat: neque enim animae soli, sed et ipsi corpori sunt nocivae deliciae: eo quod ex forti fit debile, ex sano aegrotativum, ex agili grave, ex formoso deforme, ex iuvene veterosum.

Basilus. permissus autem est deliberare in omnibus, et manifestare propositum proprium, ut condignam mereatur sui affectus sententiam. sed dum in abdito loquitur, eloquia eius examinantur in caelo, unde sibi responsa proveniunt; sequitur enim dixit autem illi deus: stulte, hac nocte animam tuam repetent a te. Audi conveniens tibi stultitiae nomen, quod tibi nullus imposuit hominum, sed ipse deus.

Gregorius moralium. eadem nocte sublatu est qui multa tempora fuerat praestolatus, ut scilicet qui in longum sibi subsidia colligendo prospexerat, subsequenter diem vel unum minime videret.

Chrysostomus in Matthaem et in orat. De lazaro. Dicit autem repetent a te: exposcebant enim eam forsan terribiles quaedam virtutes ad hoc missae; quoniam si de civitate in civitatem transeuntes egemus ductore, multo magis anima absoluta a corpore, et ad futuram vitam transmigrans, indigebit ducatu. ob hoc multoties recusat anima, et regreditur in profundum, cum debet exire a corpore; semper enim stimulat nos conscientia peccatorum, sed praecipue cum debemus trahi ad terribile iudicium. Tunc enim tota congeries criminum innovatur, et prae oculis posita mentem percellit: et sicut carcerati semper quidem dolorosi sunt, tunc autem praecipue cum debent iudici praesentari; sic et anima maxime in ipso tempore de peccato cruciatur et dolet; multo autem magis cum fuerit evulsa.

Gregorius moralium. in nocte autem ablata est anima quae in obscuritate cordis est emissa: in nocte ablata est quae considerationis lucem habere noluit, ut quod pati poterat praevideret. subdit autem quae autem parasti, cuius erunt? **Chrysostomus.** Hic enim ea desereres, non solum nullum inde percipiens commodum, sed et sarcinam peccatorum portans super humeros proprios. Et quae quidem a te congesta sunt, plerumque in manus inimicorum pervenient; a te vero super his ratio requiretur. sequitur sic est qui sibi thesaurizat et non est in deum dives.

Beda. Hic enim stultus est, et in nocte rapiendus. Ergo qui vult esse in deum dives, non sibi thesaurizat, sed pauperibus possessa distribuat.

Ambrosius. Frustra enim congregat opes qui se his nescit usurum: neque enim nostra sunt quae non possumus auferre nobiscum: sola virtus comes est defunctorum, sola nos sequitur misericordia, quae tabernacula defunctis acquirit aeterna.

LUCA 12,22-23

10222 (Lc 12,22-23)

Theophylactus. Paulatim dominus provehit ad perfectiorem doctrinam; docuit enim supra cavendum esse ab avaritia, subdiditque parabolam divitis, insinuans per eam quod stultus est qui superflua cupit; deinde procedente sermone, neque de necessariis sinit nos sollicitudinem gerere, avaritiae radicem evellens; unde dicit ideo dico vobis; quasi dicat: postquam stultus est qui sibi maiorem vitae mensuram attribuit, et exinde magis efficitur cupidus, nolite solliciti esse animae vestrae quid manducetis; non quia intelligibilis anima comedat, sed quia non videtur aliter animam posse coniunctam manere corpori, nisi dum nutrimur. Vel quia

animati corporis est nutrimentum suscipere, congrue animae nutriri attribuit; nam et virtus nutritiva dicitur anima; ut sic intelligatur: ne solliciti sitis nutritivae parti animae quid edatis. Potest autem etiam corpus mortuum vestiri; unde subdit neque corpori vestro quid induamini.

Chrysostomus in Matthaëum. Quod autem dicitur nolite solliciti esse, non idem est quod nolite operari, sed nolite rebus mundanis mente affigi: contingit enim aliquem operantem nihil sollicitum esse.

Cyrillus. praeeminet autem anima cibo, et corpus vestitui; unde subdit anima plus est quam esca, et corpus plusquam vestimentum; quasi dicat: deus, qui quod maius est exhibuit, quomodo non dabit quod minus est? non ergo multum nostra intentio modicis insistat, nec intellectus noster serviat ad vestitum et victum quaerendum; magis autem cogitet quaecumque salvant animam, et sublevant ad regnum caelorum.

Ambrosius. Nihil autem moralius ad faciendam fidem omnia credentibus a Deo posse conferri, quam quod aereus ille spiritus vitale collegium, animae corporisque contubernio foederatum non deficit, nisi cum venerit dies suprema moriendi. Cum igitur anima indumento corporis vestiatur, et vigore animae corpus animetur, absurdum est ut victus nobis copiam defuturam putemus, qui vivendi iugem substantiam consequamur.

LUCA 12,24-26

10224 (Lc 12,24-26)

Cyrillus. Sicut supra erigendo nos ad spiritualem audaciam, per aves induxit, dicens: multis passeribus pluris estis vos, sic et nunc ex volatilibus firmam et indubitabilem fiduciam nobis adducit, dicens considerate corvos, quia non seminant neque metunt, scilicet ad acquirendum cibum, quibus non est cellarium, neque horreum, scilicet ad conservandum; et deus pascit illos. Quanto magis vos pluris estis illis? **Beda.** Idest, carius vos valetis: quia rationale animal, sicut homo, sublimius ordinatum est in rerum natura, quam irrationabilia, sicut sunt aves.

Ambrosius. magnum autem quod fide sequamur exemplum: nam volatilibus caeli, quibus nullum exercitium cultionis, nullus de messium fecunditate proventus est, indeficientem providentia divina largitur alimoniam. verum est igitur causam inopiae nostrae avaritiam videri: etenim illis idcirco sine labore pabuli usus exuberat, quo fructus ad escam communem datos, speciali quodam nesciunt vindicare dominatu. nos communia amisimus, dum propria vindicamus: nam nec proprium quicquam ubi perpetuum nihil, nec certa copia ubi incertus eventus.

Chrysostomus in Matthaëum. Cum autem posset dominus exemplum ab hominibus sumere qui minime terrena curaverunt, etiam dico, moysen et ioannem, et ceteros huiusmodi, commemoravit volatilia, sequens vetus testimonium, quod ad apem transmittit et formicam, et alia huiusmodi; quibus naturales quosdam mores inseruit conditor.

Theodoretus . Ideo autem omissa mentione aliorum volatilium, corvorum mentionem facit, quia pullos corvorum speciali providentia deus nutrit: nam corvi pariunt quidem, non autem nutriunt, sed negligunt pullos suos: quibus miro modo ab aere pabulum quadam aura delatum ad os pervenit, quod hiantes suscipiunt, et sic nutriuntur. Forsan etiam et talia per synecdochen dicta sunt, toto significato per partem: unde in Matthaëo dominus remittit ad volatilia caeli, hic vero specialiter ad corvos, tamquam gulosiores et rapaciores.

Eusebius. In corvis etiam aliquid plus significat: avibus enim colligentibus legumina promptius est alimentum, vescentibus vero carnibus, sicut corvis, difficilius est ad habendum; nec tamen huiusmodi aves defectum pabuli patiuntur propter providentiam dei diffusam ubique. Utitur autem ad idem et tertio syllogismo, dicens quis autem vestrum cogitando potest adicere ad staturam suam cubitum unum?

Chrysostomus. nota quod animam quidem semel dedit deus, et eadem perseverat; sed corpus quotidie sumit incrementum. pertransiens igitur animam quasi non recipientem augmentum, de solo corpore facit mentionem, dans intelligere quod non augetur per solum alimentum, sed provisione divina, per hoc quod nullus nutrimentum accipiendo aliquid ad suam staturam adicere potest; unde concluditur si ergo neque quod minimum est potestis, quid de ceteris solliciti estis? Eusebius. Quasi dicat: si nullus sua cura corpoream ingeniatus est sibi staturam; sed neque termino temporis vitae potest aliquis vel brevissimum tempus horae excogitando adicere, cur oportet superflue de necessariis vitae cogitare? **Beda.** Illi ergo tegendi corporis curam relinquire, cuius videtis cura factum esse ut tantae staturae corpus habeatis.

Augustinus de quaest. Evang.. Cum autem de augenda corporis statura loqueretur, dicit quod minimum

est hoc, scilicet Deo corpora operari.

LUCA 12,27-31

10227 (Lc 12,27-31)

Chrysostomus in Matthaëum. sicut superius dominus de alimentis monebat, ita et nunc monet de vestitu, dicens considerate lilia agri, quomodo crescunt: non laborant neque nent, ut scilicet sibi faciant indumenta. Sicut autem supra cum dominus dixit: non seminant volatilia, non reprobavit sementem, sed superfluam curam, sic cum dixit non laborant neque nent, non opus interemit, sed cogitationem.

Eusebius. Si quis autem mortalium vult decorari pretioso vestitu, videat oculate quod deus etiam usque ad flores, qui ex terra oriuntur, multiplicem sui sapientiam propagans, ornavit hos diversis coloribus, tenuibus membranis florum, murice et auro longe meliores tincturas accommodans, adeo quod nec penes aliquem regem deliciosum, nec etiam ipsum salomonem, qui apud antiquos tam in divitiis quam in sapientia et in deliciis celebris fuit, tam pretiosum opus fuerit inventum; unde sequitur dico autem vobis, quia nec salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut unum ex istis.

Chrysostomus. Non utitur hic volatiliu exemplo, cygnum commemorans aut pavonem, sed lilia: vult enim utrinque declarare hyperbolem, scilicet ab infirmitate rerum, quae tantum sunt sortitae decorem, et a pretio decoris, qui concessus est liliis; unde postmodum non vocat ea lilia, sed fenum, cum subditur si autem fenum quod in agro est hodie: nec dicit: cras non entia; sed subdit: et cras in clibanum mittetur: neque dicit simpliciter: deus vestit, sed dicit deus sic vestit, quod multam habet expressionem; et subdit quanto magis vos? quod est exprimentis pretiositatem et providentiam humani generis. Denique, cum increpare deceret, utitur et hic moderantia, non infidelitatis, sed paucitatis fidei arguens, cum subdit pusillae fidei; ut per hoc magis excitet nos ad dictorum persuasionem; ut non solum non cogitemus de vestibus, sed nec affectemus vestimentorum decorem.

Cyrillus. Sufficit enim prudentibus solius causa necessitatis aptum habere vestitum, modestiam non excedentem, et ciborum quod satis est. Sufficiunt etiam sanctis quae sunt in Christo spirituales deliciae, et subsequens gloria.

Ambrosius. non otiosum autem videtur quod flos vel homini confertur, vel certe plus pene quam hominibus in salomone praefertur: ut prae claritate coloris angelorum caelestium gloriam putemus expressam, qui vere mundi istius flores sunt, quod eorum claritatibus mundus ornatur, et bonum odorem sanctificationis aspirant: qui nulla sollicitudine praepediti, nullo usu laboris exerciti, divinae in se liberalitatis gratiam, et caelestis servant dona naturae. Unde bene et hic vestitus gloria sua salomon, et alibi coopertus ostenditur, quod infirmitatem corporeae naturae, velut virtute quadam mentis adopertam, operum gloria vestiebat. Angeli vero, quorum natura diviniore manet iniuriae corporalis, recte licet maximo viro praeferuntur. Nec tamen in nobis misericordiam dei desperare debemus, quibus per resurrectionis gratiam dominus similem angelorum speciem pollicetur.

Cyrillus. Absonum autem erat discipulos debentes normam et exemplar conversationis honestae aliis tradere, in ea incidere a quibus discedendum esse oportebat eos consulere. Et ideo dominus subdit et vos nolite quaerere quid manducetis, aut quid bibatis. In hoc etiam dominus consuluit non modicum studio sacrarum praedicationum, monens discipulos sollicitudinem humanam abicere.

Beda. notandum tamen est, quod non ait: nolite quaerere, aut solliciti esse de cibo, aut potu, aut indumento; sed quid manducetis aut bibatis: ubi mihi videntur argui qui, spreto victu vel vestitu communi, lautiora sibi vel austeriora prae his cum quibus vitam ducunt, alimenta vel indumenta requirunt.

Gregorius nyssenus. sed dicitur: aliqui obtinuerunt dominia, honores et divitias, cum orassent; qualiter ergo prohibes nos talia orando quaerere? et quidem quod omnia haec ad divinum consilium pertineant, omnibus patet; haec tamen a Deo conferuntur petentibus, ut discentes deum nos exaudire in minoribus petitionibus, elevemur ad altiorem affectum; sicut in pueris videmus, qui mox nati maternis adhaerent uberibus; si vero pubuerit parvulus, spernit mammas, quaerit autem monile, aut aliquid talium, quibus oculus delectatur; postquam autem mens cum corpore creverit, cedens cunctis puerilibus desideriis, quaerit a parentibus quae conveniunt vitae perfectae.

Augustinus de quaest. Evang.. prohibita autem sollicitudine de alimentis, consequenter ne extollantur admonuit, dicens nolite in sublime tolli. Primo enim haec ad necessitatem complendam homo quaerit; cum

autem his abundaverit, incipit de talibus superbire. Tale est hoc ac si se vulneratus aliquis iacet, quia habeat multa emplastra in domo, cum illi bonum esset ut vulnera non haberet, et ne uno quidem indigeret emplastro.

Theophylactus. Vel elevationem nihil aliud vocat quam vagum mentis motum, alias aliud meditantis, et ex hoc salientis ad aliud, et sublimia cogitantis.

Basilus. et ut intelligas huiusmodi elevationem, memento vanitatis propriae iuventutis; si quando manens solus cogitasti de vita et promotionibus, discurrens a principatu in principatum, amplexus es divitias, aedificasti palatia, amicis bene fecisti, ultus es inimicos. Est autem peccatum talis abstractio: intenta enim circa superflua delectatio a veritate seducit; unde convenienter subdit haec enim omnia gentes mundi quaerunt, scilicet voluptatem, divitias et huiusmodi.

Gregorius nyssenus. adhibere enim sollicitudinem rebus apparentibus proprium est eorum qui nullam supponunt spem futuri saeculi, neque metum iudicii.

Basilus. Sed de necessariis vitae subdit pater autem vester scit quoniam his indigetis.

Chrysostomus in Matthaem. non dixit: deus, sed pater, ut ipsos ad maiorem promoveret fiduciam: quis enim est pater qui patitur necessaria filiis non ministrare? sed et aliud adicit. Non enim poteris dicere, quod pater quidem est, ignorat tamen his nos indigere; nam qui naturam creavit, eius indigentiam novit.

Ambrosius. Ostendit autem consequenter nec ad praesens, nec in reliquum fidelibus gratiam defuturam, si modo qui divina desiderant, terrena non quaerant. Indecorum quippe est homines curare de cibo, qui militant pro regno. Novit rex quemadmodum familiam suam pascat, alat et vestiat; unde sequitur verumtamen quaerite primum regnum dei; et haec omnia adicientur vobis.

Chrysostomus. non modo regnum, sed etiam opes Christus pollicetur cum eo. Si enim nos a curis eos eripimus qui praetermittentes sua, nostrorum diligentiam habent, multo magis deus.

Beda. Indicat enim aliud esse quod principaliter datur, aliud quod superadditur: quia nobis in intentione aeternitas, in usu vero temporalitas esse debet.

LUCA 12,32-34

10232 (Lc 12,32-34)

Glossa. Postquam dominus temporalium curam a cordibus discipulorum removit, hic excludit ab eis timorem, ex quo superflua cura procedit, dicens nolite timere, pusillus grex.

Theophylactus. Pusillum gregem dominus vocat volentes discipulos eius fieri: vel quia in hoc saeculo sancti parvi videntur causa voluntariae paupertatis, vel quia superantur a multitudine angelorum, qui incomparabiliter praecellunt quae nostra sunt.

Beda. Pusillum etiam dominus gregem electorum nominat, vel ad comparisonem maioris numeri reproborum, vel potius ob humilitatis devotionem.

Cyrillus. Quare autem timere non debent, ostendit subdens quia complacuit patri vestro dare vobis regnum, quasi dicat: eum qui tam pretiosa largitur, qualiter pigebit erga vos clementiam exercere? quamvis enim hic grex parvus sit et natura, et numero, et gloria, bonitas tamen patris concessit et huic pusillo gregi caelestium spirituum sortem, scilicet regnum caelorum. Ergo ut possideatis regnum caelorum, opes terrenas contempnite; unde subditur vendite quae possidetis et date eleemosynam.

Beda. Quasi dicat: nolite timere ne propter regnum dei militantibus huius vitae necessaria desint; quin etiam possessa propter eleemosynam vendite: quod tunc digne fit, quando quis semel pro domino suo omnibus spretis, nihilominus post hoc labore manuum operatur, unde et victum transigere, et eleemosynam dare queat.

Chrysostomus in Matthaem. Non est enim peccatum quod eleemosyna nequeat abolere; antidotum est cuilibet conveniens vulneri: sed et eleemosyna non solum in pecuniis fit, sed et in rebus, dum aliquis alium protegit, dum medicus medetur, dum sapiens consulit.

Gregorius nazianzenus. Vereor autem ne putes pietatis tibi necessitatem non esse, sed arbitrium. Opinabar et ipse hoc; sed terrent me hoedi ad sinistram statuti, non quia rapuerunt, sed quia Christum in egentibus non placaverunt.

Chrysostomus. Nam sine eleemosyna impossibile est regnum videre. Sicut enim fons, si aquas in se continuerit, vitiatur; sic et divites, cum omnia penes se teneant.

Basilius. Sed quaeret aliquis: quid considerantem oportet vendere quae possidentur? numquid tamquam eis naturaliter noxiis, vel propter tentationem accidentem animabus ab eis? ad hoc dicendum est, primo quidem quod singulum eorum quae sunt, si per seipsum malum existeret, non esset creatura dei; omnis enim creatura dei bona: consequenter autem, quia mandatum dominicum non docuit abicere tamquam mala quae possidentur, sed dispensare, dicens et date eleemosynam.

Cyrillus. Molestum autem forte est hoc mandatum divitibus; sanam tamen mentem habentibus non est inutile: thesaurizant enim sibi regnum caeleste; unde sequitur facite vobis sacculos qui non veterascunt.

Beda. Eleemosynas videlicet operando, quarum merces in aeternum maneat: ubi non hoc praeceptum esse putandum est, ut nil pecuniae reservetur a sanctis, vel suis, vel pauperum usibus; cum et ipse dominus, cui angeli ministrabant, oculos habuisse legatur, a fidelibus oblata conservans; sed ne Deo propter ista serviatur, et ob inopiae timorem iustitia deseratur.

Gregorius nyssenus. Praecipit autem sensibiles et terrenas opes sursum concedere, quo virtus corruptiva non attingit; unde subdit thesaurum non deficientem in caelis, quo fur non appropriat, neque tinea corrumpit.

Theophylactus. Quasi dicat: hic tinea demolitur, non autem in caelis. Deinde quia tinea quaedam non demolitur, addit de fure: aurum enim non demolitur tinea, sed fur tollit.

Beda. sive igitur hoc simpliciter accipiendum est, quod pecunia servata deficiat, data autem proximo, perennem fructum conferat in caelis: seu ita quod thesaurus boni operis si commodi terrestris occasione condatur, facile corruptus intereat: at si caelesti solum intentione congeratur, non exterius hominum favore, quasi a fure qui deforis rapit, non intus inani gloria, quasi a tinea quae interius scindit, valet maculari.

Glossa. vel fures sunt haeretici, et daemones, qui ad hoc intenti sunt ut spiritualibus nos spolient. Tinea, quae vestes latenter rodit, invidia est, quae studium bonum lacerat, et compactionem unitatis dissipat.

Theophylactus. porro, quia non omnia furto tolluntur, addit potioem rationem et nullam prorsus patientem instantiam, dicens ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit: quasi dicat: esto quod nec tinea demoliatur, nec fur tollat; hoc ipsum quod est habere cor affixum thesauro sepulto, et divinum opus, scilicet animam, terrae immergere, quanto est dignum supplicio? Eusebius. Nam quilibet homo naturaliter dependet ab eo erga quod studet; illuc totum animum applicat ubi totum commodum possidere putavit. Unde si quis in rebus praesentis vitae habeat totam mentem et intentionem, quam cor nominavit, in terrenis versatur: si vero mentem applicaverit ad caelestia, ibi mentem habebit, ut videatur solo corpore cum hominibus conversari, animo vero iam sit aggressus mansiones caelestes.

Beda. Hoc autem non solum de pecunia, sed de cunctis passionibus sentiendum est: luxuriosi epulae sunt thesauri, lascivi ludicra, amatoris libido.

LUCA 12,35-40

10235 (Lc 12,35-40)

Theophylactus. Postquam suum discipulum modestum statuit dominus, spolians eum qualibet vitae cura et elevatione, iam nunc ad ministrandum inducit, dicens sint lumbi vestri praecincti, idest semper proclives ad exequenda opera domini vestri; et lucernae ardentes, idest, non ducatis vitam in tenebris, sed adsit vobis lux rationis, ostendens vobis agenda et fugienda: est enim hic mundus nox. cincti vero lumbos sunt qui practicam exequuntur; nam talis est ministrantium habitus, quibus oportet adesse et lucernas ardentes, idest discretionis donum: ut valeat dignoscere practicus non solum quid oporteat agere, sed et quomodo: alioquin in praecipitium superbiae homines ruunt. Notandum autem quod primo iubet lumbos praecingi, secundo lucernas ardere: nam primo quidem est operatio, deinde speculatio, quae est illustratio mentis. Ideo studeamus exercere virtutes, ut duas lucernas habeamus ardentes, scilicet conceptum mentis iugiter

in anima emicantem, quo nos illustramur, et doctrinam, qua ceteros illuminamus.

Maximus. Vel lucernas accensas docet habere per orationem et contemplationem, et spiritualem dilectionem.

Cyrillus. Vel subcingi significat agilitatem et promptitudinem ad sustinenda mala intuitu divini amoris; lucernae autem accensio significat, ut non patiamur aliquos in tenebris ignorantiae vivere.

Gregorius in evang.. Vel aliter. Lumbos praecingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus: viris enim luxuria in lumbis est, feminis in umbilico. A principali igitur sexu lumborum nomine luxuria designatur. Sed quia minus est mala non agere, nisi etiam quisque studeat bonis operibus insudare, additur et lucernae ardentes; quas in manibus tenemus cum per bona opera, proximis nostris lucis exempla monstramus.

Augustinus de quaest. Evang.. vel docet et lumbos praecingere propter continentiam ab amore rerum saecularium, et lucernas ardentes habere, ut hoc ipsum vero fine et recta intentione fiat.

Gregorius. Sed si utrumque horum agitur, restat ut quisquis ille est, totam spem suam in redemptoris sui adventu constituat; unde subditur et vos similes hominibus expectantibus dominum suum quando revertatur a nuptiis. Ad nuptias quippe dominus abiit, quia ascendens in caelum supernam sibi multitudinem angelorum novus homo copulavit.

Theophylactus. Quotidie etiam in caelis desponsat sanctorum animas, quas ei paulus vel alius similis offert virginem castam. redit autem a nuptiis celebratis in caelis, forsitan quidem universaliter in consummatione totius mundi, quando veniet de caelo in gloria patris; forsitan etiam singulis horis astans inopinante particulari uniuscuiusque consummationi.

Cyrillus. considera etiam, quod a nuptiis quasi a solemnitate venit, in qua semper existit divinitas: nihil enim potest incorruptibili naturae inferre tristitiam.

Gregorius nyssenus. vel aliter. Consummatis nuptiis, et desponsata sibi ecclesia, et admissa ea in thalamum secretorum, praestolabantur angeli reditum regis ad naturalem beatitudinem; quibus similem fieri decet nostram vitam; ut sicut illi sine malitia conversantes parati fuerint dominicum regressum recipere; sic et nos vigilantes ad obedientiam promptos nos faciamus cum advenerit pulsans; sequitur enim ut cum venerit et pulsaverit, confestim aperiant illi.

Gregorius in evang.. Venit quippe cum ad iudicium properat; pulsat vero cum iam per aegritudinis molestiam esse mortem vicinam designat. Cui confestim aperimus, si hunc cum amore suscipimus. aperire enim iudici pulsanti non vult, qui exire de corpore trepidat, et eum quem contempsisse se meminit, videre iudicem formidat: qui autem de sua spe et operatione securus est, pulsanti confestim aperit: quia cum tempus propinquaе mortis agnoverit, de gloria retributionis hilarescit unde subditur beati servi illi, quos cum venerit dominus, invenerit vigilantes. Vigilat qui ad aspectum veri luminis mentis oculos apertos tenet; qui servat operando quod credit; qui a se torporis et negligentiae tenebras repellit.

Gregorius nyssenus. propter hanc igitur vigiliam observandam supra dominus monuit, ut sint lumbi praecincti, et lucernae ardentes: lumen enim oppositum oculis pellit somnolentiam oculorum, lumbi etiam cingulo perstricti reddunt corpus insusceptibile somni; nam qui praecinctus est castitate, et pura conscientia illustratus, perseverat insomnis.

Cyrillus. Cum igitur dominus veniens suos insomnes invenerit, et praecinctos, cor illuminatum habentes, tunc eos promulgabit beatos; sequitur enim amen dico vobis, quia praecinget se: ex quo percipimus quod similia nobis retribuet, dum cum succinctis se praecinget.

Origenes. erit enim praecinctus iustitia circa lumbos suos, secundum isaiam.

Gregorius. per quam praecingit se, idest ad retributionem se praeparat.

Theophylactus. vel praecinget se in eo quod non totam ubertatem bonorum largitur, sed hanc cohibet secundum certam mensuram. quis enim deum capere potest quantus est? unde seraphim velari dicuntur propter excellentiam divini splendoris. sequitur et faciet illos discumbere, idest omnino requiescere: sicut enim discumbens totum corpus facit quiescere, sic in futuro adventu sancti totaliter requiescent. hic enim non habuerunt requiem corporis, illic vero simul cum animabus spiritualia corpora incorruptionem sortita, plena gaudebunt quiete.

Cyrillus. Faciet igitur illos discumbere, quasi fessos refocillans, apponens spirituales delicias, et statuens dapsilem donorum suorum mensam. dionysius ad titum. discubitu enim opinamur quietem a multis laboribus, et vitam sine laesione, et conversationem divinam in lumine et regione viventium; universo sancto affectu adimpletam et copiosam donationem omnium donorum, secundum quam laetitia adimplentur; hoc est enim quod iesus faciet eos recumbere, dans eis perpetuam quietem, et distribuens eis bonorum multitudinem; unde sequitur et transiens ministrabit illis.

Theophylactus. Quasi vicem aequalem eis reddens, ut sicut ipsi ministraverunt ei, ita et ipse eis ministret.

Gregorius in evang.. Transiens vero dictum est cum de iudicio ad regnum redit. Vel dominus nobis post iudicium transit, qui ab humanitatis forma in divinitatis suae contemplationem nos elevat.

Cyrillus. Novit autem dominus lubricum fragilitatis humanae ad peccandum; sed quoniam bonus est, desperare non sinit, sed magis miseretur, et dat nobis poenitentiam in salutis antidotum; et ideo subdit et si venerit in secunda vigilia, et si in tertia vigilia venerit, et ita invenerit, beati sunt servi illi. Dividunt enim excubantes in moeniis civitatum, et hostium servantes aggressus, noctem in tres aut quatuor vigiliis.

Gregorius. prima ergo vigilia primaevum tempus est vitae nostrae, idest pueritia; secunda, adolescentia vel iuventus; tertia autem senectus accipitur. Qui ergo vigilare in prima vigilia noluit, custodiat in secunda: et qui in secunda noluit, tertiae vigiliae remedia non amittat: ut qui converti in pueritia neglexit, saltem in tempore iuventutis vel in senectute respiscat.

Cyrillus. de prima tamen vigilia mentionem non facit, quia pueritia non punitur a deo, sed veniam meretur. Secunda vero et tertia aetas, debet obedientiam deo, et vitam honestam ducere ad voluntatem ipsius.

Graecus. Vel ad primam vigiliam pertinent diligentius viventes, quasi primum gradum sortiti; ad secundam vero mediae conversationis mensuram tenentes; ad tertiam vero qui sunt infra hos; et idem de quarta putandum est, et, si contingat, de quinta: diversae enim sunt conversationum mensurae, et bonus remunerator metitur unicuique quod dignum est.

Theophylactus. Vel quia vigiliae sunt horae noctis provocantes soporem hominibus, intelligas etiam in vita nostra esse quasdam horas quae faciunt nos beatos, si insomnes reperti fuerimus. Rapuit tibi aliquis facultates, defuncti sunt tibi filii, accusatus es: sed si in his temporibus non feceris contra dei mandata quidquam, vigilantem te inveniet in secunda et tertia vigilia, idest in tempore malo perniciosum somnum animabus lentis inferente.

Gregorius. Ad excutiendam vero nostrae mentis desidiam, etiam exteriora damna per similitudinem ad medium deducuntur; nam subditur hoc autem scitote: quoniam si sciret paterfamilias qua hora fur veniret, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam.

Theophylactus. Quidam hunc furem intelligunt esse diabolum, domum animam, patremfamilias hominem: non tamen videtur haec acceptio consonare sequentibus: adventus enim domini comparatur huic furi tamquam ex inopinato proveniens, secundum illud apostoli: dies domini sicut fur, ita in nocte veniet; unde et hic subditur et vos estote parati: quia qua hora non putatis filius hominis veniet.

Gregorius in evang.. vel aliter. Nesciente patrefamilias, fur domum perfodit: quia dum a sui custodia spiritus dormit, improvisa mors veniens carnis nostrae habitaculum irrumpit; furi autem resisteret si vigilaret: quia adventum iudicis, qui occulte animam capit, praecavens, ei poenitendo occurreret, ne impenitens periret. Horam vero ultimam dominus idcirco nobis voluit esse incognitam, ut dum illam praevidere non possumus, ad illam sine intermissione praeparemur.

LUCA 12,41-46

10241 (Lc 12,41-46)

Theophylactus. Petrus, cui iam commissa ecclesia fuerat, quasi omnium curam gerens, inquit utrum ad omnes dominus parabolam protulisset; unde dicitur ait autem ei petrus: domine, ad nos dicis parabolam hanc, an ad omnes? **Beda.** Duo dominus in praemissa parabola monuerat; et se videlicet subito venturum, et illum eos paratos expectare debere. sed de quo horum, an de utroque petrus interrogaverit, quosve sibi sociisque suis comparaverit, cum ait ad nos dicis, an ad omnes? non facile patet. Et quidem in eo quod ait

nos, et omnes, non alios quam apostolos apostolorumque similes et ceteros fideles; vel Christianos et infideles, vel eos qui viritim, idest sigillatim morientes, sui iudicis adventum nolentes volentesque suscipiunt, et eos qui in universali iudicio vivi sunt in carne reperiendi, significare putandum est. Mirum est autem si petrus dubitavit, vel omnibus sobrie et pie et iuste vivendum expectantibus beatam spem; vel inopinatum singulorum et omnium futurum esse iudicium. Unde restat intelligi, his scilicet duobus iam bene cognitis, ea quae nescire poterat, quaesisse; videlicet si sublimia illa vitae caelestis instituta, quibus possessa vendere, sacculos qui non veterascerent facere, lumbis praecinctis lucernisque ardentibus vigilare praeceperat, ad apostolos solum similesque eorum, aut ad omnes qui salvandi sunt, pertineant.

Cyrillus. Validam autem mentem habentibus conveniunt ardua et excellentia mandatorum sanctorum; his vero qui nondum ad hanc virtutem attigerunt conveniunt ea a quibus difficultas excluditur: unde dominus exemplo manifestissimo utitur, ostendens mandatum praemissum convenire his qui admissi sunt in gradum discipulorum; sequitur enim dixit dominus: quis, putas, est fidelis dispensator? **Ambrosius.** Vel aliter. Superioris quidem in omnes praecepti forma est generalis; verum series sequentis exempli dispensatoribus, hoc est sacerdotibus, videtur esse proposita; unde sequitur dixit autem dominus: quis, putas, est fidelis dispensator et prudens quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram? Theophylactus. quasi dicat: praedicta parabola communiter omnes fideles attingit; sed quid vobis apostolis et doctoribus conveniat, audiatis. Quaero enim quis dispensator inveniatur in se habens fidelitatem et prudentiam: sicut enim in dispensationibus facultatum, sive aliquis incautus sit fidelis domino existens, sive etiam prudens sit et infidelis, dispereunt res domini; sic et in rebus divinis opus est fidelitate et prudentia: novi enim multos deum colentes et fideles; quia vero non poterant prudenter ecclesiastica tractare negotia, non solum possessiones, sed etiam animas destruebant, utentes in peccatores indiscreta virtute per immoderata poenitentiae mandata, vel importunam mansuetudinem.

Chrysostomus in Matthaeum. quaerit autem hic dominus non quasi fidelem et prudentem dispensatorem ignorans, sed volens innuere raritatem rei, et huiusmodi praesulatus magnitudinem.

Theophylactus. Quisquis ergo fidelis fuerit inventus et prudens, praesideat familiae domini, ut singulis temporibus det tritici mensuram, vel sermonem doctrinae, quo pascantur animae, vel operum exemplum, quo vita informetur.

Augustinus de quaest. Evang.. Mensuram autem dicit propter modum capacitatis quorumcumque audientium. Isidorus. Additum est etiam in tempore, quod beneficium non suo tempore datum redditur cassum, et nomen beneficii perdit. Idem panis esurienti quidem appetibilis est, satiato autem non multum. De huius autem servi dispensatoris praemio subdit, dicens beatus ille servus quem cum venerit dominus, invenerit sic facientem.

Basilius. non dicit agentem a casu, sed sic facientem: non enim vincere solum convenit, sed etiam certare legitime: hoc autem est sic singula exequi sicut recipimus in mandatis.

Cyrillus. Sic ergo fidelis servus et prudens, opportuno tempore distribuens prudenter cibaria famulis, hoc est spirituales escas, beatus erit, iuxta dictum salvatoris: in hoc scilicet quod obtinebit adhuc maiora, et merebitur praemia familiaribus debita; unde sequitur vere dico vobis, quia super omnia quae possidet constituet illum.

Beda. Quanta enim inter bonos auditores et bonos doctores est meritorum distantia, tanta est etiam praemiorum: hos enim, adveniens, cum vigilantes invenerit, faciet discumbere; illos autem cum fideliter prudenterque dispensantes invenerit, super omnia quae possidet constituet, idest super omnia caelestis regni gaudia: non utique ut horum soli dominium teneant; sed ut eorum abundantius ceteris sanctis aeterna possessione fruantur.

Theophylactus. Vel super omnia bona sua constituet eum, non solum super suam familiam, sed ut tam terrena quam caelestia ei obediant; qualis fuit iesus nave et elias; alter soli, alter nubibus mandans: et omnes sancti, quasi dei amici, rebus dei utuntur. Quicumque etiam vitam virtuose peragit, et servos suos, idest iram et concupiscentiam, recte disposuit, exhibens temporibus singulis mensuram frumenti, irae quidem, ut afficiatur in habentes odio deum, concupiscentiae vero ut necessaria utatur carnis provisione, ordinans eam in deum: talis, inquam, constituetur super omnia quae possidet dominus, dignus omnia per speculativum intellectum intueri.

Chrysostomus in Matthaeum. dominus autem non solum ex honore bonis reservato, sed ex minis poenae in malos corrigit auditorem; unde sequitur quod si dixerit servus ille in corde suo: moram facit dominus meus venire.

Beda. nota, inter vitia servi mali ascriptum quod tardum domini sui reditum putaverit; non autem inter boni virtutes annumeratum, quod hunc citum speraverit, sed tantum fideliter ministraverit. Nil ergo melius est quam ut patienter sustineamus ignorare quod sciri non potest; sed tantum laboremus ut idonei inveniamur.

Theophylactus. ex eo autem quod non consideratur hora finis, multa peccata eveniunt: nam si cogitaremus dominum venire, et praesto esse terminum vitae nostrae, minus utique peccaremus; unde sequitur et coeperit percutere pueros et ancillas, et edere, et bibere, et inebriari.

Beda. In hoc servo cunctorum praesulum malorum narratur damnatio: qui neglecto domini timore, non modo ipsi luxuriae vacant, sed etiam subditos iniuriis stimulant; quamvis et typice possit intelligi pueros et ancillas percutere, corda infirmorum pravo exemplo vitiare; edere autem, bibere et inebriari, facinoribus et saeculi illecebris, quae hominem dementant, occupari. De eius autem poena subditur veniet dominus servi illius die qua non sperat, scilicet iudicii vel mortis, et dividet eum.

Basilius. Non quidem dividitur corpus, ut hoc quidem exponatur tormentis, illud vero dimittatur: nam fabulosum est hoc, neque iusti iudicii, cum deliquerit totum, dimidium pati poenam: nec anima secatur, tota criminosa conscientiam possidens, et cum corpore mala cooperans; sed divisio eius est perpetua alienatio animae a spiritu. Nunc enim etsi non sit gratia spiritus indignis, videtur tamen utcumque adesse, conversionem eorum expectans ad salutem; tunc vero totaliter amputabitur ab anima. Spiritus ergo sanctus et bravium est iustorum, et prima condemnatio peccatorum, quoniam eum indigni amittent.

Beda. Vel dividet eum, a fidelium consortio segregando, et eis qui nunquam ad fidem pertinuerant sociando; unde sequitur partemque eius cum infidelibus ponet; quia qui suorum et domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior, ut ait apostolus.

Theophylactus. recte etiam infidelis dispensator cum infidelibus partem accipiet, quia vera caruit fide.

LUCA 12,47-48

10247 (Lc 12,47-48)

Theophylactus. Hic nobis dominus maius aliquid et terribilius ostendit; non enim solum dispensator infidelis accepta privabitur gratia, ut nihil eum iuvet ad vitandum supplicia; sed magis fiet ei damnationis causa dignitatis immensitas; unde dicitur ille autem servus, qui cognovit voluntatem domini sui, et non fecit secundum voluntatem eius, plagis vapulabit multis.

Chrysostomus in Matthaum. non enim similiter in omnibus omnia iudicantur, sed maior cognitio fit maioris poenae materia: unde sacerdos eadem peccans cum populo, multo graviora patietur.

Cyrillus. Homo enim perspicax, qui turpioribus suam voluntatem inclinavit, inexcusabile peccatum commisit, quasi propter malitiam recedens a domini voluntate; sed homo rusticanus rationabilis implorabit veniam vindicantis; unde subditur qui autem non cognovit, et fecit digna, plagis vapulabit paucis.

Theophylactus. Hic obiciunt aliqui: merito punitur qui sciens voluntatem domini, non prosequitur; sed cur punitur ignorans? quia cum ipse scire potuisset, noluit; sed pigritans ipse fuit ignorantiae suae causa.

Basilius. Sed dices: si hic quidem multa sustinet verbera, hic autem pauca, qualiter dicunt quidam, quod non imponit finem suppliciiis? sed sciendum est, quod hoc quod hic dicitur non numerum poenarum, sed differentiam indicat: potest enim aliquis esse dignus inextinguibili flamma, vel remissiori, vel intensiori; et indeficienti verme, vel mitius torquente, vel fortius.

Theophylactus. Ostenditur autem consequenter quare doctoribus et scientibus intensior poena debeatur, cum dicitur omni autem cui multum datum est, multum quaeretur ab eo, et cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. datur quidem doctoribus gratia faciendi miracula; sed commendatur eis sermonis et doctrinae gratia. Sed in dato quidem non dicit aliquid plus petendum, sed in commendato sive deposito: nam gratia verbi incremento eget, et a doctore requiritur amplius: non enim decet eum torpere, sed augere verbi talentum.

Beda. Vel aliter. multum saepe datur etiam quibusdam privatis, quibus etiam cognitio dominicae voluntatis et exequendi quae cognoscunt facultas impenditur; multum autem commendatur illi cui cum sua salute

dominici quoque gregis pascendi cura committitur. maiori ergo gratia donatos, si deliquerint, maior vindicta sequetur; mitissima autem omnium poena erit eorum qui praeter peccatum quod originaliter traxerunt, nullum insuper addiderunt; et in ceteris qui addiderunt tanto quilibet ibi tolerabiliorem habebit damnationem, quanto hic minorem habuit iniquitatem.

LUCA 12,49-53

10249 (Lc 12,49-53)

Ambrosius. Dispensatoribus, idest sacerdotibus, praemissa videntur esse proposita, quo sciant sibi gravem in futurum poenam esse subeundam, si familiam domini gubernare neglexerint. Sed quia exiguus est profectus metu supplicii ab errore revocari, ideo dominus ad quaerendam cupiditatem divinitatis inflamat, dicens ignem veni mittere in terram: non utique illum consumptorem bonorum, sed bonae voluntatis auctorem, qui aurea dominicae domus vasa meliorat, fenum vero consumit et stipulam.

Cyrillus. Mos est autem sacrae scripturae ignem quandoque dicere sacros et divinos sermones; sicut enim qui aurum et argentum purgare noverunt, per ignem consumunt eorum sorditiem; sic salvator per evangelica documenta in virtute spiritus abstergit intellectum eorum qui credunt in eum. Hic est igitur ignis salubris et utilis, quo habitatores terrae, frigidi quodammodo et extincti propter peccatum, incalescunt ad pietatis vitam.

Chrysostomus. Terram enim ad praesens vocat, non eam quam pedibus terimus, sed plasmatam manibus eius, scilicet hominem, cui dominus ignem ingerit ad consumptionem peccatorum et innovationem animarum. Titus. Est autem intelligendum eum de caelo venisse; non enim, si de terra venisset in terram, diceret ignem veni mittere in terram.

Cyrillus. huius autem ignis dominus accelerabat incendium; unde sequitur et quid volo nisi ut accendatur? credebant enim iam quidam ex israel, quorum exordium fuerant venerandi discipuli; sed ignis semel in iudaea accensus totum orbem occupare debebat, consummata tamen passionis eius dispensatione; unde sequitur baptismo autem habeo baptizari. Nam ante venerabilem crucem, et eius resurrectionem a mortuis, in sola iudaea fiebat mentio praedicationis et miraculorum ipsius: postquam autem principem vitae insanientes occiderunt, tunc apostolis praecepit dicens: euntes, docete omnes gentes.

Gregorius super ezech. vel aliter. Ignis in terram mittitur cum per ardorem sancti spiritus afflata terrena mens a carnalibus suis desideriis crematur; succensa autem spirituali amore, malum quod fecit plangit, et sic terra ardet quando accusante se conscientia, cor peccatoris in dolore poenitentiae crematur.

Beda. Addit autem baptismo habeo baptizari; idest sanguinis proprii tinctione prius habeo perfundi; et sic corda credentium spiritus igne inflammare.

Ambrosius. Tanta autem est domini dignatio ut infundendae nobis devotionis, et consummandae perfectionis in nobis, et maturandae pro nobis passionis studium sibi inesse testetur; unde sequitur et quomodo coarctor usque dum perficiatur? quidam codices habent et coangor, idest contristor: cum enim in se nihil habuerit quod doleret, nostris tamen angebatur aerumnis, et tempore mortis moestitiam praetendebat, quam non ex metu mortis suae, sed ex mora nostrae redemptionis assumpserat. Qui enim usque ad perfectionem angitur, de perfectione securus est: quia eum conditio corporalis affectus, non formido mortis offendit: nam qui corpus suscepit, omnia debuit subire quae corporis sunt, ut esuriret, sitiret, angeretur et contristaretur. Divinitas autem per hos affectus nescit commutari. simul etiam ostendit quod in certamine passionis mors corporis, absolutio anxietudinis, non coacervativa sit doloris.

Beda. Quomodo autem post baptismum suae passionis, post ignis spiritualis adventum terra sit arsura, declarat subdens putatis quia pacem veni dare in terram? non, dico vobis, sed separationem.

Cyrillus. quid dicis, domine? non venisti pacem daturus qui factus es nobis pax, pacificans per crucem caelestia et terrestria: qui dixisti: pacem meam do vobis. Sed manifestum est quod utilis quidem est pax; quandoque autem damnosa, et separans ab amore divino, per quam scilicet consentitur his qui a Deo dissident: et ob hoc foedera terrena docuit vitare fideles; unde sequitur erunt enim quinque ex hoc in domo una divisi; tres in duos, et duo in tres dividuntur, pater in filium.

Ambrosius. Cum sex personarum videatur facta subiectio, patris et filii, matris et filiae, socrus et nurus; quinque tamen sunt, quia eadem mater quae socrus accipi potest: quae enim est mater filii, socrus eius

uxoris est.

Chrysostomus. per hoc autem futurum eventum protulit. Contingebat enim in eadem domo aliquem esse fidelem, cuius pater vellet eum ad infidelitatem protrahere; sed intantum praevaluit virtus doctrinae Christi, ut filii patres dimitterent, matresque filiae, et liberos parentes. Libuit enim fideles Christi non solum contemnere propria, sed et cuncta simul pati, dummodo cultu fidei non careant. Si autem purus homo esset, unde suppeteret ei hoc posse meditari, quod a patribus plus amaretur quam filii, et a filiis plusquam patres, et a viris plusquam coniuges; et hoc non in una domo aut centum, sed ubique terrarum: et non solum hoc praedixit, sed etiam opere consummavit.

Ambrosius. Mystica autem interpretatione domus una, homo unus est. Duos autem legimus frequenter, animam et corpus; quod si duobus convenerit, efficit utraque unum: aliud est quod servit; aliud cui subicitur. Tres autem animae affectiones sunt: una rationabilis, alia concupiscibilis, tertia irascibilis. duo ergo in tres, et tres in duo dividuntur. etenim per adventum Christi homo, qui erat irrationabilis, rationabilis factus est. Eramus carnales, terreni; misit deus spiritum suum in corda nostra, facti sumus filii spirituales. Possumus etiam dicere, quod in hac domo sunt alii quinque, idest odor, tactus, gustus, visus et auditus. Si ergo secundum ea quae audimus, aut legimus sensu visus atque auditus, excludamus superfluas voluptates corporis, quae gustu tactuque et odore percipiuntur; duo in tres dividimus, eo quod mentis habitus vitiorum non capiatur illecebris. Aut si quinque sensus acceperimus corporales, vitia iam corporis et peccata se separant. Possunt etiam caro videri atque anima ab odore, tactu gustuque luxuriae separata: fortior enim rationis sexus velut in viriles fertur affectus, haec molliorem studet tenere rationem. Ex his itaque diversarum cupiditatum motus inolevit; sed ubi in se anima redit, degeneres abiurat heredes; caro quippe cupiditatibus suis, quas sibi ipsa generavit, tamquam sentibus mundi doluit esse confixam: sed velut corporis quaedam atque animae nurus, voluptas motui pravae cupiditatis innubit. Ergo quamdiu mansit in una domo, conspirantibus vitiis, individua consensio, nulla videbatur esse divisio; ubi vero Christus ignem, quo delicta cordis exureret, vel gladium, quo secreta penetrantur, misit in terras; tunc caro atque anima regenerationis innovata mysteriis, copulam posteritatis eliminat, ut dividantur parentes in filios, dum intemperans motus intemperantiam abdicat, et anima declinat consortium culpae. Filii quoque in parentes dividuntur, dum renovati homines vitia vetusta declinant, voluptasque adolescentior seriosae domus refugit disciplinam.

Beda. Vel aliter. Per tres significantur qui fidem trinitatis habent; per duo infideles, qui a fidei unitate dissentiunt. Pater autem diabolus est, cuius filii imitando eramus; sed postquam venit ignis ille caelestis, nos ab invicem separavit, et ostendit alterum patrem, qui est in caelis. Mater synagoga, filia est ecclesia primitiva, quae et eandem, de qua genus ducit, synagogam fidei persecutricem sustinuit, et ipsa eidem synagogae fidei veritate contradixit. Socrus synagoga, nurus ecclesia de gentibus: quia sponsus ecclesiae Christus filius est synagogae secundum carnem. Synagoga ergo in nurum et in filiam est divisa, quae credentes de utroque populo persequitur; sed et illae in socrum et in matrem sunt divisae, quia nolunt carnalem circumcisionem suscipere.

LUCA 12,54-57

10254 (Lc 12,54-57)

Theophylactus. Cum de praedicatione disceptasset, et eam nominasset gladium, poterant audientes turbari, nescientes quid diceret; et ideo dominus subdit, quod sicut aereas dispositiones per quaedam signa cognoscunt, sic deberent eius adventum cognoscere; et hoc est quod dicit cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: nimbus venit, et ita fit; et cum austrum flantem, dicitis, quia aestus erit, et ita fit; quasi dicat: verba mea et opera mea me indicant contrarium vobis: potestis igitur coniectare quia non veni pacem dare, sed imbrem et turbinem. ego enim sum nubes, et venio ab occasu, idest ab humana natura pridem multa induta peccatorum caligine: veni etiam ponere ignem, idest aestum incitare: sum enim auster ventus calidus, et oppositus boreali frigiditati.

Beda. Vel qui ex elementorum immutatione flatum aurarum, quia voluerunt, facillime praenoscerent potuerunt, possent etiam si vellent tempus adventus domini ex dictis intelligere prophetarum.

Cyrillus. Prophetiae enim multifarie praenuntiaverunt Christi mysterium. Decebat ergo, si prudentes essent, ad futura prospectum intendere; nec ignorare futuras tempestates post vitam praesentem valerent: erit enim ventus et pluvia et supplicium futurum per ignem; et hoc significatur cum dicitur nimbus venit. Decebat etiam salutis tempus non ignorare, scilicet adventum salvatoris, per quem perfecta pietas intravit mundum; et hoc significatur cum dicitur dicitis, quia aestus erit. Unde in eorum reprehensionem subditur hypocritae,

faciem caeli et terrae nostis probare; hoc autem tempus quomodo non probatis? Basilius in exameron. est autem notandum, quod necessariae sunt humanae vitae siderum coniecturae, dummodo quis ultra mensuram non perquirat eorum indicia. Est enim nonnulla de pluviis futuris percipere; plura quoque de aestibus, et impetu ventorum, vel particularibus vel universalibus, vel violentis vel levibus. Quanta vero commoditas ex eorum coniectura vitae praestetur, quis nescit? interest enim nautae pronosticari procellarum pericula, viatori mutationem aeris, colono fructuum copiam.

Beda. Sed ne aliqui de turba se prophetae lectionis ignaros, temporum cursus probare non posse causarentur, vigilanter adiungit quid autem et a vobis ipsis non iudicatis quod iustum est? ostendens eos, etsi litteras nesciant, naturali tamen ingenio posse dignoscere eum, qui opera fecit quae nullus alius fecisset, supra hominem et deum esse: unde post huius saeculi iniustitias, iustum creatoris iudicium esse venturum.

Origenes in lucam. nisi autem esset nobis natura insitum id quod iustum est iudicare, nunquam salvator hoc diceret.

LUCA 12,58-59

10258 (Lc 12,58-59)

Theophylactus. Postquam ostendit dominus laudabilem discordiam, ex hinc docet laudabilem pacem, cum dicit cum vadis cum adversario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo; quasi dicat: cum trahit te adversarius ad iudicium, da operam, idest omnibus modis excogites, ut absolvaris ab illo. Vel da operam; idest, etsi nihil habeas, mutuuum accipe, ut absolvaris ab illo, ne te coram iudice conveniat; unde sequitur ne forte trahat te apud iudicem, et iudex tradat te exactori, et exactor mittat te in carcerem.

Cyrillus. In quo angustias patieris donec etiam novissimum assem exigent: et hoc est quod subdit dico tibi, non exibis inde, donec etiam novissimum minutum reddas.

Chrysostomus in Matthaem. videtur mihi de praesentibus iudicibus dicere, et de itinere ad praesens iudicium et de carcere huius mundi: per haec enim quae apparent et in promptu sunt, irrationabiles homines se corrigere consueverunt: frequenter enim non solum ex futuris bonis vel malis commonet, sed etiam ex praesentibus, propter grossiores auditores.

Ambrosius. Vel adversarius noster diabolus est, qui serit illecebras delictorum, ut habeat in supplicio participes quos habuit in errore consortes: adversarius etiam nobis est omnis vitiorum usus: denique adversaria est nobis mala conscientia, quae nos et hic afficit, et in futurum accusabit et prodet. Demus igitur operam ut dum in hoc sumus vitae curriculo constituti, tamquam a malo adversario, ita ab improbo liberemur actu; ne dum imus cum adversario ad magistratum, in via nostrum condemnet errorem. Quis autem est magistratus nisi penes quem omnis potestas est? hic autem magistratus tradit reum iudici, ei scilicet cui vivorum et mortuorum tribuit potestatem, scilicet iesu Christo, per quem occulta redarguuntur, et improbi operis poena mandatur. Ipse exactori tradit, et in carcerem mittit; dicit enim: tollite et mittite illum in tenebras exteriores. Et exactores suos monstrat esse angelos, de quibus dicit: exhibunt angeli, et separabunt malos de medio iustorum, et mittent eos in caminum ignis. Sed subditur dico tibi: non exies inde donec etiam novissimum minutum reddas. Si enim qui pecuniam solvunt, non prius evacuant fenoris nomen quam totius sortis usque ad minimum quocumque solutionis genere quantitas universa solvatur; sic compensatione caritatis actuumque reliquorum, vel satisfactione quacumque peccati poena dissolvitur.

Origenes. Vel aliter. Quatuor personas hic ponit, adversarii, principis, exactoris, et iudicis; apud Matthaem vero persona praetermissa est principis, et pro exactore minister insertus. Discrepant etiam, quod ille quadrantem, iste minutum posuit; uterque autem dixit novissimum. cunctis autem hominibus duos angelos adesse legimus; malum qui adversa exhortatur, bonum qui optima persuadet. ille autem adversarius noster, quotiescumque peccamus, exultat, sciens quoniam habet potestatem apud principem saeculi huius, qui se miserat, exultandi et gloriandi. In graeco autem cum articulo tu, qui singularitatis significator est, adversarium posuit, ut ostenderet singulis hominibus singulos adversarios esse, qui ubique eos sequantur; principem vero sine articulo posuit, ne certum videretur ostendere, sed unum de pluribus: non enim unusquisque nostrum habet proprium principem, sed suae genti communem. Da ergo operam ut libereris ab adversario tuo, sive a principe, ad quem te adversarius trahit, habendo sapientiam, iustitiam, fortitudinem et temperantiam. Si autem dederis operam, esto in eo qui dicit: ego sum via; alioquin trahet te adversarius ad iudicem. Dicit autem trahit, ut ostendat nolentes ad condemnationem compelli. Iudicem

autem alium nescio nisi dominum nostrum iesum Christum, qui tradit exactori. Singuli exactores proprios habemus: dominantur exactores, si debuerimus aliquid: si omnibus universa reddidero, nemo exactor est, et intrepida mente respondeo: nihil tibi debeo. Quod si debitor fuero, mittet me exactor in carcerem, nec patietur exire, nisi debitum omne persolvero: non enim habet exactor potestatem ut mihi saltem quadrantem concedat. Qui donavit debitori quingentos denarios, et alii quinquaginta, dominus erat; iste qui exactor est, dominus non est; sed a domino ad exigenda debita praepositus. Novissimum autem minutum dicit gracile et tenue: peccata enim nostra aut pingua sunt, aut tenuia. Beatus igitur est qui non peccat. Secundo autem si tenue peccatum habeat, inter ipsa quoque tenuia diversitas est: alioquin non diceret donec novissimum redderet minutum. si enim parum debet, non egredietur nisi solvat minimum quadrantem; qui autem magno debito fuit obnoxius, infinita ei ad reddendum saecula numerabuntur.

Beda. Vel aliter. Adversarius noster in via est sermo dei contrarius nostris carnalibus desideriis in praesenti vita: a quo liberatur qui praeceptis eius subditur: alioquin tradetur iudici, quia sermone domini contempto, peccator reus tenebitur in examine iudicis: quem iudex exactori tradet, idest maligno spiritui, ad ultionem: qui mittetur in carcerem, idest in infernum; ubi quia semper solvere poenas patiando, sed nunquam persolvendo, veniam consequi non poterit, numquam exinde exibat; sed cum terribilissimo serpente diabolo perpetuas poenas luet.

LUCA 13,1-5

10301 (Lc 13,1-5)

Glossa. Quia de poenis peccantium fecerat mentionem, opportune nuntiatur quorundam peccantium poena, ex cuius exemplo etiam aliis peccatoribus poenam comminatur; unde dicitur aderant quidam ipso in tempore nuntiantes illi de galilaeis, quorum sanguinem miscuit pilatus cum sacrificiis eorum.

Cyrillus. Erant enim sequaces dogmatum iudae galilaei, cuius mentionem lucas in actibus apostolorum fecit, qui dicebat: non oportet quemquam vocari dominum: unde quamplures eorum, quia caesarem non fatebantur dominum, a pilato puniti sunt. dicebant etiam non oportere alias a statutis victimis in lege moysi offerre deo; unde prohibebant statutas a populo victimas pro salute imperatoris et populi romani offerre. Pilatus ergo indignatus in galilaeos, iussit inter ipsas victimas, quas ritu legis se offerre putabant, occidi, ita quod sanguis offerentium oblati victimis misceretur. Credente autem vulgo, iustissime praedictos talia passos esse, quasi scandala seminantes in populo, incitantes principes in odium subditorum, narraverunt haec salvatori, volentes percipere quid ei super hoc videretur. Ipse autem peccatores hos esse ponit; non tamen hic asserit talia passos esse, tamquam peiores non patientibus; unde sequitur et respondens dixit illis: putatis quod hi galilaei prae omnibus galilaeis peccatores fuerunt, quia talia passi sunt? non, dico vobis.

Chrysostomus. Punit enim deus quosdam peccatorum, amputans eorum nequitiam, et poenam illis statuens leviolem, et plene semovens eos ab aliis, et viventes in malitia corrigens per horum damnationem. Rursus alios hic non punit, ut si sibi caverint poenitentes, praesentem poenam effugiant, et futurum supplicium: si vero perseveraverint, maius patiantur tormentum. Titus. Manifestat et hic, quia quaecumque ex iudiciis accidunt in reorum supplicium, non solum iudicantium potestate, sed etiam nutu dei contingunt; unde sive iusta conscientia puniat iudex, sive aliud intendens condemnet, commendandum est negotium divinae censurae.

Cyrillus. Removens ergo populares ab intestinis insidiis occasione religionis concitatis, subiungit sed nisi poenitentiam habueritis, et nisi cessaveritis conspirare contra principes, quod nutu divino non agitis, omnes simul, vel similiter, peribitis, et vester sanguis vestris victimis coniungetur.

Chrysostomus. in hoc autem ostendit quod illos permisit talia pati, ut viventes alienis periculis territi fierent regni heredes. Quid igitur, dices, ut melior ego fiam, ille punitur? non ideo; sed punitur quidem propter propria crimina; fit vero ex hoc videntibus salutis materia.

Beda. Sed quia poenitentiam non habuerunt, quadragesimo dominicae passionis anno venientes romani, quos designabat pilatus ad eorum gentes pertinens, et incipientes a galilaea, unde dominica praedicatio coeperat, radicatus impiam gentem deleverunt; et non solum atria templi, quo sacrificia deferri consueverant, sed interiora domus humano sanguine foedarunt.

Chrysostomus. iterum autem alii decem et octo obruti fuerant a quadam turre; de quibus eadem subdit, dicens sicut illi decem et octo super quos cecidit turris in siloa, et occidit eos, putatis quia et ipsi debitores fuerunt praeter omnes homines habitantes in ierusalem? non, dico vobis. Non enim hic omnes punit, dans

aliis inducias poenitendi; nec tamen cunctos futurae punitioni reservat, ne plures providentiam abnegarent. Titus. Una autem turris comparatur toti civitati, ut pars totum perterreat; unde subditur sed si non poenitentiam egeritis, omnes similiter peribitis; quasi dicat: tota civitas paulo post occupabitur, si perseveraverint indigenae in infidelitate.

Ambrosius. Mystice autem in illis, quorum sanguinem pilatus miscuit cum sacrificiis eorum, figura quaedam videtur, eos tangens, qui coactu diabolico non pure offerunt sacrificium, quorum oratio est in peccatum, sicut de iuda scriptum est, qui prodicionem sanguinis dominici inter sacrificia positus cogitabat.

Beda. Pilatus enim, qui interpretatur os malleatoris, diabolus significat, semper caedere paratum; sanguis peccatum, sacrificia bonas actiones expriment. Pilatus ergo sanguinem galilaeorum cum sacrificiis eorum miscet, quando diabolus eleemosynam et cetera bona fidelium, vel carnis delectatione, vel humanae laudis ambitione, vel qualibet alia peste commaculat. Illi etiam hierosolimytiae a ruina turris oppressi significant iudaeos, qui poenitere noluerunt, cum moenibus suis esse perituros. Non frustra decem et octo, qui numerus apud graecos ex i et e, hoc est eisdem litteris quibus nomen iesu incipit, exprimitur: significat enim iudaeos hinc maxime perituros, quod nomen salvatoris recipere noluerunt. Illa turris significat illum qui est turris fortitudinis, quae merito est in siloe, quae interpretatur missus; significat enim eum qui missus a patre venit in mundum, qui omnes super quos cecidit conteret.

LUCA 13,6-9

10306 (Lc 13,6-9)

Titus. lactabant se iudaei ex eo quod decem et octo perierant; ipsi vero omnes remanserunt illaesi; unde proponit eis fici parabolam; dicit enim dicebat autem hanc similitudinem: arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua.

Ambrosius. vinea domini sabaoth erat quam dedit in rapinam gentium. Apta autem synagogae arboris istius comparatio est: quia sicut arbor ista redundans foliis fluentibus, spem possessoribus suis cassa speratorum proventuum expectatione destituit: ita etiam in synagoga dum doctores eius operibus infecundi, verbis tamen velut foliis redundantibus gloriantur, inanis umbra legis exuberat. Haec etiam sola arbor ab initio germinat poma pro floribus, et poma decident ut poma succedant; manent tamen aliqua priorum perrara, nec decidunt. Etenim primus synagogae populus velut inutilis decidit fructus ut de pinguedine religionis antiquae novus ecclesiae populus emergeret; primo tamen ex israel, grossi maturescentis exemplo, pulcherrimorum gratia fructuum caeteris praestiterunt: quibus dicitur: sedebitis super duodecim thronos. Nonnulli tamen ficum istam non synagogae, sed malitiae et improbitatis figuram putant: hi tamen in nullo distant, nisi quod pro specie genus eligunt.

Beda. Ipse autem dominus synagogam per moysen instituit, in carne natus apparuit, et crebrius in synagoga docens fructum fidei quaesivit, sed in pharisaeorum mente non invenit; unde sequitur et venit fructum quaerens in illa, et non invenit.

Ambrosius. Quaerebat autem dominus, non quia fructum ficulneae deesse nesciret; sed ut ostenderet in figura, quia fructum synagoga iam habere deberet. denique ex sequentibus docet non se ante tempus venisse, qui per triennium venit; sic enim habes: dixit autem ad cultorem vineae: ecce anni tres sunt ex quo venio quaerens fructum in ficulnea hac et non invenio. Venit ad abraham, venit ad moysen, venit ad mariam, hoc est, venit in signaculo, venit in lege, venit in corpore: adventum eius ex beneficiis recognoscimus: alibi purificatio, alibi sanctificatio, alibi iustificatio est; circumcisio purificavit, lex sanctificavit, gratia iustificavit. ergo populus iudaeorum neque purificari potuit, quia circumcisionem corporis, non animi habuit; neque sanctificari, quia virtutem legis ignorans, carnalia magis quam spiritualia sequebatur; neque iustificari, quia delictorum suorum poenitentiam non gerens, gratiam nesciebat. merito ergo nullus fructus in synagoga inventus est; et ideo iubetur excidi; sequitur enim succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat? bonus autem cultor, et fortassis ille in quo ecclesiae fundamentum est, praesagiens, alterum ad gentes, se autem ad eos qui ex circumcisione sunt, esse mittendum, religiose ne excidatur intervenit, fretus vocatione sua etiam populum iudaeorum per ecclesiam posse salvari; unde sequitur at ille respondens, dixit illi: domine, dimitte illam et hoc anno. Cito duritiam superbiamque iudaeorum causas esse sterilitatis agnovit. itaque venit excolere qui novit vitia reprehendere; unde subdit usque dum fodiam circa illam. Pollicetur dura cordis eorum apostolicis ligonibus esse fodienda, ne radicem sapientiae, terrarum acervus obruat et abscondat. Subdit autem et mittam stercora, idest humilitatis affectum, per quem in evangelium Christi etiam iudaeus fore existimatur fructuosus; unde subdit et si quidem fecerit fructum, bene scilicet erit; sin autem, in futurum succides illam.

Beda. Quod quidem per romanos factum est, a quibus gens iudaea succisa, et a terra promissionis expulsa est.

Augustinus de verb. Dom.. vel aliter totum. Arbor ficulnea genus humanum est. Primus enim homo qui peccavit, foliis ficulneae pudenda velavit, hoc est membra unde nati sumus.

Theophylactus. Sed et quisque nostrum ficus est in vinea dei, hoc est in ecclesia, vel in hoc mundo plantata.

Gregorius in evang.. Tertio autem dominus ad ficulneam venit: quia naturam generis humani ante legem, sub lege, sub gratia, expectando, admonendo, visitando requisivit: sed tamen tribus annis fructum se non invenisse conqueritur: quia quorundam pravorum mentes nec inspirata lex naturalis corrigit, nec praecepta erudiunt, nec incarnationis eius miracula convertunt.

Theophylactus. Tertio autem natura nostra fructum petita non tribuit: semel quidem cum in paradiso praevaricati sumus praeceptum, secundo cum in lege vitulum conflaverunt, tertio cum salvatorem renuerunt. Sed id triennium intelligendum est pro tribus aetatibus, puerili, virili, et senili.

Gregorius. sed cum magno timore audiendum est quod dicitur succide ergo illam: ut quid etiam terram occupat? unusquisque enim iuxta modum suum, in quantum locum vitae praesentis tenet, si fructum bonae operationis non exhibet, velut infructuosa arbor terram occupat: quia in eo loco in quo ipse est, aliis operandi occasionem negat.

Basilius. Proprium enim est divinae propitiationis non silenter poenas infligere, sed praemittere minas, revocando ad poenitentiam; sicut ninivitis fecit, et nunc cultori dicens succide eam: provocans quidem ipsum ad curam eius, suscitans vero sterilem animam ad producendos debitos fructus.

Gregorius nazianzenus. igitur nec nos feriamus subito, sed praevaleamus misericordia; ne secemus ficum potentem adhuc fructum facere, quam forsitan curabit periti custodis studium; unde et hic subditur at ille respondens dixit illi: dimitte illam hoc anno, usque dum fodiam circa illam.

Gregorius. Per cultorem vineae praepositorum ordo exprimitur, qui dum praesunt ecclesiae, dominicae vineae curam gerunt.

Theophylactus. Vel paterfamilias deus pater est, cultor vero Christus, qui ficum amputari ut sterilem non permittit; quasi ad patrem diceret: si per legem et prophetas fructum poenitentiae non dederunt, meis eos irrigabo passionibus et doctrinis; et forsitan dabunt obedientiae fructum.

Augustinus de verb. dom.. Vel colonus, qui intercedit, est omnis sanctus qui intra ecclesiam orat pro eis qui sunt extra ecclesiam, dicens domine, dimitte illam hoc anno, id est tempore isto sub gratia, usque dum fodiam circa illam. Circumfodere est humilitatem et patientiam docere. Fossa enim est humilis terra, stercus autem in bono intellige: sordes sunt, sed fructum dant: sordes cultoris dolor est peccatoris. qui autem agunt poenitentiam, in sordibus agant et veraciter agant.

Gregorius. vel peccata carnis, stercora vocantur. Ex stercore igitur ad fructum reviviscit arbor, quia de consideratione peccati, ad bona se opera resuscitat animus. sed sunt plerique qui increpationes audiunt, et tamen ad poenitentiam redire contemnunt; propter quod subditur et si quidem fecerit fructum.

Augustinus de verb. Dom.. Bene scilicet erit; sin autem, in futurum succides eam, quando scilicet in iudicio venies iudicare vivos et mortuos. Interim modo parcutur.

Gregorius. Qui autem nunc non vult ad fecunditatem pinguescere per increpationem, illic cadit unde iam resurgere per poenitentiam non valet.

LUCA 13,10-17

10310 (Lc 13,10-17)

Ambrosius. Cito quod de synagoga dixerat indicavit; ad ipsam utique arborem venisse se monstrat qui in eadem praedicabat; unde dicitur erat autem docens in synagoga eorum sabbatis.

Chrysostomus. docet quidem non seorsum, sed in synagogis secure, in nullo dubitans, nec aliquid contra legem moysi statuens; sabbato autem, quia tunc iudaei legi vacabant.

Cyrillus. Ad expugnationem autem corruptionis, et mortis, et invidiae diaboli contra nos, prodiit incarnatio verbi; et hoc apparet ex ipsis eventibus; sequitur enim et ecce mulier quae habebat spiritum infirmitatis annis decem et octo. dicit autem spiritum infirmitatis, quia mulier haec patiebatur atrocitate diaboli, derelicta a Deo propter propria crimina, vel propter transgressionem adae, ob quam humana corpora infirmitatem et mortem incurrerunt. Dat autem super hoc deus diabolo potestatem, ut homines mole adversitatis depressi, velint ad meliora transire. genus autem infirmitatis ostendit, dicens et erat inclinata, nec omnino poterat sursum respicere.

Basiliius. Brutorum siquidem caput humi deflexum est, terram cernit; caput hominis erectum est in caelum, oculi superna conspiciunt: convenit enim ei quaerere superna, transcendere terrena intuitu.

Cyrillus. Ostendens autem dominus adventum suum in hunc mundum dissolutivum esse humanarum passionum, mulierem sanavit; unde sequitur quam cum vidisset iesus, vocavit eam ad se, et ait illi: mulier, dimissa es ab infirmitate tua. vox aptissima deo, plena maiestate superna: fugat enim morbum imperatorio motu: qui etiam manus illi imponit; sequitur enim imposuit illi manus; et confestim erecta est, et glorificabat deum: in quo oportet perpendere sacram carnem induisse virtutem divinam: erat enim ipsius dei caro, non autem alicuius alterius, quasi separatim existente filio hominis a filio dei, sicut falso aliquibus visum est. Sed ingratae synagogae praesul, postquam vidit feminam humi repentem solo tactu erectam, et divina referentem magnalia, ardens domini gloria, irretitur invidia, arguitque miraculum, quasi videretur sollicitari pro sabbato; unde sequitur respondens autem archisynagogus indignans quia sabbato curasset hominem iesus, dicebat turbae: sex dies sunt in quibus oportet operari; in his venite et curamini, et non in die sabbati. Hortatur ceteris diebus dispersos, et propriis vacantes operibus, non sabbato, videre et mirari prodigia domini, ne forte credant. Sed dic, lex prohibuit ab opere manuali die sabbati abstinere; numquid ab eo quod verbo et ore fit? cesses ergo comedere et potare ac loqui et psallere in sabbato. Et si nec legem legis, cur tibi sabbatum? ceterum, si manuale opus lex prohibuit, quomodo manuale opus est feminam verbo erigere?

Ambrosius. Denique et deus ab operibus mundi quievit, non operibus quibus sempiterna et iugis operatio est, sicut filius ait: pater meus usque modo operatur, et ego operor, ut ad similitudinem dei saecularia nostra opera, non religiosa cessarent. Unde dominus specialiter ei respondit; sequitur enim respondit autem ad illum dominus, et dixit: hypocritae, unusquisque vestrum in sabbato non solvit bovem suum aut asinum a praesepio, et ducit adquare? Basiliius. hypocrita est qui in theatro assumit alienam personam; sic et in vita praesenti quidam alia gerunt in corde, et alia superficialiter ostendunt hominibus.

Chrysostomus. bene igitur dicit hypocritam principem synagogae: quia faciem habebat legis cultoris, mens vero eius erat versuti et invidi: non enim turbatur propter sabbatum, quia violatur, sed propter Christum, quia glorificatur. Tu tamen attende, quod ubi quidem opus fieri iussit, sicut cum paralytico iussit grabatum tollere, transtulit sermonem ad maius, convincens eos per dignitatem patris, cum dicit: pater meus usque modo operatur, et ego operor; hic autem ubi totum faciens verbo, nihil aliud adicit, ex his quae ipsi faciebant, calumniam solvit.

Cyrillus. arguitur autem archisynagogus ut hypocrita, dum bruta quidem adaquat in sabbato, mulierem vero non magis genere quam fide filiam abrahamae, non dignam putat solvi ab aegritudinis vinculo; unde subdit hanc autem filiam abrahamae, quam alligavit satanas ecce decem et octo annis, non oportuit solvi a vinculo isto die sabbati? malebat siquidem mulierem tamquam quadrupedia cernere terram, quam hominum staturam recipere, dummodo Christus non magnificaretur. Non autem erat eis quid responderent; sed ipsi sibi ipsis erant irrefragabilis reprehensio; unde sequitur et cum haec diceret, erubescabant omnes adversarii eius; sed populus, quasi commoda ex miraculis consequens, laetabatur de signis; unde sequitur et omnis populus gaudebat in universis quae gloriose fiebant ab eo. Nam claritas operum omnem quaestionem solvebat apud eos qui non quaerebant mentibus perversis.

Gregorius in evang.. Mystice autem hoc significat ficulnea infructuosa quod mulier inclinata: humana enim natura ad peccatum ex voluntate corruens, quia fructum obedientiae ferre noluit, statum rectitudinis amisit; et hoc significat ficulnea reservata quod mulier erecta.

Ambrosius. Vel ficus synagogam figurat. denique in muliere infirma quasi ecclesiae figura succedit; quae cum mensuram legis et resurrectionis impleverit, in illa quiete perpetua in sublime erecta fastigium, inclinationem nostrae infirmitatis sentire non potuit. Nec aliter curari potuisset haec mulier, nisi quia legem implevit et gratiam: nam in decem verbis legis perfectio est, in octavo numero resurrectionis plenitudo.

Gregorius. vel aliter. Sexto die homo factus est, atque eodem sexto die opera cuncta domini perfecta sunt.

Senarius autem numerus in trigonum ductus, decem et octo facit. Quia ergo homo qui sexto die factus est, perfecta opera habere noluit, sed ante legem, sub lege, atque in exordio inchoantis gratiae infirmus extitit, decem et octo annis mulier curva fuit.

Augustinus de verb. Dom.. Quod ergo significat triennium in arbore, hoc decem et octo anni in illa muliere, quia ter seni decem et octo faciunt. Curva autem erat, sursum aspicere non poterat, quia sursum corda sine causa audiebat.

Gregorius. omnis enim peccator terrena cogitans, caelestia non requirens, sursum respicere non valet; quia dum desideria inferiora sequitur, a mentis suae rectitudine curvatur; et hoc semper videt, et sine intermissione cogitat. Vocavit eam dominus et erexit: quia illuminavit et audivit. Vocat enim quandoque, sed non erigit: quia plerumque videmus quae agenda sunt, sed opera non implemus: usitata enim culpa obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. conatur, et labitur: quia ubi diu sponte perstitit, ibi cum noluerit cadit.

Ambrosius. opus autem sabbati signum futuri est, quod unusquisque perfunctus lege et gratia, per misericordiam dei corporeae fragilitatis molestiis exuatur. Cur autem aliud animal indicavit, nisi ut ostenderet futurum ut iudaicus et gentilis populus, sitim corporis, aestusque mundi huius, dominici fontis ubertate deponat; et sic per vocationem duorum populorum ecclesiam salvam futuram? **Beda.** Filia autem abrahamae est anima quaecumque fidelis, vel ecclesia de utroque populo ad fidei unitatem collecta. Idem ergo mystice est bovem vel asinum solutum a praesepio potum duci, quod est filiam abrahamae a vinculo nostrae inclinationis erigi.

LUCA 13,18-21

10318 (Lc 13,18-21)

Glossa. Erubescitibus adversariis, et populo gaudente de his quae gloriose fiebant a Christo, profectum evangelii consequenter sub quibusdam similitudinibus manifestat; unde dicitur dicebat ergo: cui simile est regnum dei, et cui simile aestimabo illud? simile est grano sinapis.

Ambrosius. Alio loco granum sinapis legitur, ubi confertur. Ergo si regnum caelorum sicut granum sinapis est, et fides sicut granum sinapis, fides est utique regnum caelorum quod intra nos est. Granum quidem sinapis res est vilis et simplex: si teri coeperit, vim suam fundit: et fides simplex primo videtur: sed si atteratur adversis, gratiam suae virtutis effundit. Grana sinapis martyres sunt. Habebant odorem fidei, sed latebat: venit persecutio, contriti sunt gladio, per totius mundi terminos grana sui sparsere martyrii. ipse etiam dominus granum est sinapis: teri voluit, ut diceremus: Christi bonus odor sumus; seminari voluit velut granum sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum: in horto enim Christus captus et sepultus est, ubi etiam resurrexit et factus est arbor; unde sequitur et factum est in arborem magnam. Dominus enim noster granum est cum sepelitur in terra, arbor cum elevatur in caelum. Est etiam arbor mundum obumbrans; unde sequitur et requieverunt volucres caeli in ramis eius, idest potestates caelorum, et quicumque spiritualibus factis evolare meruerunt. Ramus est petrus, ramus est paulus, in quorum sinus per quosdam disputationum recessus, qui eramus longe, assumptis virtutum remigiis advolamus. Ergo semina in horto tuo Christum. Hortus utique locus est plenus florum, in quo gratia tui operis effloreat, et multiplex odor variae virtutis exhalet. Ibi ergo Christus ubi fructus est seminis.

Cyrillus. vel aliter. Regnum dei est evangelium, per quod acquirimus posse regnare cum Christo. Sicut igitur sinapis semen superatur quidem quantitate a seminibus olerum, crescit autem adeo ut plurimum fiat umbraculum avium; sic et salvatoris doctrina penes paucos erat in principio, sed postea recepit augmentum.

Beda. Homo autem Christus est, hortus est ecclesia, eius disciplinis colenda; qui bene dicitur granum accepisse, quia dona quae nobis cum patre tribuit ex divinitate, nobiscum accipit ex humanitate. Crevit autem evangelii praedicatio cunctum disseminata per orbem; crescit et in mente cuiusque credentis, quia nemo repente fit perfectus. crescendo autem non herbarum, quae velociter arescunt, sed arborum instar exurgit. Rami huius arboris dogmatum sunt diversitates, in quibus animae castae virtutum pennis ad superna tendentes nidificant et requiescunt.

Theophylactus. vel homo quilibet granum sinapis, idest evangelicum sermonem, accipiens, et in horto animae suae serens, arborem magnam facit, ut et ramos producat, et caeli volatilia, idest qui terrenis supereminent, in ramis praedicationis, idest in expansis considerationibus, requiescunt. Paulus enim quasi granum modicum accepit ananiae rudimentum; sed plantans illud in viridario suo, produxit multas et bonas

doctrinas, in quibus habitant qui sunt intellectu excelsi, puta dionysius, hierotheus, et alii quamplures. deinde simile dicit fermento regnum dei; sequitur enim et dixit: cui simile aestimabo illud? simile est fermento.

Ambrosius. plerique fermentum Christum putant, quia fermentum ex farina virtute, non specie generi suo praestat: sic et Christus patribus aequalis corpore, sed dignitate incomparabilis praeeminebat. Igitur sancta ecclesia typum mulieris figurat, de qua subditur quod acceptum mulier abscondit in farinae sata tria, donec fermentaretur totum.

Beda. Satum est genus mensurae, iuxta morem provinciae palaestinae, unum et dimidium modium capiens.

Ambrosius. Farina huius mulieris nos sumus, quae dominum iesum in interioribus nostrae mentis abscondit, donec nostra secreta penetrata calor sapientiae caelestis abducat. Et quia in tribus mensuris absconditum dicit esse fermentum, congrue visum est ut dei filium crederemus absconditum in lege, ac opertum in prophetis, evangelicis praedicationibus adimpletum. Me tamen sequi iuvat quod ipse dominus docuit, fermentum esse spiritualem doctrinam ecclesiae. Ecclesia autem renatum hominem in corpore et anima et spiritu, fermento spirituali sanctificat, cum tria haec pari quadam cupiditatum lance consentiunt, et aequalis aspirat concordia voluptatum. Itaque si in hac vita tres mensurae in eodem manserint donec fermententur et fiant unum, erit in futurum diligentibus Christum incorrupta communio.

Theophylactus. Vel pro femina intelligas animam; tria vero sata trinam partem eius, rationabilem, irascibilem et concupiscibilem. Si igitur aliquis in hac trina parte condiderit verbum dei, faciet hoc totum spirituale, ut nec rationale peccet in documentis, nec ira aut concupiscentia enormiter ferantur, sed conformentur verbo dei.

Augustinus de verb. Dom.. Vel tria sata farinae, genus humanum est; quod de tribus noe filiis est reparatum. Mulier quae abscondit fermentum, dei sapientia est.

Eusebius. Vel aliter. Fermentum dominus nominat spiritum sanctum, quasi virtutem procedentem ex semine, idest verbo dei. Tria autem sata farinae significant notitiam patris et filii et spiritus sancti, quam mulier, idest divina sapientia, et spiritus sanctus largitur.

Beda. Vel fermentum dilectionem dicit, quae fervere facit, et excitat mentem. Abscondit ergo mulier, idest ecclesia, fermentum dilectionis in sata tria: quia praecepit ut diligamus deum ex toto corde, ex tota anima et ex tota virtute. Et hoc donec fermentetur totum, idest donec caritas totam mentem in sui perfectionem commutet; quod hic inchoatur, sed in futurum perficietur.

LUCA 13,22-30

10322 (Lc 13,22-30)

Glossa. Praemissis similitudinibus de multiplicatione evangelicae doctrinae, eius diffusioni ubique praedicando intendit; unde dicitur et ibat per civitates et castella, docens, et iter faciens in ierusalem.

Theophylactus. Non enim sola parva loca visitabat, sicut faciunt qui simplices fallere volunt, neque solas civitates, ut ostentatores faciunt et gloriam quaerentes; sed sicut communis dominus et pater omnibus providens, omnia circuibat. Non autem visitabat municipia, vitans ierusalem, ac si timeret legisperitorum reprehensiones, aut mortem, quae poterat inde contingere; unde subdit et iter faciens in ierusalem. Nam ubi plures erant aegroti, ibi se medicus magis ingerebat. sequitur ait autem quidam illi: domine, si pauci sunt qui salvantur? **Glossa.** quae quidem quaestio ad hoc pertinere videtur de quo supra agebatur: nam in praemissa similitudine dixerat, quod requieverunt volucres caeli in ramis eius; per quod intelligi potest multos esse qui salutis requiem consequentur. Et quia ille unus pro omnibus quaesierat, dominus non singulariter ei respondet; unde sequitur ipse autem dixit ad illos: contendite intrare per angustam portam.

Basilius. sicut enim in via terrena exitus a recto multam latitudinem habet; sic qui egreditur a tramite ducente ad regnum caelorum, in multa latitudine erroris reperitur. rectum autem iter est angustum, qualibet declinatione periculosa existente, sive dextrorsum, sive sinistrorsum; sicut in ponte, a quo utrinque divertens flumini immergitur.

Cyrillus. Angusta etiam porta aerumnam et patientiam sanctorum significat. Sicut enim pugnarum victoria

attestatur militis strenuitati, sic praeclarum efficiet valida perpessio laborum et tentationum.

Chrysostomus in Matthaem. quid est ergo quod dominus alibi dicit: iugum meum suave est, et onus meum leve? non quidem contradicit; sed hoc dictum est propter tentationum naturam, illud vero propter affectum transeuntium. Est enim molestum aliquid naturae, facile reputari quando id affectanter amplectimur. Si etiam via salutis angusta erit in introitu, tamen per eam pervenitur ad latitudinem; e contrario vero lata deducit ad interitum.

Gregorius moralium. dicturus autem angustae portae introitum, praemisit contendite: quia nisi mentis contentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam anima semper ad ima revocatur.

Cyrillus. Non videtur autem dominus satisfacere quaerenti utrum pauci sint qui salventur, dum declarat viam per quam quisque potest fieri iustus. Sed dicendum, quod mos erat salvatoris non respondere interrogantibus secundum quod eis videbatur, quoties inutilia quaerebant, sed respiciendo quod utile audientibus foret. Quid autem commodi proveniret audientibus scire an multi sint qui salventur, an pauci? necessarium autem magis erat scire modum quo aliquis pervenit ad salutem. Dispensative ergo ad quaestionis vaniloquium nihil dicit, sed transfert suum sermonem ad rem magis necessariam.

Augustinus de verb. Dom.. vel aliter. Confirmavit dominus quod audivit, scilicet quod pauci sunt qui salvantur, quia per angustam portam pauci intrant. Alio autem loco hoc idem ipse ait: arcta est via quae ducit ad vitam, et pauci sunt qui ingrediuntur per illam; unde subditur quia multi, dico vobis, quaerent intrare.

Beda. Salutis amore provocati; et non poterunt, itineris asperitate deterriti.

Basilius. vacillat enim anima, quando quidem considerat aeterna, eligendo virtutem: quando praesentia respicit, praeferendo illecebras: hic intuetur otia carnis, illic subiectionem ipsius; hic ebrietatem, illic sobrietatem; hic dissolutos risus, illic copiam lacrymarum; hic choreas, illic orationes; hic fistulas, illic fletus; hic luxuriam, illic castimoniam.

Augustinus de verb. Dom.. Non autem contrarius sibi est dominus, qui dixit, quod pauci sunt qui intrant per angustam portam; et alibi dicit: multi ab oriente et occidente venient. Pauci sunt in comparatione perditorum, multi in societate angelorum. Vix videntur grana quando area trituratur; sed tanta massa processura est de area hac ut impleat horreum caeli.

Cyrillus. Quod autem detestabiles sint qui intrare non possunt, per evidens exemplum declaravit, subdens cum autem intraverit paterfamilias, et cluserit ostium, incipietis foris stare, et pulsare ostium, dicentes: domine, aperi nobis. Sicut si paterfamilias, qui multos ad convivium vocavit, ingresso cum convivis, et ostio recluso, postmodum pulsantes adveniant.

Beda. Est autem paterfamilias Christus, qui cum ubique ex divinitate sit, illis iam intus esse dicitur quos in caelo praesens sua visione laetificat; sed quasi foris est his quos in hac peregrinatione certantes occultus adiuvat. Intrabit vero cum totam ecclesiam ad sui contemplationem perducet; claudet ostium, cum reprobis locum poenitentiae tollet; qui foris stantes pulsabunt, idest a iustis segregati misericordiam quam contempserunt, frustra implorabunt; unde sequitur et respondens dicet vobis: nescio vos unde sitis.

Gregorius moralium. nescire dei improbare est; sicut et nescire mentiri vir verax dicitur qui labi per mendacium dedignatur: non quod, si mentiri velit, nesciat, sed quod falsa loqui veritatis amore contemnat. Veritatis igitur lumen tenebras, quas reprobis, ignorat. sequitur tunc incipietis dicere: manducavimus coram te, et bibimus, et in plateis nostris docuisti.

Cyrillus. Hoc israelitis convenit, qui secundum ritum legis offerentes Deo victimas edebant et gaudebant. Audiebant quoque in synagogis libros moysi, qui in suis scriptis non quae sua sunt, sed quae dei tradebat.

Theophylactus. Vel simpliciter ad israelitas dicitur: eo quod ex eis Christus secundum carnem natus est, et cum eo comedebant et bibebant, et eum praedicantem audiebant. Sed et Christianis haec congruunt; nos enim comedimus corpus Christi et bibimus sanguinem eius quotidie, ad mensam mysticam accedentes, docetque in plateis animarum nostrarum.

Beda. Vel mystice manducat coram domino et bibit qui verbi pabulum a vide suscipit; unde quasi exponendo subditur in plateis nostris docuisti. Scriptura enim in obscurioribus cibus est, quia quasi exponendo frangitur, et manducando glutitur; potus est in apertioribus, ubi ita sorbetur sicut invenitur. Non autem festivitatum epulatio iuvat quem fidei pietas non commendat; non scientia scripturarum notum Deo

facit quem operum iniquitas indignum ostendit; unde subditur et dicet vobis: nescio vos unde sitis. discedite a me, operarii iniquitatis.

Basilius. illis forsitan loquitur quos describit apostolus in propria persona, dicens: si linguis hominum loquar et angelorum, et habeam omnem scientiam, et distribuero omnes facultates meas in cibos pauperum, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Quod enim non fit divini amoris intuitu, sed ad acquirendam ab hominibus laudem, non invenit laudem apud deum.

Theophylactus. attende etiam quod detestabiles sunt illi in quorum plateis dominus docet: unde si docentem eum audierimus, non in plateis sed in angustiis, et humilibus cordibus, non erimus detestabiles.

Beda. Duplex autem ostenditur gehennae poena; scilicet frigoris et fervoris; unde sequitur ibi erit fletus et stridor dentium: fletus enim de ardore, stridor dentium de frigore solet excitari. Vel stridor dentium prodit indignantis affectum, quod qui sero poenitet, sero sibi irascatur.

Glossa. Vel stridebunt dentes qui hic de edacitate gaudebant, flebunt oculi qui hic per concupiscentias vagabantur. per utrumque autem veram impiorum resurrectionem designat.

Theophylactus. pertinet etiam hoc ad israelitas, cum quibus loquebatur; qui ex hoc maxime percelluntur quod gentiles cum patribus requiescunt, ipsi vero excluduntur; unde addidit cum videritis abraham, isaac et iacob, et omnes prophetas in regno dei, vos autem expelli foras. Et venient ab oriente et occidente, et ab aquilone et austro, et accumbent in regno dei.

Eusebius. Praedicti enim patres ante tempora legis, secundum evangelicam formam errorem multorum deorum derelinquentes, assumpserunt sublimis dei notitiam, quibus pares facti sunt multi gentilium ob similem vitam; filii autem eorum alienationem sunt passi ab evangelica disciplina; unde sequitur et ecce sunt novissimi qui erant primi, et sunt primi qui erant novissimi.

Cyrillus. Iudaeis enim, qui primum locum tenebant, praelatae sunt gentes.

Theophylactus. Nos autem, ut videtur, primi sumus, qui ab ipsis cunabulis rudimenta accepimus; et forsitan erimus novissimi respectu gentilium, qui circa finem vitae crediderunt.

Beda. Multi etiam prius ferventes, postea torpent: multi prius frigidi, subito inardescunt; multi in saeculo despecti, in futuro sunt glorificandi; alii apud homines gloriosi, in fine sunt damnandi.

LUCA 13,31-35

10331 (Lc 13,31-35)

Cyrillus. Praedicta domini verba, pharisaeorum animos provocaverunt ad iram; videbant enim populos iam contritos fidem eius arripere. Itaque quasi perdentes officium populis praesidendi et deficientes in lucro, simulantes se eum diligere, suadent illi ut inde discederet; unde dicitur in ipsa die accesserunt quidam pharisaeorum dicentes illi: exi et vade hinc, quia herodes vult occidere te. Christus autem qui renes et corda scrutatur, eis leniter et figuraliter respondet; unde sequitur et ait illis: ite et dicite vulpi illi.

Beda. propter dolos et insidias herodem vulpem appellat, quod plenum fraudis est animal, in fovea propter insidias latens, odore foetens, nunquam rectis itineribus incedens; quae omnia haereticis conveniunt, quorum typum herodes tenet, qui Christum, idest humilitatem Christianae fidei in credentibus, conantur extinguere.

Cyrillus. vel aliter. Videtur hic sermo mutatus esse, et non spectare ad personam herodis, ut aliqui putaverunt, sed magis ad pharisaicas fictiones: pene enim ipsum pharisaicum ostendit prope manentem, dum dixit ite et dicite vulpi huic, sicut in graeco habetur; unde hoc praecepit dicendum, quod poterat urgere pharisaeorum turbam: ecce, inquit, eicio daemonia, et sanitates perficio hodie et cras, et tertia die consummor. Hoc se promittit operaturum quod iudaeis displicebat: scilicet quod immundis imperaret spiritibus, et eriperet a morbis infirmantes, usque dum propria sponte sustineret crucis patibulum. quia vero pharisei credebant quod manum trepidaret herodis qui dominus erat virtutum, hoc excludit dicens verumtamen oportet me hodie et cras et sequenti die ambulare. Quod dicit oportet, nequaquam sibi necessitatem ingruentem ostendit, sed magis arbitrio propriae voluntatis pergere quo volebat, quousque finem venerandae crucis subiret, cuius iam Christus imminere tempus ostendit cum dixit hodie et cras.

Theophylactus. Ac si dicat: quid de morte mea cogitatis? ecce fiet post modicum. Quod autem dicitur hodie et cras, hoc multos dies significat, sicut et nos in communi sermone soliti sumus dicere: hodie et cras fit hoc, quod fiat in tanta distantia temporis. Et ut evangelicum sermonem evidentius exponamus, non intelligas quod oportet me hodie et cras ambulare, sed sistas in hodie et cras, deinde subiungas et sequenti die ambulare; sicut et pluries numerando consuevimus dicere: die dominica, et secunda feria, et tertia egrediar, quasi computando duas, ut tertia denotetur, sic et dominus quasi computando dicit oportet me hodie et cras, et postea tertia die ire ierusalem.

Augustinus de cons. Evang.. vel mystice ab illo haec dicta intelliguntur, ut referantur ad corpus eius, quod est ecclesia. Expelluntur enim daemonia, cum relictis illis superstitionibus, credunt in eum gentes; et perficiuntur sanitates, cum secundum praecepta eius, posteaquam fuerit diabolo et huic saeculo renuntiatum, usque in finem resurrectionis, qua tamquam tertia consummabitur, ad plenitudinem angelicam per corporis etiam immortalitatem perficietur ecclesia.

Theophylactus. Sed quia illi dicebant ei exeas hinc, quia herodes quaerit te occidere: in galilaea loquentes, ubi regnabat herodes, ostendit quod non in galilaea, sed in ierusalem praeordinatum fuerat ei pati; unde sequitur quia non capit prophetam perire extra ierusalem. cum audis non capit, idest non decet extra ierusalem prophetam interiri, non putes vim coactivam iudaeis inductam, sed quantum ad eorum affectum sanguinis avidum convenienter hoc dicit; velut si quis praedonem atrocissimum videns dicat: non oportet hanc viam, in qua praedo insidiatur viatoribus, immunem esse a sanguine: sic et non oportebat alibi quam ubi morabantur praedones perire dominum prophetarum: nam assueti prophetarum sanguinibus occident et dominum; unde sequitur ierusalem, ierusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te.

Beda. Ierusalem non saxa et aedificia civitatis, sed habitatores vocat, quam patris plangit affectu.

Chrysostomus. geminatio enim verbi, miserantis est, aut nimium diligentis: nam tamquam ad amicam negligentem amatorem, et ideo puniendam, dominus loquitur Graecus. sed et nominis geminatio vehementem reprehensionem ostendit: nam quae novit deum, quomodo dei ministros persequitur?

Chrysostomus. Quod autem essent immemores divinorum bonorum ostendit subdens quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti? manu duxit eos per sapientissimum moysen, monuit per prophetas, voluit sub alis, idest sub tegmine suae virtutis, illos habere; at illi caruerunt tam desiderabilibus bonis ingrati existentes.

Augustinus in enchir.. Dicit autem: ego volui, et tu noluisti; quasi dicat: quotquot aggregavi mea voluntate semper efficaci, te nolente feci, quia ingrata semper fuisti.

Beda. Pulchre autem qui herodem de sua nece tractantem vulpem vocaverat, seipsum avi comparat: quia vulpes fraudulenter semper avibus insidias intendunt.

Basilius. Filios etiam ierusalem pullis in nido comparavit; ac si dicat: aves quae in altum consueverunt volare, exceptae sunt a nocumentis insidiantium; tu tamen eris ut pullus egens alieno suffragio. Matre igitur avolante aufereris a nido, quasi impotens ad tutelam et debilis ad fugam; unde sequitur ecce relinquetur domus vestra deserta.

Beda. ipsam civitatem, quam nidum vocaverat, etiam nunc domum iudaeorum appellat. occiso enim domino venerunt romani, et quasi nidum vacuum diripientes, tulerunt eorum locum, gentem et regnum.

Theophylactus. Vel domus vestra, idest templum; ac si dicat: quamdiu virtus erat in vobis, templum erat meum; sed postquam fecistis ipsum speluncam latronum, non est de cetero domus mea, sed vestra. Vel domum dicit totam gentem iudaeorum, iuxta illud: domus iacob, benedicite domino, per quod ostendit quod ipse erat qui gubernabat eos, et eripiebat ab hostium manibus. sequitur dico autem vobis, quia non videbitis me donec veniat, cum dicetis: benedictus qui venit in nomine domini.

Augustinus de cons. Evang.. Huic narrationi lucae non videtur adversari quod turbae dixerunt, veniente domino in ierusalem: benedictus qui venit in nomine domini: quia nondum illuc venerat, et nondum dictum erat.

Cyrillus. Discesserat enim dominus a hierosolymis, tamquam indignos existentes sui praesentia deserens; deinde multis miraculis factis, rursum hierosolymam redit, ubi ei turba occurrit dicens: hosanna filio david: benedictus qui venit in nomine domini.

Augustinus. Sed quia non dicit lucas quo inde tunc accessit dominus, ut non veniret nisi eo tempore quo iam illud diceretur (perseverat quippe in itinere suo donec veniat ierusalem); de illo suo adventu quo in claritate venturus est, hoc significat.

Theophylactus. Tunc enim et inviti confitebuntur eum salvatorem et dominum, quando nullus erit eis inde profectus. Dicens autem non videbitis me donec veniat etc., non significat illam horam, sed tempus crucis; quasi dicat: postquam crucifixeritis me, non amplius videbitis me, donec iterum veniam.

Augustinus. Intelligendus est ergo lucas velle praeoccupasse, antequam eius narratio dominum perduceret ierusalem, aut eidem civitati iam appropinquantem talia respondisse monentibus ut caveret herodem, qualia Matthaeus dicit esse locutum cum iam pervenisset ierusalem.

Beda. Vel dicit non me videbitis, quasi dicat: nisi poenitentiam egeritis, et confessi fueritis me filium omnipotentis patris, in secundo adventu faciem meam non videbitis.

LUCA 14,1-6

10401 (Lc 14,1-6)

Cyrillus. Quamvis dominus malitiam pharisaeorum cognosceret, tamen eorum fiebat conviva, ut prodesset praesentibus per verba et miracula; unde subditur et factum est cum introisset iesus in domum cuiusdam principis pharisaeorum sabbato manducare panem, et ipsi observabant eum: si scilicet reverentiam legis contemneret, et an quicquam prohibitorum faceret in die sabbati. Itaque hydropico veniente in medium, interrogatione reprehendit insolentiam pharisaeorum, eum arguere volentium; unde dicitur et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. et respondens iesus dixit ad legisperitos et pharisaeos, si licet sabbato curare.

Beda. Quod dicitur respondisse iesus, ad hoc respicit quod praemissum est: et ipsi observabant eum: dominus enim novit cogitationes hominum.

Theophylactus. In sua autem interrogatione deridet eos, sicut amentes: Deo enim benedicente sabbatum, ipsi prohibent operari bona in eo; dies autem quae bonorum operam non admittit, maledicta est.

Beda. Sed merito interrogati tacent, quia contra se dictum, quicquid dixerit, vident. Nam si licet sabbato curare, quare salvatorem an curet observant? si non licet, quare ipsi sabbato pecora curant? unde sequitur at illi tacuerunt.

Cyrillus. Neglectis igitur iudaeorum insidiis, liberat a morbo hydropicum: qui metu pharisaeorum remedia non postulabat propter sabbatum, sed solum astabat, ut ex aspectu misertus eius salvaret eum: quod dominus cognoscens, non postulat ab eo si vellet salvus fieri; sed protinus eum sanavit; unde sequitur ipse vero apprehensum sanavit eum ac dimisit.

Theophylactus. In quo non hoc prospexit dominus, ne scandalizaret pharisaeos; sed ut beneficiat egenti remediis: decet enim nos, cum magna resultat utilitas, non curare si stulti scandalizentur.

Cyrillus. Sed quia pharisaei inepte tacuerunt, solvit Christus inflexibilem eorum impudentiam, considerationibus seriis ad hoc utens; unde sequitur et respondens ad illos dixit: cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die sabbati? Theophylactus. quasi dicat: si prohibuit lex misereri in sabbato, ne curam habeas filii tui periclitantis in sabbato; sed quid dico, filii, quando nec bovem praeteris, si periclitantem videris? **Beda.** In quo sic observatores suos pharisaeos convincit, ut eosdem etiam avaritiae condemnet, qui in liberatione animalis suae avaritiae consulebant. quanto ergo magis Christus hominem, qui multo melior est pecore, debuit liberare? **Augustinus** de quaest. Evang.. congruenter autem hydropicum animali quod cecidit in puteum comparavit, humore enim laborabat; sicut illam mulierem quam alligatam dixerat, et ipse solvebat, comparavit iumento, quod solvitur ut ad aquam ducatur.

Beda. Competenti ergo exemplo solvit quaestionem, ut ostendat eos violare sabbatum in opere cupiditatis qui eum violare arguerunt in opere caritatis; unde sequitur et non poterant ad haec respondere illi. Mystice autem hydropicus comparatur ei quem fluxus carnalium voluptatum exuberans aggravat: hydropicus enim morbus ab aquoso humore vocabulum trahit.

Augustinus de quaest. evang.. Vel hydropicum recte comparamus diviti avaro: sicut enim ille quanto magis abundat humore inordinato, tanto amplius sitit; sic et iste quanto est copiosior divitiis, quibus non bene utitur, tanto ardentius talia concupiscit.

Gregorius moralium. recte ergo hydropicus ante pharisaeum curatur: quia per alterius aegritudinem corporis, in altero exprimitur languor, seu aegritudo cordis et mentis.

Beda. Bene autem in exemplo bovem et asinum nominat, ut vel sapientes et hebetes, vel utrumque populum significet, scilicet iudaeum iugo legis pressum, et gentilem nulla ratione domitum: omnes enim a puteo concupiscentiae demersos dominus extrahit.

LUCA 14,7-11

10407 (Lc 14,7-11)

Ambrosius. Prius curatus est hydropicus, in quo fluxus carnis exuberans, animae gravabat officia, spiritus extinguebat ardorem: deinde docetur humilitas, dum in convivio nuptiali appetentia loci superioris arcetur; unde dicitur dicebat autem ad invitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: cum invitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco.

Cyrillus. prosilire enim prompte ad honores qui nobis non conveniunt, indicat nos temerarios esse, et nostra facta vituperio replet; unde sequitur ne forte honoratio te sit invitatus ab illo, et veniens is qui te et illum vocavit, dicat tibi: da huic locum; et tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.

Chrysostomus. Et sic quod concupivit, nequaquam obtinuit ambiciosus honoris, sed passus est repulsam; et satagens qualiter abundet honoribus, non honoratur. Et quia nihil est aequipollens modestiae, auditorem ad oppositum ducit. non solum prohibet ambire primatum, sed et venari iubet ultima; unde sequitur sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco.

Cyrillus. Si enim aliquis non vult aliis praelocari, nanciscitur hoc ex divina sententia; unde sequitur ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: amice, ascende superius. Haec dicens, non graviter obiurgat, sed leniter iniungit: sufficit enim monitio apud discretos; et sic pro humilitate aliquis coronatur honore; unde sequitur tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus.

Basilius. Occupare igitur locum ultimum in conviviis, iuxta mandatum dominicum, conveniens est, sed rursus in hunc contentiose irruere reprobatur tamquam interemptorium ordinis et causativum tumultus: et de eo mota contentio aequiparabit vos litigantibus de primatu. Quapropter, sicut hic dominus dicit, expedit convivium facienti committere accubitus ordinem. Sic et in patientia nos mutuo sustinebimus honeste, et secundum ordinem omnia prosequentes, non ad apparentiam plurium; nec videbimur humilitatem pertractare per vehementem contradictionem; magis autem humilitatem per patientiam obtineremus: maius est enim ex repugnancia superbiae indicium quam ex primo accubitu, quando eum cum imperio obtinemus.

Theophylactus. nemo autem putet praemissam Christi doctrinam modicam esse, et indignam culminis dei verbi; non enim pium dices esse medicum pollicitum sanare podagram, ictum vero digiti vel dentis dolorem nolentem curare. Porro quomodo parva passio vanae gloriae, quae versabat primos perquirentes accubitus? decebat igitur humilitatis magistrum omnem ramum pravae radicis amputare. Sed et illud considera, quia praesto coena, et passione primatus coram salvatore vexante miseros, opportunitatem habebat monitio.

Cyrillus. Ostenso igitur tam modico exemplo ambiciosorum contemptu, et non ambiciosorum exaltatione adicit magnum parvo, generalem sententiam proferens, cum subditur quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur: quod dicitur secundum divinum iudicium, non secundum humanam consuetudinem, secundum quam plures concupiscentes honorem consequuntur, alii vero se humiliantes inglorii remanent.

Theophylactus. porro non finaliter nec omnibus hominibus est reverendus qui se honoribus ingerit; sed dum a quibusdam honoratur, alii detrahunt ei, et quandoque etiam ipsi honorantes.

Beda. Sed quoniam hanc admonitionem evangelista parabolam vocat, breviter intuendum quid mystice significet. quisquis nuptias Christi et ecclesiae invitatus adierit, membris ecclesiae per fidem coniunctus,

non se extollat, quasi sublimior ceteris, de meritis gloriando: dabit enim locum honoratori post invitato, cum illorum qui se in Christo secuti sunt agilitate praeitur, et cum rubore novissimum locum tenet, quando de aliis meliora cognoscens, quicquid de sua operatione celsum sentiebat humiliat. Sed recumbit aliquis in novissimo loco, secundum illud: quanto magnus es, humilia te in omnibus. Veniens autem dominus, quem humilem invenerit, amici nomine beatificans, ascendere superius praecipiet: quicumque enim humiliaverit se sicut parvulus, hic est maior in regno caelorum. pulchre autem dicitur tunc erit tibi gloria, ne nunc quaerere incipias quod tibi servatur in fine. Potest etiam et hoc in hac vita intelligi; quia quotidie dominus suas nuptias intrat, superbos despiciens, et humilibus saepe tanta sui spiritus dona praestans, ut discumbentium, idest fidelium, coetus, eos admirando glorificet. Ex conclusione vero generali, quae subditur, manifeste claret praecedentem domini sermonem typice intelligendum. Neque enim omnis qui se coram hominibus exaltat, humiliatur; aut qui se in conspectu hominum humiliat, exaltatur ab eis: sed qui se de meritis elevat, humiliabitur a domino; et qui se de beneficiis humiliat, exaltabitur ab eo.

LUCA 14,12-14

10412 (Lc 14,12-14)

Theophylactus. Ex duabus partibus coena composita, scilicet ex vocantibus et vocatis, partem vocatorum ad humilitatem iam monuerat; consequenter vocantem monendo remunerat, retrahens eum ne gratia hominum convivaret; unde dicitur dicebat autem ei qui se invitaverat: cum facis prandium aut coenam, noli vocare amicos tuos neque fratres neque cognatos neque vicinos neque divites.

Chrysostomus. multae causae sunt quibus amicitiae foedus contrahitur; et illicitas quidem praetermittimus, proponemus autem naturales et morales: naturales quidem, puta patris ad filium, fratris ad fratrem, et aliorum huiusmodi; quod significat dicens neque fratres neque cognatos; morales autem: puta conviva factus est, aut convivinus est; et quantum ad hos dicit neque vicinos.

Beda. fratres igitur et amicos et divites alterutrum convivium celebrare non quasi scelus interdicit; sed, sicut cetera necessitatis humanae commercia, ad promerenda vitae caelestis praemia, nil valere ostendit; unde subdit ne forte et ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio. Non ait: et fiet tibi peccatum. Cui simile est id quod alibi dicit: et si bene feceritis his qui vobis bene faciunt, quae vobis est gratia? sunt tamen quaedam mutua fratrum vicinorumque convivium, quae non solum in praesenti retributionem, sed et damnationem percipiunt in futuro; quae aut collatione omnium celebrantur; aut vicibus solent a contubernalibus exhiberi: in quibus ad hoc convenitur ut foeda gerantur, et ex copia incitetur libidinis diversa voluptas.

Chrysostomus. non igitur hac spe aliis beneficia conferamus ut nobis retribuunt; haec enim frigida est intentio: unde talis amicitia celerius evanescit. Si vero pauperem vocaveris, deum numquam obliviscentem habebis debitorem; unde sequitur sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos et caecos. Quanto enim minor est frater, tanto magis per eum Christus accedit et visitat. Nam qui magnum suscipit, saepe propter vanam gloriam facit: sed et utilitas pluries quaeritur, ut promoveatur per illum. Possem quidem plures proponere ob hoc celeberrimos senatorum colentes, ut illis mediantibus ampliorem gratiam obtineant principum. non igitur illos quaeramus qui nobis retribuere possunt; sequitur enim et beatus eris, quia non habent retribuere tibi. Non ergo turbemur cum non recipimus beneficium recompensationem, sed cum receperimus: quoniam si receperimus, non amplius recipiemus illic; sed si minime retribuatur homo, tunc ibi deus retribuet; unde sequitur retribuatur enim in resurrectione iustorum.

Beda. Et si omnes resurgunt, iustorum tamen resurrectio dicitur, quia in hac resurrectione beatos se esse non dubitant; ergo qui pauperes ad convivium vocant, in futuro praemia recipient; qui autem amicos, fratres et divites vocat, recipit mercedem suam. Sed si hoc propter deum facit in exemplum filiorum iob, sicut cetera fraternae dilectionis officia, ipse qui iussit remunerat.

Chrysostomus. sed dicitis: immundus est pauper et sordidus. Lava eum, et fac tecum in mensa sedere. Si vestes sordidas habet, mundum indumentum exhibeas. Christus accedit per eum, et tu frivola loqueris?

Gregorius nyssenus. Non ergo negligas iacentes, quasi nullo sint digni; cogita qui sint, et pretiositatem eorum invenies. Salvatoris induerunt imaginem, futurorum bonorum heredes, regni clavigeri, accusatores et excusatores idonei, non loquentes, sed inspecti a iudice.

Chrysostomus. decet ergo eos sursum in solario suscipere; si non placet, saltem deorsum, ubi sunt subiugalia et famuli, Christum suscipias: fiat saltem pauper aedituus: ubi enim est eleemosyna, non audet intrare diabolus: et si non secum consedeas, mitte saltem eis de mensa fercula.

Origenes. Mystice vero qui vanam gloriam vitat, vocat ad spirituale convivium pauperes, idest imperitos, ut ditet; debiles, hoc est laesam conscientiam habentes, ut sanet; claudos, idest declinantes a ratione, ut rectas semitas faciant; caecos, idest qui carent contemplatione veritatis, ut veram lucem videant. quod autem dicitur non possunt retribuere tibi, idest non noverunt responsum proferre.

LUCA 14,15-24

10415 (Lc 14,15-24)

Eusebius. Docuerat supra dominus praeparare convivium rependere nequeuntibus, cum sit recompensandum in resurrectione iustorum: et ideo quidam intelligens unum et idem esse resurrectionem iustorum et regnum dei, recompensationem praedictam commendat; sequitur enim haec cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: beatus qui manducabit panem in regno dei.

Cyrillus. Homo iste animalis erat, non diligenter percipiens ea quae Christus protulerat: putavit enim corporeas esse remunerationes sanctorum.

Augustinus de verb. Dom.. vel quia in longinqua iste suspirabat, et panis iste quem desiderabat, ante illum discumbebat. Quis enim est panis regni dei, nisi qui dicit: ego sum panis vivus, qui de caelo descendi? nolite parare fauces, sed cor.

Beda. Sed quia nonnulli hunc panem fidetenus odorando percipiunt, dulcedinem vero eius attingere veraciter gustando fastidiunt; subiecta parabola dominus talium torporem caelestibus epulis dignum non esse redarguit; sequitur enim at ille dixit ei: homo quidam fecit coenam magnam, et vocavit multos.

Cyrillus. Homo iste deus pater est, secundum quod imagines ad similitudinem veritatis figurantur.

Chrysostomus. Quoties enim punitivam suam virtutem indicare vult deus, ursa, pardus, leo et huiusmodi nuncupatur, quando vero misericordiam exprimere vult, dicitur homo.

Cyrillus. Hic ergo conditor omnium, atque gloriae pater, paravit coenam magnam in Christo peractam. In novissimis enim temporibus, et quasi in occasu nostri saeculi, illuxit nobis dei filius; et mortem pro nobis sustinens, dedit nobis proprium corpus comedere: unde et agnus in vespere immolabatur iuxta legem mosaicam. Merito igitur in coena dictum est paratum in Christo convivium.

Gregorius in evang.. vel fecit coenam magnam, quia satietatem nobis dulcedinis aeternae praeparavit: qui vocavit multos, sed pauci veniunt: quia nonnunquam ipsi qui ei per fidem subiecti sunt, aeterno eius convivio vivendo contradicunt. Hoc autem distare inter delicias corporis et cordis solet, quod corporales deliciae cum non habentur, grave in se desiderium accedunt; cum vero habitae eduntur, comedentem protinus in fastidium per satietatem vertunt; at contra, spirituales deliciae cum non habentur, in fastidio sunt; cum vero habentur, in desiderio. Sed superna pietas contemptas illas delicias ad memoriae nostrae oculos revocat, atque ut fastidium nostrum repellere debeamus invitat: unde sequitur et misit servum suum hora coenae dicere invitatis ut venirent.

Cyrillus. Iste servus qui missus est, ipse Christus est, qui cum esset naturaliter deus, et verus dei filius, exinanivit seipsum formam servi accipiens. missus est autem hora coenae: non enim a principio verbum patris nostram naturam suscepit, sed in novissimo tempore. subdit autem quia parata sunt omnia; paravit enim pater in Christo bona collata mundo per ipsum, peccatorum amotionem, spiritus sancti participationem, adoptionis splendorem; ad hoc vocavit Christus per evangelica documenta.

Augustinus de verb. Dom.. Vel aliter. Homo iste mediator est dei et hominis Christus iesus. Misit ut venirent invitati, idest per missos vocati prophetas. qui olim invitabant ad coenam Christi, saepe missi sunt ad populum israel, saepe vocaverunt ut ad horam coenae venirent: illi invitantes acceperunt, coenam repudiarunt; prophetas legerunt, et Christum occiderunt; et tunc nobis coenam nescientes paraverunt. Parata iam coena, idest immolato Christo, missi sunt apostoli ad quos missi fuerant ante prophetae.

Gregorius. Per hunc ergo servum qui a patrefamilias ad invitandum mittitur, praedicatorum ordo significatur. saepe autem solet evenire ut persona potens famulum habeat despectum; cumque per eum dominus aliquid mandat, non despicitur persona loquentis servi, quia servatur in corde mittentis reverentia domini. Offert ergo deus quod rogari debuit, non rogare: dare vult quod vix sperari poterat; et tamen simul

omnes excusant; sequitur enim et coeperunt omnes simul excusare. Ecce homo dives invitat, et pauperes occurrere festinant; ad dei invitamur convivium, et nos excusamus.

Augustinus de verb. Dom.. tres autem fuerunt excusationes, de quibus subditur primus dixit ei: villam emi, et necesse habeo exire, et videre illam. rogo te, habe me excusatum. In villa emptata dominatio notatur: ergo superbia castigatur vitium primum: primus enim homo dominari voluit, qui dominium habere noluit.

Gregorius. Vel per villam terrena substantia designatur. exit ergo videre illam qui sola exteriora cogitat propter substantiam.

Ambrosius. sic igitur emeritae militiae viro contemnendarum stipendium praescribitur facultatum, quod neque ille qui studiis intentus inferioribus possessiones sibi terrenas coemit, regnum caeli possit adipisci, cum dominus dicat: vende omnia tua, et sequere me. sequitur et alter dixit: iuga boum emi quinque, et eo probare illa.

Augustinus de verb. Dom.. Quinque iuga boum sensus carnis huius quinque numerantur. in oculis visus est, in auribus auditus, in naribus odoratus, in faucibus gustus, in omnibus membris tactus. Sed quia iuga sunt, in tribus prioribus sensibus facilius apparet: duo sunt oculi, duae aures, geminae nares: ecce tria iuga: et in faucibus, idest sensu gustandi, geminatio quaedam invenitur, quia nihil gustando sapit nisi lingua et palato tangatur: voluptas carnis, quae ad tactum pertinet, occulte geminatur: est et forinsecus et intrinsecus. dicuntur autem iuga boum, quia per sensus istos carnis terrena requiruntur: boves enim terram versant; homines autem remoti a fide, terrenis dediti, nolunt credere aliquid nisi ad quod sensu corporis perveniunt quinquepartito. Non, inquit, ego credo, nisi quod video. Si talia cogitarem, quinque illis iugis boum a coena impediremur. Ut noveritis autem istorum quinque sensuum, non delectationem quae mulcet et ingerit voluptatem, sed curiositatem quamdam notatam fuisse, non ait quinque iuga boum emi, eo pascere illa, sed eo probare illa.

Gregorius in evang.. Corporales etiam sensus, quia interna comprehendere nequeunt, sed sola exteriora agnoscunt, recte per eos curiositas designatur; quae dum alienam quaerit vitam discutere, semper sua intima nesciens studet exteriora cogitare. Sed notandum, quod is qui propter villam, et is qui propter probanda iuga boum a coena sui invitatoris se excusat, humilitatis verba permiscet; dum enim dicit rogo, et venire contemnit, humilitas sonat in voce, superbia in actione. sequitur alius dixit: uxorem duxi, et ideo non possum venire.

Augustinus de verb. Dom.. Ista est voluptas carnis, quae multos impedit: utinam foris, et non intus. Qui enim dixit uxorem duxi, carnem amplexatur, carnis voluptatibus iucundatur, a coena excusatur: observet ne fame interna moriatur.

Basilius. dicit autem non possum venire, eo quod intellectus humanus vergens ad mundanas illecebras debilis est ad agendum.

Gregorius. Quamvis autem bonum sit coniugium, atque ad propagandam sobolem divina providentia constitutum, nonnulli tamen per hoc non fecunditatem prolis, sed desideria expetunt voluptatis: et idcirco per rem iustam significari potest non incongrue iniusta.

Ambrosius. Vel coniugium non reprehenditur, sed ad maiorem honorem vocatur integritas: quoniam mulier innupta cogitat quae sunt domini, ut sit sancta corpore et spiritu: quae autem nupta est, cogitat quae sunt mundi.

Augustinus. ioannes autem dicens: omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et ambitio saeculi, inde coepit ubi evangelium terminum posuit. Concupiscentia carnis, uxorem duxi; concupiscentia oculorum, quinque iuga boum emi; ambitio saeculi, villam emi. A parte autem in totum commemorati sunt quinque sensus per solos oculos, quorum est in quinque sensibus principatus: propterea cum proprie ad oculos pertineat visus, ipsum videre per omnes quinque sensus solemus appellare.

Cyrillus. Quos autem intelligemus fuisse eos qui renuerunt praedictorum causa venire, nisi praesides iudaeorum, quos per totam sacram paginam de his redargutos esse videmus? **Origenes**. Vel aliter. Hi qui villam emerunt, et refutant coenam sunt qui receperunt alia dogmata divinitatis, nec experti sunt verbum quod possidebant. is autem qui quinque paria boum emit, est qui naturam intellectualem contemnit, et sensibilia sequitur: unde incorporream naturam comprehendere non potest. Qui autem uxorem duxit, est qui coniunctus est carni, voluptatum magis amator quam dei.

Ambrosius. Vel tria genera hominum a consortio istius coenae aestimemus excludi, gentilium, iudaeorum

et haereticorum. Iudaei corporali ministerio iuga sibi legis imponunt. Quinque autem iuga sunt verborum decem, vel quinque libri veteris legis. At vero haeresis velut eva femineo rigore fidei tentat affectum. Et apostolus dicit avaritiam esse fugiendam, ne impediti more gentili ad regnum Christi pervenire nequeamus. ergo et ille qui villam emit, alienus a regno est, et ille qui iugum potius legis quam gratiae munus elegit, et ille qui se propter ducendam excusat uxorem. sequitur et reversus servus nuntiavit haec domino suo.

Augustinus super gen.. non propter inferiorum scientiam deus nuntiis indiget, quasi per eos fiat scientior; sed novit omnia stabiliter atque incommutabiliter. Habet autem nuntios propter nos, et propter ipsos; quia illo modo Deo parere et assistere, ut eum de inferioribus consulant, eiusque supernis iussis obtemperent, bonum est eis in ordine propriae naturae.

Cyrillus. Iudaeorum autem primatibus vocationem renuentibus, sicut ipsi dicebant: numquid aliquis principum credidit in eum? indignatus est paterfamilias, quasi eis dignis indignatione et ira; unde sequitur tunc iratus paterfamilias.

Basilius. non quod irae passio divinae substantiae accidat; sed talis operatio, quae in nobis ab ira fit, dei ira et indignatio dicitur.

Cyrillus. Sic ergo indignatus dicitur paterfamilias in principes iudaeorum, et vocati sunt loco eorum, qui erant de multitudine iudaeorum, fragilem et impotentem mentem habentes. loquente enim petro, primo quidem tria millia, deinde quinque millia crediderunt, et postmodum plurimus populus; unde dicitur dixit servo suo: exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, caecos et claudos introduc huc.

Ambrosius. Invitat autem pauperes, debiles et caecos, ut ostendatur quod nullum debilitas corporis excludit a regno, rariusque delinquat cui desit illecebra peccandi; vel quod infirmitas peccatorum per misericordiam domini remittatur; unde mittit ad plateas, ut de latioribus vicis ad angustam venirent viam.

Gregorius in evang.. quia ergo venire superbi renuunt, pauperes eliguntur: dicuntur enim debiles et pauperes qui iudicio suo apud semetipsos infirmi sunt: nam pauperes et quasi fortes sunt qui positi in paupertate superbiunt; caeci sunt qui nullius ingenii lumen habent; claudi sunt qui rectos gressus in operatione non habent. Sed dum horum vitia in membrorum debilitate significantur, sicut illi peccatores fuerunt qui vocati venire noluerunt, ita hi quoque qui invitantur et veniunt; sed peccatores superbi respuuntur, humiles eliguntur. Hos itaque elegit deus quos despicit mundus: quia plerumque ipsa despectio hominem revocat ad semetipsum; et tanto celerius vocem dei aliqui audiunt, quanto in hoc mundo non habent unde delectentur. Cum ergo de vicis et plateis ad coenam quosdam dominus vocat, illum populum designat qui tenere legis urbanam conversationem noverat. sed multitudo quae ex israel populo credidit, locum superni convivii non implevit; unde sequitur et ait servus: domine, factum est ut imperasti, et adhuc locus est. Intravit enim iam frequentia iudaeorum; sed adhuc locus vacat in regno, ubi suscipi debeat numerositas gentium; unde subditur et ait dominus servo: exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Cum convivas suos colligi ex viis et sepibus praecipit, agrestem populum, idest gentilem, quaerit.

Ambrosius. Vel mittit ad vias et circa sepes, quia hi apti sunt regno caelorum qui nullis praesentium cupiditatibus occupati ad futura festinant, in quodam bono voluntatis tramite constituti; et qui modo sepis, quae ab incultis culta secernat, et incursus arceat bestiarum, norit bona malaque distinguere, et adversus tentamenta nequitiæ spiritualis, fidei munimen praetendere.

Augustinus de verb. Dom.. Venerunt de plateis et vicis gentes, veniunt de sepibus haeretici: nam sepes qui construunt, divisiones quaerunt. Abstrahantur a sepibus, evellantur a spinis. Sed cogi nolunt: voluntate, inquit, nostra intremus. Non hoc dominus imperavit: coge, inquit, intrare. foris inveniatur necessitas, nascitur inde voluntas.

Gregorius. Qui ergo huius mundi adversitatibus fracti ad dei amorem redeunt, compelluntur intrare. sed valde tremenda est sententia quae subinfertur dico autem vobis, quod nemo virorum illorum qui vocati sunt, gustabit coenam meam. Nemo ergo contemnat; ne dum vocatus excusat, cum voluntatem habuerit, intrare non valeat.

LUCA 14,25-27

Gregorius in evang.. Ad audita caelestia praemia inardescit animus, iamque illic cupit assistere ubi se sperat sine fine gaudere. Sed ad magna praemia perveniri non potest nisi per magnos labores; unde dicitur ibant autem turbae multae cum eo, et conversus dixit ad illos: si quis venit ad me, et non odit patrem suum et matrem et uxorem et filios et fratres et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest esse meus discipulus.

Theophylactus. Quia enim multi comitantium ipsum non ex toto affectu, sed tepide sequebantur, ostendit qualem deceat esse suum discipulum.

Gregorius. Sed percunctari libet: quomodo parentes et carnaliter propinquos praecipimur odisse, qui iubemur et inimicos diligere? sed si vim praecepti perpendimus, utrumque agere per discretionem valemus: ut eos qui nobis carnis cognatione coniuncti sunt, et quos proximos novimus, diligamus; et quos adversarios in via dei patimur, odiendo et fugiendo nesciamus. Quasi enim per odium diligitur qui carnaliter sapiens, dum prava nobis ingerit, non auditur.

Ambrosius. Etenim si propter te dominus suae renuntiat matri, dicens: quae est mater mea et qui fratres mei? cur tu domino tuo cupias anteferri? sed neque ignorare naturam, neque saevire dominus iubet; sed ita indulgere naturae ut venereris auctorem, nec a Deo parentum amore desistas.

Gregorius. Ut autem dominus demonstraret hoc erga proximos odium non de affectione procedere, sed de caritate, addidit dicens adhuc autem et animam suam. Constat ergo quia amando debet odisse proximum qui sic eum odit sicut seipsum: seipsum enim bene animam nostram odimus, cum eius carnalibus desideriis non acquiescimus, cum eius appetitum frangimus, eius voluptatibus reluctamur. Quae ergo contempta ad melius ducitur, quasi per odium amatur.

Cyrillus. Non est autem fugienda vita qua in corpore vivitur, sed servanda, sicut et paulus servavit, ut Christum adhuc vivens in corpore praedicaret; sed ubi oportebat vitam contemnere ut cursum consummaret, nec animam pretiosam sibi esse fatetur.

Gregorius. hoc autem animae odium qualiter exhiberi debeat, manifestat subdens qui non baiulat crucem suam et venit post me, non potest meus esse discipulus.

Chrysostomus. Non autem hoc dicit ut trabem super humeros apponamus, sed ut semper mortem prae oculis nostris habeamus; sicut et paulus moriebatur quotidie, et mortem contemnebat.

Basilius. crucem etiam tollens, mortem domini annuntiabat, dicens: mihi mundus crucifixus est, et ego mundo; quod etiam nos in ipso baptisate anticipamus, ubi vetus homo noster crucifixus est, ut destruat corpus peccati.

Gregorius. vel quia crux a cruciatu dicitur, duobus modis crucem domini baiulamus; cum aut per abstinentiam carnem affligimus, aut per compassionem proximi, necessitatem illius nostram putamus. Sed quia nonnulli carnis abstinentiam non pro deo, sed pro inani gloria exhibent, et compassionem non spiritualiter sed carnaliter impendunt, recte additur et venit post me. Baiulare enim crucem, et post dominum ire est vel carnis abstinentiam, vel compassionem proximorum pro studio aeternae intentionis exhibere.

LUCA 14,28-33

10428 (Lc 14,28-33)

Gregorius in evang.. Quia sublimia praecepta data sunt, protinus comparatio aedificandae sublimitatis adiungitur cum dicitur quis enim ex vobis volens turrim aedificare, nonne prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum? omne enim quod agimus, praevenire per studium considerationis debemus. Si igitur humilitatis turrim construere cupimus, prius nos praeparare ad adversa huius saeculi debemus.

Basilius. Vel turris est alta speculatio ad custodiam civitatis et perceptionem hostilium occursum apta: ad huius instar nobis datus est intellectus conservativus bonorum, praemeditativus contrariorum; ad huius aedificationem praecipit dominus sedentes ponere calculum, si suppetat facultas ad finem.

Gregorius nyssenus. Insistendum est enim ut cuiuslibet ardui propositi terminus attingatur variis augmentis

mandatorum dei, consummando opus divinum; nam neque lapis unus est tota turris fabrica, neque unicum mandatum ducit ad animae perfectionem; sed fundamentum oportet subsistere, et secundum apostolum insuper apparatus est auri, et argenti, et pretiosorum lapidum apponendus; unde subditur ne posteaquam posuerit fundamentum, et non potuerit perficere, omnes qui viderint, incipiant illudere ei dicentes, quia hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare.

Theophylactus. Non enim debemus ponere fundamentum, idest sequi Christi initium, et finem non imponere, sicut illi de quibus ioannes dicit quod multi ex discipulis eius abierunt retrorsum. vel fundamentum intellige doctrinalem sermonem, puta de abstinentia. Opus est igitur praedicto fundamento operationis aedificium, ut perficiatur nobis turris fortitudinis a facie inimici. Alioquin deridetur homo a videntibus eum, tam hominibus quam daemonibus.

Gregorius. In bonis enim operationibus intenti, nisi contra malignos spiritus sollicite vigilemus, ipsos irrisores patimur, quos ad malum persuasores habemus. sed ex minori ad maius similitudo subditur, ut ex rebus minimis maiora pensentur; nam sequitur aut quis rex iturus committere bellum adversus alium regem, nonne prius sedens cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei qui cum viginti millibus venit ad se?

Cyrillus. Incumbit enim nobis praelium contra spiritalia nequitiae in caelestibus; urget autem nos et aliorum hostium multitudo, carnale flagitium, lex saeviens in membris nostris, et variae passionis, hoc est dira hostium multitudo.

Augustinus de quaest. Evang.. Vel decem millia praeliaturi cum rege qui habet viginti millia, significant simplicitatem Christiani hominis, dimicaturi cum duplicitate diaboli.

Theophylactus. Est autem rex peccatum regnans in nostro mortali corpore; sed et noster intellectus creatus est rex. Ergo si repugnare velit peccato, toto animo cogitet secum: nam daemones sunt peccati satellites, qui videntur viginti millium numero praecellere decem millia nostra: quia cum incorporei sint, nobis comparati corporeis, multo maiorem fortitudinem habere censentur.

Augustinus. sicut autem de turri non perfecta per opprobrium deterruit dicentium quia hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare; sic in rege cum quo dimicandum est, ipsam pacem accusavit, cum subdit alioquin, adhuc illo longe agente, legationem mittens, rogat ea quae pacis sunt: significans etiam minas imminentium tentationum a diabolo non sustinere eos qui non renuntiant omnibus quae possident, et pacem cum eo facere, consentiendo illi ad committendum peccata.

Gregorius. vel aliter. In illo tremendo examine cum rege nostro ex aequo ad iudicium non venimus; decem millia quippe ad viginti millia, simplum ad duplum sunt. Cum duplo ergo exercitu contra simplum venit, quia nos vix in solo opere praeparatos simul de opere et cogitatione discutit. dum ergo adhuc longe est, quia adhuc praesens per iudicium non videtur, mittamus ad eum legationem lacrymas nostras, misericordiae opera, hostias placationis; haec est nostra legatio, quae regem venientem placat.

Augustinus ad laetam. Quomodo autem pertineant istae similitudines, ipsa conclusione satis aperuit, dicens sic ergo omnis ex vobis qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus. itaque sumptus ad turrim aedificandam, et valentia decem millium adversus regem qui viginti millia habet, nihil aliud est, quam ut renuntiet unusquisque omnibus quae sunt eius. Praelocutio autem superior cum extrema locutione concordat: in eo enim quod aliquis renuntiat omnibus quae sunt eius, etiam illud continetur ut oderit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc et animam suam. Omnia enim haec propria alicuius sunt, quae plerumque implicant et impediunt ab obtinenda non ista propria temporaliter transitura, sed in aeternum mansura communia.

Basilius. est autem intentio domini per exempla praedicta non utique praebere potestatem eius discipulum fieri vel non fieri, sicut licet vel non inchoare fundamentum vel tractare pacem; sed ostendere impossibilitatem divini beneplaciti observandi inter distrahentia animam, inter quae periclitatur facta venalis ab astutiis daemonis.

Beda. Distat autem inter renuntiare omnibus et relinquere omnia: paucorum enim perfectorum est relinquere omnia, hoc est curas mundi postponere; cunctorum autem fidelium est renuntiare omnibus, hoc est sic tenere quae mundi sunt, ut tamen per ea non teneantur in mundo.

LUCA 14,34-35

Beda. Dixerat superius turrim virtutum non solum inchoandam, sed etiam consummandam: ad quod pertinet quod dicitur bonum est sal. Bonum est sal sapientiae spiritualis cordis arcana condire, immo cum apostolis sal terrae fieri.

Eusebius. Sal enim secundum substantiam quidem ex aqua constat et spiritu, modicum quid terreitatis participans. desiccatur autem fluidam naturam corruptorum corporum, ut mortua corpora conservet. merito igitur discipulos suos comparat sali, eo quod ipsi regenerati sunt per aquam et spiritum. Cumque totum spiritualiter viverent, et non secundum carnem, ad modum salis corruptam vitam hominum in terra degentium convertent, et virtuosa vita suos sequaces oblectando condiebant.

Theophylactus. Non solum autem eos qui donati sunt magistrali gratia, sed etiam idiotas exposcit ad modum salis fieri utiles proximis. Si vero qui futurus est utilis aliis, fiat reprobus, iuvare non poterit; unde sequitur si autem sal evanuerit, in quo condietur? **Beda.** quasi dicat: si quis semel condimento veritatis illuminatus ad apostasiam redierit, quo alio doctore corrigetur? qui scilicet eam quam ipse gustavit sapientiae dulcedinem, vel adversis saeculi perterritus, vel illecebris illectus abiecit; unde sequitur neque in terram, neque in sterquilinum utile est; sed foras mittetur. Sal enim cum ad condiendos cibos carnesque siccandas valere desierit, nulli iam usui aptum erit: neque enim in terram utile est, cuius iniectu germinare prohibetur, neque in sterquilinum agriculturae profuturum: sic qui post agnitionem veritatis retrocedit, neque ipse fructum boni operis ferre, nec alios excolere valet; sed foras mittendus est, hoc est ab ecclesiae unitate discernendus.

Theophylactus. Verum, quia sermo parabolicus et obscurus erat, excitans dominus auditores, ne qualitercumque acciperent quod dictum est de sale, subdit qui habet aures audiendi, audiat; hoc est, si cui sapientia inest, intelligat: aures enim hic cognoscitivam vim animae et aptitudinem intelligendi accipere debemus.

Beda. Audiat etiam non contemnendo, sed obediendo, et faciendo quae dicit.

LUCA 15,1-7

10501 (Lc 15,1-7)

Ambrosius. Didiceras in superioribus, saecularibus occupationibus non teneri, caduca non praeferre perpetuis. Sed quia fragilitas humana firmum nequit in tanto saeculi lubrico tenere vestigium, etiam adversus errorem remedia tibi bonus medicus demonstravit, spem veniae iudex misericors non negavit; unde subditur erant autem appropinquantes ei publicani et peccatores ut audirent eum.

Glossa. idest, qui publica exigunt vectigalia, vel conducunt, et qui lucra saeculi per negotia sectantur.

Theophylactus. Hoc enim exequabatur cuius causa carnem susceperat, admittens peccatores, sicut medicus aegrotantes. Sed pharisaei vere criminosi huic pietati murmura recompensabant; unde sequitur et murmurabant pharisaei et scribae, dicentes, quia hic peccatores recipit et manducat cum illis.

Gregorius in evang.. Ex qua re colligitur quia vera iustitia compassionem habet, falsa dedignationem; quamvis et iusti soleant recte peccatoribus indignari. Sed aliud est quod agitur typo superbiae, aliud quod zelo disciplinae: quia iusti, etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per caritatem servant: praeponunt sibi in animo ipsos plerumque quos corrigunt: quod agentes per disciplinam subditos, et per humilitatem custodiunt semetipsos. At contra hi qui de falsa iustitia superbire solent, ceteros quosque despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt; et quo se peccatores esse non credunt, eo deterius peccatores fiunt: de quorum numero pharisaei erant, qui diiudicantes dominum quod peccatores susciperet, amenti corde ipsum fontem misericordiae reprehendebant. sed quia aegri erant ita ut aegros se esse nescirent, quatenus quod erant agnoscerent, caelestis medicus blandis eos fomentis curat; sequitur enim et ait ad illos parabolam istam, dicens: quis ex vobis homo? similitudinem dedit quam in se homo recognosceret, et tamen ad auctorem hominum pertineret: quia enim centenarius perfectus est numerus, ipse centum ovem habuit, cum sanctorum angelorum et hominum naturam possedit; unde subditur qui habet centum oves.

Cyrillus. Hinc percipe latitudinem regni salvatoris nostri. Dicit enim oves esse centum, referens numerum subiectarum sibi rationalium naturarum ad integram multitudinem: est enim centenarius numerus perfectus ex decem decadibus constitutus. sed ex his una oberravit, scilicet genus humanum, quod terram colit.

Ambrosius. dives pastor, cuius nos omnes centesima portio sumus; unde sequitur et si perdidit unam ex illis.

Gregorius. una ovis tunc periit quando peccando homo pascua vitae reliquit. In deserto autem nonagintanovem remanserant: quia rationalis creaturae numerus, angelorum videlicet et hominum, qui ad videndum deum conditus fuerat, pereunte homine, erat imminutus; unde sequitur nonne dimittit nonaginta novem in deserto? quia scilicet angelorum choros reliquit in caelo. Tunc autem homo caelum deseruit, cum peccavit. Et ut perfecta summa ovium integraretur in caelo, homo perditus quaerebatur in terra; unde sequitur et vadit ad illam quae perierat, donec inveniatur illam.

Cyrillus. Numquid autem saeviens in reliquis motus est pietate unius? nequaquam: sunt enim illae in tuto, circumsepiente illas potentissima dextera: sed magis oportebat misereri pereuntis, ne imperfecta videretur residua multitudo: una enim reducta, sortitur centenarius propriam speciem.

Augustinus de quaest. Evang.. Vel illas nonaginta novem dixit quas reliquit in deserto, superbos significans, tamquam solitudinem gerentes in animo, dum solos se videri volunt; quibus ad perfectionem unitas deest: cum enim quisque a vera unitate divellitur, superbe divellitur: suae quippe potestatis esse cupiens, non sequitur unum, quod est deus. Uni autem deputat omnes per poenitentiam reconciliatos, quae humilitate obtinetur.

Gregorius nyssenus. Cum autem pastor invenisset ovem, non punivit: non duxit ad gregem urgendo; sed superponens humero, et portans, clementer annumeravit gregi; unde sequitur et cum invenerit ovem, imponit in humeros suos gaudens.

Gregorius. Ovem humeris suis imposuit, quia humanam naturam suscipiens, peccata nostra ipse portavit. Inventa autem ove, ad domum redit, quia pastor noster, reparato homine, ad regnum caeleste rediit; unde sequitur et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis: congratulamini mihi, quia inveni ovem meam quae perierat. Amicos et vicinos vocat angelorum choros; quia amici eius sunt, quia voluntatem eius continue in sua stabilitate custodiunt; vicini quoque eius sunt, quia claritatem visionis illius sua assiduitate perfruuntur.

Theophylactus. supernae igitur virtutes oves dicuntur in eo quod omnis natura creata aspectu dei bestialis est; in eo vero quod rationalis est, amici et vicini dicuntur.

Gregorius. Et notandum, quod non dicit congratulamini inventae ovi, sed mihi: quia videlicet eius est gaudium vita nostra; et cum nos ad caelum reducimus, solemnitatem laetitiae illius implemus.

Ambrosius. Angeli autem, quoniam sunt rationales, non immerito hominum redemptione laetantur; unde sequitur dico vobis, quod ita gaudium erit in caelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam supra nonaginta novem iustis, qui non indigent poenitentia. Hoc proficiat ad incentiva probitatis, si unusquisque conversionem suam gratam fore credat coetibus angelorum, quorum aut affectare patrocinium, aut vereri debet offensam.

Gregorius. Plus autem de conversis peccatoribus quam de stantibus iustis in caelo gaudium esse fatetur; quia plerumque hi qui nullis se oppressos peccatorum molibus sciunt, stant quidem in via iustitiae, sed tamen ad caelestem patriam anxie non anhelant, et plerumque pigri remanent ad exercenda bona praecipua, quia securi sibi sunt quod nulla commiserint mala graviora: at contra nonnunquam hi qui se aliqua illicita egisse meminerunt, ex ipso suo dolore compuncti, ad amorem dei inardescunt, et quia errasse se a Deo considerant, damna praecedentia lucris sequentibus recompensant. maius ergo gaudium fit in caelo, quia et dux in praelio plus eum militem diligit qui post fugam reversus hostem fortiter premit, quam eum qui numquam terga praebuit, et numquam aliquid fortiter fecit. sic agricola illam amplius terram amat quae post spinas uberes fructus profert, quam eam quae numquam spinas habuit, et numquam fertilem messem producit. sed inter haec sciendum est, quia sunt plerique iusti, in quorum vita tantum est gaudium, ut eis quaelibet peccatorum poenitentia praeponi nullatenus possit. Hinc ergo colligendum quantum Deo gaudium faciat quando humiliter plangit iustus, si facit in caelo gaudium quando hoc quod male gessit, per poenitentiam damnat iniustus.

LUCA 15,8-10

Cyrillus. Per praecedentem parabolam, in qua genus humanum dicebatur ovis erratica, docebamur nos fore creatura sublimis dei, qui fecit nos, et non ipsi nos; cuius pascuae oves sumus: subiungitur secunda parabola, qua genus humanum comparatur drachmae quae periit; per quam ostendit nos ad similitudinem et imaginem regiam factos esse, scilicet summi dei: nam drachma nummus est impressam habens regiam figuram; unde dicitur aut quae mulier habens decem drachmas.

Gregorius in evang.. qui significatur per pastorem, ipse per mulierem; ipse enim deus, ipse et dei sapientia. Angelorum autem et hominum naturam ad cognoscendum se dominus condidit, et ad similitudinem suam creavit. decem ergo drachmas habuit, quia novem sunt chori angelorum; sed ut compleretur electorum numerus, homo decimus est creatus.

Augustinus de quaest. evang.. Vel in novem drachmis, sicut et in nonaginta novem ovibus, ponit eorum significationem qui de se praesumentes peccatoribus ad salutem redeuntibus se praeponunt: unum enim deest a novem ut decem sint, et a nonaginta novem ut centum sint; cui uni deputat omnes per poenitentiam reconciliatos.

Gregorius. et quia imago exprimitur in drachma, mulier drachmam perdiderat, quando homo, qui conditus ad imaginem dei fuerat, peccando a similitudine sui conditoris recessit; et hoc est quod subditur si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam? accendit mulier lucernam, quia dei sapientia apparuit in humanitate. Lucerna quippe lumen in testa est; lumen vero in testa est divinitas in carne: accensa autem lucerna, sequitur et evertit domum: quia scilicet mox ut eius divinitas per carnem claruit, omnis se nostra conscientia concussit: quia eversionis sermo non discrepat in eo quod in aliis codicibus legitur emundat: quia prava mens si non prius prae timore evertitur, ab assuetis vitiis non mundatur. eversa autem domo, invenitur drachma; sequitur enim et quaerit diligenter donec inveniat; quia scilicet cum perturbatur conscientia hominis, reparatur in homine similitudo conditoris.

Gregorius nazianzenus. inventa autem drachma, caelestes virtutes facit participes gaudii, quas ministras dispensationis fecit; unde sequitur et cum invenerit, convocat amicas et vicinas dicens: congratulamini mihi, quia inveni drachmam quam perdideram.

Gregorius. supernae enim virtutes tanto divinae sapientiae iuxta sunt, quanto ei per gratiam continuaevisionis appropinquant.

Theophylactus. Vel amicae sunt, ut exequentes voluntatem ipsius: vicinae vero, ut incorporeae; vel forte amicae ipsius sunt omnes supernae virtutes, vicinae vero sunt propinquiores, scilicet throni, cherubim et seraphim.

Gregorius nyssenus. Vel aliter. Hoc reor dominum nobis proponere in inquisitione perditae drachmae, quia nulla nobis a ceteris virtutibus utilitas provenit, quas drachmas vocat, quamvis praesto sint omnes, una sola deficiente animae viduatae, qua scilicet divinae similitudinis nitorem sortitur: propter quod primo quidem iubet lucernam accendere, scilicet verbum divinum, quod abscondita patefacit. vel forsan poenitentiae lampadem, sed in domo propria, idest in seipso et in sua conscientia, oportet perquirere drachmam perditam, idest regis imaginem, quae non penitus deperiit, sed est tecta sub fimo, qui significat carnis contagia; quibus studiose abstersis, idest dilutis per solertiam vitae, elucescit quod quaeritur: unde oportet ipsam quae invenit gratulari; necnon ad participia gaudii vocare vicinas, idest contubernales virtutes, idest rationabilem et concupiscibilem et innatum iracundiae affectum, et si quae sint tales vires circa animam consideratae, quas docet gaudere in domino. deinde concludens parabolam, subdit ita dico vobis, gaudium erit angelis super uno peccatore poenitentiam agente.

Gregorius. poenitentiam agere est praeterita mala plangere, et plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat ut tamen alia committat, adhuc poenitentiam agere aut ignorat aut dissimulat. Cogitandum est etiam ut per hoc conditori suo satisfaciat: ut qui commisit prohibita, sibi abscindere debeat etiam concessa; et se reprehendat in minimis qui se meminit in maximis deliquisse.

LUCA 15,11-16

10511 (Lc 15,11-16)

Ambrosius. Tres ex ordine lucas parabolis posuit: ovis quae perierat et inventa est; drachmae quae perierat, et inventa est; filii qui erat mortuus et revixit; ut triplici remedio provocati vulnera nostra curemus.

Christus ut pastor te suo corpore vehit, quaerit ut mater ecclesia, recipit deus pater: prima misericordia, secunda suffragatio, tertia reconciliatio.

Chrysostomus. est etiam inter parabolas supradictas ratio distinctionis secundum personas vel mentes peccantium, ut pater filium recipiat poenitentem, qui arbitrii sui libertate utitur, ut cognoscat unde ceciderit; pastor vero ovem errantem et non sapientem reverti requirat, et humeris suis referat, irrationabili animali imprudentem hominem comparans, qui alieno dolo circumventus, erraverat sicut ovis. Praesens ergo parabola proponitur cum dicitur ait autem: homo quidam habuit duos filios. Sunt qui dicant de duobus filiis istis seniore angelos esse, iuniorem vero hominem ponunt, qui in longinquam peregrinationem abierit, quando in terram de caelis et paradiso cecidit: et aptant consequentia, respicientes ad casum vel statum adae. sed hic sensus pius quidem videtur, nescio tamen si verus sit: quia iunior filius ad poenitentiam venit sua sponte, recordatus praeteritae abundantiae patris sui; dominus autem veniens ad poenitentiam vocavit humanum genus, dum sponte sua regredi, unde ceciderat, non cogitaret. deinde senior filius in reditu et salute fratris sui tristatur; cum dominus dicat laetitiam esse apud angelos super uno peccatore poenitentiam agente.

Cyrillus. quidam vero per seniore filium dicunt significari israel secundum carnem; per alium vero qui discessit a patre describitur multitudo gentium.

Augustinus de quaest. Evang.. Hic ergo homo habens duos filios, deus habens duos populos intelligitur, tamquam duas stirpes generis humani: unam eorum qui permanserunt in unius dei cultu, alteram eorum qui usque ad colendum idola deseruerunt deum. Ab ipso ergo exordio creaturae mortalium, maior filius ad cultum unius dei pertinet, minor autem petit ut sibi pars substantiae quae eum tangeret, daretur a patre; unde sequitur et dixit adolescentior ex illis patri: pater, da mihi portionem substantiae quae me contingit; tamquam anima potestate sua delectata, id quod illi est vivere, intelligere, meminisse, vel ingenio alacri excellere, petit, quae divina sunt munera. haec autem in potestate sua accepit per liberum arbitrium; unde sequitur et divisit illis substantiam.

Theophylactus. hominis substantia rationalitas est, quam comitatur libertas arbitrii; et similiter quaecumque dominus dedit nobis, pro substantia nostra putabitur, ut caelum, terra et universa creatura, lex et prophetae.

Ambrosius. Vides autem, quod divinum patrimonium petentibus datur; nec putes culpa patris, quod adolescentiori dedit: nulla dei regno infirma aetas, nec fides gravatur annis. Ipse certe se iudicavit idoneum qui poposcit: atque utinam non recessisset a patre; impedimentum nescisset aetatis; sequitur enim et non post multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam.

Chrysostomus. minor filius in regionem longinquam profectus est, non localiter a Deo decedens, qui ubique est, sed affectu: fugit enim deum peccator ut a longinquo stet.

Augustinus de verb. Dom.. quisquis enim ita vult esse similis Deo ut fortitudinem suam ad illum custodiat, non ab illo recedat, ei cohaerendo, ut custodiat similitudinem et imaginem ad quam factus est. Porro si perverse vult imitari deum, ut quomodo deus non habet a quo regatur, sic ipse velit sua potestate uti, ut nullo regente vivat; quid restat nisi ut recedens ab eius calore torpescat, recedens a veritate vanescat?

Augustinus de quaest. Evang.. Quod autem non post multos dies dixit factum, ut congregatis omnibus peregre proficisceretur in regionem longinquam, quae est oblivio dei; hoc est quia non multo post institutionem humani generis placuit animae per liberum arbitrium ferre secum velut quamdam potentiam naturae suae, et deserere eum a quo condita est, fidens de viribus suis; quas vires tanto consumit citius, quanto eum deseruit a quo datae sunt; unde sequitur et ibi dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose. luxuriosam vero vel prodigam vitam vocat amantem fundere atque spatari pompis exterioribus, intus inanescentem, cum ea quisque sequitur quae ad alia procedunt, et relinquit eum qui sibi est interior; unde sequitur et postquam consummasset omnia, facta est fames magna in regione illa. Fames est indigentia verbi veritatis. sequitur et ipse coepit egere.

Ambrosius. merito egere coepit qui thesauros sapientiae et scientiae dei, divitiarumque caelestium altitudinem dereliquit. sequitur et abiit, et adhaesit uni civium regionis illius.

Augustinus. unus civium regionis illius aliquis aereus princeps est ad militiam diaboli pertinens, cuius villa est modus potestatis ipsius; de qua sequitur et misit illum in villam suam, ut pasceret porcos. Porci sunt immundi spiritus qui sub ipso erant.

Beda. porcos autem pascere est ea quibus immundi spiritus gaudent, operari. sequitur et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant.

Ambrosius. Siliqua genus leguminis est, intus inanis, foris mollis, quo corpus non reficitur, sed impletur, ut sit magis oneri quam usui.

Augustinus. Siliquae ergo, quibus porcos pascebat, saeculares doctrinae sunt, steriles, vanitatem personantes, de quibus laudes idolorum fabularumque ad deos gentium pertinentium vario sermone atque carminibus percrepant; quibus daemonia delectantur: unde cum iste satiari cupiebat, aliquid solidum et rectum, quod ad beatam vitam pertineret, invenire volebat in talibus, et non poterat; unde sequitur et nemo illi dabat.

Cyrillus. Sed cum iudaei multipliciter arguantur in sacra scriptura de multis criminibus, quomodo populo illi convenient verba maioris filii dicentis ecce tot annis servio tibi, et numquam mandatum tuum praeterivi? est ergo hic sensus parabola. Arguentibus eum pharisaeis et scribis quod reciperet peccatores, proponit praesentem parabolam, in qua hominem vocat deum, qui pater est duorum fratrum, iustorum scilicet et peccatorum; quorum primus gradus est iustorum ab initio iustitiam sequentium, secundus gradus est hominum per poenitentiam ad iustitiam reductorum.

Basilus. Facit etiam ad antiquioris consistentiam magis animus senilis et gravitas, quam canities capillorum; nec qui secundum aetatem est iuvenis increpatur, sed iuvenis moribus, qui secundum passiones vivit. Titus. Abiit ergo adolescentior nondum adultus mente, petitque a patre id quod ei de hereditate contingit, ut scilicet non ex necessitate serviat: sumus enim animalia rationalia liberum arbitrium habentia.

Chrysostomus. dicit autem scriptura dividere patrem ex aequo filiis duobus substantiam suam, idest scientiam boni et mali, quae verae et perpetuae sunt opes animae bene utentis. Quae enim ex Deo est in prima nativitate hominibus substantia rationalis, aequaliter cunctis nascentibus datur. De subsequenti autem conversatione unusquisque plus aut minus huius substantiae possidere invenitur, dum unus ea quae sumpserit patris esse credens, quasi paterna custodit; alius sicut propriae possessionis licentia dissipandis abutitur. ostenditur autem libertas arbitrii: quia pater neque discedere volentem retinuit, ne liberi arbitrii auferat potestatem; neque manere cupientem cogit abscedere. abiit autem longe, non locorum translatione, sed mentis declinatione; unde sequitur peregre profectus est in regionem longinquam.

Ambrosius. Quid enim longinquius est quam a se recedere, nec regionibus, sed moribus separari? etenim qui se a Christo separat, exul est patriae, et civis mundi. Merito ergo prodegit patrimonium qui recessit ab ecclesia. Titus. unde et denominatus est prodigus, dissipans substantiam suam, idest intellectum rectum, castimoniam, documenta veritatis, notitiam genitoris, memoriam creationis, sensum.

Ambrosius. Facta est autem in regione illa fames non epularum, sed bonorum operum atque virtutum, quae sunt miserabiliora ieiunia: etenim qui recedit a verbo dei, esurit, quia non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo dei, et qui recedit a thesauro eget. Egere ergo ideo coepit et famem pati, quia nihil prodigae satis est voluntati. abiit itaque, et adhaesit uni civium: qui enim haeret, in laqueo est; et videtur civis iste princeps esse istius mundi. Denique ad villam eius mittitur, quam emit qui se excusat a regno.

Beda. In villam enim mitti est substantiae mundialis cupiditate subiugari.

Ambrosius. Pascit autem porcos illos in quos petit diabolus introire, in sordibus ac foetore viventes.

Theophylactus. hos igitur pascit qui alios praecellit in vitio, ut sunt lenones, archipraedones, archipublicani, qui aliis sunt doctores operationis malae.

Chrysostomus. vel spiritualibus destitutus operibus, quasi prudentia et intellectu, porcos pascere dicitur, hoc est, sordidas et immundas in anima sua cogitationes nutrire: et edit escas irrationabiles pravae conversationis, dulces quidem egentibus bonorum: quia suave perversis videtur omne opus carnae voluptatis, quae virtutes animae penitus enervat et perimit. Huiusmodi cibos quasi porcinos et male dulces, idest carnalium delectationum illecebras, siliquarum nomine scriptura designat.

Ambrosius. cupiebat autem siliquis ventrem implere suum: nec enim alia est cura luxuriosis nisi ut ventrem suum impleant.

Theophylactus. Quibus nullus dat saturitatem malorum; distat enim a Deo qui talibus vescitur. Daemones autem ad hoc student, ne unquam saturitas malorum proveniat.

Glossa. Vel nemo illi dabat, quia cum diabolus aliquem suum facit, ultra ei abundantiam non procurat,

sciens eum esse mortuum.

LUCA 15,17-24

10517 (Lc 15,17-24)

Gregorius nyssenus. Contempserat patrem in primo recessu adolescentior filius, et opes paternas profuderat: at ubi lapsu temporis est attritus laboribus, dum mercenarius fieret, et eodem cum porcis pabulo pasceretur, rediit in domum paternam castigatus; unde dicitur in se autem reversus dixit: quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus? ego autem hic fame pereo.

Ambrosius. Bene in se revertitur, quia a se recessit: etenim qui ad deum regreditur, se sibi reddit; et qui recedit a Christo, se sibi abdicat.

Augustinus de quaest. Evang.. in se autem reversus est cum ab eis quae forinsecus frustra illiciunt et seducunt, in conscientiae suae interiora suam intentionem reduxit.

Gregorius nazianzenus. est autem secundum tres differentias obedientiae discretio: aut enim metuentes supplicia declinamus a malo, et sumus in dispositione servili; aut mercedis lucra venantes exequimur quae mandantur, mercenariis assimilati; aut ipsius gratia boni et dilectionis ad eum qui dedit legem servimus; et sic dispositionem redolemus filiorum.

Ambrosius. Filius enim, qui habet sancti spiritus pignus in corde, saecularis mercedis lucra non quaerit, sed ius servat heredis. Sunt etiam mercenarii boni qui conducuntur ad vineam; isti non siliquis, sed panibus abundant.

Augustinus. unde autem hoc scire poterat in quo tanta erat oblivio dei, sicut in omnibus idololatriis fuit, nisi quia ista recogitatio resipiscentis est, cum evangelium praedicaretur? iam poterat talis animadvertere, multos praedicare veritatem; inter quos quidam essent non ipsius amore veritatis ducti, sed cupiditate comparandorum saecularium commodorum; qui tamen non aliud annuntiant, sicut haeretici: unde mercenarii recte appellantur: in eadem quippe domo sunt eumdem panem verbi tractantes, non tamen in hereditatem aeternam vocati, sed temporali mercede conducti.

Chrysostomus. Signanter autem subdit ego autem hic fame pereo: quasi diceret: ego non alienus, sed filius boni patris, et frater filii obsequentis, ego liber et generosus, factus sum miserior mercenariis, a summa celsitudine primae nobilitatis ad infimam humilitatem delapsus.

Gregorius nyssenus. Non prius autem rediit ad pristinam felicitatem, quam in se rediens sentiret opprimentis aerumnae praesentiam, et meditaretur poenitentiae verba, quae subduntur: surgam.

Augustinus. quia iacebat; et ibo, quia longe aberat; ad patrem meum, quia sub principe porcorum erat. Cetera vero sunt poenitentiam meditantis in confessione peccati, nondum tamen agentis: non enim iam dicit patri, sed dicturum se esse promittit cum venerit. Intelligas igitur, hoc nunc accipiendum esse venire ad patrem, in ecclesia constitui per fidem, ubi peccatorum legitima et fructuosa iam possit esse confessio. Dicit ergo dicturum se esse patri: pater.

Ambrosius. Quam misericors qui offensus. Nec paternum nomen dedignatur audire. Peccavi. Haec est prima confessio apud auctorem naturae, praesulem misericordiae, arbitrum culpae. sed si deus novit omnia, vocem tamen tuae confessionis expectat: ore enim confessio fit ad salutem quia alleviat pondus erroris quisquis ipse se onerat; et accusationis excludit invidiam qui accusatorem praevenit confitendo. Frustra velis occultare quem nihil fallit, et sine periculo prodas quod scias esse iam cognitum: confitere magis ut interveniat pro te Christus, roget pro te ecclesia, illacrymet populus; nec verearis ne non impetres. Advocatus spondet veniam, patronus promittit gratiam, reconciliationem tibi paternae pietatis pollicetur assertor. subdit autem in caelum et coram te.

Chrysostomus. Dicens coram te, ostendit hunc patrem deum debere intelligi: deus enim solus conspensor est omnium, a quo nec in corde meditata peccata abscondi possunt.

Augustinus. utrum autem hoc est peccatum in caelum quod est coram te, ut caelum appellaverit ipsam summitatem patris; an potius peccavi in caelum coram sanctis animabus, coram te autem in ipso penetranti conscientiae? **Chrysostomus.** vel caelum hoc loco intelligatur Christus: qui enim in caelum peccat, quod

etsi supernum, tamen visibile elementum est, ipse est qui peccat in hominem quem suscepit filius dei pro salute nostra.

Ambrosius. Vel peccato animae caelestia significantur dona spiritus imminuta; vel quia ab illius gremio matris ierusalem quae est in caelo non oportuit deviari. Deiectus autem se exaltare non debet; unde subdit iam non sum dignus vocari filius tuus. Et ut merito suae humilitatis possit attolli, subdit fac me sicut unum de mercenariis tuis.

Beda. Ad filii affectum, qui omnia quae patris sunt, sua esse non ambigit, aspirare nequaquam praesumit; sed mercenarii statum iam pro mercede serviturus desiderat; verum nec hunc quidem nisi paterna dignatione se mereri posse testatur.

Gregorius nyssenus. Hunc autem filium prodigum spiritus sanctus nobis descripsit, ut instruamur nos qualiter debeamus cordis deplorare peccamina.

Chrysostomus. qui postquam dixit ibo ad patrem meum, quod ei cuncta attulit bona, non mansit, sed totum iter transivit; sequitur enim et surgens venit ad patrem suum. Sic et nos faciamus, nec pigeat nos longitudinis viae: quia si voluerimus, fiet regressus celer et facilis, dummodo deseramus peccatum, quod nos a domo paterna eduxit. est autem pater redeuntibus clemens: nam subditur cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater suus.

Augustinus. ante enim quam intelligeret deum longe existens, cum tamen iam pie quaereret, vidit illum pater ipsius. impios enim, et superbos convenienter non videre dicitur tamquam ante oculos non habens: ante oculos enim haberi non nisi qui diliguntur, dici solent.

Chrysostomus. sensit autem pater poenitentiam; non expectavit recipere confessionis verba, sed praevenit petitionem, misericorditer agens: unde subditur et misericordia motus est.

Gregorius nyssenus. Confessionis meditatio placavit ei patrem, ut obviam iret ei, et oscula collo conferret; sequitur enim et accurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum. Quod significat rationale iugum hominis ori impositum per evangelicam traditionem, quae abiecit observantiam legis.

Chrysostomus. quid enim est aliud quod occurrit, nisi quia nos, peccatis impediuntibus, nostra virtute ad deum pervenire non poteramus? ipse autem potens ad invalidos pervenire descendit. Osculatur autem os, per quod emissa de corde confessio poenitentis exierat, quam pater laetus excepit.

Ambrosius. Occurrit igitur tibi, quia audit te intra mentis secreta tractantem: et cum adhuc longe sis, occurrit, ne quis impediatur: complectitur quoque: in occurso enim praescientia est, in complexu clementia; et quasi quodam patrii amoris affectu supra collum cadit, ut iacentem erigat, et oneratum peccatis atque in terrena deflexum reflectat ad caelum. Malo ergo filius esse, quam ovis: ovis enim a pastore reperitur, a patre filius honoratur.

Augustinus de quaest. Evang.. vel accurrens cecidit super collum eius: non enim pater unigenitum filium suum deseruit, in quo usque in nostram longinquam peregrinationem cucurrit: quia deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Cadere autem super collum eius, est humiliare in amplexum eius brachium suum, quod est dominus iesus Christus. Consolari autem verbo gratiae dei ad spem indulgentiae peccatorum, hoc est post longa itinera remeantem mereri a patre osculum caritatis. Incipit autem iam constitutis in ecclesia peccata confiteri, nec dicit omnia quae dicturum se esse promiserat; sequitur enim dixitque filius ei: pater, peccavi in caelum et coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus. Hoc enim vult fieri per gratiam, quo se indignum per merita fatetur. Non addit quod in illa meditatione dixerat fac me sicut unum de mercenariis tuis: cum enim panem non haberet, vel mercenarius esse cupiebat; quod post osculum patris generosissime iam dedignabatur.

Chrysostomus. Pater autem ad filium sermonem non dirigit, sed ministris loquitur: quia qui poenitet orat: sed responsum verbo vere non accipit, misericordiam vero efficaciter in effectu intuetur; sequitur enim dixit autem pater ad servos suos: cito proferte stolam primam, et induite illum.

Theophylactus. Servos vel angelos intelligas administratorios spiritus, vel sacerdotes, qui baptisate et verbo doctrinae animam vestiunt in ipso Christo. quotquot enim in Christo baptizati sumus, Christum induimus.

Augustinus. vel stola prima est dignitas quam perdidit adam; servi qui eam proferunt, sunt reconciliationis praedicatores.

Ambrosius. vel stola est amictus sapientiae, quo nuda corporis apostoli tegunt. Accepit autem sapientiam primam: est enim et alia quae mysterium nescit. Annulus autem est sinceræ fidei signaculum et expressio veritatis; de quo sequitur et date annulum in manum eius.

Beda. idest in operatione, ut per opera fides clarescat, et per fidem opera confirmentur.

Augustinus. Vel annulus in manu pignus est spiritus sancti, propter gratiae participationem, quae digito bene significatur.

Chrysostomus. vel iubet annulum dari, sive signaculum salutaris symbolum, seu magis desponsationis insigne et nuptiarum pignus, quibus Christus ecclesiam sponsat, cum anima respiscens per annulum fidei iungitur.

Augustinus. calceamenta autem in pedes praeparatio est evangelizandi ad non tangenda terrena; de quibus sequitur et calceamenta in pedes eius.

Chrysostomus. vel mandat calceamenta pedibus imponi, aut propter cooperienda vestigia, ut per lubricum mundi istius iter fixus incedat; aut propter mortificationem membrorum: vitae enim nostrae cursus in scripturis pes appellatur; et mortificationis species calceamentis imponitur, quia de animalium mortuorum pellibus conficiuntur. addit et vitulum illi saginatum, iugulandum in convivii exhibitione; sequitur enim et adducite vitulum saginatum, idest dominum iesum Christum; quem vitulum nominat propter hostiam corporis immaculati: saginatum autem dixit, quia pinguis et opimus intantum est ut pro totius mundi salute sufficiat. Non autem ipse pater vitulum immolavit, sed aliis immolandum tradidit; permittente enim patre consentiens filius ab hominibus crucifixus est.

Augustinus. vel vitulus saginatus est ipse dominus, secundum carnem satiatu opprobriis. Quod autem imperat ut adducant eum, quid aliud est nisi ut praedicent eum, et annuntiando faciant venire in exhausta fame viscera filii esurientis? nam etiam ut occidant eum iubet: hoc est, ut mortem eius insinuent: tunc enim cuique occiditur cum credit occisum: sequitur enim et manducemus.

Ambrosius. Bene carnem vituli, quia sacerdotalis est victima, quae pro peccatis fiebat. Epulantem autem inducit, cum dicit epulemur, ut ostenderet quoniam paternus est cibus, salus nostra; et patris est gaudium, nostrorum redemptio peccatorum.

Chrysostomus. ipse enim pater gaudet in reditu filii, et convivatur in vitulo: quia misericordiae suae fructum in immolatione filii sui gaudens creator, in acquisitione populi credentis epulatur; unde sequitur quia hic filius meus mortuus erat et revixit; perierat, et inventus est.

Ambrosius. ille periit qui fuit. Itaque gentes non sunt, Christianus est. Potest tamen et hic una species accipi generis humani. fuit adam, et in illo fuimus omnes; periit adam, et in illo omnes perierunt. homo igitur in illo homine qui perierat reformatur. potest et de agente poenitentiam dictum videri, quia non moritur nisi qui aliquando vixerit. Et gentes quidem cum crediderint, per gratiam vivificantur; qui vero lapsus fuerit, per poenitentiam reviviscit.

Theophylactus. Quantum ergo ad vitiorum conditionem mortuus fuerat desperatus; sed quantum ad humanam naturam, quae mutabilis est, et potest a vitio ad virtutem converti, deperditus dicitur: nam minus est perdi quam mori. quilibet autem revocatus et mundatus a crimine, saginati vituli particeps causa laetitiae fit patri et famulis eius, idest angelis et sacerdotibus; unde sequitur et coeperunt omnes epulari.

Augustinus. istae epulae atque festivitas nunc celebrantur, per orbem terrarum ecclesia dilatata atque diffusa: vitulus enim ille in corpore et sanguine dominico et offertur patri, et pascit totam domum.

LUCA 15,25-32

10525 (Lc 15,25-32)

Beda. Murmurantibus de peccatorum susceptione scribis et pharisaeis; tres per ordinem parabolas salvator posuit: duabus primis quantum ipse cum angelis de poenitentium salute gaudeat insinuat; in hac vero tertia non suum tantummodo suorumque gaudium demonstrat, sed et invidentium murmur reprehendit; dicitur enim erat autem filius eius senior in agro.

Augustinus de quaest. Evang.. maior filius populus israel est, non quidem profectus in longinquam regionem, sed tamen in domo non est: in agro autem est; idest, in ipsa hereditaria opulentia legis et prophetarum terrena potius operatur. veniens autem de agro domum appropinquare coepit; idest, labore servilis operis improbato, ex eisdem scripturis ecclesiae libertatem consideravit; unde sequitur et cum veniret, et appropinquaret domui, audivit symphoniam et chorum; idest, spiritu sancto plenos vocibus consonis evangelium praedicare; sequitur enim et vocavit unum de servis, et interrogavit quid hoc esset: idest, sumit ad legendum aliquem prophetarum, et in eo quaerens quodammodo interrogat unde ista festa in ecclesia celebrantur, in qua se esse non videt. Respondet ei servus patris propheta; sequitur enim isque dixit illi: frater tuus venit et occidit pater tuus vitulum saginatum, quia salvum illum recepit; quasi dicat: in extremis terrae fuit frater tuus; sed inde maior exultatio cantantium domino canticum novum, quia laus eius ab extremis terrae, et propter eum qui absens erat, occisus est vir sciens ferre imbecillitatem: quia quibus non est narratum de eo viderunt.

Ambrosius. Adolescentiori autem filio, idest populo ex gentibus, israel, tamquam maior frater, beneficium paternae benedictionis invidit; quod faciebant iudaei, quia Christus cum gentibus epularetur; unde sequitur indignatus est autem, et nolebat introire.

Augustinus. Indignatur etiam et nunc, et adhuc non vult intrare. Cum ergo plenitudo gentium introierit, egredietur opportuno tempore pater eius, ut etiam omnis israel salvus fiat; unde sequitur pater ergo illius egressus coepit rogare eum. Erit enim quandoque aperta vocatio iudaeorum in salutem evangelii; quam manifestationem vocationis tamquam egressum patris appellat ad rogandum maiorem filium. Deinde quae respondit maior filius, quaestiones duas habent; sequitur enim at ille respondens dixit patri suo: ecce tot annis servio tibi, et nunquam mandatum tuum praeterivi. De mandato non praetergresso facile illud occurrit, non de omni mandato dictum, sed de uno maxime necessario, quod nullum alium deum praeter unum creatorem omnium colere visus est. Neque iste filius in omnibus israelitis, sed in his intelligitur personam habere qui numquam ab uno Deo ad simulacra conversi sunt. quamquam enim terrena desideraret, ab uno tamen Deo iste desiderabat bona, quamvis communia cum pecoribus: unde et in psalmo 72, 23 dicitur: ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. sed quis est hoedus quem numquam accepit ad epulandum? sequitur enim et nunquam dedisti mihi hoedum, ut cum amicis meis epularer. Peccator hoedi nomine significari valet.

Ambrosius. Iudaeus hoedum requirit, Christianus agnum; et ideo illis barabbas solvitur, nobis agnus immolatur. Quae res etiam in hoedo videtur, quia iudaei ritum veteris sacrificii perdidit. Vel qui hoedum quaerunt, expectant antiChristum.

Augustinus. sed non invenio exitum huius sententiae. Multum enim absurdum est eum cui post dicitur tu mecum es semper, hoc a patre optasse ut antiChristo crederet. Neque omnino aliquem iudaeorum, qui antiChristo credituri sunt, istum filium fas est intelligi. Quomodo autem epularetur ex illo hoedo, si ipse est antiChristus, qui ei non crederet? at si hoc est epulari ex hoedi occisione, quod est de antiChristi perditione laetari; quomodo dicit filius quem recepit pater, hoc sibi non fuisse concessum, cum omnes filii de eius perditione laetaturi sint? ipsum igitur sibi dominum negatum ad epulandum conqueritur, dum eum peccatorem putat: cum enim hoedus est illi genti, idest cum eum sabbati violatorem et profanatorem aestimat, iucundari epulis illius non meruit.

Gregorius. Quod autem dicit cum amicis meis, aut ex persona principum cum plebe intelligatur, aut ex persona populi hierosolymitani, cum ceteris populis iuda. **Hieronymus.** vel dicit nunquam dedisti mihi hoedum; idest, nullus sanguis prophetae vel sacerdotis a romano imperio nos liberavit.

Ambrosius. Impudens autem filius similis est publicano iustificanti se, quia legem servabat in littera: impie accusabat fratrem, quod cum meretricibus paternam substantiam prodegisset; sequitur enim sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.

Augustinus. Meretrices autem sunt superstitiones gentilium, cum quibus substantiam dissipat qui, relicto vero connubio veri dei, cum daemone foeda cupiditate fornicatur. **Hieronymus.** in hoc autem quod dicit occidisti illi vitulum saginatum, confitetur venisse Christum, sed invidia non vult salvari.

Augustinus. Non autem pater eum quasi mentientem redarguit, sed secum perseverantiam eius approbans, ad perfectionem potioris atque iucundioris exultationis invitat; unde sequitur at ipse dixit illi: fili, tu semper mecum es. **Hieronymus.** vel quod dixerat, iactantia est, non veritas; cui pater non consentit, sed alia compescit ratione, dicens mecum es, lege qua stringeris: non quia non peccaverit, sed quia deus eum semper castigando retraxit. Nec mirum si patri mentitur qui fratri invidet.

Ambrosius. sed bonus pater etiam hunc salvare cupiebat, dicens tu mecum semper es, vel quasi iudaeus in lege, vel quasi iustus in communione.

Augustinus. quid autem sibi vult quod addidit et omnia mea tua sunt, quasi non sint et fratris? sed sic a perfectis et immortalibus filiis habentur omnia, ut sint et omnium singula, et omnia singulorum: ut enim cupiditas nihil sine angustia, ita nihil cum angustia caritas tenet. Sed quomodo omnia? nonne et angelos deus in possessionem tali filio subiecisse putandus est? si possessionem sic accipias ut eius possessor ipse sit dominus, non utique omnia: non enim domini erimus, sed consortes potius angelorum. Si vero possessio sic intelligitur; quomodo recte dicimus possidere animas veritatem, non invenio cur non vere ac proprie id possimus accipere: non enim illud loquimur ut dominas veritatis dicamus animas. Aut si nomine possessionis ab hoc sensu impedimur, illud quoque auferatur: non enim ait pater: omnia possides, sed omnia mea tua sunt; nec tamen ut ipsius domini. quod enim est in nostra pecunia, potest familiae nostrae vel alimentum esse, vel ornamentum, vel aliud huiusmodi. Et certe cum ipsum patrem recte ille possit suum dicere, non video quomodo quae ipsius sunt, non etiam recte sua vocare possit, diversis dumtaxat modis. Cum enim beatitudinem illam obtinuerimus, nostra erunt ad videndum superiora, ad convivendum aequalia, ad dominandum inferiora. Congaudeat igitur securissimus maior frater.

Ambrosius. Si enim desinat invidere, omnia sua sunt, vel iudaeus sacramenta veteris testamenti, vel baptizatus nova etiam possidens.

Theophylactus. Vel aliter totum. Persona filii, qui videtur murmurare, sumitur pro omnibus quicumque scandalizantur in subditis; sicut david introducit personam passam scandalum in peccatorum pace. Titus. Maior igitur filius sicut agricola insistebat agriculturae, non terrestrem, sed animae agrum fodiens, et salutis arbores inserens, scilicet virtutes.

Theophylactus. vel erat in agro, hoc est in mundo, colens propriam carnem, ut repleatur panibus, et seminans in lacrymis ut in gaudio metat: sed cognitis gestis nolebat intrare ad commune gaudium.

Chrysostomus. Quaeritur autem si afficitur passione livoris dolens in prosperis aliorum. Dicendum est autem, quod nullus sanctorum dolet in talibus; immo bona aliorum sua existimat. Non autem oportet omnia quaecumque parabola continet, ad litteram pertractare; sed sensum elicientes cuius causa componitur, nihil aliud perscrutari. Haec ergo parabola ad hoc est composita ut peccatores non diffidant reverti, scientes quod magna consequentur: unde introducit alios turbatos in eorum bonis, ut indicet eos livore tabescentes, sed tanto decore honoratos redeuntes, ut etiam invidiosi possint aliis fieri.

Theophylactus. Vel pharisaeorum intentionem corrigit dominus per praesentem parabolam, quos ex hypothesi nominat iustos; quasi dicat: esto vere vos iustos esse, nec transgressos aliquod mandatorum: numquid igitur propter hoc non oportet admittere a flagitiis redeuntes? hieronimus. vel aliter. Omnis iustitia in comparatione dei est iniustitia; unde paulus: quis me liberabit de corpore mortis huius? unde apostoli indignati sunt pro petitione matris filiorum ze **Bedaei**.

Cyrillus. Quod et nos ipsi quandoque patimur; vivunt enim quidam praestantissimam et optimam vitam; alius autem in ipso senio multoties ad deum convertitur, vel forsitan extremum diem claudere debens, ac diluit reatus, domino miserante. Hoc quidem aliquando respuunt ex importuna pusillanimitate, non attendentes mentem salvatoris, qui de salute pereuntium gaudet.

Theophylactus. Dicit ergo filius patri: gratis duxi in doloribus vitam, a peccatoribus molestatus; et numquam causa mei decrevisti mactandum esse hoedum, idest persequentem me peccatorem, ut paululum recrearer; qualis hoedus fuit achab eliae qui dicebat: domine, prophetas tuos occiderunt.

Ambrosius. Vel aliter. Notatur hic frater usque adeo ut de villa venire dicatur, hoc est terrenis operibus occupatus, ignorans quae sunt spiritus dei, ut denique numquam pro se vel hoedum quaeratur occisum: non enim pro invidia, sed pro venia mundi agnus est immolatus. invidus hoedum quaerit, innocens agnum pro se desiderat immolari. Ideo et senior dicitur, eo quod cito quis per invidiam consenescat; ideo et foris stat, eo quod malevolentia eum excludat; ideo chorum et symphoniam audire non potest, hoc est nonnulla theatralis incentiva lasciviae, sed plebis concordiam concinentis quae de peccatore salvato dulcem laetitiae suavitatem resultat; qui enim sibi iusti videntur, indignantur quando alicui peccatum fatenti venia laxatur. Quis tu es qui domino contradicas, ne videlicet culpam relaxaret, cum tu cui volueris ignoscas? sed remittendis post poenitentiam debemus favere peccatis; ne dum veniae alterius invidemus, ipsi eam non mereamur a domino. Non invidemus de longinqua regione remeantibus, quia et nos fuimus in regione longinqua.

LUCA 16,1-7

10601 (Lc 16,1-7)

Beda. Postquam murmurantes de poenitentium receptione tribus parabolis salvator redarguit, quartam mox quintamque de eleemosyna danda et parsimonia sequenda subiungit; quia et ordo praedicandi aptissimus est ut post poenitentiam eleemosyna subiungatur; unde dicitur dicebat autem ad discipulos suos: homo quidam erat dives, qui habebat villicum.

Chrysostomus. Opinio quaedam erronea aggravata mortalibus auget crimina, minuit bona: ea vero est opinari quod ea quaecumque possidemus in usu vitae, possideamus ut domini; et ideo etiam opportune ea apprehendimus tamquam bona praecipua. sed contrarium est: non enim nos ut domini in vita praesenti collocati sumus in propria domo, sed tamquam hospites et advenae quo nolimus ducimur, et quo tempore non putamus: qui nunc locuples est, in brevi fit mendicus. Ergo quicumque sis, noveris te esse dispensatorem alienorum, et quod transitorii usus et brevis tibi iura concessa sunt. Abiecto ergo ab anima domini fastu, sumas humilitatem et modestiam villici.

Beda. Villicus quippe villae gubernator est, unde et a villa nomen accepit; oeconomus autem tam pecuniae quam frugum et omnium quae habet dominus, dispensator est.

Ambrosius. Ex hoc ergo discimus non ipsos esse dominos, sed potius villicos alienarum facultatum.

Theophylactus. Deinde quod cum non exercemus dispensationem opum ad libitum domini, sed ad proprias illecebras commissis abutimur, criminosi villici sumus; unde sequitur et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius.

Chrysostomus. Interea evulsus a villicatione eripitur; sequitur enim et vocavit illum, et ait ei: quid hoc audio de te? redde rationem villicationis tuae: iam enim non poteris villicare. Quotidie talia nobis per effectus exclamat dominus, ostendens nobis fruentem in meridie sospitate, priusquam vesperascit, exanimem, et alium inter prandia expirantem; et diversimode ab hac villicatione discedimus. Sed fidelis dispensator, qui de propria dispensatione confidit, desiderat cum paulo dissolvi et esse cum Christo; is autem cuius sunt vota terrena, anxiat in exitu: unde de hoc villico subditur ait autem villicus intra se: quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? fodere non valeo, mendicare erubesco. Impotentem esse in opere crimen est vitae inertis; non enim timeret, si consuevisset affectare labores. Quod si secundum allegoriam accipiamus parabolam, post transmirationem hinc factam non est tempus operandi. vita praesens habet exercitium mandatorum, futura vero solatium. Si nihil operatus es hic, frustra in futurum curas; sed nec mendicando proficies. Huius indicium sunt virgines fatuae: quae imprudenter a prudentibus mendicaverunt, sed reversae sunt vacuae; quilibet enim suam conversationem ut tunicam induit; non est autem eam exuere, nec ambire cum alio. sed debitorum remissionem ingeniatus est nequitiae villicus, statuens sibi malorum remedium in conservis; sequitur enim scio quid faciam, ut cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas. quoties enim quis exitum suum percipiens, levat beneficio sarcinam peccatorum, vel relaxando debita debitori, vel tribuens inopibus copiam, ea quae sunt domini largiens: multos amicos conciliat praebituros sibi coram iudice testimonium veritatis non vocibus, sed bonorum operum ostensione; quin etiam paraturos per testimonium refrigerii mansionem. Nihil autem est nostrum, sed omnia sunt ditionis dei; unde sequitur convocatis itaque debitoribus domini sui, dicebat primo: quantum debes domino meo? at ille dixit: centum cados olei.

Beda. Cados graece est amphora continens urnas tres. sequitur dixitque illi: accipe cautionem tuam, et sede cito, et scribe quinquaginta; dimidiam ei partem dimittens. sequitur deinde alii dixit: tu vero quantum debes? qui ait: centum coros tritici. Corus modiis triginta completur. sequitur ait illi: accipe litteras tuas, et scribe octoginta; quintam partem ei dimittens. Simpliciter ergo sic potest accipi. quisquis indigentiam pauperis vel ex dimidia, vel ex quinta alleviat parte, misericordiae suae mercede donandus est.

Augustinus de quaest. Evang.. vel quod de centum cadis olei quinquaginta fecit scribi a debitore, et de centum coris tritici octoginta, ad hoc valere arbitror, ut ea quae in sacerdotes atque levitas iudaeus quisque operatur, in ecclesia Christi abundet, ut cum illis decimas darent, isti dimidias dent, sicut de bonis suis fecit zachaeus; aut certe duas decimas dando, idest unam quintam, superent impendia iudaeorum.

LUCA 16,8-13

10608 (Lc 16,8-13)

Augustinus de quaest. Evang.. villicum quem dominus eiciebat a villicatu, laudavit dominus, eo quod in futurum sibi prospexerit; unde dicitur et laudavit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter egisset. Non tamen omnia debemus ad imitandum sumere; non enim domino nostro facienda est in aliquo fraus, ut de ipsa fraude eleemosynas faciamus.

Origenes. Verum, quia gentiles dicunt prudentiam esse virtutem, et definiunt eam peritiam bonorum, malorum et neutrorum; vel cognitionem agendorum et non agendorum: considerandum est utrum haec dictio plura aut unum significet. Dicitur enim quod deus paravit caelos prudentia: constat bonam esse prudentiam, qua dominus caelos paravit. Dicitur etiam in genesis secundum lxx, quod serpens prudentissimus erat: ubi prudentiam non virtutem dicit, sed astutiam ad mala inclinationem habentem; et secundum hoc dicitur quod dominus laudavit villicum, quia prudenter egisset; hoc est callide et perperam. Et forsitan quod dixit laudavit, non secundum veram commendationem, sed abusive dictum est; ut cum dicimus aliquem commendari in mediocribus et indifferentibus rebus, et quodammodo mirandos esse concursus et acumen, quibus vigor mentis elicitur.

Augustinus. e contrario dicuntur istae similitudines, ut intelligamus, si laudari potuit ille a domino qui fraudem faciebat, quanto amplius placeant Deo qui secundum eius praeceptum opera illa faciunt.

Origenes. Filii quoque huius saeculi non sapientiores, sed prudentiores dicuntur lucis filiis; et hoc non absolute et simpliciter, sed in genere suo; sequitur enim quia filii huius saeculi prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt.

Beda. Filii lucis et filii huius saeculi vocantur, quomodo filii regni et filii perditionis; cuius enim unusquisque agit opera, eius cognominatur et filius.

Theophylactus. filios ergo huius saeculi vocant cogitantes quae sibi commoda sunt in terra; filios vero lucis spirituales opes tractantes intuitu divini amoris. Invenimur autem in humanis quidem administrationibus prudenter omnia disponentes et summopere satagentes, ut si desierimus ab administratione, habeamus vitae refugium; cum vero dispensare debemus divina, non praemeditamur quae nobis postmodum sunt profutura.

Gregorius moralium. ut ergo in sua manu homines post mortem quidquam inveniant, ante mortem divitias suas in pauperum manibus ponant; unde sequitur et ego vobis dico: facite vobis amicos de mammona iniquitatis.

Augustinus de verb. Dom.. quod hebraei vocant mammona, latine divitiae vocantur; ac si diceret: facite vobis amicos de divitiis iniquitatis. hoc autem quidam male intelligendo rapiunt aliena, et inde aliquid pauperibus largiuntur; et putant se facere quod praeceptum est. Intellectus iste corrigendus est. De iustis laboribus eleemosynas facite: non enim corrupturi estis iudicem Christum. Si de praeda inopis dares aliquid iudici ut pro te iudicaret, si iudex ille pro te iudicabit, tanta vis est iustitiae ut etiam tibi displiceat. Noli tibi pingere talem deum; fons iustitiae est. Noli ergo eleemosynas facere de fenore et usuris: fidelibus dico, quibus corpus Christi erogamus: sed si pecunias tales habetis, de malo est quod habetis. iam nolite malum facere. Zachaeus dixit: dimidium rerum mearum do pauperibus. Ecce quomodo currit qui currit facere amicos de mammona iniquitatis: et ne reus aliunde teneretur: si cui aliquid tuli, quadruplum reddam. Est et alius intellectus. Mammona iniquitatis divitiae saeculi sunt omnes, undecumque sint. si enim veras divitias quaeris, aliae sunt, quibus iob nudus abundabat, quando in deum cor plenum habebat. Istae autem ab iniquitate appellantur divitiae, quia verae non sunt: paupertate enim plenae sunt, et semper obnoxiae casibus: si enim verae divitiae essent, securitatem tibi darent.

Augustinus de quaest. Evang.. vel divitiae iniquitatis dicuntur, quia non sunt istae divitiae nisi iniquis, et qui in eis constituunt spem, atque copiam suae beatitudinis. A iustis vero cum hic possidentur, est quidem ista pecunia, sed non sunt illis divitiae nisi caelestes et spirituales.

Ambrosius. Vel iniquum mammona dixit, quia variis divitiarum illecebris nostras avaritias tentat affectus, ut velimus servire divitiis.

Basilius. Vel si successeris patrimonio, ab iniustis congregata cepisti: in pluribus enim praedecessoribus necesse est aliquem reperiri qui iniuste usurpaverit aliena. Ponatur autem ut nec pater exegerit; sed aurum

unde habes? si quidem dicis: a me, ignarus dei es, non habens notitiam creatoris; si vero a deo, dic nobis rationem propter quam eas accepisti: an non dei est terra et plenitudo eius? ergo si communis domini nostra sunt, erunt et conservorum nostrorum.

Theophylactus. Illae ergo dicuntur opes nequitiæ quascumque dominus dedit ad impendia necessitatis fratrum ac conservorum nostrorum; nos vero tenemus nobis. Decebat igitur a principio omnia pauperibus tradi; verum, quia iniquitatis fuimus villici, nequiter retinentes quod deputatum est ad aliorum opus, non est omnino manendum in hac crudelitate, sed impartendum est pauperibus, ut recipiamur ab eis in caelestibus tabernaculis; sequitur enim ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.

Gregorius moralium. Si autem eorum amicitias aeterna tabernacula acquirimus, dantes pensare debemus quia patronis potius munera offerimus quam egenis dona largimur.

Augustinus de verb. Dom.. Qui sunt enim qui habebunt tabernacula aeterna nisi sancti dei? et qui sunt qui ab ipsis accipiendi sunt in tabernacula aeterna, nisi qui eorum indigentiae serviunt, et quod eis opus est hilariter subministrant? isti sunt minimi Christi qui omnia sua dimiserunt, et secuti sunt eum: et quicquid habuerunt, pauperibus distribuerunt, ut Deo sine saeculari compede expediti servirent, et ab oneribus mundi liberatos, velut pennatos sursum humeros tollerent.

Augustinus de quaest. Evang.. non ergo eos a quibus recipi volumus in tabernacula aeterna, tamquam debitores dei fas est intelligi; cum iusti et sancti significantur hoc loco, qui eos introducant qui necessitatibus suis terrena bona communicaverunt.

Ambrosius. Vel aliter. facite vobis amicos de iniquo mammona, ut largiendo pauperibus, angelorum ceterorumque sanctorum gratiam comparemus.

Chrysostomus. attende etiam, quod non dixit: ut suscipiant vos in suis mansionibus: non enim ipsi sunt qui suscipiunt; unde cum dixisset facite vobis amicos, addidit de mammona iniquitatis: ostendens quod non simpliciter eorum amicitia nobis patrocinabitur, nisi bona opera nos comitentur, nisi evacuemus iuste divitias congestas iniuste. ars igitur artium peritissima est eleemosyna: non enim nobis domos fabricat luteas; sed vitam perennem impendit. singularum artium alia alterius adminiculo indiget; cum autem misereri oportet, nullius alterius, sed solius voluntatis est opus.

Cyrillus. Sic igitur docebat Christus, affluentes divitiis summopere diligere amicitiam pauperum et thesaurizare in caelis. noverat autem humanae mentis desidiam, quomodo ambientes divitias nullum caritativum opus impendunt egentibus. Quod igitur talibus nullus spiritualium donorum fructus proveniat, manifestis exemplis ostendit, subdens qui fidelis est in minimo, et in maiori fidelis est; et qui in modico iniquus est, et in maiori iniquus est. Aperit autem nobis dominus oculus cordis, exponens quod dixerat, cum subdit si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod verum est quis credet vobis? est igitur minimum iniquitatis mammona, idest terrena divitiarum; quae superna sapientibus nihil esse videntur. arbitror ergo aliquem esse in modico fidelem, cum de his minimis, oppressis aerumna subsidium impertitur. itaque si in modico fuerimus perfidi, quo pacto ab eo obtinebimus verum, idest divinarum charismatum, uber donum, animae humanae imprimens divinam speciem? quod autem ad hoc tendat intentio verborum domini, per sequentia patet; dicit enim et si in alieno non fuistis fideles, quod vestrum est quis dabit vobis?

Ambrosius. Alienae nobis divitiae sunt, quia praeter naturam sunt, neque nobiscum nascuntur, neque nobiscum transeunt: Christus autem noster est; quia hominum vita est, denique in propria venit.

Theophylactus. Sic igitur hucusque docuit nos quam fideliter deceat dispensare divitias; sed quia opum dispensatio secundum deum non aliter obtinetur quam per impassibilitatem animi ad divitias non affecti, subiungit nemo servus potest duobus dominis servire.

Ambrosius. non quia duo, sed unus est dominus: nam etsi sint qui mammonae serviant, tamen non ille novit aliqua iura dominatus, sed ipsi sibi iugum servitutis imponunt. Unus est dominus, quia unus est deus: unde patet patris et filii unum esse dominatum: et huius rationem assignat subdens aut enim unum odio habebit, et alterum diliget; aut uni adhaerebit, et alterum contemnet.

Augustinus de quaest. Evang.. Haec autem non passim aut quasi temere dicta sunt; nemo enim interrogatus utrum diligit diabolum, respondet se diligere, sed potius odisse; deum autem se diligere omnes fere proclamant. Ergo aut unum odiet, scilicet diabolum, et alterum diliget, scilicet deum; aut alteri adhaerebit, scilicet diabolo, cum quasi eius praemia temporalia sectatur, et alterum contemnet, scilicet deum; sicut solent minas eius postponere cupiditatibus suis qui de bonitate eius ad impunitatem sibi blandiuntur.

Cyrillus. Conclusio autem est totius sermonis quod sequitur: non potestis Deo servire et mammonae. Totum igitur studium transferamus ad alterum, divitiis abrenuntiantes.

Beda. Audiatur ergo hoc avarus non posse simul divitiis Christoque serviri; et tamen non dixit: qui habet divitias, sed: qui servit divitiis; qui enim divitiarum servus est, divitias custodit ut servus; qui autem servitutis excussit iugum, distribuit eas ut dominus. Sed qui servit mammonae, illi utique servit qui rebus istis terrenis merito suae perversitatis praepositus et princeps huius saeculi nominatur.

LUCA 16,14-18

10614 (Lc 16,14-18)

Beda. Monuerat Christus scribas et pharisaeos de sua iustitia non praesumere, sed peccatores poenitentes recipere et eleemosynis sua peccata redimere; sed illi praeceptorem misericordiae, humilitatis, et parsimoniae deridebant: unde dicit audiebant autem omnia haec pharisaei, qui erant avari, et deridebant eum; duas ob causas: quia vel minus utilia imperaret, vel a se iam facta superflue ingereret.

Theophylactus. At dominus detegens in eis occultam malitiam, ostendit eos simulare iustitiam; unde subditur et ait illis: vos estis qui iustificatis vos coram hominibus. iustificant se coram hominibus qui peccatores tamquam infirmos desperatosque contemnunt, se autem ipsos tamquam perfectos eleemosynarum remedio opus non habere credunt; sed noxii tumoris altitudo quam sit iuste damnanda videt ille qui illuminabit abscondita tenebrarum; unde sequitur deus autem novit corda vestra.

Theophylactus. et ideo abominabiles ei estis ob arrogantiam et ambitum humani favoris; unde subditur quia quod hominibus altum est, abominatio est apud deum.

Beda. Disputantem autem contra avaritiam salvatorem pharisaei deridebant, quasi contraria legi prophetisque praeciperet, ubi multi ditissimi Deo placuisse leguntur; sed et ipse moyses populum quem regebat, si legem sequeretur, omnibus terrenis bonis abundaturum praedixit: quibus dominus occurrens ostendit inter legem et evangelium, sicut promissionum, ita et praeceptorum non minimam esse differentiam; unde subditur lex et prophetae usque ad iohannem.

Ambrosius. Non quia lex defecit, sed quia incepit evangelii praedicatio: videntur enim minora compleri, cum potiora succedunt.

Chrysostomus in Matthaem. Per hoc autem reddit eos celeres ad sui fidem: quia si usque ad tempus iohannis consummata sunt omnia, ego sum qui veni: non enim destitissent prophetae, nisi venissem ego. Sed dices: qualiter prophetae usque ad iohannem, cum multo plures prophetae in novo quam in veteri testamento fuerint? sed de illis prophetis dicit qui praenuntiaverunt Christi adventum.

Eusebius. Noverant autem priores prophetae praedicationem regni caelorum; sed nullus eorum expresse annuntiaverat populo iudaeorum: eo quod puerilem mentem iudaei habentes, imbecilles erant circa praedicationis immensitatem. primus autem iohannes manifeste praedicavit appropinquasse regnum caelorum, necnon et peccatorum remissionem per lavacrum regenerationis; unde sequitur ex eo regnum dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit.

Ambrosius in lucam. Lex enim multa secundum naturam tradidit, ut naturalibus indulgentior desiderii ad iustitiae studium nos vocaret; Christus naturam incidit, quia naturales quoque amputat voluptates. Sed ideo vim facimus naturae ut non ad terrena demergat, sed ad superna se erigat.

Eusebius. Magna enim pugna incumbit mortalibus in ascensu caelorum: quod enim homines carne mortali vestiti subiugent voluptatem et omnem illicitum appetitum, imitari volentes vitam angelicam, quomodo non fit violenter? quis autem videns divino insudantes cultui, et pene suam carnem mortificantes, non revera fatebitur illos vim inferre regno caelorum? sed et si quis indagaverit mirandum propositum venerandorum martyrum, fatebitur eos vim irrogare in regnum caelorum.

Augustinus de quaest. Evang.. vim etiam faciunt in regnum caelorum, ut non solum temporalia ista contemnant, sed etiam linguas deridentium se talia contemnentes: hoc enim subiungit evangelista, cum dixisset derisum fuisse iesum cum de contemnendis terrenis divitiis loqueretur.

Beda. Ne autem putarent in eo quod dixit lex et prophetae usque ad ioannem, legis vel prophetarum ab eo destructionem praedicari; hoc excludit subdens facilius autem est caelum et terram praeterire, quam de lege unum apicem cadere. praeterit enim figura huius mundi; de lege autem nec unius quidem litterae summitas, idest nec minima quaeque a sacramentis spiritualibus vacant: et tamen lex et prophetae usque ad ioannem; quia non potuit ultra venturum prophetari qui ioannis praeconio iam venisse clarebat. Quod autem de lege in perpetuum non violanda praedixerat, uno exempli gratia de illa sumpto confirmat testimonio, dicens omnis qui dimittit uxorem suam, et ducit alteram, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moechatur: ut ex hoc uno discerent etiam in ceteris eum non ad solvenda, sed implenda decreta legis venisse.

Theophylactus. Quod enim cum imperfectis lex imperfecte loqueretur, ex hoc patet quod duris praecordiis iudaeorum ait: si vir odio habuerit coniugem, dimittet eam; quia cum homicidae essent et gauderent in sanguine, nec astrictorum sibi miserebantur: adeo ut filios et filias mactarent daemonibus. Nunc vero perfectioris doctrinae opus est; ob hoc igitur dico, quod si quis repudiat coniugem, non incumbente causa fornicationis, moechatur, et qui aliam duxerit, moechatur.

Ambrosius. Prius autem dicendum arbitror de lege coniugii, ut postea de prohibendo divortio disputemus. quidam putant omne coniugium a Deo esse, quia scriptum est: quod deus coniunxit, homo non separet. quomodo ergo apostolus dixit: si infidelis discedit, discedat? in quo ostendit non a Deo esse omne coniugium: neque enim Christiani gentilibus dei iudicio coniunguntur. Noli ergo uxorem dimittere, ne deum tuae culpae diffitearis auctorem. Etenim si alienos, multo magis uxoris debes tolerare et emendare mores: quae cum parvulis feta dimittitur: durum si excludas parentem, pignora teneas, ut ad contumeliam parentis addas etiam pietatis iniuriam; durius si propter matrem etiam filios simul pellas. Patierisne liberos tuos vivente te esse sub vitrico; ac incolumi matre, esse sub noverca? quam periculosum si fragilem adolescentiae aetatem errori offeras; quam impium, si eius destituas senectutem cuius defloraveris iuventutem. Pone si repudiata non nubat; et hoc tibi debuit displicere, cui adultero fidem servat. Pone si nubat; necessitas illius tuum crimen est; et quod coniugium putas, adulterium est. Hoc moraliter tamen: quia supra proposuerat regnum dei evangelizari; et cum dixisset de lege unum apicem non posse cadere, subiecit omnis qui dimittit uxorem suam et ducit alteram, moechatur, etc.; vir Christus est, uxor ecclesia, caritate uxor, integritate virgo. Ergo quem deus traxit ad filium, non separet persecutio, non avertat luxuria, non philosophia depraedetur, haeticus non inficiat, iudaeus non separet. Adulteri sunt omnes qui adulterare cupiunt fidei et sapientiae veritatem.

LUCA 16,19-21

10619 (Lc 16,19-21)

Beda. Admonuerat supra dominus facere amicos de mammona iniquitatis; quod audientes pharisaei deridebant: deinde illa quae proposuerat exemplis astruit, dicens homo quidam erat dives.

Chrysostomus. erat, non est, quia praeterit quasi umbra fugiens. Non autem omnis sancta paupertas, aut divitiae criminosae; sed ut luxuria infamat divitias, ita paupertatem commendat sanctitas; sequitur enim et induebatur purpura et bysso.

Ambrosius. Purpura color regii habitus est, ex conchis marinis ferro circumcisis emissa; byssus vero genus lini candidi et mollissimi.

Gregorius in evang.. si autem subtilium pretiosarumque vestium cultus culpa non esset, nequaquam sermo dei hoc tam vigilanter exprimeret. Nemo quippe vestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam quaerit, ut honoratior ceteris esse videatur: nemo enim vult ibi pretiosis vestibus indui ubi ab aliis non possit videri.

Chrysostomus. cinerem et pulverem et terram purpura et serico protegebat: secundum vestimenta eius, ita et epulae: ergo et nobis quales epulae, talia et vestimenta; unde sequitur et epulabatur quotidie splendide.

Gregorius moralium. ubi solerter intuendum est, quia celebrari sine culpa convivia vix possunt: pene semper epulas comitatur voluptas. Nam dum corpus in refectionis delectatione resolvitur, cor ad inane gaudium relaxatur. sequitur et erat quidam mendicus nomine lazarus.

Ambrosius. Narratio magis quam parabola videtur, quando etiam nomen exprimitur.

Chrysostomus. parabola vero illa est ubi exemplum ponitur, et tacentur nomina. Interpretatur autem lazarus, qui adiutus est: pauper enim erat, et illum dominus adiuuabat.

Cyrillus. Vel aliter. Praesens sermo de divite et lazaro similitudinarie scriptus est in parabola, ut innotescat quod qui terrenis affluunt opibus, nisi velint opitulari necessitatibus pauperum, gravem incurrent sententiam. Refert autem traditio iudaeorum, lazarus quemdam fuisse tunc temporis in hierosolymis extrema pressum inopia et infirmitate, cuius meminit dominus, introducens eum in exemplum ad maiorem sermonis manifestationem.

Gregorius in evang.. Notandum etiam est, quia in populo plus solent nomina divitum quam pauperum sciri. dominus autem nomen pauperis dicit, et nomen divitis non dicit: quia deus humiles novit atque approbat, superbos ignorat. Ut autem amplius probaretur pauper, simul hunc et paupertas et aegritudo tabefecit; sequitur enim qui iacebat ad ianuam eius ulceribus plenus.

Chrysostomus. ideo iacebat ad ianuam, ne dives diceret: non vidi, nemo mihi nuntiavit. Videbat eum exiens et revertens. Ideo ulceribus plenus, ut crudelitatem divitis suo corpore demonstraret. infelicissime hominum, mortem corporis tui vides iacere ante ianuam, et non misereris. Si dei praecepta non consideras, saltem conditionis tuae miserere, et time ne ipse talis efficiaris. Aegrotatio autem habet aliquod solatium, si opes habet; quanta ergo in isto poena est in quo inter tanta vulnera non meminit dolores plagarum, sed famem? sequitur enim cupiens saturari de micis quae cadebant de mensa divitis; quasi dicat: quod proicis de mensa, hoc praebe in eleemosynam; fac damna lucrum.

Ambrosius. insolentia autem et tumor divitum iudiciis competentibus subinfertur; sequitur enim et nemo illi dabat. Ita enim sunt conditionis humanae immemores, ut tamquam supra naturam siti de miseris pauperum incentiva suarum capiant voluptatum, rideant inopem, insultent egenti, et quorum misereri deceat, his auferant.

Augustinus de verb. Dom.. inexplibilis enim avaritia divitum nec timet deum, nec hominem veretur; non parcat patri, amico fidem non servat, viduam opprimit, rem pupilli invadit.

Gregorius. insuper pauper videbat procedentem divitem ab obsequentibus circumfulciri, se in infirmitate et inopia a nullo visitari: nam quia nemo ei ad visitandum aderat, testantur canes, qui licenter vulnera eius lingeant; sequitur enim sed et canes veniebant, et lingeant ulcera eius.

Chrysostomus. Ulcera quae nullus hominum lavare dignabatur et contrectare, ferae mites lambunt.

Gregorius. Ex una ergo re omnipotens deus duo iudicia exhibuit, dum lazarus pauperem ante ianuam divitis iacere permisit: ut et dives impius damnationis sibi augeret ultionem, et tentatus pauper cresceret ad remunerationem: quia conspiciebat ille quotidie cui misereretur, videbat iste de quo probaretur.

LUCA 16,22-26

10622 (Lc 16,22-26)

Chrysostomus. audivimus quid utrique in terra passi sunt; videamus quid utrique patiantur apud inferos. Quod temporale fuit, praeteriit; quod sequitur, aeternum est. uterque mortuus est: illum angeli, hunc poenae susceperunt; dicitur enim factum est autem ut moreretur mendicus, et portaretur in sinum abrahamae. Tanta poenae repente deliciis commutantur. Portatur post tantos labores, quia defecerat, ne saltem ambulans laboraret; et portabatur ab angelis. non suffecerat ad portandum pauperem unus angelus; sed propterea plures veniunt ut chorum laetitiae faciant. Gaudet unusquisque angelus tantum onus tangere; libenter talibus oneribus praegravantur, ut ducant homines ad regna caelorum. portatus est autem in sinum abrahamae, ut illum palparet et refocillaret. Sinus abrahamae, paradus est. Ideo autem angeli ministrantes tulerunt pauperem et locaverunt eum in sinu abrahamae, quia licet despectus iaceret, non tamen desperavit, nec blasphemavit, dicens: hic dives in nequitia vivens gaudet, et tribulationem non patitur; ego vero nec obtinere valeo necessariam escam.

Augustinus de orig. an.. Quod autem abrahamae sinum existimas esse corporeum, vereor ne in re tanta ioculariter, non serio agere credaris. neque enim usque adeo deciperis, ut arbitreris corporeum sinum hominis unius ferre tot animas; immo, ut secundum te loquar, tot corpora quot illuc angeli, sicut lazarus, perferunt: nisi opineris fortasse illam unam animam solam ad eundem sinum pervenire meruisse. Si errare

pueriliter non vis, sinum abrahamae intellige remotam sedem quietis atque secretam, ubi est abraham; et ideo abrahamae dictam, non quod ipsius tantum sit, sed quod ipse multarum gentium pater sit, qui ad imitandum fidei principatum praepositus est.

Gregorius in evang.. Cum autem duo essent inferius corda, pauperis scilicet et divitis; unus desuper erat inspector, qui et pauperem tentando exercebat ad gloriam, et divitem tolerando expectabat ad poenam; unde sequitur mortuus est autem et dives.

Chrysostomus. mortuus quidem est tunc corpore; sed erat illi ante anima mortua: nihil enim agebat ex operibus animae: nam totus fervor eius qui provenit ex dilectione proximi, expiravit, et erat corpore defuncto defunctor. Nullus autem est qui sepeliendo diviti ministrasse dicatur ut lazaro: eo namque quod in lato itinere delectatus multos habuit obsequentes adultores, ut pervenit ad finem, privatus est omnibus; simpliciter enim sequitur et sepultus est in inferno. Sed etiam anima eius dum viveret sepeliebatur, obruta corpore quasi sepulchro.

Augustinus de quaest. Evang.. Sepultura autem inferni poenarum profunditas est, quae superbos et immisericordes post hanc vitam vorat.

Basilius. Est autem infernus quidam locus communis in intimo terrae, obumbratus undique, et opacus, cuius est quoddam orificium in profundum tendens, per quod patet descensus animabus ad mala damnatis.

Chrysostomus. vel sicut regum carceres extra manent, sic et extra mundum foris alicubi est infernus, unde et exteriores tenebrae dictae sunt.

Theophylactus. Quidam vero dicunt infernum esse transitum ab apparenti ad disprens, et deformitatem animae: quamdiu enim anima peccatoris in corpore est, apparet per proprias operationes; ut autem evolat de corpore, fit deformis.

Chrysostomus. Sicut autem pauperi dum viveret graviolem poenam reddebat iacere ante ianuam divitis, et aliena bona prospicere; sic diviti mortuo augebat exitium accubitus in gehenna, et prospectus delectationis lazari; ne solum tormentorum natura, sed et collatione honoris illius intolerabilius sentiret supplicium; unde sequitur elevans autem oculos suos, cum esset in tormentis, vidit abraham a longe. Elevavit quidem oculos ut inspiceret, non ut despiceret. Lazarus enim sursum erat, ille deorsum; illum plures angeli portabant, istum infinita tormenta possidebant; unde non dicit cum esset in tormento, sed in tormentis: totus enim in tormentis erat, oculos solos liberos habebat, ut alterius laetitiam posset aspicere, ut magis torqueatur, quia non habet quod alius habet: aliorum divitias, eorum qui in paupertate sunt, tormenta sunt.

Gregorius. Si autem abraham adhuc in imis non esset, hunc dives in tormentis positus non videret. Eos enim qui caelestis patriae vias secuti sunt, post egressum carnis, inferni claustra tenuerunt, non ut poena quasi peccatores plecteret, sed ut illos in locis remotioribus requiescentes, quia necdum intercessio mediatoris advenerat, ab ingressu regni reatus primae culpae retineret.

Chrysostomus. multi autem erant pauperes iusti; sed qui iacuit ad limina eius, aspectui occurrit ad eius tristitiam; sequitur enim et lazarus in sinu eius.

Chrysostomus. Hinc innotescit quod omnes qui a nobis offenduntur, obiciuntur nostro conspectui. Dives autem lazarus non penes alium iustum, sed in sinu abrahamae videt: erat enim abraham caritativus, hic autem crudelitatis arguitur; ille sedens ante fores venabatur transeuntes, et in domum propriam ingerebat; hic vero et manentes intus avertebat.

Gregorius in evang.. qui nimirum dives eum cuius in hac vita misereri non voluit, in suo iam supplicio positus patronum quaerit.

Theophylactus. Non tamen dirigit sermonem ad lazarus, sed ad abraham: quia forsitan erubescerat, et putabat lazarus reminisci malorum, ex propriis iudicans de illo; unde sequitur et ipse clamans dixit.

Chrysostomus. Magnae enim poenae magnam vocem reddebant. Pater abraham; quasi dicat: patrem te voco natura, quomodo filius qui perdidit suam substantiam, licet meo vitio te patrem perdiderim. miserere mei. Frustra agis poenitentiam ubi non est poenitentiae locus. tormenta te cogunt, non mentis affectus. quicumque in regno caelorum est, nescio an eius qui in inferno est valeat misereri. creator creaturae miseretur suae. unus venit medicus qui sanaret morbos; alii sanare non poterant. Mitte lazarus. erras, miser; abraham mittere non potest, sed suscipere potest. Ut intingat extremum digiti sui in aquam. Lazarus

videre non dignaberis, et nunc digitum eius desideras: hoc quod petis, tu ei debebas facere cum adhuc viveret. Aquam desideras, qui delicatos cibos ante fastidiebas. vide conscientiam peccatoris: non totum audet poscere digitum. Instruimur autem quam sit utile in divitiis non confidere. ecce dives indiget paupere, qui quandoque esuriebat. Mutantur res, et notificatur omnibus quis esset dives, quis esset pauper; sicut enim in theatris cum advesperascit, et astantes recedunt, exeuntes et amictum deponentes, qui reges et praetores visi fuerant, omnibus ulceribus pleni videntur ut sunt; sic et adveniente morte, et soluto spectaculo, universi, larvis egestatis et divitiarum depositis, ex solis operibus diiudicantur quinam vere sint divites, qui pauperes, qui gloriosi, qui inglorii.

Gregorius. dives enim iste qui ulcerato pauperi mensae suae vel minuta dare noluit, in inferno positus usque ad minima quaerenda pervenit: nam guttam aquae petivit, qui micam panis negavit.

Basilii. Condignum autem praemium redditur diviti illi ignis et infernalis poena, lingua arefacta; vice lyrae sonantis, gemitus; vice potus, desiderium stillae; vice speculorum enormium, caligo profunda; vice ambitus incessantis, pervigil vermis; unde sequitur ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.

Chrysostomus. non autem quia dives fuerat, torquebatur, sed quia misertus non fuit.

Gregorius. hinc colligendum est qua poena mulctandus sit qui aliena diripit, si inferni damnatione percutitur qui propria non largitur.

Ambrosius. Cruciatum etiam, quia luxurioso carere deliciis poena est; aqua autem est refectio animae in doloribus constitutae.

Gregorius. quid autem est quod in tormentis positus linguam suam refrigerari postulat, nisi quod is qui convivendo de loquacitate peccaverat, per retributionis iustitiam in lingua atrocius ardebat? abundare enim in conviviis loquacitas solet.

Chrysostomus. multa etiam lingua eius superba locuta est; ubi peccatum, ibi et poena; et quia plurimum lingua peccavit, amplius torquetur.

Augustinus de quaest. Evang.. vel quod linguam suam vult refrigerari cum in flamma totus arderet, significat quod scriptum est: mors et vita in manibus linguae, et quia ore confessio fit ad salutem, quod per superbiam ille non fecit. Extremum autem digiti vel minimam operationem significat, qua per spiritum sanctum subvenitur.

Augustinus de orig. An.. Dicis autem: membra hic animae describuntur; et vis per oculum totum caput intelligi, quia dictus est elevare oculos suos, per linguam fauces, per digitum manum. Quid autem causae est ut nomina ista membrorum in Deo tibi corpus non faciant, in anima faciant? an vero quando de creatura dicuntur, proprie accipienda sunt; quando autem de creatore, tropice atque translate? pennas itaque corporeas daturus es nobis, quoniam non creator, sed creatura, idest homo, dicit: si assumpsero pennas meas diluculo. Porro si propterea linguam habuit dives ille corpoream, quoniam dixit refrigeret linguam meam; in nobis quoque adhuc in carne viventibus manus habet ipsa lingua corporea: quia scriptum est: mors et vita in manibus linguae.

Gregorius nyssenus. Sicut autem praestantissima speculorum tales repraesentant facierum imagines quales et ipsae obiectae facies extant, laetas quidem laetantium, tristium vero tristes; sic et iustum dei iudicium simile fit dispositionibus nostris: unde quia dives non fuit misertus pauperis iacentis ad ianuam, cum misericordia egeat, non exauditur; sequitur enim et dixit illi abraham: fili, recordare quia recepisti bona in vita tua.

Chrysostomus. aspice patriarchae bonitatem: vocat illum filium, quod mansuetudinem eius potest exprimere; nullum tamen praebet auxilium ei qui se remedio privaverat; unde dicit recordare; idest, animadvertas peccata: ne obliviscaris quod fueris oblectatus divitiis. Recepisti bona in vita tua, idest illa quae vera bona esse putabas; non potes et in terra regnasse et hic regnare; divitiae non possunt esse verae et in terra et in inferis. sequitur et lazarus similiter mala. non quod lazarus ea mala putaverit; sed ex censura divitis hoc dicebat, qui inopiam et famem et duram aegritudinem aestimabat mala. Quando igitur infirmitatis et aegrotationis magnitudo nos premit, lazarus cogitemus, et laetanter accipiamus mala in vita nostra.

Augustinus de quaest. Evang.. Haec igitur ei dicuntur, quia felicitatem dilexit saeculi, nec aliam vitam praeter illam in qua superbus tumebat, adamavit. Lazarum autem dicit mala recepisse: quia intellexit huius

saeculi mortalitatem, labores, et dolores, et aerumnas poenam esse peccati: quia omnes in adam morimur qui factus est transgressione mortalis.

Chrysostomus. dicit etiam recepisti bona in vita tua, quasi debita; quasi dicat: si quid boni fecisti unde praemium daretur, omnia accepisti in illo mundo, epulans, ditatus, oblectatus successibus prosperis; hic autem, si quid mali commisit, universa recepit paupertate, fame et extremis oppressus miseris: et uterque vestrum huc nudus accessit: hic quidem a peccatis, propter quod et consolationem sortitur; tu vero a iustitia, propter quod immitigabilem perferes poenam; unde sequitur nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.

Gregorius in evang.. quaecumque ergo in hoc saeculo bene habetis, cum vos bona egisse recolitis, valde de ipsis pertimescite, ne concessa vobis prosperitas eorumdem remuneratio sit bonorum; et cum quoslibet pauperes nonnulla reprehensibilia perpetrare conspiciatis; quia fortasse quos superfluitas tenuissimae pravitate coinquinat, caminus paupertatis purgat.

Chrysostomus. Sed dices: nonne est aliquis qui et hic et illic venia perfruatur? hoc quidem difficile est, et de numero impossibilium: nam etsi paupertas non urgeat, urget tamen ambitio; si aegritudo non stimulet, ira inflammat; si tentationes non impetunt, emergunt saepius cogitationes iniquae. Non est autem parvus labor iracundiam refrenare, compescere illicita desideria, ostentationes sedare, desperationem remittere, vitam asperam ducere. Talia vero non agentem impossibile est salvari.

Gregorius. responderi etiam potest, quod mali in hac vita bona recipiunt, quia omne suum gaudium felicitatem transitoriam putant. iusti autem habere hic quidem possunt bona, nec tamen in recompensatione recipere: quia dum meliora, idest aeterna, appetunt, eorum iudicio quaelibet bona affuerint, bona minime videntur.

Chrysostomus. post misericordiam autem dei, in propriis studiis sperandum est de salute, non numerando patres aut proximos vel amicos: frater enim non liberat; et ideo subditur et in his omnibus magnum chaos firmatum est inter nos et vos.

Theophylactus. chasma mega, hoc est hiatus ingens, significat iustorum a peccatoribus distantiam: nam sicut affectus eorum varii fuerant, sic etiam mansiones non modicum differunt.

Chrysostomus. quod firmatum dicitur; quia non potest dissolvi, agitari, vel concuti.

Ambrosius. inter divitem igitur et pauperem chaos magnum est, quia post mortem nequeunt merita mutari; unde sequitur ut hi qui volunt hinc ad nos transire non possint, neque inde huc transmeare.

Chrysostomus. quasi dicat: videre possumus, transire non possumus; et nos videmus quid fugerimus, et vos videtis quid perdidistis; et nostra gaudia cumulant vestra tormenta, et vestra tormenta cumulant nostra gaudia.

Gregorius. Sicut enim transire reprobis ad electos cupiunt, idest a suppliciorum suorum afflictione migrare: ita ad afflictos atque in tormentis positos transire iustorum est mente ire per misericordiam, eosque velle liberare. sed iustorum animae, quamvis in suae naturae bonitate misericordiam habeant, iam tamen auctoris sui iustitiae coniunctae, tanta rectitudine constringuntur ut nulla ad reprobos compassione moveantur. nec iniusti ergo ad beatorum sortem transeunt, quia damnatione perpetua constringuntur; nec iusti ad reprobos transire possunt, quia erecti iam per iustitiam iudicii, eis nullo modo ex aliqua compassione miserentur.

Theophylactus. Hinc elicias argumentum contra origenis sequaces, qui dicunt: cum terminus sit imponendus supplicii, erit tempus quo aggregabuntur peccatores iustis et deo.

Augustinus de quaest. Evang.. Ostenditur enim per incommutabilitatem divinae sententiae nullum auxilium misericordiae posse praebere peccatoribus a iustis, etiam si velint praebere; quo admonet ut in hac vita homines subveniant quibus possunt; ne si postea etiam optime recepti fuerint, eis quos diligunt opitulari non valeant. illud enim quod scriptum est hoc capite: ut et ipsi recipiant vos in aeterna tabernacula, non de superbis et immisericordibus scriptum est, sed de his qui sibi eos amicos de operibus misericordiae fecerunt, quod iusti non velut propria potestate, quasi gratificando recipiunt, sed permissione divina.

10627 (Lc 16,27-31)

Gregorius in evang.. Postquam ardenti diviti de se spes tollitur, eius animus ad propinquos quos reliquerat, incurrit; unde dicitur et ait: rogo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei.

Augustinus de quaest. Evang.. lazarum petit mitti, quia sensit se indignum qui testimonium perhibeat veritati: et quia non impetraverat paululum refrigerari, multo minus credit se relaxari posse ab inferis ad praedicationem veritatis.

Chrysostomus. Vide autem perversitatem: nec in ipsis poenis continet veritatem. Si pater est abraham, quomodo dicis mitte eum in domum patris mei? sed non es oblitus patris tui, quia ille te perdidit.

Gregorius. reproborum autem mentem poena sua quandoque inutiliter erudit ad caritatem, ut iam tunc etiam suos specialiter diligant, qui hic dum peccata diligerent, nec se amabant; unde sequitur habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum.

Ambrosius. Serius autem dives iste magister esse incipit, cum iam nec discendi tempus habeatur vel docendi.

Gregorius. qua in re notandum est ardenti diviti quanta supplicia cumulantur: ad poenam namque suam ei cognitio servatur et memoria: cognovit enim lazarum quem despexit, et fratrum suorum meminit, quos reliquit: ut enim peccatores in supplicio amplius puniantur, et eorum vident gloriam quos contempserunt, et de illorum poena torquentur quos inutiliter amaverunt. Petenti autem diviti ut lazarus mitteretur, ab abraham protinus respondetur; unde sequitur et ait illi abraham: habent moysen et prophetas; audiant illos.

Chrysostomus. quasi dicat: non sint tibi magis curae fratres tui quam deo, qui eos creavit, statuitque eis doctores, qui eos commonerent et sollicitarent. Vocat autem hic moysen et prophetas scripta mosaica et prophetica.

Ambrosius. Quo loco evidentissime declarat dominus vetus testamentum esse fidei firmitatem, retundens perfidiam iudaeorum, et excludens nequitias haereticorum.

Gregorius. Sed qui dei verba despexerat, hoc audire non posse suos sequaces aestimabat; unde sequitur at ille dixit: non, pater abraham; sed si quis ex mortuis ierit ad illos, poenitentiam agent.

Chrysostomus. quia enim audiendo scripturas contemnebat, et fabulas esse putabat, ex his quae passus fuerat, ipse quoque diiudicabat de fratribus.

Gregorius nyssenus. Sed et aliud quoddam dogma docemur: quod lazari quidem anima non est erga praesentia sollicita, nec retorquet se ad aliquod relictorum; at dives quasi quodam visco, etiam post mortem a vita detinetur carnali; nam si quis omnino carnalis secundum mentem fiat, nec postquam corpus exuerit, removetur a passionibus eius.

Gregorius in evang.. Sed mox diviti veraci sententia respondetur; sequitur enim ait autem illi: si moysen et prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent ei: quia qui verba legis despiciunt, redemptoris praecepta, qui ex mortuis resurrexit, quanto subtiliora sunt, tanto hic difficilius implebunt.

Chrysostomus. quod autem verum sit quod qui non auscultat scripturis, nec mortuis redivivis auscultat, ostenderunt iudaei, qui nunc quidem volebant occidere lazarum, nunc vero invadebant apostolos; cum tamen a mortuis nonnulli resurrexerint hora crucis. sed et illud considera, quod quisque mortuus servus est. Quaecumque vero dicunt scripturae, dicit dominus: unde etsi resurgat mortuus, etsi caelitus descenderit angelus, omnibus magis sunt dignae fide scripturae: nam angelorum dominus, vivorum et mortuorum, eas instituit. Si autem sciret hoc deus, quod mortui resurgentes prodessent viventibus, non hoc omisisset, qui pro utilitate nostra singula quaeque tractat. Sed etsi crebro resurgerent mortui, hoc iterum tempore contemneretur; sed et diabolus facile introduceret perversa dogmata, id quoque per organa sua fingens, non quidem suscitans vere defunctos, sed quibusdam fallaciis spectantium frustrans intuitum, vel ingenians quosdam mortem simulare.

Augustinus de curis pro mortuis habendis. diceret autem aliquis: si nulla est mortuis cura de vivis, quomodo dives rogavit abraham ut mitteret lazarum ad quinque fratres suos? sed numquid, quia hoc dives ille dixit, ideo quid fratres agerent vel quid paterentur in illo tempore scivit? ita illi cura fuit de vivis, quamvis quid agerent omnino nesciret, sicut nobis est cura de mortuis, quamvis quid agant omnino nesciamus. sed

rursus occurrit quaestio: quomodo hic abraham esse sciebat moysen et prophetas, idest libros eorum? ubi etiam noverat divitem illum in deliciis, lazarus vero in doloribus vixisse? verum non cum haec agerentur in vivis, sed eis mortuis potuit lazarus indicante cognoscere, ne falsum sit quod ait propheta: abraham nescivit nos. Possunt et ab angelis, qui rebus quae aguntur hic, praesto sunt, audire aliquid mortui; possunt etiam aliqua quae necessarium est eos nosse, non solum praeterita, verum etiam futura spiritu dei revelante cognoscere.

Augustinus de quaest. Evang.. per allegoriam autem haec sic accipi possunt, ut in divite intelligantur superbi iudaeorum ignorantes dei iustitiam, et suam volentes constituere. Purpura et byssus dignitas regni est: et auferetur a vobis regnum dei. Epulatio splendida, iactantia legis est, in qua gloriabantur, plus ad pompam elationis abutentes ea, quam ad necessitatem salutis utentes. Mendicus autem nomine lazarus, qui interpretatur adiutus, significat indigentem, veluti gentilem aliquem, aut publicanum, qui tanto magis adiuvatur, quanto minus de suarum copia facultatum praesumit.

Gregorius. Lazarus igitur ulceribus plenus gentilem populum figuraliter exprimit, qui dum ad deum conversus peccata sua confiteri non erubuit, huic vulnus in cute fuit: quid enim est peccatorum confessio, nisi quaedam vulnerum ruptio? sed lazarus vulneratus cupiebat saturari de micis quae cadebant de mensa divitis; et nemo illi dabat: quia gentilem quemque ad cognitionem legis admittere superbus ille populus despiciebat; et quia ei verba defluebant de scientia, quasi micae cadebant de mensa.

Augustinus. Canes autem, qui ulcera pauperis lingeant, nequissimi homines sunt, amantes peccata, qui lata lingua etiam laudare non cessant opera mala, quae in se alius gemens et confitens detestatur.

Gregorius. nonnumquam etiam solent in sacro eloquio per canes praedicatores intelligi, secundum illud: lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. Canum etiam lingua vulnus dum lingit curat: quia doctores sancti dum in confessione peccati nostri nos instruunt, quasi vulnus mentis per linguam tangunt. Dives autem sepultus est in inferno, in sinum vero abrahamae lazarus ab angelis ductus est, idest in secretam requiem, de qua veritas dicit: multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum abraham et isaac et iacob in regno caelorum: filii autem regni eicientur in tenebras exteriores. De longinquo autem ad videndum lazarus oculos dives levat, quia dum per damnationis suae supplicia infideles in imo sunt, fideles quosque ante diem extremi iudicii super se in requie attendunt, quorum post gaudia contemplari nullatenus possunt. longe vero est quod conspiciunt, quia illuc per meritum non attingunt. In lingua autem amplius ardere ostenditur, quia infidelis populus verba legis in ore tenuit, quae opere servare contempsit. Ibi ergo amplius ardebit ubi se amplius ostendit scire quod facere noluit. Abraham autem filium eum vocat, quem tamen a tormento non liberat: quoniam huius infidelis populi patres, quia multos a sua fide deviasse considerant, eos nulla compassione a tormentis eripiunt, quos tamen per carnem filios recognoscunt.

Augustinus. quinque autem fratres, quos habere dicit in domo patris sui, iudaeos significant qui appellati sunt quinque, quia sub lege detinebantur, quae per moysen data est, qui quinque libros conscripsit.

Chrysostomus. Vel habuit quinque fratres, idest quinque sensus, quibus ante servierat: et ideo lazarus amare non poterat, quia illi fratres non amant paupertatem. Illi te fratres in haec tormenta miserunt: salvari non possunt nisi moriantur; alioquin necesse est ut fratres habitent cum fratre suo. Sed quid quaeris ut mittam lazarus? habent moysen et prophetas. Moyses, lazarus pauper fuit, maiores divitias esse arbitratus paupertatem Christi, quam divitias pharaonis. Ieremias in lacum missus pane tribulationis vescebat; et omnes prophetae istos fratres docent; sed isti fratres salvari non possunt nisi aliquis ab inferis resurrexerit. Isti enim fratres antequam Christus resurgeret, me ducebant in mortem: ille mortuus est, sed isti fratres resurrexerunt: nunc oculus meus Christum videt, auris eum audit, tactus amplectitur. ex hoc autem quod diximus, locum determinamus marconi et manichaeo, qui destruunt vetus testamentum. Vide ergo quid dicat abraham: si moysen et prophetas non audiunt; quasi dicat: bene facis eum qui resurrecturus est expectando: sed in illis Christus loquitur: si illos audies, et illum auditurus es.

Gregorius. iudaicus autem populus, quia moysi verba spiritualiter intelligere contempsit, ad eum de quo moyses locutus fuerat, non pervenit.

Ambrosius. Vel aliter. Lazarus est pauper in saeculo, sed Deo dives: neque enim omnis sancta paupertas, aut divitiae criminosae; sed sicut luxuria infamat divitias, ita paupertatem commendat sanctitas. sive apostolicus aliquis pauper in verbo, locuples in fide, qui veram teneat fidem, verborum infulas non requirit: cui similem illum puto qui caesus saepius a iudaeis, ulcera sui corporis lambenda quibusdam, velut canibus, offerebat. Beati canes, in quos ulcerum talium distillat humor, ut impleat cor, quo custodire domum, servare gregem, cavere assuescat lupos. et quia panis verbum est, fides autem verbi est; micae velut quaedam dogmata fidei sunt, mysteria scilicet scripturarum. ariani autem, qui societatem potentiae regalis affectant ut impugnent ecclesiae veritatem, nonne tibi videntur in quadam purpura et bysso iacere; qui cum

pro veris fucata defendant, divitibus abundant sermonibus? dives haeresis evangelia multa composuit, et pauper fides hoc solum evangelium tenuit quod accepit. Dives philosophia plures sibi deos fecit, pauper ecclesia unum deum novit: nonne illae videntur egere divitiae, et redundare paupertas? **Augustinus** de quaest. Evang.. aliter etiam intelligi potest illa narratio, ut lazarus dominum significare accipiamus iacentem ad ianuam illius divitis, quia se ad aures superbissimas iudaeorum incarnationis humilitate deiecit, cupiens saturari de micis quae cadebant de mensa divitis, idest quaerens ab eis vel minima opera iustitiae, quae suae mensae, idest suae potestati, per superbiam non usurparent: quae opera quamvis minima, et sine disciplina perseverantiae vitae bonae, saltem interdum vel casu facerent, sicut micas de mensa cadere solent. Ulcera, passiones sunt domini; canes qui ea lingeant, gentes sunt, quos immundos iudaei dicebant; et tamen passiones domini in sacramentis corporis et sanguinis eius per totum iam orbem suavitate devotissima lambunt. Sinus abrahamae intelligitur secretum patris, quo post passionem resurgens assumptus est dominus, quo eum portatum ab angelis ideo dictum puto, quia ipsam receptionem, qua in secretum patris accessit, angeli annuntiaverunt discipulis. cetera secundum superiorem expositionem accipi possunt: quia secretum patris bene intelligitur ubi etiam ante resurrectionem iustorum animae vivunt cum deo.

LUCA 17,1-2

10701 (Lc 17,1-2)

Theophylactus. Quia pharisaei existentes avari convitiabantur Christo de paupertate praedicanti, induxit parabolam divitis et lazari. Deinde cum discipulis confert de pharisaeis, indicans eos schismaticos et divinae viae impeditores esse; unde dicitur et ait ad discipulos suos: impossibile est ut non veniant scandala, idest impedimenta bonae et Deo placitae conversationis.

Chrysostomus. Sunt autem duplicia scandala: quorum haec quidem divinae gloriae refragantur, haec vero prodeunt solum ad irrogandum fratribus impedimentum: nam excogitationes haeresum, et quicumque contra veritatem fit sermo, divinae gloriae refragatur. Non tamen ad praesens memorari videntur huiusmodi scandala, sed magis ea quae contingunt inter amicos et fratres; sicut iurgia, detractiones et huiusmodi; unde postea subdit si peccaverit in te frater tuus.

Theophylactus. vel dicit, quod necesse est emergere multa praedicationis et veritatis obstacula, sicut pharisaei impediabant Christi praedicationem. Quaerunt autem aliqui: si necesse est ut veniant scandala, cur dominus arguit scandalorum auctorem? sequitur enim vae autem illi per quem veniunt: quidquid enim parit necessitas veniale est. Sed attende, quod necessitas ista ex libero arbitrio sortitur originem. Videns enim dominus qualiter homines innituntur malo, nec proponunt aliquid boni, dixit quod quantum est ex consequentia eorum quae videntur, necesse est contingere scandala: sicut si medicus videns quemquam mala dieta utentem, dicat: necesse est hunc aegrotare; et ideo inducenti scandala vae dicit, et poenam ei comminatur, dicens utilius est illi si lapis molaris imponatur circa collum eius, et proiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis.

Beda. Secundum morem provinciae palaestinae loquitur; cum maiorum criminum apud veteres iudaeos fuerit poena, ut in profundum ligato saxo demergerentur. et revera utilius est innocuum poena, quamvis atrocissima, temporali tamen, vitam finire corpoream, quam fratri nocentem mortem animae mereri perpetuam. recte autem qui scandalizari potest, pusillus appellatur: qui enim magnus est, quodcumque viderit, quodcumque passus fuerit, non declinat a fide. In quantum ergo sine peccato possumus, evitare proximorum scandalum debemus. Si autem de veritate scandalum sumitur, utilius permittitur scandalum, quam veritas relinquatur.

Chrysostomus. Per scandalizantis autem poenam bravium salvantis addisce: nisi enim unius animae salus esset sibi nimium curae, non comminaretur scandalizantibus tantam poenam.

LUCA 17,3-4

10703 (Lc 17,3-4)

Ambrosius. Post divitem qui cruciatur in poenis subicit praeceptum veniae largiendae his qui se ab errore convertunt, ne quem desperatio non revocet a culpa; unde dicitur attendite vobis.

Theophylactus. quasi dicat: necesse est scandala contingere; non tamen necessarium est vos perire, si peccaveritis; sicut non est necesse oves perire lupo veniente, si vigilet pastor. Et quoniam multae sunt

scandalizantium differentiae: quidam enim sunt insanabiles, quidam sanabiles; ideo subiungit si peccaverit in te frater tuus, increpa illum; et si poenitentiam egerit, dimitte illi.

Ambrosius. Ut neque difficilis venia, nec remissa sit indulgentia: neque austera percellat invectio, vel conniventia non invitet ad culpam; unde et alibi dicitur: corripe ipsum inter te et ipsum solum: plus enim proficit amica correctio quam accusatio turbulenta. Illa pudorem incutit, haec indignationem movet. Servetur potius quod prodi metuat qui monetur: bonum quippe est ut amicum magis te qui corripitur credat, quam inimicum: facilius enim consiliis acquiescitur quam iniuriae succumbitur. Infirmus custos diuturnitatis est timor, pudor autem bonus magister officii: qui enim metuit reprimatur, non emendatur. Pulchre autem posuit si peccaverit in te: non enim est aequa conditio in deum hominemque peccare.

Beda. Intuendum est autem, quia non passim peccanti dimittere iubet, sed poenitentiam agenti: hoc enim ordine scandala declinare possumus, si nullum laedamus, si peccantem zelo iustitiae corripimus, si poenitenti misericordiae viscera pandimus.

Theophylactus. Sed quaereret aliquis: si cum pluries indulserim fratri, iterum fit nocivus, quid agendum est secum? ideo quaestioni huic respondens subdit et si septies in die peccaverit in te, et septies in die conversus fuerit ad te dicens: poenitet me, dimitte illi.

Beda. Septenario numero non veniae dandae terminus ponitur, sed vel omnia peccata dimittenda, vel semper poenitenti dimittendum praecipitur: solet enim saepe per septem, cuiusque rei aut temporis universitas indicari.

Ambrosius. Vel quia septima die requievit deus ab operibus suis, post hebdomadam istius mundi requies nobis diuturna promittitur, ut quemadmodum mala istius mundi opera cessabunt, ita etiam vindictae severitas conquiescat.

LUCA 17,5-6

10705 (Lc 17,5-6)

Theophylactus. Audientes discipuli dominum de quibusdam arduis disserentem, puta de paupertate, et scandalis evitandis, petunt sibi fidem augeri, per quam possent paupertatem sequi: nihil enim adeo cultum suggerit paupertatis, sicut credere et sperare in domino: et ut per fidem scandalis valeant resistere; unde dicitur et dixerunt apostoli domino: adauge nobis fidem.

Gregorius moralium. utque iam accepta per initium fuerat, quasi per augmentum graduum ad perfectionem veniret.

Augustinus de quaest. evang.. Potest quidem intelligi hanc fidem sibi augeri postulasse qua creduntur ea quae non videntur; sed tamen dicitur etiam fides rerum, quando non verbis, sed ipsis rebus praesentibus creditur quod futurum est, cum iam per speciem manifestam se contemplandam praebebit sanctis ipsa dei sapientia, per quam facta sunt omnia.

Theophylactus. Dominus autem ostendit eis quod bene peterent, et quod credere deberent constanter, ostendens eis quod fides multa potest; unde sequitur dixit autem dominus: si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic arbori moro: eradicare et transplantare in mare, et obediet vobis. Duo magna concurrunt in idem, transpositio radicati in terra, et plantatio in mari: quid enim in undis plantatur? per quae duo virtutem fidei manifestat.

Chrysostomus in Matthaeeum. Mentionem autem facit sinapis, quia eius granum, etsi sit parvum quantitate, est tamen potestate virtuosius omnibus. Insinuat igitur quod minimum suae fidei magna potest. si autem morum non transposuerunt apostoli, non calumnieris: non enim dixit: transferetis, sed: transferre poteritis; sed noluerunt, quia opus non erat, cum maiora fecerint.

Chrysostomus. quaeret autem aliquis: quomodo Christus dicit minimam partem esse fidei, quae morum vel montem potest transponere, cum paulus dicat hanc esse omnem fidem quae montes transfert? dicendum igitur est, quod apostolus attribuit toti fidei montem transponere, non tamquam tota fides solum hoc possit, sed quia hoc carnalibus magnum videbatur propter eminentiam corporis.

Beda. Vel fidem perfectam dominus hic grano sinapis comparat, eo quod sit in facie humilis, et in pectore

fervens. Mystice autem per morum, cuius colore sanguineo fructus et virgulta rubent, evangelium crucis exprimitur, quae per fidem apostolorum de gente iudaeorum, in qua velut in stirpe generis tenebatur, verbis praedicationis eradicata, et in mare gentium plantata est.

Ambrosius. Vel hoc dicitur quando fides spiritum excludit immundum: nam fructus mori primo albet in flore, qui inde iam formatus erutilat, maturitate nigrescit. diabolus quoque, ex albeni angelicae flore naturae, et potestate rutilanti, praevaricatione delectus, tetro inhorruit odore peccati.

Chrysostomus. Morum etiam diabolo aptabis: nam sicut mori frondibus vermes aluntur, sic diabolus per cogitationes exortas ab eo, alit nobis vermum perpetuum. Sed hanc morum potest fides ab animabus nostris evellere, et in abyssum demergere.

LUCA 17,7-10

10707 (Lc 17,7-10)

Theophylactus. Quia fides proprium possessorem facit divinorum mandatorum observatorem, vivificis eum exornans operibus, exinde videbatur hominem incurrere posse superbiae vitium: unde praemonuit dominus apostolos ne superbiant in virtutibus suis, per exemplum conveniens, dicens quis autem vestrum habens servum arantem aut boves pascentem, qui regresso de agro dicat illi: statim transi et recumbe?

Augustinus de quaest. Evang.. vel aliter. Hanc ergo fidem praestantissimae veritatis plerisque non intelligentibus, videri potest dominus discipulis suis non ad id quod petierant respondisse. difficile autem mihi apparet; nisi intelligamus ex fide in fidem, idest ex fide ista, qua ministratur deo, in eam significasse transferri ubi fruuntur deo. augebitur enim fides cum primo verbis praedicantibus, deinde rebus apparentibus creditur: sed illa contemplatio summam quietem habet, quae in aeterno dei regno retribuitur. Summa vero quies illa praemium est iustorum laborum, qui in ecclesiae administratione peraguntur: et ideo quamvis in agro aret servus aut pascat, hoc est in vita saeculari vel terrena verset negotia, vel stultis hominibus tamquam pecoribus serviat; opus est ut post illos labores domum veniat; hoc est ecclesiae societur.

Beda. Vel servus de agro egreditur, cum intermisso ad tempus opere praedicandi, ad conscientiam doctorem recurrit, sua secum acta vel dicta retractans; cui non statim dominus dicit transi, de hac vita mortali; recumbe, idest in aeterna sede beatae vitae refovere.

Ambrosius. Intelligitur enim quia nullus recumbit nisi ante transierit. Denique et moyses ante transivit, ut magnum visum videret. Sicut ergo tu non solum non dicis servo tuo recumbe, sed exigis ab eo aliud ministerium; ita nec in te patitur dominus unius usum esse operis et laboris: quia dum vivimus, debemus semper operari; unde sequitur et non dicat ei: para quod coenam, et praecinge te, et ministra mihi, donec manducem et bibam? **Beda.** lubet parari quod coenet, hoc est post laborem apertae locutionis humilitatem quoque considerationis propriae exhibere: tali coena dominus pasci desiderat. Praecingi autem est mentem humiliatam ab omnibus fluctuantium cogitationem finibus, quibus operum gressus impediri solet, constringere: nam qui vestimenta praecingit, hoc agit ne incedens involvatur ad lapsum. ministrare vero deo, est absque gratiae eius auxilio nihil virium habere profiteri.

Augustinus de quaest. Evang.. ministrantibus etiam, hoc est evangelizantibus servis suis, manducat et bibit dominus confessionem et fidem gentium. sequitur et post haec tu manducabis et bibes.

Beda. Quasi dicat: postquam tuae praedicationis opere delectatus, tuaeque compunctionis epulis fuero refectus, tunc demum transies, et aeternis meae sapientiae dapibus in aeternum reficieris.

Cyrillus. Docet autem dominus quod ius potestatis dominicae quasi debitam subiectionem requirit a famulis, cum subdit numquid gratiam habet servo illi, quia fecit quae sibi imperaverat? non puto. per hoc morbus superbiae tollitur. Quid superbis? ignoras quod si non persolvis debitum, periculum imminet; si vero persolvias, nullam gratiam facis? secundum illud pauli: si evangelizavero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi est: vae mihi si non evangelizavero. considera ergo, quod qui apud nos dominantur, non referunt gratias, cum aliqui subditorum statuta sibi prosequuntur obsequia; sed ex benevolentia saepius suorum provocantes affectum, maiorem eis appetitum serviendi aggenerant. Sic et deus petit quidem a nobis famulatum iure servitii; verum, quia clemens et bonus est, honores laborantibus pollicetur; et supereminet sudoribus subiectorum benevolentiae magnitudo.

Ambrosius. Non ergo te iactes, si bene servisti, quod facere debuisti. obsequitur sol, obtemperat luna,

serviunt angeli; et nos ergo non a nobis laudem exigamus. Unde concludens subdit sic et vos, cum omnia feceritis, dicite: quia servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.

Beda. Servi quidem, quia pretio empti; inutiles, quia dominus bonorum nostrorum non indiget, vel quia non sunt condignae passionis huius temporis ad futuram gloriam. haec igitur est in hominibus fidei perfectio, si omnibus quae sunt praecepta impletis, imperfectos esse se noverint.

LUCA 17,11-19

10711 (Lc 17,11-19)

Ambrosius. Post praedictam parabolam reprehenduntur ingrati; dicitur enim et factum est, dum iret iesus in ierusalem, transibat per mediam samariam et galilaeam. titus. Ut ostendat quod samaritani quidem benevoli, iudaei vero praedictis beneficiis sunt ingrati: erat enim discordia inter samaritanos et iudaeos: quam ipse quasi pacificans inter utrosque transit, ut utrosque compingat in unum novum hominem.

Cyrillus. Deinde suam gloriam salvator manifestat, attrahens ad fidem israel; unde sequitur et cum ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, ab urbibus et oppidis expulsi, et quasi immundi ritu legis mosaicae. Titus. Conversabantur autem ad invicem, quia fecerat eos unanimes communitas passionis; et praestolabantur transitum iesu, solliciti donec advenientem Christum viderent; unde sequitur qui steterunt a longe: eo quod lex iudaeorum lepram immundam iudicat; lex autem evangelica non externam, sed internam asserit esse immundam.

Theophylactus. a longe ergo stabant quasi verecundantes de immunditia quae eis imputabatur: putabant enim quod Christus eos fastidiret ad modum aliorum. Sic ergo astiterunt loco, sed facti sunt proximi deprecando: prope enim est dominus omnibus invocantibus eum in veritate; unde sequitur et levaverunt vocem, dicentes: iesu praeceptor, miserere nostri. Titus. dicunt nomen iesu, et lucrifaciunt rem; nam iesus interpretatur salvator: dicunt miserere nobis, propter experientiam virtutis eius; neque argentum petentes neque aurum, sed ut aspectum corporis sanum obtineant.

Theophylactus. Nec simpliciter obsecrant eum, nec rogant eum ut mortalem: vocat eum praeceptorem, idest dominum, quo pene videntur hunc opinari deum. At ipse iubet illis ut ostenderent se sacerdotibus; unde sequitur quos ut vidit, dixit: ite, ostendite vos sacerdotibus: ipsi enim experiebantur si mundati forent a lepra vel non.

Cyrillus. lex etiam mundatos a lepra iubebat offerre sacrificium causa purgationis.

Theophylactus. iubere ergo eis ut irent ad sacerdotes, nihil aliud innuebat nisi quod debebant curari; unde sequitur et factum est, dum irent, mundati sunt.

Cyrillus. in quo iudaeorum pontifices aemuli gloriae eius cognoscere poterant quod inopinate et mirifice sanati sunt, concedente Christo eis salutem.

Theophylactus. Cum autem decem essent, novem, qui israelitae erant, ingrati fuerunt; sed alienigena samaritanus reversus, voces emittebat benignas; unde sequitur unus autem ex illis ut vidit quia mundatus est, regressus est cum magna voce magnificans deum. Titus. Dedit autem ei appropinquandi fiduciam suscepta purgatio; unde sequitur et cecidit in faciem suam ante pedes eius, gratias agens, ex procubitu et supplicatione fidem suam simul cum benevolentia pandens. sequitur et hic erat samaritanus.

Theophylactus. hinc poterit quisquis conicere quod nihil impedit quemquam placere deo, etsi de genere profano processerit, dummodo bonum gerat propositum. Nullus etiam natus ex sanctis superbiat; novem enim qui israelitae erant, ingrati fuerunt; unde sequitur respondens autem iesus dixit: nonne decem mundati sunt? et novem ubi sunt? non est inventus qui rediret, et daret gloriam deo, nisi hic alienigena. Titus. Per hoc ostenditur quod promptiores ad fidem erant alienigenae: lentus enim erat ad fidem israel; unde subditur et ait illi: surge, vade, quia fides tua te salvum fecit.

Augustinus de quaest. Evang.. mystice autem leprosi intelligi possunt qui scientiam verae fidei non habentes, varias doctrinas profitentur erroris: non enim abscondunt imperitiam suam, sed pro summa peritia proferunt in lucem, et iactantiam sermonis ostendunt. Coloris quippe vitium lepra est; vera ergo falsis inordinate permixta in una disputatione vel narratione hominis, tamquam in unius corporis colore apparentia, significant lepram, tamquam veris falsisque colorum fucis humana corpora variantem atque

maculantem. hi autem tam vitandi sunt ecclesiae ut, si fieri potest, longius remoti magno clamore Christum interpellent. Quod autem praeceptorem eum invocaverunt, satis puto significari vere lepram falsam esse doctrinam, quam bonus praeceptor abstergat. nullum autem eorum quibus haec corporalia beneficia dominus praestitit, invenitur misisse ad sacerdotem nisi leprosos. sacerdotium enim iudaeorum figura fuit sacerdotii quod est in ecclesia. Cetera autem vitia per seipsum interius in conscientia dominus sanat et corrigit; doctrina vero vel imbuendi per sacramenta, vel catechizandi per sermonem potestas ecclesiae tributa est. Qui dum irent, mundati sunt: quia gentiles, ad quos venerat petrus, nondum accepto baptismatis sacramento, per quod spiritualiter ad sacerdotes pervenitur, infusione spiritus sancti mundati declarantur. Quisquis ergo in ecclesiae societate doctrinam integram veramque assequitur, eo quod manifestetur, varietate mendaciorum tamquam lepra caruisse, et tamen ingratus Deo mundatori suo gratiarum agendarum pia humilitate non prosternitur, similis est illis de quibus dicit apostolus quod cum deum cognovissent, non ut deum magnificaverunt, aut gratias egerunt. Ideo tales in novenario numero tamquam imperfecti remanebunt: novem enim indigent uno ut quadam unitatis forma coagulentur, ut decem sint. Ille autem qui gratias egit, unicae ecclesiae significatione approbatus est. Et quia illi erant iudaei, amisisse per superbiam declarati sunt regnum caelorum, ubi maxime unitas custoditur. iste vero, qui erat samaritanus, quod interpretatur custos, illi a quo accepit tribuens quod accepit, secundum illud: fortitudinem meam ad te custodiam, unitatem regni humili devotione servavit.

Beda. Cecidit autem in faciem, quia ex malis quae se perpetrasse meminit, erubescit: qui surgere et ire praecipitur: quia qui infirmitatem suam cognoscens humiliter iacet, per divini verbi consolationem ad fortia opera proficere iubetur. si autem fides salvum fecit eum qui se ad agendas gratias inclinavit: ergo perfidia perdit eos qui de acceptis beneficiis Deo dare gloriam neglexerunt, quapropter fidem per humilitatem augeri debere, sicut in parabola superiori decernitur, ita hic ipsis rebus ostenditur.

LUCA 17,20-21

10720 (Lc 17,20-21)

Cyrillus. Cum salvator in sermonibus quos ad alios dirigebat, frequenter regnum dei meminisset, ob hoc pharisaei eum deridebant; unde dicitur interrogatus autem a pharisaeis: quando venit regnum dei? quasi irrisorie dicerent: antequam veniat de quo loqueris, mors crucis te occupabit. Dominus autem patientiam ostendens, increpatus non increpat; sed potius malos existentes suo non dedignatur responso; sequitur enim respondit eis, et dixit: non veniet regnum dei cum observatione; quasi dicat: non quaeratis de temporibus quibus iterum instabit tempus regni caelorum.

Beda. Illud enim tempus neque ab hominibus, neque ab angelis potest observari, sicut tempus incarnationis prophetarum vaticiniis et angelorum est manifestatum praeconiis; unde subdit neque dicent: ecce hic, aut: ecce illic. vel aliter. Interrogant de tempore regni dei, quia, sicut infra dicitur, existimabant quod veniente hierosolymam domino, confestim regnum dei manifestaretur; unde dominus respondet, quod regnum dei non veniet cum observatione.

Cyrillus. Solum autem ad utilitatem cuiuslibet hominis esse fatetur illud quod subditur ecce enim regnum dei intra vos est, idest, in vestris affectibus et in potestate vestra id capere: potest enim quilibet homo iustificatus per fidem Christi et virtutibus ornatus regnum obtinere caelorum.

Gregorius nazianzenus. vel forsitan regnum nobis insitum dicit inditam animabus nostris laetitiam per spiritum sanctum: ea enim est velut imago et arrha perennis laetitiae, qua in futuro saeculo sanctorum animae gaudent.

Beda. Vel regnum dei seipsum dicit intra illos positum, hoc est in cordibus eorum per fidem regnantem.

LUCA 17,22-25

10722 (Lc 17,22-25)

Cyrillus. Quia dominus dixerat regnum dei intra vos est, voluit discipulos esse paratos ad patientiam, ut effecti strenui intrare valeant regnum dei. Praedicat ergo eis, quod antequam de caelo veniat, in fine saeculi persecutio irruet super eos; unde dicitur et ait ad discipulos suos: venient dies quando desideretis videre unum diem filii hominis, et non videbitis; significans quod tanta erit persecutio, quod unum diem eius videre cupiant, illius scilicet temporis quo adhuc conversabantur cum Christo. Sane iudaei Christum multis

angustiaverunt improperiis et iniuriis; sed in comparatione malorum maiorum minora eligenda videntur.

Theophylactus. Tunc enim absque sollicitudine vivebant, Christo eos procurante, et protegente; sed futurum erat quando Christo absente traderentur periculis, ad reges et principes ducti; et tunc tempus primum cuperent quasi tranquillum.

Beda. Vel diem Christi dicit regnum dei, quod speramus futurum; et bene dicit unum diem, quia in illa beatitudinis gloria tenebrarum interruptio nulla est. Bonum ergo est diem Christi desiderare. Nec tamen magnitudine desiderii nobis somnia fingere debemus, quasi instet dies domini; unde sequitur et dicent vobis: ecce hic, ecce illic: nolite ire, neque sectemini.

Eusebius. quasi dicat: si adveniente antiChristo, fama de eo volet quasi apparuerit Christus, non egrediamini, neque sequamini: nam impossibile est eum qui semel in terra visus est, iterum in angulis terrae conversari. Erit igitur hic de quo dicitur, non verus Christus; manifestum enim signum secundi adventus salvatoris nostri hoc est quod subito totum orbem claritas eius adventus replebit; unde sequitur nam sicut fulgur coruscans de sub caelo, in ea quae sub caelo sunt fulget; ita erit filius hominis in die sua. Non enim apparebit super terram ambulans, sicut quidam homo communis, sed universaliter irradiabit, ostendens cunctis iubar propriae deitatis.

Beda. Et pulchre ait coruscans de sub caelo: quia iudicium sub caelo, hoc est in aeris medio, geretur, secundum illud apostoli: simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera. Si autem dominus in iudicio sicut fulgur apparebit, nullus tunc in sua mente latere permittitur: quia ipso iudicis fulgore penetratur. Potest autem haec domini responsio et de illo eius adventu quo quotidie venit in ecclesiam accipi. intantum enim saepe haeretici turbaverunt ecclesiam, dicendo in suo dogmate fidem Christi manere, ut fideles illorum temporum desiderarent dominum, vel uno die, si fieri posset, redire ad terras, ut per seipsum quomodo se habeat fidei veritas, intimaret. Et non videbitis, inquit: quia non est opus corporali visione dominum redire: quia semel per universum mundum evangelii vigorem exhibuit.

Cyrrillus. opinabantur autem discipuli quod vadens hierosolymam statim ostenderet regnum dei. Hanc igitur opinionem resecans, notum facit eis quod primo decebat eum salubrem passionem sufferre, deinde ad patrem ascendere, et desuper fulgere, ut per orbem terrarum in iustitia iudicet; unde subdit primum autem oportet illum multa pati, et reprobari a generatione hac.

Beda. Generationem non tantum iudaeorum, verum etiam omnium reproborum appellat; a quibus etiam nunc filius hominis in corpore suo, hoc est in ecclesia, multa patitur, et reprobatur. Inserit autem de sua passione, loquens de gloria sui adventus, ut dolorem suae passionis spe promissae clarificationis mitigarent, simulque seipsos pararent, si gloriam regni diligerent, mortis non horrere periculum.

LUCA 17,26-30

10726 (Lc 17,26-30)

Beda. Adventum domini quem fulguri cito transvolanti comparaverat, nunc comparat diebus noe et lot, quando repentinus mortalibus supervenit interitus; unde dicitur et sicut factum est in diebus noe, ita erit in die filii hominis.

Chrysostomus in Matthaeum. Quia enim tunc non crediderunt comminatoriis verbis, passi sunt repente reale iudicium. Eorum autem incredulitas ex anima lenta procedebat: nam quaecumque vult aliquis et intendit, ea etiam expectat; unde sequitur edebant et bibebant, uxores ducebant et dabantur ad nuptias usque in diem qua intravit noe in arcam; et venit diluvium, et perdidit omnes.

Ambrosius. Bene causam diluvii de nostris asserit processisse peccatis: quia deus malum non creavit, sed nostra sibi merita reperierunt: non quia coniugia damnentur: neque enim alimenta damnantur, cum in istis successionis, in illis naturae subsidia sint; sed in omnibus modus quaeritur: quicquid enim abundantius est, a malo est.

Beda. Mystice autem noe arcam aedificat, cum dominus ecclesiam de Christi fidelibus quasi lignis laevigatis adunando construit: quam perfecte consummatam ingreditur, cum hanc in die iudicii praesentia suae visionis aeternus habitator illustrat. sed cum arca aedificatur, iniqui luxuriantur: cum vero intratur, intereunt: quia qui sanctis hic certantibus insultant, eis illic coronatis aeterna damnatione plectentur.

Eusebius. Quia vero usus est dominus exemplo diluvii, ne putaret aliquis futurum diluvium ex aqua, utitur secundo exemplo lot, docens modum perditionis impiorum, quod igne dimisso caelitus superveniet impiis ira dei; unde subditur similiter sicut factum est in diebus lot: edebant et bibebant, emebant et vendebant, plantabant et aedificabant.

Beda. praetermisso illo infando sodomorum scelere, sola ea quae levia vel nulla putari poterant delicta commemorat: ut intelligas illicita quali poena feriantur, si licita immoderatus igne et sulphure puniuntur; sequitur enim qua die autem exiit lot a sodoma, pluit ignem et sulphur de caelo, et omnes perdidit.

Eusebius. non prius dixit ignem caelitus decurrisse super impios sodomorum quam lot exisset ab eis; sicut et diluvium non prius terrae incolae perdidit quam noe arcam intrasset: quia quamdiu noe vel lot conversabantur cum impiis, deus non irrogabat iram, ne una cum peccatoribus deperirent; volens autem eos perdere, subtraxit iustum. Sic et in consummatione saeculi non prius erit finis quam omnes iusti sint semoti ab impiis; unde sequitur secundum hoc erit qua die filius hominis revelabitur.

Beda. Quia qui interim non apparens omnia videt, tunc apparens omnia iudicabit; apparebit autem iudicaturus eo maxime tempore quo cunctos iudiciorum eius oblitos, huic saeculo conspexerit esse mancipatos.

Theophylactus. Postquam enim venerit antiChristus, homines fient lascivi, dediti enormibus vitiis, secundum illud apostoli: voluptatum amatores magis quam dei. Si enim antiChristus est cuiuslibet peccati habitaculum, quid aliud inferet misero tunc temporis hominum generi nisi sua? et hoc dominus innuit per exempla diluvii et sodomitarum.

Beda. Mystice autem lot, qui interpretatur declinans est populus electorum, qui dum in sodomis, idest inter reprobos, ut advena, moratur, quantum valet, eorum scelera declinat. Exeunte autem lot, sodoma perit: quia in consummatione saeculi exibunt angeli, et separabunt malos de medio iustorum, et mittent eos in caminum ignis. Ignis tamen et sulphur, quae de caelo pluisse commemorat, non ipsam perennis supplicii flammam, sed subitaneum diei illius significat adventum.

LUCA 17,31-33

10731 (Lc 17,31-33)

Ambrosius. Quia propter improbos necesse est ut probi in hoc saeculo contritionem cordis animique patiantur, quo uberiores mercedem accipiant in futurum, quibusdam remediis instruuntur cum dicitur in illa hora qui fuerit in tecto, et vasa eius in domo, non descendat tollere illa; hoc est, si quis superiora iam domus suae eminentiumque virtutum culmen ascendit, ad terrena mundi huius opera non accedat.

Augustinus de quaest. evang.. In tecto enim est qui excedens carnalia tamquam in aura libera spiritualiter vivit; vasa enim in domo sunt sensus carnales, quibus ad investigandum veritatem quae intellectu capitur, multi utentes, penitus erraverunt. Caveat ergo spiritualis homo ne in die tribulationis rursus vita carnali, quae per sensus corporis pascitur, delectatus, ad vasa huius mundi tollenda descendat. sequitur et qui in agro similiter non redeat retro; idest, qui operatur in ecclesia, sicut paulus plantans, et sicut apollo rigans, non respiciat spem saecularem, cui renuntiavit.

Theophylactus. haec autem omnia Matthaesus pro captione hierosolymorum a domino dicta fatetur, ut, supervenientibus romanis, nec domi consistentes descendere debent pro quocumque necessario, sed protinus arripere fugam, nec in agro manentes redire domum. et nimirum in captione hierosolymorum constat haec evenisse, et iterum fore ventura in antiChristi adventu; magis autem in ipso tempore consummationis, cum et tunc intolerabilis sit futura calamitas.

Eusebius. Innuit ergo per hoc futuram esse persecutionem a filio perditionis in Christi fideles. Diem igitur illam vocat tempus praecedens finem mundi; in quo qui fugit, non revertatur, et amittens bona non curet, nec imitetur coniugem lot, qui post fugam in exitu de civitate sodomorum reversa mortua est, et columna salis effecta; unde sequitur memores estote uxoris lot.

Ambrosius. Quae ideo quia respexit, perdidit naturae suae munus: retro enim satanas, retro enim sodoma. Quapropter fuge intemperantiam, declinato luxuriam, recordare quia ille qui se veteribus studiis non reflexit, ideo evasit quia pervenit ad montem; illa, quoniam ad posteriora respexit, nec mariti adiuta

suffragio, ad montem pervenire potuit, sed remansit.

Augustinus de quaest. Evang.. significat igitur uxor lot eos qui in tribulatione retrospiciunt, et se a spe divinae promissionis avertunt: et ideo statua salis facta est ut admonendo homines ne hoc faciant, tamquam condiat cor eorum, ne sint fatui.

Theophylactus. Consequenter subiungit subsequencia praemissorum, dicens quicumque quaesierit salvare animam, perdet illam: quasi dicat: non quaerat aliquis in persecutionibus antiChristi curare propriam animam; nam perdet eam; quisquis autem caedibus et periculis se dederit, salvus erit; unde sequitur et quicumque perdidit illam, vivificabit eam; nequaquam se tyranno subiciens propter vitae amorem.

Cyrillus. Quomodo etiam aliquis perdat propriam animam ut salvam eam faciat, manifestat paulus dicens de quibusdam: qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis, labore scilicet et pietate aggredientes agones.

LUCA 17,34-37

10734 (Lc 17,34-37)

Beda. Dixerat supra dominus, eum qui in agro sit, retro redire non debere; quod ne de his tantum qui aperte de agro redituri, hoc est palam dominum negaturi sunt, dictum putares, pergit ostendere nonnullos esse qui cum faciem habere in anteriora videantur, animo tamen retro respiciunt; unde dicitur dico autem vobis: in illa nocte erunt duo in lecto uno: unus assumetur, et alter relinquetur.

Ambrosius. bene noctem dicit, quia antiChristus hora tenebrarum est, eo quod pectoribus hominum tenebras antiChristus infundat, cum dicat se esse Christum; Christus autem sicut fulgur coruscans fulget, ut in illa nocte resurrectionis gloriam videre possimus.

Augustinus de quaest. Evang.. Vel in illa nocte dicit, hoc est in illa tribulatione.

Theophylactus. Vel inopinatum docet esse Christi adventum, quem futurum esse noctu docemur. Cum autem dixisset, divites vix salvari, ostendit quod nec omnes divites pereunt, nec omnes pauperes salvantur.

Cyrillus. Per duos enim existentes in uno lecto, videtur designare divites quiescentes in mundanis deliciis: lectus namque signum quietis est. Non autem quicumque divitiis affluunt sunt impii, sed aliquis est probus et in fide electus; hic igitur assumetur, alter vero, qui talis non existit, dimittetur. Descendens enim dominus ad iudicium, mittet angelos suos, qui ceteris in terra derelictis poenam passuris, sanctos et iustos ei adducent, secundum illud apostoli: rapiemur in nubibus obviam Christo in aera.

Ambrosius. Vel ex uno strato infirmitatis humanae unus relinquitur, idest improbatur; alter vero assumitur, idest rapitur obviam Christo in aera. sequitur duae erunt molentes in unum: una assumetur, et altera relinquetur.

Cyrillus. per molentes innuere videtur pauperes et pressos laboribus; ad quod etiam pertinet quod subditur duo in agro: unus assumetur, et alter relinquetur. In his enim non modicum differt: nam hi sarcinam paupertatis viriliter sustinent, vitam agentes honestam et humilem, qui assumuntur; hi vero sunt ad profana promptissimi, qui relinquentur.

Ambrosius. Vel per molentes significari videntur qui ex occultis alimenta quaerunt, et in apertum ex inferioribus proferunt. Et fortasse mundus iste pistrinum est; anima autem nostra velut quodam carcere includitur corporali. in hoc ergo pistrino vel synagoga, vel anima obnoxia delictis, triticum molendo madefactum et gravi humore corruptum, non potest interiora ab exterioribus separare; et ideo relinquitur, quia eius similago displicuit. At vero sancta ecclesia, vel anima nullis maculata contagiis delictorum, quae tale triticum molit quod solis aeterni calore torridum sit, bonam similaginem de penetralibus hominum Deo offert. Qui sint autem agricolae, possumus reperire, si advertamus duas mentes esse in nobis: unam exterioris hominis, quae corrumpitur; aliam interioris, quae per sacramentum renovatur. Ista igitur sunt operantes in agro nostro; quarum altera bonum fructum diligentia dat, altera amittit incuria. Vel duos populos interpretemur in hoc mundo, qui agro comparatur: quorum alter, qui fidelis est, assumitur; alter, qui infidelis est, relinquitur.

Augustinus de quaest. Evang.. Vel tria genera hominum hic videntur significari. unum eorum qui otium et

quietem eligunt, neque negotiis saecularibus, neque ecclesiasticis occupati; quae illorum quies lecti nomine significata est. alterum eorum qui in plebibus constituti reguntur a doctoribus, agentes ea quae sunt huius saeculi; quos et feminarum nomine significavit, quia consilii praelatorum regi his expedit; et molentes dixit, quia temporalium orbem negotiorum atque circuitum vertunt; quasi tamen in unum molentes dixit, in quantum de istis rebus et negotiis suis praebent usibus ecclesiae. tertium genus est eorum qui operantur in ecclesiae ministerio, tamquam in agro dei. In his ergo tribus generibus bina sunt rursus genera hominum in singulis: quorum aliqui in ecclesia permanent, qui assumuntur; aliqui cadunt, qui relinquuntur.

Ambrosius. Non enim iniquus est deus, ut pares studiis in societate vivendi atque indiscreta actuum qualitate, meritorum remuneratione discernat. Non autem merita hominum copulae usus exaequat, quia non omnes quod adoriuntur efficiunt, sed qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Cyrillus. Quia ergo dixit quod quidam assumerentur, utiliter et bene inquirunt discipuli quo assumerentur; unde sequitur respondentes dicunt illi: ubi, domine? **Beda.** Duo autem salvator interrogatus, ubi scilicet sint boni assumendi, et ubi mali relinquendi, unum dixit, aliud subintelligendum reliquit; unde sequitur qui dixit eis: ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae.

Cyrillus. Quasi dicat: sicut deiecto cadavere, aves quarum pabulum sunt carnes, ad illud conveniunt; ita cum venerit filius hominis, tunc omnes aquilae, id est sancti, concurrent ad eum.

Ambrosius. Iustorum enim animae aquilis comparantur, eo quod alta petant, humilia derelinquant, et longaeavam ducere feruntur aetatem. De corpore autem dubitare non possumus, maxime si meminerimus quod a pilato ioseph corpus accepit. Nonne tibi videntur aquilae circa corpus, mulieres apostolorumque conventus circa domini sepulturam? nonne tibi videntur aquilae circa corpus, quando veniet in nubibus, et videbit eum omnis oculus? est autem corpus, de quo dictum est: caro mea vere est cibus. Circa hoc corpus aquilae sunt, quae circumvolant spiritualibus alis. Sunt etiam circa corpus aquilae, quae credunt iesum Christum in carne venisse. Est etiam ecclesia, in qua per baptismi gratiam spiritu renovamur.

Eusebius. Vel per aquilas mortua animalia depascentes, principes huius saeculi denotavit, et eos qui tunc temporis sanctos dei persequuntur, penes quos relinquuntur assumptionis indigni, qui corpus vel cadaver dicuntur: vel punitrices virtutes, quae facturae sunt impiorum, hic per aquilas denotantur.

Augustinus de cons. Evang.. Haec autem quae lucas hic ponit vel recordatur praeoccupando, ut prius commemoraret quae post a domino dicta sunt, vel bis a domino dicta facit intelligi.

LUCA 18,1-8

10801 (Lc 18,1-8)

Theophylactus. Postquam aerumnarum et periculorum dominus meminit, subdit horum remedium, quod est oratio iugis et praemeditata; unde dicit dicebat autem et parabolam ad illos, quoniam oportet semper orare, et non deficere.

Chrysostomus. qui te redemit, quid te facere voluit demonstravit. Non vult te cessare a precibus; vult te beneficia meditari dum petis: vult te rogando accipere quod benignitas desiderat impertiri. Nec unquam oranti beneficia denegat qui ut orantes non deficiant, sua pietate instigat. Hortamenta domini libenter admitte: quod praecepit, velle debes; nolle, si ipse dominus prohiberet. Denique considera quanta est tibi concessa felicitas, orationibus fabulari cum deo, quod desideras postulare; qui et si verbis silet, tamen beneficiis respondet; non aspernatur quod petis, non taedet nisi forte tacueris.

Beda. Dicendum est autem, eum semper orare et non deficere qui canonicis horis rogare non desistit; aut omnia quae iustus secundum deum gerit et dicit, ad orationem sunt reputanda.

Augustinus de quaest. Evang.. parabolas autem dominus aut secundum similitudinem ponit, sicut de feneratori, qui cum duobus debitoribus donasset quod debebant, ab eo plus dilectus est cui plus donavit; aut de ipsa similitudine aliquid probat, veluti est illud, quod si fenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, deus sic vestit, quanto magis vos, modicae fidei? hic ergo iniquus iudex non ex similitudine, sed ex dissimilitudine adhibitus est, de quo subditur iudex quidam erat in quadam civitate, qui deum non timebat, et hominem non reverebatur.

Theophylactus. vide quod impudentem erga homines esse, gravioris est mali indicium: deum enim

quamplures non timent, attamen humano cohibentur pudore, et ideo minus peccant; cum vero fit aliquis impudens etiam quoad homines, tunc excrescit cumulus vitiorum. sequitur vidua autem quaedam erat in illa civitate.

Augustinus. Ista vidua potest habere similitudinem ecclesiae, quae desolata videtur donec veniat dominus, qui nunc in secreto curam eius gerit. Sed quia sequitur et veniebat ad eum dicens: vindica me de adversario meo. Et nolebat per multum tempus, hic monet cur electi dei se vindicare deprecentur, quod etiam in apocalypsi iohannis de martyribus dicitur, cum apertissime moneamur ut pro nostris inimicis et persecutoribus oremus. Intelligendum est autem eam vindictam esse iustorum ut omnes mali pereant. Pereunt autem duobus modis: aut conversione ad iustitiam, aut amissa per supplicium potestate. Itaque si omnes homines convertentur ad deum, diabolus tamen remaneret in saeculi fine damnandus; quem finem cum iusti videre desiderant, non absurde vindictam desiderare dicuntur.

Cyrillus. Vel aliter. Quoties nobis ab aliquibus irrogantur offensae, tunc gloriosam esse putabimus oblivionem malorum: quoties vero aliquid ad ipsam dei gloriam peccant, contra dogmatis divini ministros bellantes, tunc deum adimus postulantes subsidium, et exclamantes contra impugnantes gloriam eius.

Augustinus. apud iniquissimum ergo iudicem usque ad effectum implendi desiderii valuit trahere perseverantia deprecantis; unde sequitur post haec autem dixit intra se: etsi deum non timeo, neque hominem revereor, tamen quia molesta est mihi haec vidua, vindicabo illam, ne in novissimo veniens sugillet me. multo igitur certiores esse debent qui deum perseveranter rogant, fontem iustitiae atque misericordiae; unde sequitur ait autem dominus: audite quid iudex iniquitatis dicat. Deus autem non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte et patientiam habebit in illis? Theophylactus. quasi dicat: si iudicem imbutum quolibet scelere demulsit assiduitas, quanto magis patrem misericordiae deum flectemus ad pietatem orando? unde sequitur dico autem vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Tentaverunt autem quidam subtilius hanc indagare parabolam; dicunt enim viduam esse quamlibet animam quae pristinum virum, scilicet diabolum, excludit, ob hoc ei adversantem quod accedit ad deum iustitiae iudicem; qui neque deum timet, nam ipse solus est deus; sed nec veretur hominem, non est enim apud deum personarum acceptio. huius igitur viduae, idest animae supplicantis, iugiter sibi contra diabolum miseretur deus, demulcente eum instantia eius. Postquam autem dominus docuit quod utendum sit in tempore consummationis oratione pro tunc futuris periculis, subdit verumtamen filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? **Augustinus** de verb. Dom.. Dicit autem dominus de fide quae perfecta est: ipsa enim vix invenitur in terra. Ecce plena est ecclesia dei: quis huc accederet, si nulla esset fides: quis non montes transferret, si plena esset fides? **Beda.** cum autem omnipotens conditor in forma filii hominis apparuerit, tanta erit raritas electorum, ut non tam ob clamorem fidelium, quam torporem aliorum, totius mundi sit acceleranda ruina. Quod autem dominus hic quasi dubitative dicit, non dubitat, sed arguit: nam et nos aliquando de rebus quas certas habemus, increpative verbum dubitationis promimus; ut si dicatur servo: considera, forsitan dominus tuus sum.

Augustinus. hoc autem dominus adicit, ut ostendat quod si fides deficit, oratio perit. ergo ut oremus credamus, et ut ipsa fides non deficiat oremus. Fides fundit orationem, fusa oratio fidei impetrat firmitatem.

LUCA 18,9-14

10809 (Lc 18,9-14)

Augustinus de verb. Dom.. quia fides non est superborum, sed humilium, praemissis subiecit parabolam de humilitate, et contra superbiam; unde dicitur dixit autem et ad quosdam qui in se confidebant tamquam iusti, et aspernabantur ceteros, parabolam istam.

Theophylactus. quia enim superbia plus quam aliae passiones vexat hominum mentes, ideo crebrius de hac monet. Est autem superbia dei contemptus: quoties enim aliquis non Deo sed sibi ascribit bona quae facit, quid est aliud quam dei negatio? causa igitur confidentium in seipsis, non autem totum attribuentium deo, sed ob hoc etiam ceteros contemnentium, parabolam proponit, ostendens quod iustitia quamvis hominem approximet deo, si tamen assumat superbiam, ad infimum deicit hominem; unde sequitur duo homines ascenderunt in templum ut orarent: unus pharisaeus, et alter publicanus.

Graecus. diligentiam quidem orationis docuit nos per viduam et iudicem; hic autem per pharisaeum et publicanum docet nos quomodo sint ei dirigenda precamina, ne sit infructuosum orationis negotium. Condemnatus est autem pharisaeus, cum incaute oraret; nam sequitur pharisaeus autem stans, haec apud se orabat.

Theophylactus. per hoc quod dicit stans, elatum eius animum notat: ipso enim habitu superbissimus videbatur.

Basilius. dicit autem apud se orabat; quasi non apud deum, quia ad seipsum redibat per peccatum superbiae; sequitur enim deus, gratias ago tibi.

Augustinus. non reprehenditur quia Deo gratias agebat, sed quia nihil sibi addi cupiebat. ergo iam plenus es, iam abundas; non est quare dicas: dimitte nobis debita nostra. quis est igitur qui impune oppugnat gratiam, si reprehenditur qui superbe agit gratias? audiant qui dicunt: deus me hominem fecit; ego me iustum facio. O peior et detestabilior pharisaeo, qui superbe iustum se dicebat, sed tamen inde gratias Deo agebat.

Theophylactus. Attende autem seriem orationis pharisaei. Primo namque dixit quae ei aberant, deinde subiungit quae habebat; sequitur enim quia non sum sicut ceteri hominum, raptores, iniusti, adulteri.

Augustinus. Diceret saltem: sicut multi homines. Quid est ceteri homines, nisi omnes praeter ipsum? ego, inquit, iustus sum, ceteri peccatores.

Gregorius moralium. Quatuor quippe sunt species quibus omnis tumor arrogantium demonstratur: cum bonum aut a semetipsis habere se aestimant; aut si sibi datum desuper credunt, pro suis se hoc accepisse meritis putant; aut certe cum iactant se habere quod non habent; aut despectis ceteris singulariter videri appetunt habere quod habent; unde et pharisaeus hic bonorum sibi operum merita singulariter tribuit.

Augustinus. ecce autem ex vicino publicano maioris erat ei tumoris occasio; sequitur enim velut etiam hic publicanus; quasi dicat: ego solus sum, iste de ceteris est.

Chrysostomus. non enim satiaverat contemptum eius tota humana natura, sed et publicanum aggressus est. Moderatius autem peccasset, si publicanum excepisset; nunc autem uno verbo et absentes invadit, et vulnera praesentis lacescit. Non est autem gratiarum actio inveciva aliorum. Si regratiaris deo, ipse tibi tantum sufficiat, nec te ad homines transferas, nec proximum condemnes.

Basilius. Discrepat autem elatus a conviciatore sola habitudine: is enim in alios utitur conviciis, hic autem se mentis temeritate extollit.

Chrysostomus. qui autem aliis conviciatur, sibi et aliis multa mala facit. Primo enim audientem reddit peiorem: quia si sit peccator, fit laetior, criminis invento collega; si sit iustus, extollitur, per aliena crimina inductus de se magna putare. Secundo communitatem ecclesiae laedit: non enim omnes audientes vituperant eum solum qui peccavit, sed ritui Christiano contumelias innectunt. Tertio dei gloriam blasphemare facit: sicut enim nobis recte agentibus nomen dei glorificatur, sic nobis peccantibus blasphematur. Quarto eum qui audivit opprobria, confundit, impudentiorem eum et adversarium faciens. Quinto statuit se poenae obnoxium, rebus prolatis quae sibi non conveniunt.

Theophylactus. Expediit autem non solum declinare a malo, sed etiam agere bonum; et ideo cum dixisset: non sum sicut adulteri, subiungit per oppositum ieiuno bis in sabbato. Sabbatum hi dicebant hebdomadam ab ultima die quietis. Ieiunabant enim pharisaei secunda et quinta feria. Sic igitur ieiunia obiecit contra passionem adulterii: nam ex voluptate est lascivia. Rapacibus vero et iniustis opposuit decimarum solutionem; sequitur enim decimas do omnium quae possideo; quasi dicat: adeo rapinas et nequitas refugio ut etiam mea contribuam.

Gregorius moralium. ecce civitatem cordis sui insidiantibus hostibus per elationem aperuit, quam frustra per ieiunium et orationem clausit. Incassum munita sunt cetera, cum locus unus, de quo hosti patet aditus, munitus non est.

Augustinus. Quaere autem in verbis eius: nihil invenies quod deum rogaverit: ascendit quidem orare, noluit deum rogare, sed se laudare, et roganti insultare. Publicanum autem cordis conscientia removebat, sed pietas applicabat; unde sequitur et publicanus a longe stans nolebat nec oculos ad caelum levare.

Theophylactus. Quamvis autem publicanus stetisse dicatur, distabat tamen a pharisaeo tam verbis quam habitu, nec non et corde contrito: nam verebatur oculos levare in caelum, censens indignos visionis supernae eos qui maluerunt bona terrena spectare et quaerere; necnon et pectus tundeat; unde sequitur sed percutiebat pectus suum, cor quodammodo pungens causa cogitationum pravaram, nec non et excitans ut dormitans: unde non aliud quam deum propitiatorem petebat; sequitur enim dicens: deus,

propitius esto mihi peccatori.

Chrysostomus. audivit quia non sum velut hic publicanus, nec indignatus est, sed compunctus: detexit ille vulnus, quaerit hic medicinam. Nemo igitur illud frigidum proferat verbum: non audeo, pudorosus sum, non possum aperire os. Talis reverentia est diabolica: vult enim diabolus obserare tibi fores accessus ad deum.

Augustinus. Quid igitur miraris si deus ignoscit, quando ipse agnoscit? de longinquo stabat; Deo tamen appropinquabat, et eum dominus de prope attendebat: excelsus enim dominus, et humilia respicit; nec oculos ad caelum levabat ut respiceret; tremebat conscientia, spes sublevabat; percutiebat pectus suum, poenas de seipso exigebat: propterea dominus confitenti parcebat. Audisti superbum accusatorem, audisti humilem reum: audi nunc iudicem dicentem amen dico vobis: descendit hic iustificatus in domum suam ab illo.

Chrysostomus. geminos aurigas et duas bigas in stadio positas sermo praesens proponit: in altera peccatum et humilitatem: et vides bigam peccati superare iustitiam, non propriis virtutibus, sed humilitatis coniunctae; illam vero devictam non fragilitate iustitiae, sed mole et tumore superbiae: nam sicut humilitas per sui eminentiam peccati pondus superat, et saliens attingit deum; sic superbia ob sui molem de facili iustitiam deprimit. Si ergo plura facta strenue geras, putas autem te posse praesumere, tota caruisti oratione; si vero mille feras in conscientia fascis reatum, et hoc solum de te credas quod es infimus omnium, multam obtinebis ante deum fiduciam. Et ideo suae sententiae causam assignans subdit quia omnis qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur. humilitatis nomen multiplex est. est enim quaedam virtus humilitas, iuxta illud: cor contritum et humiliatum, deus, non despicias. Est et humilitas ab aerumnis, iuxta illud: humiliavit in terra vitam meam. Est et humilitas a peccatis et superbia et insatiabilitate divitiarum: quid enim humilius his qui se submitunt in divitiis et potentatu, et haec reputant magna? Basilii. similiter etiam et exaltari laudabiliter contingit, quando scilicet non humilia cogitas, sed mens tua est per magnanimitatem in virtutem erecta. Talis autem animi celsitudo est eminentia in tristitiis, terrenorum contemptus, conversatio in caelis: et videtur huiusmodi mentis sublimitas eamdem habere differentiam ad elationem quam arrogantia parit, quam habet corpulentia corporis bene dispositi ad inflationem carnis cum ex hydropisi tumet.

Chrysostomus. haec igitur fastus inflatio ab ipsis caelis potest deprimere non caventem; humilitas vero et ab ipsa abyssu reatum hominem sublimare: haec enim prae pharisaeo publicanum salvavit, latronem ante apostolos in paradysum duxit; illa vero etiam incorpoream ingressa est potestatem. ceterum si iuncta delicto humilitas tam facile currit, ut superbiam iustitiae transeat; si iustitiae coniunxeris eam, quomodo non ibit? assistet ipsa tribunali divino in medio angelorum cum fiducia multa. Rursus si fastus coniunctus iustitiae eam deprimere potuit, si coniunctus sit peccato, in quantam gehennam detrudet? hoc dico, non ut negligamus iustitiam, sed ut fastum vitemus.

Theophylactus. Sed forsitan mirabitur aliquis, quomodo pharisaeus, cum pauca verba suae laudis protulerit, condemnatur; iob vero cum plurima fuderit, coronatur. Eo scilicet quod pharisaeus talia dicebat criminando alios, nulla ratione cogente; iob vero, urgentibus eum amicis, et pressuris prementibus, coactus est proprias virtutes referre ad dei gloriam, ne homines desisterent a profectu virtutis.

Beda. Typice autem pharisaeus est populus iudaeorum, qui ex iustificationibus legis extollit merita sua; publicanus vero gentilis est, qui longe a Deo positus, confitetur peccata sua; quorum unus superbiendo recessit humiliatus, alter lamentando appropinquare meruit exaltatus.

LUCA 18,15-17

10815 (Lc 18,15-17)

Theophylactus. post praedicta, humilitatem dominus docet per ea quae fecit, non repellens, sed gratanter parvulos admittens; unde dicitur afferebant autem ad illum infantes, ut eos tangeret.

Augustinus de verb. dom.. Cui afferuntur tangendi nisi salvatori? sed si salvator est, salvandi offeruntur illi qui venit salvum facere quod perierat. Ubi isti perierant, quantum ad ipsos pertinet innocentes? sed secundum apostolum, per unum hominem intravit peccatum in orbem terrarum. Veniant ergo parvuli, ut languidi ad medicum, perditum ad redemptorem.

Ambrosius. Durum autem aliquibus videri potest quod discipuli dominum infantulos adire prohibebant; sequitur enim quod cum viderent discipuli, increpabant illos. Ubi vel mysterium intelligas, vel affectum.

Neque enim hoc invidia aut in pueros mentis asperitate faciebant; sed sedulae servitutis obsequia domino deferebant, ne comprimeretur a turbis. Respuenda quippe est utilitas nostra ubi divinitatis iniuria est. In mysterio autem, quia prius salvari populum iudaeorum, ex quo secundum carnem nati fuerant, gestiebant. Sciebant quidem mysterium quod utrisque populis vocatio deberetur: nam et pro chananaea muliere supplicarunt; sed fortasse adhuc ordinem nesciebant; unde sequitur iesus autem convocans eos dixit: sinite parvulos venire ad me, et nolite vetare eos: talium est enim regnum dei. Non aetas praefertur aetati: alioquin obsesset adolescere. Cur ergo pueros dicit aptos esse regno caelorum? fortasse quia malitiam nesciant, fraudare non noverint, referire non audeant, scortari ignorent, opes, honorem, ambitionem non appetant. sed non ignorare ista, virtus est, sed contemnere: non enim virtus est non posse peccare, sed nolle. Non igitur pueritia, sed aemula puerilis simplicitatis bonitas designatur.

Beda. Unde signanter dixit talium, non istorum, ut ostenderet non aetatem regnare, sed mores; et his qui similem haberent innocentiam et simplicitatem, praemia repromitti.

Ambrosius. denique hoc salvator expressit dicens amen dico vobis: quicumque non acceperit regnum dei sicut puer, non intrabit in illud. Quis puer imitandus est apostolis Christi, nisi de quo isaias dixit: puer natus est nobis, qui cum malediceretur, non maledicebat? itaque in pueritia est quaedam venerabilis morum senectus, et in senectute innocens pueritia.

Basilius. Suscipiemus autem regnum dei ut puer, si dispositi fuerimus erga doctrinam domini ut puer, in disciplina, nequaquam contradicens nec disputans cum magistris, sed credibiliter et obedenter imbibens documenta.

Theophylactus. gentilium ergo sapientes quaerentes sapientiam in mysterio, quod est regnum dei, nec volentes hoc absque fide syllogisticae probationis admittere, merito exclusi sunt ab hoc regno.

LUCA 18,18-23

10818 (Lc 18,18-23)

Beda. Audierat princeps quidam a domino, tantum eos qui puerorum vellent esse similes, regnum dei intraturos; atque ideo poscit sibi non per parabolam, sed palam, quibus operum meritis vitam aeternam consequatur, exponi; unde dicitur et interrogavit eum quidam princeps, dicens: magister bone, quid faciendo vitam aeternam possidebo? **Ambrosius.** Tentator princeps iste magistrum bonum dixit, qui deum bonum dicere debuisset: nam licet in divinitate bonitas sit, et in bonitate divinitas, tamen addendo magister bone, in portione bonum dixit, non in universitate: nam deus in universitate bonus, homo ex parte.

Cyrillus. Putavit autem se Christum capere, dum vituperaret mosaicum praeceptum, introduceret vero sua statuta. Accedit ergo ad magistrum, et bonum eum nuncupans, dicit se velle doceri. quia ergo tentative quaerebat, qui apprehendit sapientes in astutia sua, convenienter ei respondet; nam sequitur dixit autem ei iesus: quid me dicis bonum? nemo bonus nisi solus deus.

Ambrosius. non bonum se negat, sed deum designat. bonus quidem non est, nisi plenus bonitatis. quod si quem moveat quia nemo bonus, moveat et illud nisi deus. Quod si a Deo filius non excipitur, utique nec a bono Christus excipitur: nam quomodo non bonus ex bono natus? arbor enim bona fructus bonos facit. quomodo non bonus, cum bonitatis suae substantia ex patre assumpta non degeneravit in filio, quae non degeneravit in spiritu? spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam. Quod si bonus spiritus qui accipit a filio, bonus utique et ille qui tradidit. Itaque quia legisperitus est iste qui tentat, sicut in libro alio demonstratur, ei bene dixit nemo bonus nisi unus deus: ut admoneret, quia scriptum est: non tentabis dominum deum tuum; sed magis confiteretur domino, quoniam bonus.

Chrysostomus in Matthaeeum. Vel aliter. Avarum quidem dicere hunc principem non verebor: nam hoc Christus ei improperat; tentatorem autem minime. Titus. ergo cum dicit magister bone, quid faciendo vitam aeternam possidebo? idem est ac si dicat: bonus es: dignare me responso in eo quod quaero: doctus sum vetus testamentum, te tamen praestantiorum video non promittentem terram, sed praedicantem regnum caelorum. Dic ergo mihi, quid faciendo vitam aeternam potero possidere? intentionem igitur attendens salvator, quia fides est via ad opera, cum dixisset ille quid faciam? hac quaestione omissa, in notitiam fidei eum ducit: velut si quis interrogaret medicum: quid comedam? et ille ostenderet quae deberent cibum praecedere; et ideo eum ad patrem remittit, dicens quid me dicis bonum? non quod ipse bonus non esset: erat enim bonum ex bono patre germen, bonus boni filius.

Augustinus de cons. evang.. Potest autem videri distare aliquid quod secundum Matthaeum dicitur: quid me interrogas de bono? quod ad illud magis referri potest quod ait ille quaerens: quid boni faciam? ibi enim et bonum nominavit, et interrogatio est. Commodissime ergo intelligitur utrumque dictum: quid me dicis bonum? et: quid me interrogas de bono? quod ad illud magis referri potest. titus. Denique postquam docuit cognitionem fidei, subiungit mandata nosti; quasi dicat: quando prius deum noveris, tunc optime quaeres quid facias.

Chrysostomus. expectante autem principe audire Christum dicentem: recedas a mandatis mosaicis, et meis attende, ad mosaica eum mittit; unde sequitur non occides, non moechaberis.

Theophylactus. primo quidem lex ea corrigit ad quae facilius labimur, ut moechari, cuius incentivum est intrinsicum et naturale; et occidere, quia immanis bellua furor; sed furtum et falsi testimonii culpam raro contingit incurrere. Sed et graviora illa existunt; et ideo secundario furtum et falsum testimonium ponit, ut rarius fallentia et leviora; sequitur enim non furtum facies, non falsum testimonium dices.

Basilius. non est autem intelligendum fures esse solum bursarum incisores, vel latrocinantes in balneis; sed et si qui duces legionum statuti, vel commisso sibi regimine civitatum aut gentium, hoc quidem furtim tollunt, hoc vero vi ac publice exigunt. titus. Sed videas in non agendo praecepta consistere: quoniam si moechatus non fueris, castus es; si non fureris, benevolus; si falso non testeris, veridicus. Attende virtutem iam facilem per bonitatem statuentis: nam mali fugam ingerit, non boni exercitium; quaelibet autem quies quolibet est facilius opere.

Theophylactus. sed quia in parentes committere quamquam magnum sit crimen, raro tamen accidit, post omnia ponit honora patrem tuum et matrem.

Ambrosius. Est autem honor non solum honorificentiae, sed etiam largitati. Honor enim est deferre pro meritis. Pasce patrem tuum, pasce matrem; et si paveris, adhuc non reddidisti dolores et cruciatus quos pro te mater passa est. Illi debes quod habes, huic debes quod es. Quantum iudicium, si pascat ecclesia quos tu pascere nolis? sed dices: quod eram parentibus collaturus, ecclesiae mallet conferre. Non quaerit deus donum de fame parentum; sed ut pascendos scriptura dicit parentes, ita propter deum relinquendos, si impediunt devotae mentis affectum. sequitur qui ait: haec omnia custodivi a iuventute mea. **Hieronymus.** mentitur adolescens. Si enim quod postpositum est in mandatis: diliges proximum tuum sicut teipsum, opere compleret, quomodo postea audiens: vade, et vende omnia quae habes, et da pauperibus, tristis abscessit? **Beda.** Vel non est putandus esse mentitus, sed simpliciter ut vixerit, scilicet exterius, esse confessus: alioquin nequaquam marcus diceret quod iesus intuitus eum dilexit eum. titus. Ostendit autem consequenter dominus quod si aliquis vetus testamentum peregit, perfectus non est, sed deest ei sequi Christum; unde subditur quo audito iesus ait ei: adhuc unum tibi deest: omnia quaecumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in caelo; quasi dicat: quaeris quomodo sit possidenda vita aeterna: sparge facultates pauperibus, et obtinebis illam. Parva sunt quae impendis, magna quae recipis.

Athanasius. non enim mundum despicientes putemus grandia quidem abdicasse, quia tota terra est in comparatione caeli brevissima: quapropter si toti terrae dominaremur, ei abrenuntiantes, nihil dignum esset in comparatione regni caelorum.

Beda. Quicumque ergo perfectus esse voluerit, oportet vendere quae habet, non ex parte, sicut ananias fecit et saphira, sed totum.

Theophylactus. Unde dicens omnia quae habes, summam paupertatem suadet; si quid enim restiterit, illius servus est.

Basilius. non tamen docet facultates vendere eo quod naturaliter sint pravae; alioquin creatura dei non essent: unde eas non tamquam malas abicere, sed dispensare monuit: et condemnatur aliquis, non quia eas possidet, sed quia eis abusus est: quo fit ut facultatum secundum mandata dei dispensatio, et crimina deleat, et regnum conferat; unde subdit et da pauperibus.

Chrysostomus. Poterat quidem deus alere pauperes et sine hoc quod nos misereremur eorum; sed vult dantes dilectione astringi accipientibus.

Basilius. dicente autem domino da pauperibus, puto non expedire cuiquam negligenter gerere, sed omnia diligenter disponere, praecipue per seipsum, si ex parte se habeat; sin autem, per eos de quibus constat quod fideliter et prudenter disponant: maledictus enim qui negligenter perficit opera domini.

Chrysostomus. Sed illud quaeritur quomodo Christus erogare cuncta pauperibus perfectionis esse fatetur; paulus autem absque dilectione hoc asserit esse imperfectum. sed valde consonat quod subiunxit et veni, sequere me: quod ostenditur ex dilectione esse: in hoc enim cognoscent omnes quod mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.

Theophylactus. cum paupertate enim ceteras quoque virtutes hominem habere oportet; ob hoc ait et veni, sequere me: idest, in ceteris esto meus discipulus, iugiter me sequaris.

Cyrillus. Princeps autem ille vini recentis capax non fuit, vetus uter existens; sed tristitia ruptus est; unde sequitur his ille auditis, contristatus est, quia dives erat valde.

Basilius. Mercator non tristatur in nundinis paciscendo quae possidet, acquirendo sibi opportuna; tu vero tristaris pulverem dans, ut acquiras vitam beatam.

LUCA 18,24-30

10824 (Lc 18,24-30)

Theophylactus. Quoniam dives, audita opum abiectio, tristatus fuit, dominus admiranter locutus est; dicit enim videns autem iesus illum tristem factum, dixit: quam difficile qui pecunias habent in regnum dei intrabunt. Non dicit: impossibile est eos intrare, sed difficile; possunt enim per divitias adipisci superna, sed difficile est: quia viscosiores sunt visco divitiae, et vix evellitur animus occupatus ab eis: sed subsequenter ut impossibile hoc indicat, cum dicit facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum dei. Nam sive per camelum animal intelligas, sive funem nauticum crassum; quocumque modo impossibile est quod foramen acus totum capiat camelum. Si igitur facilius est camelum per foramen acus transire quam divitem salvari, et hoc quod facilius est, impossibile est; impossibilius ergo est salvari divitem. Quid igitur dicendum? equidem quod vere sic habet, divitem servari non posse. Neque mihi dicas, quod salvatus sit dives quispiam, qui sua dederit: non enim dives salvatus est, sed quia pauper factus, vel dispensator existens servatus est, non dives. Aliud est enim dispensator, aliud dives: dives est qui sibi divitias reservat, dispensator vero cui divitiae propter alios concredita sunt.

Chrysostomus in iohannem. Abraham quidem possidebat opes pauperibus; et qui iuste eas possident, quasi suscipientes a Deo dispensant in divinis mandatis; qui vero contra deum acquisierunt, et in expendendo faciunt illud idem, meretricibus et parasitis dantes, vel humi abscondentes, egenis vero nihil impendentes. non ergo prohibet ditari, sed opibus famulari: vult necessariis ut eis utamur, non ut custodiamus: nam famuli est custodire, sed domini dispensare. Si conservari eas vellet, non tradidisset eas hominibus, sed sineret in terra iacere.

Theophylactus. Porro attendas illud quod divitem quidem impossibile dicit salvari, possidentem vero divitias difficile; quasi dicat: dives, qui captus est a divitiis, et famulatur eis, non salvabitur; habens vero illas, scilicet qui eis dominatur, vix salvabitur causa humanae fragilitatis. Conatur enim nos diabolus supplantare quoadusque possidemus divitias, et difficile est aufugere decipulas eius: ideoque bonum est paupertas, et quasi tentatione carens.

Chrysostomus. Nulla enim est divitiarum commoditas, anima patiente penuriam; nec laesio paupertatis, anima divitiis affluente. Si autem ditescens indicium est nullius egere, et pauperascentis indigere; palam est quod magis esse pauperem facit magis ditescere: facilius est enim quod quis in paupertate quam in divitiis opes contemnat: neque enim talis est ambitus ut per magis habere sedetur; sed per hoc consuevit magis accendi, sicut ignis quando maiorem suscipit escam. quae autem mala videntur esse inopiae, communia sunt; quae vero divitiarum, propria sunt earum.

Augustinus de quaest. evang.. Divitem ergo hic appellat cupidum rerum temporalium, et de talibus superbientem. His divitiis contrarii sunt pauperes spiritu, quorum est regnum caelorum. Mystice autem facilius est Christum pati pro dilectoribus saeculi, quam dilectores saeculi ad Christum posse converti. cameli enim nomine se intelligi voluit, quia sponte humiliatus infirmitatis nostrae onera sustulit. Per acum autem punctiones significat, per punctiones dolores in passione susceptos; foramen autem acus dicit angustiam passionis.

Chrysostomus in Matthaum. hic autem sermo quasi gravis transcendebat discipulorum virtutem; unde sequitur et dixerunt qui haec audiebant: et quis potest salvus fieri? hoc dixerunt discipuli, non de se, sed de

toto mundo timentes.

Augustinus. Cum autem incomparabiliter maior sit turba pauperum, quae, divitiis perditis, potest salvari; intellexerunt, omnes qui divitias amant, etiam si adipisci nequeant, in divitum numero deputari. sequitur ait illis: quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud deum: quod non ita intelligendum est, quasi dives cum cupiditate et superbia in regnum dei sit intraturus; sed possibile est Deo ut a cupiditate et superbia ad caritatem et humilitatem convertatur.

Theophylactus. apud homines ergo, quorum serpit intentio ad terrena, impossibilis est salus, ut dictum est; apud deum vero possibilis est. Cum enim homo consiliarium habet deum, et iustificationes et doctrinas paupertatis imbiberit, necnon eius auxilium invocet, hoc fiet possibile.

Cyrillus. Congruè autem dives cum multa contempserit, recompensationem expectabit; qui vero parva possidens ea abdicavit, quid ei sperandum esset, quaerere decebat; unde sequitur ait autem petrus: ecce dimisimus omnia. Matthaeus addit: quid ergo erit nobis? **Beda.** Quasi dicat: fecimus quod iussisti: quid igitur dabis nobis praemii? et quia non sufficit dimittere omnia, iungit quod perfectum est, dicens et secuti sumus te.

Cyrillus. Illud autem necesse est dicere, quod paucis abrenuntiantes, quantum spectat ad propositum et obedientiam, pari lance cum opulentis penduntur, paribus utentes affectibus, dum rerum quas possident abiectioem ultro inferunt; unde sequitur amen dico vobis: nemo est qui reliquerit domum aut parentes aut fratres aut uxores aut filios aut agros propter regnum dei, et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in saeculo futuro vitam aeternam. elevat ad acceptissimam spem omnes audientes, iureiurando promittens, dum apponit sermoni amen. Doctrina enim divina mundum vocante ad fidem Christi, forsitan aliqui respicientes parentes infideles, noluerunt eos turbare veniendo ad fidem; et similis est ratio aliorum germanorum. deserunt autem quidam patrem et matrem, et totius parentelae amorem despiciunt propter amorem Christi.

Beda. Sensus igitur iste est: qui propter regnum dei inquirendum omnes affectus contempserit, omnes saeculi divitias, delicias risusque calcaverit, multo plura in praesenti recipiet. Cuius sententiae occasione, quidam iudaicam mille annorum fabulam post resurrectionem iustorum aedificant, quando omnia quae propter deum dimittimus, multiplici nobis sint fenore reddenda, et insuper vita aeterna donanda: nec vident inexperti, quod si in ceteris digna sit repromissio, in uxoribus tamen, iuxta alios evangelistas centenis, appareat turpitudine; praesertim cum dominus in resurrectione non esse nubendum testetur; et iuxta Marcum, ea quae dimissa fuerint, in hoc tempore cum persecutionibus accipienda confirmet, quasi in illis mille annis abesse dogmatizant.

Cyrillus. hoc ergo dicimus, quod omissis temporalibus et carnalibus, multo maiora sibi aliquis vindicabit: quoniam et apostoli, cum pauca dimiserint, obtinuerunt multiplicia dona charismatum, et celebres reputati sunt ubique. Erimus ergo similes illis: si domum quis dimittat, recipiet mansiones supernas, si patrem, patrem habebit caelestem; si a germanis recesserit, in fratrem hunc recipiet Christus; cum dimiserit coniugem, inveniet divinam sapientiam, a qua procreabit spiritalis fructus, inveniet ierusalem caelestem, quae est mater nostra; a fratribus etiam et a sororibus sui propositi glutino spiritali colligatis, multo in hac vita gratiosorem recipiet caritatem.

LUCA 18,31-34

10831 (Lc 18,31-34)

Gregorius in evang.. Praevicens salvator ex passione sua discipulorum animos turbandos, eis longe ante et passionis suae poenam et resurrectionis suae gloriam praedicat; unde dicitur assumpsit autem iesus duodecim et ait illis: ecce ascendimus hierosolymam, et consummabuntur omnia quae scripta sunt per prophetas de filio hominis.

Beda. Praevicens enim quosdam haereticos futuros, qui Christum dicerent legi prophetisque docuisse contraria, ostendit quod per prophetarum praesagia suae passionis et posterioris gloriae sit celebrata perfectio.

Chrysostomus in Matthaeum. Seorsum autem de passione cum discipulis confert: non enim oportebat hunc sermonem pluribus divulgari, ne turbarentur. hoc autem praedicebat discipulis, ut exercitati per

expectationem facilius sustinerent.

Cyrillus. Et ut sciant quoniam passionem praenovit, et spontaneus ad eam accessit; ne dicerent: qualiter in manus hostium incidit qui nos promittebat salvare? unde seriatim ordinem passionis enarrat, subdens tradetur enim gentibus et illudetur et flagellabitur et conspuetur.

Chrysostomus. Hoc isaias praedixerat dicens: obtuli scapulas meas ad verbera, genas meas ad alapas, et faciem meam non diverti a sputorum dedecore. Sed et crucis patibulum praedixit propheta cum ait: tradidit in mortem animam suam, et cum sceleratis reputatus est. Unde et hic subditur et postquam flagellaverint, occident eum. Sed et resurrectionem eius david praedixit dicens: non derelinques animam meam in inferno. Unde hic subditur et tertia die resurget. Isidorus. admiror autem dementiam quaerentium cur Christus ante triduum resurrexit: si enim resurgeret tardius quam praedixerat, impotentiae esset; celerius vero est summae virtutis indicium. Si quem enim cum sponderit suo creditori post triduum persolvere debitum, eadem die satisficientem viderimus; non fallacem, sed potius ut veridicum eum mirabimur. Dicam etiam quod non dixit se post tres dies resurrecturum, sed die tertia. Habes parasceven, habes sabbatum usque ad solis occasum; et post sabbatum resurrexit.

Cyrillus. Discipuli autem nondum noverant exquisite quod prophetae praedixerant; sed postquam resurrexit, aperuit eis sensum ut intelligerent scripturas; unde sequitur et ipsi nihil horum intellexerunt.

Beda. Quia enim discipuli, eius vitam maxime desiderabant, eius mortem audire non poterant: et quoniam non solum hominem innocentem, sed et deum verum sciebant, hunc nullatenus mori posse putabant; et quia parabolae eum saepe loquentem audire consueverant, quoties aliquid de sua passione dicebat, ad aliud allegorice referendum esse credebant; unde sequitur erat autem verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quae dicebantur. Iudaei vero, quia in eius necem conspiraverant, quod de passione sua loqueretur dicens: oportet exaltari filium hominis, intelligebant; unde dixerunt: nos audivimus ex lege, quia Christus manet in aeternum; et quomodo tu dicis: oportet exaltari filium hominis?

LUCA 18,35-43

10835 (Lc 18,35-43)

Theophylactus. et ne incessus domini esset inutilis, in via fecit caeci miraculum, hoc documentum discipulis suis dans, ut in omnibus simus proficui, et nihil sit in nobis otiosum.

Augustinus de quaest. evang.. Possumus de appropinquantibus iericho sic intelligere, ut iam inde egressi, prope tamen adhuc essent ad eam civitatem: quod quidem minus usitate dicitur; sed tamen videri posset hoc dictum, quoniam Matthaeus, egredientibus eis ab iericho dicit illuminatos duos caecos, qui iuxta viam sedebant. De numero quidem nulla esset quaestio, si alter evangelistarum de uno tacuisset, unius reminiscens: nam et marcus unum commemorat, cum et egredientibus eis ab iericho dicit illuminatum; cuius et nomen dixit et patrem, ut intelligamus eum fuisse potissimum, alterum ignotum, ut merito ille notus etiam solus decenter commemoraretur. sed quoniam quae sequuntur in evangelio secundum lucam, aptissime ostendunt illud quod ipse narrat, adhuc venientibus ipsis iericho factum esse, nihil aliud restat intelligere, nisi bis esse factum hoc miraculum; semel in uno caeco, cum adhuc veniret in illam civitatem; iterum in duobus, cum inde egrederetur: ut illud unum lucas, alterum Matthaeus enarret.

Cyrillus. Multus autem erat populus circa Christum, et caecus eum quidem non noverat, sentiebat autem effectum, et rapiebat per affectum quod non hausit aspectus; unde subditur et cum audiret turbam praetereuntem, interrogabat quid hoc esset. Et oculati quidem secundum opinionem loquebantur; sequitur enim dixerunt autem ei, quod iesus nazarenus transiret. Caecus vero vera clamabat: alia docetur, et alia praedicat; nam sequitur et clamavit dicens: iesu fili david, miserere mei. Quis te docuit haec, o homo? num perlegisti libros privatus luminibus? unde igitur nosti luminare mundi? vere dominus illuminat caecos.

Cyrillus. In iudaismo autem nutritus non ignoravit quod de progenie david deus secundum carnem nasceretur; et ideo ei ut Deo loquitur, dicens miserere mei. Hunc imitentur qui in duo dividunt Christum: hic enim Christum tamquam deum adit, et filium david eum nominat. Mirentur autem instantiam confessionis eius: quidam enim eum confitentem fidem compescebant. sequitur et qui praeibant increpabant eum ut taceret. Sed per inhibitiones huiusmodi non impediatur eius audacia. Novit enim fides omnibus repugnare et in omnia triumphare: utile enim est pro cultu divino pudorem deponere: nam si causa pecuniae sunt impudentes nonnulli, pro animae salute non decet bonam induere impudentiam? unde sequitur ipse vero

multo magis clamabat: fili david, miserere mei. Sistit autem Christum vox invocantis in fide, et invocantes in fide respicit; et ideo merito vocat caecum, et accedere iussit; unde sequitur stans autem iesus iussit illum adduci ad se, ut scilicet qui prius fide eum tetigerat, appropinquaret et corpore. Appropinquantem caecum dominus interrogat; nam sequitur et cum appropinquasset, interrogavit illum, dicens: quid tibi vis faciam? dispensative interrogat, non quasi ignorans; sed ut scirent astantes quod non petebat pecuniam, sed divinam efficaciam, ut a deo; unde sequitur at ille dixit: domine, ut videam.

Chrysostomus. Vel quia calumniatores veritatis iudaei possent dicere, ut in caeco nato: non est hic, sed similis eius; voluit ut caecus prius ostenderet defectum naturae, et tunc cognoscat gratiae maiestatem. At ubi petitionis modum caecus explicuit, tunc cum summa maiestate praecepit ei ut videret: unde sequitur et dixit illi iesus: respice: quod redundabat in crimen perfidiae iudaeorum: quis enim prophetarum talia dixit? aspice tamen quid assumat medicus ab eo cui collata est sanitas; sequitur enim fides tua te salvum fecit. Pro fide enim venduntur beneficia; diffunditur enim gratia quam suscepit fides. Et sicut ab aliquo fonte hi quidem parvis vasis modicum aquae hauriunt, hi vero maioribus multum, fonte non distinguente mensuras; et secundum fenestras quae aperiuntur magis vel minus, splendor solis infunditur; ita secundum capacitatem intentionis hauritur gratia. Vertitur autem vox Christi in lucem languentis; erat enim verbum verae lucis; unde sequitur et confestim vidit. at caecus et ante beneficium fidem ostendit fervidam, et post beneficium benevolentiam observavit; sequitur enim et sequebatur illum magnificans deum.

Cyrillus. ex quo patet quod a duplici caecitate liberabatur, corporali scilicet et intellectuali: neque enim glorificasset ut deum nisi vere vidisset; sed et aliis factus est occasio glorificandi deum; sequitur enim et omnis plebs ut vidit, dedit laudem deo.

Beda. Non solum pro impetrato munere lucis, sed et merito fidei impetrantis.

Chrysostomus. Hic autem necesse est quaerere cur Christus daemonicum quidem curatum sequi volentem prohibet, caecum autem illuminatum sequentem non prohibet? sed neutrum irrationale puto: illum enim mittit praeconem, ut ex sua consistentia benefactorem praedicet: erat enim excellens miraculum, videre furiosum sanae mentis effectum: caecum vero permittit sequi, quando hierosolymam ascendebat per crucem perfecturus altum mysterium, ut recentem habentes miraculi mentionem, non existimarent eum infirmitate potius quam misericordia pati.

Ambrosius. In hoc autem caeco typus populi gentilis est, qui sacramento dominico recepit amissi luminis claritatem. Nihil autem interest utrum in uno caeco medicinam, an in duobus accipiat; quoniam ex cham et iaphet, noe filii, originem ducens, in duobus caecis, duos generis sui praetendebat auctores.

Gregorius in evang. . vel caecum est genus humanum, quod in parente primo claritatem supernae lucis ignorans, damnationis suae tenebras patitur. Iericho autem interpretatur luna, quae dum menstruis momentis decrescit, defectum nostrae mortalitatis designat. dum igitur conditor noster appropinquat iericho, caecus ad lumen redit: quia dum divinitas defectum nostrae carnis suscepit, humanum genus lumen quod amiserat recepit. Qui ergo aeternae lucis claritatem nescit, caecus est. Si autem tantum redemptorem credidit, qui dixit: ego sum via, iuxta viam sedet: si vero credidit, et exorat ut aeternum lumen recipiat, iuxta viam sedet et mendicat. illi autem qui iesum venientem praecedunt, designant carnalium desideriorum turbas, tumultusque vitiorum, qui priusquam iesus ad cor nostrum perveniat, dissipant cogitationem nostram, et in ipsa nos nostra oratione conturbant. Ipse vero magis clamabat: quia quanto graviore tumultu cogitationum premimur, tanto orationi insistere ardentius debemus. cum autem adhuc turbas phantasmatum in oratione patimur, iesum aliquatenus transeuntem sentimus; cum vero orationi vehementer insistimus, deus in corde figitur, et lux amissa reparatur. Vel transire humanitatis est, stare divinitatis. Caecum igitur clamantem dominus transiens audivit, stans illuminavit: quia per humanitatem suam vocibus nostrae caecitatis compatiendo misertus est, sed lumen nobis gratiae per divinitatis potentiam infundit. ad hoc autem requirit quid velit, ut cor ad orationem excitet: peti enim hoc vult quod et nos petere et se concedere praenoscat.

Ambrosius. Vel interrogavit caecum, ut crederemus nisi confitentem non posse salvari.

Gregorius. Caecus autem a domino non aurum, sed lucem quaerit; et nos non falsas divitias, sed lucem quaeramus, quam videre cum solis angelis possimus; ad quam lucem via fides est; unde recte caeco dicitur respice: fides tua te salvum fecit. Qui videt et sequitur, quia bonum quod intelligit operatur.

Augustinus de quaest. Evang. . si autem iericho lunam, et ob hoc mortalitatem interpretamur, morti propinquans dominus iudaeis solis lumen evangelii iusserat praedicari; quos significavit ille unus caecus quem lucas commemorat: a morte autem resurgens, atque descendens, et iudaeis et gentibus; quos duos populos significare videntur duo caeci commemorati a Matthaео.

LUCA 19,1-10

10901 (Lc 19,1-10)

Ambrosius. Zachaeus in sicomoro, caecus in via: quorum alterum dominus miseraturus expectat, alterum suae mansionis claritate nobilitat; de quo dicitur et ingressus iesus perambulabat iericho: et ecce vir nomine zachaeus: et hic erat princeps publicanorum, et ipse dives. Et bene princeps inducitur publicanorum: quis enim de se desperet, quando iste pervenit ad gratiam, cui census ex fraude? et ipse quidem dives, ut scias omnes divites avaros.

Cyrillus. Sed zachaeus in his moram non traxit; sed factus est dignus propitiatione dei, qui caecos illuminat, et longinquos vocat. Titus. Pullulaverat autem in eo semen salutis, quia cupiebat iesum videre; unde sequitur et quaerebat videre iesum quis esset, utpote qui numquam eum viderat: quia si vidisset, dudum iam recessisset a nequitia publicana. si quis enim iesum videt, non potest nequitiis immorari. Duo autem erant impedimenta huic visioni: nam retardabat eum populus, non tam virorum quam peccatorum; erat autem parvus statura; unde sequitur et non poterat prae turba, quia statura pusillus erat.

Ambrosius. Quid sibi vult quod nullius alterius staturam quam huius expressit? vide ne forte malitia pusillus, aut adhuc pusillus fide: nondum enim pronus erat cum ascenderet, nondum viderat Christum. Titus. Sed ille bonum adinvenit ingenium: nam praecurrens in arborem sicomorum ascendit, et transeuntem iesum desideratum videbat; unde sequitur et praecurrens, ascendit in arborem sicomorum, ut videret illum, quia inde erat transiturus. Hic ergo solam visionem desideravit; sed qui novit plus facere quam quaerimus, dedit ei supra id quod expectabat; unde sequitur et cum venisset ad locum, suspiciens iesus vidit illum.

Cyrillus. Vidit quidem hominis animam promptissime nitentem ad sancte vivendum, et eum ad pietatem convertit.

Ambrosius. Apud eum se non invitatus invitat; unde sequitur et dixit ad eum: zachaeus, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere: sciebat enim uberem hospitii sui esse mercedem; sed tamen etsi non vocem, invitantis audierat affectum.

Beda. Ecce autem camelus, deposita ibi sarcina, per foramen acus transit: hoc est, dives et publicanus, relicto amore divitiarum, contempto censu fraudum, benedictionem dominicae susceptionis accipit. sequitur et festinans descendit, et excepit illum gaudens.

Ambrosius. Discant divites non in facultatibus crimen haberi, sed in his qui uti nesciunt facultatibus: nam divitiae sicut impedimenta sunt improbis, ita bonis sunt adiumenta virtutis.

Chrysostomus. Sed considera nimiam salvatoris bonitatem. Insons cum sontibus conversatur; fons iustitiae cum avaritia, quae est materia pravitatis: ingressus domum publicani, nullam ex avaritiae nebula iniuriam patitur, sed fulgore iustitiae avaritiam delet. Sed mordaces et criminationis amatores invehi tentant in his quae ab eo fiebant; sequitur enim et cum viderent omnes, murmurabant, dicentes quod ad hominem peccatorem divertisset. ipse vero incusatus ut epulo et publicanorum amicus, spernebat haec, ut consummaret propositum: quia et medicus nisi patiatur saniem aegrotorum, non liberat a morbo; quod et tunc contigit, quoniam conversus est publicanus, et factus est melior. sequitur stans autem zachaeus, dixit ad iesum: ecce dimidium bonorum meorum, domine, do pauperibus; et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum. audi mirabile. Nondum didicit, et obedit; et sicut sol per radios infusus in domum non illustrat verbo, sed opere; ita salvator radiis iustitiae, nequitiae fugavit caliginem: nam lux in tenebris lucet. Quodlibet autem unitum est validum, divisum autem debile; et ideo bipartit substantiam. est autem diligentius attendendum, quod opes zachaei non solum erant iniustae, sed etiam ex patrimonio fuerunt congregatae; alioquin quomodo poterat extorta inique restituere in quadruplum? sciebat enim legem iubentem restituere in quadruplum male ablata, ut si lex non terreat, damna mitigent. Non ergo expectat zachaeus legis censuram, ipse sibi iudex effectus.

Theophylactus. Sed si subtilius indagare velimus, nihil de propriis restabat facultatibus. Data enim medietate bonorum pauperibus, ex residuo reddebat laesis in quadruplo. Nec solum hoc promittebat, sed faciebat: non enim ait: dabo medietatem et restituam quadruplum, sed do et reddo. At Christus illi salutem annuntiat: sequitur enim ait iesus ad eum, quia hodie salus huic domui facta est; ipsum zachaeum significans assecutum fuisse salutem, per domum habitatorem significans; sequitur enim eo quod et ipse

filius sit abrahamae: non enim vocasset abrahamae filium inanimatam fabricam.

Beda. filius autem abrahamae zachaeus dicitur, non quia de eius stirpe genitus, sed quia eius est fidem imitatus: ut sicut ille terram domumque paternam deseruit, ita iste bona sua partiendo pauperibus relinqueret. pulchre autem dicit et ipse, ut non solum eos qui iuste vixerant, sed et eos qui ab iniustitia resipiscunt, ad filios promissionis pertinere declaret.

Theophylactus. non autem dixit quod filius erat abrahamae, sed quoniam nunc est: nam prius quando erat publicanorum princeps, nullam similitudinem habens ad abraham iustum, non erat abrahamae filius. Sed quia murmurabant quidam eo quod moraretur cum viro peccatore, ad compescendos illos, subdit venit enim filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat.

Chrysostomus. Quasi dicat: quid me criminamini, si rectifico peccatores? tam enim procul est a me odium peccatorum quod eorum causa advenerim: nam medicus veni, non iudex; ob hoc conviva fio languentium, patiorque foetorem, ut praestem remedia. Quaeret autem aliquis: quomodo paulus iubet, si quis frater fuerit procax aut avarus, cum huiusmodi nec cibum esse sumendum? Christus autem erat publicanorum conviva. Sed nondum profecti erant isti ut fierent fratres. Sed et tunc vitare praecepit paulus fratres, cum perstant in malo; hi vero erant mutati.

Beda. Mystice autem zachaeus, qui interpretatur iustificatus, credentem ex gentibus populum significat, qui per occupationem temporalium depressus erat et minimus, sed a Deo sanctificatus; qui intrantem iericho salvatorem videre voluit, dum fidem quam mundo attulit, participare quaesivit.

Cyrillus. Turba autem est imperitae confusio multitudinis, quae verticem nequivit videre sapientiae. Ergo zachaeus quamdiu in turba est, non vidit Christum; sed plebeiam transgressus inscitiam, meruit quem desiderabat aspicere.

Beda. Vel turba, idest vitiorum consuetudo quae caecum clamantem increpabat, etiam hunc suspicientem tardat; sed sicut amplius clamando caecus turbam vicit, ita pusillus terrena relinquendo, et arborem crucis ascendendo, turbam obstantem transcendit. sicomorus namque, quae est arbor foliis moro similis, sed altitudine praestans, unde et a latinis celsa nuncupatur, ficus fatua dicitur: et eadem dominica crux credentes alit ut ficus, ab incredulis irridetur ut fatua. Quam arborem pusillus statura zachaeus, ut coexaltari possit, ascendit, cum quilibet humilis et propriae conscius infirmitatis clamat: mihi absit gloriari, nisi in cruce domini nostri iesu Christi.

Ambrosius. Pulchre autem addidit, quia illa parte erat transiturus dominus, vel ubi sicomorus, vel ubi crediturus, ut mysterium servaret, et gratiam seminaret: sic enim venerat ut per iudaeos veniret ad gentes. Vidit itaque zachaeum sursum; iam enim sublimitas fidei inter fructus bonorum operum, inter fecundae altitudinem arboris eminebat. Zachaeus autem supra arborem est, quia est supra legem.

Beda. Perambulans autem dominus venit ad locum ubi zachaeus sicomorum ascenderat: quia missis per mundum praedicatoribus, in quibus ipse loquebatur et ibat, venit ad populum nationum, qui passionis eius fide iam sublimis erat; quem suscipiens vidit, quia per gratiam elegit. manebat autem aliquando dominus in domo principis pharisaeorum; sed eum opera digna Deo facientem lingua venenata carpebant: unde eorum perosus facinora discessit dicens: relinquetur domus vestra deserta. hodie autem in domo pusilli zachaei oportet illum manere, idest novae legis gratia coruscante in humilium nationum corde quiescere. Quod autem descendere de sicomoro, et sic mansionem in domo parare iubetur, hoc est quod ait apostolus: etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed iam nunc non novimus.... Etsi enim mortuus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute dei. manifestum est autem iudaeos gentium semper odisse salutem; sed salus, quae olim iudaeorum domos implebat, hodie populum nationum illuxit, eo quod et ipse populus filius sit abrahamae, credendo in deum.

Theophylactus. sed et facile est hoc ad moralem utilitatem retorquere. quisquis enim in malitia pluribus praeest, parvus est statura spirituali, et non potest videre iesum prae turba: nam perplexus a passionibus et saecularibus rebus non aspicit iesum ambulantem, idest in nobis operantem, nullum opus eius cognoscens. Ascendit autem super sicomorum, idest voluptatis dulcedinem, quae significatur per ficum, deprimens eam; et sic sublimior factus, videt, et videtur a Christo.

Gregorius moralium. Vel quia sicomorus ficus fatua dicitur, pusillus zachaeus sicomorum subiit, et dominum vidit: quia qui mundi stultitiam humiliter eligunt, ipsi dei sapientiam subtiliter contemplantur. quid enim in hoc mundo stultius quam amissa non quaerere, possessa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis iniuriis iniuriam reddere? per hanc autem sapientem stultitiam, et si nondum solide ut est, iam tamen per contemplationis lumen dei sapientia videtur.

Theophylactus. Dicit autem ei dominus festinans descende; hoc est, ascendisti per poenitentiam ad altiorem locum, descende per humilitatem, ne te supplantet elatio: oportet enim me in humilis domo manere. Geminis autem bonis in nobis existentibus, corporalibus scilicet et spiritualibus, cuncta corporalia derelinquit iustus pauperibus, sed spiritualia non deserit bona, sed si quid exegit ab aliquo, reddit quadruplum: significans per hoc quod si quis per poenitentiam pergit in contrario tramite priscae pravitatis, per multiplices virtutes sanat omnia pristina delicta; ac sic promeretur salutem, vocaturque filius abrahamae, eo quod a propria cognatione exierit, scilicet ab antiqua nequitia.

LUCA 19,11-27

10911 (Lc 19,11-27)

Eusebius. Aestimabant quidam in primo salvatoris adventu regnum eius venire; et hoc putabant mox tunc fieri cum ascensurus erat hierosolymam: adeo obstupescerant eos miracula divina quae fecerat. et ideo instruit eos non prius se recipere regnum a patre, quam ab hominibus iret ad patrem; et ideo dicitur haec illis audientibus, adiciens dixit parabolam, eo quod esset prope ierusalem, et quia aestimarent quod confestim regnum dei manifestaretur.

Theophylactus. Sed dominus ostendit eis quod vana quaedam aestimarent: non enim est sensibile regnum dei. Ostendit etiam quod quasi deus novit cogitationes eorum, proponens eis subsequentem parabolam; unde sequitur dixit ergo: homo quidam nobilis abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum, et reverti.

Cyrillus. Describit autem sensus huius parabolae mysteria Christi a primo usque ad ultimum. Homo enim factus est deus verbum existens: et quamvis servus factus sit, est tamen nobilis secundum ineffabilem ortum a patre.

Basilius. Non solum secundum genus humanum, ex semine david secundum carnem exortus. Abiit autem in regionem longinquam, non tam locali distantia separatam quam rerum conditione: ipse enim deus prope est unicuique nostrum, cum nostra bona opera nos ei astringunt; et distat quoties nos haerendo perditioni elongamur ab eo. Ad hanc igitur terrenam regionem accessit longinquam a deo, ut gentium regnum acciperet, secundum illud: postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam.

Augustinus de quaest. evang.. Vel regio longinqua ecclesia gentium est, usque ad fines terrae: abiit enim ut plenitudo gentium intraret; revertetur ut omnis israel salvus fiat.

Eusebius. Vel per hoc quod profectus est ad regionem longinquam, ascensum proprium a terra in caelos designat; cum vero subdit accipere sibi regnum, et redire, secundam sui apparitionem gloriosam et regiam ostendit. Et primo quidem hominem se vocat propter nativitatem in carne, deinde nobilem; nondum autem se regem appellat, quia nondum in prima apparitione regia fungebatur maiestate. Sed et bene dicitur obtinere sibi regnum; nam dante sibi patre illud obtinuit, secundum illud: ecce filius hominis veniebat in nubibus, et datum est ei regnum.

Cyrillus. Ascendens enim ad caelos, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis; ascendens autem dispensavit credentibus in eum divinorum charismatum differentiam, sicut servis committuntur dominicae facultates, ut aliquid lucrantes, famulatus sui ferant praeconia; unde sequitur vocatis autem decem servis suis, dedit illis decem mnas. consuevit sacra scriptura in signum perfectionis uti numero denario: quem si quis numerando excedere velit, ab unitate iterum inchoabit, quasi denario perducto ad metam: et ideo in dispensatione talentorum eum qui metam attingit divini officii, decem ait mnas recepisse.

Augustinus. vel per decem mnas legem significat propter decalogum; per decem autem servos, hos quibus sub illa positus gratia praedicata est. Sic enim intelligendum est eis datas mnas ad usum, cum intellexerunt, legem remoto velamine ad evangelium pertinere.

Beda. Mina namque, quam graeci mnam, vocant, centum drachmis appenditur: et omnis scripturae sermo, quia vitae caelestis perfectionem suggerit, quasi numeri centenarii pondere fulgescit.

Eusebius. Significat ergo per eos qui mnas recipiunt, suos discipulos, quibus mnas exhibens singulis, parem cunctis dispensationem committens negotiari iussit. sequitur et ait ad illos: negotiamini dum venio. Nullum autem aliud negotium erat nisi dogma regni sui intentis mortalibus praedicandum per suos

discipulos. idem autem est omnium documentum eademque fides, unum baptisma; et ob hoc una singulis datur.

Cyrillus. Multa autem est horum differentia ad illos qui inficiati sunt regnum dei; de quibus subditur cives autem eius oderant illum, et miserunt legationem post illum, dicentes: nolumus hunc regnare super nos. Hoc est quod Christus impropere iudaeis dicens: nunc vero viderunt et oderunt me et patrem. Renuerunt autem regnum eius, dicentes pilato: non habemus regem nisi caesarem.

Eusebius. Per hoc enim quod dicit cives eius, iudaeos significat ortos ex eadem progenie secundum carnem, et quoniam ritu legis cum illis pariter utebatur.

Augustinus de quaest. evang.. Miserunt autem legationem post eum, quia etiam post resurrectionem eius immiserunt persecutiones apostolis, et praedicationem evangelii respuerunt.

Eusebius. Postquam autem salvator haec docuit pertinentia ad primum eius adventum, consequenter gloriosum et regium eius reditum ostendit, dicens et factum est ut rediret accepto regno, et iussit vocari servos, quibus dedit pecuniam, ut sciret quantum quisque negotiatus esset.

Chrysostomus. Duo regna dei novit sacra scriptura: alterum quidem ex creatione, secundum quod est rex omnium creationis iure: alterum autem ex approbatione, secundum quod iustis dominatur, propria sponte ei subiectis; et hoc regnum hic dicitur accepisse.

Augustinus de quaest. evang.. Redit etiam accepto regno, quia in manifestissima claritate venturus est qui eis humilis apparuit, cum diceret: regnum meum non est de hoc mundo.

Cyrillus. Redeunte autem Christo, sumpto regno, merebuntur praeconia, et delectabuntur verbi ministri in supernis honoribus, quia multiplicaverunt talentum pluribus acquisitis; unde subditur venit autem primus dicens: domine, mna tua decem mnas acquisivit.

Beda. primus servus ordo doctorum est in circumcissione missorum; qui unam mnam negotiatus accepit, quia unam fidem praedicare iussus est; sed haec mna decem mnas acquisivit, quia populum sub lege constitutum sibimet docendo sociavit. sequitur et ait illi: euge, serve bone: quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates. In modico servus est fidelis, quia non adulterat verbum dei. Quidquid enim in praesenti percipimus donorum, in comparatione futurorum paucum est.

Graecus. Sed quia mercedem priorum bonorum accipit, decem dicitur civitatibus praeesse. De his promissis quidam infime coniectantes existimant se praeturis et praefecturis donari in terrena ierusalem reparata lapidibus pretiosis, si honeste in Christo fuerint conversati, ambitum potestatis et praelationis ab anima minime deponentes.

Ambrosius. sed civitates decem sunt animae, quibus iure praeponitur qui pecuniam domini et eloquia casta probata sicut argentum mentibus hominum feneraverit: nam sicut ierusalem dicitur aedificata ut civitas, ita sunt animae pacificae; et sicut angeli praesunt, ita hi qui vitam meruerunt angelorum. sequitur et alter venit dicens: domine, mna tua fecit quinque mnas.

Beda. servus ille coetus est eorum qui praeputio evangelizare missi sunt, cuius mna, idest evangelica fides, quinque mnas fecit: quia gentes corporis sensibus antea mancipatas ad fidei evangelicae gratiam convertit. sequitur et huic ait: et tu esto super quinque civitates; hoc est, ex earum quas imbueras animarum fide et conversatione sublimis fulgeas.

Ambrosius. Vel aliter fortasse. Iste qui quinque mnas acquisivit, moralia habet, quia quinque sunt corporis sensus; ille qui decem, duplicia; idest mystica legis, et moralia probitatis. possumus et hic decem mnas decem verba intelligere, idest legis doctrinam; quinque mnas magisteria disciplinae; sed legisperitum in omnibus volo esse perfectum. bene autem quia de iudaeis dicit, duo soli multiplicatam pecuniam deferunt, non utique aeris, sed disputationis usuris.

Chrysostomus. alia est enim pecunia fenoris, alia doctrinae caelestis usura. In terrenis enim opibus non evenit unum fieri divitem, nisi alter depauperetur; sed in spiritualibus non evenit quemquam ditari, nisi faciat et alium locupletem: in corporeis enim participatio minuit, sed in spiritualibus auget.

Augustinus de quaest. evang.. Vel aliter. Quod unus eorum qui bene usi sunt, decem acquisivit, et alter quinque, significat eos esse acquisitos in gregem domini, a quibus iam lex per gratiam intellecta est, sive

propter decem legis praecepta, sive quia ille per quem lex lata est, quinque libros conscripsit. Ad hoc pertinent decem et quinque civitates, quibus eos praeponit: multiplicatio enim intelligentiae in ipsa varietate, quae de unoquoque praecepto vel de unoquolibet libro pullulat, ad unum reducta, quasi civitatem facit viventium rationum aeternarum: est enim civitas, non quorumlibet animantium, sed rationalium multitudo, legis unius societate devincta. quod ergo servi reddentes rationem ex eo quod acceperant, laudantur qui lucrati sunt, significat eos bonam reddere rationem qui bene usi sunt eo quod acceperunt ad augendas divitias domini per eos qui credunt in eum. Quod qui facere nolunt, in illo signati sunt qui mnam suam in sudario servavit; de quo sequitur et tertius venit dicens: domine, ecce mna tua quam habui repositam in sudario. Sunt enim homines hac sibi perversitate blandientes, ut dicant: sufficit ut de se unusquisque rationem reddat; quid opus est aliis praedicare et ministrare ut etiam rationem de ipsis quisque reddere cogatur? cum apud dominum etiam illi sint inexcusabiles quibus lex data non est, neque etiam qui audito evangelio non obediverunt: quia per creaturam poterant cognoscere creatorem; unde sequitur timui enim te, quia homo austerus es: tollis quod non posuisti, et metis quod non seminasti. Hoc est enim quasi metere ubi non seminavit, idest eos impietatis reos tenere, quibus verbum aut legis, aut evangelii ministratum non est. hoc autem veluti iudicii periculum devitantes pigro labore a verbi ministratione conquiescunt: et hoc est quasi in sudario ligare quod acceperunt.

Theophylactus. sudario enim mortuorum facies velatur: merito ergo hic piger dicitur mnam in sudario involvisse, quia eam mortificans, et otiosam dimittens, non tractavit nec auxit.

Beda. Vel pecuniam in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti corporis abscondere. quod autem putaverat se per excusationem dixisse, in culpam propriam vertitur; unde sequitur dicit ei: de ore tuo te iudico, serve nequam. Servus nequam vocatur quasi piger ad exercendum negotium, et superbus ad accusandum domini iudicium. Sciebas quod austerus homo ego sum, tollens quod non posui, et metens quod non seminavi; et quare non dedisti pecuniam meam ad mensam? quasi dicat: si durum me esse noveras, et aliena sectari; quare non tibi haec cogitatio incussit timorem, ut scires me mea diligentius quaesitum? pecunia autem vel argentum praedicatio evangelii est, et sermo divinus, quia eloquia domini eloquia casta, argentum igne examinatum, qui sermo domini dari debuit ad mensam, hoc est promptis paratisque cordibus intimari.

Augustinus. Vel mensa ad quam danda erat pecunia, professionem ipsam religionis accipimus, quae tamquam publice proponitur ad usum necessarium saluti.

Chrysostomus. In sensibilibus autem divitiis debitores solius observationis obnoxii sunt; quantum enim recipiunt, tantum eos reddere necesse est, et nihil plus ab eis quaeritur. In divinis autem eloquiis non solum ad custodiam obligamur, sed etiam multiplicare monemur; unde sequitur et ego veniens cum usuris utique exegissem illam.

Beda. Qui enim verbi pecuniam a doctore percipit credendo, necesse est ut eam cum usuris solvat operando; vel ut ex eo quod audivit, etiam alia studeat intelligere, quae necdum ex praedicatoris ore didicit.

Cyrillus. doctorum enim est inserere auditoribus salutarem et proficuum sermonem; opus autem divinae virtutis est attrahere obedientes ad audientiam, et fertilem eorum reddere intellectum. Non est autem hic servus laudatus, neque honorem promeruit; sed potius tamquam iners est condemnatus; unde sequitur et adstantibus dixit: auferte ab eo mnam, et date illi qui decem mnas habet.

Augustinus. per quod significatur et illum posse amittere munus dei qui habens non habet, idest eo non utitur; et eo augeri qui habens habet, idest bene utitur.

Beda. mystice autem hoc, ut reor, indicat, intrante plenitudine gentium, omnem israel salvum futurum, et tunc abundantiam gratiae spiritualis, quam modo nos tepide exercemus, illius populi doctoribus esse conferendam.

Chrysostomus. Ideo autem dicit adstantibus auferte ei mnam, quia non est prudentis animi punire; sed alio quodam, scilicet ministro, eget ad puniendum officio iudicis; nam et deus non ipsemet poenas irrogat, sed mediantibus angelis.

Ambrosius. De aliis servis siletur, qui quasi prodigi debitores quod acceperant perdiderunt. In duobus servis illis qui lucrati sunt, pauci signati sunt qui per duas vices ad cultores vineae sunt destinati, in reliquis omnes iudaei. sequitur et dixerunt illi: domine, habet decem mnas. Et ne hoc iniustum videretur, subdit dico autem vobis, quia omni habenti dabitur.

Theophylactus. Quia cum decem auxerit decuplando, palam est quod et plura decuplans pluris lucri fiet

occasio domino. A deside vero et otioso, qui non satagit augere quod acceperat, ipsum quoque quod possidet auferetur; unde sequitur ab eo autem qui non habet, et quod habet auferetur ab eo: ne vacet census dominicus; cum posset dari aliis, et multiplicari. Haec autem non solum ad sermonem et doctrinam referenda sunt, sed etiam ad morales virtutes: quoniam et in his dat nobis deus sua charismata, hunc dotans ieiunio, illum oratione, alium mansuetudine vel humilitate: quibus si invigilaverimus, multiplicabimus ea; si vero tepeamus, extinguemus. Deinde de adversariis subdit verumtamen inimicos meos, illos qui noluerunt me regnare super se, adducite, et interficite ante me.

Augustinus. per quod designat impietatem iudaeorum, quia ad eum noluerunt converti.

Theophylactus. Quos tradidit morti, mittens eos in ignem exteriorum; sed et in hoc mundo mactati sunt flebiliter ab exercitu romanorum.

Chrysostomus. haec contra marcionistas competunt; nam et Christus dicit adducite hostes meos, et occidite coram me: cum tamen illi bonum dicant Christum, deum vero veteris testamenti malum. Patet autem quod pater et filius eadem facit: nam pater ad vineam destinavit exercitum; filius autem hostes coram se trucidari facit. Haec autem quae in luca scribitur parabola alia est ab ea quae in Matthaео narratur de talentis: nam hic quidem ex uno capitali accepto, varii fuere proventus: quia ex una mna accepta, hic quinque talenta, ille obtulit decem; sed apud Matthaеum contrarium: nam qui duo accepit, duo superaddidit: et qui quinque, tantumdem; unde et praemiis donantur imparibus.

LUCA 19,28-36

10928 (Lc 19,28-36)

Titus. Quia dominus dixerat: appropinquavit regnum dei, videntes illum in ierusalem ascendentem, putabant ideo ascendere ut regnum dei inchoaret. Consummata ergo parabola, in qua errorem praedictum correxit, et ostenso quod nondum insidiantem sibi mortem devicerat, procedebat ad passionem, ascendens hierosolymam; unde dicitur et his dictis, praecedebat ascendens ierusalem.

Beda. Ostendens etiam de eiusdem civitatis eventu parabolam fuisse praemissam, quae et ipsum erat occisura, et hostili clade peritura. sequitur et factum est, cum appropinquasset ad bethphage et bethaniam, ad montem qui vocatur oliveti, misit duos discipulos suos. Bethphage erat locus sacerdotum in monte oliveti; bethania quoque civitas, sive villula, ex latere montis eiusdem, quasi stadiis quindecim a ierusalem.

Chrysostomus. Et quidem in exordiis indifferenter se dominus ingerebat iudaeis; sed ubi sufficienter edidit suae potestatis experimentum, auctoritate multa singula quaeque pertractat. Multa igitur fiunt miracula. Praedixit quoniam invenietis pullum indomitum; et hoc est quod subditur dicens: ite in castellum quod contra vos est; quod introeuntes invenietis pullum asinae alligatum, cui nemo unquam hominum sedit. Praedicit etiam quod nemo prohibebit, sed cum audierint, silebunt; unde sequitur solvite illum, et adducite. si quis vos interrogaverit: quare solvitis? sic dicetis ei: quia dominus operam eius desiderat. Titus. In hoc autem divinam fore vocationem patuit: non enim potest aliquis resistere Deo quae sua sunt evocanti. Discipuli autem iussi ducere pullum, non refutaverunt hoc officium ut parvum, sed abierunt ut adducerent eum; unde sequitur abierunt autem qui iussi erant, et invenerunt, sicut dixit, pullum stantem.

Basilius. Sic quoque docet nos et infima opera plurimo cum affectu et studio aggredi, scientes quod quicquid intuitu dei fit, non est parvum, sed dignum in regno caelorum. Titus. Obmutescunt autem ob excellentiam fortis virtutis, nequeuntes resistere salvatoris eloquiis, qui ligaverunt asinum; sequitur enim solventibus autem illis, dixerunt domini eius ad illos: quid solvitis pullum? at illi dixerunt: quia dominus eum necessarium habet. maiestativum enim nomen est dominus: rex enim erat venturus in conspectu multitudinis.

Augustinus de cons. Evang.. nec moveat quod Matthaеus asinam et pullum dicit, ceteri autem de asina tacent: ubi enim utrumque factum potest intelligi, nulla repugnantia est, nec si alius alia commemoraret; quanto minus ubi alius unum, et alius utrumque? **Glossa.** nec solum discipuli obsecuti sunt Christo in pullo alieno, sed etiam in propriis vestimentis, quae partim asino imposuerunt, partim sternebant in via; unde sequitur et duxerunt illum ad iesum, et iacentes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt iesum. Exeunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via.

Beda. iuxta alios evangelistas, non discipuli tantum, sed etiam plurimi de turba vestimenta sternebant in via.

Ambrosius in lucam. Mystice autem dominus venit ad montem oliveti, ut novellas oleas in sublimi veritate plantaret; et fortasse ipse mons Christus est: quis enim alius tales fructus ferret olearum spiritu sancto fecundarum? **Beda.** pulchre autem civitates positae in monte oliveti referuntur, hoc est in ipso domino, qui unctionem spiritualium charismatum scientiae pietatisque luce refovet.

Origenes. Bethania autem interpretatur domus obedientiae; bethphage vero domus maxillarum, sacerdotalis quidam locus: maxillae enim sacerdotibus dabantur, sicut in lege praecipitur: illuc vero ubi obedientia, et ubi locus sacerdotibus mancipatur, mittit salvator discipulos suos, ut solvant asinae pullum.

Ambrosius. In castello enim erant, et erat ligatus pullus cum asina, nec poterat solvi nisi iussu domini. Solvit eum manus apostolica. Talis actus, talis vita, talis gratia. Esto talis, ut ligatos possis solvere. In asina quidem Matthaeus evangelista quasi matrem figuravit erroris; hic autem in pullo generalitatem populi gentilis expressit. Et bene in quo nemo sedit, quia nullus ante quam Christus nationum populos vocavit ad ecclesiam. Alligatus autem perfidiae vinculis tenebatur, iniquo addictus domino erroris famulatu; sed dominatum vindicare sibi non poterat, quem dominum fecerat non natura, sed culpa; et ideo cum dominus dicitur, unus agnoscitur. Misera servitus cui vagum ius est: plures enim habet dominos qui unum non habet. Alieni alligant ut possideant; iste solvit, ut teneat: vehementiora enim dona novit esse quam vincula.

Origenes. Multi ergo erant domini huius pulli, antequam salvator eum haberet necessarium; postquam vero ille coepit esse dominus, plures esse domini cessaverunt: nemo enim potest Deo servire et mammonae. Quando malitiae servimus, multis sumus passionibus vitiisque subiecti. Necessarium autem habet dominus pullum, quia cupit nos solvi vinculis peccatorum.

Origenes super iohannem. ego autem opinor non frustra castellum esse hunc locum, ubi stabat asina ligata et pullus: quasi castellum enim respectu totius orbis caelestis tota terra despicitur absque adiectione alterius nominis nuncupatum.

Ambrosius. Nec illud est otiosum quod duo discipuli diriguntur, petrus ad cornelium, paulus ad reliquos: et ideo non personas destinavit, sed numerus definivit. Tamen si quis est qui personas exigat, potest aestimare de philippo, quem spiritus sanctus misit in gazam, quando candacis reginae baptizavit eunuchum.

Theophylactus. vel duo missi hoc innuunt, quod ad introductionem gentilis populi et subiectionem eius ad Christum, duos faciunt gradus prophetae et apostoli. ducunt autem eum a quodam castello, ut innotescat nobis quod hic populus rusticanus erat et indoctus.

Ambrosius. Illi ergo directi cum solverent pullum, non suis verbis sunt usi, sed dixerunt sicut dixerat illis iesus; ut agnoscas quod non suo sermone, sed verbo dei, nec proprio, sed Christi nomine fidem populis infudere gentilibus: atque adversariae potestates, quae sibi nationum obsequia vindicabant, mandato cessere divino.

Origenes in lucam. Deinde mittunt discipuli vestes suas super asinam, et sedere faciunt salvatorem, dum assumunt sermonem dei, et imponunt eum super animas audientium. Vestibus exuuntur, et substernunt eas in via: quia vestimenta apostolorum, opera eorum bona sunt. Et revera solutus a discipulis asinus, et portans iesum incedit super vestimenta apostolorum, quando doctrinam eorum imitatur et vitam. Quis nostrum ita beatus est ut sedeat super illum iesus? **Ambrosius.** non enim mundi dominum gestari super dorsum asinae delectavit: sed ut latente mysterio in secretis animarum interiore consessu, mysticus rector insideret, regens mentis vestigia, lasciviam carnis infrenans, sermo eius habena est, stimulus est.

LUCA 19,37-40

10937 (Lc 19,37-40)

Origenes in lucam. Quamdiu in monte fuit dominus, cum solis apostolis morabatur; quando autem vicinus coepit esse descensui, tunc occurrit ei turba populorum; unde dicitur et cum iam appropinquarent ad descensum montis oliveti, coeperunt omnes turbae descendendum discipulorum gaudentes laudare deum voce magna.

Theophylactus. discipulos vocat non solum duodecim, aut septuaginta, sed omnes qui Christum sequebantur, seu causa miraculorum, seu ad aliquam delectationem doctrinae; quibus ingeri pueri potuerunt, ut narrant alii evangelistae; unde sequitur super omnibus quas viderant virtutibus.

Beda. Multas quidem virtutes domini viderant, sed maxime lazari resurrectionem stupebant: nam, ut iohannes ait: propterea obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. Notandum enim est, non tunc primum salvatorem ierusalem adiisse, sed multoties antea, sicut iohannes commemorat.

Ambrosius. Turba igitur agnoscens deum, regem appellat, prophetiam repetit, expectatum quoque secundum carnem david filium venisse declarat; unde sequitur dicentes: benedictus qui venit rex in nomine domini.

Beda. Idest in nomine dei patris, quamvis possit intelligi et in nomine suo, quia et ipse dominus est. Sed melius verba eius nostrum dirigunt intellectum, quibus ait: ego veni in nomine patris mei; humilitatis enim magister est Christus. Non autem rex Christus dicitur ad exigendum tributum, vel ferro exercitum armandum, hostesque visibiliter debellandos: sed quod mentes regat, et in regnum caelorum credentes perducatur: quod enim rex esse voluit israel, miserationis indicium est, non potestatis augmentum. Verum quia Christus in carne totius mundi propitiatio illuxit, pulchre sibi invicem in laude eius caelestia simul et terrena concinunt: eo enim nascente, caelestium agmina cantant; eodem autem caelis se reddituro, mortales vicem laudis rependunt: unde sequitur pax in caelo.

Theophylactus. Hoc est, bellum antiquum, quo Deo adversabamur, evanuit. et gloria in excelsis, laudantibus scilicet angelis deum in tali reconciliatione; nam hoc ipsum quod deus visibiliter ambulat in territorio inimicorum suorum, significat ipsum nobiscum habere concordiam. Sed pharisaei hoc audientes murmurabant, eo quod turba eum regem vocabat, et laudabat ut deum; referentes nomen regis ad seditionem, nomen vero domini ad blasphemiam; unde sequitur et quidam pharisaeorum de turbis dixerunt ad illum: magister, increpa discipulos tuos.

Beda. mira invidorum dementia; quem magistrum appellandum non dubitant, quia vera docentem noverant, huius discipulos, quasi melius edocti, redarguendos aestimant.

Cyrillus. sed dominus non compescuit laudantes eum ut deum, sed magis reprehensores compescens, attestatur sibi super gloria deitatis; unde sequitur quibus ipse ait: dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

Theophylactus. Quasi dicat: non sine causa homines me taliter laudant, sed commoniti virtutibus quas viderunt.

Beda. Crucifixo etiam domino, notis eius tacentibus prae timore, lapides et saxa canebant, dum postquam emisit spiritum, terra mota est, et petrae scissae sunt, et monumenta aperta sunt.

Ambrosius. neque etiam mirum est si laudes domini contra naturam suam saxa respondeant, quem scopulis duriores praedicant peremptores, scilicet turba post exiguum crucifixura deum, negans affectibus quem vocibus confitetur: aut fortasse, quia obmutescens iudaeis post domini passionem, vivi erant secundum petrum lapides clamaturi.

Origenes in lucam. quando etiam nos tacemus, idest refrigescit caritas multorum, lapides clamant: potest enim deus suscitare de lapidibus filios abrahamae. Pulchre autem turbas laudantes deum ad descensionem montis occurrisse legimus, ut operatorem mysterii spiritualis significarent sibi venisse de caelo.

Beda. Descendente etiam domino de monte olivarum, turbae descendunt: quia humiliato misericordiae auctore, necesse est eos qui misericordia indigent, eius vestigia imitari.

LUCA 19,41-44

10941 (Lc 19,41-44)

Origenes in lucam. Omnes beatitudines quas locutus est iesus in evangelio suo, firmat exemplo; sicut quod dixerat: beati mites, probat dicens: discite a me quia mitis sum; et quia dixerat: beati flentes, ipse quoque flevit super civitatem; unde dicitur et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam.

Cyrillus. miserebatur enim eorum Christus, qui omnes homines vult salvari: quod nobis non patuisset, nisi per aliquod humanum fieret evidens: effusae enim lacrymae sunt signa tristitiae.

Gregorius in evang.. flevit igitur pius redemptor ruinam perfidae civitatis, quam ipsa civitas sibi non cognoscebat esse venturam; unde subditur dicens: quia si cognovisses et tu: subaudi: fleres, quae modo, quia nescis quod imminet, exultas; unde subditur et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi. Cum enim carnis se voluptatibus daret in die sua, quae ad pacem ei esse poterant habebat. Cur vero bona praesentia ad pacem habuerit, manifestatur cum subditur nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Si enim a cordis eius oculis mala quae imminerent, abscondita non essent, laeta in praesentibus prosperis non fuisset; unde mox eius poena, quae imminebat, adiuncta est, cum sequitur quia venient dies in te.

Cyrillus. Vel aliter. quia si cognovisses et tu: non enim erant digni percipere divinitus inspiratas scripturas, quae narrant Christi mysterium: quoties enim legitur moyses, velamen obnubilat cor eorum. Et quia non sunt intuiti veritatem, indignos se fecerunt salute, quae manat a Christo; unde sequitur et quidem in hac die tua quae ad pacem tibi.

Eusebius. Ubi notat, suum adventum ad pacem totius mundi factum fuisse; venit enim ad hoc ut pacem praedicaret propinquis et longinquis. Sed quia annuntiatam sibi pacem recipere noluerunt, hoc eos latebat; unde subditur nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Et ideo obsidionem, quae in brevi erat ei superventura, expressissime praenuntiat subdens quia venient dies in te, et circumdabunt te inimici tui vallo.

Gregorius. ubi romani principes denuntiantur. illa enim hierosolymorum subversio describitur quae a vespasiano et tito romanis principibus facta est; unde subditur et circumdabunt te, et coangustabunt te undique, et ad terram prosternent te, et filios tuos qui in te sunt.

Eusebius. quomodo autem haec completa sint, ex his quae tradita sunt a iosepho, colligere possumus, qui cum esset iudaeus, singula quoque gesta narravit consona his quae sunt a Christo praedicta.

Gregorius. hoc quoque quod additur: et non relinquent in te lapidem super lapidem, et ipsa iam eiusdem civitatis transmigratio testatur: quia dum nunc in eo loco constructa est ubi extra portam dominus fuerat crucifixus, prior illa, ut dicitur, ierusalem funditus est eversa. Cui ex qua culpa eversionis poena fuerit illata, subiungitur eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae.

Theophylactus. Idest, mei adventus: veni enim visurus et salvaturus te. Quod si cognosceres, et in me crederes, esses pacata romanis, et ex omnibus exempta periculis; sicut omnes qui crediderunt in Christum evaserunt.

Origenes in lucam. Non nego igitur et illam ierusalem propter habitatorum scelera fuisse destructam; sed quaero ne forte ad hanc ierusalem fletus iste pertineat. Si enim post mysteria veritatis aliquis peccaverit, plangetur: nemo enim gentilis fletur, sed ille qui fuit de ierusalem, et esse cessavit.

Gregorius in evang.. Redemptor enim noster per electos suos plangere non cessat, cum quosdam ex bona vita ad mores reprobos pervenisse considerat; qui si damnationem suam quae eis imminet, agnovissent, semetipsos cum lacrymis electorum plangerent. suam autem diem hic habet anima perversa, quae transitorio gaudet in tempore; cui ea quae adsunt, ad pacem sunt, dum ex rebus temporalibus laetatur. Haec praevidere futura refugit, quae praesentem laetitiam perturbent; unde dicitur nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis.

Origenes. fletur autem et nostra ierusalem, quod post peccata circumdant eam inimici, idest spiritus nequam, et immittunt in circuitu eius vallum, ut obsideant eam, et lapidem super lapidem non relinquunt; maxime si post multam continentiam, si post aliquot annos castitatis victus quis fuerit, et blandimentis carnis illectus, patientiam pudicitiamque amiserit, si fuerit fornicatus; lapidem super lapidem non relinquunt in eo, secundum illud: non recordabor primarum iustitiarum eius.

Gregorius. Vel aliter. Maligni spiritus animam a corpore exeuntem obsident, quam in carnis amore positam deceptorii delectationibus fovent; qui vallo circumdant, quia ante mentis eius oculos reductis iniquitatibus quas perpetravit, hanc societate suae damnationis coarctant, ut in ipsa extremitate vitae deprehensa, a quibus hostibus circumclusa sit videat, et tamen evadendi aditum invenire non possit: quia operari iam non licet bona, quae cum licuit agere contempsit. Undique etiam animam coangustant, quando ei non solum operis, verum etiam locutionis atque cogitationis iniquitates replicant: ut quae prius se per multa dilatavit in scelere, in extremum de omnibus angustetur in retributione. tunc autem anima per conditionem reatus sui ad terram consternitur, cum caro, quam vitam suam credidit, redire ad pulverem urgetur. Tunc in morte filii illius cadunt, cum cogitationes illicitae, quae modo ex illa prodeunt, in extrema ultione dissipantur: quae etiam cogitationes per lapides significari valent: perversa enim mens, cum perversae cogitationi perversiorem adicit, quasi lapidem supra lapidem ponit; sed cum ad ultionem suam anima ducitur, omnis

cogitationum constructio dissipatur. Pravam autem animam deus assidue visitat praecepto, aliquando flagello, aliquando autem miraculo, ut vera quae nesciebat audiat; et ea contemnens, aut dolore compuncta redeat, aut beneficiis devicta, malum quod fecit erubescat. sed quia visitationis suae tempus non cognoscit, in extremo vitae traditur suis inimicis.

LUCA 19,45-48

10945 (Lc 19,45-48)

Gregorius in evang.. Qui narraverat mala ventura, protinus templum ingressus est, ut de illo vendentes et ementes eiceret, ostendens quod ruina populi maxime ex culpa sacerdotum fuit; unde dicitur et ingressus in templum, coepit eicere vendentes in illo et ementes.

Ambrosius. Deus enim templum suum non mercatoris vult esse diversorium, sed domicilium sanctitatis; nec vendibili religionis officio, sed obsequio gratuito usum ministerii sacerdotalis informat.

Cyrillus. erat autem in templo multitudo mercatorum, qui vendebant animalia ritu legis mactanda in hostiis. Sed iam aderat tempus desinendi umbram, refulgendi vero Christi veritatem: ob hoc Christus, qui cum patre simul colebatur in templo, iussit ritus corrigi legis, fieri vero templum orationis domum; unde subditur dicens illis: scriptum est, quia domus mea domus orationis est; vos autem fecistis eam speluncam latronum.

Gregorius. qui enim ad accipienda munera in templo residebant, quia quibusdam non dantibus laesiones exquirent, dubium non erat.

Theophylactus. Hoc etiam dominus fecit in principio praedicationis suae, ut narrat iohannes; et nunc iterum illud fecit: quod ad maius crimen iudaeorum redundat, qui non fuerunt ex priori admonitione castigati.

Augustinus de quaest. evang.. Mystice autem templum ipsum hominem Christum intelligas, vel etiam adiuncto corpore eius quod est ecclesia. secundum autem id quod est caput ecclesiae, dictum est: solve templum hoc, et in triduo suscitabo illud; secundum id vero quod est adiuncta ecclesia, intelligitur templum de quo videtur dixisse: auferte ista hinc. significavit enim futuros in ecclesia qui sua negotia potius agerent, vel receptacula ibi haberent ad occultanda scelera sua, quam ut caritatem Christi sequerentur, et peccatorum confessione, accepta venia, corrigerentur.

Gregorius in evang.. Redemptor vero noster praedicationis verba nec indignis, nec ingratis subtrahit; unde postquam rigorem disciplinae eiciendo perversos tenuit, donum his gratiae ostendit; nam subditur et erat docens quotidie in templo.

Cyrillus. Decebat autem ex his quae Christus dixerat et fecerat, eum adorare ut deum; sed ipsi nequaquam hoc facientes quaerebant eum occidere; sequitur enim principes autem sacerdotum et scribae et principes plebis quaerebant illum perdere.

Beda. Vel quia quotidie docebat in templo, vel quia latrones eiecerat de templo, vel quia veniens illuc quasi rex et dominus a credentium turba laudem hymni caelestis accepit.

Cyrillus. Sed populus graviorem aestimationem accepit de Christo quam scribae, et pharisaei, et principes iudaeorum, qui fidem Christi non acceptantes, alios increpabant; unde sequitur et non inveniebant quid facerent illi; omnis enim populus suspensus erat audiens illum.

Beda. Quod duobus modis intelligi potest: quia vel timentes populi tumultum, non inveniebant quid facerent de iesu, quem perdere disposuerant; vel ideo iesum perdere quaerebant, quia, suo magisterio neglecto, plures ad eum audiendum confluere cernebant.

Gregorius. Mystice autem sicut templum dei in civitate est, ita in plebe fideli vita religiosorum. Et saepe nonnulli religionis habitum sumunt, et dum sacrorum ordinum locum percipiunt, sanctae religionis officium in commercium terrenae negotiationis trahunt. Vendentes quippe in templo sunt qui hoc quod quibusdam iure competit, ad praemium largiuntur; iustitiam enim vendere est, hanc pro praemii acceptione servare. Ementes vero in templo sunt qui dum hoc persolvere proximo quod iustum est nolunt, dumque rem iure debitam facere contemnunt, dato patronis praemio emunt peccatum.

Origenes in lucam. Si quis ergo vendit, eicietur; et praecipue si vendit columbas. Si enim ea quae mihi a

spiritu sancto sunt revelata et credita, aut in vulgus pretio vendidero, aut absque mercede non docuero; quid aliud facio nisi columbam, idest spiritum sanctum, vendo? **Ambrosius.** Generaliter itaque dominus docet saeculares a dei templo abesse debere contractus. Spiritualiter autem nummularios repulit, qui de pecunia domini, idest scriptura divina, lucrum quaerunt, nec bona malaque discernunt.

Gregorius. qui domum dei speluncam latronum faciunt, quia dum perversi homines locum religionis tenent, ibi malitiae suae gladiis occidunt ubi vivificare proximos orationis suae intercessione debuerunt. Templum quoque est ipsa mens fidelium; quae si in laesione proximi perversas cogitationes profert, quasi in spelunca latrones resident; cum autem mentem fidelium ad cavenda mala subtiliter erudit, quotidie veritas in templo docet.

LUCA 20,1-8

11001 (Lc 20,1-8)

Augustinus de cons. Evang.. cum memorasset lucas eiectos de templo ementes et vendentes, praetermisit quod exhibat in bethaniam et regrediebatur in civitatem, et quod de ficulnea factum est, et quod mirantibus discipulis de fidei virtute responsum est. Atque his praetermissis, non quasi ex ordine dies prosequens, sicut marcus intulit, dicens et factum est in una dierum, docente illo populum in templo, et evangelizante, convenerunt principes sacerdotum et scribae cum senioribus. quod dicit factum in una dierum, ea dies intelligitur in qua id gestum Matthaeus et marcus retulerunt.

Eusebius. Cum autem principes mirari deberent docentem caelestia dogmata, et cognoscere per dicta et facta hunc esse Christum quem prophetae praecinerant, incumbentes subversioni populi, Christum prohibebant; sequitur enim et aiunt dicentes ad illum: dic nobis, in qua potestate haec facis? aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem? **Cyrillus.** Quasi dicat: secundum legem mosaicam solis exorcistis ex levitico sanguine data est auctoritas docendi, necnon sacrorum atriorum potestas: at tu ortus ex iuda commissos nobis fasces usurpas. sed si novisses, o pharisaeae, scripturas, recoleres quod hic est sacerdos, qui secundum ordinem melchisedech offert Deo in se credentes per cultum qui legem transcendit. Quid igitur anxiaris, eiectis ab atriis sacris quae opportuna videbantur legalibus victimis, eo vocante ad veram iustificationem per fidem? **Beda.** Vel quando dicunt in qua potestate haec facis? de dei dubitant potestate, et subintelligi volunt diaboli esse quod facit. Addentes quoque aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem? manifestissime dei filium negant, quem putant non suis, sed alienis viribus signa facere. Poterat autem dominus aperta responsione tentatorum calumniam confutare; sed prudenter interrogat, ut suo silentio vel sententia condemnentur; sequitur enim respondens autem dixit ad illos: interrogabo et ego vos unum verbum; respondete mihi: baptismus ioannis de caelo erat, an ex hominibus? Theophylactus. Ut enim ostenderet eos semper fuisse spiritui sancto rebelles, et nedum isaiae, cuius non erat memoria, sed nuper viso ioanni credere noluerunt, ob hoc versa vice opponit eis hanc quaestionem, ostendens quod si tanto prophetae ioanni, qui apud eos maior videbatur, minime crediderunt, perhibenti testimonium eius, qualiter ei crederent respondenti qua auctoritate hoc faceret? Eusebius. quaerit autem de ioanne baptista, non unde erat oriundus, sed unde legem suscepisset baptismatis.

Cyrillus. Sed illi fugere veritatem non horruerunt. Deus enim misit ioannem sicut vocem clamantem: parate viam domino. Timuerunt autem dicere veritatem, ne diceretur eis: cur non credidistis? et cavent reprehendere praecursorem, non metu divino, sed populi; unde sequitur at illi cogitabant intra se dicentes: quia si dixerimus: de caelo, dicet: quare ergo ei non credidistis? **Beda.** quasi dicat: quem confitemini de caelo habuisse prophetiam, mihi testimonium perhibuit; et ab illo audistis in qua potestate haec faciam; sequitur enim si autem dixerimus: ex hominibus, plebs universa lapidabit nos: certi sunt enim ioannem prophetam esse. Viderunt ergo, quomodolibet respondissent, in laqueum se casuros, timentes lapidationem, sed magis veritatis confessionem; unde sequitur et responderunt se nescire unde esset. Quia ergo nolunt fateri hoc quod sciunt, repulsi sunt ut eis dominus non diceret quod sciebat; unde sequitur et ait illis iesus: neque ego dico vobis in qua potestate haec facio. Ob duas enim causas maxime scientia veritatis est occultanda quaerentibus: cum scilicet is qui quaerit minus capax est ad intelligendum ea quae quaerit; aut odio vel contemptu veritatis indignus est cui debeat aperiri quod quaerit.

LUCA 20,9-18

11009 (Lc 20,9-18)

Eusebius. Congregatis in unum principibus populi iudaeorum in ipso templo, ea quae contra ipsum facturi

erant, et superventurum eis exterminium figurate per parabolam protulit; dicitur enim coepit autem dicere ad plebem parabolam hanc. Homo plantavit vineam.

Augustinus de cons. Evang.. Tacuit Matthaheus brevitatis causa quod lucas non tacet, parabolam istam non ad solos principes dictam, qui de potestate interrogaverunt, sed etiam ad plebem.

Ambrosius. plerique autem varie significationes de vineae appellatione derivant; sed evidenter isaias vineam domini sabaoth domum israel esse memorat. Hanc vineam quis alius nisi deus condidit? **Beda.** Homo ergo qui plantavit vineam ipse est, qui iuxta aliam parabolam conduxit operarios in vineam suam.

Eusebius. Sed parabola quam isaias dicit, vineam reprehendit; salvatoris vero parabola non est contra vineam dicta, sed de cultoribus vineae, de quibus subditur et locavit eam colonis, idest senioribus populi, et principibus sacerdotum, et doctoribus, et optimatibus cunctis.

Theophylactus. Vel quilibet de populo est vinea, idem est etiam cultor: quilibet enim nostrum seipsum colit. Hac igitur vinea commissa cultoribus, abiit: idest, dimisit illos progredi suo arbitrio; unde sequitur et ipse peregre fuit multis temporibus.

Ambrosius. Non quia ex loco ad locum profectus est dominus, qui ubique semper praesens est; sed quia praesentior est diligentibus, negligentibus abest. Multis autem temporibus abfuit, ne praepropera videretur exactio: nam quo indulgentior liberalitas eo inexcusabilior pervicacia.

Cyrillus. Vel deus absentavit se a vinea plurium annorum curriculum: quia postquam visus est in specie ignis descendisse in montem sina, non amplius visibiliter praebuit eis suam praesentiam. Nulla tamen interpolatio contigit qua non mitteret deus prophetas et iustos commonentes; unde sequitur et in tempore vindemiae, ille misit ad cultores servum, ut de fructu vineae darent illi.

Theophylactus. Dicit autem de fructu vineae, quia non totum fructum, sed aliquid de fructu volebat accipere. Nam quid lucratur deus a nobis nisi suam notitiam, quae etiam est nostra utilitas? **Beda.** Bene autem fructum posuit, non proventum: nullus enim huius vineae proventus inventus est. Servus ergo primus missus est moyses, qui per quadraginta annos fructum aliquem legis quam dederat, a cultoribus requirebat; sed vexatus est propter eos, quia exacerbaverunt spiritum eius; unde sequitur qui caesum dimiserunt eum inanem.

Ambrosius. Factum est autem ut plures alios destinaret, quos iudaei inhonoros et inanes sibi, de quibus nihil potuerunt proficere, dimiserunt; unde sequitur et addidit alterum servum mittere.

Beda. Servus alter david significatur, qui missus est, ut post edicta legalia cultores vineae psalmodiae modulamine ad exercitium boni operis excitaret; sed et contra hunc dixerunt: quae nobis pars in david, aut quae haereditas in filio isai? unde sequitur illi autem hunc caedentes et afficientes contumelia, dimiserunt inanem. sed nec sic destitit; sequitur enim et addidit tertium mittere: per quem prophetarum chorum intellige, qui continuis attestationibus populum convenerunt. sed quem prophetarum non sunt persecuti? unde sequitur qui et illum vulnerantes eiecerunt. His autem tribus servorum gradibus omnium sub lege doctorum figuram posse comprehendere, dominus alibi manifestat, dicens: quoniam necesse est impleri omnia quae sunt in lege moysi et prophetis et psalmis de me.

Theophylactus. Prophetis igitur talia mala passis, filius destinatur; sequitur enim dixit autem dominus vineae: quid faciam? **Beda.** Quod dominus vineae dubitative loquitur, non de ignorantia venit: quid enim nesciat deus pater? sed ambigere dicitur, ut libera voluntas hominis servetur.

Cyrillus. deliberat etiam secum dominus vineae quid agat, non quasi carens ministris, sed quia pertentato quolibet ingenio salutis humanae, populo vero nequaquam adiuto, aliud maius adiungit; unde consequenter dicit mittam filium meum dilectum: forsitan cum hunc viderint, verebuntur.

Theophylactus. Dixit autem hoc, non tamquam ignorans quod peius eum essent tractaturi quam prophetas: sed quia oportebat filium eis fieri reverendum. quod si contumaces fuerint occidendo, hoc cumulat eorum crimen. Ne ergo dicerent aliqui divinam praescientiam necessario fuisse inobedientiae causam, ideo sic figurat sermonem.

Ambrosius. Filium igitur unigenitum sibi missum perfidi iudaei, quasi heredem remove cupientes, occiderunt crucifigendo, et eiecerunt negando; unde sequitur quem cum vidissent coloni, cogitaverunt intra se dicentes: hic est heres: occidamus eum, ut nostra fiat hereditas. Heres Christus est, idemque testator; heres, quia morti propriae supervivit, et testamentorum quae ipse contulit tamquam hereditaria in nostris

profectibus emolumenta consequitur.

Beda. Manifestissime autem dominus probat, iudaeorum principes non per ignorantiam, sed per invidentiam crucifixisse filium dei. Intellexerunt enim hunc esse cui dictum est: dabo tibi gentes haereditatem tuam; sequitur enim et eiectum extra vineam occiderunt; quia iesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.

Theophylactus. sed quia superius populum, non ierusalem, loco vineae sumpsimus; forsitan magis proprie dici potest, quod occidit quidem eum populus extra vineam; idest, extra populi manus passus est dominus, quia scilicet populus ei non propriis manibus necem intulit, sed tradens hunc pilato et gentibus. Quidam autem per vineam scripturam intellexerunt, cui non credentes, dominum necaverunt: unde extra vineam, idest extra scripturam, dicitur dominus passus.

Beda. Sive eiectus extra vineam et occisus est, quia prius est ab infidelium corde repulsus, ac deinde cruci addictus est.

Chrysostomus. dispensationis autem, non negligentiae est post prophetas Christum venisse: non enim deus omnia repente prosequitur, sed condescendit propter sui pietatem: quia si post servos venientem filium contempserunt, multo magis nec antea eum audirent: qui enim non audiebant minora praecepta, quomodo audivissent maiora? **Ambrosius.** Pulchre autem interrogat, ut sua se ipsi damnent sententia; sequitur enim quid ergo faciet illis dominus vineae? **Basilus.** Hoc autem fit, quasi his qui damnantur nihil habentibus opponere evidentiae iuris. Proprium autem est divinae miserationis non infligere poenas silentio, sed praedicere minis, revocando eos ad poenitentiam; unde et hic sequitur veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis.

Ambrosius. Venturum dominum dicit vineae, quod in filio adsit etiam paterna maiestas; vel quod ultimis temporibus praesentior humanis aspiret affectibus.

Cyrillus. Exclusi sunt igitur iudaeorum primates, quasi dominicae voluntati repugnantes, et sterilem reddentes vineam sibi commissam; est autem datus cultus vineae sacerdotibus novi testamenti. Cum autem virtutem aenigmatis senserunt, recusant illud pati; unde sequitur quo audito, dixerunt illi: absit. Nec tamen evaserunt ob sui pertinaciam et inobedientiam erga fidem Christi.

Theophylactus. Aliter autem videtur Matthaeus dicere, dominum scilicet quaesivisse: quid faciet illis cultoribus dominus vineae? iudaeos vero respondisse: malos male perdet. non est autem repugnantia: nam utrumque factum est: primo enim ipsi promulgaverunt illam sententiam; postea sentientes quo tendebat parabola, dixerunt absit, ut lucas hic narrat.

Augustinus de cons. evang.. Vel aliter. In illa de qua loquimur turba erant qui dolose dominum interrogaverant, in qua potestate faceret; erant etiam qui non dolose, sed fideliter acclamaverunt: benedictus qui venit in nomine domini, ac per hoc erant qui dicerent perdet illos, et vineam suam dabit aliis: quae vox recte etiam ipsius domini fuisse intelligitur, sive propter veritatem, sive propter membrorum eius cum suo capite unitatem. Erant etiam qui talia respondentibus dicerent absit: quia intelligebant in seipsos hanc parabolam dictam; sequitur enim ille autem aspiciens eos ait: quid est ergo quod scriptum est: lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? **Beda.** Quasi dicat: quomodo implebitur haec propheta, nisi quia Christus a vobis reprobatus et occisus, credituris est gentibus praedicandus, ut quasi lapis angularis ex utroque populo unum sibi templum aedificet? **Eusebius.** Lapis autem dicitur Christus propter terrestre corpus, abscissus sine manibus: secundum visionem danielis propter ortum ex virgine. Lapis autem non argenteus aut aureus, quia non rex aliquis gloriosus, sed homo humilis et abiectus; propter quod aedificantes eum reprobaverunt.

Theophylactus. Reprobaverunt enim eum principes populi, cum dixerunt: hic a Deo non est. ille vero tam utilis fuit, tam electus, ut in capite anguli poneretur.

Cyrillus. Angulo vero comparat sacra scriptura concursum utriusque populi, israelitici scilicet et gentilis, in unam fidem: compegit enim salvator utrumque populum in unum novum hominem, concilians eos in uno corpore patri. Salubris ergo est lapis angulo facto ab eo; detrimentum autem infert iudaeis impugnantibus hunc spirituales concursus.

Theophylactus. Duas autem condemnationes commemorat: unam quidem animarum suarum, quam passi sunt scandalizati in Christo; et hoc tangit cum dicit omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur; aliam vero captivitatis et exterminii, quam intulit eis lapis ab ipsis contemptus; et hoc tangit cum subdit supra quem autem ipse ceciderit, comminuet illum, vel ventilabit eum: sic enim ventilati sunt iudaei a iudaea

per universum orbem, ut ab area paleae. et attende ordinem: nam praeambulatum est scelus in eum commissum, sequitur autem iusta dei vindicta.

Beda. Vel aliter. qui peccator est, et tamen illi credit, cadit quidem super lapidem et conquassatur, reservatur enim per poenitentiam ad salutem; supra quem vero ille ceciderit, hoc est, cui lapis ipse irruerit, quia ipsum negavit, comminuet eum, ut nec testa quidem remaneat, in qua hauriatur aquae pusillum. Sive de his dicit quod cadunt super eum, qui illum modo contemnunt; ideo nondum penitus intereunt, sed conquassantur, ut non recti ambulent: super quos autem cadit, veniet illis desuper in iudicio cum poena perditionis; ideo comminuet eos, ut sint tamquam pulvis, quem proicit ventus a facie terrae.

Ambrosius. Vineam etiam typus noster est: agricola quippe omnipotens pater, vitis Christus; at vero nos palmites. Recte vinea Christi populus nominatur: vel quod crucis in fronte praetextat indicium; vel quod fructus ex postrema anni legatur aetate; vel quod omnibus, ut ordinibus vinearum, ita pauperibus atque divitibus, servis et dominis in ecclesia aequa dimensio, nulla discretio sit; et ut vitis maritatur arboribus, ita corpus animae. Hanc vineam diligens agricola fodere et tondere consuevit, ne luxuriet umbra foliorum, verborumque infructuosa iactantia maturitatem indolis naturalis impediatur. Decet totius orbis hic esse vindemiam, ubi totius orbis est vinea.

Beda. Vel morali intellectu cuique fidelium vinea quam excolat locatur, dum mysterium baptismi quod exerceat sibi committitur. mittitur servus unus, alter, tertius, cum lex, psalmodia et prophetia legitur. sed missus servus contumeliis affectus vel caesus dicitur, cum sermo auditus contemnitur vel blasphematur. Missum heredem quantum in se est occidit qui filium dei peccando conculcat. Perdito malo cultore, vinea datur alteri, cum dono gratiae, quod superbus sprevit, humilis datur.

LUCA 20,19-26

11019 (Lc 20,19-26)

Cyrillus. Decebat quidem principes iudaeorum, intelligentes quod de ipsis parabola diceretur, a malo sic discedere, quasi de futuris instructos; sed hoc non considerantes, occasionem suorum colligunt criminum; unde dicitur et quaerebant principes sacerdotum et scribae mittere in illum manus in illa hora. Nec refrenavit eos legis praeceptum, quod dicit: innocentem et iustum non occides; sed comescuit eorum nefandum propositum plebis timor; sequitur enim et timerunt populum. Praeferunt enim divinae reverentiae humanum timorem. Quae autem huius propositi fuerit occasio, subditur cognoverunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem istam.

Beda. Et ita quaerendo ipsum occidere, docebant vera esse quae in parabola dixerat. Ipse enim est heres, cuius iniustam necem dicebant esse vindicandam; illi nequam coloni, qui dei filium quaerebant occidere. Hoc etiam quotidie geritur in ecclesia, cum quilibet solo nomine frater, eam quam non diligit ecclesiasticae fidei ac pacis unitatem, propter bonorum multitudinem, vel erubescit, vel timet impugnare. Et quia principes quaerebant dominum comprehendere, quod per se non poterant, praesidis manibus efficere tentabant; unde sequitur et observantes miserunt insidiatores, qui se iustos simularent.

Cyrillus. Videbantur enim esse leves; erant autem graves, obliti dei dicentis: quis hic qui mihi abscondit consilium? adeunt enim Christum omnium salvatorem quasi hominem communem; unde sequitur ut caperent eum in sermone, et traderent eum principatui, et potestati praesidis.

Theophylactus. paraverunt autem domino laqueos; illaqueati sunt tamen in eis pedes eorum. Audi namque astutiam. Et interrogaverunt illum dicentes: magister, scimus quia recte dicis et doces.

Beda. Blanda et fraudulenta interrogatio illuc provocat respondentem ut magis deum quam caesarem timeat; sequitur enim et non accipis personam hominis, sed in veritate viam dei doces. Et hoc dicunt ad hoc ut dicat non debere tributa solvi, ut statim audientes ministri praesidis, qui, iuxta alios evangelistas, affuisse leguntur, seditionis eum contra romanos auctorem teneant; unde consequenter quaerunt: licet nobis dare tributum caesari, an non? erat enim in populo magna seditio, dicentibus aliis, pro securitate, qua romani pro omnibus militabant, debere tributa persolvi; pharisaeis contra dicentibus non debere populum dei, qui decimas et primitias daret, humanis legibus subiacere.

Theophylactus. intendebant ergo, quod si diceret oportere dari census caesari, criminaretur a populo quasi servituti subiciens gentem; si vero prohiberet census reddere, eum repraesentarent ut schismaticum

praesidi. ipse vero laqueos eorum effugit; sequitur enim considerans autem dolum eorum, dixit ad eos: quid me tentatis? ostendite mihi denarium. Cuius habet imaginem et superscriptionem? **Ambrosius.** Docet hoc loco dominus circumspectos nos in respondendo adversus haereticos vel iudaeos esse debere; sicut alibi dixit: estote astuti sicut serpentes.

Beda. Qui autem putant interrogationem salvatoris ignorantiam esse, discant ex praesenti loco, quod potuerit scire iesus cuius imago esset in nummo; sed interrogat, ut ad sermonem eorum competenter respondeat; sequitur enim respondentes dixerunt: caesaris. non putemus caesarem augustum, sed tiberium significari. Omnes enim romani reges a primo caio caesare, caesares appellati sunt. Ex eorum autem responsione convenienter dominus quaestionem solvit; sequitur enim et ait illis: reddite ergo quae sunt caesaris caesari, et quae sunt dei deo. Titus. Quasi dicat: verbis tentatis, operibus obedite: subiistis caesaris servitutem, suscepistis quae eius sunt: date ergo illi census, Deo timorem: non enim exigit deus denarium, sed fidem.

Beda. Reddite etiam Deo quae dei sunt, decimas scilicet, primitias, oblationes et victimas.

Theophylactus. Et attende quod non dixit: date, sed reddite; debitum enim est: tuetur enim te princeps tuus ab hostibus, vitam tuam reddit tranquillam; pro his ergo teneris ei in censu. Sed et hoc ipsum quod offers, numisma scilicet, ab eo habes. Reddes ergo numisma regium regi. Deus etiam tibi tradidit intellectum et rationem: restituas hoc ei non comparatus bestiis, sed in omnibus rationabiliter procedens.

Ambrosius. Tu ergo si vis non esse obnoxius caesari, noli habere quae mundi sunt. Et bene prius quae caesaris sunt reddenda decernit: neque enim potest quis esse domini, nisi prius renuntiaverit mundo. Quam gravia vincula promittere Deo et non solvere. Maior est contractus fidei quam pecuniae.

Origenes. Habet autem locus iste aliquid mystici. Duae enim sunt imagines in homine: una quam accepit a deo, altera inimici. Sicut enim denarius habet imaginem imperatorum mundi: sic qui facit opera tenebrarum, portat imaginem eius cuius habet opera. dicit ergo reddite quae sunt caesaris caesari, hoc est, abicite terrenam imaginem, ut possitis, vobis imaginem caelestem imponentes, reddere quae dei sunt deo, ut scilicet deum diligamus, etc. quae, ut moyses dicit, deus requirit a nobis. Postulat autem a nobis deus, non quia necessarium habet ut ei aliquid tribuamus; sed ut postquam ei dederimus, hoc ipsum nobis tribuat in salutem.

Beda. qui autem credere debuerant, ad tantam sapientiam mirati sunt, quod calliditas eorum insidiandi non invenisset locum; unde sequitur et non potuerunt verbum eius reprehendere coram plebe, et mirati in responso eius tacuerunt.

Theophylactus. hoc enim erat quod praecipue intendebant, increpare eum coram populo; quod obtinere nequiverunt propter sapientissimam eius responsionem.

LUCA 20,27-40

11027 (Lc 20,27-40)

Beda. Duae erant haereses in iudaeis: una pharisaeorum, qui traditionum et observationum iustitiam praeferebant: unde et divisi vocabantur a populo; altera sadducaeorum, qui interpretantur iusti, vindicantes sibi quod non erant. Illis ergo abeuntibus, hi ad tentandum accedunt; unde dicitur accesserunt autem quidam sadducaeorum qui negant esse resurrectionem.

Origenes. Sadducaeorum haeresis non solum resurrectionem mortuorum negat, sed etiam putat animam interire cum corpore. hi ergo verbis salvatoris insidiantes, eo tempore quaestionem proposuerunt quo eum viderunt de resurrectione docere discipulos; unde sequitur et interrogaverunt eum, dicentes: magister, scripsit nobis moyses, si frater alicuius mortuus fuerit habens uxorem, et hic sine filiis fuerit, ut accipiat eam frater eius in uxorem, et suscitet semen fratri suo.

Ambrosius. secundum legis litteram, nubere cogitur etiam invita, ut defuncti semen excitet frater; spiritus autem magister est castitatis.

Theophylactus. Sadducaeii autem fragile fundamentum substituentes, non credebant resurrectionis sermonem. Opinantes enim carnalem esse futuram vitam, in resurrectione merito fallebantur; etideo

tamquam impossibile calumniantes dogma resurrectionis, fingunt hanc narrationem, dicentes septem ergo fratres erant: et primus accepit uxorem, et mortuus est sine filiis; et sequens accepit illam, et mortuus est sine filio; et tertius accepit illam; et similiter omnes septem, et non reliquerunt semen, et mortui sunt. Novissime autem omnium mortua est et mulier.

Beda. Hanc fabulam confingunt, quae deliramenti arguat eos qui resurrectionem asserunt mortuorum. Turpitudinem ergo fabulae opponunt, ut resurrectionis denegent veritatem; unde subditur in resurrectione ergo cuius eorum erit uxor? siquidem habuerunt septem eam uxorem.

Ambrosius. Mystice haec mulier synagoga est, quae septem viros habuit, sicut dicitur samaritanae: quinque viros habuisti, quia samaritana tantum quinque libros moysi, synagoga septem sequitur principaliter, et de nullo propter perfidiam suam hereditariae posteritatis semen accepit; et ideo partem cum viris suis in resurrectione habere non potuit, quia spirituale praeceptum secundum sensum carnis invertit: non enim frater carnalis aliquis denunciatus est, qui semen fratris suscitaret defuncti, sed ille qui de mortuo populo iudaeorum, sapientiam sibi divini cultus ascisceret in uxorem, atque ex ea semen in apostolis suscitaret, qui quasi defunctorum reliquiae iudaeorum, informes adhuc in synagogae utero derelicti, secundum electionem gratiae reservari novi seminis admixtione meruerunt.

Beda. Sive septem hi fratres reprobis congruunt, qui per totam huius saeculi vitam, quae septem diebus volvitur, a bonis operibus steriles existunt: quibus viritim morte praereptis, ad ultimum et ipsa mundana conversatio quasi uxor infecunda transibit.

Theophylactus. dominus autem ostendens in resurrectione non esse futuram conversationem carnalem, eorum dogma evulsit simul cum fragili fundamento; unde sequitur et ait illis iesus: filii huius saeculi nubunt et traduntur ad nuptias.

Augustinus de quaest. Evang.. Quia connubia propter filios, filii propter successionem, successio propter mortem. Ubi ergo mors non est, neque connubia; unde sequitur illi vero qui digni habebuntur saeculo illo et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores; neque enim ultra mori poterunt.

Beda. Quod non ita intelligendum est quasi soli digni vel resurrecturi, vel sine nuptiis futuri sint; sed omnes etiam peccatores resurrecturi, et absque nuptiis sunt in saeculo illo mansuri. dominus autem ut ad resurrectionis gloriam inquirendam animos incitaret, de electis tantum voluit facere sermonem.

Augustinus de quaest. Evang.. Sicut autem nunc sermo noster decedentibus et succedentibus syllabis peragitur atque perficitur, ita et ipsi homines, quorum sermo est, decedendo et succedendo peragunt atque perficiunt ordinem huius saeculi, qui temporali rerum pulchritudine contextitur. in illa autem vita, quoniam verbum dei, quo fruemur, nulla decessione atque successione syllabarum completur, sed omnia quae habet, semper manendo, simul habet; ita participes eius, quibus ipsum solum erit vita, neque moriendo decedent, neque nascendo succedent; sicut nunc est in angelis; unde sequitur aequales enim angelis sunt.

Cyrrillus. Sicut enim multitudo angelorum plurima quidem est, non autem propagata per generationem, sed ex creatione consistens; ita et his qui resurgunt non est opus ulterius nuptiis; unde sequitur et filii dei sunt, cum sint filii resurrectionis.

Theophylactus. Quasi dicat: quia deus est qui operatur in resurrectione, merito dicuntur dei filii qui per resurrectionem regenerantur: non enim aliquid carnale in resurgentium generatione conspicitur, non coitus, non matrix, non partus.

Beda. Vel aequales angelis, et filii sunt dei: quia gloria resurrectionis innovati, sine ullo mortis metu, sine ulla labe corruptionis, sine ullo terreni status actu, perpetua dei visione fruuntur.

Origenes. sed quia dominus in Matthaeo dicit quod hic praetermittitur: erratis nescientes scripturas, propono scripturam, ubi scriptum sit: neque nubent, neque nubentur. Quantum enim ego aestimo, neque in veteri, neque in novo testamento quicquam tale reperitur. Sed omnis eorum error de scripturae lectione, quam non intelligunt, subrepsit; dicitur enim in isaia: electi mei bibent; et putant haec et similia futura esse in resurrectione. Paulus autem omnes has benedictiones spiritaliter interpretans, et sciens non esse carnales dicit: benedixisti nos in omni benedictione spirituali.

Theophylactus. vel dominus rationi suprapositae scripturae testimonium addit, subdens quia vero resurgant mortui, et moyses ostendit secus rubum, sicut dicit dominum deum abraham et deum isaac et deum iacob; quasi dicat: si semel redierunt in nihilum patriarchae, ne viverent apud deum, in spe resurrectionis non dixisset: ego sum, sed: fueram; consuevimus enim de rebus corruptis et praeteritis

dicere: eram dominus illius rei. Nunc vero quoniam dixit: ego sum, ostendit quod viventium est deus et dominus; et hoc est quod subditur deus autem non est mortuorum, sed vivorum: omnes enim vivunt ei: quamvis enim exanimis sunt, vivunt tamen apud deum in spe resurgendi.

Beda. Vel hoc dicit, ut cum probaverit animas permanere post mortem, quod sadducaeis negabant, consequens introduceretur et corporum resurrectio, quae cum animabus bona malave gesserunt. Est autem vera vita qua iusti Deo vivunt, etiam quando corpore moriuntur. Ad comprobendam autem resurrectionis veritatem, multo manifestioribus exemplis ex prophetis uti valuit, sed sadducaeis quinque tantum libros moysi recipiebant, prophetarum vaticinia respicientes.

Chrysostomus. sicut autem sancti communem orbis dominum sibi appropriant, non derogantes eius dominio, sed proprium affectum pandentes, secundum morem amantium, qui non patiuntur cum multis diligere, sed volunt praecipuam et specialem quamdam dilectionem exprimere; sic et deus specialiter se horum deum dicebat, non coarctando suum dominium, sed ampliando. non enim sic multitudo subditorum sicut virtus famulantium pandit eius dominium; unde non sic gaudet dici deus caeli et terrae, sicut cum dicitur deus abraham, deus isaac et deus iacob. Et apud mortales quidem a dominis denominantur famuli; dicimus enim: villicus talis ducis; e contrario autem deus dicitur abraham.

Theophylactus. Confutatis autem sadducaeis, favent iesu scribae tamquam sadducaeorum oppositi; unde sequitur respondentes autem quidam scribarum dixerunt: magister, bene dixisti.

Beda. Et quia in sermonibus confutati sunt, ultra non interrogant; unde sequitur et amplius non audebant eum quidquam interrogare: sed comprehensum romanae tradunt potestati; ex quo intelligimus venena invidiae posse quidem superari, sed difficile conquirere.

LUCA 20,41-44

11041 (Lc 20,41-44)

Theophylactus. Quamvis dominus ad passionem erat iturus in brevi, praedicat propriam deitatem: nec hoc tamen incaute aut arroganter; sed modeste quaerit; unde dicitur dixit autem ad illos: quomodo dicunt Christum filium david esse? **Ambrosius** in lucam. Non reprehenduntur hoc loco quia david filium confitentur, quia caecus ille, david filium confitendo, meruit sanitatem; et pueri dicentes: hosanna filio david, praecelsae praedicationis gloriam Deo deferebant; sed reprehenduntur, quia non credunt filium dei; unde subditur et ipse david dicit in libro psalmodum: dixit dominus domino meo. Et pater dominus, et filius dominus; sed non duo domini, sed unus est dominus: quia pater in filio, et filius in patre: ipse ad dexteram patris sedet, quia patri consors, nulli secundus est; sequitur enim sede a dextris meis. Nec praefertur qui ad dexteram sedet, nec iniuriam patitur qui admittitur: gradus non quaeritur dignitatis, ubi plenitudo est divinitatis.

Augustinus de symbolo. Sessione autem ista non accipiamus humanis membris positum, tamquam pater sedeat in sinistra et filius sedeat ad dexteram; sed ipsam dexteram intelligamus potestatem quam accepit ille homo susceptus a deo, ut veniat iudicaturus qui primo venerat iudicandus.

Cyrillus. vel quod sedet ad dexteram patris, supernam eius gloriam probat: nam quorum est thronus aequalis, et maiestas. Sessio vero in Deo significat regnum, et omnium potestatem. Sedet ergo a dextris dei patris, quia verbum ex paterna substantia prodiens, factum caro, divinam non exiit dignitatem.

Theophylactus. Manifestat ergo quod adversarius patris non est, sed secum concordat; cum pater repugnet adversariis eius; sequitur enim donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.

Ambrosius. Ergo et deum Christum, et hominem esse credamus; cui a patre subiciuntur inimici, non per infirmitatem potestatis suae, sed per unitatem naturae, quia in altero alter operatur: nam et filius subicit inimicos patri, quia patrem clarificat super terram.

Theophylactus. quaerit ergo ipse, et mota dubitatione sinit illos colligere quid sequatur; unde subdit david ergo dominum illum vocat, et quomodo filius eius est? **Chrysostomus.** david quidem pater Christi et servus; hoc quidem secundum carnem, illud secundum spiritum.

Cyrillus. Et nos ergo novis pharisaeis, qui nec verum dei filium, neque deum esse fatentur natum ex sacra virgine, sed dividunt unum filium in duos, talem obicimus quaestionem: quo pacto filius david dominus eius

est, et non humano dominio, sed divino?

LUCA 20,45-48

11045 (Lc 20,45-48)

Theophylactus. quia enim eos orbis doctores mittebat, merito monet non esse eis imitandam pharisaeorum ambitionem; unde sequitur attendite a scribis, qui volunt ambulare in stolis.

Beda. idest, cultioribus vestimentis induti ad publicum procedere; in quo inter cetera dives peccasse describitur.

Cyrillus. Passiones autem erant scribarum, amor gloriae inanis et lucri. Ut igitur tam pessima crimina evitarent discipuli, commonet eos subdens et amant salutationes in foro.

Theophylactus. Quod est blandientium, et venantium opinionem famae; vel agunt hoc causa congregandae pecuniae; sequitur enim et primas cathedras in synagogis et primos discubitus in conviviis.

Beda. Non primos sedere, vel discumbere vetat eos quibus hoc officii ordine competit, sed eos qui hoc indebite amant, docet esse cavendos, animum, non gradum redarguens; quamvis et hoc culpa non careat, si iidem in foro litibus velint interesse qui in synagoga magistri desiderant appellari. Duplici autem ratione a vanae gloriae cupidis attendere iubemur: ne vel eorum simulatione ducamur, aestimantes bona esse quae faciunt; vel aemulatione inflammemur, frustra gaudentes in bonis laudari quae simulant. Non solum autem laudes ab hominibus, sed et pecunias quaerunt; sequitur enim qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Iustos enim et magni meriti apud deum se simulates, ab infirmis et peccatorum suorum conscientia turbatis, quasi patroni pro eis in iudicio futuri, pecunias accipere non dubitant.

Chrysostomus. ingurgitantes etiam se viduarum bonis, paupertatem atterunt, non qualitercumque comedentes, sed devorantes, et ad pravitatem oratione utentes; quod graviori poenae facit eos obnoxios; unde sequitur hi accipient maiorem damnationem.

Theophylactus. quia non solum mala faciunt, sed orationes praetendunt, et virtutem faciunt pravitatis excusationem. Viduas etiam depauperant, quarum oportebat misereri, dum ob sui praesentiam eas cogunt exponere.

Beda. Vel quia laudes ab hominibus et pecunias quaerunt, maiori damnatione plectuntur.

LUCA 21,1-4

11101 (Lc 21,1-4)

Glossa. Postquam dominus redarguit scribarum avaritiam qui domos viduarum devorabant, commendat viduae eleemosynam; unde dicitur respiciens autem vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylacium divites.

Beda. Quia sermone graeco phylattin, servare dicitur, et gaza lingua persica divitiae vocantur, gazophylacium locus appellari solet quo divitiae servantur. Erat autem arca foramen habens desuper posita iuxta altare ad dexteram ingredientibus domum domini, in quam mittebant sacerdotes, qui custodiebant hostias, omnem pecuniam quae deferebatur ad templum domini. dominus autem, sicut operantes in domo sua discutit, ita et dona ferentes respicit; et quem dignum viderit, laudat; quem reprobum, damnat; unde sequitur vidit autem et quamdam viduam pauperulam mittentem aera minuta duo.

Cyrillus. duos obolos offerebat, quos cum sudoribus ad diurnum victum acquisierat; vel quae quotidie per aliena poscit suffragia, Deo donat, ostendens ei suam paupertatem fructiferam. Vincit igitur alios, et iusta censura coronatur a deo; unde sequitur et ait illis: vere dico vobis, quia vidua haec pauper plusquam omnes misit.

Beda. acceptabile enim est Deo quicquid bono animo obtulerimus, qui cor, et non substantiam pensat, nec perpendit quantum in eius sacrificio, sed ex quanto proferatur; unde sequitur nam omnes hi ex abundantia

sibi miserunt in munera dei; haec autem ex eo quod illi deest, omnem victum quem habuit misit.

Chrysostomus. non enim paucitatem oblatis, sed copiam affectus intuitus est deus. Non est eleemosyna ex pluribus pauca impendere; sed illud viduae, quae totam sibi evacuavit substantiam. Quod si nequis tantum offerre sicut et vidua, offer saltem totum superfluum.

Beda. Mystice autem divites qui in gazophylacium munera mittebant, significant iudaeos de iustitia legis elatos; vidua pauper ecclesiae simplicitatem; quae paupercula vocatur, quia vel superbiae spiritum, vel peccata tamquam mundi divitias abiecit; vidua vero, quia vir eius pro ea mortem pertulit. Haec in gazophylacium duo aera minuta mittit, quia in conspectu dei, apud quem nostri operis oblationes conservantur, munera sua defert, sive dilectionem dei et proximi, sive fidei et orationis: quae cunctis superbiorum iudaeorum operibus praestant: ex abundanti enim in munera dei immittunt iudaei, qui de iustitia sua praesumunt: ecclesia autem omnem victum suum mittit, quia omne quod vivit, dei esse muneris intelligit.

Theophylactus. vel vidua potest intelligi quaelibet anima, orbata, quasi primo viro, pristina lege, et non digna copula verbi dei; quae loco arrhae offert Deo fidem et conscientiam bonam; et ideo plus videtur offerre divitibus in sermone, et superfluentibus moralibus gentilium virtutibus.

LUCA 21,5-8

11105 (Lc 21,5-8)

Eusebius. Quod spectanda forent quae pertinebant ad templi structuram, manifestant historiae; et hucusque quaedam conservantur reliquiae, quibus percipiuntur quae dudum erant fabricarum vestigia. Sed dominus mirantibus templi fabricas, promulgavit quod in eo lapis super lapidem non maneret; dicitur enim et quibusdam dicentibus de templo, quod lapidibus bonis et donis exornatum esset, dixit: haec quae videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super lapidem qui non destruat. decebat enim locum illum, propter cultorum audaciam, omnimodam desolationem pati.

Beda. Divina etiam dispensatio procuravit ut civitas ipsa et templum subverteretur, ne quis forte adhuc parvulus in fide, videns illa constare, dum sacrificiorum ritum attonitus stuperet, raperetur intuitu.

Ambrosius. Verum igitur dictum est de templo manufacto, quod esset subvertendum: nihil enim est manufactum quod non aut vetustas conficiat, aut vis subruat, aut ignis exurat. Tamen est et aliud templum, scilicet synagoga, cuius structura vetus, ecclesia surgente, dissolvitur. Est etiam templum in unoquoque, quod deficiente fide labitur, et maxime si quis falso Christi nomen obtendat, quo interiorem expugnet affectum.

Cyrillus. Nequaquam autem discipuli adverterant vim dictorum; sed arbitrabantur de consummatione saeculi dictum esse; et ideo quaerebant quo tempore deberent accidere; unde sequitur interrogaverunt autem illum, dicentes: praeceptor, quando haec erunt, et quod signum cum fieri incipient? **Ambrosius.** Matthaeus tertiam interrogationem addidit, ut et templi tempora destruendi, et signum adventus et consummatio saeculi a discipulis quaereretur. interrogatus autem dominus quando templi futura esset destructio, et quod signum esset eius adventus, de signis docet, de tempore non curat intimandum; sequitur enim qui dixit: videte ne seducamini.

Athanasius. Cum enim sint nobis a Deo charismata et dogmata quae sunt super hominem, tradita, scilicet caelestis conversationis forma, virtus contra daemones, et adoptio, et notitia patris, et verbi et spiritus sancti donum; adversarius noster diabolus circuit, quaerens nobis surripere insita semina verbi; dominus autem tamquam sua pretiosa dona in nobis sua documenta concludens, monet ne seducamur. magnum autem quoddam donum tribuit nobis dei verbum, ut non solum ex apparentibus non decipiamur, sed etiam si qua latentia sint, diiudicemus per spiritus gratiam. Cum enim sit odiosus diabolus inventor malitiae, hoc quod ipse est occultat, nomen vero cunctis cupit simulat callide: puta, si quis subicere sibi volens filios alienos, parentibus absentibus fingat eorum vultus, et filios desiderantes seducat. Ergo in unaquaque haeresum diabolus figuratus dicit: ego sum Christus, et apud me veritas est; unde sequitur multi enim venient in nomine meo, dicentes: quia ego sum; et tempus appropinquabit.

Cyrillus. Ante suum enim descensum de caelo, provenient aliqui, quibus acquiescere non oportet: voluit enim unigenitum verbum dei, cum venit ut mundum salvaret, latere, ut crucem sustineret pro nobis; sed secundus eius adventus non erit clanculo, ut ante, sed terribilis et manifestus: descendet enim in gloria dei patris, ministrantibus angelis, ut mundum in iustitia iudicet; unde concludit nolite ergo ire post illos. Titus. vel

forsitan non dicit pseudoChristos ante consummationem venientes, sed eos qui fuere tempore apostolorum.

Beda. Multi enim imminente hierosolymorum excidio principes extitere qui se dicerent esse Christos, tempusque libertatis appropinquare. multi etiam in ecclesia haeresiarchae diem domini instare praedicaverunt; quos apostolus ad thessalonicenses damnat. Multi etiam in nomine Christi venire antiChristi; quorum primus est simon magus, cui dicebant: hic est virtus dei, quae vocatur magna.

LUCA 21,9-11

11109 (Lc 21,9-11)

Gregorius in evang.. Perituri mundi praecurrentia mala denuntiat dominus, ut eo minus perturbent venientia, quo fuerint praescita: minus enim iacula feriunt quae praevidentur; unde dicit cum autem audieritis praelia et seditiones, nolite terri. Bella ad hostes pertinent, seditiones ad cives. Ut ergo nos indicet exterius interiusque turbari, aliud nos fatetur ab hostibus, aliud a fratribus perpeti.

Ambrosius. Verborum autem caelestium nulli magis quam nos testes sumus, quos mundi finis invenit. Quanta praelia et quas opiniones accepimus praeliorum? **Gregorius.** Sed his malis praevientibus, quia non statim finis sequatur, adiungitur oportet haec primum fieri; sed nondum statim finis. Ultima enim tribulatio multis tribulationibus praevenitur: quia multa debent mala praecurrere, ut malum valeant sine fine nuntiare; unde sequitur tunc dicebat illis: surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum: quia necesse est ut alia ex caelo, alia ex terra, alia ab elementis, alia ab hominibus patiamur. Hic ergo signatur perturbatio hominum; sequitur enim et terraemotus magni erunt per loca: ecce respectus irae desuper.

Chrysostomus. terraemotus enim quandoque irae signum est, nam et quando crucifixus est dominus, mota est terra; quandoque vero provisionis indicium, sicut orantibus apostolis commotus est locus in quo erant congregati. sequitur et pestilentiae.

Gregorius. ecce inaequalitas corporum; et fames: ecce sterilitas terrae; terroresque de caelo, et signa magna erunt: ecce inaequalitas aeris: quod ad eas tempestates referendum est, quae nequaquam ordinem temporum servant: quae enim ordinate veniunt, signum non sunt. Omnia enim quae ad usum vitae accepimus, ad usum convertimus culpae; sed cuncta quae ad usum pravitatis infleximus, ad usum nobis vertuntur ultionis.

Ambrosius. Occasum ergo saeculi praecedent quaedam aegritudines mundi, scilicet fames, pestilentia et persecutio.

Theophylactus. Quidam autem haec non solum in consummatione futura, sed et tempore captionis ierusalem fuisse impleta voluerunt. Auctore namque pacis perempto, merito in eis seditiones et bella locum habuerunt. Ex bellis autem pestis et fames consequitur: haec quidem aere cadaveribus infecto, illa incultis manentibus agris. Sed et iosephus intolerabiles aerumnas evenisse recitat propter famem; et tempore claudii caesaris fames invaluit, ut in actibus legitur: et plurima terribilia contigerunt captionem ierusalem indicantia, ut iosephus narrat.

Chrysostomus. dicit autem, quod non statim finis civitatis eveniet, ut scilicet hierosolyma capiatur, sed post praelia multa.

Beda. admonentur etiam apostoli, ne terreantur his praecurrentibus, ne hierosolymam iudaeamque deserant. Potest autem regnum contra regnum, et pestilentia eorum quorum sermo serpit ut cancer, et fames audiendi verbi dei, et commotio universae terrae, et a vera fide separatio, etiam in haereticis intelligi, qui contra se invicem dimicantes, ecclesiae victoriam faciunt.

Ambrosius. Sunt autem et alia bella, quae vir sustinet Christianus; diversarum quoque praelia cupiditatum, studiorumque conflictus. Multo etiam graviores sunt domestici hostes quam extranei.

LUCA 21,12-19

11112 (Lc 21,12-19)

Gregorius in evang.. Quia cuncta quae praedicta sunt, non de iniustitia ferientis sunt, sed de merito mundi

patientis, facta pravorum hominum praenuntiantur, cum dicitur sed ante haec omnia incient vobis manus suas, et persequentur, tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et praesides propter nomen meum; ac si dicat: prius corda hominum, post elementa turbabuntur, ut, cum rerum ordo confunditur, ex qua tribulatione veniat demonstretur. Nam quamvis finis mundi ex ipso suo ordine pendeat, perversiores tamen quosque inveniens, quia digne ruinis illius opprimantur, innotescit.

Cyrillus. Vel hoc dicit, quia priusquam a romanis ierusalem caperetur, passi persecutiones a iudaeis discipuli incarcerati sunt, et praesentati principatibus. missus est paulus romam ad caesarem, astititque festo et agrippae. sequitur continget autem vobis in testimonium.

Graecus. In martyrium, idest, in martyrii gloriam.

Gregorius. vel in testimonium, videlicet eorum: quia vos persequendo, mortes inferunt, aut videndo non imitantur: ut inde perversi sine excusatione pereant unde electi exemplum capiunt ut vivant. Sed auditis tot terroribus, turbari poterant auditorum corda; unde ad eorum consolationem subdit ponite ergo in cordibus vestris non praemeditari quemadmodum respondeatis.

Theophylactus. quia enim idiotae erant et imperiti, hoc eis dominus dicit, ne conturbarentur reddituri sapientibus rationem; et causam subdit ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri; quasi dicat: statim a me sortiemini facundiam et sapientiam, ut nec omnes adversarii vestri si in unum conveniant, resistere valeant vobis, nec in sapientia, idest speculationum vi, nec in eloquentia et sermonis lepore. Saepe enim multi sapientiam quidem habent in mente; sed cum sint provocabiles ad turbationem, totum confundunt, cum tempus fuerit proponendi. non autem tales fuerunt apostoli; sed utrinque gratiosi fuerunt.

Gregorius. ac si dominus suis dicat: nolite terreri: vos ad certamen acceditis, ego praelior: vos verba editis, sed ego sum qui loquor.

Ambrosius. Alibi autem Christus in discipulis, alibi pater, alibi spiritus loquitur patris. Non discordant ista, sed congruunt: quod unus loquitur, tres loquuntur, quia vox est una trinitatis.

Theophylactus. His autem dictis, et propulso imperitiae timore, subdit et aliud quiddam necessarium, quod eorum animos poterat commovere, ne subito irruens eos turbaret; sequitur enim trademini autem a parentibus et fratribus et cognatis, et morte afficient ex vobis.

Gregorius. plus in nobis ea tormenta saeviunt quae ab illis patimur de quorum moribus praesumebamus: quia cum damno corporis mala nos cruciant amissae caritatis.

Gregorius nyssenus. Consideremus autem statum qui tunc temporis erat. omnibus suspectis, ad invicem dividebantur cognationes, invicem disgregatae per cultus; et filius gentilis proditor fiebat parentum fidelium; et in filium qui crediderat, pater in infidelitate obstinatus accusator fiebat. Omnis aetas erat exposita persequentibus fidem, nec mulieribus succurrebat naturalis sexus fragilitas.

Theophylactus. His autem dictis, et de odio subiungit quod ab omnibus patientur; sequitur enim et eritis odio omnibus hominibus propter nomen meum.

Gregorius. sed quia dura sunt quae praedicuntur de afflictione mortis, protinus consolatio subditur de gaudio resurrectionis, cum dicitur et capillus de capite vestro non peribit; quasi dicat martyribus suis: cur timetis ne pereat quod incisum dolet, quando et illud in vobis perire non potest quod incisum non dolet?

Beda. Vel aliter. Capillus de capite discipulorum domini non peribit: quia non solum fortia facta vel dicta sanctorum, sed et tenuissima cogitatio digna mercede donabitur.

Gregorius moralium. qui autem patientiam in adversis tenet, inde contra adversa omnia fortis efficitur: unde sibi et seipsum vincendo dominatur; unde sequitur in patientia vestra possidebitis animas vestras. Quid enim est animas possidere nisi perfecte in omnibus vivere, cunctisque mentis motibus quasi ex arce virtutis dominari? **Gregorius.** per patientiam igitur animas nostras possidemus; quia dum nobismetipsis dominari discimus, hoc ipsum incipimus possidere quod sumus. Idcirco autem possessio animae in virtute patientiae ponitur, quia radix omnium custosque virtutum patientia est. Patientia vero est aliena mala aequanimiter perpeti; contra eum quoque qui mala irrogat nullo dolore morderi.

LUCA 21,20-24

11120 (Lc 21,20-24)

Beda. Hactenus ea quae per quadraginta annos, necdum fine adveniente, futura erant, dicta sunt; hic ipse finis desolationis quae a romano exercitu facta est, domini verbis exponitur, cum dicitur cum autem videritis circumdari ab exercitu ierusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio eius.

Eusebius. Desolationem ierusalem vocat non amplius eam a suis, nec secundum ritum legalem constitui, ita quod nullus expectet post futuram obsidionem aliam innovationem fieri, sicut accidit tempore regis persarum, et illustris antiochi, et iterum tempore pompeii.

Augustinus ad hesychium. Haec autem domini verba ideo lucas hoc loco commemoravit, ut ostendat tunc factam fuisse abominationem desolationis quae a danielle praedicta est, de qua Matthaeus et marcus locuti sunt, quando expugnata est ierusalem.

Ambrosius. Iudaei enim putaverunt abominationem desolationis tunc factam, eo quod caput porci in templo iecerunt illudentes romani iudaicae ritum observantiae.

Eusebius. Dominus autem futuram in civitate praevidens famem, monebat discipulos ne in futura obsidione in civitatem confugerent tamquam ad locum tutum et a Deo protectum; sed magis inde discederent, et ad montes confugerent; unde sequitur tunc qui in iudaea sunt, fugiant in montes.

Beda. Ecclesiastica narrat historia, cunctos qui in iudaea erant Christianos, imminente hierosolymorum excidio, commonitos a domino, loco discessisse, et trans iordanem habitasse in civitate quadam pella nomine, donec desolatio iudaeae completeretur.

Augustinus ad hesychium. Pro hoc autem Matthaeus et marcus dixerunt: et qui supra tectum est, non descendat in domum; addit autem: nec introeat ut tollat aliquid de domo; pro quo lucas subdit et qui in medio eius sunt discedant.

Beda. Sed quomodo ab exercitu civitate iam circumdata, qui in medio eius sunt discedent? nisi forte quod promisit tunc, non ad ipsum tempus obsidionis referatur, sed ad proximum ante obsidionem tempus, cum se primum miles romanus per galilaeae vel samariae fines coepit diffundere.

Augustinus ad hesychium. pro eo autem quod Matthaeus et marcus posuerunt: et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum, apertius iste subdit et qui in regionibus, non intrent in eam; quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quae scripta sunt.

Beda. dies autem ultionis hi sunt, dies videlicet dominici sanguinis ultionem petentes.

Augustinus. deinde similiter lucas prosequitur, sicut et alii duo vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus. Et sic ergo lucas patefecit quod poterat esse incertum, scilicet id quod dictum est de abominatione desolationis, non ad saeculi finem, sed ad expugnationem ierusalem pertinere.

Beda. Dicit ergo vae praegnantibus, praesente captivitate, et nutrientibus sive mammantibus, ut quidam interpretantur, quarum vel uteri, vel manus filiorum sarcina praegravatae fugae necessitatem non minimum impediunt.

Theophylactus. Quidam vero dicunt, dominum per hoc significare filiorum esum, quem et iosephus narrat.

Chrysostomus. deinde praedictorum assignat causam, dicens erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic. Talia enim mala eos occupaverunt ut nulla deinceps aerumna possit eorum calamitatibus adaequari, ut iosephus narravit.

Eusebius. Qualiter scilicet advenientibus romanis, et urbem capientibus, multae catervae iudaici populi in ore gladii periire; unde sequitur et cadent in ore gladii. Sed et plures necati sunt fame. Haec vero accidebant primo quidem sub tito et vespasiano, post hos autem tempore hadriani principis romanorum, quando natale solum iudaeis inaccessible est factum; unde sequitur et captivi ducentur in omnes gentes. totum enim orbem iudaei repleverunt, et usque ad fines terrae pervenerunt; et cum eorum terra ab alienigenis inhabitetur, solis ipsis est inaccessibleis facta; unde sequitur et ierusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum.

Beda. Quae scilicet apostolus commemorat dicens: caecitas ex parte facta est in israel... Et sic omnis israel salvus fiet; qui cum promissa salute fuerit potitus, ad patrium solum rediturus non temere speratur.

Ambrosius. Mystice autem abominatio desolationis, adventus antiChristi est: eo quod sacrilegiis infaustis mentium interiora contaminet, sedens iuxta historiam in templo, ut sibi vindicet divinae solium potestatis. Iuxta interpretationem autem spiritualem pulchre inducitur, eo quod in affectibus singulorum vestigium perfidiae suae confirmare desideret, ex scripturis disputans se esse Christum. Tunc appropinquabit desolatio, quoniam a vera religione plerique lapsi desistent; tunc erit domini dies, quoniam sicut primus adventus domini fuit propter redimenda peccata, ita et secundus erit propter reprimenda delicta, ne plures perfidiae errore labantur. Est et alius antiChristus, idest diabolus, qui ierusalem, idest animam pacificam, obsidere nitatur suae legis exercitu. Ergo quando in medio templi est diabolus, desolatio abominationis est. cum autem unicuique laboranti, Christi praesentia spiritualis illuxerit, tollitur iniquus ex medio, et incipit regnare iustitia. est etiam tertius antiChristus, ut arius et sabellius et omnes qui nos prava intentione seducunt. Hae autem sunt praegnantae quibus vae dicitur, quae arvinam suae carnis extendant, et quibus intimorum gressus pigrescat animorum, et effetae virtutum, fetaeque vitiorum. Sed nec illae praegnantae condemnationis expertes sunt, quae in bonorum actuum molimine constitutae, necdum aliquos suscepti operis dedere processus. Sunt quae dei timore concipiunt, sed non omnes pariunt: sunt enim quae abortivum excludunt verbum antequam pariant. Sunt etiam quae in utero Christum habeant, sed nondum formaverunt. ergo quae parit iustitiam, Christum parit. Nos etiam parvulos nostros ablactare properemus, ne nos quasi imperfectorum parentes, aut iudicii dies aut mortis inveniat. Quod ita fiet, si omnia dicta iustitiae in corde custodias, nec senectutis tempus expectes; sed in prima aetate sapientiam sine corruptela corporis tui cito concipias, cito nutrias. In fine autem iudaea omnis a nationibus credituris subicietur in ore gladii spiritalis, qui est sermo bis acutus.

LUCA 21,25-27

11125 (Lc 21,25-27)

Beda. Quid impletis nationum temporibus sequatur, ex ordine manifestat, dicens erunt signa in sole et luna et stellis.

Ambrosius. Quae quidem signa secundum Matthaeum evidentius exprimuntur: tunc, inquit, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de caelo.

Eusebius. Tunc enim cum vitae corruptibilis consummatio agetur, et secundum apostolum species huius mundi transibit, et novum succedet saeculum, in quo vice sensibilium luminarium ipse Christus fulgebit quasi iubar et rex novi saeculi: cuius erit tanta luminis virtus et gloria, ut sol, qui nunc radiat, atque luna et cetera sidera, adventu maioris luminis occultentur.

Chrysostomus. Sicut enim in hoc saeculo luna et sidera mox obfuscantur orto sole; sic in gloriosa Christi apparitione sol obtenebrescet, et luna non dabit proprium iubar, et stellae cadent de caelo, priore spoliatae amictu, ut potioris lucis amictu potiantur.

Eusebius. Quae autem evenient orbi post luminarium obtenebrationem, ex quibus fiet angustia gentium, consequenter exprimit, dicens et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum: ubi videtur docere principium transmutationis universi futurum ex defectu substantiae humidae. Hac enim prima devorata, vel congelata, ut non amplius audiatur sonitus maris, nec contingant arenam fluctus eius, causa exuberantis siccitatis, ceterae mundi partes non amplius obtinentes vaporem solitum, emissum ex substantia humida, transmutationem patientur; et sic cum apparitio salvatoris confutare debeat repugnantia Deo prodigia, exordium sument furoris prooemia ex siccitatibus, ut nec tempestas, nec fremitus maris ulterius audiatur. Quo facto subsequetur angustia superstitum hominum; unde sequitur arescentibus, idest tabescentibus, hominibus prae timore et expectatione, eorum scilicet quae supervenient universo orbi. Quae autem tunc ingruant mundo, consequenter ostendit, subdens nam virtutes caelorum movebuntur.

Theophylactus. Vel aliter. Cum alterabitur superior orbis, et elementa inferiora merito patientur iacturam; unde sequitur et in terris pressura gentium prae confusione sonitus maris et fluctuum; quasi dicat: mare terribiliter fremet, et littus maris agitabitur tempestate, ita ut sit populo terrae pressura, idest communis miseria, et tabescant timore et expectatione malorum irruentium mundo; unde sequitur arescentibus hominibus prae timore et expectatione, quae supervenient universo orbi.

Augustinus ad hesychium. sed dices: confiteri vos poena vestra compellit adesse iam fines, dum impletur quod praenuntiatum est. Nullam enim patriam, nullum locum, nostris temporibus non affligi aut tribulari certum est. Sed si ista mala quae nunc patitur genus humanum, certa sunt indicia iam dominum esse venturum, quid est quod dicit apostolus: cum dixerint: pax et securitas? videamus ergo ne forte melius intelligatur non eo modo impleri quae praedicta sunt his verbis; sed tunc potius esse ventura, quando sic erit tribulatio universo orbi ut ad ecclesiam pertineat, quae universo orbe tribulabitur, non ad eos qui tribulabunt eam: ipsi enim sunt dicturi: pax et securitas. Nunc autem ista mala quae tamquam summa extremaque creduntur, utriusque regno, Christi scilicet et diaboli, videmus esse communia: pariter quippe his boni affliguntur et mali; interque tanta mala adhuc usquequaque frequentantur luxuriosa convivia. Hoccine est arescere prae timore, an potius inardescere prae libidine? Theophylactus. Non solum autem mortales fluctuabunt cum alterabitur mundus, sed etiam angeli stupebunt in tam terribilibus mutationibus universi; unde sequitur nam virtutes caelorum movebuntur.

Gregorius in evang.. quid enim virtutes caelorum, nisi angelos, dominationes, et principatus, et potestates appellat? quae in adventu districti iudicis, nostris tunc oculis visibiliter apparebunt, ut districte tunc a nobis exigant hoc quod nos modo invisibilis conditor aequanimiter portat.

Eusebius. Cum etiam dei filius sit venturus in gloria, et confuturus elatam tyrannidem filii peccati, ministrantibus angelis, caeli fores a saeculo clausae patebunt, ut spectentur excelsa.

Chrysostomus. Vel virtutes caelicae movebuntur, quamvis sibi consciae non sint: videntes enim infinitas multitudines condemnari, non intrepide stabunt illic.

Beda. unde et in iob dicitur: columnae caeli contremiscunt, et pavent ad nutum eius. quid ergo faciunt tabulae, quando tremunt columnae? quid virgula deserti patitur, cum cedrus paradisi concutitur? Eusebius. vel virtutes caelorum sunt quae praesunt sensibilibus partibus universi: quae quidem tunc movebuntur, ut potiore statum attingant. absolventur enim in saeculo novo a ministerio, quo Deo serviunt circa sensibilia corpora secundum corruptionis statum.

Augustinus. Sed ne dominus, propinquante secundo adventu suo, ea pro magno praedixisse videatur quae huic mundo etiam ante primum eius adventum fieri consueverant, et rideamur ab eis qui plura in historia gentium et maiora legerunt, haec quae dicta sunt, melius in ecclesia existimo intelligi. Ecclesia enim est sol, et luna, et stellae, cui dictum est: pulchra ut luna, electa ut sol; quae tunc non apparebit, persecutoribus ultra modum saevientibus.

Ambrosius. plurimis etiam a religione deficientibus, clara fides obscurabitur nube perfidiae; quia sol caelestis in ea, fide minuitur vel augetur; et sicut menstruis, idest mensium, defectibus, luna vel terrae oppositu, cum fuerit ex regione solis, vanescit; sic et sancta ecclesia, cum lumini caelesti vitia carnis obsistunt, fulgorem divini luminis de Christi radiis non potest mutuari: nam in persecutionibus lucem divini solis plerumque amor vitae huius excludit. Cadunt etiam stellae, idest gloria micantes viri, si persecutionis acerbitas convallescat, quae oportet fieri donec ecclesiae multitudo cumuletur: sic enim probantur boni, sic produntur infirmi.

Augustinus. quod autem dictum est et in terris pressura gentium, gentes voluit intelligi, non quae in semine abrahamae benedicentur, sed quae ad sinistram stabunt.

Ambrosius. Ergo varii animorum aestus ita graves erunt ut delictorum multitudine male consciis futuri iudicii metu, sacri nobis ros fontis arescant. Quemadmodum autem domini expectatur adventus, ut eius praesentia in toto fiat vel hominis orbe vel mundi, quae fit in singulis, cum omnibus affectibus receperint Christum; sic virtutes caelorum in adventu domini augmentum gratiae consequentur, et plenitudine divinitatis propius se infundente movebuntur. Sunt etiam virtutes caelorum, quae enarrant gloriam dei, quae pleniore Christi infusione movebuntur, ut videant Christum.

Augustinus. vel virtutes caelorum movebuntur, quia impiis persequentibus, quidam fideles fortissimi turbabuntur. sequitur et tunc videbunt filium hominis.

Theophylactus. Tam fideles quam infideles: radiabit enim amplius sole tam ipse quam crux eius: unde ab omnibus cognoscetur.

Augustinus ad hesychium. quod autem dicit venientem in nube, duobus modis accipi potest: sive in ecclesia sua tamquam in nube venientem, sicut nunc venire non cessat; sed ideo tunc cum potestate magna et maiestate, quia maior maiestas et potestas illius apparebit sanctis, quibus magnam virtutem dabit,

ne tanta persecutione vincantur; sive in corpore suo, in quo sedet ad dexteram patris, merito credendus est non solum in eodem corpore, verum etiam in nube venturus: quoniam sic veniet sicut abiit; nubes autem suscepit eum ab oculis eorum.

Chrysostomus. Semper enim deus in nube apparet, secundum illud: nubes et caligo in circuitu eius: unde et filius hominis in nubibus veniet, ut deus et dominus, non latenter, sed in gloria digna deo; et ideo subdit cum potestate magna et maiestate.

Cyrillus. Intelligendum est similiter magna. primam enim apparitionem prosecutus est cum infirmitate et humilitate nostra; sed secundam celebrabit cum propria potestate et magna maiestate.

Gregorius in evang.. In potestate enim et maiestate visuri sunt quem in humilitate positum audire noluerunt; ut virtutem eius tanto tunc districtius sentiant, quanto cervicem cordis ad eius patientiam non inclinant.

LUCA 21,28-33

11128 (Lc 21,28-33)

Gregorius in evang.. Quia praemissa contra reprobos dicta sunt, mox ad electorum consolationem verba vertuntur; nam subditur his autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra; ac si dicat: cum plagae mundi crebrescunt, levate capita, idest exhilarate corda: quia dum finitur mundus, cuius amici non estis, prope fit redemptio quam quaesistis. in scriptura enim sacra saepe caput pro mente ponitur: quia sicut capite reguntur membra, ita cogitationes mente disponuntur. capita itaque levare, est mentes nostras ad gaudia patriae caelestis erigere.

Eusebius. Vel aliter. Transactis corporalibus aderunt intelligibilia et caelestia, scilicet regnum saeculi non amplius transitori; et tunc dignis salubria promissa tribuentur; unde dicitur his autem fieri incipientibus, respicite et levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. acceptis enim dei promissis quae speramus, erigemur qui ante curvi fueramus, et elevabimus capita nostra, humiliati quondam, eo quod redemptio nostra quam sperabamus, aderit, illa scilicet quam tota creatura expectat.

Theophylactus. idest, perfecta libertas corporis et animae. Sicut enim primus adventus domini fuit ad reformationem animarum nostrarum, sic secundus ad reformationem corporum celebrabitur.

Eusebius. Dicit autem haec ad discipulos suos, non tamquam ad eos qui durare deberent in vita ista usque ad terminum mundi; sed quasi uno corpore existente ipsis, et nobis, et posteris usque ad consummationem mundi credituris in Christum.

Gregorius. Quod autem calcari mundus atque despici debeat, provida comparatione manifestat cum subdit videte ficulneam, et omnes arbores: cum producunt ex se fructum, scitis quoniam prope est aestas: ita et vos, cum videritis haec fieri, scitote quoniam prope est regnum dei: quasi dicat: sicut ex fructu arboris vicina aestas agnoscitur, ita ex ruina mundi prope cognoscitur esse regnum dei. Et ex hoc ostenditur quia fructus mundi ruina est. Ad hoc enim germinat, ut quaecumque germine aluit, cladibus consumat. Bene autem regnum dei aestati comparatur, quia tunc moeroris nostri nebulae transeunt, et vitae dies aeterni solis claritate fulgescunt.

Ambrosius. Matthaeus autem de sola dixit ficulnea, hic de arboribus omnibus. Duplicem autem habet figuram ficulnea; vel cum dura mitescunt, vel cum peccata luxuriant. sive ergo cum fructus in omnibus virescit arboribus et ficulnea fecunda iam floret; idest cum omnis lingua confitetur deo, confitente etiam populo iudaeorum, sperare domini debemus adventum, quo tamquam temporibus aestivis resurrectionis fructus metentur: sive cum levem fragilemque iactantiam, tamquam folia synagogae, homo iniquitatis induerit, conicere debemus appropinquare iudicium: nam remunerare fidem dominus et delinquendi finem afferre festinat.

Augustinus ad hesychium. cum autem dicit cum videritis haec fieri, quae intelligere poterimus nisi ea quae supra memorata sunt? in his autem est quod ait et tunc videbunt filium hominis venientem. Proinde cum hoc visum fuerit, non iam erit regnum dei, sed prope erit. An dicendum est, non omnia quae supra commemorata sunt, esse intelligenda, ubi ait cum videritis haec fieri, sed aliqua eorum, hoc scilicet excepto quod dictum est, et tunc videbunt filium hominis? sed Matthaeus aperuit, nullis exceptis esse accipiendum, dicens: ita et vos cum videritis haec omnia: inter quae est quod videbitur filius hominis veniens, ut

intelligatur de adventu quo nunc venit in membris suis tamquam in nubibus, vel in ecclesia tamquam in nube magna. titus. Vel aliter. Dicit prope est regnum dei, quia dum haec fient, nondum ultimus finis rerum eveniet, sed iam in finem tendent: nam et ipse adventus domini eliminans omnium principatum et potestatem praeparat regno dei.

Eusebius. Sicut enim in hac vita sol hieme recedente, ac succedente vere, radium calidum mittens fovet ac vivificat humi condita semina, exuentia priscam figuram, pullulant autem nova varium virorem habentia; sic et gloriosus unigeniti dei adventus vivificativis radiis illustrans novum saeculum, dudum condita per totum mundum semina, scilicet dormientes in pulvere terrae, potioribus corporibus quam prius producet in lucem, ac confutata morte regnabit deinceps vita saeculi novi.

Gregorius. Omnia autem praedicta sub magna certitudine confirmantur, cum subditur amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec donec omnia fiant.

Beda. Multum commendat quod ita praenuntiat. Et, si dicere fas est, iuratio eius est quod dicit amen dico vobis: amen quippe interpretatur verum. Igitur veritas dicit: verum dico vobis: quod si non diceret, mentiri omnino non posset. generationem autem, aut omne genus humanum dicit, aut specialiter iudaeorum.

Eusebius. Vel generationem dicit novam generationem ecclesiae sanctae suae, ostendens duraturum populum fidelium usque ad id tempus quo visurus sit omnia et eventus verborum salvatoris oculis apprehendet.

Theophylactus. Quia enim turbationes et bella et alterationes tam elementorum quam ceterarum rerum futurum esse praedixerat; ne quis suspicaretur quod et ipsa Christianitas peritura foret, subiungit caelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt; quasi dicat: etsi cuncta commoveantur, fides tamen mea non deficiet: ex quo innuit ecclesiam praeferrere toti creaturae: siquidem creatura patietur alterationem; fidelium vero ecclesia et sermones evangelii permanebunt.

Gregorius. Vel aliter caelum et terra transibunt etc., quasi dicat: omne quod apud nos durable est, sine mutatione durable ad aeternitatem non est; et omne quod apud me transire cernitur, fixum et sine transitu tenetur: quia sine mutabilitate manentes sententias exprimit sermo meus, qui transit.

Beda. Caelum autem quod transibit, non aethereum, sive sidereum, sive aereum, a quo aves caeli nominantur, intelligere debemus. Si autem terra transibit, quomodo ecclesiastes dicit: terra in aeternum stat? sed aperta ratione caelum et terra per eam quam nunc habent, imaginem transeunt, attamen per essentiam sine fine subsistunt.

LUCA 21,34-36

11134 (Lc 21,34-36)

Theophylactus. Posuit supra dominus terribilia et sensibilia malorum indicia quae occupabunt peccatores, sed contra haec mala remedium est cautela et oratio; unde dicitur attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate.

Basilius. singulum animalium a conditore omnium Deo habet intrinsecus causas facientes ad tutelam consistentiae propriae: propter quod et Christus nobis dedit hanc monitionem, ut quae illis a natura, haec nobis auxilio rationis et cautela contingant: fugientibus quidem peccatum, ut irrationabilia fugiunt mortifera pabula, inquirentibus vero iustitiam, sicut illa herbas nutritivas requirunt; et ideo dicit attendite vobis, ut scilicet discernere possitis a salubri nocivum. Sed quoniam dupliciter contingit attendere, hinc quidem corporis oculis, illinc vero per intellectivam virtutem, oculus corporis virtutem non attingit: restat igitur dictum esse de opere intellectus, attendite; hoc est, undique circumspicite vos, pervigil habentes ad vestram custodiam animae lumen. Neque autem dixit attendite vestris, aut eis quae circa vos sunt, sed vobis: vos enim estis intellectus et anima; vestrum autem corpus est sensus; circa vos autem opes, artes et reliqua vitae supellex; quibus non monet attendendum, sed animae, cuius praecipua cura habenda. eadem vero admonitio aegrotantes sanat, et sanos perficit; servatores praesentium, et provisores futurorum; non alienorum censores, sed suorum scrutatores; non dimittentes intellectum servum fieri passionum, sed irrationale animae subicientes rationali. Cur autem sit attendendum, subiungit dicens ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate et curis huius vitae. Titus. Quasi dicat: cavete ne lumina mentis vestrae graventur: cura namque praesentis vitae, et crapula, et ebrietas fugant prudentiam, quassant fidem, operantur naufragia.

Basilius. Est autem ebrietas nimius usus vini; crapula vero anxietas et nausea quae est in ebrietate, a motione capitis graeco vocabulo dicta. Sicut igitur cibis ne esuriamus, sic et potibus ne sitim patiamur, utendum est, vitando diligentius lapsum. Fallax enim est vini ingestio. Anima autem vino libera prudentissima erit et optima; sed humectata vini vaporibus quasi quadam nube velatur. Curiositas autem huius vitae quamvis nihil inhibitorum continere videatur, si tamen ad cultum divinum non coadiuvet, vitanda est; et quare hoc dixerit, ostendit subdens et superveniat in vos repentina dies illa.

Theophylactus. Non enim cum deliberatione veniet dies illa, sed ex improvise et furtim capiens tamquam laqueus non caventes; unde sequitur tamquam laqueus enim superveniet in omnes qui sedent super faciem omnis terrae. Quod diligentius discuti potest. Capiet enim dies illa sedentes in superficie terrae quasi impraemeditatos et inertes. Quotquot vero sunt solertes et agiles ad bonum, non sedentes, et otiantes in terrenis; sed surgentes ab eis, sibi dicentes: surge, vade, quoniam non est hic tibi requies; talibus non est illa dies, ut laqueus, in discrimen, sed ut dies festivus.

Eusebius. Praedicta igitur docuit esse attendenda ad cavendam gravedinem inde proveniente; unde sequitur vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia quae futura sunt.

Theophylactus. Scilicet famem, pestem, et cetera huiusmodi, quae temporaliter electis et aliis imminet, et ea quae postmodum accidunt reis perenniter: illa enim aliter cavere non possumus, nisi per vigiliis et orationes.

Augustinus de cons. Evang.. Haec intelligitur illa fuga quam Matthaeus commemorat, quae non debet fieri in hieme vel sabbato. Ad hiemem pertinent curae huius vitae, quae tristes sunt velut hiems: ad sabbatum vero crapula et ebrietas, quae carnali laetitia luxuriaque cor submergit atque obruit; quod malum sabbati nomine significatur, quia illo die iudaei deliciis affluunt, dum spirituale sabbatum ignorant.

Theophylactus. Et quia Christianum decet non solum fugere mala, sed etiam niti ad gloriam assequendam, subdit et stare ante filium hominis: haec est enim angelica gloria stare ante filium hominis deum nostrum, et faciem eius iugiter cernere.

Beda. Et certe si quis sapiens medicus praeciperet attendere a succo alicuius herbae, ne repentinus interitus superveniat, magno studio medici mandata servarem: nunc autem salvatore admonente ebrietatem, et crapulam, et curas saeculi esse cavendas, his sauciari et consumi non timent: quia fidem quam medici dictis praebent, domini verbis praebere contemnunt.

LUCA 21,37-38

11137 (Lc 21,37-38)

Beda. Quae verbis praeceperat dominus, suis confirmat exemplis: nam qui nos ante iudicis adventum, et incertum singulorum exitum, ad vigilandum hortatus est, et orandum, et ipse, imminente tempore passionis suae, doctrinae, vigiliis et precibus instat; unde dicitur erat autem diebus docens in templo: in quo suo exemplo insinuat hoc esse digne Deo vigilare, vel dicto vel facto proximis viam veritatis ostendere.

Cyrillus. Quae autem erant quae docebat nisi transcendentia cultum legis? instabat enim tempus quo debebat umbra in veritatem transformari.

Theophylactus. Tacuerunt autem evangelistae pleraque documentorum Christi, qui, cum per triennium fere praedicaverit, documenta eius quae conscripserunt, dicit aliquis vix ad unius diei sermonem sufficere. ex pluribus ergo pauca describentes, dederunt nobis quemdam gustum dulcedinis doctrinae ipsius. Ostendit autem nobis dominus quod oporteat noctu et quiete alloqui deum, et in die prodesse hominibus; et colligere quidem in nocte, distribuere vero collecta in die; unde subditur noctibus vero exiens morabatur in monte qui vocatur oliveti; non quasi opus habens oratione, sed ad exemplum dandum hoc egit.

Cyrillus. Quia vero eloquium eius in potestate erat, et potestative transferebat in spiritualem cultum quae per moysen et prophetas tradita fuerant in figuris, populus eum avidius audiebat; unde sequitur et omnis populus manicabat, id est mane venire accelerabat, ad eum in templo, audire eum. Populo autem ante lucanum venienti ad eum, congruum erat dicere: deus, deus meus, ad te de luce vigilo.

Beda. Mystice autem et nos, cum inter prospera sobrie et pie et iuste conversamur, diebus in templo

docemus, quia formam boni operis fidelibus praebemus; noctibus vero in monte oliveti moramur, quia in tenebris angustiarum spiritali consolatione respiramus: et ad nos quoque populus manicat, cum vel discussis operibus tenebrarum vel cunctis nebulis pressurarum nos imitatur.

LUCA 22,1-2

11201 (Lc 22,1-2)

Chrysostomus. Umbra nostrorum fuerunt festa iudaica; et ideo si quaesieris a iudaeo de pascha et azymis, nil magni proferet, commemorans liberationem ab aegypto. Si quis autem a me quaesierit, non audiet aegyptum nec pharaonem, sed absolutionem erroris et tenebrarum diaboli, non per moysen, sed per filium dei.

Glossa. Ad cuius passionem enarrandam accedens evangelista praemittit de figura, dicens appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur pascha.

Beda. pascha quidem, quod hebraice dicitur phase, non a passione, sed a transitu nominatur; eo quod exterminator videns sanguinem in foribus israelitarum pertransierit, nec percusserit primogenita eorum. vel ipse dominus praebens auxilium populo suo desuper ambulavit. Hoc autem inter pascha et azyma distat, quod pascha ipse solus dies appellatur in quo agnus occidebatur ad vesperam, hoc est decima quarta luna primi mensis; decima quinta autem luna, quando egressus est de aegypto, succedebat festivitas azymorum septem diebus usque ad vigesimam primam diem eiusdem mensis; unde evangelii scriptura indifferenter unum pro alio ponere solet; unde hic dicitur dies azymorum, qui dicitur pascha. Significatur autem per mysterium, quod Christus semel pro nobis passus, per totum tempus huius saeculi, quod septem diebus agitur, in azymis sinceritatis et veritatis praecepit esse vivendum.

Chrysostomus. Principes autem sacerdotum nefarias res tractant in festo; unde sequitur et quaerebant principes sacerdotum et scribae quomodo iesum interficerent. moyses quidem unum praecepit esse principem sacerdotum, et illo defuncto creari alium. Tunc vero, cum inciperent iudaici ritus dissolvi, multi erant principes sacerdotum annuatim creati. Hi ergo volentes iesum occidere, non metuunt divina, ne scilicet ex tempore sacro maius incurrant peccati contagium: sed ubique timent humana; unde sequitur timebant vero plebem.

Beda. Non quidem seditionem metuentes, sed caventes ne auxilio populi de suis manibus tolleretur. haec autem ante biduum paschae congregatis eis in atrio caiphae Matthaeus acta attestatur.

LUCA 22,3-6

11203 (Lc 22,3-6)

Theophylactus. Quia dictum est quod principes sacerdotum quaerebant modum quo interficientes iesum, nullum incurrerent periculum, consequenter modus qui eis occurrit, narratur cum dicitur intravit autem satanas in iudam. Titus. In iudam satanas intravit, non impellens, sed patulum inveniens ostium: nam oblitus omnium quae viderat, ad solam avaritiam dirigebat intuitum.

Chrysostomus. Ponit autem eius cognomen, subdens qui cognominabatur iscariotes: erat enim alius iudas. titus. Subdit autem unum de duodecim: nam numerum adimplebat, non autem vereungebatur apostolica dignitate.

Chrysostomus. Vel hoc addit evangelista velut absonum quidem, ac si diceret: erat de primo choro diligentius electorum.

Beda. Non est autem huic contrarium quod ioannes dicit, post bucellam intrasse in eum satanam: quia nunc intravit ut quasi alienum tentaret, tunc autem quasi proprium ad quaecumque vellet agenda attraheret.

Chrysostomus. Attende autem magnam iudae nequitiam, tum quia per se proficiscitur, tum quia pro pretio hoc facit; sequitur enim et abiit, et locutus est cum principibus sacerdotum et magistratibus quemadmodum illum traderet eis. Et gavisii sunt.

Theophylactus. Magistratus hic appellantur praepositi constructionum templi, vel etiam illi quos romani populo praefecerant ne proruerent in tumultus, erant enim seditiosi.

Chrysostomus. propter avaritiam autem iudas factus est talis; sequitur enim et pacti sunt pecuniam illi dare. Tales enim avaritia generat passiones: reddit impios, et deum ignorare compellit; et si millies benefactum sit eis, ad nocendum impellit; unde et hic sequitur et spondit.

Theophylactus. idest, pepigit et promisit. Et quaerebat opportunitatem ut eum traderet sine turbis; idest, quaerebat eum tradere quando videret eum seorsum existentem sine turbis.

Beda. Multi autem iudae scelus exhorrent, nec tamen cavent: qui enim caritatis et veritatis iura spernit, Christum, qui est veritas et caritas, prodit; maxime cum non infirmitate vel ignorantia peccet, sed ad similitudinem iudae quaerat opportunitatem, ut arbitris absentibus veritatem mendacio, virtutem crimine immutet.

LUCA 22,7-13

11207 (Lc 22,7-13)

Titus. Ut nobis dominus caeleste pascha dimitteret, typicum manducavit, figuram removens, ut veritas locum obtineret; unde dicitur venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha.

Beda. dies azymorum paschae quartamdecimam primi mensis appellat, quando, fermento abiecto, pascha, idest agnus, occidi ad vesperam consueverat.

Eusebius. Si quis autem dicat: si prima die azymorum discipuli salvatori parant pascha, ergo et eadem die oportet nos pascha celebrare: dicemus, hoc non fuisse monitionem, sed historiam facti quod accidit tempore salutiferae passionis. Aliud autem est narrare gesta vetera, et aliud sancire, ac posteris statuta relinquere. Quin etiam salvator non egit pascha cum iudaeis, quando agnum immolabant: nam illi quidem hoc egerunt in parasceve, quando passus est dominus; unde non introierunt in atrium pilati, ut manducarent pascha: ex quo enim veritati insidiati sunt, verbum veritatis a se expulerunt, non primo die azymorum, quo die debebat immolari pascha, manducantes solitum sibi pascha (erant enim erga aliud attentii), sed die sequenti post illam, quae erat azymorum secunda. Dominus vero prima die azymorum, hoc est quinta feria sabbati, pascha cum discipulis peregit.

Theophylactus. Eadem autem quinta feria mittit duos ex discipulis suis ad parandum pascha, petrum scilicet et iohannem, alterum scilicet ut diligentem, alterum ut dilectum; unde sequitur et misit petrum et iohannem, dicens: euntes parate nobis pascha, ut manducemus: per omnia manifestans quod usque ad extremum vitae non est adversatus legi. Mittit autem eos ad alienam domum: nam nulla domus erat ei, neque discipulis suis; alioquin apud aliquem eorum pascha celebrasset; et ideo subditur at illi dixerunt: ubi vis paremus? **Beda.** Quasi dicant: non habemus domicilium, non habemus tabernaculum. audiant quibus aedificandarum domorum cura est: cognoscant Christum omnium dominum, locum ubi caput reclinaret non habuisse.

Chrysostomus. Cum autem ignorarent ad quem mitterentur, signum dedit eis, sicut et samuel sauli; unde subditur et dixit ad eos: ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo amphoram aquae portans: sequimini eum in domum in quam intrat.

Ambrosius. Primum maiestatem divinitatis adverte: cum discipulis loquitur, et iam novit quid alibi sit futurum; deinde dignationem eius intueri: quia non persona divitis aut potentis eligitur, sed pauper ambitur, et angustum hospitium pauperis amplis nobilium aedibus antefertur. Sciebat autem dominus nomen eius, cuius sciebat mysterium et occursum; sed ideo sine nomine designatur, ut ignobilis aestimetur.

Theophylactus. Vel ideo mittit eos ad hominem ignotum, ut ostendat quod passionem voluntarie subiit. Qui enim mentem huius ignoti viri subegit ut eos susciperet, poterat quodcumque voluisset cum iudaeis tractare. Dicunt autem quidam quod ideo non dixit nomen hominis, ne proditor cognito nomine domum panderet pharisaeis, qui venientes cepissent eum priusquam coena fieret, et spiritualia mysteria discipulis traderet: sed quibusdam indiciis in quamdam domum dirigit eos; unde sequitur et dicetis patrifamilias domus: dicit tibi magister: ubi est diversorium ubi pascha cum discipulis meis manducem? et ipse vobis ostendet coenaculum magnum stratum; et ibi parate.

Glossa. Quibus signis inventis, discipuli sollicite quae mandata eis fuerant, impleverunt; unde sequitur euntes autem invenerunt sicut praedixit illis iesus, et paraverunt pascha.

Beda. hoc pascha exponens apostolus ait: pascha nostrum immolatus est Christus; quod quidem pascha tunc necesse erat occidi, quasi paterno consilio ac definitione sancitum, qui licet die sequenti, hoc est decimaquinta luna sit crucifixus, hac tamen nocte, qua agnus immolabatur a iudaeis, tentus ac ligatus, immolationis, hoc est passionis suae, sacra vit exordium.

Theophylactus. Intelligamus autem diem quidem azymorum totam conversationem quae est in luce spiritali, nullam redolentem vetustatem primae praevaricationis adae, in qua viventes non decet delectari in Christi mysteriis. haec autem mysteria petrus et ioannes parant, idest actio et contemplatio, fervor zeli et mansuetudo pacifica. His autem paratoribus occurrit homo: quia per praedicta reperimus statum hominis qui creatus est ad imaginem dei: qui portat amphoram aquae, quae significat gratiam spiritus sancti: amphora autem est humilitas cordis: humilibus enim dat gratiam, qui se cognoscunt esse terram et pulverem.

Ambrosius. Vel amphora est mensura perfectior; aqua autem est quae sacramentum Christi esse meruit; quae lavare meruit, non lavari.

Beda. Parant autem pascha ubi aquae infertur amphora; quia tempus adest quo veri paschae cultoribus typicus de limine auferatur cruor; et ad tollenda crimina vivifici fontis baptisma consecratur.

Origenes super matth.. Ego autem puto quod homo qui ingredientibus discipulis in civitatem occurrit amphoram aquae portans, erat quidam minister patrifamilias, portans mundatoriam aut potabilem aquam in vase fictili; quem puto esse moysen, spiritalem doctrinam portantem in corporalibus historiis. Qui autem non consequuntur spiritualiter eum, non celebrant pascha cum iesu. Ascendamus ergo, ipso domino constituto nobiscum, ad superiorem locum in quo est diversorium, quod demonstratur ab intellectu, qui est in unoquoque homine paterfamilias, discipulis Christi. Haec autem domus superior sit nobis magna, ut capiat iesum verbum dei, quod non capitur, nisi a magnis sensu. Et sit domus haec a patrefamilias, idest intellectu, praeparata filio dei, et sit mundata, nullo modo habens malitiae sordes. Sit etiam domus illius princeps non qualibuscumque cognitum habens nomen: unde mystice dicit secundum Matthaeum: ite ad quemdam.

Ambrosius. in superioribus autem magnum habet stratum, ut magnum meritum eius advertas, in quo dominus cum discipulis sublimium virtutum eius delectatione requiesceret.

Origenes super matth.. Scire autem debemus quoniam qui in epulationibus et sollicitudinibus saecularibus sunt, non ascendunt in domum illam superiorem, et propterea non celebrant cum iesu pascha. Post sermones enim discipulorum quibus catechizaverunt patrefamilias, idest intellectum, venit et divinitas coepulans discipulis in domo praedicta.

LUCA 22,14-18

11214 (Lc 22,14-18)

Cyrillus. Postquam discipuli pascha paraverant, agitur de paschae comestione; unde dicitur et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim apostoli cum eo.

Beda. Hora manducandi paschae designat quartamdecimam diem primi mensis perductam ad vesperam, quintadecima luna iam terris apparente.

Theophylactus. Sed qualiter dominus discumbere dicitur, cum iudaei stantes pascha manducarent? dicunt ergo, quod cum manducavissent legale pascha, accubuerunt secundum communem usum, manducantes quosdam alios cibos. sequitur et ait illis: desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.

Cyrillus. Quod ideo dicit, quia discipulus avarus prodicionis tempus explorabat; sed ne traderet eum ante festum paschae, non explicaverat dominus domum, vel virum penes quem pascha perageret; cuius causam per haec verba ostendit.

Theophylactus. Vel dicit desiderio desideravi, quasi dicat: haec ultima mihi coena vobiscum est, propter quod et amabilis est mihi; sicut et qui peregre profecturi sunt, ultima verba suis dulcius proferunt.

Chrysostomus. Vel hoc dicit, quia post illud pascha crux imminebat. invenimus autem pluries eum praedicantem suam passionem, et eam cupientem evenire.

Beda. Desiderat ergo primo typicum pascha cum discipulis manducare, et sic passionis suae mundo mysteria declarare.

Eusebius. Vel aliter. Cum dominus novum pascha celebraret, opportune dixit desiderio desideravi hoc pascha, idest, novum mysterium novi testamenti, quod tradebat discipulis, quod plures ante eum prophetae et iusti cupiverant; sed et ipse sitiens communem salutem, hoc tradebat mysterium quod toti mundo competeret. pascha vero moysi statutum erat in uno loco, scilicet in ierusalem celebrari: unde non congruebat omnibus gentibus; et ideo non erat desideratum. Epiphanius contra haeres.. Ex hoc ebionitarum dementia de carnis esu redargui poterat, domino manducante pascha iudaeorum; unde signanter dixit hoc pascha, ne quis ad aliud invertere posset.

Beda. Sic ergo dominus legalis paschae approbator extitit; et hoc ad suae dispensationis figuram docendo pertinuisse, vetat ultra carnaliter exhiberi; unde subdit dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud donec impleatur in regno dei; idest, nequaquam ultra mosaicum pascha celebrabo, donec in ecclesia spiritaliter intellectum compleatur: ipsa enim est regnum dei, secundum illud: regnum dei intra vos est. Ad vetus autem illud pascha, cui finem desiderabat imponere, pertinet etiam illud quod subditur et accepto calice, gratias egit, et dixit: accipite, et dividite inter vos. Ob hoc gratias egit, quia vetera transitura, et ventura fuerant omnia nova.

Chrysostomus. Memento ergo cum ad mensam sederis, quod post mensam oportet te orare; atque ideo ventrem impleas sobrie, ne gravatus nequeas genuflectere, ac supplicare deo. Non igitur post escas ad lectum, sed ad orationem vertamur: evidenter enim hoc Christus significavit, quod post escas non somnus, non cubile, sed oratio, et sacrarum lectio scripturarum succedere debeat. sequitur dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum dei veniat.

Beda. Potest quidem hoc et simpliciter accipi, quod ab hac hora coenae usque ad tempus resurrectionis, quo in regno dei erat venturus, vinum bibiturus non esset: postea namque cibum potumque sumpsisse eum testatur petrus dicens: qui manducavimus et bibimus cum illo postquam resurrexit a mortuis.

Theophylactus. dicitur autem resurrectio regnum dei, quia mortem exterminavit: unde et david ait: dominus regnavit, decorem indutus est, scilicet formosi amictus, secundum isaiam, exuta corporis corruptela. resurrectione autem adveniente, iterum cum discipulis bibit, ut probaret quod resurrectio non erat phantastica.

Beda. Sed multo consequentius est, ut sicut supra typicum agni esum, sic et potum paschae neget se gustaturum, donec ostensa gloria regni dei fides mundi adveniat; ut per duo maxima legis edicta, escam scilicet et potum paschalem, spiritaliter immutata, disceres omnia legis sacramenta ad spiritalium observantiam fuisse transferenda.

LUCA 22,19-20

11219 (Lc 22,19-20)

Beda. Finitis paschae veteris solemnibus, transit ad novum, quod in suae redemptionis memoriam ecclesiam frequentare desiderat, pro carne agni et sanguine, suae carnis sanguisque sacramentum in panis ac vini figura substituens, sacerdos in aeternum factus secundum ordinem melchisedech; unde dicitur et accepto pane, gratias egit; sicut et de veteribus terminandis gratias egerat, nobis exemplum tribuens in omni boni operis inchoatione et perfectione deum esse glorificandum. sequitur et fregit. Frangit ipse panem quem porrigit, ut ostendat corporis sui fractionem non sine sua sponte futuram. et dedit eis dicens: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.

Gregorius nyssenus. Panis enim ante consecrationem communis panis est; sed ubi consecratur mysterio, fit et dicitur corpus Christi.

Cyrillus. nec dubites an hoc verum sit, eo manifeste dicente hoc est corpus meum; sed potius suscipe verba salvatoris in fide. cum enim sit veritas, non mentitur. Insaniunt igitur dicentes mysticam benedictionem a sanctificatione cessare, si quae reliquiae remanserint eius in diem subsequentem: non enim mutabitur sacrosanctum corpus Christi; sed virtus benedictionis, et vivificativa gratia iugis in eo est. Virtus enim vivificativa dei patris unigenitum verbum est, quod caro factum est, non desinens esse verbum, sed efficiens carnem vivificativam. Si enim in aliquo liquore modicum panis immiseris, reperies hunc imbibitum qualitate illius. Igitur vivificativum dei verbum uniens seipsum propriae carni, fecit eam vivificativam. numquid ergo et quoniam in nobis vita dei est, dei verbo existente in nobis, vivificativum erit nostrum corpus? sed aliud est secundum participationis habitudinem nos habere in nobis dei filium; aliud ipsum fuisse factum carnem, idest corpus sumptum ex alma virgine proprium corpus effecisse. Decebat ergo eum nostris quodammodo uniri corporibus per sacram eius carnem et pretiosum sanguinem, quae accipimus in benedictionem vivificativam in pane et vino. Ne enim horreremus carnem et sanguinem apposita sacris altaribus, condescendens deus nostris fragilitatibus, influit oblati vim vitae convertens ea in veritatem propriae carnis, ut corpus vitae quasi quoddam semen vivificativum inveniatur in nobis; unde subditur hoc facite in meam commemorationem.

Chrysostomus super iohannem. Hoc fecit Christus ducens nos ad maius amicitiae foedus, suamque caritatem declarans erga nos, praestans se non solum videri desiderantibus, sed et palpare, et comedere, et amplecti, et totum affectum explere. Igitur ut leones flammam spirantes, sic ab illa mensa discedimus terribiles facti diabolo.

Basilus. Disce autem quo pacto decet edere corpus Christi, in memoriam scilicet obedientiae Christi usque ad mortem; ut qui vivunt, non amplius in se vivant, sed in eo qui pro eis mortuus est et resurrexit.

Theophylactus. Duos autem calices lucas commemorat; de altero quidem supra dixit: accipite et dividite inter vos; quem dicit aliquis esse typum veteris testamenti: alterum vero post panis fractionem et distributionem ipse partitur discipulis; unde subditur similiter et calicem postquam coenavit.

Beda. Subauditur dedit eis, ut sit plena constructio.

Augustinus de cons. Evang.. Vel quod lucas bis de calice commemoravit, prius antequam panem daret, inde postquam panem dedit: illud quod superius dixit praeoccupavit, ut solet; illud vero quod ordine suo posuit, non commemoraverat superius. Utrumque autem coniunctum eamdem sententiam facit quae illorum est, scilicet Matthaei et Marci.

Theophylactus. nominat autem dominus hunc calicem novi testamenti; unde sequitur dicens: hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur: significans novum testamentum in suo sanguine exordium sumere: nam in veteri testamento sanguis animalium affuit cum data fuit lex; nunc vero sanguis verbi dei significat nobis novum testamentum. cum autem dicit pro vobis, non significat pro solis apostolis corpus Christi datum et sanguinem effusum fuisse; sed causa totius humanae naturae. Et vetus quidem pascha ad removendam servitutem aegypti fiebat, sanguis autem agni ad primogenitorum custodiam: novum vero pascha ad peccatorum remissionem, sanguis autem Christi ad conservationem eorum qui dedicati sunt deo.

Chrysostomus. Hic enim sanguis operatur in nobis imaginem regiam, nobilitatem animae non permittit marcescere, protinus irrigans animam, magnamque inspirans virtutem. Hic sanguis fugat daemones, advocat angelos et dominum angelorum. Hic sanguis effusus lavit orbem, et adibile fecit caelum. Huius participes sanguinis, sunt supernis virtutibus amicti, regio pallio, magis autem ipso rege induti. Et sicut si mundus accesseris, salubriter accessisti; sic si imbutus conscientia prava, damnose accedis in poenam et supplicia. Nam si qui imperatoriam coinquant purpuram, pari poena plectuntur cum eis qui divellunt; absurdum non est si et qui obscoena mente corpus Christi recipiunt, pari poena plectuntur cum his qui illud clavis transfoderunt.

Beda. quia vero panis confirmat, vinum vero sanguinem operatur in carne; hoc ad corpus Christi, illud refertur ad sanguinem. verum, quia et nos in Christo et in nobis Christum manere oportet, vinum dominici calicis aqua miscetur; teste enim iohanne: aquae multae populi sunt.

Theophylactus. Primo autem datur panis, secundario calix: prior enim est in spiritualibus laboriosus actus velut panis, non solum quia in vultus sudore laboratur, sed etiam quia dum comeditur, non est facilis ad glutendum; deinde post labores sequitur exultatio divinae gratiae, quae est calix.

Beda. Ideo autem tunc coenati communicarunt apostoli, quia necesse erat pascha typicum ante

consummari, et sic ad veri paschae sacramenta transiri; nunc autem in honorem tanti sacramenti placuit magistris ecclesiae, prius nos spiritualibus epulis refici, ac deinde terrenis.

Graecus. Totum autem corpus et sanguinem domini suscipit communicans, etiam si mysteriorum partem accipiat. Sicut enim unum sigillum diversis totam suam figuram impartitur, et integrum manet post distributionem, et sicut una vox penetrat ad multorum auditus; sic nulli dubium sit, corpus et sanguinem domini totum in omnibus reperiri. fractio autem panis venerandi passionem significat.

LUCA 22,21-23

11221 (Lc 22,21-23)

Augustinus de cons. Evang.. Cum tradidisset dominus discipulis calicem, rursus de traditore suo locutus est, dicens verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa.

Theophylactus. quod dixit, non solum ut ostendat se scire futura, sed etiam ut ostendat nobis propriam bonitatem, secundum quam non praetermisit quin prosequeretur ea quae spectabant ad deum: dat enim nobis exemplum ut usque ad finem satagamus lucrari peccatores: et ut ostendat proditoris nequitiam, qui et conviva fieri non erubuit.

Chrysostomus. Et particeps existens mysteriorum, conversus non est: fit enim scelus eius utique immanius, tum quia tali proposito imbutus adiit mysteria, tum quia adiens melior factus non fuit nec metu, nec beneficio, nec honore.

Beda. Et tamen non designat specialiter, manifestius correptus impudentior fieret. mittit autem crimen in numero, ut agat conscius poenitentiam. Praedicat autem et poenam, ut quem pudor non vicerat, corrigant denunciata supplicia; unde sequitur et quidem filius hominis, secundum quod definitum est, vadit.

Chrysostomus. sed quia iudas ea quae sunt scripta, prava intentione agebat, ne quis putet eum innoxium tamquam dispensationis ministrum, subdit verumtamen vae homini illi per quem tradetur.

Beda. Sed et vae homini illi qui ad mensam domini indignus accedens in exemplum iudae filium hominis tradit, non quidem iudaeis, sed peccatoribus membris suis. Et quamvis scirent undecim apostoli quod nihil contra dominum cogitarent; quia tamen plus credunt magistro quam sibi timentes fragilitatem suam, quaerunt de peccato, cuius conscientiam non habebant; sequitur enim et ipsi coeperunt quaerere inter se quis esset ex eis qui hoc facturum esset.

Basiliius. sicut enim in corporalibus passionibus sunt multae quas non sentiunt patientes, porro magis adhibent fidem coniecturae medicorum quam propriam insensibilitatem attendant; sic et in animae passionibus si quis in se peccatum non sentiat, credere tamen debet his qui plus possunt cognoscere sua peccata.

LUCA 22,24-27

11224 (Lc 22,24-27)

Theophylactus. Cum inter se quaerent quis esset dominum traditurus, consequens erat ad invicem sibi dicere: tu proditorus es; et ex hoc coacti sunt dicere: ego potior, ego maior, et similia; unde dicitur: facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior.

Graecus. Vel haec contentio videtur habuisse motivum, quod cum dominus ab hominibus transmigraret, oportebat aliquem eorum fieri aliorum principem, quasi domini vicem gerentem.

Beda. Sicut autem boni in scripturis exempla patrum, quibus proficiant et humilientur, requirunt; sic reprobi, si quid forte in electis reprehensibile repererint, quasi suas ex eo nequitas oblecturi, libenter solent amplecti. ideo multi ardentius legunt quod facta est contentio inter discipulos Christi.

Ambrosius. Si enim contendebant apostoli, non excusationi obtenditur, sed cautioni proponitur. Caveamus ergo ne in perditionem aliqua inter nos de praelatione possit esse contentio.

Beda. Potius autem videamus, non quid carnales adhuc discipuli gesserint, sed quid iusserit spiritalis magister; sequitur enim dixit autem eis: reges gentium dominantur eorum.

Chrysostomus. gentilium meminit, ut ex hoc rem vituperandam ostendat: gentilium enim est ambire primatum.

Cyrillus. Sed et blandi sermones eis offeruntur a subditis; unde sequitur et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Sed illi quidem quasi extorres a sacris legibus, huiusmodi subiacent morbis; vestrum autem culmen est in humilitate; unde sequitur vos autem non sic; sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor.

Basiliius. Non ergo extollat praesidentem dignitas, ne ab humilitatis beatitudine corruat. Illud autem noverit quod humilitas vera ministerium plurium est. Sicut enim qui pluribus ministrat vulneratis, et abstergit cuiuslibet vulneris saniem, non sumit ministerium in causam elationis; sic multo magis cui commissae sunt curae fratrorum languorum, ut omnium minister redditurus pro omnibus rationem, cogitare debet, et esse sollicitus; et sic qui maior est, fiat sicut minor. Decet autem et corporale obsequium ab his qui praesident offerri, exemplo domini lavantis pedes discipulorum; unde sequitur et qui praecessor est, sicut ministrator. non est autem timendum ne in subdito solvatur humilitatis propositum dum ei a maiori servitur, sed imitatione panditur humilitas.

Ambrosius. Contuendum est autem, quia non omnis honorificentiae studio humilitas definitur: potes enim deferre alicui propter saeculi gratiam, potentiae metum, utilitatisque contuitum: tua aedificatio quaeritur, non alterius honor; et ideo una datur omnibus forma sententiae, ut non de praelatione iactantia sit, sed de humilitate contentio.

Beda. In hac tamen forma a domino tradita maiores non minima discretione opus habent; ne scilicet, ad instar regum gentium, dominari subiectis, seque ab eis gaudeant laudibus attolli: et tamen contra delinquentium vitia per zelum iustitiae sint erecti. Ad verba autem exhortationis, suimet adiungit exemplum; unde sequitur nam quis maior est: qui recumbit, an qui ministrat? nonne qui recumbit? ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.

Chrysostomus. quasi dicat: non putes discipulum tui egere, te vero non illius: ego enim, qui nullo egeo, quo universa egent caelestia et terrestria, ad ministerialem gradum condescendi.

Theophylactus. Ostendit autem se ministrantem eis, cum panem et calicem distribuit, cuius ministerii mentionem facit, rememorans eos quod si de eodem pane comederunt et de eodem calice biberunt, si ipse Christus omnibus ministravit, unum debent omnes sentire.

Beda. vel loquitur de ministerio quo secundum iohannem eorum pedes lavit dominus et magister: quamvis etiam verbo ministrandi possint omnia quae in carne gessit intelligi; sed et suum sanguinem se pro nobis effundere ministrando significat.

LUCA 22,28-30

11228 (Lc 22,28-30)

Theophylactus. Sicut dominus proditori praenuntiaverat vae, sic discipulis remanentibus e contrario bona praenuntiat, dicens vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.

Beda. Non enim inchoatio patientis, sed perseverantia, caelestis regni gloria donatur: quia perseverantiam, quae constantia, seu fortitudo mentis vocatur, dicimus esse cunctarum columnam virtutum. Filius ergo dei secum permanentes in tentationibus aeternum ducit ad regnum. Si enim complantati facti sumus similitudinis mortis eius, simul et resurrectionis erimus; unde sequitur et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi pater meus regnum.

Ambrosius. regnum dei non est de hoc mundo. Non autem aequalitas ad dominum, sed similitudinis aemulatio est: solus enim Christus plena imago dei est, propter expressam in se paternae claritudinis unitatem; iustus autem homo ad imaginem dei est, si propter imitandam divinae conversationis similitudinem, mundum hunc dei cognitione contemnat: unde et corpus Christi edimus, ut vitae aeternae possimus esse participes; propter quod sequitur ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo. Non enim victus et potus vobis praemii loco spondetur; sed communicatio gratiae caelestis et vitae.

Beda. Vel mensa proposita omnibus sanctis ad fruendum, caelestis est gloria vitae; qua, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, saturabuntur, fruendo desiderato gaudio veri boni.

Theophylactus. non autem hoc dixit quasi futuris illis corporalibus escis, et quasi regno suo sensibili futuro: erit enim illic angelica conversatio, sicut sadducaeis praedixit. sed et paulus dicit non esse regnum dei escam et potum.

Cyrillus. Sed ex his quae sunt apud nos, spiritualia designat: nam praerogativa quadam funguntur apud reges terrenos qui eis quasi convivae consistunt. ex humano ergo iudicio ostendit qui apud eum in primis honoribus statuentur.

Beda. haec est enim immutatio dexterae excelsi, ut qui nunc humiles gaudent ministrare conservis, tunc super domini mensam sublimes, vitae perpetuae dapibus alantur; et qui hic in tentationibus iniuste iudicati, cum domino permanent, illic cum eo super tentatores suos iusti iudices veniant; unde sequitur et sedeatis super thronos duodecim, iudicantes duodecim tribus israel.

Theophylactus. hoc est, condemnantes ex duodecim tribus infideles.

Ambrosius. Non autem duodecim throni tamquam aliqua corporalis sunt receptacula sessionis; sed quia secundum divinam similitudinem iudicat Christus cognitione cordium, non interrogatione factorum, virtutem remunerans, impietatem condemnans; ita apostoli in iudicium spiritale formantur remuneratione fidei, execratione perfidiae, virtute errorem redarguentes, sacrilegos odio persequentes.

Chrysostomus. Numquid autem illic sedebit et iudas? sed considera, quod lex est data a Deo per ieremiam: si quid boni promiseris, si censearis indignus, mulctabo te. Et ideo loquens cum discipulis, non simpliciter promisit, sed addidit qui permansistis mecum in tentationibus.

Beda. Ab eius ergo sublimitate promissi iudas excipitur: nam et antequam haec dominus diceret, exisse credendus est: excipiuntur et illi quicumque, auditis incomprehensibilis sacramenti verbis, abierunt retro.

LUCA 22,31-34

11231 (Lc 22,31-34)

Beda. Ne gloriarentur undecim apostoli, et suis viribus tribuerent quod soli pene inter tot millia iudaeorum dicerentur in tentationibus permansisse cum domino, ostendit, eos si non iuvantis se domini essent opitulatione protecti, eadem procella cum ceteris potuisse conteri; unde sequitur ait autem dominus simoni: simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; idest, expetivit vos tentare, et, velut qui triticum purgat, ventilando concutere: in quo docet nullius fidem a diabolo, nisi Deo permittente tentari.

Theophylactus. Hoc autem petro dixit, eo quod fortior aliis erat, et superbire poterat in his quae promissa erant a Christo.

Cyrillus. Vel ut ostendat quod homines nihil existentes, quantum pertinet ad humanam naturam et lubricum mentis nostrae, non decet ut praeesse ceteris velint; et ideo omissis ceteris, venit ad petrum ceteris praelatum; unde sequitur ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.

Chrysostomus. Non autem dixit ego permisi, sed oravi: humiliter enim loquitur tendens ad passionem, ut humilitatem demonstret; nam qui non deprecatione, sed imperio dixerat: super hanc petram aedificabo ecclesiam meam; et: tibi dabo claves regni caelorum; quomodo opus habebat oratione, ut concitatam unius hominis animam coerceret? non autem dixit: rogavi, ut non neges, sed ne deseras fidem.

Theophylactus. Nam et si paululum agitandus sis, habes tamen reconditum semen fidei: quamvis deiecerit folia spiritus tentatoris, viget tamen radix. Petit ergo satanas te laedere tamquam invidens tibi de mea dilectione; sed quamvis egomet pro te sim deprecatus, tu tamen delinques; unde sequitur et tu aliquando conversus confirma fratres tuos; quasi dicat: postquam me negato ploraveris, ac poenitueris, corrobora ceteros; cum te principem apostolorum deputaverim: hoc enim decet te qui mecum robur es et petra ecclesiae. Hoc autem intelligendum est non solum de apostolis qui tunc erant, ut roborarentur a petro; sed et de omnibus qui usque ad finem mundi futuri sunt fidelibus: ne scilicet aliquis credentium diffidat,

videns eum qui, cum esset apostolus, denegavit, ac iterum per poenitentiam obtinuit praerogativam, ut esset antistes mundi. Admirare igitur exuberantiam divinae patientiae: ne diffidere discipulum faceret, nondum patrato crimine largitus est veniam, ac iterum ipsum in apostolico gradu restituit, dicens confirma fratres tuos.

Beda. Quasi dicat: sicut ego tuam fidem ne deficiat orando protexi, ita tu infirmiores fratres, ne de venia desperent, confortare memento.

Ambrosius. Cave ergo iactantiam, cave saeculum. Ille iubetur confirmare fratres suos qui dixit: omnia reliquimus, et secuti sumus te.

Beda. Quia vero se dominus dixerat pro fide petri rogasse, conscius ille praesentis affectus, fideique ferventis, sed futuri casus nescius, non credit se ullatenus ab eo posse deficere; unde sequitur qui dixit ei: domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.

Theophylactus. prae nimia quidem dilectione flammescit et impossibilia sibi pollicetur. Decebat autem, audito semel a veritate quod tentandus esset, non amplius contendere. sed dominus videns eum praesumptuose loquentem, promit tentationis speciem, scilicet quod negaturus esset; unde sequitur et ille dixit: dico tibi, petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me.

Ambrosius. Petrus quidem, etsi spiritu promptus, corporis tamen adhuc infirmus affectu, denuntiatur dominum negaturus: neque enim poterat divinae constantiam intentionis aequare. Passio domini aemulos habet, pares non habet.

Theophylactus. hinc autem magnam doctrinam haurimus: quod non sufficit humanum propositum absque divino subsidio. Petrus enim, quamvis fervens esset, derelictus tamen a deo, supplantatus fuit ab hoste.

Beda. Sciendum autem, quod Deo permittente, timorati lapsum patiuntur quandoque ad fastus praecedentis remedium. Sed quamvis idem videatur esse delictum timorati et aliorum, refert non modicum: nam timoratus ex quibusdam insidiis et pene prout noluit, peccavit; alii vero nullam gerendo curam neque sui, neque dei, peccant, non distinguentes inter peccare et agere virtuose. unde reor et iussionis modum in eis debere fore diversum: nam timoratus quodam iuvamine indigens, circa eamdem rem erga quam peccavit, iussa debet perferre; alii vero cum totum bonum animae destruxerint, affligi et moneri, et praeceptis subici debent, quousque ratum sit illis deum iustum iudicem esse, et contremiscant.

Augustinus de cons. Evang.. hoc autem quod hic dicitur de petri negatione praedicta, omnes quidem evangelistae commemorant; sed non omnes ex una eademque occasione sermonis ad eam commemorandam veniunt: nam Matthaeus et marcus eam subnectunt postea quam dominus egressus est ex illa domo ubi manducaverant pascha; lucas vero et iohannes antequam inde esset egressus. Sed facile possemus intelligere aut illos duos ea recapitulando posuisse, aut istos praeoccupando; nisi magis moveret quod tam diversa non tantum verba, sed etiam sententias domini praemittunt, quibus permotus petrus illam praesumptionem praeferret, vel pro domino vel cum domino moriendi, ut magis cogant intelligi, ter eum expressisse praesumptionem suam diversis locis sermonis Christi, et ter illi a domino responsum, quod eum ante galli cantum ter esset negaturus.

LUCA 22,34-38

11234 (Lc 22,34-38)

Cyrillus. Praedixerat autem dominus petro quod eum esset negaturus, tempore scilicet suae captionis; sed quia semel facta est mentio de captione eius, consequenter nuntiat supervenientem contra iudeos conflictum; unde dicitur et dixit eis: quando misi vos sine sacco, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? miserat enim salvator sanctos apostolos praedicare civitatibus et oppidis regnum caelorum, praecipiens ut euntes nullius corporalium curam gererent, sed in eo totam spem vivendi reponerent.

Chrysostomus. sicut autem qui docent natate, circa principium quidem manus suas supponentes, attentius sustentant suos discipulos, postea vero plerumque manum abstrahentes iubent ut sibi opitulentur, quinimmo et paululum emergi permittunt; ita et Christus fecit discipulis. In exordiis quidem praesto in cunctis eis aderat, parans eis uberrime affluentiam omnium; unde sequitur at illi dixerunt: nihil. At ubi oportebat et proprias vires ostendere, subtraxit eis aliquantulum gratiam, iubens eis ex se nonnulla peragere; unde sequitur dixit ergo eis: sed nunc qui habet sacculum, quo scilicet portatur pecunia, tollat similiter et peram,

qua scilicet portantur cibaria. et quidem quando nec calceamenta, nec zonam habebant, nec baculum, nec aes, nullius passi sunt penuriam; ut autem marsupium concessit eis, et peram, esurire videntur, et sitire, et nuditatem pati; ac si eis diceret: hactenus cuncta vobis uberrime affluebant; nunc autem volo vos et inopiam experiri: ideoque non addico necessitati pristinae legis, sed mando et loculum habere et peram. Poterat autem et deus usque in finem eos in tanta constituere copia; sed noluit ob multas causas: primo quidem ut nihil sibi tribuerent, sed recognoscerent totum emanasse divinitus; secundo ut moderari sibi sciant; tertio ne maiora de se opinentur. Horum igitur causa permittens eos incurrere multa inopinatum, relaxavit prioris legis rigorem, ne gravis et intolerabilis fieret eis vita.

Beda. non enim eadem vivendi regula persecutionis qua pacis tempore discipulos informat. Missis quidem discipulis ad praedicandum, ne quid tollerent in via, praecepit, ordinans scilicet ut qui evangelium nuntiat, de evangelio vivat. Instante vero mortis articulo, et tota illa gente pastorem simul et gregem persequente, congruum tempori regulam decernit, permittens ut tollant victui necessaria, donec, sopita insania persecutorum, tempus evangelizandi redeat: ubi nobis quoque dat exemplum, iusta nonnunquam causa instante, quaedam de nostri propositi rigore posse sine culpa intermitti.

Augustinus contra faustum. nulla ergo inconstantia praecipientis, sed ratione dispensantis, pro temporum diversitate praecepta, vel consilia, vel permissa mutantur.

Ambrosius. Qui autem ferire prohibet, cur emere gladium iubet, nisi forte ut sit parata defensio, non ultio necessaria, et videatur potuisse vindicari, sed noluisse? unde sequitur et qui non habet, scilicet sacculum, vendat tunicam suam, et emat gladium.

Chrysostomus. quid est hoc? qui dixerat: si quis te percusserit in dextera gena, vertas ei et aliam; nunc armat discipulos, et solo gladio: nam si penitus armare decebat, non solum oportebat gladium possidere, sed et scuta et galeas. Sed et si mille huiusmodi possiderent arma, pro tot insultibus et insidiis populorum, tyrannorum, urbium, nationum, qualiter undecim comparerent, et ex solo aspectu agminum non contremiscerent, nutriti in stagnis et fluviis? non ergo putemus eum iussisse ut gladios possiderent; sed per gladios innuit imminentes insidias iudaeorum; unde sequitur dico enim vobis, quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me: et cum iniquis deputatus est.

Theophylactus. Cum enim ipsi inter se supra de praerogativis contenderint: non est, inquit, tempus praerogativarum, immo periculorum et caedium: nam ego magister vester ducor ad mortem non honorabilem, cum impiis deputandus; etenim ea quae sunt de me, scilicet praedicta, finem habent, idest impletionem. volens ergo violentum insultum innuere, meminit gladii: nec prorsus revelavit, ne tangerentur aedia; nec prorsus obtinuit, ne repentinis aggressibus fluctuarent; sed postea recolentes mirarentur quomodo se ipsum pretium exhibuit passioni pro salute humana.

Basilus. Vel dominus non iubet portare marsupium et peram et emere gladium; sed praedicit futurum, quod scilicet apostoli obliti temporis passionis, donorum et legis domini, auderent sumere gladios: saepius enim scriptura utitur imperativa sermonis specie loco prophetiae. in pluribus tamen libris non invenitur accipiat, tollat, vel emat; sed tollet et emet.

Theophylactus. Vel per hoc praenuntiat eis quod incurrerent famem et sitim, quod innuit per peram; et adversitates nonnullas, quod innuit per gladium. vel aliter. Quod dominus dicit qui habet sacculum, tollat similiter et peram, videtur sermo ad discipulos fieri; sed revera respicit quamlibet iudaei personam; quasi dicat: si quis iudaeorum abundat facultatibus, congestis omnibus fugiat; si autem quis ultima oppressus penuria colit regionem, hic etiam amictum vendat et gladium emat: invadet enim eos intolerabilis impetus pugnae, ut nihil ad resistendum sufficiat. Deinde pandit horum malorum causam: quia scilicet passus est poenam profanis debitam, cum latronibus crucifixus. Et cum ad hoc perventum fuerit, sumet finem verbum dispensationis; persecutoribus autem accident quae a prophetis sunt praedicta. Haec igitur dominus praedixit de futuris regioni iudaeorum; sed discipuli non intelligebant profunditatem dictorum, putantes ob futurum proditoris insultum gladii opus esse; unde sequitur at illi dixerunt: domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: satis est.

Chrysostomus. Et quidem si humano eos volebat uti auxilio, nec centum sufficerent gladii; quod si nolebat eos uti humano subsidio, etiam duo supervacui sunt.

Theophylactus. noluit ergo dominus eos reprehendere quasi non intelligentes; sed dicens satis est, eos dimisit. quidam autem dicunt, dominum ironice dixisse satis est; quasi dicat: ex quo duo sunt gladii, sufficient nobis ad tantam multitudinem quanta nos debet invadere.

Beda. Vel duo gladii sufficiunt ad testimonium sponte passi salvatoris: unus qui et apostolis audaciam pro

domino certandi et domino virtutem medicandi doceret inesse; alter qui nequaquam vagina exemptus, ostenderet eos nec totum quod potuere pro eius facere defensione permissos.

Ambrosius. Vel quia lex referre non vetat, fortasse petro duos gladios offerenti satis esse dicit, quasi licuerit usque ad evangelium; ut sit in lege aequitatis eruditio, in evangelio bonitatis perfectio. est etiam gladius spiritualis ut vendas patrimonium, et emas verbum quo mentis penetrabilia vestiuntur. Est etiam gladius passionis ut exuas corpus, et immolatae carnis exuviis ematur tibi sacra corona martyrii. Movet adhuc quod duos gladios discipuli protulerunt: ne forte unum novi, unum veteris testamenti sit, quibus adversus diaboli armamur insidias. Deinde dicit dominus satis est, quasi nil desit ei quem utriusque testamenti doctrina munierit.

LUCA 22,39-42

11239 (Lc 22,39-42)

Beda. Tradendus a discipulo dominus consueti secessus locum, quo facillime reperiri possit, adit; unde sequitur et egressus ibat secundum consuetudinem in montem oliveti.

Cyrillus. De die namque conversabatur hierosolymis, obscura vero nocte succedente in montem olivarum cum suis conversabatur discipulis; unde subditur secuti sunt autem illum et discipuli.

Beda. Pulchre autem sui corporis mysteriis imbutos in montem olivarum discipulos educit, ut omnes in morte sua baptizatos sancti spiritus charismate confirmandos esse designet.

Theophylactus. Post coenam autem nequaquam inertia, et iocus, et somnus occupant dominum; sed oratio et doctrina; unde sequitur et cum pervenisset ad locum, dixit illis: orate ne intretis in tentationem.

Beda. Impossibile quidem est humanam animam non tentari; unde non ait: orate ne tentemini; sed orate ne intretis in tentationem; hoc est ne tentatio vos superet ultima.

Cyrillus. sed ne solis verbis eis prodesset, procedens paululum orabat; unde sequitur et ipse avulsus est ab eis quantum iactus est lapidis. Ubique invenies eum semotum orantem, ut discas quod animo attento et corde quieto colloquendum est cum Deo sublimi. Non autem quasi egens alieni suffragii precibus insistebat qui est omnipotentissima virtus patris; sed ut discamus non esse in tentationibus dormitandum, sed magis orationibus insistendum.

Beda. Solus etiam orat pro omnibus qui solus erat passurus pro omnibus, significans tantum orationem suam quantum et passionem a nostra distare.

Augustinus de quaest. Evang.. Avulsus est autem ab eis quantum iactus est lapidis, tamquam typice admonerit ut in eum dirigerent lapidem: idest, usque ad ipsum perducerent intentionem legis, quae scripta erat in lapide.

Gregorius nyssenus. Quid autem sibi vult flexus genuum, de quo dicitur et positus genibus orabat? humanus quidem usus est pronos terrae supplicare maioribus, facto ostendentes fortiores esse qui rogantur. Palam est autem humanam naturam nihil habere Deo condignum: et ideo honorifica signa quae invicem exhibemus, fatentes nos humiliores esse respectu excellentiae proximi, transumpsimus ad obsequia incomparabilis naturae: unde ille qui nostros languores portavit, ac pro nobis intercessit, per hominem quem sumpsit genuflectit orando, sanciens non esse superbiendum orationis tempore, sed per omnia humilitati conformandum: quia deus superbis resistit, dat autem humilibus gratiam.

Chrysostomus. Quaelibet autem ars verbis et operibus ostenditur ab eo qui docet. Quia ergo dominus venerat docturus nos quamlibet virtutem, ob hoc eadem dicit et facit: unde, quia iusserat verbis orare ne intrarent in tentationem, hoc etiam opere docet; sequitur enim dicens: pater, si vis, transfer calicem istum a me. Non dicit si vis, quasi ignorans an patri placeret: neque enim magis ardua cognitio est cognitione paternae substantiae, quam ipse solus perspicaciter novit, secundum illud: sicut novit me pater, et ego novi patrem; neque hoc dicit quasi respuens passionem: qui enim comminatus est discipulo volenti eius passionem impedire, ut satanam eum vocaret post multa praeconia, qualiter crucifigi nolebat? cur igitur ita dictum est, consideres. Quantum erat audire quod deus ineffabilis, qui quemlibet intellectum transcendit, voluit uterum subire virgineum, lac sugere, et humana quaeque pati. Quoniam ergo fere incredibile erat quod erat futurum, primo quidem misit prophetas hoc nuntiantes, postea ipse indutus carne veniens, ut non

phantasma putaretur, permittit carnem ferre naturales defectus, esurire, sitire et dormire, laborare, affici et anxari; ob hoc et recusat mortem, veram humanitatem demonstrans.

Ambrosius. Dicit ergo si vis, transfer a me calicem istum; quasi homo mortem recusans, quasi deus sententiam suam servans.

Beda. Vel transferri a se calicem postulat, non quidem timore patiendi, sed misericordia prioris populi, ne ab illo bibat calicem propinatum; unde et signanter non dicit transfer a me calicem, sed calicem istum, hoc est populi iudaeorum, qui excusationem ignorantiae habere non potest, qui me quotidie vaticinatur. dionysius alexandrinus. Vel quod dicit transfer calicem istum a me, non est hoc: non adveniat mihi; nisi enim advenerit, transferri non potest. Igitur ut sensit iam praesentem, coepit affici et tristari, et quasi iam propinquante eo dicit transfer calicem hunc. Sicut enim quod praeterit, nec intactum est, nec permanens; sic et salvator leviter invadentem tentationem flagitat pelli; et hoc est non intrare in tentationem, quod consulit esse orandum. Perfectissimus autem modus tentationes evitandi manifestatur cum dicitur verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Deus enim inexpertus est malorum. vult autem nobis bona largiri supra id quod petimus vel intelligimus. Ergo perfectam voluntatem patris, quam ipse noverat, petit sortiri effectum, quae eadem est et sua secundum deitatem. Renuit autem impleri humanam voluntatem, quam dicit suam, paterna voluntate minorem.

Athanasius. Geminum enim hic velle ostendit: alterum quidem humanum, quod est carnis; alterum vero divinum: humanitas enim ob carnis fragilitatem recusat passionem: sed divinus eius affectus affectanter eam subiit, eo quod non esset possibile eum detineri a morte.

Gregorius nyssenus. Apollinaris autem asserit quod Christus non habuit secundum terrenam naturam propriam voluntatem; sed solum in Christo est voluntas dei, qui de caelo descendit. Dicat ergo: quam voluntatem vult dominus nequaquam evenire? neque enim deitas aufert propriam voluntatem.

Beda. Appropinquans etiam passioni salvator, infirmantium in se vocem sumpsit, ut cum hoc imminet quod fieri nolumus, sic per infirmitatem petamus ut non fiat, quatenus per fortitudinem parati simus ut voluntas conditoris nostri, etiam contra nostram voluntatem, fiat.

LUCA 22,43-46

11243 (Lc 22,43-46)

Beda. Alibi legimus quia angeli accesserunt et ministrabant ei. In documento ergo utriusque naturae, angeli et ei ministrasse, et eum confortasse dicuntur. creator enim creaturae suae non eguit praesidio; sed homo factus, sicut propter nos tristis est, ita propter nos confortatur.

Theophylactus. Quidam autem dicunt quoniam apparuit ei angelus glorificans eum, et dicens: domine, tua est virtus: tu namque potes contra mortem et infernum genus humanum liberare.

Chrysostomus. Et quia non phantastice, sed vere nostram carnem suscepit; ut approbet dispensationis veritatem, et oppilet haereticorum ora, quaeque humana sustinet; sequitur enim et factus in agonia prolixius orabat.

Ambrosius. Horrent plerique hoc loco, qui tristitiam salvatoris ad argumentum inolitae potius a principio quam susceptae ad tempus infirmitatis inclinant. ego autem non solum excusandum non puto, sed nusquam magis pietatem eius maiestatemque demiror: minus enim contulerat mihi, nisi meum suscepisset affectum: suscepit enim tristitiam meam ut mihi suam laetitiam largiretur. confidenter tristitiam nomino, quia crucem praedico. Debuit ergo dolorem suscipere, ut vinceret. Neque enim habent fortitudinis laudem qui stuporem magis vulnerum tulerint quam dolorem. Nos ergo voluit erudire, quemadmodum mortem, et quod est amplius, futurae mortis moestitiam vinceremus. Doles ergo, domine, non mea, sed tua vulnera. Infirmatus est enim propter delicta nostra: et fortasse tristis est ideo quia post adae lapsum, tali transitu nobis erat ex hoc saeculo recedendum ut mori esset necesse. Nec illud distat a vero; sed tristis erat pro persecutoribus suis quos sciebat immanis sacrilegii poenas duros.

Gregorius moralium. appropinquante etiam morte, nostrae mentis in se certamen expressit, qui vim quamdam terroris ac formidinis patimur, cum per solutionem carnis aeterno iudicio propinquamus; nec immerito, quoniam anima post pusillum hoc invenit quod in aeternum mutare non possit.

Theophylactus. Quod autem humanae naturae foret praemissa oratio, non autem divinae, ut dicunt ariani, patet etiam ex eo quod subdit; sequitur enim et factus est sudor eius sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.

Beda. Nemo sudorem hunc infirmitati deputet, quia contra naturam est sudare sanguinem; sed potius intelligat, per hoc nobis declaratum quod effectum iam suae precis obtineret, ut scilicet fidem discipulorum, quam terrena adhuc fragilitas arguebat, suo sanguine purgaret. prosper in libro sententiarum augustini. orans etiam cum sudore sanguineo dominus significabat de corpore suo toto, quod est ecclesia, manatura martyria.

Theophylactus. Vel hoc proverbialiter dicitur de eo qui vehementer sudavit, quod sudavit sanguinem. Volens igitur evangelista innuere, quod grossis sudorum guttis madebat, sumit guttas sanguinis ad exemplum. Post hoc autem inveniens discipulos dormientes prae tristitia, improperat eis, simul admonens ut orarent; sequitur enim et cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes prae tristitia.

Chrysostomus. erat enim intempestum noctis, et discipulorum oculi prae angustia premebantur, et erat somnus non torporis, sed moeroris.

Augustinus de cons. Evang.. non autem expressit hic lucas quod oratione dominus ad discipulos venerit; nihil tamen hoc Matthaео et Marco repugnant.

Beda. Demonstrat autem dominus consequenter quia pro discipulis oraverit, quos monet orationum suarum vigilando et orando existere participes; sequitur enim et ait illis: quid dormitis? surgite et orate, ne intretis in tentationem.

Theophylactus. Hoc est, ne a tentatione superentur: hoc enim est non induci in tentationem, non demergi ab ea. vel simpliciter nos iubet orare, ut tranquilla sit nostra vita, nec immergamur in aliquod molestorum. Diabolicum enim est et superbum, quemquam se in tentationem praecipitare; unde et iacobus non dixit: inicite vos in tentationes, sed: cum incideritis, omne gaudium aestimate, de invito voluntarium facientes.

LUCA 22,47-53

11247 (Lc 22,47-53)

Cyrillus. dicit autem qui vocabatur iudas, quasi nomen eius habens exosum; addit autem unus de duodecim, ad significantiam nequitiae proditoris: nam qui honoratus fuerat aequae apostolis, factus est occisionis causa in Christum.

Chrysostomus. Sicut enim insanabilia vulnera nec austeris medicamentis obediunt nec demulcentibus, sic anima, ubi semel est captivata, et seipsam dedit cuicumque peccato, nullum emolumentum ex admonitionibus consequetur; quod et iudae accidit a prodicione non cessanti, quamvis omni modo doctrinae esset a Christo cohibitus; unde sequitur et appropinquavit iesu, ut oscularetur eum.

Cyrillus. Immemor enim gloriae Christi, putavit forsitan posse latenter agere, ausus praecipuum dilectionis signum organum efficere doli.

Chrysostomus. non autem discedendum est a fratrum admonitione, quamquam nihil propter nostra verba eveniat: nam et rivuli, etsi nullus hauriat, fluunt; et si forsitan non persuaseris hodie, poteris forsitan cras. Piscator enim per totam diem vacua trahens retia, circa sero piscem capit; unde dominus, etsi sciret iudam non convertendum, non destitit facere quae sua intererat; sequitur enim iesus autem dixit illi: iuda, osculo filium hominis tradis?

Ambrosius. Per interrogationem pronuntiandum puto, quasi amantis affectu corripiat proditorem.

Chrysostomus. Proprium autem nomen ponit, quod magis dolentis erat et revocantis, quam provocati ad iram.

Ambrosius. Dicit autem osculo tradis? hoc est, amoris pignore vulnus infligis, et pacis instrumento mortem irrogas? servus dominum, discipulus prodit magistrum, electus auctorem.

Chrysostomus. non autem dicit: tradis magistrum tuum, dominum tuum, benefactorem tuum, sed filium hominis; hoc est, mansuetum et mitem; qui si non esset magister et dominus, quia tamen tam suaviter erga te gessit, non esset a te prodendus.

Ambrosius. magna, o domine, significatio potestatis, magna disciplina virtutis. Et consilium prodicionis aperitur, et adhuc patientia non negatur. Ostendit quem proderet, dum occulta manifestat; ostendit quem traderet, dum dicit filium hominis, quia caro, non divinitas comprehenditur. illud tamen plus confutat ingratum quod eum tradiderit qui, cum esset dei filius, propter nos filius hominis esse voluisset; quasi dicat: propter te suscepi, ingratus, quod tradis, hypocrita.

Augustinus de cons. Evang.. Hoc ergo dominus, cum traderetur, primo dixit quod ait lucas: iuda, osculo filium hominis tradis? deinde quod Matthaeus: amice, ad quid venisti? deinde id quod iohannes commemorat: quem quaeritis? **Ambrosius.** Osculatus est autem eum dominus, non quo simulare nos doceat, sed ut neque proditorem refugere videretur, et plus afficeret proditorem, cui amoris officia non negaret.

Theophylactus. Zelantur autem discipuli, et gladios evaginant; unde sequitur videntes autem hi qui circa ipsum erant quod futurum erat, dixerunt ei: domine, si percutimus in gladio? sed qualiter habent gladios? quia mactaverant agnum, et a mensa discesserant. Alii autem discipuli quaerunt an percuterent; sed petrus ubique fervens pro domino, persuasionem non expectat, sed percutit servum pontificis; unde sequitur et percussit unus ex illis servum principis sacerdotum, et amputavit auriculam eius dexteram.

Augustinus. qui percussit, secundum iohannem petrus erat; quem autem percussit, malchus vocabatur.

Ambrosius. eruditus enim in lege petrus promptus affectu, qui sciret phinees reputatum ad iustitiam quod sacrilegos peremisset, percussit principis servum.

Augustinus. deinde lucas dicit respondens autem iesus ait: sinite usque huc. Et hoc est quod Matthaeus commemorat: converte gladium tuum in locum suum. Nec moveat quasi contrarium sit quod lucas hic dicit dominum respondisse sinite usque huc; quasi post istam percussionem ita dictum fuerit ut placuerit ei usque huc factum, sed amplius fieri noluerit; cum in verbis quae Matthaeus posuit, intelligatur potius, totum factum quo usus est gladio petrus, domino displicuisse. illud enim verum est quod cum interrogassent dicentes domine, si percutimus in gladio? tunc respondit sinite usque huc; idest, non vos moveat quod futurum est: permittendi sunt hucusque progredi, hoc est ut me apprehendant, et impleantur quae de me scripta sunt. Non enim diceret respondens autem iesus, nisi ad interrogationem eorum responderet, non facto petri. Sed inter moras verborum interrogantium dominum, et illius respondentis, petrus aviditate defensionis percussit. sed non potuerunt simul dici quae simul fieri potuerunt. Tunc, sicut dicit lucas, sanavit eum qui percussus erat; sequitur enim et cum tetigisset auriculam eius, sanavit eum.

Beda. Numquam enim pietatis suae dominus obliviscitur. Illi iusto mortem inferunt, iste persequentium vulnera sanat.

Ambrosius. Sed cum dominus vulnere cruentum detersit, mysteria divina subiecit, ut servos principis mundi, non naturae conditione, sed culpae, auris vulnus exciperet, qui non audisset verba sapientiae. Aut si petrus volens percussit aurem, docuit quod aurem in specie habere non deberet, quam in mysterio non haberet. sed quare petrus? quia ipse ligandi et solvendi adeptus est potestatem; et ideo tollit gladio spiritali aurem interiorem male intelligentis. Sed dominus ipse refundit auditum, demonstrans, et ipsos, si convertantur, posse sanari qui in passione domini vulnerati sunt: eo quod omne peccatum, fidei mysteriis abluatur.

Beda. Vel servus iste populus est iudaeorum, principibus sacerdotum indebito mancipatus officio: qui in passione domini dexteram auriculam, idest spiritualem legis intelligentiam, perdidit; quae scilicet auris, petri gladio deciditur; non quod ille sensum intelligendi audientibus tollat, sed divino ablatum iudicio negligentibus pandat. verum eadem dextera auris in his qui in eodem populo crediderunt, divina dignatione pristino est restituta officio. sequitur dixit autem iesus ad eos qui venerant ad se, principes sacerdotum et magistratus templi et seniores: quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus.

Chrysostomus. Accesserunt enim nocte, timentes multitudinis impetum; et ideo dicit: quid vobis opus erat his armis in eum qui vobiscum est semper? et hoc est quod sequitur: cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me.

Cyrellus. Ubi non inculpat dominus praesides iudaeorum, quod non sibi mature paraverant insidias mortis,

sed arguit eos qui temere opinabantur eum se invasisse ipso invito; ac si dicat: tunc non cepistis me, quia nolebam; et nec nunc possetis, nisi me sponte vestris subicerem manibus; unde sequitur sed haec est hora vestra; idest, parvum tempus concessum est vobis exercendae in me vestrae saevitiae, patre votis meis favente. dicit etiam quod haec potestas est tenebris data, idest diabolo et iudaeis, insurgendi in Christum, et hoc est quod subditur et potestas tenebrarum.

Beda. quasi dicat: ideo adversum me in tenebris congregamini, quia potestas vestra, qua sic contra lucem mundi armamini, in tenebris est. Quaeritur autem quomodo iesus principes sacerdotum, magistratus templi et seniores qui ad se venerunt, alloqui dicatur, cum apud alios evangelistas non ipsos venisse, verum in atrio caiphae expectantes, ministros misisse perhibeantur. sed huic contrarietati respondetur, quod illi non per seipsos, sed per eos quos miserunt ad apprehendendum Christum in suae iussionis potestate venerunt.

LUCA 22,54-62

11254 (Lc 22,54-62)

Ambrosius. Non intellexerunt infelices mysterium, nec venerati sunt tam clementem pietatis affectum, quo etiam hostes suos non passus est vulnerari; dicitur enim comprehendentes autem eum duxerunt ad domum principis sacerdotum. Cum legimus teneri iesum, caveamus ne putemus eum teneri secundum divinitatem et invitum quasi infirmum; tenetur enim et ligatur secundum corporis veritatem.

Beda. princeps autem sacerdotum caipham significat, qui, secundum iohannem, erat pontifex anni illius.

Augustinus de cons. evang.. Sed primo ad annum ductus est socerum caiphae, sicut iohannes dicit, quam ad caipham, ut Matthaeus dicit. marcus autem et lucas nomen non dicunt pontificis.

Chrysostomus. Ideo autem ducitur ad domum pontificis, ut de consensu principis sacerdotum singula quaeque facerent: illuc enim omnes convenerant Christum praestolantes. Magnus autem fervor petri ostenditur, qui non aufugit, cum alios fugientes vidisset; sequitur enim petrus vero sequebatur eum a longe.

Ambrosius. bene a longe sequebatur iam proximus negator: neque enim negare potuisset, si Christo proximus adhaesisset. Sed in hoc fit reverendus, quod dominum non reliquit etiam cum timeret: metus naturae est, cura pietatis.

Beda. Quod autem ad passionem euntem dominum a longe sequitur petrus, significat ecclesiam secuturam quidem, idest imitaturam passionem domini; sed longe differenter: ecclesia enim pro se patitur, at ille pro ecclesia.

Ambrosius. Iam autem in domo principis sacerdotum ignis ardebat; unde sequitur accenso autem igne in medio atrii, et circumsedentibus illis, erat petrus in medio eorum. Accessit petrus ut calefaceret se, quia clauso domino, calor mentis iam in eo refriguerat.

Chrysostomus. Traditae enim erant petro claves regni caelorum: credenda erat ei populorum innumera multitudo, quae esset involuta peccatis. erat autem petrus paulo durior, sicut truncata servi principis sacerdotum declarat auricula. Hic igitur tam durus tamque severus, si donum non peccandi fuisset adeptus, quae venia commissis populis donaretur? quem divina providentia permisit, quod primo ipse laberetur in peccatum, quo erga peccantes duriolem sententiam proprii casus intuitu temperaret. et cum se calefacere vellet ad prunas, accessit ad eum puella, de qua sequitur quem cum vidisset ancilla quaedam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit: et hic cum illo erat.

Ambrosius. quid sibi vult quod primo eum prodit ancilla, cum viri utique magis potuerint eum recognoscere, nisi ut iste sexus peccare in nece domini videretur, ut et iste sexus redimeretur per domini passionem? petrus autem proditus negat: malo enim negasse petrum quam dominum fefellisse; unde sequitur at ille negavit, dicens: mulier, non novi illum.

Chrysostomus. quid ais, o petre? vox tua repente mutata est: os enim plenum fidei et amoris in odium perfidiamque conversum est: non tibi flagella, nondum sunt admota tormenta; qui te interrogat, nullus est eorum qui auctoritate sua possit formidinem incutere confitenti: mulier te simplici voce interrogat, et forte nec proditura confessum; nec tamen mulier, sed puella ostiaria, vile mancipium.

Ambrosius. Sed ideo negavit petrus, quia promisit incaute: non negat in monte, non in templo, non in sua

domo, sed in praetorio iudaeorum: ibi negat ubi iesus ligatus est, ubi veritas non est. Negans autem dicit non novi illum: temerarium quippe erat ut diceret quia noverat eum quem mens humana non potest comprehendere: nemo enim novit filium nisi pater. rursum secunda vice negat Christum; sequitur enim et post pusillum alius videns eum dixit: et tu de illis es.

Augustinus de cons. Evang.. Intelligitur autem quod in hac secunda negatione a duobus est compellatus; ab ancilla scilicet, quam commemorant Matthaeus et marcus, et ab alio quem commemorat lucas. hoc ergo quod hic lucas dicit et post pusillum, iam egressus erat ianuam petrus, et primum gallus cantaverat, ut marcus dicit; iam redierat, ut, quemadmodum dicit iohannes, ad focum stans iterum negaret; de qua negatione sequitur petrus vero ait: o homo, non sum.

Ambrosius. maluit enim se negare quam Christum; aut quia videbatur negare Christi societatem, utique se negavit.

Beda. In hac autem negatione petri dicimus, non solum ab eo negari Christum qui dicit eum non esse Christum, sed ab illo etiam qui, cum sit, negat se esse Christianum.

Ambrosius. Tertio quoque interrogatur; sequitur enim et intervallo facto quasi horae unius, alius quidam affirmabat dicens: vere et hic cum illo erat.

Augustinus. quod Matthaeus et marcus dicunt: post pusillum, quantum esset hoc temporis manifestat hic lucas dicendo et intervallo facto quasi horae unius: de hoc autem intervallo tacet iohannes. Item quod Matthaeus et marcus non singulari, sed plurali numero enuntiant eos qui cum petro agebant; cum lucas et iohannes unum dicant: facile est intelligere, aut pluralem numerum pro singulari usitata locutione usurpasse Matthaeum et Marcum, aut quod unus maxime, tamquam qui eum viderat, affirmabat; ceteri autem secuti eius fidem petrum simul urgebant. Iam vero illud quod Matthaeus ipsi petro dictum asseverat: nonne te vidi in horto? marcus autem et lucas inter se illos de petro locutos: aut sententiam intelligimus tenuisse eos qui compellatum dicunt petrum: tantum enim valet quod de illo coram illo dicebatur, quantum si illis diceretur; aut utroque modo dictum, et alios hunc, alios illum modum commemorasse.

Beda. Subdit autem nam et galilaeus es: non quia alia lingua galilaei atque alia loquerentur hierosolymitae, qui utrique fuerunt hebraei; sed quod una quaeque provincia et regio suas habendo proprietates usitatum loquendi sonum vitare non possit. sequitur et ait petrus: o homo, nescio quid dicis.

Ambrosius. Hoc est, sacrilegia vestra nescio. Sed nos excusamus, ipse non excusavit; non enim satis est involuta responsio confitentis iesum, sed aperta confessio: et ideo petrus non de industria respondisse sic inducitur; quia postea recordatus est, et tamen flevit.

Beda. Solet autem sacra scriptura saepe meritum causarum per meritum designare temporum; unde petrus, qui media nocte peccavit, ad galli cantum poenituit; sequitur enim et continuo, illo adhuc loquente, gallus cantavit. Quia quod in tenebris oblivionis erravit, verae lucis rememoratione correxit.

Augustinus de cons. Evang.. galli autem cantum post trinam negationem petri intelligimus, sicut marcus expressit.

Beda. Hunc gallum mystice opinor aliquem doctorum intelligendum, qui iacentes et somnolentos increpat, dicens: evigilate, iusti, et nolite peccare.

Chrysostomus. Admirare autem curam magistri, quia cum vincus esset, multa utebatur provisione erga discipulum, quem nutu erigens ad lacrymas provocavit; sequitur enim et conversus dominus respexit petrum.

Augustinus. quod quomodo accipiendum sit, diligentius considerandum est. Dicit enim Matthaeus: petrus enim sedebat foris in atrio; quod non diceret, nisi illa cum domino intus agerentur. Similiter et in eo quod dixit marcus: et cum esset petrus in atrio deorsum, ostendit non solum in interioribus, sed etiam in superioribus gesta quae dixerat. Quomodo ergo respicit dominus petrum facie corporali? quapropter mihi videtur illa respectio divinitus facta: et sicut dictum est: respice, et exaudi me; et: convertere, domine, libera animam meam, ita dictum arbitror conversus dominus respexit petrum.

Beda. Respicere namque eius, misereri est: quia non solum cum agitur poenitentia, verum etiam ut agatur, dei misericordia necessaria est.

Ambrosius. Denique quos iesus respicit, plorant delictum; unde sequitur et recordatus est petrus verbi

domini quod dixerat: quia prius quam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras petrus flevit amare. Quare flevit? quia erravit ut homo: lacrymas eius lego, satisfactionem non lego. Lavant lacrymae delictum, quod voce pudor est confiteri. Negavit primo et secundo, et non flevit, quia adhuc non respexerat dominus; negavit tertio, respexit eum iesus, et amarissime flevit. Et tu si veniam vis mereri, dilue lacrymis culpam tuam.

Chrysostomus. non autem audebat petrus palam flere, ne a lacrymis deprehenderetur; sed foras exiens lacrymabatur. Flebat autem non propter poenam; sed quia dilectum negaverat, quod molestius erat ei quolibet supplicio.

LUCA 22,63-71

11263 (Lc 22,63-71)

Augustinus de cons. Evang.. De petri tentatione, quae inter domini contumelias facta est, non eodem ordine omnes narrant: nam illas primo commemorat Matthaeus et marcus, deinde petri tentationem: lucas vero explicavit prius tentationem petri, deinde domini contumelias, dicens et viri qui tenebant eum, illudebant ei, caedentes.

Chrysostomus. Caeli et terrae dominus caesus sustinet, et patitur impiorum ridicula, formam nobis patientiae praebens.

Theophylactus. Nec non dominus prophetarum, ut pseudopropheta deluditur. sequitur et velaverunt eum, et percutiebant faciem eius; et interrogaverunt eum, dicentes: prophetiza nobis: quis est qui te percussit? **Beda.** Haec quasi in contumeliam faciebant eius qui se a populis prophetam voluit haberi. Sed qui tunc caesus est colaphis iudaeorum, caeditur etiam nunc blasphemiis falsorum Christianorum. Velaverunt autem eum, non ut eorum illa scelera non videat, sed ut a seipsis faciem eius abscondant. Haeretici autem et iudaei et mali catholici eum reprobis actibus exacerbantes, quasi illudentes, dicunt quis est qui te percussit? dum ab illo suas cogitationes et opera tenebrarum cognosci non aestimant.

Augustinus. haec autem intelligitur passus dominus usque mane in domo principis sacerdotum, quo prius adductus est; unde sequitur et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis et principes sacerdotum et scribae, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes: si tu es Christus, dic nobis.

Beda. Non veritatem desiderabant, sed calumniam praeparabant. Siquidem Christum hominem tantummodo de stirpe david venturum sperantes, hoc ab eo quaerebant, ut si diceret: ego sum Christus, calumniarentur, quod sibi arrogaret regiam potestatem.

Theophylactus. ipse vero sciebat eorum praecordia, quod qui non crediderant operibus, multo minus sermonibus crederent; unde sequitur et ait illis: si vobis dixero, non credetis mihi.

Beda. Saepe enim dixerat se Christum esse: puta cum dicebat: ego et pater unum sumus: et cetera talia. Si autem interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Interrogaverat enim eos, quomodo dicerent Christum filium esse david, cum david in spiritu dominum num suum illum vocaverit; verum illi neque dicenti credere, neque interroganti respondere voluerunt. Quia autem semen david calumniari quaerebant, plus est quod audiunt. sequitur ex hoc autem erit filius hominis sedens a dextris virtutis dei.

Theophylactus. quasi dicat: non est vobis de cetero tempus sermonum et doctrinae: sed deinceps iudicii tempus erit, cum videbitis me filium hominis sedentem a dextris virtutis dei.

Cyrillus. Cum autem de Deo sessio dicitur, atque thronus, regia et universis principans dignitas designatur. non enim putamus tribunal quoddam positum esse, cui credamus inniti dominum omnium; sed nec omnino dextrum, vel sinistrum esse penes divinam naturam: proprium enim est corporum figura, et locus et sessio. Qualiter autem paris honoris, paris quoque consessus filius videbitur esse, si non est secundum naturam filius, naturalem in se proprietatem habens patris? **Theophylactus.** Hoc igitur audientes timere debebant; sed illi post haec verba magis insaniunt; unde sequitur dixerunt autem omnes: tu ergo es filius dei? **Beda.** Quod se filium dei dixerat, acceperunt in eo quod ait erit filius hominis sedens a dextris virtutis dei.

Ambrosius. dominus autem maluit se regem probare, quam diceret, ut condemnandi causam habere non possint qui quod obiciunt, hoc fatentur. sequitur qui ait: vos dicitis quia ego sum.

Cyrillus. Hoc autem dicente Christo, succensuit pharisaeorum cohors, usurpans ignominiae vocem; unde sequitur at illi dixerunt: quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore eius.

Theophylactus. Ex quo patet quod inobedientes nulla commoda ferunt, revelatis sibi secretioribus; sed maiorem poenam acquirunt, propter quod talia oportet eis esse occulta.

LUCA 23,1-5

11301 (Lc 23,1-5)

Augustinus de cons. Evang.. postquam complevit lucas narrando petri negationem, recapitulavit quae cum domino gesta sunt circa mane, commemorans quaedam quae alii tacuerunt; atque ita contextuit narrationem, similia aliis narrans, cum dicit et surgens multitudo eorum duxerunt illum ad pilatum.

Beda. ut impleretur sermo iesu quem de sua morte praedixit: tradetur gentibus, scilicet romanis: nam pilatus romanus erat, eumque romani in iudaeam praesidem miserant.

Augustinus de cons. Evang.. deinde apud pilatum gesta sic narrat: coeperunt autem eum accusare, dicentes: hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari caesari, et dicentem se Christum regem esse. Hoc Matthaeus et marcus non dixerunt, cum tamen dicerent quod eum accusabant; sed iste etiam ipsa crimina quae falso obiecerunt, aperuit.

Theophylactus. evidenter autem adversantur veritati: non enim dominus prohibuit dare censum, sed magis dare iussit. Qualiter autem populum subvertebat, an ut regnum aggredere? sed hoc est incredibile cunctis: quia volente multitudine tota eum in regem eligere, sciens fugit.

Beda. Duobus autem domino obiectis, scilicet quod et tributa caesari dari prohibuerit, et se Christum regem diceret, potuit fieri ut illud quod dominus ait: reddite quae sunt caesaris caesari, etiam pilatum audisse contigerit. Ideoque causam hanc quasi apertum iudaeorum mendacium parvipendens, solum quod nesciebat, de regni verbo interrogandum putavit. sequitur pilatus autem interrogavit eum, dicens: tu es rex iudaeorum? Theophylactus. mihi videtur quod hoc a Christo quaesierit contemptum obiecti criminis subsannando; quasi dicat: tu pauper, humilis, nudus, cui nullus adiutor, accusaris de regni ambitione, ad quod opus est multorum adiutorium et sumptus.

Beda. Eodem autem verbo praesidi, quo et principibus sacerdotum respondet, ut propria sententia condemnetur; sequitur enim at ille respondens ait: tu dicis.

Theophylactus. illi autem, cum nihil aliud faveret eorum calumniae, recurrunt ad clamorum subsidia; sequitur enim at illi invalescebant, dicentes: commovet populum, docens per universam iudaeam, incipiens a galilaea usque huc; quasi dicant: pervertit populum, nec in una parte tantum, sed a galilaea incepit, et hucusque pervenit, transiens per iudaeam. Puto autem eos non absque causa meminisse galilaeae; sed volentes incutere timorem pilato. galilaei enim schismatici fuerunt, et nova tentantes, qualis fuit iudas galilaeus, cuius in actibus apostolorum fit mentio.

Beda. his autem verbis non illum, sed se accusant. Docuisse enim populum et a pristini temporis ignavia docendo commovisse, talique actu totam terram promissionis pertransisse, non criminis, sed indicium est virtutis.

Ambrosius. Accusatur autem dominus, et tacet, quia defensione non indiget: ambient defendi qui timent vinci. Non ergo accusationem tacendo confirmat, sed despicit, non refellendo. Quid ergo timeret qui non ambit salutem? salus omnium suam prodit, ut acquirat omnium.

LUCA 23,6-12

11306 (Lc 23,6-12)

Beda. Pilatus de praemissa accusatione non interrogandum dominum ratus, se ipsum magis nacta occasione cupit ab eo iudicando liberum reddere; unde dicitur pilatus autem audiens galilaeam, interrogavit si homo galilaeus esset. Et ne contra eum quem insontem et propter invidiam traditum cognoverat,

sententiam dare cogere, herodi eum misit audiendum, ut ipse potius eum, qui eius patriae tetrarcha existeret, vel absolveret vel puniret. sequitur et ut cognovit quod de herodis potestate esset, remisit eum ad herodem, qui et ipse hierosolymis erat illis diebus.

Theophylactus. In hoc sequitur legem romanam, quae iubebat quemlibet a principe suae iurisdictionis condemnari.

Gregorius moralium. Christi autem famam herodes explorare voluit, cum eius miracula videre concupivit. sequitur herodes autem viso iesu, gavisus est valde: erat enim cupiens ex multo tempore videre illum.

Theophylactus. non tamquam lucraturus quidquam utilitatis ex eius aspectu; sed patiens novorum cupidinem, credebat videre quemdam extraneum hominem; de quo audierat quod sapiens et mirificus esset; unde sequitur eo quod audierat multa de illo et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Volebat etiam audire ab eo quid diceret; et ideo interrogat eum quasi derisorie se habens ad ipsum, et eum subsannans. sequitur interrogabat autem illum multis sermonibus. Iesus, qui cuncta ratione peregit, et qui, teste david, suos sermones in iudicio disponit, pius esse iudicavit in talibus habere silentium: sermo enim prolatus ei cui nihil proficit, condemnationis fit causa; unde sequitur et ipse nihil ei respondebat.

Ambrosius. Tacuit et nihil fecit: quia nec illius credulitas merebatur videre divina; et dominus iactantiam declinabat; et forte typice in herode omnes impii significantur, qui si legi non crediderint et prophetis, mirabilia Christi opera in evangelio videre non possunt.

Gregorius moralium. hoc etiam audientes nos oportet addiscere ut quoties auditores nostri nostra volunt quasi laudando cognoscere, non autem sua perversa mutare, omnino taceamus; ne si ostentationis studio verbum dei loquimur, et illorum quae erat culpa esse non desinat, et nostra quae non erat, fiat. Multa autem sunt quae audientis animum produunt; maxime si auditores nostri et semper laudant quod audiunt, et nunquam quod laudant sequuntur.

Gregorius moralium. inquisitus ergo redemptor tacuit, expectatus miracula adhibere contempsit, seseque apud se in occultis retinens, eos quos exteriora quaerere comperit, ingratos foris reliquit, magis eligens aperte a superbientibus despici quam a non credentibus vacua voce laudari; unde sequitur stabant autem principes sacerdotum et scribae constanter accusantes eum. sprevit autem illum herodes cum exercitu suo, et illisit indutum veste alba, et remisit ad pilatum.

Ambrosius. Non otiosum quod veste alba induitur ab herode, immaculatae tribuens indicia passionis, quod agnus dei sine macula cum gloria mundi peccata susciperet.

Theophylactus. tu autem considera, quod per ea quae facit diabolus, impeditur: congerit derisiones et opprobria in Christum, ex quibus declaratur quod dominus seditiosus non sit; alioquin non derideretur plebe reddita suspecta, et novitatibus gaudente. missio autem Christi a pilato ad herodem fit amicitiae communis exordium, quasi pilato non usurpante sibi subditos ditioni herodis; unde subditur et facti sunt amici herodes et pilatus in ipso die: nam antea inimici erant ad invicem. attende diabolus ubique coniungentem disiuncta, ut Christi peragat necem. Erubescamus ergo nos, si causa nostrae salutis nec amicos in proprio foedere conservemus.

Ambrosius. In typo etiam herodis atque pilati qui amici ex inimicis per iesum Christum facti sunt, et plebis israelis et populi gentilis figura servatur, quod per domini passionem utriusque sit futura concordia; ita tamen ut prius populus nationum capiat dei verbum, et ad populum iudaeorum fidei suae devotionem transmittat, ut illi quoque gloria maiestatis suae corpus vestiant Christi quod ante despexerant.

Beda. Vel hoc herodis et pilati foedus significat, quod gentiles et iudaei genere et religione et mente dissidentes, in Christianis persequendis consentiunt.

LUCA 23,13-25

11313 (Lc 23,13-25)

Augustinus de cons. Evang.. rediens lucas ad ea quae apud praesidem gerebantur, unde digressus erat ut narraret quod apud herodem actum est, ita dicit: pilatus autem convocatis principibus sacerdotum et magistratibus et plebe, dixit ad eos: obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum; et ecce ego coram vobis interrogans nullam causam invenio in homine isto ex his in quibus eum accusatis. Hic

intelligimus eum praetermisisse quemadmodum a domino quaesierit quid accusatoribus responderet.

Ambrosius. Hic pilatus Christum absolvit iudicio, crucifigit ministerio. Ad herodem mittitur, ad pilatum remittitur; unde sequitur sed neque herodes: nam remisi vos ad illum; et ecce nihil dignum morte actum est ei. Etsi uterque reum non pronuntiat, ob metum tamen, alienae crudelitati studiis pilatus obsequitur.

Theophylactus. duorum ergo virorum testimonio iesus insons ostenditur; iudaei vero, qui accusabant, nullum testem obtulerunt, cui credere oporteret. Vide ergo quomodo superet veritas. Iesus tacet, et testantur inimici: proclamant iudaei, et nullus eorum attestatur clamoribus.

Beda. Pereant ergo scripta quae post tanto tempore contra Christum composita, non illum apud pilatum magicae artis accusatum, sed componentes, apud dominum perfidiae et falsitatis accusandos esse demonstrant.

Theophylactus. lentus ergo pilatus, nec satis pro veritate severus, quia timebat accusationes, subiungit emendatum ergo illum dimittam.

Beda. Quasi dicat: flagris illum et ludibriis quantum iubetis afficiam, dummodo innocuum sanguinem non sitiatis. sequitur necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum. Necesse habebat non imperialis legis sanctione, sed annua gentis consuetudine devictus, cui per talia gaudebat placere.

Theophylactus. romani enim iudaeis concesserant secundum leges et ritus proprios conversari. mos autem patrius erat iudaeis petere damnatos a principe, sicut a saule ionatham petiverunt; unde et de eorum petitione nunc subditur exclamavit autem simul universa turba, dicens: tolle hunc, et dimitte nobis barabbam. Qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate, et homicidium, missus in carcerem.

Ambrosius. Non immerito homicidae absolutionem petunt qui flagitabant innocentis exitium. Tales leges habet iniquitas, ut quod oderit innocentia, scelus diligit. in quo tamen nominis interpretatio speciem dat figurae: barabbas enim patris filius latine dicitur. Illi ergo quibus dicitur: vos ex patre diabolo estis, vero dei filio, patris sui filium, idest antiChristum, praelaturi esse produntur.

Beda. Haeret autem iudaeis usque hodie sua petitio: quia enim data sibi optione, pro iesu latronem, pro salvatore interfectorem elegerunt; merito salutem vitamque perdidierunt, et latrociniis se ac seditionibus intantum subiecerunt ut et patriam et regnum suum perdidierint.

Theophylactus. Sic ergo gens olim sancta fuit ad caedendum; pilatus gentilis caedem prohibet; sequitur enim iterum autem pilatus locutus est ad illos, volens dimittere iesum. At illi succlamabant dicentes: crucifige, crucifige eum.

Beda. Pessimo enim genere mortis occidere innocentem, hoc est crucifigere, desiderant. pendentes enim in ligno crucifixi, clavis ad lignum pedibus manibusque confixis, producta morte necabantur, ne dolor citius finiretur. Verum a domino electa erat mors crucis, quam diabolo superato, tamquam trophaeum, in frontibus fidelium erat positurus.

Theophylactus. Tertio autem pilatus Christum absolvit; sequitur enim ille autem tertio dixit ad illos: quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis invenio in eo. Corripiam ergo illum, et dimittam.

Beda. hanc correptionem qua populo satisfacere, ne usque ad crucifigendum salvatorem saevirent, ne pilatus quaerebat, non solum obtulisse, sed etiam deridendo et flagellando exhibuisse, verba ioannis testantur. quia vero totam accusationem quam adversus dominum detulerunt, sollicita pilati interrogatione videbant evacuatam, tandem ad solas se preces convertunt; unde sequitur at illi instabant vocibus magnis, postulantes ut crucifigeretur; et invalescebant voces eorum.

Theophylactus. Tertio clamant contra Christum, ut per trinam hanc vocem, suam esse occisionem Christi approbent, quam petendo extorserunt; sequitur enim et pilatus adiudicavit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem; iesum vero tradidit voluntati eorum.

Chrysostomus. Putabant enim hoc se posse astruere, quod iesus deterior esset latrone, et adeo nequam ut neque pro pietate neque pro festi praerogativa deberet liberari.

LUCA 23,26-32

11326 (Lc 23,26-32)

Glossa. Posita condemnatione Christi, convenienter agitur de crucifixione, cum dicitur et cum ducerent eum, apprehenderunt simonem quemdam cyrenensem venientem de villa, et imposuerunt ei crucem portare post iesum.

Augustinus de cons. Evang.. Ioannes autem narrat quod iesus baiulabat sibi crucem: unde intelligitur quod ipse sibi portabat crucem cum exiret in eum qui dicitur calvariae locum. Simon autem in itinere angariatus est, cui data est portanda crux usque ad locum: nullus enim aliorum acceptabat crucem baiulare, eo quod lignum detestabile putabatur; et ideo simoni cyrenaeo, quasi in quamdam iacturam imposuerunt crucem portare, quam alii recusabant. hic adimpletur illud: cuius principatus super humerum eius: principatus enim Christi est crux eius, propter quam, secundum apostolum, deus eum exaltavit. Et sicut in signum dignitatis alii balteum, alii mitram portant; sic et dominus crucem. Et si inquiras, invenies non aliter in nobis regnare iesum, nisi per asperitates: quo fit ut deliciosi inimici sint Christi crucis.

Ambrosius. Christus ergo crucem baiulans, iam trophaeum suum victor attulit; crux super humeros imponitur, quia sive simon, sive ipse portaverit, et Christus in homine et homo portavit in Christo. Nec discordant evangelistarum sententiae, quando concordat mysterium. Et bonus ordo nostri profectus est, ut prius crucis suae trophaea ipse erigeret, deinde martyribus traderet erigendum. Non iudaeus est qui crucem portat, sed alienigena atque peregrinus, nec praecedit, sed sequitur, iuxta hoc quod scriptum est: tollat crucem suam, et sequatur me.

Beda. simon autem obediens, cyrene heres interpretatur; unde per eum populi gentium designantur, qui quondam peregrini et hospites testamentorum, nunc obediendo facti sunt dei heredes. De villa autem simon egrediens, crucem portat post iesum, cum paganis ritibus derelictis vestigia dominicae passionis obedienter amplectitur. villa enim graece pagos vocatur, a qua pagani nomen trahunt.

Theophylactus. vel ille tollit crucem Christi, qui venit a villa, idest dimittit hunc mundum et opera eius, in ierusalem, idest in supernam libertatem, tendens. Ex hoc etiam non modicum sumitur documentum. Quia enim ad modum Christi magister est, debet ipse prius tollere crucem, et timore dei propriam carnem configere; et sic subditis et obedientibus eam imponere. Sequitur autem Christum etiam multitudo plebis et mulierum; nam subditur sequebatur autem illum multa turba populi et mulierum, quae plangebant et lamentabantur eum.

Beda. Multa quidem turba crucem domini, sed non una eademque mente sequebatur: nam populus qui eius mortem impetraverat, ut morientem laetus aspiceret; mulieres vero, ut morituum plorarent. non autem ideo solus mulierum planctus sequebatur, quia non etiam innumerus virorum coetus de eius erat passione moestissimus; sed quia femineus, quasi contemptibilior, sexus liberius poterat quod senserat ostentare.

Cyrillus. Amans etiam lacrymarum est semper sexus femineus, et mentem habens flexibilem ad pietatem.

Theophylactus. Per hoc etiam significabatur quod multitudo magna iudaeorum esset post crucem itura, credens in iesum. sed et mens infirma, quae significatur per feminam, si sumpta cordis contritione per poenitentiam fleat, sequitur iesum propter nostram salutem afflictum. Flebant igitur mulieres per compassionem. Eum autem qui ultro patitur, flere non oportet, sed magis ei applaudere; et ideo eas flere vetat; sequitur enim conversus autem iesus ad illas dixit: filiae ierusalem, nolite flere super me.

Beda. Cuius scilicet cita resurrectio mortem solvere potest, cuius mors et omnem mortem et ipsum mortis destructura est auctorem. Notandum autem, cum filias ierusalem appellat, quod non solae quae cum eo venerant a galilaea, sed et eiusdem urbis cives et mulieres adhaeserunt.

Theophylactus. Mandat deplorantibus eum in futura mala prospectum intendere, et super illis flere; sequitur enim super vos ipsas flete, et super filios vestros.

Cyrillus. Significans in futuro mulieres liberis esse orbandas: nam irruente bello in terram iudaeorum, cuncti simul peribunt magni et parvi; unde sequitur quia ecce venient dies in quibus dicent: beatae steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quae non lactaverunt.

Theophylactus. cum scilicet feminae crudeliter suos assabunt filios, et venter qui produxerat, flebiliter iterato recipiet genitum.

Beda. In quo die, venturae a romanis obsidionis et captivitatis tempus significat, de quibus supra dixerat: vae praegnantibus et nutrientibus in illis diebus. Naturale est autem, imminente captivitate hostili, alta vel abdita, quibus abscondantur homines, refugia quaerere; unde sequitur tunc incipient montibus dicere: cadite super nos; et collibus: operite nos. refert enim iosephus, instantibus sibi romanis, certatim iudaeos cavernas montium colliumque petisse speluncas. Potest autem et ex superfluo quod beatificandas dicit steriles, de his intelligi qui utrolibet sexu se castraverunt propter regnum caelorum; montibus collibusque dici cadite super nos, et operite nos; cum quilibet suae fragilitatis memores, ingruente tentationum articulo, sublimium quorumcumque virorum quaesierint exemplis, monitis et precibus defendi. sequitur quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet? **Gregorius** moralium. se lignum viride, et nos lignum aridum dixit: quia ipse in se vim divinitatis habuit; nos vero, qui puri homines sumus, lignum aridum appellamur.

Theophylactus. Quasi dicat iudaeis: si ergo in me, lignum fructiferum, iugiter virens, taliter saevierunt romani, quid non attentabunt erga vos? populum dico, quasi lignum aridum, privatum qualibet vivificante virtute, nec ullum fructum ferentem.

Beda. Vel quasi omnibus diceret: si ego, qui peccatum non feci, lignum vitae appellatus, sine igne passionis a mundo non exeo; quid putas eis manere tormenti qui sunt fructibus vacui? Theophylactus. malam autem opinionem de domino innuere volens diabolus, etiam latrones faciebat crucifigi cum eo; unde sequitur ducebantur autem et alii duo nequam cum eo ut interficerentur.

LUCA 23,33

11333 (Lc 23,33)

Athanasius. Ubi corruptum est genus humanum, ibi Christus proprium corpus exposuit; ut ubi seminata est corruptio, ibidem incorruptio oriatur: propter quod in loco calvariae crucifigitur; dicitur enim et postquam venerunt in locum qui vocatur calvariae, ibi crucifixerunt eum: quem locum doctores iudaeorum aiunt esse sepulcrum adae.

Beda. Vel aliter. Foris portam loca erant in quibus truncabantur capita damnatorum, et calvariae, idest decollatorum, sumpserunt nomen. Et sic pro omnium salute quasi noxius inter noxios crucifigitur; ut ubi abundavit peccatum, superabundet et gratia.

Cyrillus. non autem ipse unigenitus dei filius in propria natura qua deus est, passus est quae sunt corporis; sed magis in natura terrena. Decet enim utrumque de uno et eodem filio dici: scilicet et non pati divine, et passum esse humanitus.

Eusebius. Si autem aliter post conversationem cum hominibus evanescens subito evolaret, fugiens mortem: ab hominibus compararetur phantasmati: et quemadmodum si quis incombustibile quoddam nobis vas et praevalens ignis naturae vellet ostendere, flammae illud traderet, et consequenter a flamma illud illaesum extraheret, sic dei verbum volens ostendere instrumentum, quo usus est ad humanam salutem, esse praevalens morti; mortale morti exposuit ad demonstrandam eius naturam; deinde post modicum a morte illud eripuit in signum divinae virtutis. Et prima quidem causa mortis Christi haec est: secunda vero divinae potestatis ostensio, corpus Christi inhabitantis: cum enim antiquitus deificarent homines, communem exitum mortis sortito, quos heroas et divos nominabant: docuit illum solum mortuum verum esse fatendum quem bravia victoriae, morte prostrata, decorant. Tertia ratio est victima pro toto genere hominum mactanda; qua oblata, tota potestas daemonum periit, et error quilibet est sedatus. est et alia causa salutiferae mortis: ut discipuli occulta fide conspicerent resurrectionem post mortem; ad quam propriam spem erigere docebantur; ut mortem contemnentes, agonem contra errores inirent alacriter.

Chrysostomus. Non autem sui mortem, quam non habebat, cum sit vita, sed hominum, venit consumpturus salvator: unde non propria morte corpus deposuit, sed ab hominibus illatam sustinuit. sed et si aegrotavisset corpus eius, et in conspectu omnium solveretur, inconveniens erat eum qui sanaret aliorum languores, habere proprium corpus affectum languoribus. Sed et si absque aliquo morbo seorsum alicubi corpus deposuisset, ac deinde rursus se offerret, non crederetur ei de resurrectione disserenti: oportet enim mortem resurrectionem praecedere. Cur ergo resurrectionem palam quidem praedicaret, clanculo vero moreretur? nimirum si latenter haec evenissent, quod excogitarent homines incredulitatis calumnias? quomodo pateret Christi in mortem victoria, nisi coram omnibus eam patiens, per incorruptionem corporis probasset extinctam? sed dices: decebat saltem gloriosam mortem sibi excogitare, ut evitaret ignominiam

crucis. Sed et si hoc fecisset, suspectum se reddidisset, quasi non habens virtutem contra quamlibet mortem. Sicut ergo pugil prosternens illum quem hostes obtulerint, ostenditur excellentior omnibus; sic omnium vita ab hostibus illatam, quam putabant esse diram et infamem et detestabilem, mortem in cruce suscepit, ut hac interempta, dominium mortis totaliter destruat. Propter quod non caput ei amputatur ut ioanni; neque sectus est, ut isaias; ut corpus integrum et indivisibile morti servet, et non fiat occasio volentibus ecclesiam dividere. Volebat etiam supportare quam incurreramus maledictionem; maledictam mortem, scilicet crucis, suscipiendo, secundum illud deut. 21: maledictus homo qui pendet in ligno. In cruce etiam expansis manibus moritur, ut altera quidem manu veterem populum, altera eos qui sunt ex gentibus trahat, utrosque sibi coniungens. Moriens etiam in cruce a daemonibus expiat aerem, et ascensum nobis parat in caelum.

Theophylactus. Quia etiam per lignum mors intraverat, necesse erat ut per lignum exterminaretur; et ut dominus per ligni dolores invictus transiens confutaret delectationem provenientem ex ligno.

Gregorius nyssenus. Sed et figura crucis a medio contactu in quatuor extrema partita, significat virtutem et providentiam eius qui in ea pependit, ubique diffusam.

Augustinus de quaest. Nov. Et veter. Testam.. non frustra etiam tale genus mortis elegit, ut latitudinis et altitudinis et longitudinis et profunditatis, de quibus apostolus loquitur, magister existeret. Nam latitudo est in eo ligno quod transversum desuper figitur: hoc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. Longitudo in eo quod ab ipso ligno usque ad terram conspicuum est: ibi enim quodammodo statur, idest persistitur et perseveratur; quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte quae ab illo quod transversum figitur, sursum versus relinquitur: hoc est ad caput crucifixi, quia bene sperantium superna expectatio est. Iam vero illud ex ligno quod fixum occultatur, unde totum illud exurgit, profunditatem significat gratuitae gratiae.

Chrysostomus. Duos etiam latrones utrinque crucifixerunt, ut eorum suspicionis fieret particeps; unde sequitur et latrones, unum a dextris, alterum a sinistris. sed non ita evenit: nam de illis nihil dicitur; huius autem crux ubique honoratur. reges diademata deponentes, assumunt crucem: in purpuris, in diadematis, in armis, in mensa sacrata, ubique terrarum crux emicat. Non talia sunt humana: viventibus enim illis qui egerunt strenue, arrident propria gesta, his autem pereuntibus pereunt. Sed in Christo totum contrarium: nam ante crucem omnia moesta; ut autem crucifixus est, omnia clariora facta sunt; ut noscas non purum hominem esse crucifixum.

Beda. Duo autem latrones cum Christo crucifixi significant eos qui sub fide Christi, vel agonem martyrii vel continentiae arctioris instituta subeunt; sed qui haec pro aeterna gloria faciunt, dexteri latrones; qui autem humanae laudis intuitu, sinistri latronis actus imitantur.

LUCA 23,34-37

11334 (Lc 23,34-37)

Chrysostomus. Quia dominus dixerat: orate pro persequentibus vos, hoc etiam crucem ascendens fecit; unde sequitur iesus autem dicebat: pater, dimitte illis: non quia non posset ipse relaxare, sed ut nos pro persequentibus orare doceret, non solum verbo, sed et opere. Dixit autem dimitte eis, si poenituerunt: favet enim poenitentibus, si velint post tantam nequitiam, reatus per fidem diluere.

Beda. Neque putandum est hic eum frustra orasse; sed in eis qui post eius passionem crediderunt, quod orabat, impetrasse. Notandum sane, quod non pro eis oravit qui filium dei intellexerunt crucifigere, nec confiteri voluerunt; sed pro eis qui nesciebant quid facerent, zelum dei habentes, sed non secundum scientiam; unde subdit non enim sciunt quid faciunt.

Graecus. Permanentes vero post crucem in infidelitate nullus per ignorantiam iuvari putabit, signis, miraculis, sonora voce eum praedicantibus esse deum.

Ambrosius. Refert ergo considerare qualis crucem ascendat: nudum enim video. Talis ergo ascendat qui saeculum vincere parat, ut saeculi adiumenta non quaerat. Victus est autem adam qui vestimenta quaesivit; vicit ille qui tegumenta deposuit, et talis ascendit quales nos auctore Deo natura formavit; talis in paradiso primus homo habitaverat, talis in paradysum homo secundus intravit. Pulchre autem ascensurus crucem regalia vestimenta deposuit, ut scias quasi hominem passum esse, non quasi deum regem, etsi utrumque Christus.

Athanasius. qui etiam cunctas conditiones nostras causa nostri susceperit, induit vestimenta nostra, signa mortificationis adae, ut exuat illa et horum vice induat nos vitam et incorruptionem. sequitur dividentes vero vestimenta eius, miserunt sortes.

Theophylactus. Forsitan enim plures eorum egebant; vel forte magis ad opprobrium hoc faciebant et ex quadam lascivia: quid enim pretiosum inveniebant in vestibus? **Beda.** In sorte autem gratia dei commendata est: quia cum sors mittitur, non personae cuiusdam vel meritis, sed occulto dei iudicio ceditur.

Augustinus de cons. Evang.. hoc quidem breviter dictum est a tribus evangelistis; iohannes autem distinctius hic explicat quemadmodum hoc gestum sit.

Theophylactus. Deludentes igitur hoc agebant: nam ubi principes subsannabant, quid dicere oportet de vulgo? sequitur enim et stabat populus, qui scilicet petierat eum crucifigi, expectans, scilicet finem; et deridebant eum principes cum eis.

Augustinus de cons. Evang.. quia principes dixit, nec addidit sacerdotum, omnes primates generali nomine complexus est, ut ibi possent intelligi scribae et seniores.

Beda. Quia etiam nolentes confitentur quod alios salvos facit; sequitur enim dicentes: alios salvos fecit, seipsum salvum faciat, si hic est Christus dei electus.

Athanasius. dominus autem vere salvator non salvando seipsum, sed creaturam liberando, volebat cognosci salvator. Neque enim medicus, quia sibi medetur, medicus esse cognoscitur, nisi erga languidos artem probet: sic dominus salvator existens, non habebat opus salutis, neque descendendo de cruce volebat cognosci salvator, sed moriendo; multo namque maiorem salutem mors salvatoris affert hominibus quam descensus de cruce.

Graecus. Videns autem diabolus nullum esse sibi defensaculum, titubabat; et quasi aliud non valens, tentavit ulterius propinari salvatori acetum ad bibendum; sequitur enim illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes illi: quod contra seipsum facere diabolus ignorabat: nam amaritudinem irae ex praevaricatione legis actam, qua cunctos detinebat, salvatori praebebat; quam illa sumens consumebat, ut vice aceti, vinum det nobis in potum, quod sapientia miscuit.

Theophylactus. obtulerunt autem milites Christo acetum, quasi regi subministrantes; sequitur enim dicentes: si tu es rex iudaeorum, salvum te fac.

Beda. Et notandum, quod iudaei vocabulum Christi scripturae sibi auctoritate creditum blasphemantes irrident; milites vero, utpote scripturarum nescii, non Christo, sed regi iudaeorum insultant.

LUCA 23,38-43

11338 (Lc 23,38-43)

Theophylactus. Aliam attende sagacitatem daemonis agitatam in Christum: triplici enim litterarum figura promulgabat accusationem iesu, ne scilicet quemquam transeuntium lateat quod ob hoc suspensus fuerat, quia se regem faciebat; dicitur enim erat autem et superscriptio scripta super illum litteris graecis, latinis et hebraicis: hic est rex iudaeorum: per quod significabatur, potentissimas gentium quales erant romani, prudentissimas, quales graeci, maxime deum colentes, quale fuit iudaeorum genus, subici debere imperio Christi.

Ambrosius. Merito autem supra crucem ponitur titulus; quia non humani corporis, sed divinae potestatis est regnum quod habet Christus. Lego titulum regis iudaeorum, cum lego: regnum meum non est de hoc mundo; lego causam Christi super caput eius scriptam, cum lego: et deus erat verbum: caput enim Christi deus.

Cyrillus. Alter autem latronum eadem cum iudaeis eructabat; sequitur enim unus autem de his qui pendebant latronibus blasphemabat eum, dicens: si tu es Christus, salvum fac teipsum et nos. alter refrenabat voces ipsius; sequitur enim respondens autem alter increpabat eum, dicens: neque tu times deum, qui in eadem damnatione es? sed et proprium reatum confessus est, subdens et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus.

Chrysostomus. Hic fungitur vice iudicis, condemnatus, et incipit de veritate censere qui coram pilato post multa tormenta confessus est scelera. Quia aliud est homo censor, quem latent intima, et aliud deus, qui mentes penetrat: et ibi quidem post confessionem poena subsequitur, hic autem confessio fit ad salutem. Sed et Christum pronuntiat innocentem, cum subdit hic vero nihil mali fecit; quasi dicat: novam vide iniuriam; honestatem damnari cum scelere. Nos viventes occidimus, hic mortuos suscitavit; nos aliena sumus furati, hic et sua iubet tribuere. Beatus igitur latro astantes docebat, talia disserens, quibus alterum increpabat. Sed ut videt extinctos auditus astantium, redit consequenter ad eum qui novit praecordia; sequitur enim et dicebat ad iesum: domine, memento mei cum veneris in regnum tuum. crucifixum aspicias, at dominum profiteris: condemnati vides figuram, et regis praedicas dignitatem: mille malis imbutus, postulas iustitiae fontem reminisci tuae nequitiae. Sed dices: video quidem apparens opprobrium, sed intueor latens regnum; et tu avertis mea publica scelera, et acceptas fidem intentionis occultae. discipulum veritatis usurpavit nequitia, discipulum nequitiae non commutabit veritas? **Gregorius** moralium. In cruce clavi manus eius pedesque ligaverant; nihilque a poenis in eo liberum nisi cor et lingua remanserunt. Inspirante deo, totum illud ei obtulit quod in se liberum invenit; ut iuxta hoc quod scriptum est corde crederet ad iustitiam, ore confiteretur ad salutem. Tres autem virtutes quas apostolus memorat, subito repletus gratia, et accepit latro, et servavit in cruce. Fidem namque habuit, qui regnaturum deum credidit, quem secum pariter morientem vidit: spem habuit, qui regni eius aditum postulavit: qui caritatem quoque in morte sua vivaciter tenuit, qui fratrem et collatrum pro simili scelere morientem de iniquitate sua redarguit.

Ambrosius. Pulcherrimum autem datur affectandae conversionis exemplum, quod tam cito latroni venia relaxatur. Cito ignoscit dominus, quia cito ille convertitur, et uberior est gratia quam precatio: semper enim dominus plus tribuit quam rogatur. ille rogabat, ut memor sui esset; de domino autem sequitur et dixit illi iesus: amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Vita est enim esse cum Christo; et ubi Christus, ibi regnum.

Theophylactus. et quemadmodum quisque rex victoriosus rediens ex triumpho optima praedarum fert secum, sic et dominus praedatus portionem diabolicarum praedarum, scilicet latronem, ducit secum in paradisum.

Chrysostomus. Erat ergo videre salvatorem in medio latronum, trutinam iustitiae trutinantem fidem et infidelitatem. expulit diabolus de paradiso adam, Christus latronem impulit ante totum orbem et ante apostolos. Nudo verbo, sola fide in paradisum introivit, ne quia post errores introitum desperaret. Attende celeritatem a cruce in caelos, a condemnatione in paradisum, ut noveris non ad benevolentiam illius, sed ad clementiam dominum totum fecisse. Si autem iam facta est bonorum retributio, numquid supervacua erit resurrectio? si enim introduxit latronem in paradisum, corpus autem eius corruptum remansit foris, liquet non esse resurrectionem corporum. Haec dicunt illi: sed caro, quae fuit laborum particeps, numquid privabitur praemiis? audi paulum dicentem: oportet corruptibile hoc incorruptionem induere. sed si dominus pollicitus est regnum caelorum, introduxit autem latronem in paradisum, nondum ei retribuit praemia. Sed dicunt: nomine paradisi regnum caelorum nominavit, usitato nomine utens dum alloqueretur latronem, qui nihil audierat de arduis documentis. quidam autem non sic legunt hodie mecum eris in paradiso, sed sic: dico tibi hodie; et consequenter: mecum eris in paradiso. Sed adhuc evidentiores solutionem subiungemus: nam medici cum vident aliquem desperatum, dicunt: iam mortuus est; sic et latro, quoniam non amplius timebatur eius regressus ad perditionem, dicitur paradisum intrasse.

Theophylactus. hoc tamen est verius omnibus, quod quamvis non omnia promissa sortiti sunt et latro et alii sancti, ne sine nobis consummarentur, ut dicitur in epistola ad hebraeos, sunt tamen in regno caelorum et in paradiso.

Gregorius nyssenus. Hoc iterum oportet discutere: quomodo latro censeatur dignus paradiso, cum sanctis flammae framea prohibeat introitum. Sed attende quod sermo divinus eum versatilem dicit, ut indignis quidem obviet, dignis vero liberum ad vitam patefaciat aditum.

Gregorius moralium. vel illa romphaea flammae versatilis dicitur, pro eo quod fuisset quandoque venire tempus ut etiam removeri debuisset: quando scilicet veniret qui suae incarnationis mysterio paradisi nobis iter aperiret.

Ambrosius. Sed et illud solvendum est, quia alii, scilicet Matthaeus et marcus, duos conviciantes inducunt latrones; iste unum conviciantem, unum repugnantem: fortasse et iste prius conviciatus est, sed repente conversus est. Potuit etiam de uno pluraliter dici, sicut est illud: in caprinis pellibus ambulabant... Secti sunt, cum solus elias melotidem habuisse, isaias sectus esse doceatur. Mystice autem duo latrones duos populos peccatores significant per baptismum crucifigendos esse cum Christo; quorum dissensio diversitatem pariter credentium significat.

Beda. quicumque enim baptizati sumus in Christo iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Per baptismum autem, cum peccatores essemus, abluimur: sed alii, dum deum in carne passum laudant, coronantur; alii, dum aut fidem aut opera baptismi habere renuerunt, dono quod acceperere, privantur.

LUCA 23,44-46

11344 (Lc 23,44-46)

Cyrillus. Postquam cruci tradiderunt dominum omnium, mundi machina lugebat proprium dominum, et obtenebrata est lux in meridie, secundum amos, unde dicitur erat autem fere hora sexta, et tenebrae factae sunt in universa terra usque ad horam nonam: quod erat manifestum indicium, quod forent passurae caliginem crucifigentium animae.

Augustinus de cons. Evang.. Hoc autem quod de tenebris dictum est, etiam alii duo, Matthaeus et marcus, contestantur. addit autem lucas, unde factae sunt tenebrae, cum subdit et obscuratus est sol.

Augustinus de civ. Dei. Quam solis obscurationem non canonico cursu siderum accidisse satis ostendit, quod tunc erat pascha iudaeorum, quod plena luna solemniter agitur; regularis autem solis defectio non nisi in fine lunae contingit. dionysius ad polycarpum. Cum ambo apud heliopolim essemus, ambo simul incidentem mirabiliter soli lunam notabamus (non enim eiusce coniunctionis tunc aderat tempus), ipsamque rursus ab hora nona usque in vesperam ad solis diametrum, supra naturae vires restitutam. insuper et eam lunae incidentiam observavimus ab oriente coepisse, et usque ad solaris corporis finem pervenisse: ac tum demum resillisse, nec ex ea, ut assolet, parte luminis defectum et restitutionem contigisse, sed ex adverso diametri.

Graecus. hoc igitur prodigium factum est ut pateret quod qui mortem susceperat, gubernator esset totius creaturae.

Ambrosius. sol etiam occidit sacrilegis, ut funesti spectaculum sceleris obumbraret; tenebrae effusae sunt oculis perfidorum, ut fidei lumen resurgeret.

Beda. Volens autem lucas miraculum miraculo adiungere, subiungit et velum templi scissum est medium. Hoc expirante domino factum est, sicut Matthaeus et marcus contestantur, sed lucas praeoccupando narravit.

Theophylactus. Per hoc autem dominus ostendebat, quod non erunt ulterius sancta sanctorum inaccessibilia; sed tradita in manus romanorum inquinarentur, et eorum aditus pateret.

Ambrosius. Velum etiam scinditur, quo duorum populorum divisio, et synagogae profanatio declaratur. Scinditur velum vetus, ut ecclesia nova fidei suae vela suspendat. Synagogae velamen suspenditur, ut religionis interna mysteria revelata, mentis cernamus intuitu.

Theophylactus. per hoc etiam ostenditur quod velum, quod sequestrabat nos a sacris quae sunt in caelo, disrumpitur, idest dei inimicitia et peccatum.

Ambrosius. Deinde etiam ubi acetum bibit, assumptae mortalitatis impletum est omne mysterium, et immortalitas sola remansit; unde sequitur et clamans voce magna ait iesus: pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

Beda. Patrem invocando, filium dei se esse declarat: spiritum vero commendando, non defectum suae virtutis, sed confidentiam eiusdem cum patre potestatis insinuat.

Ambrosius. caro moritur, ut resurgat spiritus; patri commendatur, ut caelestia quoque ab iniquitatis vinculo solverentur, et pax fieret in caelo, quam terrena sequerentur.

Cyrillus. haec autem vox edocet quod animae sanctorum non deinceps in inferno clauduntur, ut prius; sed apud deum sunt, huius rei facto Christo principio.

Athanasius. commendat enim patri se per universos mortales in se vivificatos: nam sumus membra eius, secundum illud apostoli: omnes unum estis in Christo.

Gregorius nyssenus. Decet autem quaerere qualiter in eodem tempore dominus tripartitur seipsum: in viscera terrae, ut dixerat pharisaeis; in paradysum dei, ut dixit latroni; in manus paternas, ut nunc dicitur. Sed recte considerantibus, hoc nec quaestione dignum videtur: nam qui ubique est per divinam potentiam, quolibet loco adest.

Ambrosius. Commendatur ergo patri spiritus; sed cum sit in superioribus, illuminat et inferna, ut universa redimantur; etenim Christus omnia, et in Christo omnia.

Gregorius nyssenus. alia solutio est, quod in tempore passionis neutram partem humanitatis semel unita divinitas dimisit, sed animam de corpore sponte disiunxit, sed tamen in utroque permanentem ostendit: nam per corpus, in quo mortem suscepit, confutavit mortis potentiam; per animam vero latroni paravit introitum paradisi. Dicit autem isaïas de superna ierusalem, quae a paradiso non est alia: super manus meas depinxi moenia tua. Unde palam est quod existens in paradiso manus patris inhabitabat. Damascenus. Vel expressius loquendo, in sepulcro erat secundum corpus, in inferno secundum animam; sed sicut deus, in paradiso cum latrone, et in throno erat cum patre et spiritu sancto.

Theophylactus. Clamans vero alta voce expirat, quia inerat ei potestas ponendi animam suam, et eam resumendi; unde sequitur et haec dicens, expiravit.

Ambrosius. quasi dicat: tradidit spiritum quia non invitus amisit: quod enim emittitur, voluntarium est; quod amittitur, necessarium.

LUCA 23,47-49

11347 (Lc 23,47-49)

Augustinus de trin.. Cum post illam vocem continuo tradidit spiritum, hoc maxime qui aderant, sunt mirati: longa enim morte cruciabantur ligno suspensi; unde dicitur videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit deum, dicens: vere hic homo iustus erat.

Augustinus de cons. Evang.. Non est autem contrarium quod Matthaëus, viso terraemotu, dicit admiratum centurionem, cum lucas dicat hoc eum admiratum fuisse quod emissa illa voce expirasset, ostendens quam potestatem habuit quando moreretur. In eo autem quod Matthaëus dixit non solum viso terraemotu, sed addidit: et his quae fiebant, integrum locum fuisse demonstravit lucae, ut diceret ipsum domini mortem fuisse miratum. Quod autem lucas etiam ipse dixit videns autem centurio quod factum erat, in eo genere inclusit omnia quae facta erant in illa hora mirabiliter, tamquam unum mirabile factum commemorans, cuius quasi membra et partes erant omnia illa miracula. Quod autem alius dixit, centurionem dixisse: vere filius dei erat iste, lucas autem ait, quod iustus erat, putari potest diversum; sed vel utrumque dictum a centurione debemus intelligere, et aliud illum, aliud istum commemorasse; vel fortasse lucam exprimere voluisse sententiam centurionis, quomodo dixerit iesum filium dei: forte enim non unigenitum aequalem patri centurio intellexerat; sed ideo filium dei dixerat, quia iustum crediderat, sicut multi iusti dicti sunt filii dei. Iam vero quia Matthaëus addidit eos qui cum centurione erant, lucas vero hoc tacuit; non est contrarium, cum alius dicit quod alius tacet: et Matthaëus dixit: timuerunt valde; lucas autem non dixit: timuit, sed glorificavit deum: quis non intelligat deum timendo glorificasse? Theophylactus. Nunc autem videtur effectum sortiri quod dominus dixerat: cum exaltatus fuero, omnia ad me traham. Exaltatus namque in cruce attraxit latronem et centurionem, sed et quosdam iudaeorum, de quibus sequitur et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur.

Beda. Quod percutiebant pectora, quia poenitentiae et luctus indicium est, potest dupliciter intelligi: sive enim eum cuius vitam dilexerunt, iniuste occisum dolebant; sive cuius mortem se impetrasse meminerant, hunc in morte amplius glorificatum tremebant. Notandum autem, quod gentiles deum timentes, apertae confessionis voce glorificant; iudaei percutientes solum pectora, silentes domum redeunt.

Ambrosius. O duriora saxis pectora iudaeorum. Iudex arguit, credit minister, proditor scelus suum morte condemnat, elementa fugiunt, terra concutitur, monumenta reserantur: iudaeorum tamen immobilis duritia manet orbe concusso.

Beda. unde merito per centurionem fides ecclesiae designatur, quae dei filium tacente synagoga confirmat. Impletur autem quod dominus patri conqueritur dicens: elongasti a me amicum et proximum, et notos meos a miseria; unde sequitur stabant autem omnes noti eius a longe.

Theophylactus. Sed feminarum genus olim maledictum, manet et videt haec omnia; sequitur enim et mulieres quae secutae erant eum a galilaea, haec videntes, et sic primae refocillantur iustificatione, aut benedictione a passione profluente, sicut et resurrectione.

LUCA 23,50-56

11350 (Lc 23,50-56)

Graecus. Fuerat quandoque ioseph occultus Christi discipulus: denique vinculum timoris rumpens, ferventior factus, dominicum corpus turpiter pendens a ligno deposuit, comparans pretiosam margaritam verborum modestia; unde dicitur et ecce vir nomine ioseph, qui erat decurio.

Beda. Decurio vocatur, quod sit de ordine curiae, et officia curiae administret, qui etiam curialis a procurando munera civilia solet appellari. Magnae ergo ioseph dignitatis apud saeculum, sed maioris apud deum meriti fuisse laudatur; unde sequitur vir bonus et iustus (hic non consenserat consilio et actibus eorum) ab arimathaea civitate iudaeae. Arimathaea ipsa est ramatha civitas helcanae et samuelis.

Augustinus de cons. Evang.. dicit autem iohannes quod erat discipulus iesu; unde et hic subditur qui expectabat et ipse regnum dei. Merito autem movet cur ille qui propter timorem occultus erat discipulus, ausus sit petere corpus eius, quod nullus eorum qui eum palam sequebantur auderet; sequitur enim hic accessit ad pilatum, et petiit corpus iesu. Sed intelligendum est istum fiducia dignitatis hoc fecisse, qua praeditus poterat familiariter intrare ad pilatum. In extremo autem illo officio funeris exhibendo minus videtur curasse de iudaeis, quamvis soleret in domino audiendo eorum inimicitias devitare.

Beda. Sic igitur pro iustitia meritorum sepeliendo corpori dominico aptus, dignus fuit per nobilitatem potentiae saecularis illud impetrare; unde sequitur et depositum involvit in sindone. Ex simplici sepultura domini ambitio divitum condemnatur, qui nec in tumulis quidem possint carere divitiis.

Athanasius. Enormiter etiam agunt qui condiunt corpora mortuorum, et ea non sepeliunt, etiamsi sancta sint: quid enim sanctius aut maius domini corpore? quod tamen in monumento positum est; donec die tertia resurrexit; sequitur enim et posuit eum in monumento exciso.

Beda. Scilicet de petra; ne si ex multis lapidibus aedificatum esset, post resurrectionem suffossis tumuli fundamentis, ablatum furto diceretur. In novo etiam ponitur monumento; nam sequitur in quo nondum quisquam positus fuerat: ne post resurrectionem ceteris corporibus remanentibus, surrexisse alius suspicaretur. Quia vero sexta die homo factus est, recte dominus sexta die crucifixus humanae reparationis implevit arcanum; unde sequitur et erat dies parasceves, quod praeparatio interpretatur; quo nomine sextam feriam appellabant, quia ea die, quae in sabbatum forent necessaria, praeparabant. quia vero septimo die requievit conditor ab opere suo, sabbato dominus in sepulcro requievit; unde sequitur et sabbatum illucescebat. Supra autem legimus, quia stabant omnes noti eius a longe, et mulieres quae secutae erant eum. his ergo notis iesu post depositum eius cadaver ad sua remeantibus, solae mulieres, quae arctius amabant, funus subsecutae, quo loco poneretur inspicere cupiebant; sequitur enim subsecutae autem mulieres, quae cum ipso venerant de galilaea, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus eius: ut scilicet ei tempore congruo munus possent suae devotionis offerre.

Theophylactus. neque tamen fidem debitam adhuc habebant, sed quasi puro homini aromata et unguenta parabant more iudaeorum, qui talia exhibebant defunctis; unde sequitur et revertentes paraverunt aromata et unguenta.

Beda. Sepulto enim domino, quamdiu licebat operari, idest usque ad solis occasum, unguentis praeparandis erant occupatae. Mandatum autem erat ut sabbati silentium, idest quies, a vespera usque ad vesperam servaretur; sequitur enim et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

Ambrosius. Mystice autem iustus Christi corpus sepelit: talis enim est Christi sepultura, quae fraudem iniquitatemque non habeat. Merito autem Matthaeus hunc divitem dixit: suscipiendo enim divitem nescivit fidei paupertatem. Iustus corpus Christi operit sindone; vesti et tu domini corpus gloria sua, ut et ipse sis iustus; et si mortuum credis, operi tamen divinitatis plenitudine suae; sed et vestitur ecclesia innocentiae gratia.

Beda. ille etiam in sindone munda involvit iesum qui pura eum mente suscepit.

Ambrosius. Non otiose alius evangelista monumentum novum dixit, alius monumentum ioseph: etenim tumulus his paratur qui sub lege sunt mortis; victor mortis tumulum suum non habet. quae enim communicatio tumulo et deo? solus etiam tumulo includitur, quia mors Christi, etsi sit communis secundum naturam, specialis est secundum virtutem. bene autem Christus in monumento conditur iusti ut iustitiae habitatione requiescat: monumentum enim hoc in duritiae gentilis petra iustus excidit penetrali verbi, ut praetenderet in nationibus virtus Christi. cui pulcherrime admotus est lapis. Quicumque in se bene humaverit Christum, diligenter custodiat, ne eum perdat, neve perfidiae sit ingressus.

Beda. quod autem dominus sexta die crucifigitur, septima in sepulcro quiescit, significat quod in sexta mundi aetate nos pro domino pati et velut mundo crucifigi necesse est; in septima vero, idest post mortem, corpora quidem in tumulis, animae vero cum domino requiescunt. usque huc et mulieres sanctae, idest animae humiles dilectione ferventes, passioni Christi diligenter obsequuntur: et si forte valeant imitari, sedula curiositate, quo ordine sit eadem passio completa, perpendunt: qua lecta, audita, recordata, mox ad paranda se opera virtutum, quibus Christus delectetur, convertunt, ut finita praesentis vitae parasceve, in requie beata tempore resurrectionis occurrere Christo valeant cum aromatibus spiritualium actionum.

LUCA 24,1-12

11401 (Lc 24,1-12)

Beda. Religiosae mulieres non solum in die parasceve, sed etiam sabbato transacto, idest sole occidente, mox ut operandi licentia remeavit, emerunt aromata, ut venientes ungerent corpus iesu, sicut marcus testatur; praeoccupante tamen iam noctis articulo, monumentum adire non valuerunt; et ideo dicitur una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes quae paraverant aromata. una sabbati, sive prima sabbati, prima est a sabbato, quam diem dominicam propter domini resurrectionem mos Christianus appellat. Quod autem valde diluculo mulieres venere ad monumentum, magnus quaerendi et inveniendi dominum fervor caritatis ostenditur.

Ambrosius. Sed magna oritur hoc loco plerisque dubitatio: siquidem hic valde diluculo, Matthaeus vespere sabbati mulieres ad monumentum venisse dixerunt. Sed evangelistas de diversis putes dixisse temporibus, ut personas alias mulierum, et alias conicias visiones. Quod autem scriptum est vespere sabbati, quae lucescit in prima sabbati, resurrexisse dominum, sic temperandum est: ut neque mane dominica, quae est prima post sabbatum, neque sabbato resurrectio facta credatur: nam quomodo triduum completur? non ergo vesperscente die, sed vespere noctis resurrexit. Denique graecus sero dixit. sero autem horam significat in occasu diei, et rei cuiuslibet tarditatem; si dicas: sero mihi suggestum est. Est ergo et sero tempus noctis profundum: unde et mulieres ad monumentum accedendi habent facultatem, custodibus quiescentibus. et ut scias nocte factum, mulieres aliae sciunt, aliae nesciunt: sciunt quae observant noctibus et diebus, nesciunt quae recesserunt. Nescit una Maria magdalene, secundum iohannem: nam eadem et ante scire et postea nescire non potuit. Ergo si plures mariae, plures etiam fortasse mariae magdalene; cum illud nomen personae sit, hoc sumatur a loco.

Augustinus de cons. Evang.. Vel Matthaeus a prima parte noctis, quod est vespere, ipsam voluit noctem significare; cuius noctis fine venerunt ad monumentum: et hoc ea de causa, quia iam a vespere paraverant, et licebat afferre aromata transacto sabbato.

Eusebius. lacebat autem organum verbi extinctum: magnus vero lapis claudebat sepulcrum, quasi mors eum duxisset captivum; sed nondum lapso triduo vita se promit iterum post sufficientem mortis convictionem; unde sequitur et invenerunt lapidem revolutum a monumento.

Theophylactus. Nam angelus revolverat eum, ut testatur Matthaeus.

Origenes. amotus est autem lapis post resurrectionem propter mulieres, ut credant resurrexisse dominum, videntes monumentum vacuum corpore; unde sequitur et ingressae non invenerunt corpus domini iesu.

Cyrillus. Cum igitur non invenissent corpus Christi, quod resurrexerat, ducebantur diversis cogitationibus: et propter amorem Christi et adhibitam sollicitudinem meruerunt visionem angelicam; sequitur enim et factum est dum mente consternatae essent de isto, ecce duo viri steterunt iuxta illas in veste fulgenti.

Eusebius. iucunditatis et gaudii indicia salutiferae resurrectionis nuntii, et fulgentes amictus praestant. Moyses enim plagas aegyptiis praeparans in flamma ignis angelum perspexit. Sed non tales visi sunt

mulieribus in sepulcro: sed mites et hilares, quales decebat conspici in regno et gaudio domini. Et sicut in passione eclipsatus est sol, moeroris et angustiae signa promens crucifigentibus filium dei, ita angeli vitae ac resurrectionis praecones habitum salutiferi festi candidati designabant.

Ambrosius. Sed quomodo marcus unum iuvenem in albis sedentem, Matthaeus unum, iohannes et lucas duos angelos in albis sedentes visos esse memoraverunt? **Augustinus.** Possumus intelligere unum angelum visum a mulieribus, et secundum Marcum et secundum Matthaeum; ut eas ingressas in monumentum accipiamus, scilicet in aliquod spatium quod erat aliqua maceria communitum ante illum saxei sepulcri locum; atque ibi vidisse angelum sedentem a dextris, quod dicit marcus; deinde intus ab eis, dum inspicerent locum in quo iacebat corpus domini, visos duos alios angelos stantes, sicut dixit lucas, locutos ad earumdem exhortandum animum et aedificandam fidem; unde sequitur cum timerent autem, et declinarent vultum in terram.

Beda. Sanctae mulieres astantibus sibi angelis, non in terram cecidisse, sed vultum dicuntur in terram declinasse; nec quempiam sanctorum legitimis tempore dominicae resurrectionis vel ipsi domino vel angelis sibi visis, terrae prostratum adorasse: unde mos obtinuit ecclesiasticus, ut vel in memoriam dominicae, vel in nostrae spem resurrectionis, omnibus dominicis diebus et toto quinquagesimo tempore non flexis genibus, sed declinatis in terram vultibus oremus. Non erat autem in monumento, qui locus est mortuorum, quaerendus ille qui ad vitam resurrexit a mortuis; et ideo subditur dixerunt ad illas, scilicet angeli ad mulieres: quid quaeritis viventem cum mortuis? non est hic, sed resurrexit. Die autem tertia, sicut ipse inter discipulos tam viros quam feminas praedixit, resurrectionis suae triumphum celebravit; unde sequitur recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in galilaea esset, dicens: quia oportet filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et tertia die resurgere. die namque parasceve hora nona spiritum tradens, vespere sepultus; mane prima sabbati resurrexit.

Athanasius de human. Verbi. Poterat siquidem statim suscitare corpus a morte. Sed dixisset aliquis eum nequaquam fuisse mortuum, vel non plene mortem ei inhaesisse. Forsitan quoque si eodem momento mors et resurrectio contigissent, gloria incorruptibilitatis in incerto haesisset. Quapropter ut corpus vere extinctum ostenderetur, ipsa meridie mortem sustinuit, et tertia die illud incorruptibile redhibuit.

Beda. Uno etiam die in sepulcro et duabus noctibus iacuit, quia lucem suae simplae mortis tenebris duplae nostrae mortis adiunxit.

Cyrillus. Instructae autem mulieres angelorum affatibus accelerantes ea retulerunt discipulis; unde sequitur et recordatae sunt verborum eius; et egressae a monumento, nuntiaverunt haec omnia illis undecim, et ceteris omnibus. Namque femina quae quondam mortis fuit ministra, venerandum resurrectionis mysterium prima percepit et nuntiat. Adeptum est igitur femineum genus et ignominiae absolutionem et maledictionis repudium.

Ambrosius. mulieribus autem docere in ecclesia non permittitur; sed domi viros suos interrogant. ad eos ergo femina mittitur qui domestici sunt. Quae autem fuerint hae mulieres ostendit subdens erat autem Maria magdalene.

Beda. Ipsa est soror lazari, et iohanna, uxor cusae procuratoris herodis; et Maria iacobi, idest mater iacobi minoris et ioseph. Et communiter de aliis subditur et ceterae, quae cum eis erant, quae dicebant ad apostolos haec. ut enim perpetui reatus apud viros mulier opprobrium non sustineret; quae culpam viro transfuderat, transfudit et gratiam.

Theophylactus. Est autem naturaliter incredibile mortalibus resurrectionis miraculum; unde sequitur et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, et non credebant illis.

Gregorius in evang.. quod non tam illorum infirmitas, quam nostra, ut ita dicam, futura firmitas fuit. Ipsa namque resurrectio illis dubitantibus per multa argumenta monstrata est, quae dum nos legentes agnoscimus, de eorum dubitatione solidamur.

Theophylactus. petrus autem hoc audiens tollit moras, et vadit ad monumentum: quia nec ignis novit moras ingestus materiae; unde sequitur petrus autem surgens cucurrit ad monumentum.

Eusebius. Solus enim ipse credit feminis dicentibus se angelos vidisse; et cum esset eximii affectus prae ceteris, sedulum se promebat, passim circumspiciens dominum; unde sequitur et procumbens vidit sola linteamina posita.

Theophylactus. Cum autem ad monumentum fuisset, hoc primo consecutus est ut miraretur quae prius ab

ipso vel ab aliis deridebantur; unde sequitur et abiit, secum mirans quod factum fuerat: idest apud se mirans rei eventum, qualiter sola lintheamina derelicta fuere, corpore myrrha peruncto; vel quantam opportunitatem habuisset fur, ut haec semotim involuta dimittens, circumstantibus militibus corpus auferret.

Augustinus de cons. evang.. Intelligitur autem hoc lucas recapitulando posuisse de petro: tunc enim cucurrit petrus ad monumentum quando et ioannes, cum tantummodo a mulieribus, praecipue a Maria magdalene, nuntiatum eis fuerat de corpore ablato. postea autem facta sunt haec de visione angelorum. Ideo autem lucas petrum solum commemoravit, quia illi primitus Maria nuntiaverat. Item potest movere quod petrum non intrantem, sed procumbentem dicit. Lucas sola lintheamina vidisse, et discessisse mirantem; cum ioannes dicat intrasse, lintheamina vidisse posita, et seipsum post petrum intrasse. Sed intelligendum est, petrum primo procumbentem vidisse quod lucas commemorat, ioannes tacet: post autem ingressus est antequam ioannes intraret.

Beda. Iuxta intellectum vero mysticum, per hoc quod mulieres valde diluculo veniunt ad monumentum, datur nobis exemplum, discussis vitiorum tenebris, ad domini corpus accedere: nam et sepulcrum illud figuram dominici habebat altaris, in quo corporis Christi mysterio non in serico, non in panno tincto, sed instar sindonis, quo eum ioseph involvit, in linteo puro debent consecrari; ut sicut ipse veram terrenae naturae substantiam pro nobis morti obtulit, ita et nos in commemorationem ipsius purum de terrae germine, candidumque, et multimodo quasi mortificationis genere castigatum altari linum imponamus. Aromata autem, quae mulieres deferunt, significant odorem virtutum et orationum suavitatem, quibus altari appropinquare debemus. Revolutio autem lapidis insinuat reserationem sacramentorum, quae tegebantur velamine litterae legis, quae in lapide scripta est; cuius ablato tegmine, corpus domini mortuum non invenitur, sed vivum evangelizatur: quia etsi cognovimus secundum carnem Christum, sed iam nunc non novimus. Quomodo autem posito in sepulcro corpore domini, angeli astitisse leguntur, ita etiam tempore consecrationis mysterii corporis Christi assistere sunt credendi. Nos ergo, exemplo devotarum mulierum, quoties mysteriis caelestibus appropinquamus, propter angelicam praesentiam, seu propter reverentiam sacrae oblationis, cum omni humilitate vultum declinemus in terram, nos cinerem et terram esse recolentes.

LUCA 24,13-24

11413 (Lc 24,13-24)

Glossa. Post manifestationem resurrectionis Christi per angelos mulieribus factam, manifestatur ulterius eadem resurrectio per ipsius Christi apparitionem discipulis; unde dicitur et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum.

Theophylactus. quidam alterum horum duorum lucam inquirunt esse, et ob hoc suum nomen occultasse.

Ambrosius. Vel duobus discipulis seorsum dominus iam se vespere demonstrat, scilicet ammaoni et cleophae.

Augustinus de cons. Evang.. Castellum autem illud non absurde accipimus etiam villam secundum Marcum potuisse appellari. Deinde castellum describit, dicens quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab ierusalem, nomine emmaus.

Beda. Ipsa est nicopolis, civitas insignis palaestinae, quae post expugnationem iudaeae sub Marco aurelio antonino principe restaurata, cum statu mutavit et nomen. stadium autem, quo graeci, auctore ut dicunt, hercule, viarum spatia mensurant, octava est pars milliarii; et ideo sexaginta stadia, septem millia passuum et quingenta significant: quod spatium itineris eis congruit qui de morte et sepultura domini certi gradiebantur, de resurrectione domini dubii: nam resurrectionem, quae post septimam sabbati facta est, octavo numero contineri nullus ambigit. discipuli ergo, qui de domino loquentes incedunt, sextum milliarium coepti itineris compleverant: quia illum sine querela viventem usque ad mortem, quam in sexta sabbati subiit, pervenisse dolebant. compleverant et septimum, quia hunc in sepulcro non dubitabant quievisse; sed de octavo dimidium tantum peregerant, quia gloriam iam celebratae resurrectionis non credebant perfecte.

Theophylactus. praedicti autem discipuli loquebantur de his ad invicem quae acciderant; non quasi credentes, sed sicut stupentes in rebus extraneis; unde sequitur et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quae acciderant.

Beda. Loquentes autem de se dominus appropinquans comitatur; ut et fidem resurrectionis mentibus eorum incendat, et quod se facturum promiserat, impleat, scilicet ut ubi sunt duo vel tres in nomine meo

congregati, ibi sum in medio eorum; unde sequitur et factum est dum fabularentur, et secum quaerent et ipse iesus appropinquans ibat cum illis.

Theophylactus. obtento enim iam spirituali corpore, non obstat loci distantia quin adesset quibus volebat; nec ulterius naturalibus legibus corpus suum regebat, sed spiritualiter et supra naturam: unde, ut marcus dicit, sub alia forma eis videbatur, in qua non concedebatur eis eius cognitio; sequitur enim oculi autem eorum tenebantur ne illum agnoscerent; ut scilicet totam suam dubiam intentionem revelent, et vulnus detegentes, recipiant medicinam; et ut cognoscerent quod quamvis corpus ipsum quod passum fuerat, resurrexerit, non tamen amplius tale erat ut esset omnibus visibile, sed tantum his a quibus vellet videri; et ut non dubitent quare de cetero non conversatur inter plebem: quia scilicet post resurrectionem conversatio eius non esset digna hominibus, sed divina magis: quod etiam est forma resurrectionis futurae, in qua sicut angeli conversabimur, et filii dei.

Gregorius in evang.. convenienter etiam eis speciem quam recognoscerent, non ostendit; hoc agens foris in oculis corporis quod apud illos agebatur intus in oculis cordis: ipsi namque apud seipsos intus et amabant et dubitabant. De se ergo loquentibus, praesentiam exhibuit; sed de dubitantibus, cognitionis suae speciem abscondit: verba quidem eis contulit; nam sequitur et ait ad illos: qui sunt hi sermones quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? Graecus. Conferebant quidem inter se, quasi non amplius exspectantes Christum viventem; sed dolorosi, quasi perempto salvatore; unde sequitur et respondens unus cui nomen cleopha, dixit ei: tu solus peregrinus es in ierusalem, et non cognovisti quae facta sunt in illa his diebus? Theophylactus. Quasi dicat: tu solus peregrinus es, et extra confinia ierusalem habitas, et expers es eorum quae in medio eius contigerunt, et haec ignoras? **Beda.** Vel hoc dicit, quia peregrinum putabant eum cuius vultum non agnoscebant. Sed revera peregrinus erat eis, a quorum naturae fragilitate, percepta iam resurrectionis gloria, longe distabat, et quorum fide, utpote resurrectioni eius nescia, manebat extraneus. Sed adhuc dominus interrogat; nam sequitur quibus ille dixit: quae? et ponitur eorum responsio, cum subditur et dixerunt ei: de iesu nazareno, qui fuit vir propheta. Prophetam fatentur, filium dei tacent, vel nondum perfecte credentes, vel solliciti ne inciderent in manus iudaeorum persequentium, quia nesciebant quis esset, vel quod verum credebant celantes; ad cuius commendationem subditur potens in opere et sermone.

Theophylactus. Primo quidem est opus, secundo sermo: nullus enim doctrinae sermo approbatur, nisi prius is qui docet, se ostendat auctorem: praecedat enim opus aspectum. Nam nisi mundaveris intellectus speculum per opera, non emicat decor optatus. Adhuc autem subditur coram Deo et omni populo: nam primo complacendum est deo; deinde curandum, quantum possibile est, de innocentia apud homines, ut praecedente divino cultu vivamus sine scandalo plurimorum.

Graecus. Deinde assignatur causa tristitiae, traditio et passio Christi, cum sequitur et quomodo tradiderunt eum summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. Subditur autem desperantium vox, cum dicitur nos autem sperabamus quod ipse esset redempturus israel. Sperabamus, inquit, non speramus, ac si mors domini, similis esset mortibus aliorum.

Theophylactus. expectabant enim Christum salvaturum et redempturum populum israel ab ingruentibus malis, et a servitute romanorum; ipsum quoque credebant terrenum regem fieri, quem putabant promulgatam in se mortis sententiam cavere potuisse.

Beda. Merito ergo tristes incedebant: quia et seipsos quodammodo arguebant, quod in illo redemptionem speraverint, quem iam mortuum viderant, nec resurrecturum credebant; et maxime dolebant eum sine causa occisum, quem noverant innocentem.

Theophylactus. Videntur tamen hi viri non omnino increduli esse, per hoc quod subditur et nunc super haec omnia tertia dies est hodie quod haec facta sunt: in quo videntur habere memoriam eius quod eis dominus dixerat, se tertia die resurrecturum.

Graecus. porro relatam a mulieribus resurrectionis famam commemorant, cum subditur sed et mulieres quaedam ex nostris terruerunt nos, quae ante lucem fuerunt ad monumentum, et non invento corpore eius, venerunt dicentes, se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. dicunt quidem hoc quasi non credentes; propter quod referunt se territos, idest stupefactos: non enim quod erat eis relatum firmum aestimabant, aut angelicam illuminationem fuisse; sed stuporis et turbationis causam inde sumebant. Testimonium quoque petri non certum aestimabant, dum diceret, se non vidisse dominum, sed resurrectionem eius conicere ex eo quod corpus ipsius in sepulcro non iacebat; unde sequitur et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt.

Augustinus de cons. evang.. Cum autem lucas dixerit petrum accurrisse ad monumentum, et cleopham

dixisse ipse retulerit quod quidam eorum ierant ad monumentum; intelligitur attestari ioanni, quod duo ierint ad monumentum; sed petrum primo solum commemoravit, quia illi primitus Maria nuntiaverat.

LUCA 24,25-35

11425 (Lc 24,25-35)

Theophylactus. Quia praedicti discipuli nimia dubietate laborabant dominus eos redarguit; unde dicitur et ipse dixit ad eos: o stulti. Fere enim eadem dixerant quae et astantes cruci: alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Et tardi corde ad credendum in omnibus quae locuti sunt prophetae. Contingit enim credere quae locuti sunt prophetae, particulariter quaedam, et non universaliter omnia: puta, si aliquis credat quae de cruce Christi dicuntur a prophetis, sicut est illud: foderunt manus meas et pedes meos; quae vero spectant ad resurrectionem non credat, sicut est illud: non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Decet autem in omnibus fidem adhibere prophetis; tam in gloriosis quae de Christo praedixerunt, quam in ingloriis: quia ex passione malorum est ingressus in gloriam; unde sequitur nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? scilicet secundum humanitatem. Isidorus. sed et si oportebat Christum pati, tamen qui crucifixerunt rei sunt poena: non enim satagebant perficere quod deus disponebat: unde et eorum executio fuit impia; dei vero dispensatio prudentissima, qui nequitiam eorum in beneficia generis humani convertit, quasi utens vipereis carnibus ad antidoti salutiferi confectionem.

Chrysostomus. Et ideo dominus ostendit consequenter, haec omnia non evenisse simpliciter, sed ex dei proposito ante praedestinato; unde sequitur et incipiens a moyse et omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis quae de ipso erant: quasi diceret: postquam estis tardi, ego promptos vos reddam, mysteria scripturarum vobis exponendo: nam sacrificium abrahamae, cum isaac dimisso immolatus est aries, hoc praefiguravit. Sed in aliis scripturis propheticis sparsim iacent mysteria crucis et resurrectionis Christi.

Beda. Si autem moyses et prophetae de Christo locuti sunt, et eum per passionem in gloriam intraturum praedixerunt; quomodo gloriatur se esse Christianum qui neque qualiter scripturae ad Christum pertineant investigat, neque ad gloriam quam cum Christo habere cupit, per passionem attingere desiderat? Graecus. Quia vero praedixit evangelista tenebantur oculi eorum ne eum agnoscerent, donec sermo domini mentem eorum moveret ad fidem; convenienter opportunum sui aspectum auditui subiungit; unde sequitur et appropinquaverunt castello quo ibant, et ipse finxit se longius ire.

Augustinus de quaest. Evang.. quod non ad mendacium pertinet: non enim omne quod fingimus, mendacium est; sed quando id fingimus quod nihil significat, tunc mendacium est; cum autem fictio nostra refertur ad aliquam significationem, non est mendacium, sed aliqua figura veritatis; alioquin omnia quae a sapientibus et sanctis viris, vel etiam ab ipso domino figurate dicta sunt, mendacia deputabuntur, quia secundum usitatum intellectum non consistit veritas in talibus dictis. Sicut autem dicta, ita etiam finguntur facta sine mendacio ad aliquam rem significandam.

Gregorius in evang.. quia ergo adhuc in eorum cordibus peregrinus erat a fide, ire se longius finxit. Fingere namque componere dicimus: unde et compositores luti, figulos vocamus. Nihil ergo simplex veritas per duplicitatem fecit; sed talem se exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente. sed quia esse extranei a caritate non poterant hi cum quibus caritas gradiebatur, eum ad hospitium quasi peregrinum vocant; unde sequitur et coegerunt illum: ex quo exemplo colligitur quia peregrini ad hospitium non solum invitandi sunt, sed etiam trahendi.

Glossa. Nec solum factis eum cogunt, sed etiam verbis inducunt; sequitur enim dicentes: mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est iam dies, scilicet ad occasum.

Gregorius. Ecce autem cum per membra sua Christus suscipitur, susceptores suos etiam per semetipsum requirit; sequitur enim et intravit cum illis. mensam ponunt, cibos afferunt, et deum quem in scripturae sacrae expositione non cognoverant, in panis fractione cognoscunt; sequitur enim et factum est, dum recumberet cum illis, accepit panem et benedixit ac fregit, et porrigebat illis. Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum.

Chrysostomus. Quod non de sensibilibus oculis dictum est, sed de sensu mentali.

Augustinus de cons. Evang.. Neque enim clausis oculis ambulabant, sed inerat aliquid, quo non sinerentur agnoscere quod videbant; quod scilicet caligo et aliquis humor efficere solet; non quia dominus non poterat transformare carnem suam, ut alia revera esset effigies quam solebant intueri; quandoquidem

et ante passionem transformatus est in monte, ut facies eius claresceret sicut sol: sed non ita nunc factum est: non enim incongruenter accipimus hoc impedimentum in oculis eorum a satana factum fuisse, ne agnosceretur iesus. Sed tantum a Christo facta est permissio usque ad sacramentum panis, ut veritate corporis eius participata, removeri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci.

Theophylactus. Sed et aliud innuit: quod scilicet summentibus sacrum panem aperiuntur oculi, ut eum agnoscant: magnam enim et ineffabilem vim habebat domini caro.

Augustinus de quaest. Evang.. vel quod dominus se ire longius finxit cum comitaretur discipulos, exponens eis sacras scripturas, utrum ipse esset, ignorantibus, significat quia hospitalitatis officio ad suam cognitionem pervenire posse homines intimavit; ut, cum longius ipse ab hominibus abscesserit super omnes caelos, cum eis tamen sit qui haec exhibent servis eius. Tenet ergo Christum, ne longius ab eo eat, quisquis catechizatus verbo in omnibus bonis ei qui se catechizat communicat. etenim isti catechizati erant verbo, cum exponeret eis scripturas: et quia hospitalitatem sectati sunt, quem in ipsa expositione scripturarum non cognoverunt, in panis fractione cognoscunt: non enim auditores legis iusti sunt apud deum, sed factores legis iustificabuntur.

Gregorius in evang.. Quisquis ergo audita vult intelligere, festinet ea quae iam intelligere potuit, opere implere. ecce dominus non est cognitus dum loqueretur, et dignatus est cognosci dum pascitur; sequitur enim et ipse evanuit ex oculis eorum.

Theophylactus. Non enim tale corpus habebat ut diutius cum eis commorari deberet, ut ex hoc pariter auget affectum eorum; unde sequitur et dixerunt ad invicem: nonne cor nostrum ardens erat in nobis dum loqueretur in via, et aperiret nobis scripturas? **Origenes.** per quod innuit, quod prolati sermones a salvatore accendebant audientium cor ad amorem divinum.

Gregorius in hom. Pentec.. Ex audito enim sermone inardescit animus, torporis frigus recedit, mens in superno desiderio fit anxia. Audire libet praecepta caelestia, et quod mandatis instruitur, quasi tot facibus inflammatur.

Theophylactus. Ardebat ergo cor eorum vel igne verborum domini, quibus intendebant tamquam veris: vel quia eo disserente scripturas, percellabatur intrinsecus cor eorum, quod ille qui disserebat dominus esset. Adeo ergo laetati sunt ut nullam moram passi, mox reversi sint in ierusalem; et hoc est quod sequitur et surgentes eadem hora regressi sunt in ierusalem. Surrexerunt quidem eadem hora, pervenerunt autem per plures horas, sicut oportebat sexaginta stadia transeuntes.

Augustinus de cons. Evang.. iam autem fama erat quod surrexerat iesus, a mulieribus facta, et a simone petro, cui iam apparuerat. Etenim isti duo haec invenerunt loquentes illos ad quos in ierusalem venerunt; sequitur enim et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum ipsis erant, dicentes, quod surrexit dominus vere, et apparuit simoni.

Beda. Omnium enim virorum primo dominus apparuisse videtur petro ex his quos evangelistae quatuor et paulus apostolus commemoraverunt.

Chrysostomus. non enim simul omnibus se manifestabat, ut sereret fidei semina: nam qui primo viderat et certus erat, aliis referebat; deinde sermo prodiens praeparabat animum auditoris visioni: et ideo primo digniori et fideliori omnibus apparuit: erat enim opus animae fidelissimae, quae prius acciperet hunc aspectum, ut minime turbaretur inopinata visione: et ideo primo videtur a petro; ut qui primo confessus est eum Christum, primo resurrectionem videre mereatur; et etiam, quia eum negaverat, prius ei voluit apparere, consolans eum ne desperaret. Post petrum vero aliis apparuit, quandoque paucioribus, quandoque pluribus; quod duo discipuli confitentur; sequitur enim et ipsi narraverunt quae gesta erant in via, et quomodo cognoverunt eum in fractione panis.

Augustinus. quod autem ait marcus: annuntiaverunt ceteris, nec illis crediderunt, cum lucas dicat quod iam inde loquebantur vere resurrexisse dominum, quid intelligendum est, nisi aliquos ibi fuisse qui hoc credere nollent?

LUCA 24,36-40

Augustinus de cons. Evang.. hanc ostensionem domini post resurrectionem, iohannes commemorat. Sed quod dicit iohannes, non cum illis fuisse apostolum thomam, cum secundum lucam duo illi regressi in ierusalem, invenerunt congregatos undecim, proculdubio intelligendum est quod inde thomas exierit, antequam dominus haec loquentibus appareret. Dat enim lucas locum in sua narratione quomodo possit intelligi, dum haec loquerentur, prius inde exisse thomam, et postea dominum intrasse; nisi quis dicat, non illos undecim qui iam tunc apostoli vocabantur, sed discipulos illos undecim fuisse ex multo numero discipulorum. Sed cum adiunxit lucas et eos qui cum ipsis erant, satis utique declaravit evidentius illos undecim appellatos qui vocabantur apostoli, cum quibus ceteri erant. Sed videamus, cuius mysterii gratia, secundum Matthaëum et Marcum resurgens ita mandaverit: praecedam vos in galilaeam, ibi me videbitis; quod etsi completum est, tamen post multa completum est; cum sic mandatum sit, ut aut hoc solum, aut hoc primum expectaretur fieri debuisset.

Ambrosius. Unde hoc convenientius arbitror, quod dominus quidem mandaverit discipulis ut in galilaea eum viderent; sed illis ob metum intra conclave residentibus primum se obtulisse.

Graecus. nec hoc est promissi transgressio; sed potius festinata ex benignitate impletio, propter pusillanimitatem discipulorum.

Ambrosius. postea vero confirmatis animis, undecim illos galilaeam petiisse. Vel nihil obstat si dicantur pauciores intra conclave, et in monte quamplures fuisse.

Eusebius. duo enim evangelistae, scilicet lucas et iohannes, solis undecim hunc scribunt apparuisse in ierusalem; ceteri vero duo in galilaeam properare, non solum undecim, sed etiam universis discipulis et fratribus dixerunt angelum et salvatorem iussisse; de quibus paulus meminit dicens: deinde apparuit plusquam quingentis fratribus simul. Est autem verior solutio, quod prius quidem in ierusalem latitantibus, semel aut bis visus est ad eorum consolationem; in galilaea vero non in conclavi, aut semel aut bis, sed cum multa potestate ostensionem sui fecit, praebens se eis viventem post passionem in signis multis, ut lucas testatur in actibus.

Augustinus de cons. Evang.. Vel quod ab angelo, hoc est a domino, dictum est, prophetiae accipiendum est: in galilaea enim, secundum transmigrationis significationem, intelligendum occurrit, quia de populo israel transmigraturi erant ad gentes; quibus apostoli praedicantes evangelium non crederent nisi ipse dominus viam in cordibus hominum praepararet; et hoc intelligitur: praecedet vos in galilaeam. secundum autem illud quod galilaea interpretatur revelatio, non iam in forma servi intelligendum est, sed in qua est aequalis patri, quam promisit electis suis; illa erit revelatio tamquam vera galilaea, cum videbimus eum sicut est. Ipsa etiam erit beatorum transmigratio ex isto saeculo in illam aeternitatem, unde ad nos veniens non recessit, et quo nos praecedens non deserit.

Theophylactus. Primo igitur dominus in medio discipulorum stans, solito pacis affatu eorum turbinem sedat, ostendens quod ipse idem est magister eorum, qui hoc verbo gaudebat, quo etiam eos munivit cum ad praedicandum misit; unde sequitur et dixit eis: pax vobis: ego sum, nolite timere.

Cyrillus. Pudeat ergo nos pacis munus deserere, quam nobis hinc discedens Christus reliquit. Pax et res et nomen dulce, quam et dei esse accepimus, iuxta illud: pax dei, et eius esse deum, iuxta illud: deus pacis, et ipsam esse deum, iuxta illud: ipse est pax nostra. pax bonum commendatum ab omnibus, observatum autem a paucis. Quae autem est causa? fortassis ambitio domini aut facultatum, aut livor, aut odium, aut contemptus, aut aliquid huiusmodi ex his quae dei ignaros videmus incurrere. Dei quippe praecipue pax est, quae confoederat omnia; cuius nihil est adeo proprium sicut unitas naturae, et pacificus status. transmittitur vero angelis et divinis potestatibus, quae ad deum et ad invicem pacifice se habent; diffunditur vero per totam creaturam, cuius est decor; tranquillitas in nobis autem manet secundum animam quidem per investigationem virtutum et communicationem, secundum corpus vero in membrorum et elementorum commensationem: quorum alterum pulchritudo, alterum sanitas appellatur.

Beda. Discipuli autem noverant Christum verum hominem, cum quo tanto tempore fuerant conversati; sed postquam mortuus est, non credunt tertia die potuisse veram carnem de sepulcro resurgere. putant ergo se videre spiritum, quem emisit in passione; unde sequitur conturbati vero et conterriti, existimabant se spiritum videre. Error ille apostolorum secta est manichaeorum.

Ambrosius. Adductis autem virtutum exemplis, petrum et iohannem non credimus potuisse dubitare. cur ergo lucas inducit fuisse turbatos? primo omnium quia paucorum opinionem sententia maioris partis includit; deinde, quia, etsi petrus de resurrectione crediderat, turbari tamen potuit, quod se dominus cum corpore, vultibus obseratis improvisus infunderet.

Theophylactus. verum, quia per verbum pacis non est sedatus turbo in animabus discipulorum, aliunde indicat eis se filium dei esse, qui mentis cognoscebat arcana; unde sequitur et dixit eis: quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra? **Beda.** Quales utique cogitationes, nisi falsae et perniciosae? perdidit enim Christus fructum passionis, si non esset veritas resurrectionis; tamquam si bonus agricola diceret: quod ibi plantavi, inveniam, idest fidem, quae in cor descendit, quia desuper est. Cogitationes autem istae non desuper descenderunt, sed de imo in cor, sicut herba mala, ascenderunt.

Cyrillus. hoc autem fuit evidentissimum signum quod non alius est qui videtur, sed ille idem quem viderant in ligno mortuum et positum in sepulcro, quem non latebat aliquid eorum quae erant in homine.

Ambrosius. Consideremus autem qua gratia, secundum iohannem, apostoli crediderunt, et gavisi sunt, qui secundum lucam increduli redarguuntur. Et videtur mihi iohannes quasi apostolus maiora et altiora tetigisse: his sequentia et humanis proxima; hic historico usus circuitu, ille compendio: quia et de illo dubitari non potest, quia testimonium perhibet de his quibus ipse interfuit; et ideo utrumque verum putamus; nam et si in primo lucas eos non credidisse dicat, postea tamen credidisse demonstrat.

Cyrillus. Comprobans autem dominus devictam esse mortem, et humanam naturam iam in Christo corruptionem exuisse, primo ostendit eius manus et pedes, et clavorum foramina; unde subdit videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum.

Theophylactus. Sed et aliud subiungit: palpationem scilicet manuum atque pedum, cum dicit palpate, et videte quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere; quasi diceret: vos putatis me esse spiritum, idest phantasma, sicut plures defunctorum circa sepulcra videri sunt soliti; sed scitote quod spiritus neque carnem habet neque ossa; ego autem carnem et ossa habeo.

Ambrosius. hoc autem dominus ideo dixit, ut speciem nobis suae resurrectionis ostenderet: nam quod palpatur corpus est. In corpore autem resurgemus; sed illud subtilius, hoc crassius, utpote adhuc terrena labis qualitate concretum. Non ergo per incorpoream naturam, sed per resurrectionis corporeae qualitatem Christus clausa penetravit.

Gregorius moralium. non enim illa resurrectionis gloria corpus nostrum erit impalpabile, et ventis aereque subtilius, ut euty chius dixit; sed subtile quidem per effectum spiritualis potentiae, palpabile autem per veritatem naturae. sequitur et cum haec dixisset, ostendit eis manus et pedes.

Beda. Quibus scilicet indicata clavorum vestigia claruere; sed secundum iohannem etiam latus eis ostendit, cum fuerit lancea perforatum; ut scilicet ostensa vulnerum cicatrice, dubietatis eorum vulnus sanaret. Solent autem in hoc loco gentiles calumniam struere, quasi non valuerit dominus vulnera sibi inflictia curare: quibus respondendum est, quia non est consequens ut qui maiora fecisse probatur, minora facere nequiverit; sed certe dispensationis gratia, qui mortem destruxit, signa mortis delere noluit: primo quidem, ut per hoc discipulis fidem suae resurrectionis astrueret; deinde ut patri pro nobis supplicans, quale genus mortis pro homine pertulerit, semper ostendat; tertia ut sua morte redemptis quam misericorditer sint adiuti, propositis eiusdem mortis indiis, insinuet: postremo ut in iudicio quam iuste damnentur impii, denuntiet.

LUCA 24,41-44

11441 (Lc 24,41-44)

Cyrillus. Ostenderat dominus discipulis manus et pedes, ut certificaret discipulos, quod corpus quod passum fuerat resurrexit. Ut adhuc autem magis certificaret, aliquid manducabile petiit; unde dicitur adhuc autem illis non credentibus et mirantibus prae gaudio dixit: habetis hic aliquid quod manducetur? **Gregorius** nyssenus. Et iussu quidem legis pascha cum amaricantibus edebatur; quia adhuc amaritudo manebat, post resurrectionem vero cibus favo mellis dulcoratur; unde sequitur at illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis.

Beda. Ad insinuandum ergo resurrectionis suae veritatem, non solum tangi a discipulis, sed etiam convesci cum illis dignatur, ne arbitrentur eum non solide, sed imaginabiliter sibi apparere; unde sequitur et cum manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis. Manducavit quidem potestate, non ex necessitate: aliter absorbet aquam terra sitiens, aliter sol calens; illa indigentia, iste potentia.

Graecus. Si damus dominum vere comedisse, demus et omnes homines post resurrectionem uti ciborum fomentis. Sed quae ex quadam dispensatione fiunt a salvatore, non sunt regula et norma naturae; quoniam in quibusdam aliis dispensavit. Resuscitabit enim nostra corpora incorrupta, qui tamen dereliquit proprii corporis foramina, quae clavi foraverant, et lateris cicatricem, ut ostendat quod mansit post resurrectionem natura corporis, nec est in aliam mutatus substantiam.

Beda. Manducavit ergo post resurrectionem, non quasi cibo indigens, nec quasi in resurrectione quam expectamus, cibus egere significans; sed ut eo modo naturam corporis resurgentis astrueret. mystice autem piscis assus, quem Christus comedit, significat Christum passum: ipse enim latere dignatus in aquis generis humani, capi voluit laqueo mortis nostrae; et quasi tribulatione assatus est tempore passionis suae: sed favus mellis nobis extitit in resurrectione. In favo quidem mellis utramque naturam exprimere voluit personae suae. Favus quippe mellis in cera est; mel vero in cera, est divinitas in humanitate.

Theophylactus. videntur autem et comesta aliud habere mysterium: quod enim manducavit partem piscis assi, significavit quod naturam nostram in huius vitae mari natantem, assans eam igne propriae deitatis, et exsiccans eius humiditatem, quam a profundis undis contraxerat, escam fecit divinam; et eam quae prius erat abominabilis, praeparavit Deo cibum suavem; quod significat favus mellis. Vel per pisces assum significat vitam activam consumentem nostram humilitatem laborum prunis; contemplationem vero significat per favum mellis, propter dulcedinem eloquiorum dei.

Beda. Postquam autem visus est, tactus est et manducavit, ne in aliquo sensu humanos ludificasse videretur, misit manus ad scripturas; unde sequitur et dixit ad illos: haec sunt verba quae locutus sum ad vos cum adhuc essem vobiscum; idest, cum adhuc essem in carne mortali, in qua estis et vos: tunc quidem in eadem carne resuscitatus erat, sed cum illis in eadem mortalitate non erat: et subdit quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege moysi et prophetis et psalmis de me.

Augustinus de cons. evang.. Illud attendant qui magicis artibus Christum tanta potuisse, et nomen suum ad apostolos in se convertendos arte ipsa consecrasse delirant, utrum potuit magicis artibus prophetas divino spiritu antequam in terra nasceretur implere. neque enim si magicis artibus fecit ut coleretur et mortuus, magus erat antequam natus, cui prophetando venturo gens una deputata est.

LUCA 24,45-49

11445 (Lc 24,45-49)

Beda. Postquam praeiit se videndum oculis, manibus contrectandum, legis commemoravit scripturas, consequenter aperuit sensum, ut intelligatur quod legitur; unde dicitur tunc aperuit illis sensum ut intelligerent scripturas.

Theophylactus. alioquin quomodo eorum anima turbata et vacillans, circa Christi mysterium studisset? sed et verbis eos docuit; sequitur enim et dixit eis, quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, scilicet per lignum crucis.

Beda. Perdidit autem Christus fructum passionis, si non esset veritas resurrectionis; unde subdit et resurgere a mortuis die tertia. Deinde post commendatam sui corporis veritatem, commendat ecclesiae unitatem, cum subdit et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes.

Eusebius. Dictum enim erat: postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam. Oportebat autem conversus ex gentibus expiari a quolibet contagio et macula per ipsius virtutem, quasi contaminatos ab errore daemonum idololatriae, et quasi nuper conversos a vita execrabili et impudica: et ideo dicit, quod oportet praedicari prius quidem poenitentiam, consequenter remissionem peccatorum in omnes gentes: eis enim qui prius quidem veram ostenderunt malorum poenitentiam, salubri gratia veniam commissorum donavit, pro quibus et mortem subiit.

Theophylactus. In hoc vero quod dicit poenitentiam et remissionem peccatorum, etiam de baptismo meminit, in quo per depositionem priorum scelerum subsequitur venia peccatorum. Sed quo pacto intelligetur in solo Christi nomine baptisma fieri, cum alibi mandet hoc fieri in nomine patris et filii et spiritus sancti? et primo quidem dicimus, quod non intelligitur quod in solo Christi nomine fiat baptisma, sed quod Christi baptismo aliquis baptizetur, idest spiritualiter, non iudaice, nec tali quali iohannes baptizabat ad

solam poenitentiam, sed ad spiritus almi participationem; sicut et Christus in iordane baptizatus ostendit spiritum sanctum in specie columbina. Porro baptisma in Christi nomine, idest morte Christi, intelligas: sicut enim ipse post mortem triduo resurrexit, sic et nos ter in aquam mergimur, et consequenter emergimur, incorruptibilitatis spiritus arrham recipientes. hoc etiam Christi nomen continet in se et patrem quasi unctorem, et spiritum quasi unctorem, et filium quasi unctum, scilicet secundum humanam naturam. Non autem decebat amplius bipartitum esse humanum genus in iudaeos et gentiles: et ideo, ut omnes in unum uniret, mandavit incipere sermonem a ierusalem et ad gentes terminari; unde sequitur incipientibus ab ierusalem.

Beda. Non solum quia credita sunt illis eloquia dei, et eorum est adoptio filiorum et gloria; verum etiam ut gentes variis erroribus implicatae, hoc maxime indicio divinae pietatis ad spem veniae provocentur, quod eis qui filium dei crucifixerunt, venia concedatur.

Chrysostomus. Insuper ne dicerent aliqui, quod omissis notis iverunt se ostenturos ad extraneos, ideo prius apud ipsos occisores pandunt resurrectionis signa in eadem civitate in qua prorupit temerarius ausus. Ubi enim crucifixo credere videntur, resurrectio plurimum demonstratur.

Eusebius. Quod si ea quae Christus praedixit, iam sortiuntur effectum, et verbum eius vivax et efficax per universum mundum oculata fide perspicitur, tempus est non incredulos esse erga eum qui protulit verbum. Eum enim necesse est divinam vitam ducere cuius opera vivida verbis consona ostenduntur; quae quidem ministerio apostolorum impleta sunt; unde subdit vos autem estis testes horum, mortis scilicet et resurrectionis.

Theophylactus. consequenter ne turbati cogitent: quomodo nos homines idiotae testimonium perhibebimus gentibus et iudaeis, qui te occiderunt? subiungit et ego mittam promissum patris mei in vos; quod scilicet per ioelem promiserat dicens: effundam spiritum meum super omnem carnem.

Chrysostomus. Sicut autem milites invasuros multos nemo dux exire sinit donec armati sint; sic et discipulos ante spiritus descensum, ad conflictum egredi non permittit; unde subdit vos autem sedebitis in civitate quoadusque induamini virtute ex alto.

Theophylactus. Idest, virtute non humana, sed caelesti. Nec dixit: suscipiatis, sed induamini, integram tutelam spiritualis velaminis indicans.

Beda. de hac autem virtute, idest spiritu sancto, dicit etiam angelus mariae: et virtus altissimi obumbrabit tibi; et ipse dominus alibi: nam et ego novi virtutem de me exisse.

Theophylactus. Cur autem non Christo praesente, vel eo discedente statim spiritus venit? decebat enim eos fieri cupidos rei, et demum recipere gratiam: tunc enim magis ad deum erigimur, cum incumbit necessitas. Oportebat enim interim nostram comparere naturam in caelo, et foedera consummari, ac deinde spiritum advenire et gaudia celebrari serena. Attende etiam quantam eis necessitatem imposuit hierosolymis esse, in eo quod illic spiritum promisit largiri. ne enim rursus post eius resurrectionem aufugerent, hac expectatione quasi quodam vinculo omnes simul eos ibi detinuit. Dicit autem donec induamini virtute ex alto; nec expressit quando, ut sint iugiter vigiles. quid ergo miraris, si diem nobis novissimum non pandit, cum diem hunc propinquum pandere noluit? **Gregorius** reg. Pastor.. Admonendi sunt ergo quos a praedicationis officio vel imperfectio vel aetas prohibet, et tamen praecipitatio impellit, ne dum sibi tantum onus officii praecipitatione arrogant, viam sibi subsequenter meliorationis abscindant. Ipsa enim veritas, quae repente quos vellet roborare potuisset; ut exemplum sequentibus daret, ne imperfecti praedicare praesumerent; postquam plene discipulos de virtute praedicationis instruxit, mandavit eis ut in civitate sederent, donec induerentur virtute ex alto. In civitate quippe sedemus, si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus, ne loquendo exterius evagemur; ut cum virtute divina perfecte induimur, tunc quasi a nobismetipsis foras etiam alios instruere exeamus.

Ambrosius. consideremus autem quomodo secundum iohannem acceperint spiritum sanctum; hic autem in civitate iubentur sedere, quoadusque induantur virtute ex alto. Sed spiritum sanctum vel illis undecim quasi perfectioribus insufflavit, et reliquis postea tribuendum promittit; vel eisdem ibi insufflavit, hic spondit. Nec videtur esse contrarium, cum divisiones sint gratiarum. Ergo aliam insufflavit ibi operationem, hic aliam pollicetur: ibi enim remittendorum gratia tributa est peccatorum; quod videtur esse augustius: et ideo insufflatur a Christo, ut credas de Deo spiritum sanctum Christi, et credas de Deo spiritum: deus enim solus peccata dimittit. Lucas autem linguarum gratiam describit effusam.

Chrysostomus. Vel dicit: accipite spiritum sanctum, ut eos idoneos faceret ad receptionem: aut quod futurum est, ut praesens indicavit.

Augustinus de trin.. Vel dominus post resurrectionem suam bis dedit spiritum sanctum: semel in terra propter dilectionem proximorum, et iterum de caelo propter dilectionem dei.

LUCA 24,50-53

11450 (Lc 24,50-53)

Beda. Praetermissis omnibus quae per quadraginta dies agi a domino cum discipulis potuerunt, primo diei resurrectionis eius coniungit tacite novissimum diem quo ascendit in caelum, dicens eduxit autem eos foras in bethaniam. Primo quidem propter nomen civitatis, quae domus obedientiae dicitur: qui enim propter inobedientiam perversorum descendit, propter obedientiam conversorum ascendit. Deinde propter situm eiusmodi villae, quae in latere montis olivarum posita esse narratur: quia videlicet obedientis ecclesiae domus in ipsius summi montis, idest in Christi, latere, fidei, spei dilectionisque suae fundamenta locavit. Eos autem benedicit, quibus praecepta docendi tradiderat; unde sequitur et elevatis manibus suis benedixit eis.

Theophylactus. Forsan vim conservativam influens eis usque ad adventum spiritus; et fortassis instruens nos, ut quoties recedimus, benedictionibus subditos dei commendemus.

Origenes. Quod autem elevatis manibus benedixit eos, significat quod deceat benedicientem cuiquam ornatum esse variis operibus et arduis respectu aliorum: sic enim manus tolluntur in altum.

Chrysostomus. Attende autem, quod dominus bravia repromissa aspectui subicit. Promiserat quidem corporum resurrectionem: a mortuis resurrexit, et per quadraginta dies discipulos certificat. Promittitur etiam, quod in nubibus rapiemur in aera; et hoc ipse patefecit per opera; sequitur enim et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in caelum.

Theophylactus. Et elias quidem videbatur quasi assumi in caelum; sed salvator ipse praecursor omnium ascendit in caelum, appariturus divino conspectui in sacro suo corpore: et iam nostra natura in Christo honoratur a qualibet virtute angelica.

Chrysostomus. Sed dices: quid interest mea? quia et tu in nubibus suscipieris similiter: nam corpus tuum connaturale est illi corpori. Erit igitur et corpus tuum tam agile ut possit transire per aera; nam sicut caput, sic et corpus; sicut principium, sic et finis. Aspice autem quomodo honoratus es per hoc principium. infima pars rationalis creaturae homo erat; sed pedes effecti sunt caput, sublimati in regiam sedem in suo capite.

Beda. Ascendente autem in caelum domino, discipuli adorantes ubi steterunt novissime pedes eius, confestim hierosolymam redeunt, ubi promissionem patris sunt expectare praecepti; sequitur enim et ipsi adorantes regressi sunt in ierusalem cum gaudio magno. Gaudia magna agunt, quia deum ac dominum suum post triumphum resurrectionis etiam caelos penetrasse laetantur.

Graecus. Et erant vigilantes: non degentes in propriis laribus, sed expectantes supernam gratiam conversantur in templo, inter cetera etiam loci honestatem adicientes; unde dicitur et erant semper in templo.

Theophylactus. Nondum aderat spiritus, et iam spiritualiter conversantur: prius erant reclusi, iam stant in medio principum sacerdotum, nec aliquo distrahuntur mundano, sed omnibus contemptis iugiter deum laudant; sequitur enim laudantes et benedicientes deum.

Beda. Et attende, quod lucas inter quatuor animalia caeli designatus accipitur per vitulum; cuius victima, qui in sacerdotium eligebantur, initiari sunt iussi, eo quod ipse sacerdotium Christi ceteris amplius exponendum suscepit; et evangelium suum, quod a ministerio templi per sacerdotium zachariae coepit, in templi devotione complevit: et apostolos ibi ministros novi sacerdotii futuros, non in victimarum sanguine, sed in laude dei et in benedictione conclusit: ut in loco orationis et inter laudum devotiones promissum spiritus sancti adventum paratis cordibus expectent.

Theophylactus. Quos nos imitantes, in sacra vita semper degamus, laudantes et benedicientes deum, cui est gloria et benedictio et virtus in saecula. Amen.

CATENA AUREA IN IOANNEM

PREFACIO

Vidi dominum sedentem super solium excelsum et elevatum; et plena erat domus a maiestate eius; et ea quae sub ipso erant, replebant templum.

Glossa. Divinae visionis sublimitate illustratus Isaias propheta dixit vidi dominum sedentem etc..

Hieronymus, super Isaiam. Quis sit iste dominus qui videtur, in evangelista Ioanne plenius discimus, qui ait: haec dixit Isaias, quando vidit gloriam Dei, et locutus est de eo: haud dubium quin Christum significet.

Glossa. Unde ex verbis istis materia huius evangelii, quod secundum Ioannem describitur, designatur. ex eccles. Hist.. Quia enim nativitatem salvatoris secundum carnem vel matthaeus, vel lucas descripserant, reticuit hic Ioannes, et a theologia atque ab ipsa eius divinitate sumit exordium; quae pars sine dubio ipsi velut eximio per spiritum sanctum reservata est.

Alcuinus. Unde cum omnibus divinae scripturae paginis evangelium excellat, quia quod lex et prophetae futurum praedixerunt, hoc completum dicit evangelium; inter ipsos autem evangeliorum scriptores Ioannes eminet in divinatorum mysteriorum profunditate: qui a tempore dominicae ascensionis per annos sexaginta quinque verbum Dei absque adminiculo scribendi usque ad ultima domitiani tempora praedicavit; sed post occisionem domitiani, cum, nerva permittente, de exilio rediisset ephesum, compulsus ab episcopis asiae, de coaeterna patri divinitate Christi scripsit adversus haereticos, qui Christum ante mariam fuisse negabant. Unde merito in figura quattuor animalium aquilae volanti comparatur, quae volat altius cunctis avibus, et solis radios irreverberatis aspicit luminibus.

Augustinus, in Ioannem. Transcendit enim Ioannes omnia cacumina terrarum, transcendit omnes campos aeris, transcendit omnes altitudines siderum, transcendit omnes choros et legiones angelorum: nisi enim transcenderet ista omnia quae creata sunt, non perveniret ad eum per quem facta sunt omnia.

Augustinus, de cons. Evang.. Ex quo intelligi datur, si diligenter advertas, tres evangelistas temporalia facta domini et dicta quae ad informandos mores vitae praesentis maxime valerent, persecutos, circa activam virtutem fuisse versatos; Ioannem vero facta domini multo pauciora narrantem, dicta vero eius, praesertim quae trinitatis unitatem et vitae aeternae felicitatem insinuarent, diligentius et uberius conscribentem, in virtute contemplativa commendanda suam intentionem praedicationemque tenuisse. Unde animalia tria, per quae tres alii evangelistae designantur, sive leo, sive homo, sive vitulus, in terra gradiuntur: quia tres evangelistae in his maxime occupati sunt quae Christus in carne operatus est, et quae praecepta mortalis vitae exercendae carnem portantibus tradidit; at vero Ioannes supra nubila infirmitatis humanae velut aquila volat, et lucem incommutabilis veritatis acutissimis atque firmissimis oculis cordis intuetur: ipsam enim maxime divinitatem domini, qua patri est aequalis, intendit, eamque praecipue suo evangelio, quantum inter homines sufficere credidit, commendare curavit.

Glossa. Potest igitur evangelista Ioannes cum Isaias propheta dicere vidi dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, in quantum acumine visus sui Christum in divinitatis maiestate regnantem inspexit; quae quidem etiam sua natura excelsa est, et super omnia alia elevata. Dicat etiam evangelista Ioannes et plena erat domus a maiestate eius: quia per ipsum narrat omnia esse facta, et suo lumine omnes homines in hunc mundum venientes illustrari. Dicat etiam quod ea quae sub ipso erant, replebant templum; quia dicit verbum caro factum est; et vidimus gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiae et veritatis, secundum quod de plenitudine eius nos omnes accepimus. Sic igitur praemissa verba materiam huius evangelii continent, in quo ipse Ioannes dominum super solium excelsum sedentem insinuat, divinitatem Christi ostendens; et terram ab eius maiestate impleri ostendit, dum omnia per eius virtutem in esse producta ostendit, et propriis perfectionibus repleta; et inferiora eius, idest humanitatis mysteria, templum, idest ecclesiam, replere docet, dum in sacramentis humanitatis Christi et gratiam et gloriam fidelibus reprobmittit.

Chrysostomus, in Ioannem. quando igitur barbarus hic et indisciplinatus talia loquitur quae nullus eorum qui in terra sunt hominum novit unquam, si hic solus esset, miraculum magnum esset. Nunc autem cum his et aliud isto maius tribuit argumentum, quod a Deo inspirata sunt ei quae dicuntur hic, scilicet quod omnes audiunt, et suadet omnibus per omne tempus. Quis ergo non admirabitur habitantem in eo virtutem?

Origenes. Ioannes interpretatur gratia Dei, sive in quo est gratia, vel cui donatum est. Cui autem

theologorum donatum est ita abscondita summi boni penetrare mysteria, et sic humanis mentibus intimare?

IOANNES 1,1

12101 (Jn 1,1)

Chrysostomus in Ioannem. omnibus aliis evangelistis ab incarnatione incipientibus, Ioannes transcurrens conceptionem, nativitatem, educationem, augmentationem, mox de aeterna nobis generatione narrat, dicens in principio erat verbum.

Augustinus lib. 83 quaest.. quod graece logos dicitur, latine et rationem et verbum significat; sed hoc melius verbum interpretatur, ut significetur non solum ad patrem respectus, sed ad illa etiam quae per verbum facta sunt operativa potentia. Ratio autem, etsi nihil per eam fiat, recte ratio dicitur.

Augustinus in Ioannem. Quotidie autem dicendo verba viluerunt nobis, quia sonando et transeundo viluerunt. Est verbum et in ipso homine quod manet intus: nam sonus procedit ex ore. Est verbum quod vere specialiter dicitur illud quod intelligis de sono, non ipse sonus.

Augustinus de trin.. Quisquis autem potest intelligere verbum, non solum antequam sonet, verum etiam antequam sonorum eius imagines cogitatione volvantur, iam potest videre per hoc speculum atque in hoc aenigmate aliquam verbi similitudinem, de quo dictum est in principio erat verbum. Necesse est enim cum id quod scimus loquimur, ut ex ipsa scientia quam memoria tenemus, nascatur verbum, quod eiusmodi sit omnino cuiusmodi est illa scientia de qua nascitur. Formata quippe cogitatio ab ea re quam scimus, verbum est, quod in corde dicimus; quod nec graecum est, nec latinum, nec linguae alicuius. Sed cum id opus est in eorum quibus loquimur proferre notitiam, aliquod signum quo significetur assumitur. proinde verbum quod foris sonat, signum est verbi quod intus latet, cui magis verbi competit nomen: nam illud quod profertur carnis ore, vox verbi est, verbumque et ipsum dicitur propter illud a quo ut foris appareat sumptum est.

Basilus. Hoc autem verbum non est humanum verbum. quomodo enim erat in principio humanum verbum, ultimo loco accipiente homine generationis principium? non igitur in principio verbum erat humanum, sed nec angelorum: omnis enim creatura infra saeculorum terminos est, a creatore essendi sumens principium. Sed audi evangelium decenter: ipsum enim, unigenitum verbum dixit.

Chrysostomus in Ioannem. si autem quis dixerit: cur patrem dimittens, mox nobis de filio loquitur? quoniam ille quidem manifestus omnibus erat, etsi non ut pater, sed ut deus, unigenitus autem ignorabatur: ideo decenter eam, quae de isto est, cognitionem confestim initio studuit imponere his qui nesciebant eum; sed neque patrem in his quae de filio sunt sermonibus tacuit. propter hoc autem et verbum eum vocavit. quia enim docturus erat quod hoc verbum unigenitus est filius Dei; ut non passibilem aestimet quis generationem, praeveniens verbi nuncupatione, destruit perniciosam suspicionem, esse ex Deo filium impassibiliter ostendens. Secunda vero ratio est, quia ea quae sunt patris nobis annuntiare debebat. Non simpliciter vero eum verbum dixit, sed cum articuli adiectione, a reliquis ipsum separans. Consuetudo enim est scripturae verba vocare leges Dei et praecepta: hoc autem verbum substantia quaedam est, hypostasis, ens, ex ipso proveniens impassibiliter patre.

Basilus. Quare igitur verbum? quia impassibiliter natum est; quia est generantis imago, totum in seipso generantem demonstrans, nihil inde separans, sed in seipso perfectum existens.

Augustinus de trin.. Sicut enim scientia nostra illi scientiae Dei, sic nostrum verbum quod nascitur de nostra scientia, dissimile est illi verbo Dei, quod natum est de patris essentia. Tale est autem, ac si dicerem de patris scientia, de patris sapientia; vel, quod est expressius, de patre scientia, de patre sapientia. verbum ergo Dei patris unigenitus filius, per omnia patri similis et aequalis: hoc enim est omnino quod pater, non tamen pater: quia iste filius, ille pater: ac per hoc novit omnia quae novit pater; sed ei nosse de patre est, sicut esse: nosse enim et esse ibi unum est; et ideo patri, sicut esse non est a filio, ita nec nosse. proinde, tamquam seipsum dicens, pater genuit verbum sibi aequale per omnia: non enim seipsum integre perfecteque dixisset, si aliquid minus aut amplius esset in eius verbo quam in seipso. Nostrum autem verbum interius, quod invenimus esse utcumque illi simile, quantum sit etiam dissimile, non pigeat intueri. est enim verbum mentis nostrae quandoque formabile, nondum formatum, quiddam mentis nostrae, quod hac atque hac volubili quadam motione iactamus, cum a nobis nunc id, nunc illud, sicut inventum fuerit vel occurrerit, cogitatur; et tunc fit verum verbum quando illud quod nos diximus volubili motione iactare, ad id quod scimus pervenit, atque inde formatur, eius omnimodam similitudinem capiens; ut quomodo res quaeque scitur, sic etiam cogitetur. Quis non videat quanta sit hic dissimilitudo ab illo Dei verbo, quod in

forma Dei sic est ut non ante fuerit formabile, postea formatum, non aliquando possit esse informe, sed sit forma simplex, et simpliciter aequalis ei de quo est? quapropter ita dicitur illud Dei verbum, ut Dei cogitatio non dicatur; ne aliquid esse quasi volubile dicatur in Deo, quod nunc habeat, nunc accipiat formam ut verbum sit, eamque possit amittere, atque informiter quodammodo volutari.

Augustinus de verb. Dom.. est enim verbum Dei forma quaedam non formata, sed forma omnium formarum, forma incommutabilis, sine lapsu, sine defectu, sine tempore, sine loco, superans omnia, existens in omnibus fundamentum quoddam, in quo sunt, et fastigium sub quo sunt.

Basilii. habet autem et verbum nostrum exterius divini verbi similitudinem quamdam: nam nostrum verbum totam declarat mentis conceptionem: quae namque mente concepimus, ea verbo proferimus. Et quidem cor nostrum quasi fons quidam est: verbum vero prolatum quasi quidam rivulus manans ex ipso.

Chrysostomus in Ioannem. considera etiam in evangelista prudentiam spiritualem. Noverat homines id quod antiquius est et quod est ante omnia maxime honorantes et ponentes Deum: propter hoc primum dicit principium: in principio, inquit, erat verbum.

Origenes in Ioannem. Plura autem sunt signata ab hoc nomine principium. est enim principium, sicut itineris et longitudinis, secundum illud: initium boni itineris iustorum exercitium. est autem principium et generationis, iuxta illud: hoc est principium creaturae domini. Sed etiam Deum non enormiter asseret aliquis omnium principium. illud etiam ex quo sicut ex praeiacente materia alia fiunt, principium est penes eos qui credunt illam ingenitam. est enim principium secundum speciem; sicut Christus principium eorum est qui secundum imaginem Dei formati sunt. est etiam principium disciplinae, secundum illud: cum deberetis esse magistri propter tempus, rursus indigetis ut doceamini quae sunt elementa exordii sermonum Dei. Duplex enim est documentum principium: hoc quidem natura, hoc vero quoad nos; ut si dicatur, initium sapientiae fore natura quidem Christum, in quantum sapientia et verbum Dei est; quoad nos vero in quantum verbum caro factum est. tot igitur significatis ad praesens nobis de principio occurrentibus, potest accipi illud ex quo quid est agens. Conditor enim Christus est velut principium, secundum quod sapientia est; ut verbum in principio, quasi in sapientia sit. Plura enim bona de salvatore dicuntur. Velut igitur vita in verbo est, sic verbum in principio, id est in sapientia erat. Considera vero si possibile est secundum hoc significatum accipere nos principium, prout secundum sapientiam, et exempla quae in ea sunt, fiunt omnia; vel quia principium filii pater est, et principium creaturarum, et omnium entium; per illud in principio erat verbum, verbum filium intelligas in principio, id est in patre, dictum fore.

Augustinus de trin.. Aut in principio sic dictum est ac si diceretur: ante omnia.

Basilii. Praevidebat enim spiritus sanctus futuros quosdam invidentes gloriae unigeniti, qui praeferrent sophismata ad subversionem auditorum: quia si genitus est, non erat; et antequam genitus esset, non erat. Ne igitur talia garrere praesumant, spiritus sanctus ait in principio erat verbum.

Hilarius de trin.. Transeunt tempora, transeunt saecula, tolluntur aetates: pone aliquid quod voles tuae opinionis principium: non tenes tempore: erat enim unde tractatur.

Chrysostomus in Ioannem. sicut autem quis cum stat in navi secus littus, videt civitates et portus, cum vero eum aliquis in medium pelagi duxerit, a prioribus quidem desistere facit, non tamen alicubi defigit ei oculos, ita evangelista hic super omnem nos ducens creaturam, suspensum dimittit oculos, non dans suspicere aliquem finem ad superiora: hoc enim in principio erat semper et infinite essendi significativum est.

Augustinus de verb. Dom.. Sed dicunt: si filius est, natus est; hoc fatemur. adiungunt deinde: si natus est patri filius, erat pater antequam ei filius nasceretur; hoc respuit fides. Ergo ait: rationem mihi redde quomodo et filius nasci potuit patri, ut coevus esset ei a quo natus est. Post patrem enim nascitur filius, utique patri morituro successurus. similitudines adhibent de creaturis; et nobis laborandum est ut et nos inveniamus similitudines earum rerum quas astruimus. sed quomodo possumus in creatura invenire coaeternum, quando in creatura nil invenimus aeternum? sed si possunt inveniri haec duo coaeva, generans et generatum, ibi intelligimus coaeterna. Ipsa quidem sapientia dicta est in scripturis candor lucis aeternae, dicta est imago patris. Hinc capiamus similitudinem, ut inveniamus coaeva, ex quibus intelligamus coaeterna. Nemo autem dubitat, quod splendor de igne exit. Ponamus ergo ignem patrem illius splendoris: mox quidem ut lucernam accendo, simul cum igne et splendor existit. Da mihi hic ignem sine splendore, et credo tibi patrem sine filio fuisse. Imago existit de speculo, hominis intuentis speculum; existit imago mox ut aspector extiterit: sed ille qui inspicit erat antequam accederet ad speculum. Ponamus ergo aliquid natum super aquam, ut virgultum, aut herbam: nonne cum imagine sua nascitur? si ergo semper esset virgultum, semper esset et imago de virgulto. quod autem de alio est, utique natum est. Potest ergo semper esse

generans, et semper cum illo quod de eo natum est. Sed dicet aliquis: ecce intellexi aeternum patrem, coaeternum filium; tamen sicut effusum splendorem minus igne lucentem, aut sicut effusam imaginem minus quam virgultum existentem dicimus. non, sed aequalitas omnimoda est. Non credo, ait, quia non invenisti similitudinem. fortassis autem invenimus in creatura quomodo intelligamus filium et coaeternum patri, et nequaquam minorem; sed non illud possumus invenire in uno genere similitudinum. Lungamus ergo ambo genera: unum unde ipsi dant similitudines, et alterum unde nos dedimus. Dederunt enim illi similitudinem ex his quae praeceduntur tempore ab his a quibus nascuntur, sicut homo de homine; sed tamen homo et homo sunt eiusdem substantiae. Laudamus ergo in ista nativitate aequalitatem naturae: deest aequalitas temporis. In illo autem genere similitudinum quod nos dedimus de splendore ignis et de imagine virgulti, aequalitatem naturae non invenis, invenis coaevitatem. Totum ergo ibi quod hic ex partibus singulis et rebus singulis invenitur; et non hoc solum quod in creaturis, totum invenio ibi sed tamquam in creatore.

Ex gestis conc. Ephes.. Propterea alicubi quidem filium appellat patris, alicubi autem verbum nominat, alicubi autem splendorem vocat scriptura divina; singula horum nominum de ipso dicens, ut intelligas ea quae de Christo dicuntur, esse contra blasphemiam: quia enim tuus filius eiusdem tibi naturae fit, volens sermo ostendere unam substantiam patris et filii, dicit filium patris, qui ex eo natus est unigenitus. Deinde quoniam nativitas et filius apud nos ostentationem praebent passionis; ideo hunc filium appellat et verbum, impassibilitatem nativitatis eius nomine isto demonstrans. Sed quoniam pater quispiam factus ut homo, indubitanter senior filio suo demonstratur; ne hoc ipsum etiam de divina natura putares, splendorem vocat unigenitum patris: splendor enim nascitur quidem ex sole, non autem intelligitur sole posterior. Coexistere ergo semper patri filium splendor tibi denuntiet; impassibilitatem nativitatis ostendat verbum; consubstantialitatem filii nomen insinuet.

Chrysostomus in Ioannem. sed dicunt illi, quoniam hoc, idest in principio, non aeternitatem ostendit simpliciter: etenim et de caelo istud et de terra dictum. In principio, inquit genesis, fecit deus caelum et terram. Sed quid commune habet erat ad fecit? sicut enim quod est, cum de homine quidem dicitur, tempus praesens significat tantum; cum autem de Deo, id quod est semper et aeternaliter; ita et erat de nostra quidem cum dicitur natura, praeteritum significat tempus; cum autem de Deo, aeternitatem ostendit.

Origenes. sum enim verbum duplicem habet significationem: aliquando enim temporales motus secundum analogiam aliorum verborum declarat, aliquando substantiam uniuscuiusque rei, de qua praedicatur, sine temporali motu ullo designat; ideo et substantivum vocatur.

Hilarius de trin.. respice igitur ad mundum, intellige quid de eo scriptum est: in principio fecit deus caelum et terram. Fit ergo in principio quod creatur, et aetates continet quod in principio continetur ut fieret. Piscator autem illitteratus, indoctus, liber a tempore, solutus a saeculis est, vicit omne principium: erat enim quod est, neque in tempore aliquo concluditur ut coeperit quod erat potius in principio quam fiebat.

Alcuinus. Contra eos ergo qui propter temporalem nativitatem dicebant Christum non semper fuisse, incipit evangelista de aeternitate verbi, dicens in principio erat verbum.

(Lectio 2)

Chrysostomus in Ioannem. quia maxime Dei hoc est proprium, aeternum et sine principio esse; hoc primum posuit: deinde ne quis audiens in principio erat verbum, ingenitum verbum dicat, confestim hoc removit dicens et verbum erat apud Deum.

Hilarius de trin.. sine principio enim est apud Deum, et qui abest a tempore, non abest ab auctore.

Basilius. rursus hoc dicit propter blasphemantes quod non erat. Ubi ergo erat verbum? non in loco incircumscribilia continentur. sed ubi erat? apud Deum: neque pater loco, neque filius circumscriptione aliqua continentur.

Origenes in Ioannem. Utile est etiam inducere, quod verbum dicitur ad aliquos fieri, puta ad osee, vel Isaiam, aut ieremiam: ad Deum autem non fit, quasi prius non ens apud ipsum: ex eo igitur quod iugiter est in eo, dicitur et verbum erat apud Deum: quia nec a principio a patre separatus est.

Chrysostomus in Ioannem. non etiam dixit: in Deo erat, sed apud Deum erat, eam quae secundum hypostasim eius est aeternitatem nobis ostendens.

Theophylactus. Videtur autem mihi quod sabellius ex hoc dicto subversus est. Ipse enim dicebat, quod pater et filius et spiritus sanctus una est persona, quae aliquando ut pater apparuit, aliquando ut filius, aliquando ut spiritus sanctus. manifeste vero confunditur ex hoc verbo: et verbum erat apud Deum. Hic enim evangelista alium declarat esse filium, alium Deum, scilicet patrem.

(Lectio 3)

Hilarius de trin.. Dices: verbum sonus vocis est, enuntiatio negotiorum, et elocutio cogitationum: hoc verbum in principio apud Deum erat, quia sermo cogitationis aeternus est, cum qui cogitat sit aeternus. Sed quomodo in principio erat quod neque ante tempus, neque post tempus est? et nescio an ipsum possit esse in tempore. Loquentium enim sermo neque est antequam loquantur, et cum locuti erunt, non erit: in eo enim ipso quod loquuntur, dum finiunt, iam non erit id unde coeperunt. Sed si primam sententiam rudis auditor admiseras, in principio erat verbum, de sequenti quid quaeris: et verbum erat apud Deum? numquid audieras de Deo, ut sermonem reconditae cogitationis acciperes; aut fefellerat Ioannem quid esset momenti inter inesse et adesse? id enim quod in principio erat, non in altero esse, sed cum altero praedicatur. statum igitur verbi et nomen expecta; dicit namque et deus erat verbum. cessat sonus vocis et cogitationis eloquium. verbum hic res est, non sonus; natura, non sermo; deus, non inanitas est.

Hilarius de trin.. Simplex autem nuncupatio est, et caret offendiculo adiectionis alienae. ad moysen dictum est: dedi te Deum pharaoni: sed numquid non adiecta nominis causa est, cum dicitur pharaoni? moyses enim pharaoni deus datus est, dum timetur, dum oratur, dum punit, dum medetur. Et aliud est Deum dari, et aliud Deum esse. Memini quoque et alterius nuncupationis, ubi dicitur: ego dixi: dii estis; sed in eo indulti nominis significatio est; et ubi refertur ego dixi, loquentis potius sermo est, quam rei nomen. Cum autem audio et deus erat verbum, non dictum solum audio verbum, sed demonstratum esse intelligo quod deus est.

Basilus. Sic igitur excludens accusationem blasphemantium et quaerentium quid est verbum, respondet et deus erat verbum.

Theophylactus. vel aliter continua. Postquam verbum erat apud Deum, manifestum est quod duae personae erant, quamvis una natura in duabus existat; unde dicitur et deus erat verbum; ita ut una natura sit patri et filio, cum sit una deitas.

Origenes. adiciendum etiam, quod verbum in eo quod fit ad prophetas, illustrat prophetas sapientiae lumine: apud Deum vero est verbum obtinens ab eo quod sit deus; unde praelocavit hoc quod est verbum erat apud Deum, ei quod est deus erat verbum.

Chrysostomus in Ioannem. et non ut plato, hoc quidem intellectum quemdam, hoc vero animam mundi esse dicens: haec enim procul sunt a divina natura. Sed dicunt: pater cum articuli adiectione dictus est deus, filius autem sine hac. Quid ergo, cum apostolus dicat: magni Dei et salvatoris nostri iesu Christi; et rursus: qui est super omnia deus; sed et romanis scribens dicit: gratia vobis, et pax a Deo patre nostro sine adiectione articuli. sed et superfluum erat hic apponere superius continue adiectum. Non igitur etsi non est adiectus filio articulus, propter hoc filius minor est deus.

IOANNES 1,2

12102 (Jn 1,2)

Hilarius de trin.. Quia dixerat deus erat verbum, trepido in dicto, et me insolens sermo commovet, cum unum Deum prophetae nuntiaverunt. Sed ne quo ultra trepidatio mea progredi possit, reddit sacramenti tanti piscator dispensationem, et refert ad unum omnia, sine contumelia, sine abolitione, sine tempore, dicens hoc erat in principio apud Deum: apud unum ingenitum Deum, ex quo ipse unius unigenitus deus est, praedicatur.

Theophylactus. Et rursus ne suspicio diabolica aliquos conturbaret, ne forte cum verbum deus sit, insurrexerit contra patrem, ut aliqui fabulantur gentilium, et separatus a patre fuerit ipsi patri contrarius, dicit hoc erat in principio apud Deum; quasi dicat: hoc Dei verbum nunquam a Deo extitit separatum.

Chrysostomus in Ioannem. Vel ne audiens in principio erat verbum, aeviternum quidem aestimes, seniore vero spatio aliquo patris vitam suscipias, induxit hoc erat in principio apud Deum: non enim fuit

unquam solitarius ab illo; sed semper deus apud Deum erat. vel quia dixerat deus erat verbum, ut non aestimet quis minorem esse deitatem filii, confestim cognoscitiva propriae deitatis ponit, et aeternitatem assumens, cum dicit hoc erat in principio apud Deum; et quod factum est adiciens omnia per ipsum facta sunt.

Origenes. vel aliter. Postquam praemiserat tres propositiones evangelista, resumit tria in unum, dicens hoc erat in principio apud Deum. In primo enim trium didicimus in quo erat verbum, quia in principio erat; in secundo apud quem, quia apud Deum; in tertio quid erat verbum, quia deus. Velut ergo demonstrans verbum praedictum, Deum, per hoc quod dicit hoc, et colligens in propositionem quartam hoc quod est in principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et deus erat verbum, ait hoc erat in principio apud Deum. Quaerat autem aliquis, cur non est dictum: in principio erat verbum Dei, et verbum Dei erat apud Deum, et deus erat verbum Dei. Quisquis autem unicum veritatem fatebitur esse; palam est quoniam et demonstratio enuntiat, et sapientiam expandit in his qui susceptibiles sunt, unum siquidem erit. Nec hoc dicimus inficientes verbum Dei fore, sed ostendentes utilitatem omissionis huius vocabuli Dei. Ipse quoque Ioannes in apocalypsi dicit: et nomen eius verbum Dei.

Alcuinus. Qualiter autem ponit substantivum verbum erat? ut intelligeres omnia tempora praevenisse coaeternum Deo patri verbum.

IOANNES 1,3

12103 (Jn 1,3)

Alcuinus. Postquam dixit de natura filii, de operatione eius subiungit, dicens omnia per ipsum facta sunt; idest, quidquid est, sive in substantia, sive in aliqua proprietate.

Hilarius de trin.. Vel aliter. Erat quidem verbum in principio, sed potuit non esse ante principium. Sed quid ille? omnia per ipsum facta sunt. infinitum est per quod fit omne quod factum est; et cum ab eo sint omnia, et tempus ab eo est.

Chrysostomus in Ioannem. Moyses quidem incipiens scripturam veteris testamenti, de sensibilibus nobis loquitur, et haec enumerat per multa: in principio enim fecit deus caelum et terram. Deinde inducit, quoniam et lux facta est, et firmamentum et stellarum naturae, et genera animalium. Evangelista vero haec omnia excedens uno verbo comprehendit, ut cognita auditoribus, ad altiorem festinans materiam, totum hunc librum instituens non de operibus, sed de conditore.

Augustinus super genesim. Cum enim dicitur omnia per ipsum facta sunt, satis ostenditur et lux per ipsum facta, cum dixit deus: fiat lux; et similiter de aliis. Quod si ita est, aeternum est, quod ait deus: fiat lux, quia verbum Dei, deus apud Deum, patri coaeternus est, quamvis creatura temporalis facta sit. cum enim verba sint temporis, cum dicimus: quando et aliquando; aeternum tamen est in verbo Dei, quando aliquid fieri debeat; et tunc fit quando fieri debuisse in illo verbo est, in quo non est quando et aliquando: quoniam totum illud verbum aeternum est.

Augustinus super Ioannem. Quomodo ergo potest fieri ut verbum Dei factum sit, quando deus per verbum fecit omnia? si et verbum ipsum factum est, per quod aliud verbum factum est? si hoc dicis, quia est verbum verbi, per quod factum est illud; ipsum dico ego unigenitum filium Dei. Si autem non dicis verbum Dei, concede non factum verbum per quod facta sunt omnia.

Augustinus de trin.. et si factum non est, creatura non est; si autem creatura non est, eiusdem cum patre substantiae est, omnis enim substantia quae deus non est, creatura est: et quae creatura non est, deus est.

Theophylactus. Solent autem ariani dicere, quod sicut per serram ostium fieri dicimus, quasi per organum, sic et per filium omnia facta fuisse dicuntur, non quod ipse sit factor, sed organum; et sic facturam aiunt filium, tamquam factum ad hoc ut per eum omnia fierent. Nos autem ad huiusmodi factores mendacii simpliciter respondemus. Si enim, ut dicitis, pater creasset ad hoc filium ut eo tamquam organo uteretur, videretur quod inhonorabilior sit filius quam quae facta sunt; sicut ea quae per serram sunt facta, ipso organo nobiliora existunt; nam serra propter ipsa facta est. Sic et propter ipsa quae facta sunt, ut aiunt, pater creavit filium; tamquam si non deberet deus cuncta creare, nequaquam filium produxisset. quid his verbis insanius? sed aiunt: quare non dixit quod omnia verbum fecit; sed usus est hac praepositione per? ne filium ingenitum intelligeres, et sine principio, et Dei conditorem.

Chrysostomus in Ioannem. Sed si praepositio per conturbat te, et quaeris in scriptura quod ipsum verbum omnia faceret, audi David: initio tu, domine, terram fundasti, et opera manuum tuarum sunt caeli. Quod autem hoc de unigenito dixerit, addisces ab apostolo utente hoc verbo in epistola ad hebraeos de filio. si vero de patre hoc prophetam dixisse dicis, paulum vero filio adaptasse; idem fit rursus. Neque enim id filio convenire dixisset, nisi vehementer consideraret quoniam quae sunt dignitatis, cohortabilia sunt utriusque. Si rursus per praepositio aliquam subiectionem tibi videtur inducere, cur paulus eam de patre ponit? fidelis dominus, per quem vocati sumus in societatem filii eius. Et iterum: paulus apostolus per voluntatem Dei.

Origenes. erravit etiam in hoc valentinus, dicens verbum esse quod mundanae creationis praestitit causam creatori. Sed si sic se habet veritas rerum, prout ipse intelligit, oportebat scriptum fore per creatorem universa consistere a verbo, non autem e contra per verbum a creatore.

(Lectio 6)

Chrysostomus in Ioannem. Ut non aestimes, dum dicit omnia per ipsum facta sunt, illa omnia solum dicere eum quae a moysae dicta sunt, convenienter inducit et sine ipso factum est nihil, sive visibile quid, sive intelligibile. Vel aliter. ne hoc quod dixit omnia per ipsum facta sunt, de signis suspiceris nunc dici, de quibus reliqui evangelistae locuti sunt, inducit et sine ipso factum est nihil.

Hilarius de trin.. Vel aliter. Hoc quod dicitur, omnia per ipsum facta sunt, non habet modum: est ingenitus qui factus a nemine est, est et ipse genitus ab innato. reddidit auctorem cum socium professus est, dicens sine ipso factum est nihil; cum enim nihil sine eo, intelligo non esse solum: quia alius est per quem, alius sine quo non.

Origenes. vel aliter. Ne existimares ea quae per verbum facta sunt, per se existentia, non contenta a verbo, ait et sine ipso factum est nihil; hoc est, nihil factum est extra ipsum; quia ipse ambit omnia, conservans ea.

Augustinus de quaest. Nov. et vet. Testam.. Vel dicens sine ipso factum est nihil, nullo modo ipsum facturam esse suspicari debere edocuit. quomodo enim potest dici: ipse est factura, cum nihil dicatur deus sine ipso fecisse? **Origenes** super Ioannem. vel aliter. Si omnia per verbum facta sunt: de numero vero omnium est malitia, et totus fluxus peccati; et haec per verbum facta sunt; et hoc est falsum. quantum igitur ad significata, nihil et non ens, unum sunt. Videtur autem apostolus non entia prava dicere: vocat deus ea quae non sunt tamquam ea quae sunt. Totaque pravitas nihil dicitur, dum absque verbo facta est.

Augustinus in Ioannem. Peccatum enim non per ipsum factum est: et manifestum est quia peccatum nihil est, et nihil fiunt homines cum peccant. Et idolum non per verbum factum est: habet quidem formam quamdam humanam, et ipse homo per verbum factus est; sed forma hominis in idolo non per verbum facta est: scriptum est enim: scimus quod nihil est idolum. Ergo ista non sunt facta per verbum; sed quaecumque facta sunt naturaliter, universa natura rerum, omnis omnino creatura ab angelo usque ad vermiculum.

Origenes. Valentinus autem exclusit ab omnibus per verbum factis quae sunt in saeculis facta, quae credit ante verbum extitisse, praeter evidentiam loquens; siquidem quae putantur ab eo divina, remouentur ab omnibus, quae autem, velut ipse putat, penitus destruuntur, vere dicuntur omnia. Quidam enim falso dicunt diabolum non esse creaturam Dei: in quantum enim diabolus est, creatura Dei non est: is autem cui accidit esse diabolum, divina est creatura; ac si diceremus, homicidam creaturam Dei non esse, qui tamen in eo quod homo est, creatura Dei est.

Augustinus de natura boni. Non autem sunt audienda deliramenta hominum, qui nihil hoc loco aliquid intelligendum esse putant, quia ipsum nihil in fine sententiae positum est; nec intelligunt nihil interesse utrum dicatur: sine ipso nihil factum est, an sine ipso factum est nihil.

Origenes. si accipiatur verbum pro eo quod in quolibet hominum est, quia et ipsum insitum est cuilibet ab eo quod in principio erat verbum, etiam sine hoc verbo nihil committimus, simpliciter accipiendo quod dicitur nihil. Ait enim apostolus quod sine lege peccatum mortuum erat; adveniente vero mandato peccatum revixit: non enim reputatur peccatum, lege non existente; sed nec peccatum erat, non existente verbo: quia dominus dicit: si non venissem et essem illis locutus, peccatum non haberent. Quaelibet enim excusatio deficit volenti dare responsum de crimine, dum verbo praesente ac iudicante quid est agendum, non obedit quis illi. Nec propter hoc inculpandum est verbum, sicut nec magister, per cuius disciplinam non remanet locus excusationis discipulo delinquenti velut de ignorantia. omnia ergo per verbum facta sunt, non solum

naturalia, sed etiam quae ab irrationabilibus fiunt.

IOANNES 1,4

12104 (Jn 1,4)

Beda in Ioannem. Quia evangelista dixit omnem creaturam factam esse per verbum, ne quis forte crederet mutabilem eius voluntatem, quasi qui subito vellet facere creaturam quam ab aeterno nunquam ante fecisset, ideo docere curavit, factam quidem creaturam in tempore; sed in aeterna creatoris sapientia, quando et quos crearet semper fuisse dispositum; unde dicit quod factum est in ipso, vita erat.

Augustinus in Ioannem. Potest autem sic punctari: quod factum est in ipso; et postea dicatur vita erat. Ergo totum vita est, si sic pronuntiaverimus: quid enim non in illo factum est? ipse est enim sapientia Dei, et dicitur in psalmo 103, 24: omnia in sapientia fecisti. Omnia igitur sicut per illum, ita et in illo facta sunt. Si ergo quod in illo factum est, vita est, ergo et terra vita est, et lapis vita est. Inhonestum est sic intelligere, ne nobis subrepat secta manichaeorum, et dicat quia habet vitam lapis, et habet vitam paries: solent enim ista delirantes dicere; et cum reprehensi fuerint ac repulsi, quasi de scripturis proferunt dicentes: ut quid dictum est: quod factum est in ipso, vita erat? pronuntia ergo sic quod factum est: hic subdistingue; et deinde infer in ipso vita erat. Facta est enim terra; sed ipsa terra quae facta est non est vita. Est autem in ipsa Dei sapientia spiritualiter ratio quaedam qua terra facta est; haec vita est. Sicut arca in omni opere non est vita; arca in arte vita est, quia vivit anima artificis. Sic ergo quia sapientia Dei, per quam facta sunt omnia, secundum artem continet omnia quae fiunt per ipsam artem, non haec continuo sunt vita; sed quidquid factum est, vita est in illo.

Origenes. potest autem et sic distingui sine errore: quod factum est in ipso, et postea dicatur vita erat; ut sit sensus: omnia quae per ipsum et in ipso facta sunt, in ipso vita sunt, et unum sunt. erant enim, hoc est in ipso subsistunt causaliter, priusquam sint in seipsis effective. sed si quaeris, quomodo et qua ratione omnia quae per verbum facta sunt, in ipso vitaliter et uniformiter et causaliter subsistunt, accipe exempla ex creaturarum natura. Conspice quomodo omnium rerum quas mundi huius sensibilis globositas comprehendit, causae simul et uniformiter in isto sole, qui est maximum mundi luminare, subsistunt; quomodo numerositas herbarum et fructuum in singulis seminibus simul continetur; quomodo multiplices regulae in arte artificis unum sunt, et in animo disponentis vivunt; quomodo infinitus linearum numerus in uno puncto unum subsistit; et huiusmodi varia perspice exempla, ex quibus velut physicae theoriae pennis poteris arcana verbi mentis acie inspicere, et quantum datur humanis rationibus, videre quomodo omnia quae per verbum sunt facta, in ipso vivunt et facta sunt.

Hilarius de trin.. vel aliter potest legi: in eo quod dixerat sine ipso factum est nihil, posset aliquis perturbatus dicere: est ergo aliquid per alterum factum, quod tamen non sit sine eo factum; et si aliquid per alterum, licet non sine eo, iam non per eum omnia; quia aliud est fecisse, aliud est intervenisse facienti. Enarrat ergo evangelista quid non sine eo factum sit, dicens quod factum est in eo. Hoc igitur non sine eo quod in eo factum est: nam id quod in eo factum est, etiam per eum factum est: omnia enim per ipsum et in ipso creata sunt. in ipso autem creata, quia nascebatur creator deus; sed ex hoc sine eo nihil factum est, quod tamen in eo factum est, quia nascens deus vita erat, et qui vita erat, non posteaquam natus erat, factus est vita. nihil ergo sine eo fiebat ex his quae in eo fiebant, quia vita est in quo fiebant; et deus qui ab eo natus est, non posteaquam natus est, sed nascendo quoque extitit.

Chrysostomus in Ioannem. vel aliter. Non apponemus finale punctum, ubi dicitur sine ipso factum est nihil, secundum haereticos. Illi enim volentes spiritum sanctum creatum dicere, aiunt quod factum est in ipso, vita erat. Sed ita non potest intelligi. Primum quidem neque tempus erat hic spiritus sancti meminisse; sed si de sancto spiritu hoc dictum est, age, secundum eorum interim legamus modum: ita enim nobis hoc inconveniens erit; cum enim dicitur quod factum est in ipso, vita erat, spiritum sanctum dicunt dictum esse vitam; sed vita haec et lux invenitur esse; inducit enim vita erat lux hominum. Quocirca, secundum eos, lucem omnium hunc spiritum dicit. quod autem superius verbum dicit, hic consequenter et Deum et vitam et lucem nominat. Verbum autem caro factum est: erit igitur spiritus sanctus incarnatus, non filius. Ideo dimittentes hunc modum legendi, ad decentem veniamus lectionem et expositionem; hoc autem est cum dicitur omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil quod factum est; ibi quiescere fac sermonem; deinde ab ea quae deinceps est dictione incipe, quae dicit in ipso vita erat; ac si dicat sine eo factum est nihil quod factum est, idest factibilium. Vides qualiter hac brevi adiectione omnia correxit supervenientia inconvenientia. inducens enim sine eo factum est nihil, et adiciens quod factum est, et intelligibilia comprehendit, et spiritum sanctum exceptit: spiritus enim sanctus factibilis non est. Haec igitur quae dicta sunt, de conditione rerum dixit Ioannes. inducit autem et eum qui est de providentia sermonem,

dicens in ipso vita erat. Quemadmodum in fonte qui generat abyssos, et in nullo minoratur fons; ita et in operatione unigeniti quaecumque credas per eum facta esse, non minor ipse factus est. Nomen autem vitae hic non solum conditionis est, sed et providentiae rerum, quae est secundum permanentiam earum. Cum autem audis quoniam in ipso vita erat, ne compositum aestimes: sicut enim pater habet vitam in seipso, ita dedit et filio vitam habere. ergo sicut patrem non utique dices compositum esse, ita nec filium.

Origenes in Ioannem. Vel aliter. oportet scire, quod salvator quaedam dicit non sibi esse, sed aliis; quaedam vero et sibi et aliis. In hoc ergo quod dicitur quod factum est in verbo, vita erat, scrutandum est an sibi et aliis vita est, vel aliis tantum; et si aliis, quibus aliis. Idem autem est vita et lux; lux autem hominum est: fit itaque hominum vita, quorum est lux; et sic in eo quod dicitur vita, salvator dicitur non sibi, sed aliis. Haec quidem vita verbo praeexistenti aderit, ex eo quod expiata a peccatis anima sit serena, et vita inseratur ei qui verbi Dei se susceptibilem statuit. Unde verbum quidem in principio non dixit factum: non enim erat quando principium verbo careret. Vita autem hominum non semper erat in verbo; sed haec vita hominum facta est, eo quod vita est lux hominum: cum enim homo non erat, nec lux hominum erat, luce secundum habitudinem ad homines intellecta; et ideo dicit quod factum est in verbo, vita erat; non autem: quod erat in verbo, vita erat. Invenitur autem alia littera non incongrue habens: quod factum est in eo, vita est. Si autem intelligamus vitam hominum quae in verbo fit, eum esse qui dixit: ego sum vita, fatebimur neminem infidelium Christi vivere, sed cunctos esse mortuos qui non vivunt in Deo.

(Lectio 8)

Theophylactus. Dixerat in ipso vita erat, ne putares quod absque vita sit verbum; nunc ostendit quod vita sit spiritalis, et lux rationalibus cunctis; unde dicitur et vita erat lux hominum; quasi dicat: lux ista non est sensibilis, sed intellectualis, illuminans ipsam animam.

Augustinus super Ioannem. Ex ipsa enim vita illuminantur homines, pecora non illuminantur, quia non habent rationales mentes, quae possint videre sapientiam; homo autem factus ad imaginem Dei, habet rationalem mentem, per quam possit percipere sapientiam. Ergo illa vita per quam facta sunt omnia, lux est, et non quorumcumque animalium, sed hominum.

Theophylactus. Non autem dixit: lux est solum iudaeis, sed omnium hominum; omnes enim homines, in quantum intellectum et rationem recepimus ab eo quod nos condidit verbo, intantum ab eo illuminari dicimur: nam ratio nobis tradita, per quam rationales dicimur, lux est ad operanda nos dirigens et non operanda.

Origenes in Ioannem. non est autem praetermittendum quod vitam praemittit luci hominum: inconsequens enim erat illuminari non viventem, et advenire illuminationi vitam. si autem idem est vita erat lux hominum, quod solum hominum, erit Christus lux atque vita solorum hominum. Hoc autem opinari haereticum est. Non igitur quidquid dicitur aliquorum, illorum solum est: scriptum est enim de Deo, quod sit deus abraham, isaac et iacob; non tamen istorum tantum patrum dictus est deus. non ergo ex eo quod dicitur lux hominum, excluditur quin sit aliorum. Alius vero contendit ex eo quod scriptum est: faciamus hominem ad imaginem nostram: quod quidquid ad imaginem ac similitudinem Dei factum est, intelligi debet per hominem. Sic igitur lux hominum lux cuiuslibet rationalis creaturae est.

IOANNES 1,5

12105 (Jn 1,5)

Augustinus in Ioannem. Quia vita illa est lux hominum, sed stulta corda capere istam lucem non possunt, quia peccatis suis aggravantur, ut eam videre non possint; ne ideo cogitent quasi absentem esse lucem, quia eam videre non possunt, sequitur et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non comprehenderunt. Quomodo enim homo positus in sole caecus, praesens est illi sol, sed ipse soli absens est; sic omnis stultus caecus est, et praesens est illi sapientia. Sed cum caeco praesens est, oculis eius absens est: non quia illa ipsi absens est, sed quia ipse absens est ab illa.

Origenes in Ioannem. tenebrae autem huiusmodi hominum non natura sunt, secundum illud pauli: eramus aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino.

Origenes. vel aliter. Lux in tenebris fidelium animarum lucet, a fide inchoans, ad spem trahens. Imperitorum vero cordium perfidia et ignorantia lucem verbi Dei in carne fulgentis non comprehenderunt.

sed iste sensus moralis est. Physica vero horum verborum theoria talis est. Humana natura, etsi non peccaret, suis propriis viribus non lucere posset: non enim naturaliter lux est, sed particeps lucis: capax siquidem sapientiae est, non ipsa sapientia. Sicut ergo aer per semetipsum non lucet, sed tenebrarum vocabulo nuncupatur; ita nostra natura dum per seipsam consideratur, quaedam tenebrosa substantia est, capax ac particeps lucis sapientiae: et sicut aer dum solares radios participat, non dicitur per se lucere, sed solis splendor in eo apparere; ita rationabilis nostrae naturae pars, dum praesentiam verbi Dei possidet, non per se res intelligibiles et Deum suum, sed per insitum sibi divinum lumen cognoscit. Lux itaque in tenebris lucet: quia Dei verbum vita et lux hominum in nostra natura, quae per se investigata et considerata, informis quaedam tenebrositas invenitur, lucere non desinit: et quoniam ipsa lux omni creaturae est incomprehensibilis, tenebrae eam non comprehenderunt.

Chrysostomus in Ioannem. Vel aliter totum ab illo loco et vita erat lux hominum. primum nos de conditione docuerat; deinde dicit et quae secundum animam bona praebuit nobis veniens verbum; unde dicit et vita erat lux hominum. Non dicit: lux iudaeorum; sed universaliter hominum: non enim iudaei solum, sed et gentes ad hanc venerunt cognitionem. Non autem adiecit: et angelorum; quoniam ei de natura humana sermo est, quibus verbum venit evangelizans bona.

Origenes. quaerunt autem quare non verbum lux hominum dictum est, sed vita quae in verbo fit; quibus respondemus: quia vita quae ad praesens, non ea quae communis est rationalium et irrationalium dicitur, sed quae adiungitur verbo quod in nobis fit per participationem verbi primarii, ad discernendum apparentem vitam et non veram, et cupiendam veram vitam. Prius ergo participamus vitam quae apud quosdam quidem est potentia, non actu lux; qui scilicet non sunt avidi perquirere quae ad scientiam pertinent; apud quosdam vero et actu lux efficitur, qui, secundum apostolum, aemulantur dona meliora, scilicet verbum sapientiae. Si tamen et tunc idem est vita et lux hominum, nullus manens in tenebris perfecte vivere comprobatur, nec quisquam viventium consistit in tenebris.

Chrysostomus in Ioannem. Vita enim adveniente nobis, solutum est mortis imperium; et luce lucente nobis, non ultra sunt tenebrae; sed semper manet vita quam mors superare non potest, nec tenebrae lucem; unde sequitur et lux in tenebris lucet. Tenebras mortem et errorem dicit: nam lux quidem sensibilis non in tenebris lucet, sed sine illis; praedicatio vero Christi in medio erroris regnantis fulsit; et eum disparere fecit, et in vitam mortem fecit mortuus Christus, ita eam superans ut eos qui detinebantur reduceret. Quia igitur neque mors eam superavit, neque error; sed fulgida est eius praedicatio ubique, et lucet cum propria fortitudine; propterea subdit et tenebrae eam non comprehenderunt.

Origenes. Est etiam sciendum, quod sicut lux hominum nomen est duarum spiritualium rerum, sic et tenebrae: dicimus enim hominem lucem possidentem, opera lucis perficere, et etiam cognoscere quasi illustratum lumine scientiae; et e contrario tenebras dicimus illicitos actus, et eam quae videtur scientia, non est autem. Sicut autem pater lux est, et in eo tenebrae non sunt ullae, sic et salvator. Sed quia similitudinem carnis peccati subiit, non incongrue de eo dicitur, quod tenebrae in eo sunt aliquae, ipso in se suscipiente nostras tenebras ut eas dissiparet. Haec igitur lux, quae facta est vita hominum, radiat in tenebris animarum nostrarum, et venit ubi princeps tenebrarum harum cum genere bellat humano. hanc lucem persecutae sunt tenebrae: quod patet ex his quae salvator et eius filii sustinent, pugnantibus tenebris contra filios lucis. Verum quia deus patrocinator, non invalescunt; unde non apprehendunt lucem, vel quia celeritatem cursus lucis subsequi non valent propter propriam tarditatem, vel quia si supervientem expectant, fugantur luce appropinquante. oportet autem id considerare, quod non semper tenebrae in sinistra parte sumuntur, sed quandoque in bona, posuit tenebras latibulum suum, dum ea quae sunt erga Deum, ignota et imperceptibilia sunt. De hac ergo laudata caligine dicam, quoniam versus lucem pergit, illamque apprehendit: quia quod erat caligo, dum ignorabatur, in lucem cognitam vertitur ei qui didicit.

Augustinus de civ. Dei. Hoc autem initium sancti evangelii quidam platonius aureis litteris perscribendum, et per omnes ecclesias in locis eminentissimis proponendum esse dicebat. **Beda** in Ioannem. nam alii evangelistae Christum in tempore natum describunt, Ioannes vero eundem in principio testatur fuisse, dicens in principio erat verbum. Alii inter homines eum subito apparuisse commemorant; ille ipsum apud Deum semper fuisse testatur, dicens et verbum erat apud Deum. Alii eum verum hominem, ille verum confirmat Deum, dicens et deus erat verbum. Alii hominem apud homines eum temporaliter conversatum; ille Deum apud Deum in principio manentem ostendit, dicens hoc erat in principio apud Deum. Alii magnalia quae in homine gessit perhibent; ille quod omnem creaturam per ipsum deus pater fecerit, docet, dicens omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil.

12106 (Jn 1,6-8)

Augustinus in Ioannem. ea quae dicta sunt superius, de divinitate Christi dicta sunt, qui sic venit ad nos secundum quod apparuit homo. Quia igitur sic erat homo ut lateret in illo deus, missus est ante illum magnus homo, per cuius testimonium inveniretur plusquam homo. Et quis est hic? fuit homo.

Theophylactus. non angelus, ut suspicionem multorum destrueret.

Augustinus. et quomodo posset iste verum de Deo dicere, nisi missus a Deo? **Chrysostomus** in Ioannem. Nihil de reliquo humanum esse aestimo eorum quae dicuntur ab illo: non enim quae eius sunt, sed quae mittentis omnia loquitur: ideo et angelus nuncupatus est a propheta dicente: ego mitto angelum meum. Angeli enim virtus est nihil proprium dicere. Hoc autem quod dicit fuit missus, non eius qui ad esse processus ostensivum est. Sicut autem Isaias missus fuit non aliunde quam a mundo, sed a statu quo vidit dominum sedentem super solium excelsum et elevatum, ad plebem; sic et Ioannes a deserto ad baptizandum mittitur; ait enim: qui misit me baptizare, ille mihi dixit: super quem videris spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto.

Augustinus. quid vocabatur? cui nomen erat Ioannes.

Alcuinus. Idest gratia Dei, vel in quo est gratia, qui gratiam novi testamenti, idest Christum, suo testimonio primum mundo innotuit. Vel Ioannes interpretatur cui donatum est, quia per gratiam Dei donatum est illi regem regum non solum praecurrere, sed etiam baptizare.

Augustinus in Ioannem. Quare venit? hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine.

Origenes in Ioannem. Quidam improbare nituntur edita de Christo testimonia prophetarum, dicentes non egere testibus Dei filium habentem credulitatis sufficientiam tum in his quae protulit salubribus verbis, tum in mirabilibus operibus suis. Siquidem et Moyses credi meruit per verbum et virtutes, non egens praevis testibus. Ad hoc dicendum est, quod multis existentibus causis inducentibus ad credendum, plerumque quidam ex hac demonstratione non admirantur, ex alia vero habent causam ut credant. Deus autem est qui pro cunctis hominibus homo factus est. Constat igitur quosdam ex dictis propheticis ad Christi admirationem coactos, mirantes tot prophetarum ante eius adventum voces, constituentes nativitatis eius locum, et alia huiusmodi. Illud quoque advertendum, quod prodigiosae virtutes ad credendum provocare poterant eos qui tempore Christi erant, non autem post longa tempora: nam fabulosa quaedam aestimata fuerunt: plus enim peractis virtutibus facit ad credulitatem quae cum virtutibus quaeritur prophetia. Est autem et tale quid dicere, quod quidam in hoc quod testimonium perhibent Deo, honorati sunt. Privare vult ergo chorum prophetarum ingenti gratia qui dicit, illos non oportere de Christo testimonium exhibere. accessit autem his Ioannes, ut testimonium de luce perhibeat.

Chrysostomus in Ioannem. Non ea indigente testimonio, sed propter quid, ipse Ioannes docet, dicens ut omnes crederent per illum. Sicut enim carnem induit, ne omnes perderet; ita et praeconem hominem misit, ut cognatam audientes vocem, facilius advenirent.

Beda. Non autem ait: ut omnes crederent in illum: maledictus enim homo qui confidit in homine; sed ut omnes crederent per illum; hoc est, per illius testimonium crederent in lucem.

Theophylactus. Si vero aliqui non crediderint, excusabilis permanet ipse: nam sicut si aliquis includens se in domo caliginis, et ipsum solis radius non illustret, ipse causam tribuit, et non sol; sic Ioannes, ut omnes crederent, missus fuit; sed si minime consecutum est, ipse huius rei causa non extitit.

Chrysostomus. quia vero multum apud nos maior qui testatur, eo cui testimonium perhibet, et dignior fide esse videtur; ne quis et de Ioanne hoc suspicetur, hanc suspicionem destruit, dicens non erat ille lux; sed ut testimonium perhiberet de lumine. Si vero non huic instans opinioni hoc resumpsit ut testimonium perhiberet de lumine, superfluum esset quod dicitur, et magis iteratio sermonis quam explanatio doctrinae.

Theophylactus. Sed dicet aliquis: ergo neque Ioannem, neque sanctorum quempiam lucem esse vel fuisse dicemus. Sed si sanctorum aliquem lucem velimus dicere, ponemus lucem absque articulo; ut si interrogatus fueris utrum Ioannes est lux sine articulo, secure concedas; si vero cum articulo, non concedas. Non enim est ipsa lux principalior; sed lux dicitur quia secundum participationem lucem habeat a vero lumine.

IOANNES 1,9

12109 (Jn 1,9)

Augustinus in Ioannem. De quo lumine Ioannes testimonium perhibeat, ostendit dicens erat lux vera.

Chrysostomus in Ioannem. Vel aliter. quia superius de Ioanne dixerat, quod venit et missus est ut testetur de luce, ne quis hoc audiens propter testantis recentem praesentiam, de eo cui testimonium perhibetur, talem quamdam suspicionem accipiat, reduxit mentem, et ad eam quae supra omne principium est, transmisit existentiam, dicens erat lux vera.

Augustinus. quare additum est vera? quia et homo illuminatus dicitur lux; sed vera lux illa est quae illuminat; nam et oculi nostri dicuntur lumina, et tamen nisi aut per noctem lucerna accendatur, aut per diem sol exeat, lumina illa sine causa patent; unde subdit quae illuminat omnem hominem. Si omnem hominem, ergo et ipsum Ioannem. Ipse ergo illuminabat, a quo se demonstrari volebat. Quomodo enim plerumque fit ut in aliquo corpore radiato cognoscatur ortus esse sol quem oculis videre non possumus; quia etiam qui saucios habet oculos, idonei sunt videre parietem illuminatum, aut aliquid huiusmodi; sic omnes ad quos venerat Christus, minus erant idonei eum videre. Radiavit Ioannem, et per illum confitentem se illuminatum cognitus est ille qui illuminat. Dicit autem venientem in hunc mundum, nam si illinc non recederet, non esset illuminandus; sed ideo hic illuminandus, quia illinc recessit ubi homo poterat esse illuminatus.

Theophylactus. erubescat manichaeus, qui conditoris maligni et tenebrosi nos asserit creaturas: non enim illuminaremur, si veri luminis creaturae non essemus.

Chrysostomus in Ioannem. Ubi sunt etiam qui non dicunt eum verum Deum? hic enim lux vera dicitur. Sed si illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, qualiter tot sine lumine permanserunt? non enim omnes cognoverunt Christi culturam. Illuminat igitur omnem hominem quantum ad eum pertinet; si autem quidam mentis oculos claudentes noluerunt recipere lucis huius radios, non a lucis natura obtenebratio est eis, sed a malitia eorum, qui voluntarie privant seipsos gratiae dono: nam gratia quidem ad omnes effusa est; qui vero nolunt dono hoc frui, sibi ipsis hanc imputent caecitatem.

Augustinus enchir.. Vel quod dicitur illuminat omnem hominem, sic intelligimus: non quia nullus est hominum qui non illuminetur; sed quia nisi ab ipso nullus illuminatur.

Beda. Sive naturali ingenio, sive sapientia divina: sicut enim nemo a seipso esse, sic etiam nemo a seipso sapiens esse potest.

Origenes. vel aliter. Non de his qui de occultis seminum causis in species corporales procedunt, debemus intelligere quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; sed de his qui spiritualiter per regenerationem gratiae, quae datur in baptisate, in mundum veniunt invisibilem. Eos itaque vera lux illuminat qui in mundum virtutum veniunt, non eos qui in mundum vitiorum ruunt.

Theophylactus. Vel aliter. Intellectus nobis traditus, ac nos dirigens, qui et naturalis ratio nominatur, dicitur lux tradita nobis a Deo. Sed quidam male ratione utentes, seipsos obscuraverunt.

IOANNES 1,10

12110 (Jn 1,10)

Augustinus in Ioannem. Lux quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, huc venit per carnem: quia dum hic esset per divinitatem, a stultis, caecis et iniquis videri non poterat, de quibus supra dictum est tenebrae eam non comprehenderunt: et ideo dicitur in mundo erat.

Origenes. ut enim qui loquitur, dum loqui cessat, vox eius esse desinit, et evanescit, sic caelestis pater, si verbum suum loqui cessaverit, effectus verbi, hoc est universitas verbo condita, non subsisteret. Non autem putes quia sic erat in mundo quomodo in mundo est terra, pecora, et homines; sed quomodo artifex regens quod fecit; unde sequitur et mundus per ipsum factus est. Non enim sic fecit quomodo facit faber: qui enim fabricat, extrinsecus est ad illud quod fabricat. Deus autem infusus mundo, fabricat ubique positus, et non recedit ab aliquo: praesentia maiestatis facit quod facit, et gubernat quod facit. Sic ergo erat in mundo, quomodo per quem factus est mundus.

Chrysostomus. et iterum, quia in mundo erat, sed non ut mundi contemporaneus, propter hoc induxit et mundus per ipsum factus est; per hoc et rursus te deducens ad aeternam existentiam unigeniti; qui enim audierit quoniam opus eius hoc totum, et si valde insensibilis fuerit, cogetur concedere ante opera esse factorem.

Theophylactus. simul autem hic et manichaei subvertit rabiem, qui malignum conditorem cuncta produxisse dicebat; necnon et arii, qui filium Dei dicebat creaturam.

Augustinus. Quid est autem mundus per ipsum factus est? caelum, terra, mare et omnia quae in eis sunt, mundus dicitur. Iterum in alia significatione, dilectores mundi mundus dicuntur; de quo sequitur et mundus eum non cognovit. Num enim caeli, aut angeli, aut sidera non cognoverunt creatorem, quem confitentur daemonia, omnia undique testimonium perhibuerunt? sed qui non cognoverunt eum? qui amando mundum, dicti sunt mundus: amando enim mundum, habitamus corde in mundo: nam qui non diligunt mundum, carne versantur in mundo, sed corde inhabitant caelum; sicut apostolus dicit: nostra conversatio in caelis est. Amando igitur mundum, hoc appellari meruerunt ubi habitant. Quomodo enim cum dicimus: mala est illa domus aut bona, non parietes incusamus aut laudamus, sed inhabitantes, sic et mundum dicimus qui inhabitant mundum amando.

Chrysostomus in Ioannem. Qui autem Dei erant amici, eum cognoverunt, etiam ante corporalem praesentiam: unde et Christus ait quoniam abraham pater vester exultavit ut videret diem meum. cum ergo nos interpellant gentiles, dicentes: quid est quod in ultimo tempore venit nostram operaturus salutem, tanto tempore negligens nos? dicimus, quoniam et ante hoc in mundo erat, et providebat operibus suis, et omnibus dignis cognitus erat: et si eum mundus non cognovit, hi tamen quibus mundus non erat dignus, eum cognoverunt. Dicens autem mundus eum non cognovit, breviter causam ignorantiae praebuit. Mundum enim vocat homines qui soli mundo affixi sunt, et quae mundi sunt sapiunt. Nihil autem ita turbat mentem, ut liquefieri amore praesentium.

IOANNES 1,11-13

12111 (*Jn 1,11-13*)

Chrysostomus in Ioannem. dixit quod mundus eum non cognovit, de superioribus loquens temporibus; sed de reliquo sermonem induxit ad praedicationis tempora, et ait in propria venit.

Augustinus in Ioannem. Quia scilicet omnia per ipsum facta sunt.

Theophylactus. vel per propria mundum intelligas, sive iudaeam, quam pro hereditate elegerat.

Chrysostomus in Ioannem. in propria ergo venit, non gratia suae necessitatis, sed gratia beneficii suorum. sed unde venit qui omnia implet, et ubique adest? ea quidem quae ad nos condensatione hoc operatus est: quia enim in mundo existens, non putabatur adesse, eo quod nondum cognoscebatur, dignatus est induere carnem. Manifestationem vero hanc et condensationem adventum vocat. misericors autem existens deus omnia facit, ut nos secundum virtutem splendeamus; et propter hoc quidem nullum necessitate, suasionem vero et beneficiis volentes ad se attrahit; et propterea venientem eum hi quidem susceperunt, alii vero non receperunt. nullum enim vult invitum neque coactum habere famulatum: invitum enim trahi, par est cum eo qui totaliter non servit; unde sequitur et sui eum non receperunt. In Ioannem. iudaeos nunc suos dicit, ut populum peculiarem; sed et omnes homines ut ab ipso factos: et sicut superius pro communi verecundatus natura dicebat, quoniam mundus per ipsum factus conditorem non cognovit, ita et hic rursus pro iudaeorum anxius indevotione gravius ponit accusationem, dicens et sui eum non receperunt.

Augustinus. Si autem omnino nullus recepit, nullus ergo salvus factus est. Nemo enim salvus fiet, nisi qui Christum receperit venientem; et ideo addit quotquot autem receperunt eum.

Chrysostomus in Ioannem. Sive sint servi sive liberi, sive graeci sive barbari, sive insipientes sive sapientes, sive mulieres sive viri, sive pueri, sive senes, omnes eodem digni facti sunt honore, de quo sequitur dedit eis potestatem filios Dei fieri.

Augustinus. Magna benevolentia. Unicus natus est, et noluit manere unus; non timuit habere coheredes, quia hereditas eius non fit angusta, si eam multi possederint.

Chrysostomus. non autem dixit, quoniam fecit eos filios Dei fieri; sed dedit eis potestatem filios Dei fieri; ostendens quoniam multo opus est studio, ut eam, quae in baptismo adoptionis formata est, imaginem incontaminatam semper custodiamus: simul autem ostendens quoniam potestatem hanc nullus nobis auferre poterit, nisi nos ipsi auferamus. si enim qui ab hominibus dominium aliquarum rerum suscipiunt, tantum habent robur quantum fere hi qui dederunt; multo magis nos qui a Deo potimur hoc honore. Simul autem ostendere vult quoniam haec gratia advenit volentibus et studentibus: etenim in potestate est liberi arbitrii et gratiae operatione filios Dei fieri.

Theophylactus. Vel quia in resurrectione filiationem perfectissimam consequemur, secundum quod apostolus dicit: adoptionem filiorum Dei expectantes redemptionem corporis nostri. Dedit ergo potestatem filios Dei fieri, idest hanc gratiam in futura gratia consequendi.

Chrysostomus. Et quia in his ipsis ineffabilibus bonis, hoc quidem est Dei, scilicet dare gratiam; illud vero hominis, idest praebere fidem, subiungit his qui credunt in nomine eius. Quid igitur non dicis nobis, o Ioannes, quod eorum sit supplicium qui eum non receperunt? quia numquid isto supplicio fiet maius quando praeiacente eis potestate filios Dei fieri, non fiant, sed volentes seipsos tanto privant honore? sed etiam inextinguibilis eos suscipiet ignis, quod postea manifestius revelabit.

Augustinus. credentes ergo quia filii Dei fiunt et fratres Christi, utique nascuntur; nam si non nascuntur, filii quomodo esse possunt? sed filii hominum nascuntur ex carne et sanguine, et ex voluntate viri, et complexu coniugii. Illi autem quomodo nascuntur subdit qui non ex sanguinibus, tamquam maris et feminae. Sanguinea vel sanguines non est latinum; sed quia graece positum est pluraliter, maluit ille qui interpretabatur, sic ponere, et quasi minus latine loqui secundum grammaticos, et tamen explicare veritatem secundum auditum infirmorum. Ex sanguinibus enim maris et feminae homines nascuntur.

Beda. sciendum etiam est, quia in scripturis sanctis sanguis, cum dicitur pluraliter, peccatum significare solet; unde: libera me de sanguinibus.

Augustinus in Ioannem. In eo autem quod sequitur neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, carnem pro femina posuit: quia de costa facta cum esset, adam dixit: hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea. Ponitur ergo caro pro uxore quomodo aliquando spiritus pro marito: quia ille imperare debet, ista servire. Quid enim peius est domo ubi femina habet imperium super virum? hi ergo neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.

Beda. Carnalis enim singulorum generatio a complexu coniugii duxit originem: at vero spiritualis spiritus sancti gratia ministratur.

Chrysostomus. hoc autem narrat evangelista, ut vilitatem et humilitatem prioris partus, qui est per sanguinem et voluntatem carnis, addiscentes, et altitudinem secundi, qui per gratiam et nobilitatem est, cognoscentes, magnam quamdam hic suscipiamus intelligentiam et dignam dono ipsius qui genuit, et multum post hoc studium demonstramus.

IOANNES 1,14

12114 (*Jn 1,14*)

Augustinus in Ioannem. Cum dixisset ex Deo nati sunt, quasi ne miraremur et horreremus tantam gratiam, et nobis incredibile videretur, quia homines ex Deo nati sunt; quasi securitatem faciens, ait et verbum caro factum est. Quid ergo miraris quia homines ex Deo nascuntur? attende ipsum Deum ex hominibus natum.

Chrysostomus in Ioannem. vel aliter. Cum dixisset quoniam ex Deo nati sunt qui susceperunt eum, huius honoris posuit causam, hoc scilicet verbum fieri carnem: factus est enim proprius filius Dei hominis filius, ut filius hominum faciat filios Dei. Cum autem audieris quoniam verbum caro factum est, ne turberis: neque enim substantiam convertit in carnem; hoc enim vere impium est intelligere; sed manens quod est, servi formam assumpsit. Quia enim sunt qui dicunt, quoniam phantasmata quaedam fuerint omnia quae incarnationis sunt; eorum blasphemiam destruens, hanc dictionem factum est posuit, non transmutationem substantiae, sed carnis verae assumptionem repraesentare volens. Si vero dixerint: quoniam deus omnipotens est, quare et in carnem transmutari non potuit? dicemus quod transmutari ab illa incommutabili natura omnino procul est.

Augustinus de trin.. Sicut autem verbum nostrum vox quodammodo corporis fit assumendo eam in qua manifestatur sensibus hominum, sic verbum Dei caro factum est, assumendo eam in qua et ipsum manifestaretur sensibus hominum. Et sicut verbum nostrum fit vox, nec mutatur in vocem, ita verbum Dei caro quidem factum est; sed absit ut mutaretur in carnem: assumendo quippe illam, non in eam se consumendo, et hoc nostrum vox fit, et illud caro factum est.

Ex gestis concilii ephesini. Sermo etiam quem proferimus, quo in alterutris locutionibus utimur, sermo est incorporeus, non aspectui subiectus, non tactu tractabilis; sed cum sermo induerit litteras et elementa, visibilis fit, aspectu comprehenditur, tactu tractatur, sic et verbum Dei, quod naturaliter invisibile est, visibile fit; et quod natura incorporeum est, invenitur esse tractabile.

Alcuinus. Cum etiam credamus animam incorpoream corpori coniungi, ut ex his duobus fiat unus homo, facilius possumus credere divinam substantiam incorpoream animae in corpore coniungi in unionem personae; ita ut verbum in carnem non sit conversum, nec caro in verbum; cum nec corpus in animam, nec anima convertatur in corpus.

Theophylactus. Apollinarius autem laodicensis in hoc verbo haeresim statuit: dicebat enim, quod Christus animam rationalem non habuit sed tantum carnem; habens divinitatem pro anima, quae corpus dirigit et gubernat.

Augustinus contra serm. Arian.. si autem moventur in eo quod scriptum est, quod verbum caro factum est, nec ibi anima nominatur; intelligant carnem pro homine positam, a parte totum, figuratae locutionis modo, sicuti est: ad te omnis caro veniet; item quod ex operibus legis non iustificabitur omnis caro; quod apertius alio loco dicitur: non iustificabitur homo ex operibus legis. Sic itaque dictum est verbum caro factum est; ac si diceret: verbum homo factum est.

Theophylactus. evangelista volens ostendere inenarrabilem Dei condensum, carnem commemorat, ut illius admiremur misericordiam, quoniam propter nostram salutem quod omnino remotum et distans est ab eius natura, assumpsit, scilicet carnem; anima namque habet aliquam propinquitatem ad Deum. Si autem verbum incarnatum est, et humanam animam non assumpsit; sequeretur quod adhuc animae nostrae curatae non essent: quod enim non assumpsit, non sanctificavit. Et qualis derisio, cum anima prius peccaverit, ut carnem assumendo sanctificaverit, id quod est principaliter infirmum reliquerit? subvertitur ex hoc dicto nestorius, qui dicebat quod non deus verbum ipse idem factus est homo ex sacro conceptus sanguine virginis; sed virgo peperit hominem qui omnis virtutis dotatus erat specie, et Dei verbum illi erat coniunctum: et ex hoc duos filios asserebat: unum natum de virgine, scilicet hominem; alterum de Deo, scilicet Dei filium, homini illi coniunctum secundum gratiae habitudinem et amorem. Contra quem evangelista dixit, quod ipsum verbum factum est homo, non quod verbum inveniens hominem virtuosum, se sibi coniunxerit.

Cyrillus ad nestorium. Carnem enim animatam anima rationali uniens verbum sibi secundum subsistentiam, ineffabiliter et inintelligibiliter factus est homo, et appellatus est filius hominis, non secundum voluntatem solam aut beneplacitum, sed neque in assumptione personae solius. Diversae quidem quoad unionem collatae naturae; unus autem ex ambabus Christus et filius; non quasi differentia naturarum interempta propter adunationem.

Theophylactus. addiscimus ergo per hoc quod dicitur verbum caro factum est, quia ipsum verbum est homo, et filius Dei existens factus est filius mulieris; quae principaliter Dei genitrix nuncupatur, tamquam Deum in carne genuerit.

Hilarius de trin.. quidam autem volentes unigenitum Deum, qui in principio apud Deum erat deus verbum, non substantivum Deum esse, sed sermonem vocis emissae, ut quod loquentibus verbum suum, hoc sit patri Deo filius, argute subrepere volunt, ne subsistens verbum deus, et manens in forma Dei Christus homo natus sit: ut cum hominem illum humanae potius originis causa quam spiritualis conceptionis sacramentum animaverit, non deus verbum hominem se ex partu virginis efficiens extiterit; sed, ut in prophetis spiritus prophetiae, ita in iesu verbum Dei fuerit. et arguere nos solent, quod Christum dicamus esse natum non nostri corporis atque animae hominem, cum nos verbum carnem factum, nostrae similitudinis natum hominem praedicemus, ut vere Dei filius vere filius hominis natus sit; et ut per se sibi assumpsit ex virgine corpus, ita ex se sibi animam assumpsit; quae utique ab homine numquam gignentium originibus praebetur: et cum ipse ille filius hominis sit, quam ridicule praeter Dei filium, qui verbum caro factum est, alium nescio quem tamquam prophetam verbo Dei animatum praedicabimus, cum dominus iesus Christus et Dei filius et hominis filius sit? **Chrysostomus**. Ne autem ab eo quod dictum est verbum caro factum est, inconvenienter suspiceris versionem illius incorruptibilis naturae, subdit et habitavit in

nobis. Quod enim habitat, non idem est cum habitaculo, sed aliud: aliud autem dico secundum naturam: unione vero et copulatione unum est deus verbum caro, neque confusione facta, neque destructione substantiarum.

Alcuinus. Vel habitavit in nobis, idest inter homines conversatus est.

(Lectio 15)

Chrysostomus in Ioannem. cum dixisset, quod filii Dei facti sumus, et non aliter quam per hoc quod verbum caro factum est; rursus ipsius dicit et aliud lucrum et vidimus gloriam eius: quam utique non vidissemus, nisi per consortium humanitatis visus esset nobis. Si enim moysi non sustinuerunt faciem glorificatam videre, sed velamine opus fuit; qualiter divinitatem nudam existentem, inaccessibilem etiam ipsis superioribus virtutibus, nos lutei et terrestres sufferre possemus? **Augustinus** in Ioannem. vel aliter. Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, ista nativitate collyrium fecit, unde tergerentur oculi nostri, ut possimus videre maiestatem eius per eius humanitatem; et ideo dicitur et vidimus gloriam eius. Gloriam eius nemo posset videre, nisi humilitate carnis sanaretur. Irruerat enim homini quasi pulvis in oculum de terra: oculus iste sauciatus erat, et terra illuc mittitur ut sanetur: caro te obcaecaverat, caro te sanat. Carnalis enim anima facta erat, consentiendo carnalibus affectibus; inde fuerat oculus cordis caecatus: medicus fecit tibi collyrium, quoniam sic venit ut de carne vitia carnis extingueret. Verbum enim caro factum est, ut possis dicere vidimus gloriam eius.

Chrysostomus. Subdit autem, quasi unigeniti a patre: quia multi prophetarum glorificati sunt, puta moyses, eliseus et alii multi quicumque miracula ostenderunt; sed et angeli hominibus apparentes, et eam quae est propriae naturae coruscantem lucem manifestantes, sed et cherubim et seraphim cum multa gloria visa sunt a propheta. Ab omnibus his nos abducens evangelista, et supra omnem naturam et conservorum nostrorum claritatem erigens mentem, ad ipsum nos perducit verticem; quasi dicat: non ut prophetae aut alterius hominis, vel angeli, aut archangeli, aut alicuius superiorum virtutum, est gloria quam vidimus; sed quasi ipsius regis, ipsius naturalis filii unigeniti.

Gregorius moralium. In sacro enim eloquio sicut et quasi aliquando non pro similitudine ponitur, sed pro veritate; unde et istud, quasi unigeniti a patre.

Chrysostomus. Ac si diceret: vidimus gloriam qualem decebat, et conveniens est habere unigenitum et naturalem filium. Consuetudo enim multorum, regem valde ornatum videntium, est ut cum aliis enarrantes non possunt universalem repraesentare claritatem, hoc inducunt: quid oportet multa dicere? quasi rex ibat. Sic et Ioannes dicit vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti a patre. Angeli enim apparentes ut servi, et dominum habentes, omnia agebant; ipse vero ut dominus cum humili forma apparens. sed et creaturae dominum cognoverunt, stella magos vocans, angeli pastores, puer exultans in utero: sed et pater testatus est de caelis, et paraclytus super ipsum advenit; sed et ipsa rerum natura omni tuba clarius clamavit, quoniam rex caelorum advenerat: etenim daemones fugiebant, infirmitatis species solvebantur, mortuos dimittebant sepulchra, et animas a malitia ad virtutis verticem agebat. Quid utique quis dicat praeceptorum philosophiam, caelestium legum virtutem, angelicae urbanitatis bonam ordinationem? **Origenes**. Eius autem quod sequitur, plenum gratiae et veritatis, duplex intellectus est. Potest enim de humanitate ac divinitate incarnati verbi accipi; ita ut plenitudo gratiae referatur ad humanitatem, secundum quam Christus caput est ecclesiae et primogenitus creaturae universae: quoniam maximum et principale gratiae exemplum, qua nullis praecedentibus meritis homo efficitur deus, in ipso primordialiter manifestatum est. potest etiam plenitudo gratiae Christi de spiritu sancto intelligi, cuius septiformis operatio humanitatem Christi implevit. Plenitudo vero veritatis ad divinitatem refertur.

Origenes in Ioannem. Si vero plenitudinem gratiae et veritatis de novo testamento mavis intelligere, non incongrue pronuntiabis plenitudinem gratiae novi testamenti esse per Christum donatam, et legalium symbolorum veritatem in ipso esse impletam.

Theophylactus. vel plenum gratia, prout eius verbum gratiosum erat, dicente David: diffusa est gratia in labiis tuis; et veritate, secundum quod moyses et prophetae loquebantur aut operabantur in figura, Christus autem cum veritate.

IOANNES 1,15

Alcuinus. Dixerat superius fuisse missum hominem ad perhibendum testimonium; hic determinat testimonium suum, quod manifeste praecursor pronuntiavit; unde dicitur Ioannes perhibet testimonium de ipso.

Chrysostomus in Ioannem. vel aliter hoc inducit; ac si dicat: non aestimetis quod nos qui fuimus cum eo multo tempore et mensae ipsius communicavimus, propter gratiam hoc testemur; quia Ioannes, qui antea eum non viderat, nec ei commoratus fuerat, ei testimonium perhibebat. Multoties autem evangelista revolvit eius testimonium, quia multam admirationem huius viri habebant iudaei. Et alii quidem evangelistae antiquorum meminerunt prophetarum, dicentes: hoc factum est ut impleatur quod dictum est per prophetam; hic autem altiore et recentiore testem inducit, non intendens a servo dominatorem facere fide dignum, sed auditorum imbecillitati condescendens. Quemadmodum enim nisi servi formam assumpsisset, non ita facile susceptibilis factus esset; ita nisi servi voce auditum conservorum praeexcitasset, nequaquam multi iudaeorum verbum Christi suscepissent. sequitur et clamat; idest, cum propalatione, cum libertate, sine subtractione omnia praedicat. Non autem a principio dixit, quoniam hic est filius Dei unigenitus naturalis; sed clamat dicens hic erat quem dixi: qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat. Quemadmodum enim matres avium, non confestim pullos suos volationem docent; sed primo quidem extra nidum educunt, postea vero aliam multo velociorem volationem apponunt; sic et Ioannes non confestim iudaeos ad alta duxit, sed interim paululum a terra eos evolare docuit, dicens, quod Christus melior eo erat; quod non parum interim erat. et vide qualiter sapienter inducit testimonium: non enim solum apparentem Christum monstrat; sed et antequam apparuisset eum praedicat; quod significatur in hoc quod dicit hic erat de quo dixi. hoc autem fecit ut facile susceptibilis esset Christus, hominum mente iam praedetenta ab aliis quae de eo dicta erant, et nihil ad hoc humilitas habitus noceret. Ita enim humili et communi omnibus forma Christus utebatur, ut si simul et verba haec audissent de eo, et eum considerassent, Ioannis testimonium derisissent.

Theophylactus. dicit autem qui post me venit, videlicet secundum tempora nativitatis: sex enim mensibus prior Christo Ioannes erat secundum humanitatem.

Chrysostomus. Vel hoc non dicit de ea generatione quae est ex maria: iam enim natus erat Christus quando haec a Ioanne dicebantur; sed de adventu eius ad praedicationem. Dicit autem ante me factus est; idest, clarior est et honorabilior; ac si dicat: non quia prior veni ad praedicandum, ex hoc maiorem me esse illo existimetis.

Theophylactus. Ariani vero hanc litteram sic exponunt, volentes ostendere quod Dei filius non est a patre genitus, sed factus, sicut una alia creatura.

Augustinus in Ioannem. Non ergo intelligitur: factus est antequam ego essem factus; sed antepositus est mihi.

Chrysostomus. Si autem quod dicitur ante me factus est, de productione ad esse intelligeretur, superfluum esset quod additur quia prior me erat. Quis enim est ita insipiens ut ignoret quoniam ex quo ante eum factus est, prior eo erat? aliter autem e contrario oporteret dicere, scilicet: prior me erat, quia ante me factus est. Ergo quod dicit ante me factus est, de honore intelligitur: hoc enim quod futurum erat, factum dicit, quia consuetudo erat antiquorum prophetarum de futuris quasi de iam praeteritis loqui.

IOANNES 1,16-17

12116 (*Jn 1,16-17*)

Origenes. sermo iste in persona baptistae de Christo testantis prolatus est; quod plurimos fallit, ex hic usque illuc ille enarravit, credentes in persona Ioannis apostoli recitari, inconsequens autem est putare, subito et quasi intempestive interrumpi baptistae sermonem ex verbo discipuli; et cuique scienti percipere dictorum collationem, in propatulo constat series dicti; dixerat enim ob hoc ante me factus est, qui prior me erat. Ex hoc autem coniecto priorem me fore, quod ex eius plenitudine ego quidem, et ante me prophetae accepimus gratiam secundam pro prima. pertigerunt enim et illi post figuras per spiritum ad veritatis speculationem. Hinc etiam perpendimus ex plenitudine eius accipientes, legem quidem per moysen fore datam, gratiam autem et veritatem per iesum Christum, nedum fore datam, sed factam; patre quidem legem dante per moysen, gratiam et veritatem faciente per iesum. Sed si iesus est qui dicit: ego sum veritas, quomodo veritas fit per iesum? sed intelligendum est, quod ipsa veritas substantialis (ex qua prima veritate et eius imagine sculptae sunt multae veritates in his qui veritatem tractant) nequaquam per iesum Christum

facta est, nec prorsus per aliquem; sed veritas, puta quae consistit in paulo et apostolis, per iesum Christum facta est.

Chrysostomus in Ioannem. Vel aliter. Coniungit hic testimonio Ioannis baptistae suum testimonium Ioannes evangelista, dicens et de plenitudine eius nos omnes accepimus. Non praecursoris est verbum, sed discipuli; quasi dicat: etiam nos omnes duodecim, et omnis plenitudo fidelium, et qui nunc sunt, et futurorum, de plenitudine eius accepimus.

Augustinus in Ioannem. Quid autem accepistis? et gratiam pro gratia: ut nescio quid nos voluerit intelligere de plenitudine eius accepisse, et insuper gratiam pro gratia: accepimus enim de plenitudine eius primo gratiam, et rursus accepimus gratiam pro gratia. Quam gratiam primo accepimus? fidem. Vocatur enim gratia, quia gratis datur. Hanc ergo accepit gratiam primam peccator, ut eius peccata dimitterentur; et iterum gratiam pro gratia; idest, pro hac gratia in qua ex fide vivimus, recepturi sumus aliam, idest vitam aeternam: vita enim aeterna quasi merces est fidei: sed quia ipsa fides gratia est, vita aeterna gratia est pro gratia. non erat ista gratia in veteri testamento: quia lex minabatur, non opitulabatur; iubebat, non sanabat: languorem ostendebat, non auferebat, sed praeparabat medico venturo cum gratia et veritate; unde sequitur quia lex per moysen data est; gratia et veritas per iesum Christum facta est. mortem enim temporalem et aeternam occidit mors domini tui: ipsa est gratia quae promissa et non habita erat in lege.

Chrysostomus in Ioannem. vel accepimus gratiam pro gratia; idest, pro veteri novam. Sicut enim est iustitia et iustitia, adoptio et adoptio, circumcisio et circumcisio, ita gratia et gratia; sed illa quidem ut typus, haec vero ut veritas. Hoc autem induxit, ostendens quoniam et iudaei gratia salvabantur, sed et nos omnes gratia salvi sumus: misericordiae autem et gratiae fuit legem suscipere. propterea cum dixisset gratiam pro gratia, ostendens magnitudinem eorum quae data sunt, subdit quia lex per moysen data est, gratia et veritas per iesum Christum facta est. Et supra quidem Ioannes ad seipsum comparans Christum, ait ante me factus est: hic autem evangelista ad eum qui illo tempore magis in admiratione apud iudaeos erat quam Ioannes, Christi comparisonem facit, scilicet ad moysen. Et considera prudentiam. Non personarum, sed rerum comparisonem facit, gratiam et veritatem legi opponens; et huic addit data est, quod ministrantis erat; huic autem facta est, quod est regis cum potestate omnia operantis: cum gratia quidem, quia cum potestate omnia dimittebat peccata. Et gratiam quidem eius baptismatis donum, et adoptio quae per spiritum nobis datur, et alia multa ostendunt: veritatem autem plenius sciemus si figuras veteris legis didicerimus: ea enim quae in novo testamento perficienda erant, in veteri testamento figurae praescripserunt, quas Christus veniens adimplevit. unde figura data est per moysen, veritas per Christum facta est.

Augustinus de trin.. Vel gratiam referamus ad scientiam, veritatem ad sapientiam: in rebus enim per tempus ortis illa summa gratia est, quod homo in unitate personae coniunctus est Deo: in rebus vero aeternis summa veritas recte tribuitur Dei verbo.

IOANNES 1,18

12118 (Jn 1,18)

Origenes in Ioannem. Incongrue heracleon asserit hoc promulgatum fuisse non a baptista, sed a discipulo: nam si illud de plenitudine eius nos omnes accepimus, a baptista prolatum est, quomodo non est sequens, ipsum de gratia Christi suscipientem, et secundam pro prima gratia, confitentemque, legem per moysen fore traditam, gratiam vero et veritatem per iesum Christum prodiisse; intellexisse qualiter Deum nemo vidit unquam, quodque unigenitus, cum in patris gremio requiescat, interpretationem ipsi Ioanni, nec non omnibus his qui de perfectione gustaverint, concesserit? non enim nunc primitus annuntiavit: nam priusquam abraham fieret, docet nos abraham exultasse, ut videret eius gloriam.

Chrysostomus in Ioannem. Vel aliter. Evangelista ostendens multam eminentiam donorum Christi ad ea quae per moysen dispensata sunt, vult de reliquo causam rationalem differentiae dicere: nam ille quidem famulus existens, minorum rerum factus est minister; hic vero dominator et regis filius existens, multo maiora nobis attulit coexistens semper patri, et videns eum: propter hoc ita intulit, dicens Deum nemo vidit unquam.

Augustinus ad paulinam. quid ergo est quod iacob dicit: vidi dominum facie ad faciem; et quod de moyse scriptum: quia loquebatur cum Deo facie ad faciem; et illud quod propheta Isaias loquens de seipso ait: vidi dominum sabaoth sedentem in throno? **Gregorius** moralium. Sed patenter datur intelligi quod quamdiu hic mortaliter vivitur, videri per quasdam imagines potest deus; sed per ipsam naturae suae speciem non

potest; ut anima gratia spiritus afflata, per figuras quasdam Deum videat; sed ad ipsam vim eius essentiae non pertingat. Hinc est enim quod iacob, qui Deum se vidisse testatur, non nisi angelum vidit: hinc est quod moyses, qui cum Deo facie ad faciem loquitur, dicit: ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te. Ex qua eius petitione colligitur, quia eum sitiebat per incircumscriptae naturae suae claritatem cernere, quem iam coeperat per quasdam imagines videre.

Chrysostomus. Si autem antiqui patres ipsam viderunt naturam, nequaquam differenter considerassent: simplex enim quaedam est et infigurabilis; non sedet, neque stat, neque ambulat; haec enim corporum sunt: unde et per prophetam dicit: ego visionem multiplicavi eis, et in manibus prophetarum assimilatus sum; hoc est, condescendi eis, non quod eram apparui: quia enim filius Dei per veram carnem appariturus erat nobis, primo excitavit eos videre Deum, sicut possibile erat eis videre.

Augustinus ad paulinam. sed cum scriptum sit: beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt, et iterum: cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est, quid est quod hic dicitur Deum nemo vidit unquam? an fortasse respondetur, quod illa testimonia de videndo Deo sunt, non de viso? ipsi enim Deum videbunt, dictum est, non viderunt; et non vidimus, sed: videbimus eum sicuti est: Deum enim nemo vidit unquam: vel in hac vita sicuti ipse est, vel etiam in angelorum vita, sicut visibilia ista quae corporali visione cernuntur.

Gregorius moralium. Si vero a quibusdam potest in hac corruptibili carne viventibus, sed tamen inaestimabili virtute crescentibus, quodam contemplationis acumine aeterna claritas Dei videri; hoc ab hac sententia non abhorret, quoniam quisquis sapientiam, quae deus est, videt, huic vitae funditus moritur, ne iam eius amore teneatur.

Augustinus super genesim. nisi enim ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens de corpore, sive ita aversus et alienatus a carnalibus sensibus, ut merito nesciat, sicut apostolus ait utrum in corpore, an extra corpus sit, non in illam rapitur et subvertitur visionem.

Gregorius. Sciendum vero est, quod fuere nonnulli qui Deum dicerent in illa regione beatitudinis in claritate sua conspici, sed in natura minime videri. Quos nimirum minor inquisitionis subtilitas fefellit: neque enim illi simplici et incommutabili essentiae aliud est claritas, aliud natura.

Augustinus ad paulinam. si autem dicitur, in hoc quod scriptum est Deum nemo vidit unquam, homines tantummodo intelligendos: nam hoc apostolus planius explicans: quem nemo, inquit, hominum vidit, sed nec videre potest, ut ita dictum sit Deum nemo vidit unquam, ac si diceretur: nullus hominum, quaestio illa solvi videbitur, ut non sit huic sententiae contrarium quod dominus ait: angeli eorum semper vident faciem patris mei; ut scilicet angelos Deum videre credamus, quem nemo vidit unquam, scilicet hominum.

Gregorius. Sunt tamen nonnulli qui nequaquam Deum videre nec angelos suspicantur.

Chrysostomus in Ioannem. Dicentes, quod ipsum quod deus est, non solum prophetae, sed nec angeli viderunt, neque archangeli. sed si interrogaveris eos, audies de substantia nihil respondentes. Gloria vero in excelsis Deo non solum cantantes, sed et in terra pax hominibus bonae voluntatis. et si a cherubim et seraphim concupiveris aliquid discere, mysticam sanctimonii melodiam audies, et quoniam plenum est caelum et terra gloria eius.

Augustinus ad paulinam. quod quidem intantum verum est, quia Dei plenitudinem nullus non solum oculis corporis, sed vel ipsa mente aliquando comprehendit. Aliud est enim videre, aliud totum videndo comprehendere: quandoquidem id videtur quod praesens utcumque sentitur; totum autem comprehenditur videndo quod ita videtur ut nihil eius lateat videntem, aut cuius fines circumspici possunt.

Chrysostomus. Sic igitur solus patrem videt filius et spiritus sanctus. quod enim creabilis est naturae, qualiter poterit videre quod increabile est? ita igitur nullus novit Deum, ut filius; unde sequitur unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit. Ne propter nominis communionem unum quemdam eorum qui gratia facti sunt filiorum esse existimes eum, primo quidem adiectus est articulus. Si vero hoc non sufficit tibi, audi aliud nomen unigenitus.

Hilarius de trin.. Naturae quidem fides non satis explicata videbatur ex nomine filii, nisi proprietatis virtus per exceptionis significantiam adderetur; praeter filium enim et unigenitum nihil cognominans, suspicionem penitus adoptionis exclusit, cum veritatem nominis unigeniti natura praestaret.

Chrysostomus. Sed et aliud posuit, dicens qui est in sinu patris. Etenim in sinu conversari multo plus est quam simpliciter videre: nam qui simpliciter videt, non omnino eius quod videt cognitionem habet: qui vero

in sinu conversatur, nihil ignorabit. Cum igitur audieris quod nullus cognoscit patrem nisi filius, nequaquam dicas, quoniam etsi plus omnibus novit patrem, sed non quantus est novit eum: propterea evangelista in sinu patris eum morari dicit, ut non aestimemus per id aliud significatum quam familiaritatem unigeniti, et coaeternitatem ad patrem.

Augustinus in Ioannem. in sinu enim patris, idest in secreto patris: non enim deus habet sinum, quemadmodum nos habemus in vestibus; aut cogitandus est sic sedere quomodo nos; aut forte cinctus est, ut sinum haberet: sed quia sinus noster intus est, secretum patris sinus patris vocatur. Qui ergo in secreto patris novit patrem, ipse enarravit quod vidit.

Chrysostomus in Ioannem. sed quid enarravit? quoniam unus est deus. Sed et hoc reliqui prophetae et moyses clamant: quid ergo plus didicimus a filio in sinibus paternalibus existente? primum quidem ipsa haec quae alii narraverunt, sunt enarrata ex operatione unigeniti; deinde quoniam multo maiorem suscepimus doctrinam per unigenitum, et cognovimus quoniam spiritus est deus, et quod eos qui adorant eum, in spiritu et veritate adorare oportet, et quoniam deus pater est unigeniti.

Beda. praeterea sciendum, quia si ad praeteritum referatur quod ait enarravit, homo factus enarravit quid de trinitatis unitate sentiendum, qualiter ad eius contemplationem properandum, quibus actibus sit perveniendum. Si vero referatur ad futurum, tunc enarrabit cum electos suos ad visionem claritatis suae inducet.

Augustinus. Fuerunt autem homines qui dicerent, vanitate cordis sui decepti: pater invisibilis est, filius autem visibilis est. Si ergo propter carnem filius visibilis dicitur, et nos concedimus, et est catholica fides; si autem, ut ipsi dicunt, antequam incarnaretur, multum delirant, si Christus sapientia Dei et virtus Dei est: sapientia enim Dei videri oculis non potest. Si verbum hominis oculis non videtur, verbum Dei sic videri potest? **Chrysostomus.** Non igitur soli ipsi proprium est Deum nemo vidit unquam, sed et filio: quia, ut paulus dicit, est imago Dei invisibilis; qui vero invisibilis imago est, et ipse invisibilis est.

IOANNES 1,19-23

12119 (Jn 1,19-23)

Origenes. secundum legitur hoc testimonium a Ioanne baptista de Christo prolatum, incipiente primo illic: hic est de quo dixi, et desinente ibi: ipse enarravit.

Theophylactus. vel aliter. Postquam superius dixit evangelista, quod Ioannes testabatur de Christo: ante me factus est, nunc subiungit quando praemissum testimonium reddiderit Christo Ioannes; unde dicit et hoc est testimonium Ioannis, quando miserunt iudaei ab hierosolymis sacerdotes et levitas ad Ioannem.

Origenes. Iudaei quidem ab hierosolymis, ut cognati existentes baptistae de stirpe sacerdotali existentis, sacerdotes et levitas destinant, sciscitatuos quis esset Ioannes; eos scilicet qui reputati sunt secundum electionem ab aliis differre; et ab electo hierosolymorum loco. Ioannem itaque quaerunt cum tanta veneratione; erga Christum autem nihil huiusmodi factum legitur a iudaeis. sed quod erga Ioannem iudaei, hoc Ioannes erga Christum prosequitur, per proprios discipulos interrogans: tu es qui venturus es, an alium expectamus? **Chrysostomus** in Ioannem. Sic autem fide dignum aestimaverunt esse Ioannem, ut ei de seipso dicenti crederent; unde dicitur ut interrogarent eum: tu quis es? **Augustinus** in Ioannem. non autem mitterent nisi moverentur excellentia auctoritatis eius, quia ausus est baptizare.

Origenes. Ioannes autem, ut videtur, discernebat ex quaestione, sacerdotum et levitarum dubitationem, ne forte Christus esset baptizans; apertius tamen illud profiteri cavebant, ne temerarii putarentur. quapropter merito, ut eorum opinio fallax de eo primitus aboleretur, ac subinde veritas propalaretur, quod non sit Christus ante omnia manifestat; unde sequitur et confessus est, et non negavit: et confessus est: quia non sum ego Christus. hic etiam adiciamus, quia tempus adventus Christi populum recreabat quodammodo iam praesens existens, legisperitis ex sacris scripturis illius tempus speratum colligentibus: propter quod theodas non modicam multitudinem quasi Christus congregavit, et post illum iudas galilaeus in diebus professionis. Cum ergo ferventius Christi expectaretur adventus, iudaei transmittunt ad Ioannem, per hoc quod est tu quis es? conicere volentes si ipse se Christum fateretur. non autem ex eo quod dicit non sum ego Christus, negavit: ex hoc enim ipso confessus est veritatem.

Gregorius in evang.. Negavit plane quod non erat, sed non negavit quod erat, ut veritatem loquens, eius membrum fieret cuius sibi nomen fallaciter non usurparet.

Chrysostomus in Ioannem. vel aliter. Passi erant iudaei quamdam humanam passionem ad Ioannem. Indignum enim aestimabant, subici eum Christo propter multa quae Ioannis claritatem demonstrabant: quorum primum erat genus illustre, principis enim sacerdotum filius erat; deinde dura educatio, humanorum despectio. In Christo autem contrarium videbatur: genus humile, quod ei exprobrabant dicentes: nonne hic est fabri filius? dieta communis, et vestimenta nihil plus multis habentia. quia igitur Ioannes continue ad Christum mittebat, volentes magis Ioannem habere magistrum, mittunt ad eum, opinantes per blanditias eum allicere ad confitendum se Christum esse. Non ergo quosdam contemptibiles mittunt, ut ad Christum, ministros et herodianos, sed sacerdotes et levitas; et non quoscumque, sed eos qui erant ex hierosolymis, hoc est honorabiliores; et ad hoc mittunt ut interrogarent tu quis es? non quasi ignorantes, sed volentes eum inducere ad hoc quod dixi: unde Ioannes ad mentem et non ad interrogationem eis respondit et confessus est, et non negavit; et confessus est: quia non sum ego Christus. Et vide sapientiam evangelistae. Tertio quasi idem dicit, et virtutem baptistae indicans, et malitiam et amentiam iudaeorum. Devoti enim famuli est, non solum non rapere gloriam domini, sed oblatam a multis respuere. turbae quidem ex ignorantia ad hanc venerunt suspicionem ut Ioannem Christum aestimaret; hi vero a maligna mente, ex qua interrogabant eum, aestimantes per blanditias attrahere ad hoc quod volebant: nisi enim excogitassent hoc, respondentem non sum ego Christus, dixissent: non hoc suspicati sumus, non hoc venimus interrogaturi. Sed capti et manifesti effecti ad aliud veniunt; unde sequitur et interrogaverunt eum: quid ergo? elias es tu? **Augustinus**. Noverant enim quod praecessurus erat elias Christum: non enim alicui ignotum erat nomen Christi apud hebraeos; sed non putabant illum esse Christum; nec tamen omnino putaverunt Christum non esse venturum; et cum sperarent futurum, offenderunt in praesentem. sequitur et dixit: non sum.

Gregorius in evang.. Ex his verbis nobis quaestio valde implexa generatur. alio quippe in loco inquisitus a discipulis dominus de eliae adventu, respondit: si vultis scire, Ioannes ipse est elias. Requisitus autem Ioannes dicit non sum elias. Quomodo ergo propheta veritatis est si eiusdem veritatis sermonibus concors non est? **Origenes**. dicit aliquis quod se ignorabat Ioannes esse eliam; et hoc nimirum utentur documento qui assistunt iteratae incorporationis rationi, tamquam anima denuo induente corpora. Quaerunt enim iudaei per levitas ac sacerdotes, an esset elias, cum iteratae corporis assumptionis documentum verax arbitrantur, quasi paternum existens, nec alienum ab arcanorum suorum doctrina. Ob hoc itaque dicit Ioannes: elias non sum; nam nescit primaevam vitam propriam. Qualiter autem videtur rationabile, si tamquam propheta spiritu illuminatus est, et de Deo et unigenito tanta narravit, ignorasse de seipso an unquam eius anima fuerit in elia? **Gregorius** in evang.. sed si subtiliter veritas ipsa requiratur, hoc quidem quod inter se contrarium sonat, quomodo contrarium non sit invenitur. ad zachariam namque de Ioanne angelus dixit: ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute eliae, quia scilicet sicut elias secundum domini adventum praeveniet, ita Ioannes praevenit primum; sicut ille praecursor venturus est iudicis, ita iste praecursor factus est redemptoris. Ioannes igitur in spiritu elias erat, in persona elias non erat. Quod autem dominus fatetur de spiritu, hoc Ioannes denegat de persona: quia et iustum sic erat ut discipulis dominus spiritalem de Ioanne sententiam diceret, et Ioannes turbis carnalibus non de suo spiritu, sed de corpore responderet.

Origenes. respondit ergo levitis et sacerdotibus: non sum, coniectans propositum quaestionis eorum: non enim sapiebat praemissa examinatio, si idem spiritus esset in utroque; sed si Ioannes esset ipse elias qui assumptus est, nunc apparet, secundum quod a iudaeis expectabatur, absque nativitate. Primus autem arbitrans resumptionem corporum, dicit, quod inconsequens est filium zachariae tanti sacerdotis in senio natum, super omnem humanam expectationem, ignorari a sacerdotibus et levitis ipsum natum fuisse; maxime luca testante quod factus est timor in omnibus habitantibus circa eos. Sed forsitan quoniam prope finem eliam expectabant ante Christum, quasi tropice sciscitari videntur: an es tu qui praenuntias Christum venturum? et caute respondit: non sum. Sed nihil mirabile. sicut in salvatore, pluribus scientibus ex maria nativatem eius, quidam falebantur putantes eum Ioannem baptistam vel eliam, aut aliquem prophetarum; sic et in Ioanne quosdam ortus eius ex zacharia non latebat; et quidam dubitabant, si forsitan qui expectabatur elias apparuit in Ioanne. Quoniam vero cum plures in israel editi fuerint prophetae, unus de quo moyses prophetaverat, praesertim expectabatur, iuxta illud: prophetam vobis suscitabit deus ex fratribus vestris: sicut mihi, illi parebitis; tertio sciscitantur, non si foret propheta simpliciter, sed cum articulo, ut in graeco ponitur; unde sequitur propheta es tu? per singulos enim prophetas noverat populus israel neminem eorum fore hunc quem moyses prophetaverat, qui sicut moyses medius staret inter Deum et homines, et accepto testamento a Deo traderet discipulis. hoc autem illis nomen non Christo attribuentibus, sed arbitrantibus alium a Christo ipsum fore, Ioannes scivit quoniam et Christus ille propheta esset; unde subditur et respondit: non.

Augustinus in Ioannem. Vel quia Ioannes maior erat quam propheta: quia prophetae longe praenuntiaverunt, Ioannes praesentem demonstrabat. sequitur dixerunt ergo ei: quis es, ut responsum demus his qui miserunt nos? quid dicis de teipso? **Chrysostomus** in Ioannem. Vides hic vehementius insistentes et interrogantes; hunc autem cum mansuetudine eas quae non erant verae suspensiones

destruentem, et eam quae est vera ponentem: unde sequitur ait: ego vox clamantis in deserto.

Augustinus. Isaias illud dixit; in Ioanne prophetia ista completa est.

Gregorius in evang.. Scitis autem quod unigenitus filius verbum patris vocatur. ex ipsa autem nostra locutione cognoscimus, quia prius vox sonat, ut verbum possit audiri. Ioannes ergo vocem se asserit esse, quia verbum praecedit, et per eius ministerium, patris verbum ab hominibus auditur.

Origenes. ineleganter autem heracleon de Ioanne et prophetis considerans, ait, quoniam verbum quidem salvator est, vox autem per Ioannem intelligitur; solus enim sonus est omnis gradus propheticus. Cui dicendum, quod si non significativam vocem dederit tuba, nemo se accinget ad praelium. Si ergo nil aliud quam sonus est vox prophetica, quomodo transmittit nos ad illam salvator? scrutamini scripturas. Dicit autem Ioannes se esse vocem non clamantem in deserto, sed clamantis in deserto, eius scilicet qui stabat et clamabat: si quis sitit, veniat ad me, et bibat. Clamat enim ut distantes auditu percipiant, et gravem habentes auditum sentiant immensitatem eorum quae dicuntur.

Theophylactus. Vel quia veritatem manifeste annuntiat: omnes enim qui in lege erant, obscure loquebantur.

Gregorius. vel in deserto Ioannes clamat, quia quasi derelictae ac destitutae iudaeae solatium redemptoris annuntiat.

Origenes. Opus autem vocis in deserto clamantis est ut anima a Deo destituta, ad rectam faciendam viam domini revocetur, nequaquam pravitatem serpentini gressus prosequendo: secundum contemplationem quidem sublimatam in veritate absque permixtione mendacii, et secundum actionem post congruam speculationem licitum opus referentem; unde sequitur dirigit viam domini, sicut dixit Isaias propheta.

Gregorius. Via domini ad cor dirigitur, cum veritatis sermo humiliter auditur; via domini ad cor dirigitur, cum ad praeceptum vita praeparatur.

IOANNES 1,24-28

12124 (Jn 1,24-28)

Origenes. Facta responsione versus sacerdotes et levitas, denuo missum est a pharisaeis; unde dicitur et qui missi fuerant erant ex pharisaeis. Quantum enim ex ipso sermone coniecturari contingit, dico tertium hoc esse testimonium. Vide tamen quomodo iuxta sacerdotalem et leviticam personam est cum mansuetudine prolatum illud tu quis es? nihil enim arrogans vel protervorum in eorum quaestione continetur, sed cuncta decentia veros Dei ministros. Sed pharisaei secundum suum nomen divisi et importuni ex discordia contumeliosas voces praetendunt baptistae; unde sequitur et dixerunt ei: quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque elias, neque propheta? non quasi scire volentes, sed prohibere eum a baptismo. deinde vero nescio quo pacto proni ad baptismum iverunt ad Ioannem. Huius autem solutio est, quia pharisaei non credentes accedunt ad baptismum, sed ex hypocrisi, cum timerent populum.

Chrysostomus in Ioannem. Vel ipsi idem sacerdotes et levitae ex pharisaeis erant. Et quia blanditiis eum non valuerunt supplantare, accusationem ei immittere tentant, cogentes eum dicere quod non erat; unde sequitur et interrogaverunt eum, et dixerunt: quid ergo baptizas, si tu non es Christus, neque elias, neque propheta? quasi audaciae videbatur esse baptizare, si Christus non erat, nec praecursor illius, nec praeco, idest propheta.

Gregorius in evang.. Sed sanctus quisque etiam cum perversa mente requiritur, a bonitatis suae studio non mutatur. unde Ioannes quoque ad verba invidiae praedicamenta respondit vitae; unde sequitur respondit eis dicens: ego baptizo in aqua.

Origenes. Ad illud enim quid ergo baptizas? quid aliud afferri decebat, nisi proprium baptismum carnale praetendere? **Gregorius.** Ioannes enim non spiritu, sed aqua baptizat: quia peccata solvere non valebat: baptizatorum corpora per aquam lavat, sed tamen animas per veniam non lavat. cur ergo baptizat qui peccata per baptismum non relaxat? nisi ut praecursionis suae ordinem servans, scilicet qui nasciturum nascendo praevenerat, baptizaturum quoque dominum baptizando praeveniret; et qui praedicando factus est praecursor Christi, baptizando etiam praecursor eius fieret imitatione sacramenti; qui inter haec mysterium redemptionis nostrae annuntians, hanc in medio hominum et stetit asserit et nesciri; sequitur enim medius autem vestrum stetit quem vos nescitis: quia per carnem dominus apparens, et visibilis extitit

corpore, et invisibilis maiestate.

Chrysostomus. hoc autem dixit, quoniam decens erat Christum commixtum esse populo, ut unum multorum, se ubique humilem esse docentem. cum autem dixit quem vos nescitis, scientiam hic cognitionem certissimam dicit; puta quis est, et unde.

Augustinus in Ioannem. Humilis enim non videbatur, et propterea lucerna accensa est.

Theophylactus. Vel medius erat pharisaeorum dominus; sed ignorabant eum, quia ipsi scripturas se scire putabant: et in quantum in illis praenuntiabatur dominus, medius eorum erat, scilicet in cordibus eorum; sed nesciebant eum, eo quod scripturas non intelligebant. Vel aliter. medius quidem erat, in quantum mediator Dei existens et hominum Christus iesus medius pharisaeorum extitit, volens illos Deo iungere; sed ipsi nesciebant eum.

Origenes. vel aliter. Hoc edito ego baptizo in aqua, ad illud quid ergo baptizas? ad secundum si tu non es Christus? praeconium de praecedenti Christi substantia proponit, quod tanta sit ei virtus quod invisibilis sit sua deitate, cum sit praesens cuilibet et totum per orbem diffusus: quod notatur ex illo medius vestrum stetit. hic enim per totam orbis machinam effluxit, sic ut quae creantur, per ipsum creentur; omnia enim per ipsum facta sunt: unde palam est quod inquirentibus a Ioanne quid ergo baptizas? ipse medius erat. Vel quod dicitur in medio vestrum stetit, intelligendum est de nobis hominibus. cum enim simus rationales, in medio nostrum existit; ex eo quod principale, scilicet cor, in medio totius corporis insitum est. Qui ergo verbum in medio gerunt, non autem cognoscunt de illius natura, nec de quo fonte manavit, nec quomodo consistit in eis; hi verbum in medio sui obtinentes ignorant, quod tamen Ioannes agnovit: unde exprobrando dicit ad pharisaeos quem vos nescitis. quia expectantes pharisaei Christi adventum, nihil tam arduum de eo contemplabantur, solum hominem sanctum existimantes eum esse. Dicit autem stetit: nam stat pater invariabilis existens et impermutabilis: stat quoque verbum eius ad salvandum continuo, quamvis carnem suscipiat, quamvis medium hominum stet invisibile. Ne vero putet aliquis alium esse invisibilem ad omnes homines venientem, vel ad universum orbem, ab eo qui humanatus est et in terra comparuit, subdit qui post me venit, hoc est qui post me appariturus est. Non autem idem denotatur hic per hoc quod dicit post, et cum iesus nos post se invitat; illic enim sequi post ipsum praecipitur nobis, ut eius indagando vestigia, perveniamus ad patrem: hic autem ut pateat quid sequatur ex Ioannis dogmatibus: venit enim ut cuncti credant per eum, praeparati ad perfectum verbum per minora. Dicit ergo ipse est qui post me venit.

Chrysostomus in Ioannem. ac si diceret: ne aestimetis totum in meo consistere baptisate; si enim meum baptisma perfectum esset, alius non veniret post me, aliud baptisma daturus. Sed haec praeparatio est illius, et transibit in proximo, ut umbra et imago; sed oportet eum qui veritatem imponet, venire post me: si enim hoc esset perfectum, nequaquam secundi locus quaeretur; et ideo subdit qui ante me factus est, hic est honorabilior et clarior.

Gregorius. sic namque dicitur ante me factus est, ac si dicatur: antepositus est mihi. Post me ergo venit, quia postmodum natus; ante me autem factus est, quia mihi praelatus.

Chrysostomus. ne autem existimes comparabilem esse excellentiam hanc, incomparabilitatem ostendere volens, subiungit cuius ego non sum dignus ut solvam corrigiam calceamenti; quasi dicat: intantum est ante me ut ego neque in ultimis ministrorum vocari dignus sim: calceamentum enim solvere ultimi ministerii res est.

Augustinus. unde et si dignum se diceret tantummodo corrigiam calceamenti solvere, multum se habuisset.

Gregorius in evang.. vel aliter. Mos apud veteres fuit ut si quis eam quae sibi competeret, accipere uxorem nollet, ille ei calceamentum solveret qui ad hanc sponsus iure propinquitatis veniret. Quid igitur inter homines Christus, nisi sanctae ecclesiae sponsus apparuit? recte ergo Ioannes se indignum esse ad solvendam corrigiam eius calceamenti denuntiat; ac si aperte dicat: redemptoris vestigia non denudare valeo; quia sponsi nomen mihi immeritus non usurpo. Quod tamen intelligi et aliter potest. Quis enim nesciat quod calceamenta ex mortuis animalibus fiant? incarnatus vero dominus veniens, quasi calceatus apparuit, qui in divinitate sua morticina nostrae corruptionis assumpsit. Corrigia ergo calceamenti est ligatura mysterii. Ioannes ergo solvere corrigiam calceamenti eius non valet: quia incarnationis mysterium nec ipse investigare sufficit; ac si patenter dicat: quid mirum si mihi ille praelatus est quem post me quidem natum considero, sed nativitatis eius mysterium non comprehendo? **Origenes** in Ioannem. Quidam vero non inepte dixit, hoc sic intelligendum. Non sum ego tanti ut causa mei descendat a magnalibus, ac carnem quasi calceamentum suscipiat.

Chrysostomus in Ioannem. et quia Ioannes cum decenti libertate ea quae de Christo sunt, omnibus praedicabat, propterea evangelista et locum designat, dicens haec in bethania facta sunt trans iordanem, ubi erat Ioannes baptizans. non enim in domo, neque in angulo Christum praedicabat, sed iordanem transiens in media multitudine, praesentibus omnibus qui ab eo baptizabantur. Quaedam vero exemplariorum certius habent in bethabora: bethania enim non ultra iordanem, neque in deserto erat, sed prope hierosolimam.

Glossa. Vel duae sunt bethaniae: una trans iordanem, altera citra non longe a ierusalem, ubi lazarus fuit suscitatus.

Chrysostomus. Hoc autem et propter aliam causam designat: quia enim res non antiquas narrabat, sed ante parvum tempus contingentes, praesentes et videntes testes facit eorum quae dicuntur, demonstrationem a locis tribuens.

Alcuinus. Bethania vero domus obedientiae interpretatur; per quam innuitur quia per obedientiam fidei omnes ad baptismum debent pervenire.

Origenes. bethabora vero interpretatur domus praeparationis, et convenit cum baptismo praeparantis domino plebem perfectam. Iordanis autem interpretatur descensus eorum. Quis autem erit hic fluvius nisi salvator noster, per quem ingredientem in hunc mundum mundari convenit, non suum descendente descensum, sed humani generis? hic segregat donatas a moyse, ab his quae per iesum donantur, sortes; huius rivuli laetificant civitatem Dei. Sicut autem draco latitat in aegyptiaco fluvio, ita deus in isto. pater enim est in filio; et qui proficiscuntur illuc ubi se lavent, opprobrium aegypti deponunt, ac apti ad perceptionem hereditatis parantur, necnon a lepra mundantur, et duplicis capaces sunt gratiae, ac prompti fiunt ad susceptionem spiritus almi, in aliud flumen nequaquam descendente spiritali columba. Trans iordanem vero Ioannes baptizat, ut praecursor venientis non innocentes sed peccatores vocaret.

IOANNES 1,29-31

12129 (*Jn 1,29-31*)

Origenes. post testimonium Ioannis, iam videtur iesus veniens ad eum, non solum adhuc perseverantem, sed et potiore effectum: quod per diem secundariam designatur; unde dicitur altera die vidit Ioannes iesum venientem ad se. Pridem autem iesu mater protinus ut illum concepit, ad matrem Ioannis praegnantem proficiscitur, et per vocem pervenientem ad aures elisabeth ex mariae salutatione exultat Ioannes conceptus in utero; hic autem post Ioannis testimonium, ipse videtur a baptista, accedens ad eum. Prius autem auditu aliorum instruitur aliquis, ac deinde oculate inspicit illa. Per hoc autem quod maria ad elisabeth venit minorem, et filius Dei ad baptistam, ad fervorem opitulandi minoribus, et ad modestiam admonemur. Verum unde ad baptistam venit salvator, non hic dicitur; sed ex dictis matthaei colligimus dicentis: tunc venit iesus a galilaea ad iordanem ad Ioannem, ut baptizaretur ab eo.

Chrysostomus in Ioannem. vel aliter. Matthaeus adventum Christi ad baptismum praesentialiter dicit; Ioannes autem, et rursus eum ivisse ad Ioannem ostendit post baptismum; et hoc manifestat quod postea dicit quia vidi spiritum descendente etc.. Partiti enim sunt sibi evangelistae tempora narrationis: matthaeus enim ea quae antequam ligaretur Ioannes baptista praeteriens, festinat ad ea quae deinceps sunt tempora; sed Ioannes his maxime immoratur, quae scilicet ante incarcerationem Ioannis fuerunt; unde hic dicitur altera die vidit Ioannes iesum venientem ad se. Cuius igitur gratia secundo post baptismum ad eum veniebat? quia ipsum baptizaverat cum multis; ut nullus suspicetur quoniam ex eadem causa ex qua et alii, ad Ioannem veniret; puta peccata confessurus, aut in poenitentiam abluendus in flumine. Propterea ergo accedit, dans Ioanni occasionem corrigendi hanc suspicionem, quam Ioannes per verba correxit; unde sequitur et ait: ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Qui igitur ita purus erat ut aliorum peccata absolvere posset, manifestum est quoniam non ut confiteretur peccata accedit, sed ut occasionem det Ioanni loquendi de ipso. Venit etiam secundo, ut hi qui priora audierant, certius recipiant quae praedicta sunt, et alia rursus audiant. dicit autem ecce agnus Dei, innuens quod hic est qui olim quaerebatur, rememorans prophetiae Isaiae, et umbrae quae secundum moysen erat, ut a figura facilius eos ducat ad veritatem.

Augustinus in Ioannem. si autem agnus Dei est innocens, et Ioannes agnus; an non et ipse est innocens? sed omnes ex illa propagine veniunt de qua cantat gemens David: ego in iniquitatibus conceptus sum.

Solus ergo ille agnus qui non sic venit: non enim in iniquitate conceptus est, nec in peccatis mater eius eum in utero aluit, quem virgo concepit, virgo peperit, quia fide concepit, et fide suscepit.

Origenes in Ioannem. Sed cum quinque offerantur animalia in templo: tria terrestria: vitulus, ovis et capra; volatilia vero duo: turtur et columba; et de ovibus tria adducantur: aries, ovis, agnus; de genere ovium agnum memoravit: agnum enim in oblationibus quotidianis offerri videmus, unum quidem mane, alterum vero vespere. Quoniam autem oblatio alia potest esse quotidiana a rationali natura comprehendenda, nisi verbum vigen, agnus typice nuncupatum? hoc nempe censebitur oblatio matutina ad frequentiam intellectus in divinis relatum: neque enim anima pati potest ut summis iugiter insistat, eo quod corporis terrestri et gravis coniugium est sortita. Ex hoc etiam verbo quod Christus est agnus, coniectare de pluribus poterimus: et quodammodo vespere pertingemus ad corporalia procedentes. qui autem hunc obtulit agnum ad immolandum, deus fuit in homine reconditus, magnus sacerdos, qui dixit: nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam; unde dicitur agnus Dei: ipse enim nostros languores accipiens, totius mundi tollens peccata, mortem quasi baptismum suscepit. Apud Deum enim non pertransit incorrectum quicquid agimus quod disciplina indigeat, quae per difficilia exercetur.

Theophylactus. vel dicitur Christus agnus Dei, in quantum deus pater mortem Christi acceptavit pro nostra salute, vel in quantum eum pro nobis tradidit morti: sicut enim dicere consuevimus: haec oblatio est talis hominis, id est quam talis homo obtulit; sic et Christus dicitur agnus Dei, dantis scilicet filium suum pro nostra salute in mortem. Et ille quidem agnus typicus nullius omnino peccatum sustulit; hic vero peccatum universi orbis terrarum: periclitantem enim mundum eruit ab ira Dei; unde subdit ecce qui tollit peccatum mundi. Non autem dixit: qui tollet, sed qui tollit peccatum mundi, quasi semper hoc faciente ipso: non enim tunc solum tulit cum passus est, sed ex illo tempore usque ad praesens tollit, non semper crucifixus; unam enim pro peccatis obtulit oblationem, sed semper purgans per illam.

Gregorius moralium. Tunc autem ab humano genere plene peccatum tolletur, cum per incorruptionis gloriam nostra corruptio permutabitur: esse namque a culpa liberi non possumus, quousque in corporis morte tenemur.

Theophylactus. sed quare non dixit: peccata mundi, sed peccatum? ut videlicet per hoc quod dixit peccatum, universaliter peccatum videretur innuere; sicut consuevimus dicere, quod homo eiectus est de paradiso, id est omne genus humanum.

Beda. Vel peccatum mundi dicitur originale peccatum, quod est commune totius mundi; quod quidem peccatum originale et singulorum superaddita Christus per gratiam relaxat.

Augustinus. Qui enim de nostra natura peccatum non assumpsit, ipse est qui tollit nostrum peccatum. Nostis, quia quidam homines dicunt: nos tollimus peccata ab hominibus quia sancti sumus: si enim non fuerit sanctus qui baptizat, quomodo tollit peccatum alterius, cum sit ipse homo plenus peccato? contra istas disputationes hic legamus ecce qui tollit peccatum mundi, ut non sit praesumptio hominibus in homines.

Origenes. sicut tamen iugi oblationi agni cognatae sunt reliquae oblationes legales, sic huius agni oblationi cognatae oblationes videntur mihi effusiones sanguinis martyrum, quorum patientia et confessione et promptitudine ad bonum, obtunduntur machinationes impiorum.

Theophylactus. quia vero superius illis qui ex pharisaeis venerant Ioannes dixerat quod medius vestrum stat quem vos nescitis, hic ignorantibus demonstrat, dicens hic est de quo dixi: post me venit vir qui ante me factus est. Vir dominus dicitur propter aetatis perfectionem: nam triginta annorum baptizatus est; vel quia spiritualis animae vir est, et ecclesiae sponsus; unde Paulus: despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.

Augustinus in Ioannem. Post me autem venit, quia posterior natus est; ante me factus est, quia praelatus est mihi.

Gregorius in evang.. Praelationis autem eius causas aperit, cum subiungit quia prior me erat; ac si aperte dicat: inde me etiam post natus superat quo eum nativitate suae tempora non angustant: nam qui per matrem in tempore nascitur, sine tempore est a patre generatus.

Theophylactus. Ausculta, o ari. Non dixit: quia prior me creatus est, sed quia prior me erat. Audiat hoc Pauli samosatani abusio, quod non ex Maria sumpsit primordium; quia si essendi principium sumpsit ex virgine, qualiter prior extitit praecursore? nam manifestum est quod praecursor Christum in sex mensibus superabat

secundum humanam generationem.

Chrysostomus in Ioannem. ut autem non videatur ex amicitia propter cognationem ei testimonium perhibere, quia cognatus eius erat secundum carnem, propterea dicit ego nesciebam eum. Et secundum rationem hoc contingit: etenim in deserto conversatus est Ioannes. Miracula vero quaecumque Christo puero existente facta sunt, puta quae circa magos, et quaecumque talia, ante multum contigerant tempus, Ioanne et ipso valde puero existente. In medio vero tempore ignotus omnibus existebat; propter quod subdit sed ut manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizans. Hinc enim manifestum est quoniam et illa signa quae quidam dicunt a Christo in pueritia facta, mendacia et fictiones sunt. Si enim a prima aetate miracula fecisset Iesus, nequaquam neque Ioannes eum ignorasset, nec reliqua multitudo indignisset magistro ad manifestandum eum. Non igitur ipse Christus baptizante indigebat, neque aliquam aliam causam habebat illud lavacrum quam praemonstrationem facere eius fidei quae est in Christum. Non enim dixit: ut mundem eos qui baptizantur, neque: ut liberem a peccatis, veni baptizans; sed ut manifestetur in Israel. Sed numquid sine baptizante non licebat praedicare et inducere turbas? sed facilius ita factum est: nequaquam enim cucurrissent omnes, si sine baptizante praedicatio facta esset.

Augustinus in Ioannem. Ubi ergo cognitus est dominus, superfluo ei via parabatur, quia cognoscentibus se, ipse factus est via. Itaque non duravit diu baptisma Ioannis, sed quoadusque demonstratus est dominus humilis. Ergo ut daretur nobis a domino humilitatis exemplum ad percipiendam salutem baptismi, suscepit baptismum servi; et ne praeponebatur baptismus servi baptismi domini, baptizati sunt alii baptismi conservi. Sed qui baptizati sunt baptismi conservi, oportebat ut baptizarentur baptismi domini; qui autem baptizantur baptismi domini, non opus habent baptismi conservi.

IOANNES 1,32-34

12132 (Jn 1,32-34)

Chrysostomus in Ioannem. quia Ioannes testatus est ita magnum quid quod sufficiens erat auditores omnes stupefacere, puta quod totius orbis terrarum solus ipse peccata tolleret, volens credibilis id facere, reduxit hoc ad Deum et spiritum sanctum. Posset enim aliquis dicere Ioanni: qualiter igitur tu cognovisti eum? respondet quod per descensum spiritus sancti; unde sequitur et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: quia vidi spiritum descendentem quasi columbam de caelo, et mansit super eum.

Augustinus de trin.. Non autem tunc unctus est Christus spiritu sancto quando super eum baptizatum velut columba descendit: tunc enim corpus suum, scilicet ecclesiam suam, praefigurare dignatus est, in qua praecipue baptizati accipiunt spiritum sanctum. Absurdissimum enim est ut credamus eum cum iam triginta esset annorum (eius enim aetatis a Ioanne baptizatus est) accepisse spiritum sanctum; sed venisse ad illud baptisma, sicut sine ullo omnino peccato, ita non sine spiritu sancto. si enim de famulo eius et praecursore ipso Ioanne scriptum est: spiritu sancto replebitur ab utero matris suae; qui quamvis seminatus a patre, tamen spiritum sanctum in utero formatum accepit: quid de homine Christo intelligendum est vel credendum, cuius carnis ipsa conceptio non carnalis, sed spiritualis fuit? **Augustinus** de agone Christiano. non autem dicimus solum Christum verum corpus habuisse, spiritum autem sanctum fallaciter apparuisse oculis hominum: sicut enim non oportebat ut homines falleret filius Dei, sic nec spiritus sanctus. Sed omnipotenti Deo, qui universam creaturam ex nihilo fabricavit, non erat difficile verum corpus columbae sine aliarum columbarum ministerio figurare; sicut ei non fuit difficile verum corpus in utero virginis sine virili semine fabricare.

Augustinus in Ioannem. duobus autem modis ostendit visibiliter dominus spiritum sanctum; per columbam super dominum baptizatum; per ignem vero super discipulos congregatos: ibi simplicitas, hic fervor ostenditur. ergo ne spiritu sanctificati dolum habeant, in columba demonstratum est; et ne simplicitas frigida remaneat, in igne demonstratum est. Nec movet, quia linguae divisae sunt: noli dissipationem timere, unitatem in columba cognosce. Sic ergo oportebat demonstrari spiritum sanctum venientem super dominum, ut cognoscat unusquisque, si habeat spiritum sanctum, simplicem se esse debere sicut columbam, et habere cum fratribus veram pacem, quam significant oscula columbarum. Osculantur et corvi, sed laniant; a laniatu innocens est natura columbarum: nam corvi de morte pascuntur, columba non nisi de frugibus terrae vivit. Si etiam gemunt columbae in amore, nolite mirari, quia in columbae specie voluit demonstrari spiritus sanctus; ipse enim interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Non autem spiritus sanctus in semetipso, sed in nobis gemit, quia gemere nos facit. qui enim novit in pressura se esse mortalitatis huius, peregrinari se a domino, quamdiu propter hoc gemit, bene gemit: spiritus illum docuit gemere. Multi autem gemunt, infelicitate terrena, vel quassati damnis, vel aegritudine corporis praegravati; sed non columbae gemitu gemunt. unde ergo debuit demonstrari spiritus sanctus unitatem quamdam

designans, nisi per columbam, ut pacatae ecclesiae diceretur: una est columba mea? unde debuit humilitas figurari nisi per avem simplicem et gementem? apparuit ibi sancta et vera trinitas: pater in voce dicente: tu es filius meus dilectus; spiritus sanctus in columba. In ista trinitate missi sunt apostoli baptizare in nomine patris et filii et spiritus sancti.

Gregorius moralium. dicit autem manentem super eum: in cunctis namque fidelibus spiritus sanctus venit, sed in solo mediatore semper singulariter permanet: quia eius humanitatem nunquam deseruit, ex cuius divinitate procedit. Sed cum de eodem spiritu discipulis dicatur: apud vos manebit, quomodo singulare signum erit quod in Christo permanet? quod citius cognoscemus, si dona spiritus discernamus. In his enim donis, sine quibus ad vitam perveniri non potest, spiritus sanctus in electis omnibus semper permanet; ut sunt mansuetudo, humilitas, fides, spes, caritas; in illis autem quibus per ostensionem spiritus non nostra servatur vita, sed aliorum quaeritur, non semper manet, sed aliquando se a signorum ostensionibus subtrahit, ut humilior eius virtutes habeantur. Christus autem in cunctis eum semper et continue habuit praesentem.

Chrysostomus in Ioannem. ne autem aliquis aestimet spiritus Christum indignisse sicut et nos, hanc etiam destruit suspicionem, ostendens quod spiritus sancti descensio solum pro manifestando Christo facta est; unde sequitur et ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare in aqua, mihi dixit: super quem videris spiritum descendentem et manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto.

Augustinus in Ioannem. quis autem misit Ioannem? si dicamus: pater, verum dicimus; si dicamus: filius, verum dicimus. Manifestius autem est ut dicamus: pater et filius. Quomodo ergo nesciebat eum a quo missus est? si enim non noverat eum a quo voluit baptizari, temere dicebat ego a te debeo baptizari. noverat ergo eum: quid ergo est quod dicit et ego nesciebam eum? **Chrysostomus**. sed cum dicit nesciebam eum, antequam tempus dicit, non tempus quod est prope baptismum, cum prohibebat eum, dicens ego a te debeo baptizari.

Augustinus in Ioannem. sed legantur alii evangelistae, qui planius illud dixerunt; et inveniemus apertissime tunc descendisse columbam cum dominus ab aqua ascendit. si ergo post baptismum descendit columba, et antequam baptizaretur dixit illi Ioannes ego a te debeo baptizari; ante baptismum illum noverat: quomodo ergo dixit ego nesciebam eum; sed qui misit me baptizare? etc.. Hoc audivit Ioannes, ut nosceret eum quem non noverat, an forte ut plenius nosset quem iam noverat? noverat quidem dominum, noverat filium Dei, noverat quia ipse baptizaret in spiritu sancto. Ante enim quam veniret ad fluvium Christus, cum multi ad Ioannem concurrerent, ait illis qui post me venit, maior me est: ipse vos baptizabit in spiritu sancto et igne. Sed quid? non noverat, potestatem baptismi ipsum dominum habiturum et sibi retenturum (ne Paulus aut Petrus diceret: baptismus meus, sicut invenis dixisse: evangelium meum), sed ministerium plane transiturum in bonos et malos? quid tibi faciat malus minister, ubi bonus est dominus? ecce post Ioannem baptizatum est, post homicidam non est baptizatum: quia Ioannes dedit baptismum suum, homicida dedit baptismum Christi; quod sacramentum tam sanctum est ut nec homicida ministrante polluatur. potuit autem dominus, si vellet, potestatem dare alicui servo suo ut daret baptismum suum tamquam vice sua, et constituere tantam vim in baptisate translato in servum, quantam vim haberet baptismum datum a domino. Hoc noluit ut in illo esset spes baptizatorum a quo baptizatos se agnoscerent; et noluit servum ponere spem in servo. Si autem daret hanc potestatem servis, tot essent baptismata quot essent servi; et quomodo dictum est baptismum Ioannis, sic diceretur baptismum Petri vel Pauli. Per hanc ergo potestatem, quam solum sibi Christus retinuit, stat unitas ecclesiae, de qua dictum est: una est columba mea. Potest autem fieri ut aliquis habeat baptismum praeter columbam; ut prosit ei baptismus praeter columbam, non potest.

Chrysostomus. et quia pater vocem emisit praedicans filium, superveniet spiritus sanctus vocem trahens super caput Christi, ne quis praesentium existimaret dici de Ioanne quod dictum est de Christo. Sed dicit aliquis: qualiter non crediderunt Iudaei, si viderunt spiritum? sed talia non solum indigent oculis corporis, sed magis visione mentis. Si namque miracula facientem videntes, intantum ebrii erant a livore ut contraria his quae videbantur, enuntiarent; qualiter solo adventu spiritus sancti in specie columbae expulissent incredulitatem? quidam vero dicunt, non omnes vidisse spiritum, sed solum Ioannem, et eos qui devotius dispositi erant. Etsi enim sensibilibus oculis possibile erat videre in specie columbae spiritum descendentem; non tamen propter hoc necesse est omnibus hoc fuisse manifestum. Etenim Zacharias in specie sensibili multa consideravit, et Daniel, et Ezechiel; sed et Moyses multa vidit, qualia aliorum nullus: unde subdit Ioannes et ego vidi, et testimonium perhibui, quia hic est filius Dei. agnum quidem eum vocaverat; et quoniam in spiritu baptizare debebat, dixit, filium autem ante hoc nusquam.

Augustinus in Ioannem. Oportebat enim ut ille baptizaret qui est filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii ministri sunt unici; unicus autem habet potestatem, adoptati ministerium.

IOANNES 1,35-36

12135 (Jn 1,35-36)

Chrysostomus in Ioannem. quia multi his quae a principio Ioannes dicebat non attendebant, secunda rursus eos excitat voce; unde dicitur altera die iterum stabat Ioannes, et ex discipulis eius duo.

Beda. stabat quidem Ioannes, quia illam virtutum arcem conscenderat, a qua nullis tentationum posset improbitatibus deici: stabant cum illo discipuli, quia magisterium illius corde sequebantur immobili.

Chrysostomus. sed quare non totum mundum circuivit, in omni loco iudaeae praedicans eum; sed stabat circa flumen, expectans eum venire, ut ostenderet venientem? quia scilicet per opera Christi hoc fieri volebat. Vide etiam qualiter hoc maioris aedificationis fuit: quia enim parvam immisit scintillam, repente flamma in altum elevata est. Alter autem etsi circumiens hoc dixisset, videretur ex studio quodam humano fieri quae fiebant, et suspicione plenum esset eius praeconium. igitur prophetae quidem et apostoli omnes absentem Christum praedicaverunt; hi quidem ante praesentiam secundum carnem, illi vero post assumptionem: unde ut ostendatur quod non voce solum, sed et oculis eum ostendebat, subditur et respiciens iesum ambulans, dixit: ecce agnus Dei.

Theophylactus. Respiciens, inquit, quasi oculis innuens gratiam et admirationem quam habebat in Christo.

Augustinus in Ioannem. Ioannes quidem amicus sponsi erat; non quaerebat gloriam suam, sed testimonium perhibebat veritati: non enim voluit apud se remanere discipulos suos, ut non sequerentur dominum; sed magis ostendit quem sequerentur, dicens ecce agnus Dei.

Chrysostomus. non longum facit sermonem: quoniam unum solum in studio habebat, adducere eos, et coniungere Christo: sciebat enim quoniam de reliquo non indigerent eo testante. Non autem singulariter discipulis loquitur de his Ioannes, sed eis publice cum omnibus: quia ex communi doctrina suscipientes sequelam Christi, firmi de reliquo permanserunt, non propter gratiam Christi sequentes eum, sed propter suum lucrum: et non facit sermonem suum deprecativum, sed admiratur solum praesentem, et demonstrat eis praeparationem propter quam venit, et modum praeparationis: agnus enim utrumque insinuat: et dicit agnus, cum articuli adiectione, excellentiam eius ostendens.

Augustinus in Ioannem. Iste enim singulariter dicitur agnus solus sine macula, sine peccato; non cuius maculae abstergendae sunt, sed cuius macula nulla fuerit: singulariter hic est agnus Dei, quia singulariter huius agni sanguine solo homines redimi potuerunt. hic est agnus quem lupi timent, qui leonem occisus occidit.

Beda. ideo etiam agnum vocat, quia dona sui velleris sponte largiturum, ex quo vestem nobis nuptialem facere possumus, idest exempla vivendi nobis relicturum, praevidit, quibus in dilectione calefieri deberemus.

Alcuinus. mystice autem stat Ioannes, cessat lex, et venit iesus, idest gratia evangelii, cui ipsa lex perhibet testimonium. Ambulat iesus discipulos collecturus.

Beda. ambulatio etiam iesu dispensationem incarnationis, qua ad nos venire ac nobis exempla vivendi praebere dignatus est, insinuat.

IOANNES 1,37-40

12137 (Jn 1,37-40)

Alcuinus. Ioanne perhibente testimonium quia iesus esset agnus Dei, discipuli qui prius erant cum Ioanne, magistri imperium implentes, secuti sunt iesum; unde dicitur et audierunt eum duo discipuli loquentem, et secuti sunt iesum.

Chrysostomus in Ioannem. Considera autem, quia quando dixit: post me veniens ante me factus est, et quoniam non sum dignus solvere corrigiam calceamenti eius, nullum cepit; sed quando de dispensatione locutus est, et ad humiliora sermonem duxit dicens ecce agnus Dei, tunc secuti sunt eum discipuli. Multi enim non ita adducuntur cum aliquid magnum et excelsum de Deo dicatur, sicut cum benignum et amicum hominum audiunt, et aliquid ad salutem hominum pertinens. Considerandum autem, quod Ioannes dicit ecce agnus Dei, et Christus nihil loquitur: nam et sponsus cum silentio adest: alii eum inducunt, et sponsam

in manu eius ponunt; quam cum acceperit, de ea disponit. Ita Christus venit copulaturus sibi ecclesiam, nihil ipse dixit; sed accessit solum amicus eius Ioannes, dexteram ei sponsae imposuit, per sermones suos animas hominum in manus ei ponens; quos accipiens ita disposuit ut ultra ad Ioannem non redirent. Sed aliud hic observandum est: sicut enim in nuptiis non puella ad sponsum vadit, sed ipse ad eam festinat, ita hic contingit: non enim in caelum ascendit hominum natura; sed ad eam filius Dei accessit, et ad domum duxit paternam. Et quidem alii discipuli Ioannis erant qui non solum secuti non sunt, sed et zelotype ad Christum dispositi erant; qui autem meliores erant, simul audierunt et secuti sunt, non quasi magistrum priorem contemnentes, sed ab eo persuasi, promittente quod baptizaret in spiritu sancto Christus. Et vide discipulorum studium cum verecundia fieri: neque enim mox ascendentes interrogaverunt iesum de necessariis et maximis rebus; neque publice, sed singulariter ei loqui studuerunt; unde sequitur conversus autem iesus, et videns eos sequentes se, dicit eis: quid quaeritis? hinc erudimur quia cum nos bene velle inceperimus, tunc deus dat nobis multas salutis occasiones. interrogat autem, non ut discat, sed ut per interrogationem magis eos familiares faciat, et ampliorem fiduciam det, et ostendat eos auditione dignos.

Theophylactus. vide autem quod sequentibus se dominus convertit faciem, et respexit: quia nisi per bonam operationem ipsum secutus fueris, ad visionem faciei eius numquam pertinges, neque ad domum eius poteris pervenire.

Alcuinus. Ergo illi discipuli tergum ipsius sequebantur ut viderent, et faciem domini videre non poterant; ideo convertit se, et quodammodo de sua maiestate descendit, ut possint discipuli faciem illius contemplari.

Origenes. Forte autem non frustra post sextum testimonium desinit Ioannes eos contestari, et iesus secundum septimum dicit quid quaeritis? **Chrysostomus** in Ioannem. sed illi non solum sequendo, sed interrogando amorem suum ad Christum manifestaverunt; unde sequitur qui dixerunt ei: rabbi (quod dicitur interpretatum magister), ubi habitas? nondum ab eo aliquid discentes, magistrum eum vocant, ad discipulatum se impellentes, et causam ostendentes propter quid sequebantur.

Origenes. congrua vero pro vectis ex Ioannis testimonio prolatio depromens Christum doctorem, ac exprimens desiderare habitaculum filii Dei contueri.

Alcuinus. nolunt enim transitorie uti eius magisterio, sed inquirunt ubi maneat, ut et tunc in secreto verbis illius imbui, et exinde saepius possent eum visitare et plenius instrui. Mystice autem volunt sibi ostendi in quibus Christus habitet, ut eorum exemplo se tales exhibeant in quibus velit habitare. Vel quod iesum ambulantes vident, et statim ubi maneat quaerunt, nos monet, ut cum incarnationem eius ad mentem reducimus, sollicito corde eum rogemus ut mansionem aeterni habitaculi nobis ostendat: unde quia videt bene petentes, libere eis sua reserat arcana; unde sequitur dicit eis: venite et videte; quasi dicat: habitaculum meum explicari non potest sermone, sed opere demonstratur. Venite ergo credendo et operando, et videte intelligendo.

Origenes. Vel per hoc quod dicit venite, ad actionem invitat; per hoc autem quod dicit videte, ad contemplationem.

Chrysostomus. Christus autem non dicit eis signa domus neque locum, sed attrahit eos ad sequendum. non dixit: non est tempus nunc, audietis cras, si quid vultis discere; sed ut ad amicos et familiares loquitur. Qualiter ergo alibi ait: filius hominis non habet ubi caput reclinet, hic autem dicit venite et videte ubi habito? sed per hoc quod dixit: non habet ubi caput suum reclinet demonstravit quod habitaculum proprium non habebat, non quod in domo non maneret; sequitur enim venerunt, et viderunt ubi maneret, et manserunt ibi die illo. Cuius autem gratia manserunt non adiungit evangelista, quia manifestum erat quod propter doctrinam.

Augustinus. Quam beatum autem diem duxerunt, quam beatam noctem. aedificemus ergo et nosmetipsi in corde nostro, et faciamus domum, quo veniat ille et doceat nos.

Theophylactus. Non frustra autem et tempus notavit evangelista, cum subdit hora autem erat quasi decima; ut tam doctores quam discipulos erudiret, quod doctrina propter tempus non est praetermittenda.

Chrysostomus. multum enim studium demonstrabant ad audiendum, in eo quia neque ab hora aversi sunt, cum sol esset ad occasum. Et multis quidem carni servientibus tempus quod est post escas, non est aptum ad quippiam necessarium, eo quod corpus escis gravatur. Ioannes vero, cuius isti erant discipuli, non erat talis: sed cum multo maiori sobrietate vespere degens quam nos mane.

Augustinus. numerus etiam iste legem significat, quia in decem praeceptis data est lex. Venerat autem tempus ut impleretur lex per dilectionem, quae a iudaeis impleri non poterat per timorem; unde et decima

hora dominus audivit rabbi: magister enim legis non est nisi dator legis. sequitur erat autem andreas frater simonis petri unus ex duobus qui audierant a ioanne, et secuti fuerant eum.

Chrysostomus in ioannem. Cuius autem gratia alterius nomen non ponitur? quidam dicunt, propterea quia hic qui scribit est qui secutus est eum. Quidam vero dicunt, quod ille alius non insignis erat: quae igitur utilitas si didicerimus nomen illius? neque enim septuaginta duorum discipulorum nomina evangelista posuit.

Alcuinus. Vel duo discipuli qui secuti sunt iesum, sunt andreas et philippus.

IOANNES 1,41-42

12141 (Jn 1,41-42)

Chrysostomus in ioannem. andreas quae a iesu didicit non detinuit apud seipsum; sed festinat, et currit cito ad fratrem, traditurus ei bona quae suscepit; unde dicitur invenit hic primum fratrem suum simonem, et dixit ei: invenimus messiam (quod est interpretatum Christus).

Beda. hoc est enim vere dominum invenire, vera illius dilectione fervere, fraternae quoque salutis curam gerere.

Chrysostomus in ioannem. et quidem non dixerat evangelista quae Christus fuerat sequentibus se locutus; sed ex his quae hic dicuntur licet addiscere. Quaecumque enim andreas didicit, in brevi ostendit, magistri virtutem, qui persuaserat eis, et eorum desiderium quod prius habuerant, repraesentans: hoc enim verbum invenimus, est patientis pressuram propter absentiam et exultantis postquam apparuit quod expectabatur.

Augustinus in ioannem. Messias autem hebraice, graece Christus, latine unctus dicitur: chrisma enim unctio est: ille autem singulariter unctus est: unde omnes Christiani ununtur, secundum quod in psal. 44 dicitur: unxit te deus deus tuus oleo exultationis prae participibus tuis: participes enim eius sunt omnes sancti; sed ille est singulariter sanctus, et singulariter unctus.

Chrysostomus. et ideo non dixit messiam simpliciter, sed cum adiectione articuli. Considera vero ex ipso principio obedientem petri mentem: confestim enim cucurrit nihil tardans; unde sequitur et adduxit eum ad iesum. Sed nullus facilitatem ei imponat, si non prius multa perquirens ita sermonem suscepit; conveniens enim est, et fratrem diligentius ei dixisse hoc, et per longa verba; sed evangelistae ubique multa intermittunt, brevilooquii curam habentes. aliter autem neque dictum est quoniam credit simpliciter, sed quoniam duxit eum ad iesum, illum ei de quo dixerat traditurus, ut omnia ab illo discat. Ipse autem dominus incipit revelare ea quae deitatis sunt, et paulatim ea aperire praedicationibus. non enim minus quam signa, prophetiae adducunt: hoc enim est maxime opus Dei, quod neque imitari daemones possunt: nam in miraculis quidem et phantasia fit utique; futura autem praedicere cum certitudine, illius solius incorruptibilis est naturae; unde sequitur intuitus autem eum iesus dixit: tu es simon filius ioanna; tu vocaberis cephas (quod interpretatur petrus).

Beda. intuitus autem est eum non exterioribus oculis solum, sed et aeterno divinitatis intuitu vidit cordis eius simplicitatem, animi sublimitatem, cuius merito cunctae esset praefendus ecclesiae. neque autem in petri vocabulo, quasi hebraeo vel syro, aliam interpretationem quaerere oportet: quia idem est graece et latine petrus, quod syriace cephas; et in utraque lingua nomen a petra derivatur. Vocatur autem petrus ob firmitatem fidei, qua illi petrae adhaesit de qua apostolus ait: petra autem erat Christus; qui sperantes in se ab hostis insidiis reddit tutos, et spiritualium charismatum fluentia ministrat.

Augustinus in ioannem. Non est autem magnum quia dominus dixit cuius filius esset iste: omnia enim nomina sanctorum suorum sciebat, quos ante constitutionem mundi praedestinavit. Illud autem magnum quia mutavit ei nomen, et fecit de simone petrum. Petrus autem a petra; petra vero ecclesia: ergo in petri nomine figurata est ecclesia. Et quis securus est, nisi qui aedificat supra petram? intentum autem te fecit dominus: nam si antea petrus vocaretur, non ita videres mysterium petrae, et putares casu eum sic vocari, non providentia Dei. Ideo eum voluit aliud prius vocari, ut ex ipsa commutatione nominis, sacramenti vivacitas commendaretur.

Chrysostomus. ideo etiam nomen mutavit, ut ostendat quia ipse est qui vetus testamentum dedit et nomina transmavit, qui abram abraham vocavit, et sarai saram, et iacob israelem. Igitur multis quidem et

a nativitate nomina imposuit, ut isaac et samson; aliis autem post eam quae a progenitoribus est nuncupationem, ut petro et filiis zebedaei: nam quibus quidem a prima aetate debebat virtus clarescere, ex tunc nomina susceperunt; quibus autem postea debebat augeri, postea nuncupatio posita est.

Augustinus de cons. Evang.. non autem parva repugnantia potest putari si iuxta iordanem, antequam iesus isset in galilaeam, ad testimonium iohannis baptistae secuti sunt eum duo, quorum unus erat andreas, qui fratrem suum simonem adduxit ad iesum; quando et nomen ut petrus nominaretur accepit; cum ab aliis evangelistis dicatur, quod eos in galilaea piscantes invenerit, atque ad discipulatum vocaverit: nisi quia intelligendum est, non sic eos vidisse dominum iuxta iordanem ut ei iam inseparabiliter inhaerent; sed tantum cognovisse qui esset, eumque miratos ad propria remeasse. Non autem quis arbitretur quod tunc petrus nomen accepit, ubi ait illi dominus: tu es petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam; sed ubi commemoratur ei dictum esse tu vocaberis cephas (quod interpretatur petrus).

Alcuinus. Vel aliter. Nondum imponit ei nomen, sed praesignat quod postea fuit ei impositum, quando dixit ei iesus: tu es petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam. Mutaturus autem nomen Christus, voluit ostendere etiam nomen illud quod a parentibus datum erat, non carere virtutis significatione. simon enim obediens interpretatur, iohanna gratia, iona columba; quasi dicat: tu es obediens, filius gratiae, vel filius columbae, idest spiritus sancti: quia humilitatem de spiritu sancto accepisti, ut vocante andrea, videre me desiderares. non enim dedignatus est maior minorem sequi: quia non est ordo aetatis ubi est meritum fidei.

IOANNES 1,43-46

12143 (Jn 1,43-46)

Chrysostomus in iohannem. postquam accepit Christus hos discipulos, venit de reliquo ad alios convertendum, scilicet philippum et nathanaelem; unde dicitur in crastinum autem voluit exire in galilaeam.

Alcuinus. A iudaea scilicet, ubi erat iohannes baptizans, deferens honorem baptistae, ne videatur magisterium eius minuere, dum adhuc statum habet. vocaturus etiam discipulum ad sequendum, voluit exire in galilaeam, idest in transmirationem factam vel revelationem; ut sicut ipse proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines, et sicut passus est et resurrexit, et ita intravit in gloriam suam; sic etiam suos sequaces ostenderet et exire et proficere in virtutibus, et per passiones ad gaudia transmigrare debere; unde sequitur et invenit philippum, et dicit ei iesus: sequere me. sequitur qui imitatur humilitatem et passionem eius, ut sit socius resurrectionis et ascensionis.

Chrysostomus. Et vide quod antequam aliquis ei adhaereret, nullum vocavit: nam si quidem nullo iam sponte adveniente attraxisset, fortassis resiliissent: nunc autem a seipsis eligentes sequi dominum, firmi de reliquo permanserunt. philippum autem vocat, magis notum ei existentem, quia in galilaea nutritus erat. Sed unde philippus secutus est Christum? nam andreas quidem audiens a iohanne baptista, petrus autem ab andrea; hic autem a nullo aliquid discens, solum dicente Christo ad eum sequere me, confestim persuasus est. Conveniens est autem philippum a iohanne audientem sequi Christum, vel etiam vocem Christi hoc operatam esse.

Theophylactus. Non enim simpliciter omnibus vox Christi dicebatur, sed fidelium interiora ad eius inflammabat amorem: deinde quia in corde philippi de Christo cogitatio inerat, et in libris moysi assidua lectio, ut expectaret Christum, statim cum vidit, credidit. Forte autem ab andrea et petro de Christo aliquid didicit, quia ex eadem patria erant; quod evangelista videtur innuere per hoc quod subdit erat autem philippus a bethsaida civitate andreae et petri.

Chrysostomus. Christus etiam hinc suam virtutem ostendit, quod a terra nullum ferente fructum, nam a galilaea propheta non surgit, inclytos discipulos elegit.

Alcuinus. Bethsaida etiam domus venatorum interpretatur; quo nomine civitatis curavit evangelista ostendere quales tunc iam animo erant philippus, petrus et andreas, et quales officio erant futuri, idest capiendis ad vitam animabus intenti.

Chrysostomus. Non solum autem philippus a Christo persuasus est, sed praeco aliis fit; unde sequitur invenit philippus nathanael, et dicit ei: quem scripsit moyses in lege et prophetae, invenimus iesum filium ioseph a nazareth. vide qualiter sollicitam mentem habebat, et continue meditabatur quae sunt moysi, et expectabat adventum Christi. Et quidem quod Christus debebat venire, noverat prius; quoniam autem hic Christus erat, ignorabat. Dicit autem quem scripsit moyses et prophetae, credibilem faciens suam

praedicationem, et ex hinc persuadens auditorem quod circa legem et prophetas sollicitus erat, et omnia perscrutans cum veritate ut et Christus testatus est. Si vero dicit filium ioseph, ne turberis: eius enim filius aestimabatur esse.

Augustinus in Ioannem. Cui scilicet desponsata erat mater eius: nam quod ea intacta conceptus et natus sit, bene noverunt ex evangelio omnes Christiani. addit autem et locum: a nazareth.

Theophylactus. Non quia in ea natus erat, sed nutritus. Generatio enim eius multis erat incognita; sed quod in nazareth esset nutritus, cognitum erat. et dixit ei nathanael: a nazareth potest aliquid boni esse?

Augustinus. ambas pronuntiationes potest consequens vox philippi sequi: sive sic pronunties, tamquam confirmans: a nazareth potest aliquid boni esse: et ille dicat veni et vide; sive sicut dubitans, et totum interrogans: a nazareth potest aliquid boni esse? veni et vide. Cum ergo sive illo modo, sive isto pronuntietur, non repugnant verba sequentia, nostrum est quaerere quid potius intelligamus in his verbis. nathanael enim doctissimus legis, cum audisset philippum dicentem invenimus iesum, audito a nazareth, erectus est in spem, et dixit a nazareth potest aliquid boni esse. Scrutatus enim erat scripturas, et sciebat, quod non facile alii scribae et pharisaei noverant, quia inde erat expectandus salvator.

Alcuinus. Qui singulariter sanctus est, innocens, impollutus; de quo propheta: exiet virga de radice iesse, et nazaraeus (idest flos) de radice eius ascendet. Vel potest hic versiculus sub dubitatione interrogative proferri.

Chrysostomus. Audiverat enim nathanael a scripturis quod a bethlehem oporteret Christum venire, secundum illud: et tu, bethlehem terra iuda, ex te exiet dux qui regat populum meum israel. Cum igitur audivit a nazareth, dubitavit, non inveniens convenire enuntiationem philippi cum prophetica praedicatione. Nazaraeum autem vocant prophetae ab educatione et conversatione. considera vero eius in inquirendo prudentiam et mansuetudinem: non enim dixit: decipis me, philippe; sed interrogat dicens a nazareth potest aliquid boni esse? valde autem et philippus prudens erat; non enim interrogatus frangitur, sed immoratur, virum volens ducere ad Christum; unde sequitur dicit ei philippus: veni et vide. Trahit quidem eum ad Christum, sciens de reliquo eum non contradicturum, si verba et doctrinam illius gustaverit.

IOANNES 1,47-51

12147 (Jn 1,47-51)

Chrysostomus in Ioannem. nathanael non suscipiendo ex nazareth Christum esse, eam quae illi erat circa scripturas diligentiam ostendit; in non respuendo vero eum qui annuntiaverat, multum desiderium quod habebat circa Christi praesentiam monstravit. Sciebat enim quod poterat philippus circa locum falli; unde sequitur vidit iesus nathanael venientem ad se, et dicit de eo: ecce vere israelita, in quo dolus non est: quia nihil ad gratiam vel odium loquebatur.

Augustinus in Ioannem. vel aliter. Quid est in quo dolus non est? forte non habebat peccatum? forte illi medicus non erat necessarius? absit. nemo sic natus est ut medico illo non egeret. Dolus enim est cum aliud agitur, et aliud fingitur: quo modo ergo in illo dolus non erat, si peccator est? fatetur se peccatorem; si enim peccator est et iustum se dicit, dolus est in ore ipsius. ergo in nathanaele confessionem peccati laudavit, non indicavit non esse peccatorem.

Theophylactus. Sed nathanael laudatus non acquievit extemplo, sed expectavit, adhuc volens aliquid manifestius discere; et interrogat; sequitur enim dicit ei nathanael: unde me nosti? **Chrysostomus.** ipse quidem igitur ut homo investigabat, iesus autem ut deus respondebat: sequitur enim respondit iesus et dixit ei: priusquam te philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te: non ut homo eum intuens, sed ut deus desuper cognoscens. Vidi, inquit, te, idest morum tuorum mansuetudinem. Dicit autem cum esses sub ficu: quoniam nullus ibi erat, sed soli philippus et nathanael singulariter loquebantur: propter hoc dictum est quod videns eum a longe dixit ecce vere israelita; ut scires quoniam antequam appropinquaret philippus, haec loquebatur Christus, et insuspicabile fiat Christi testimonium. Noluit autem Christus dicere: non sum ex nazareth, ut annuntiavit tibi philippus; sed ex bethlehem, ut non faceret altercabilem sermonem; neque etiam per hoc dedisset argumentum sufficiens quod ipse esset Christus; sed ostendit se Christum per hoc quod praesens erat loquentibus illis.

Augustinus. quaerendum est enim an aliquid significet arbor ficus. Invenimus arborem ficus maledictam, quia sola folia habuit, et fructu caruit. In origine humani generis adam et eva, cum peccavissent, de foliis ficus subcinctoria sibi fecerunt. Folia ergo ficulneae intelliguntur peccata. Erat autem nathanael sub arbore ficus,

tamquam sub umbra mortis; ac si dominus ei dicat: o israel, sine dolo quisquis es, o popule iudaeus ex fide, antequam te per apostolos meos vocarem, et cum esses sub umbra mortis, et tu me non videres, ego te vidi.

Gregorius moralium. vel cum esses sub ficu, vidi te; idest, positum te sub umbra legis elegi.

Augustinus de verb. Dom.. recordatus est autem nathanael se fuisse sub ficu ubi non erat Christus praesentia corporali, sed scientia spirituali; et quia sciebat se solum fuisse sub ficu, agnovit in illo divinitatem.

Chrysostomus in Ioannem. Sic ergo ab hac praedicatione, et ab eo quod mentem scrutatus est eius, et quia cum adversus eum dicere videretur, non culpavit, sed laudavit, cognovit quoniam vere est Christus; unde sequitur respondit ei nathanael, et ait: rabbi, tu es filius Dei, tu es rex israel; quasi dicat: tu es qui expectabaris, tu es qui quaerebaris. Quia enim argumentum inaltercabile suscepit, venit ad confessionem, et in mora priori diligentiam ostendens, et in posteriori confessione devotionem. Multi autem legentium sermonem hunc anxiantur: petrus enim qui post miracula et doctrinam confessus est, quoniam filius est Dei, beatificatur, ut a patre revelationem iam suscipiens; nathanael autem ante signa et doctrinam hoc dicens, nihil tale audivit. est igitur huius causa, quoniam verba quidem eadem locutus est petrus et nathanael, non autem eadem mente; sed petrus quidem confessus est filium Dei ut Deum verum; hic autem ut hominem nudum; dicens enim ei tu es filius Dei, induxit tu es rex israel; Dei autem filius non israelis est rex solum, sed et orbis terrarum universi. Hoc etiam manifestum est ex his quae consequuntur. Nam petro nihil postea addidit Christus: sed quasi perfecta eius existente fide, ecclesiam se dixit in confessione illius fabricaturum esse. nathanael autem, quasi multa parte et maiori confessionis deficiente, ad maiora educitur; nam sequitur et dixit ei: quia dixi tibi: vidi te sub ficu, credis: maius his videbis; quasi dicat: magnum tibi visum est hoc esse quod dixi, et propterea me regem israelis confessus es: quid igitur dices cum maius videbis? et quid sit istud maius, ostendit subdens et dicit eis: amen, amen dico vobis, videbitis caelum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes super filium hominis. Vide qualiter paulatim eum a terra abducit, et facit quod non ultra aestimet Christum esse hominem solum: cui enim angeli ministrant, qualiter hic homo purus esset? per hoc igitur suadet angelorum se esse dominatorem: sicut enim in proprium regis filium descenderunt et ascenderunt in eum ministri regales; hoc quidem in tempore crucis, hoc vero in tempore resurrectionis et ascensionis; sed et ante hoc, quando accesserunt et ministrabant ei, et quando evangelizabant eius nativitatem. Futurum vero a praeterito probavit; qui enim in praeteritis virtutem eius agnoverat, et de futuris audiens facilius suscepit.

Augustinus de verb. Dom.. Reclamamus autem veterem historiam, quando iacob in somniis vidit scalam a terra pertingentem usque in caelum, et dominus incumbebat super eam, et angeli ascendebant et descendebant per eam. Denique ipse iacob quia intellexit quid viderit, posuit lapidem et fudit oleum: dum unxit lapidem iacob, numquid idolum fecit? significavit, non adoravit. Agnoscitis chrisma, agnoscite et Christum. Ipse est lapis quem reprobaverunt aedificantes. Si ergo iacob vidit scalam, qui est israel appellatus, et nathanael iste vere israelita erat; convenienter somnium iacob dominus dixit ei; quasi dicat: cuius nomine te appellavi, ipsius somnium in te apparuit: videbis enim caelum apertum, et angelos Dei ascendentes et descendentes super filium hominis. Si autem ad illum descendunt, et ad illum ascendunt, et sursum est, et hic est: sursum in se, deorsum in suis.

Augustinus in Ioannem. Sunt autem angeli Dei boni praedicatores praedicantes Christum; hoc est super filium hominis ascendunt et descendunt, sicut paulus, qui ascenderat usque ad tertium caelum, descendit usque ad lac potum parvulis dandum. Dixit autem maius his videbis; quia plus est quod nos dominus vocatos iustificavit, quam quod vidit iacentes sub umbra mortis. Quid enim nobis proderat, si ibi mansissemus ubi nos vidit? quaeritur autem quare nathanael, cui tantum testimonium perhibuit filius Dei, inter duodecim apostolos non invenitur? intelligere autem debemus, ipsum eruditum fuisse et peritum legis: propterea noluit illum dominus inter discipulos ponere, quia idiotas elegit, unde confunderet mundum. volens enim superbiorum frangere cervices, non quaesivit per oratorem piscatorem; sed de piscatore lucratus est imperatorem. Magnus cyprianus orator; sed prius petrus piscator; per quem postea crederet non tantum orator, sed etiam imperator.

IOANNES 2,1-4

12201 (Jn 2,1-4)

Chrysostomus in Ioannem. quoniam in galilaea notus erat dominus, vocant eum ad nuptias; unde sequitur et die tertia nuptiae factae sunt in cana galilaeae.

Alcuinus. Galilaea est provincia, in qua est cana viculus.

Chrysostomus. vocant autem ad nuptias dominum, non tamquam magnificum aliquem, sed simpliciter tamquam notum, et unum multorum: unde hoc evangelista declarans ait et erat mater iesu ibi: sicut enim matrem vocaverant, ita et filium; unde sequitur vocatus est autem iesus et discipuli eius ad nuptias: et accedit; neque enim ad dignitatem respiciebat suam, sed ad beneficium nostrum. Qui enim non dedignatus est formam servi accipere, neque dedignatus est ad nuptias venire servorum.

Augustinus de verb. Dom.. erubescat igitur homo esse superbus, quoniam factus est humilis deus. Ecce inter cetera filius virginis venit ad nuptias, qui cum apud patrem esset, instituit nuptias.

Beda. Quod etiam ad nuptias venire dignatus est, iuxta litteram, fidem recte credentium confirmat. porro tatiani et marcionis, ceterorumque qui nuptiis detrahunt, perfidia quam sit damnabilis insinuat. Si enim toro immaculato et nuptiis debita castitate celebratis culpa inesset, nequaquam dominus ad has venire voluisset. Nunc autem quia bona est castitas coniugalitatis, melior continentia vidualitatis, optima perfectio virginalitatis, ad probandam omnium electionem graduum, discernendum tamen meritum singulorum, ex intemerato mariae virginis utero nasci dignatus est; e prophético viduae annae ore mox natus benedicitur; a nuptiarum celebratoribus iam iuvenis invitatus, has praesentia suae virtutis honorat.

Augustinus in Ioannem. Quid autem mirum, si in illam domum ad nuptias venit qui in hunc mundum ad nuptias venit? habet enim hic sponsam, quam redemit sanguine suo, et cui pignus dedit spiritum sanctum, quam sibi coniunxerat in utero virginis. Verbum enim est sponsus, et sponsa caro humana; et utrumque unus filius Dei, et idem filius hominis. ille uterus virginis mariae thalamus eius est, unde processit tamquam sponsus de thalamo suo.

Beda. Nec vacat a mysterio quod die tertia nuptiae factae referuntur. Primum quidem saeculi tempus ante legem, patriarcharum exemplo; secundum sub lege, prophetarum scriptis; tertium sub gratia, praeconiis evangelistarum, quasi tertiae diei luce, mundo refulsit, in quo dominus in carne natus apparuit. Sed et hoc quod in cana galilaeae, idest in zelo transmirationis, eadem nuptiae factae perhibentur, typice denuntiat, eos maxime gratia Christi dignos existere qui zelo fervere piaevotionis, ac de vitiis ad virtutes, de terrenis ad aeterna norunt transmigrare. Discumbente autem ad nuptias domino, vinum defecit, ut vino meliore per ipsum facto manifestaretur gloria latentis in homine Dei; unde sequitur et deficiente vino, dicit mater iesu ad eum: vinum non habent.

Chrysostomus. Dignum autem est quaerere, unde venit in mentem matri magnum quid imaginari de filio: neque enim ante miraculum fecerat; sequitur enim hoc fecit initium signorum iesus. Sed revelari incipiebat et a Ioanne, et ab his quae ad discipulos dixerat; sed ante haec omnia ipsa conceptio, et ea quae post nativitatem facta sunt maximam ei de puero imposuerunt aestimationem; unde lucas dicit: maria conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo. Cuius igitur gratia non ante ad miraculum eum incitavit? nam antea ut unus multorum ita conversabatur; unde non praesumebat ei mater tale quid dicere; quia vero audivit quod Ioannes ei testificatus est, et quod discipulos iam haberet, de reliquo confidenter rogat.

Alcuinus. significat etiam in hoc loco synagogam quae Christum provocat ad faciendum miraculum: familiare enim est iudaeis miracula inquirere. sequitur et dicit ei iesus: quid mihi et tibi, mulier? **Augustinus** in Ioannem. quidam derogantes evangelio, et dicentes quod iesus non fuit natus de maria virgine, hinc argumentum sumere conantur erroris sui, ut dicant: quomodo erat mater eius cui dixit quid mihi et tibi, mulier? sed quis hoc narravit, ut credamus quia hoc dominus dixit? nempe Ioannes evangelista. At ipse dixit et erat ibi mater iesu. Quare hoc, nisi quia utrumque verum est? sed numquid ideo venit ad nuptias, ut doceret matrem contemni? **Chrysostomus.** Sed quod valde venerabatur matrem, audi lucam enarrantem, qualiter subditus parentibus erat. nam ubi quidem parentes nihil impediunt eorum quae sunt secundum Deum, debitum est subici eis; quando autem non tempore debito aliquid quaerunt, et abscindunt nos a spiritualibus, non ex hoc fallaris.

Augustinus de symbolo. ut ergo distingueret inter Deum et hominem, quia secundum hominem minor et subditus erat, secundum autem Deum supra omnes erat, dixit quid mihi et tibi est, mulier? **Chrysostomus** in Ioannem. sed et propter aliam causam, ut non suspecta essent miracula quae fiebant (ab his enim qui indigebant, rogari oportuerat, non a matre), voluit ostendere quoniam omnia decenti tempore operatur, non simul omnia faciens: quia confusio quaedam esset; et ideo sequitur nondum venit hora mea; idest, nondum cognitus sum his qui adsunt. sed neque sciunt quoniam defecit vinum: sine eos primum hoc sentire: qui enim necessitatem non praesentit, neque beneficii grandem suscipiet sensum.

Augustinus. vel ideo quia dominus noster, secundum quod deus erat, matrem non habebat; secundum quod homo erat, habebat matrem. Miraculum autem quod facturus erat, secundum divinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem humanam. miraculum tamen exigebat mater; at ille tamquam non agnoscens viscera humana, operaturus facta divina, dixit quid mihi et tibi est, mulier? tamquam dicat: quod in me facit miraculum, non tu genuisti, deitatem meam. Dicitur autem mulier secundum femineum sexum, non secundum corruptionem integritatis. sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te cognoscam cum ipsa infirmitas pendeat in cruce; unde subdit nondum venit hora mea; quasi dicat: ibi te agnoscam cum pendere in cruce infirmitas coeperit, cuius et mater es. Commendavit enim matrem discipulo, prius matre moriturus, et ante mortem matris resurrecturus. Videte autem ne forte quomodo invenerunt manichaei occasionem perfidiae suae, quia dixit dominus quid mihi et tibi est, mulier? sic inveniant mathematici occasionem fallaciae, quia dixit nondum venit hora mea. dicunt enim: vides quia sub fato erat Christus, quia dixit nondum venit hora mea. Credant autem Deo dicenti: potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam; et quaerant quare sit dictum nondum venit hora mea: nec ideo iam sub fato ponant conditorem caeli: quia si esset fatum de sideribus, non poterat esse sub necessitate siderum conditor siderum. Adde quod non solum Christus non habuit quod appellas fatum; sed nec tu, aut ille, aut quisquam hominum. quare ergo dixit nondum venit hora mea? quia in potestate habebat quando moreretur; sed nondum videbat esse opportunum ut illa potestate uteretur. Vocandi erant discipuli, annuntiandum erat regnum caelorum, faciendae erant virtutes, commendanda erat divinitas domini in miraculis, commendanda erat humanitas domini in ipsa compassione mortalitatis. at ubi tantum fecit quantum sufficere iudicavit, venit hora, non necessitatis, sed voluntatis; non conditionis, sed potestatis.

IOANNES 2,5-11

12205 (Jn 2,5-11)

Chrysostomus in Ioannem. quamvis dixerit nondum venit hora mea, postmodum fecit quod mater dixerat; ut etiam ex hoc sufficiens esset demonstratio quod non subiectus est horae. Si enim horae subiciebatur, qualiter debita hora nondum facta hoc fecit? deinde et propter honorem matris, ut non finaliter ei contradicere videretur: neque eam tot praesentibus erubescere faceret: adduxerat enim ad eum ministros, ut a pluribus fieret petitio; unde sequitur dicit mater eius ministris: quodcumque dixerit vobis, facite.

Beda. Quasi dicat: licet abnegare videatur, tamen faciet: noverat enim eum mater pium et misericordem. sequitur erant autem ibi lapideae hydriae sex positae secundum purificationem iudaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas. Hydriae vocantur vasa aquarum receptui parata; graece enim aqua hydor dicitur.

Alcuinus. Vasa autem aquarum receptui parata erant secundum purificationem iudaeorum, quia inter alias pharisaeorum traditiones etiam hoc observabant ut crebro se lavarent.

Chrysostomus. quia vero in aquosa est palaestina, et non erat multis in locis fontes et puteos invenire, replebant hydrias aqua, ut non currerent ad flumina, si quando immundi fierent; sed de prope haberent purgationis modum. Ne autem quidam infidelium suspicarentur quoniam, faece intus remanente, deinde aqua immissa, vinum subtilissimum factum esset, propterea ait secundum purificationem iudaeorum, ostendens quod illa vasa numquam vini receptacula facta erant.

Augustinus in Ioannem. Metretas enim dicit mensuras quasdam, tamquam si diceret urnas, amphoras, vel aliud huiusmodi. metron enim mensuram dicunt graeci: inde appellatae metretae. Quod autem ait binas vel ternas, non ita accipiendum est quod aliae binas, aliae ternas; sed eadem ipsae caperent binas quae etiam ternas. sequitur dixit eis iesus: implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum.

Chrysostomus. Sed quare antequam implevissent hydrias aqua, non fecit signum? quod multo mirabilius esset: quia scilicet aliud est substantiam in aliam qualitatem transmutare, et ipsam substantiam ex nihilo facere. Hoc quidem mirabilius est, sed non ita videtur credibile multis. Propterea enim multoties a miraculorum magnitudine abstinet, volens magis credibile esse quod fiebat. Cum hoc et perversa dogmata evertit. Quia enim sunt quidam qui mundi conditorem alium esse dicunt, plura miraculorum ex subiectis substantiis facit; si enim contrarius ei esset qui conditor est mundi, non utique alienis uteretur ad propriae virtutis demonstrationem. Non autem ipse aquam hausit, et tunc vinum ostendit, sed hoc iubet ministris, ut eos testes haberet eius quod fiebat; unde sequitur et dicit eis iesus: haurite nunc, et ferte architriclino.

Alcuinus. Triclinium ordo trium lectorum; clini enim lectum significat. Architriclinus princeps triclinii, idest

primus inter convivas, qui more antiquo in lectis discumbebant; unde quidam architriclinum intelligunt aliquem ex sacerdotibus iudaeorum, qui nuptiis interesse poterant, ut illos instruerent qualiter nuptiis uti deberent.

Chrysostomus in Ioannem. Vel aliter. Quia aliqui possent dicere quod convivae ebrii erant, et sensus iudicantium corruptus, ut nescirent utrum aqua vel vinum esset; hi autem quibus ministratio conviviorum credita est, maxime vigiles sunt, unum opus habentes ut ornate et ordinate omnia disponantur; ideo in testimonium eorum quae fiebant dixit dominus ferte architriclino, propter evigilantem eius sensum: et non dixit: propinate discumbentibus.

Hilarius de trin.. aqua igitur hydriis infunditur, vinum calicibus hauritur: infundentis scientiae sensus non convenit haurientis. Qui infuderunt, hauriri aquam existimant: qui hauriunt vinum, infusum arbitrantur; unde sequitur ut autem gustavit architriclinus aquam vinum factam, et non sciebat unde esset (ministri autem sciebant, qui hauserant aquam), vocat sponsum architriclinus. non autem aquae simplicitas defecit, et vini sapor natus est; non per transfusionem potioris obtinetur quod infirmius est; sed aboletur quod erat, et quod non erat coepit.

Chrysostomus in Ioannem. paulatim autem dominus volebat cognosci suorum signorum virtutem; et ideo neque ipse revelabat quod factum est, neque ministros architriclinus vocavit; non enim esset eis creditum de puro homine existimato tale testimonium reddentibus: sed vocat sponsum, qui maxime poterat conspiciere quod fiebat. Non simpliciter autem Christus vinum, sed vinum optimum fecit; unde sequitur et dicit ei: omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Talia enim sunt Christi miracula, ut multo his quae per naturam fiunt, speciosiora et utiliora fiant. Igitur aqua vinum facta ministros testes habuit; boni vero vini factio architriclinum et sponsum. Probabile autem est et sponsum aliquid respondisse; sed evangelista hoc praetermittit, tangens solum id quod necessarium est scire, scilicet quoniam vinum aquam fecit; unde statim subdit hoc fecit initium signorum iesus in cana galilaeae. tunc enim signa maxime necessarium erat facere, quando discipuli iam congregati erant devoti et attendentes his quae fiebant, manifeste aderant. Si vero dixerit quis non esse argumentum sufficiens ut hoc sit principium signorum, quia additur in cana galilaeae, quasi contingat alibi prius esse facta, dicemus, quod et antea diximus, quia Ioannes dicit: ut manifestetur israeli, propterea veni baptizans. si vero secundum primam aetatem miracula fecit, nequaquam indigebant israelitae alio manifestante eum. Qui enim in brevi tempore ita per miraculorum multitudinem claruit, ut eius nomen manifestum fieret omnibus; multo magis si puer existens a prima aetate miracula fecisset: nam et ea quae fierent, inopinabiliora existimarentur ab infante facta, et tempus amplius esset. Decenter autem non incepit signa facere ex prima aetate: existimassent enim phantasia esse incarnationem, et ante opportunum tempus cruci eum tradidissent livore liquefacti.

Augustinus in Ioannem. hoc autem miraculum domini quo de aqua vinum fecit, non est mirum eis qui noverunt quia deus fecit. Ipse enim fecit vinum illo die in hydriis qui omni anno hoc facit in vitibus; sed hoc assiduitate amisit admirationem: itaque servavit sibi deus inusitata quaedam quae faceret, ut tamquam dormientes homines ad se colendum mirabiliter excitaret; propter quod sequitur et manifestavit gloriam suam.

Alcuinus. Quia ipse est rex gloriae, qui sicut dominus elementa mutabat.

Chrysostomus. Et hoc quantum ex parte sua: etsi vero tunc multi non cognoverunt, sed tamen omnes postea erant miraculum audituri. sequitur et crediderunt in eum discipuli eius: hi enim debebant credere et facilius, et cum diligentia attendere his quae fiebant.

Augustinus de cons. Evang.. sed si tunc in eum crediderunt, nondum erat discipuli cum ad nuptias vocati sunt; sed illo more locutionis hoc dictum est quo loquimur cum dicimus apostolum paulum in tharso ciliciae natum: neque enim tunc iam erat apostolus. ita discipulos Christi invitatos ad nuptias cum audimus, non iam discipulos, sed qui futuri erant discipuli intelligere debemus.

Augustinus. Illa autem mysteria quae in isto miraculo domini latent, videte. Oportebat impleri in Christo quae de illo scripta erant. Illa erat aqua; fecit autem de aqua vinum, cum aperuit eis sensum, et exposuit scripturas: sic enim sapit quod non sapiebat, et inebriat quod non inebriabat.

Beda. apparente enim domino in carne, vinosa legalis sensus suavitas paulatim coeperat ob carnalem pharisaeorum interpretationem a prisca sua virtute deficere.

Augustinus. si autem iussisset aquam effundi, et ipse mitteret vinum ex occultis creaturae finibus, videretur scripturas veteres improbasse. cum autem ipsam aquam convertit in vinum, ostendit nobis quod et

scriptura vetus ab ipso est: nam iussu ipsius impletæ sunt hydriae. Sed nihil sapit illa scriptura, si non ibi Christus intelligatur. Novimus autem legem ex quibus temporibus narret, idest ab exordio mundi; inde usque ad hoc tempus quod nunc agimus, sexta aetas est: nam prima aetas computatur ab adam usque ad noe, secunda a noe usque ad abraham, tertia ab abraham usque ad David, quarta a David usque ad transmigrationem babylonis, quinta usque ad ioannem baptistam, sexta inde usque ad finem saeculi. Sex ergo illae hydriae sex aetates significant, quibus non defuit prophetia. Impletæ sunt prophetiae, plenae sunt hydriae. Quid est autem quod capiebant metretas binas vel trinas? si trinas tantum diceret, non curreret animus noster nisi ad mysterium trinitatis. Sed forte nec sic debemus inde sensum avertere, quia dixit binas vel trinas: quia nominato patre et filio, consequenter et spiritus sanctus intelligendus est. Oportet enim intelligi caritatem invicem patris et filii, quod est spiritus sanctus. sed est et alius intellectus non praetermittendus: binæ enim metretæ intelliguntur in duobus generibus hominum, idest iudaeis et graecis; tres autem propter noe tres filios significandos.

Alcuinus. ministri autem sunt doctores novi testamenti, qui scripturas aliis sacras spiritualiter interpretantur; architriclinus autem est aliquis legisperitus, ut nicodemus, gamaliel, saulus. Dum ergo talibus evangelii verbum committitur, quod in littera legis occultabatur, quasi vinum de aqua factum architriclino propinatur. Et bene in domo nuptiarum tres ordines discumbentium describuntur: quia ecclesia tribus ordinibus fidelium constat: coniugatorum, continentium et doctorum. Optimum autem vinum Christus usque adhuc servavit, idest evangelium usque ad sextam aetatem distulit.

IOANNES 2,12-13

12212 (Jn 2,12-13)

Chrysostomus in ioannem. quoniam autem paulo post dominus hierosolymam ascensurus erat, capharnaum adiit, ut non ubique fratres et matrem secum trahat; unde dicitur post haec descendit capharnaum ipse et mater eius et fratres eius et discipuli eius; et ibi manserunt non multis diebus.

Augustinus in ioannem. Hic est autem dominus deus noster excelsus, ut nos faceret; humilis, ut nos reficeret; ambulans inter homines, patiens humana, abscondens divina. Ecce habet matrem, habet fratres, habet et discipulos. Inde fratres unde matrem. Fratres enim scriptura nostra appellare consuevit non eos solos qui nascuntur ex eodem utero aut ex eodem patre; sed ex eodem gradu, velut compatrales aut consobrinos. Unde ergo fratres domino? num enim maria iterum peperit? absit: inde coepit dignitas virginum. abraham patruus erat lot, et iacob laban syrum habebat avunculum; et utriusque dicti sunt fratres.

Alcuinus. fratres ergo domini dicuntur cognati mariae vel ioseph, non filii mariae vel ioseph: quia non solum beata virgo, sed etiam ioseph testis castitatis eius ab omni actione coniugali immunis permansit.

Augustinus de cons. Evang.. Quod vero dicit et discipuli eius, incertum est utrum iam illi adhaeserant etiam petrus, et andreas, et filii zebedaei. Matthaëus enim primo narrat quod venerit et habitaverit in capharnaum, et postea quod eos de navibus piscantes vocaverit. An forte matthaëus quod praetermiserat recapitulavit? quia sine ulla consequentis temporis differentia dixit: ambulans iuxta mare galilaeae, vidit duos fratres, an potius alii discipuli fuerunt? scriptura enim evangelica et apostolica non solum illos duodenos appellat discipulos eius, sed omnes qui in Deum credentes ad regnum caelorum magisterio eius erudiebantur. Illud etiam requirendum est, quomodo hic dicit, antequam ioannes baptista missus esset in carcerem, iesum venisse in galilaeam: cum matthaëus dicat: cum autem audisset quod ioannes traditus esset, secessit in galilaeam: similiter etiam et marcus. lucas etiam nihil quidem dicit de tradito ioanne: sed post baptismum et tentationem Christi dicit eum iisse in galilaeam, sicut illi duo. Unde intelligitur tres evangelistas non ioanni evangelistae contraria narrasse, sed praetermisisse primum domini adventum in galilaeam posteaquam baptizatus est, quando illic aquam convertit in vinum. Eusebius eccles. Hist.. cum enim trium evangeliorum ad ioannem evangelistam notitia pervenisset, probasse quidem dicitur fidem et veritatem dictorum; deesse tamen vidit aliqua, et ea maxime quae primo praedicationis suae tempore dominus gesserat: certum est enim quod in superioribus tribus evangeliiis haec videntur sola contineri quae in eo gesta sunt anno quo ioannes baptista vel inclusus est in carcere, vel punitus. et ideo rogatus dicitur ioannes apostolus ut ea quae praeterierant priores ante traditionem ioannis, salvatoris gesta conscriberet. unde si quis diligenter consideret, inveniet evangelia non dissonare; sed alterius temporis gesta esse quae scribit ioannes, alterius vero quae ceteri.

Chrysostomus in ioannem. Neque enim in capharnaum miraculum ullum tunc operatus est: qui enim civitatem habitabant illam, non sane se habebant ad Christum, sed erant valde corrupti: ideo tamen accedit et parum ibi trahit tempus propter eum qui ad matrem erat honorem.

Beda. ideo etiam non multis diebus ibi manserunt, propter festum paschae, quod iam appropinquabat; unde sequitur et prope erat pascha iudaeorum.

Origenes in Ioannem. Sed quid intendit ibi appositio iudaeorum? non enim nationis alterius paschae solemnitas fuerat. forsitan vero quia quoddam est pascha humanum eorum qui procul a proposito scripturae celebrant illud, quoddam vero divinum et verum, quod in spiritu et veritate perficitur. Ad distinctionem ergo divini dicitur iudaeorum. sequitur et ascendit hierosolymam.

Alcuinus. bis in evangeliiis legitur iesum ascendisse hierosolymam: semel in primo anno praedicationis, dum adhuc Ioannes non erat missus in carcerem; de hoc ascensu nunc agitur; et iterum illo anno quo erat passurus. Dedit autem nobis exemplum dominus quanta cura divinis subdi debeamus imperiis. Si enim ipsa Dei filius decreta legis a se data implebat, celebrans solemnitates cum ceteris hominibus, quanto studio bonorum operum servi debent solemnitates et praevenire et celebrare? **Origenes.** mystice autem, cum facta est nuptiarum praeparatio in cana galilaeae, descendit una cum matre, fratribus et discipulis in capharnaum, quae interpretatur ager consolationis. Oportebat enim post vini alacritatem, ad agrum consolationis, una cum matre et discipulis ascendere salvatorem, consolaturum in futuris fructibus et in agrorum multitudine suscipientes disciplinam eius, et animam quae illum spiritu sancto concepit, et iuvandos ibi. Sunt enim quidam fructificantes, ad quos dominus ipse descendit una cum verbi ministris atque discipulis, adiuvans huiusmodi praesente matre sua. videntur autem qui capharnaum ducti sunt, non capere diuturnam apud se iesu praesentiam: quoniam illuminationem quae de pluribus dogmatibus est, inferioris consolationis agellus non capit, cum paucorum capax existat.

Alcuinus. Vel capharnaum villa pulcherrima est, et significat mundum, in quem verbum patris descendit.

Beda. Non multis autem diebus ibi mansit, quia parvo in hoc mundo tempore cum hominibus conversatus est.

Origenes. est autem hierosolyma civitas regis magni, velut ipse salvator ait, ad quam nullus eorum qui manent in terris conscendit nec ingreditur: sed quaelibet anima quae naturalem obtinet celsitudinem et acumen intelligibilium perspicuum, eius civitatis est incola, ad quam solus iesus ascendisse dicitur. Videntur tamen post discipuli fore praesentes dum recolunt zelus domus tuae comedit me; sed quasi in quolibet discipulorum iesus ascendit.

IOANNES 2,14-17

12214 (Jn 2,14-17)

Beda super matth.. Dominus ierusalem adveniens, continuo templum oraturus addit, nobis dans exemplum ut quocumque properamus, domum Dei primo ingrediamur, dominum deprecaturi; unde dicitur et invenit in templo vendentes boves et oves et columbas.

Augustinus in Ioannem. Sacrificia enim illi populo pro eius carnalitate talia data sunt, quibus teneretur ne ad idola deflueret; et immolabant boves et oves et columbas.

Beda. Sed quia de longinquo properantes quae iussa sunt immolari domino, secum ferre non poterant, eorum pretia deferebant: unde nacta occasione, haec animalia in templo scribae et pharisaei vendi instituerunt, ut venientes emerent et offerrent, eademque oblata ipsi aliis venderent; et sic sua lucra accumularent. unde et nummularii ad hoc sedebant ad mensam, ut inter emptores venditoresque hostiarum prompta esset pecunia: unde subditur et nummularios sedentes. dominus autem nolens aliquid in domo sua terrenaesse negotiationis, neque eius quae honesta putaretur, negotiatores omnes expulit foras.

Augustinus. Et qui flagellandus erat ab eis, prior illos flagellavit; unde sequitur et cum fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.

Theophylactus. Neque solum eos eiecit qui vendebant et emebant, sed etiam res eorum; unde subditur oves quoque et boves et nummulariorum effudit aes, et mensas evertit, scilicet nummularias, quae erant quasi vasa denariorum.

Origenes. Consideremus autem, ne forte enorme videatur quod Dei filius captis funiculis parat sibi flagellum ad eiciendum de templo. Unum tamen refugium ad horum responsionem relinquitur divina

potestas iesu, ut cum volebat posset iracundiam hostium suffocare, quamvis essent innumeri, et sedare mentium turbines: dominus enim dissipat cogitationes gentium. Praesens autem historia in nullo minorem potestatem praetendit his quae ab eo miraculosius edita sunt: quinimmo constat hanc maiorem demonstrare potentiam miraculo quo aqua conversa est in vinum: eo quod illic inanimata subsistit materia, hic vero tot millium hominum domantur ingenia.

Augustinus de cons. Evang.. Manifestum est autem non semel, sed iterato hoc factum esse a domino. Sed illud primum commemoratur hic a Ioanne, istud ultimum a ceteris tribus.

Origenes. et Ioannes quidem hic dicit quod expulit vendentes de templo; matthaeus autem ait quoniam expulit vendentes et ementes. Multo autem maior numerus erat ementium quam vendentium; quorum expulsio transcendebat dignitatem eius qui reputabatur filius carpentarii; nisi quod divina potestate sibi omnes subiecit, ut dictum est.

Beda. commendatur autem in hac lectione utraque Christi natura: humana quidem, in hoc quod matrem comitem habuisse perhibetur; divina vero, in hoc quod verus Dei filius demonstratur; sequitur enim et his qui vendebant columbas dixit: auferte ista hinc, et nolite facere domum patris mei domum negotiationis.

Chrysostomus in Ioannem. ecce patrem vocat, et non irascuntur: aestimant enim simpliciter eum dicere; sed quia postea apertius loquebatur, ut solam repraesentaret parilitatis intelligentiam, propterea saeviebant. Et matthaeus quidem dicit quod eiciens eos dicebat: nolite facere domum meam speluncam latronum: illud enim fecit ad passionem veniens, ideo durioribus sermonibus utebatur; hoc autem in principio signorum fecit; unde non ita aspera, sed remissa quodammodo increpatione utitur.

Augustinus. Ecce templum illud figura adhuc erat, et eiecit inde dominus omnes qui ad nundinas venerant. Et quae ibi vendebant? quae opus habebant homines in sacrificio illius temporis. Quid si ibi ebriosos inveniret? si negotiationis non debet fieri domus Dei, potationis fieri debet? **Chrysostomus.** Sed cuius gratia tali vehementia Christus usus est? quia enim in sabbato curaturus erat, et multa facturus quae videbantur eis esse legis transgressio, ut non videatur Deo contrarius, hoc cum periculo fecit, dans intelligere quod qui periculis se exponit pro bono ornatu domus, dominum domus non contemnit: et ideo, ut ostenderet sui consonantiam ad Deum, non dixit: domum sanctam, sed domum patris mei. et propter hoc etiam subditur recordati vero sunt discipuli eius quia scriptum est: zelus domus tuae comedit me.

Beda. discipuli enim videntes in eo hunc ferventissimum zelum, recordati sunt quia zelo domus patris salvator eiecit impios de templo.

Alcuinus. Zelus, cum in bono accipitur, est quidam fervor animi, quo mens relicto humano timore pro defensione veritatis accenditur.

Augustinus. comeditur ergo zelus domus Dei, qui omnia quae videt ibi perversa cupit emendare: et si emendare non potest, tolerat et gemit. Si ergo in domo tua ne quid perversum fiat satagis, in domo Dei, ubi salus proposita est, debes pati, quantum in te est, si quid perversi videris? amicus est? admoneatur leniter; uxor est? severissime frenetur; ancilla est? etiam verberibus compescatur. Fac quicquid potes pro persona quam portas.

Alcuinus. Mystice autem quotidie deus spiritualiter suam ecclesiam intrat, et qualiter ibi unusquisque conversetur attendit. caveamus ergo ne in ecclesia Dei fabulis, vel risibus, vel odiis, vel cupiditatibus vacemus, ne improvisus veniens nos flagellet, et de ecclesia sua eiciat.

Origenes in Ioannem. Possibile enim est hierosolymitanum quoque delicto subiacere, et capacissimos deviare: quod nisi post delictum citissime convertantur, capacitatem amittunt. Invenit igitur in templo, id est in sacris, vel in enuntiatione ecclesiastici sermonis, quosdam qui patris domum, domum negotiationis constituebant, qui scilicet venales exponunt boves, quos oportet servare ad aratrum, ne retrocedentes non disponantur ad regnum Dei; qui etiam praeferunt mammonam iniquitatis ovibus, ex quibus habent ornatus materiam; qui etiam solertiam columbarum privata qualibet amaritudine vilipendunt. cum ergo hos invenerit salvator in domo sacrata, facto de funiculis flagello fugat illos una cum venalibus ovibus et bobus suis, et spargit aeris pondera velut indigna in domo Dei retineri, subvertitque constitutas tabulas in animabus avarorum, et mandat ne ulterius in domo Dei columbae vendantur. Arbitror autem et exemplum ipsum statuisse per praedicta secretius, ut intelligamus per hoc, si quid agi debeat erga sacram illam oblationem a sacerdotibus, non debere ritu sensibillum oblationum agi, nec legem observari debere, ut carnales iudaei volebant: nam iesu propellente boves et oves, iubente auferri columbas, quae ut plurimum offerebantur iuxta consuetudinem iudaeorum, et subvertente mensas materialium nummorum non expresse, sed figuraliter continentium divinas impressiones, ea scilicet quae secundum legis scripturam videbantur

honestas, et utentes eo in plebem flagellis, dissolvenda et dispergenda haec erant, translato regno ad eos qui ex gentibus crediderunt.

Augustinus. vel vendentes in ecclesia sunt qui quae sua sunt quaerunt, non quae iesu Christi. venale habent totum, quia volunt redimi. simon ideo volebat emere spiritum sanctum, quia vendere volebat: erat enim de illis qui columbas vendunt: etenim in columba apparuit spiritus sanctus: columba autem non est venalis; gratis datur, quia gratis vocatur.

Beda. vendunt igitur columbas qui acceptam spiritus sancti gratiam non gratis, ut praeceptum est, sed ad praemium dant; qui manuum impositionem, qua spiritus sanctus accipitur, etsi non in quaestum pecuniae, ad vulgi tamen favorem tribuunt; qui sacros ordines non ad vitae meritum, sed ad gratiam largiuntur.

Augustinus. Boves autem intelliguntur apostoli et prophetae, qui nobis scripturas sacras dispensaverunt. Qui ergo ipsis scripturis fallunt populos a quibus quaerunt honores, vendunt boves, vendunt et oves, id est ipsas plebes, et cui vendunt, nisi diabolo? quidquid enim de unica ecclesia praeciditur, quis tollit nisi leo rugiens? **Beda.** vel oves sunt opera munditiae et pietatis. Vendunt ergo oves qui humanae gratia laudis pietatis exercent. nummos mutuo dant in templo qui aperte terrenis rebus in ecclesia deserviunt. Domum etiam domini faciunt domum negotiationis, non solum hi qui propter sacros ordines pretium pecuniae vel laudis vel honoris quaerunt; verum etiam hi qui gradum vel gratiam spiritualem, quam in ecclesia domino largiente perceperunt, non simplici intentione, sed cura humanae retributionis exercent.

Augustinus. signum autem quoddam nobis ostendit dominus, quod fecit flagellum de resticulis, et inde negotiationem in templo facientes flagellavit. Etenim unusquisque in peccatis suis restem sibi textit, dum peccata addit peccatis. Quando ergo aliquid patiuntur homines propter iniquitates suas, agnoscant quia dominus facit flagellum de resticulis, et adhuc admonet eos ut mutant se: nam si se non mutaverint, audient in fine: ligate illi manus et pedes.

Beda. facto igitur de funiculis flagello, illos eiecit de templo: quia de parte sortis sanctorum eiciuntur qui inter sanctos positi, vel fecte bona, vel aperte faciunt opera mala. Oves quoque et boves eiecit: quia talium vitam pariter et doctrinam ostendit esse reprobam. Nummulariorum quoque effudit aes, et mensas subvertit; quia damnatis in fine reprobis, etiam ipsarum quas dilexerunt rerum tollet figuram. venditionem columbarum de templo auferri praecepit: quia gratia spiritus, quae gratis accipitur, gratis dari debet.

Origenes. potest etiam per templum intelligi anima studiosi, propter inhabitans verbum Dei, in qua ante doctrinam iesu constiterant terrestres et bestiales motus. Signum autem terrestrium motuum bos est, quoniam est agri cultor; insensatorum autem motuum ovis, quod est pluribus animalibus irrationalius; levium vero atque inconstantium mentium signum est columba; eorum vero qui boni videntur, signa sunt aera, quae Christus verbo doctrinae expellit, ut non ultra domus patris eius sit forum.

IOANNES 2,18-22

12218 (Jn 2,18-22)

Theophylactus. Quia iudaei videbant iesum talia facere cum potestate multa, et dicentem nolite facere domum patris mei, domum negotiationis: signum ab eo petunt; unde dicitur responderunt ergo iudaei, et dixerunt ei: quod signum ostendis nobis, quia haec facis? **Chrysostomus** in Ioannem. Sed numquid signa opus erant ut ea quae male fiebant cessare faceret? nonne zelum talem accipere pro domo Dei maximum signum virtutis erat? non autem illius prophetiae meminerant; sed signum petebant, simul quidem de suo turpi lucro impedito dolentes, simul autem et per hoc prohibere eum volentes: opinantur enim eum aut provocare ad miracula, aut cessare ab his quae fiebant. Propterea non dat eis signum, sicut et petentibus signum respondit dicens: generatio mala et adultera signum quaerit, et signum non dabitur ei, nisi signum ionae prophetae. Sed tunc quidem manifestius, nunc autem obscurius respondet idem. Non autem is utique qui non petentes praeoccupat, et signa dat, hic petentes avertisset, nisi mentem eorum cognovisset dolosam; sequitur enim et dixit eis: solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud.

Beda. Quia enim signum quaerebant a domino, quare solita commercia proicere debuerit ex templo; respondit: quia ipsum templum significabat templum corporis sui, in quo nulla prorsus esset alicuius macula peccati; quasi dicat: sicut inanimatum templum a vestris commerciis sceleribusque mea expio potestate, ita et hoc corporis mei templum, cuius istud gestat figuram, vestris manibus dissolutum, tertia die resuscitabo.

Theophylactus. Nequaquam tamen illos ad homicidium provocat dicens solvite; sed hoc eis affectantibus,

non sibi esse absconditum demonstrat. audiant autem ariani, quomodo dominus mortis destructor dixit excitabo, virtute videlicet propria.

Augustinus in Ioannem. Resuscitavit eum quidem et pater, cui dicit: excita me, et reddam illis. Sed quid fecit pater sine verbo? quomodo ergo eum pater resuscitat, sic et filius resuscitavit: quia filius dixit: ego et pater unum sumus.

Chrysostomus. propter quid autem signum resurrectionis dat eis? quoniam scilicet hoc maxime erat quod ostendebat eum non esse hominem purum, posse adversus mortem statuere triumphum, et tyrannidem eius longam velociter dissolvere.

Origenes. utraque autem, scilicet et corpus iesu et templum, exemplar mihi fore videntur ecclesiae, eo quod ex vivis lapidibus construitur in domum spiritualem, in sacerdotium sanctum, et propter illud: vos estis corpus Christi et membra de membro. Quamvis autem dissolvi lapidum videatur structura ac dissipari omnia ossa Christi adversitatibus tribulationum; instaurabitur tamen templum, ac resuscitabitur die tertia, quae in novo caelo et nova terra praesens erit. Sicut enim illud Christi corpus sensibile crucifixum est ac sepultum, et postea resurrexit; sic et totale sanctorum Christi corpus concrucifixum est Christo: quilibet enim eorum in nullo alio gloriatur nisi in cruce Christi, per quam ipse crucifixus est mundo. Sed et consepultus est Christo et resurrexit cum eo, quia in quadam novitate vitae ambulat. Sed secundum beatam resurrectionem nondum surrexit; unde non scriptum est: tertia die restaurabo illud, sed in tribus diebus: perficitur enim eius erectio in omnibus tribus diebus.

Theophylactus. iudaei enim de inanimato templo putantes eum hoc dicere, deridebant eum; unde sequitur dixerunt ergo iudaei: quadraginta et sex annis aedificatum est templum hoc, et tu in tribus diebus excitabis illud? Alcuinus. Et notandum, quod non de prima aedificatione, quae a salomone septem annis perfecta est, sed de reaedificatione, quae facta est sub zorobabel per quadraginta et sex annos impredientibus inimicis respondebant.

Origenes. vel dicit aliquis, quadraginta et sex annorum exurgere computum, ex quo David allocutus est nathan prophetam consulens de constructione templi, ex tunc satagens ad congregandam materiam templi. animadvertit vero si possibile est quadragenarium numerum statui erga templum propter quatuor elementa mundi, ac senarium propter hoc quod homo sexto die creatus est.

Augustinus de trin.. vel hic numerus perfectioni dominici corporis apte congruit; quadragies enim sexies seni fiunt ducenta septuaginta sex; qui numerus dierum complet novem menses et sex dies. Ipsa autem perfectio corporis domini tot diebus ad partum producta comperitur, sicut a maioribus traditum suscipiens ecclesiae custodit auctoritas. octavo enim kalendas aprilis conceptus creditur, quo et passus; natus autem traditur octavo kalendas ianuarii. Ab illo ergo die usque ad istum computati ducenti septuaginta sex reperiuntur dies, qui senarium numerum quadragies sexies habent.

Augustinus lib. 83 quaest.. dicitur etiam conceptio humana sic procedere, et perfici primis sex diebus, quasi lactis habeat similitudinem, sequentibus novem diebus convertatur in sanguinem, deinde duodecim diebus solidetur, reliquis decem et octo diebus formetur usque ad perfecta lineamenta omnium membrorum; et in reliquo tempore usque ad tempus partus magnitudine augeatur. sex autem et novem et duodecim et decem et octo in unum coacti, fiunt quadraginta quinque: addito ergo uno fiunt quadraginta sex; qui si fuerint multiplicati per ipsum senarium numerum, qui huius ordinationis caput tenet, fiunt ducenti septuaginta sex, idest novem menses, et sex dies. non ergo absurde quadraginta sex annis dicitur fabricatum esse templum, quod corpus eius significabat; ut quot anni fuerint in fabricatione templi, tot dies fuerint in corporis dominici perfectione.

Augustinus in Ioannem. Vel aliter. quia dominus noster de adam corpus accepit, non de adam peccatum traxit; templum corporeum inde sumpsit, non iniquitatem, quae de templo pellenda est. si autem facias quatuor nomina graeca, anatoli, quod est oriens, dysis, quod est occidens, arctos, quod est septemtrio, mesembria, quod est meridies, capita verborum adam habent. A quatuor enim ventis dominus collecturum se dicit electos suos cum venerit ad iudicium. Habent autem litterae nominis adam numerum secundum graecos; et ibi invenitur quadragintasex annis aedificatum templum. Habet enim adam alpha, quod est unum; et delta, quod quatuor; et alpha, quod est unum; et mi, quod est quadraginta: et sic habet quadragintasex. Sed iudaei, quia caro erant, carnalia sapiebant; ille spiritualiter loquebatur, et de quo templo diceret, per evangelistam nobis aperuit; sequitur enim ille autem dicebat de templo corporis sui.

Theophylactus. Ex hoc autem apollinarius contradictionem sumit, volens ostendere, quod caro Christi esset inanimata, eo quod templum sit inanimatum: ergo carnem Christi et lapidem et lignum facies, quia ex his templum consistit. si autem quod dicitur: anima mea turbata est; et: potestatem habeo ponendi animam

meam; nequaquam de anima rationali dici dixeris; ubi pones illud: in manus tuas, domine, commendo spiritum meum? non enim hoc de anima irrationali intelligere poteris: neque quod dicitur: non derelinques animam meam in inferno.

Origenes. ideo autem corpus domini templum intelligitur, quia sicut templum gloriam Dei continebat habitantem in ipso, sic corpus Christi repraesentans ecclesiam, unigenitum continet, qui est imago Dei et gloria.

Chrysostomus in Ioannem. duo autem erant quae obstabant discipulis ne interim intelligerent: unum ipsa resurrectio; alterum vero, quod maius erat, scilicet quod deus erat qui in illo corpore habitabat; quod dominus occulte ostenderat, dicens solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Et ideo subditur cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli eius quia hoc dicebat de corpore suo, et crediderunt scripturae, et sermoni quem dixit iesus.

Alcuinus. Ante resurrectionem enim non intelligebant scripturas, quia nondum acceperant spiritum sanctum; sed in die resurrectionis apparens dominus aperuit discipulis sensum ut intelligerent quae de ipso scripta erant in lege et prophetis; et tunc crediderunt scripturae prophetarum, qui praedixerunt Christum tertia die resurrecturum, et sermoni quem dixit iesus solvite templum hoc.

Origenes in Ioannem. Secundum anagogem vero, complementum fidei attingemus in magna resurrectione totius corporis iesu, idest ecclesiae eius; cum fides quae est ex specie, multum differat ab ea quae est per speculum in aenigmate.

IOANNES 2,23-25

12223 (Jn 2,23-25)

Beda. superius evangelista narravit quid dominus ierusalem adveniens gesserit; nunc vero eodem hierosolymis commorante, quid ab aliis erga eum actum fuerit refert; unde dicitur cum autem esset hierosolymis in pascha in die festo, multi crediderunt in nomine eius, videntes signa quae faciebat.

Origenes. Respiciendum autem quomodo ex signis eius plerique videntes credebant in eum. Non enim dicitur prodigia fecisse hierosolymis, nisi forte, cum facta sint, in scripturis non habeantur. animadvertite vero si possibile est in miraculis deputari quod fecerit flagellum ex funiculis, et cunctos ex templo propulerit.

Chrysostomus in Ioannem. Prudentiores autem fuerant discipuli, qui ad Christum accesserant, non propter signa sed propter doctrinam; nam grossiores quidem per signa trahuntur, rationabiliores vero per prophetias seu doctrinam; unde subditur ipse autem iesus non credebat semetipsum eis.

Augustinus in Ioannem. quid sibi vult hoc illi credebant in nomine eius, et ipse iesus non credebat semetipsum eis? an forte non credebant ei, et fingebant se credidisse? sed non diceret evangelista multi crediderunt in nomine eius. Magna ergo res et mira. Credunt homines in Christum, et Christus non se credit hominibus, praesertim quia filius Dei est, et utique volens passus est, et si nollet, nunquam pateretur. sed tales sunt omnes catechumeni. si dixerimus catechumeno: credis Christo? respondet: credo, et signat se. Si interrogemus eum: manducas carnem filii hominis? nescit quid dicimus, quia iesus non se credit ei.

Origenes in Ioannem. vel dicendum, quod iesus non se credit credentibus in nomine eius, et non in illum. In illum enim credunt qui angustam viam vadunt ducentem ad vitam: qui autem credunt signis, non in eum, sed in nomine eius credunt.

Chrysostomus. vel hoc dicit, quia non confidebat in eis ut in discipulis perfectis, neque committebat eis omnia dogmata, ut iam firmiter fidelibus fratribus: non enim intendebat exterioribus verbis, ad mentem eorum intrans, et tempus opportunum manifeste sciens; unde sequitur eo quod ipse nosset omnes, et quia opus non erat ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat quid esset in homine. Scire enim ea quae sunt in corde hominum, est Dei, qui solus corda plasmavit. Non indiget ergo testibus, ut propriorum plasmatum mentem addiscat.

Augustinus. Plus etiam noverat artifex quid esset in opere suo, quam ipsum opus quid esset in semetipso. Nam et petrus non noverat quid in ipso esset quando dixit: tecum ero usque ad mortem; sed dominus noverat quid esset in homine, dicens: priusquam gallus cantet, ter me negabis.

Beda. Quapropter monemur ut nunquam de conscientia nostra securi simus, sed semper solliciti formidemus: quia quod nos latet, aeternum arbitrum latere non valet.

IOANNES 3,1-3

12301 (*Jn 3,1-3*)

Augustinus in Ioannem. Superius dixerat quod, cum esset hierosolymis... Multi crediderunt in nomine eius, videntes signa et prodigia quae faciebat; ex his autem erat nicodemus, de quo dicitur erat autem homo ex pharisaeis nicodemus nomine.

Beda. cuius etiam dignitatis officium ostendit, cum subditur princeps iudaeorum; deinde quid egerit, cum subiecit hic venit ad iesum nocte, cupiens scilicet secreta eius allocutione plenius discere mysteria fidei, cuius, aperta ostensione signorum, iam rudimenta perceperat.

Chrysostomus in Ioannem. adhuc tamen a iudaica detinebatur infirmitate: propterea et nocte venit, trepidans in die hoc facere; unde et evangelista alibi dicit: quoniam ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter iudaeos non confitebantur, ut non extra synagogam fierent expulsi.

Augustinus. nicodemus etiam ex illo numero erat qui crediderunt, sed nondum renati sunt: unde hoc ad rem pertinet quod in nocte venit. Renati autem ex aqua et spiritu sancto, audiunt ab apostolo: fuistis aliquando tenebrae, nunc autem lux in domino. Haymo. vel pulchre in nocte venisse dicitur, quia tenebris ignorantiae obnubilatus, ad tantam lucem nondum pervenerat ut perfecte Deum verum crederet: nox enim in sacro eloquio pro ignorantia ponitur; unde subditur et dixit ei: rabbi, scimus quia a Deo venisti magister. quod autem hebraice rabbi, latine dicitur magister. Magistrum ergo appellat, et Deum tacet: quia credebat eum a Deo missum, sed tamen, ut dictum est, Deum non agnoscebat.

Augustinus. unde autem iste crediderat, patet per id quod subdit nemo enim potest haec signa facere quae tu facis, nisi fuerit deus cum eo. Sic ergo nicodemus de illis multis erat qui crediderant in nomine eius, videntes signa quae faciebat.

Chrysostomus in Ioannem. Sed tamen neque a signis aliquid magnum existimabat de eo; sed adhuc humanam habens de eo mentem, ut de propheta loquitur, ad operationem eum missum dicens, et alieno auxilio indigentem haec agere quae agebat; cum tamen pater perfectum eum genuerit, et sufficientem sibi ipsi, et nihil habentem imperfectum. Quia vero Christi studium erat interim non ita dignitatem suam revelare, sicut persuadere quod nihil ex adverso agebat patri: propterea in verbis multoties humiliter loquens videtur, in rebus autem cum potestate omnia operatur. ideoque et nicodemo nunc manifeste quidem nihil excelsum loquitur de se ipso; occulte autem ab humili eum opinione reducit, docens quod sufficiens sibi ipse est in miraculorum operatione; unde subditur respondit iesus, et dixit ei: amen, amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei.

Augustinus. Isti sunt ergo quibus se credit iesus qui nati fuerint denuo, qui non in nocte veniunt ad iesum, sicut nicodemus; tales enim iam etiam profitentur. Dicit ergo nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei; quasi dicat: quia nondum es natus denuo, idest ex Deo, spirituali generatione, notitia quam habes de me, spiritualis non est, sed animalis et humana. Ego autem dico tibi, quod sive tu, sive alius quicumque, nisi ex Deo denuo natus fuerit, non poterit apprehendere gloriam quae circa me est; sed extra regnum erit; nam generatio quae per baptismum fit, illuminationem animae tribuit.

Chrysostomus. vel littera talis est: amen, amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit, etc.; hoc est, si tu non natus fueris desuper, et dogmatum susceperis certitudinem alicubi, extra erras, et longe es a regno caelorum; seipsum hic ostendens, et indicans quoniam non est hoc tantum quod videtur: sed aliis oculis opus est ad videndum eum. Hoc autem quod dicit desuper, hi quidem, idest de caelo, exponunt; alii vero, a principio. Igitur iudaei quidem si hoc audissent, deridentes utique discessissent; hic vero et in hoc amorem discipuli ostendit quod a Christo ulterius interrogat.

IOANNES 3,4-8

12304 (*Jn 3,4-8*)

Chrysostomus in Ioannem. veniens nicodemus ad iesum ut ad hominem, audiens maiora quam ab homine, erigitur ad altitudinem eorum quae dicuntur, non quidem excidens a fide; sed infert hanc impossibilitatem, ut in apertiore provocet doctrinam. Duo autem erant quae admirabatur: scilicet nativitas talis et regnum: neque enim audita erant apud iudaeos. Sed interim circa prius instat, et quod maxime eius mentem concutiebat; unde dicitur dicit ad eum nicodemus: quomodo potest homo nasci, cum sit senex? numquid potest in ventrem matris suae iterato introire, et renasci? **Beda**. Sic verba ista sonare videntur, quasi puer queat iterato in ventrem matris introire et renasci. Sed sciendum, quod ipse senex erat; ideoque de se protulit exemplum; ac si diceret: ego sum senex et meam quaero salutem: quomodo possum in ventrem matris introire et renasci? **Chrysostomus**. Rabbi eum vocas, et a Deo venisse dicis; et non suscipis quae dicuntur, sed loqueris ad magistrum dictionem quae multam perturbationem inducit; hoc enim, scilicet quomodo quaerere, eorum est qui non valide credunt, et multi sic quaerentes, a fide deciderunt; hi quidem dicentes: quomodo deus est incarnatus? alii: quomodo mansit impassibilis? propterea et hic propter anxietatem modum exquirat. Sed cum aliquis cogitationibus propriis spiritualia evertit, derisibilia loquitur.

Augustinus in Ioannem. Spiritus enim loquitur, et ille carnem sapit: non noverat iste nisi unam nativitatem, scilicet ex adam et eva; et ex Deo et ecclesia nondum noverat. Sic tamen tu intellige nativitatem spiritus quomodo intellexit nicodemus nativitatem carnis: quomodo enim uterus non potest repeti, sic nec baptismus.

Chrysostomus in Ioannem. Nicodemo autem decidenti ad eam quae hic est nativitatem, Christus manifestius revelat spiritualis nativitatis modum; unde sequitur respondit iesus: amen, amen dico tibi: nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.

Augustinus in Ioannem. ac si dicat: tu carnalem generationem intelligis; sed ex aqua et spiritu oportet quod nascatur homo propter regnum Dei. Si propter haereditatem patris hominis temporalem nascitur aliquis ex visceribus matris carnalis; et propter haereditatem patris Dei sempiternam nascatur ex visceribus ecclesiae. Cum autem ex duobus homo consistat, ex corpore videlicet et anima, duplicem habet et huiusmodi modum generationis; aqua enim quae visibilis est, ad emundationem corporis intelligitur: spiritus vero invisibiliter concurrens, ad emundationem invisibilis animae innuitur.

Chrysostomus. si vero quis interrogat: qualiter ab aqua homo nascitur? interrogo et ego: qualiter natus est adam a terra? sicut enim in principio subiciebatur elementum terra, totum vero opus plasmantis erat; ita et nunc subicitur elementum aqua, totum vero est spiritus gratiae. Tunc paradysum dedit in conversationem; nunc autem caelum nobis aperuit. Sed quae est necessitas aquae his qui spiritum sanctum suscipiunt? divina enim in ea perficiuntur symbola, sepultura et mortificatio, resurrectio et vita. Sicut enim in quodam sepulchro, in aqua nobis submergentibus capita, vetus homo sepelitur, et submersus deorsum occultatur, deinde novus rursus ascendit. Hoc etiam fit, ut discas quoniam virtus patris et filii et spiritus sancti omnia complet, et quod Christus tres dies ad resurgendum expectavit. quod igitur est matrix fetui, hoc est fideli aqua: in aqua enim plasmatur, et figuratur; sed quod in matrice plasmatur, tempore indiget: quod vero in aqua, non ita, sed in uno momento omnia fiunt. talis enim est natura corporum ut tempore assumant perfectionem; in spiritualibus vero non est ita; quoniam perfecta a principio constituuntur quae fiunt. Ex quo igitur ascendit a iordane dominus, non adhuc reptilia animarum viventium, sed animas spirituales et rationabiles aqua reddit.

Augustinus de bapt. Parv.. Sed quia non ait nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non habebit salutem, vel vitam aeternam; sed non intrabit in regnum Dei; ad hoc, inquit quidam, parvuli baptizandi sunt, ut sint cum Christo in regno Dei, ubi non erunt, si baptizati non fuerint; quamvis et sine baptismo si parvuli moriantur, salutem vitamque aeternam habituri sint, quoniam nullo peccati vinculo astricti sunt. Sed cur nascatur denuo, nisi renovandus a vetustate? aut unde imago Dei non intrat in regnum Dei, nisi impedimento prohibente peccati? haymo. Talia autem ac tanta secreta mysteria nicodemo capere non valenti dominus ex carnali nativitate similitudinem dedit, dicens quod natum est ex carne, caro est; et quod natum est ex spiritu, spiritus est: sicut enim caro carnem procreat, ita quoque spiritus spiritum parit.

Chrysostomus in Ioannem. Nihil igitur sensibilibus inquiras, neque aestimes quod carnem generet spiritus: domini enim caro genita est non quidem a spiritu solum sed etiam a carne. Quod autem natum est ex spiritu, spirituale est. Nativitatem enim hic non eam quae secundum substantiam, dicit, sed eam quae secundum honorem et gratiam. si igitur et filius Dei ita natus est, quid plus habebit omnibus qui ita nati sunt? invenietur autem et spiritu minor, cum eius nativitas gratia spiritus sit. Et quomodo haec a iudaicis distant dogmatibus? vide autem et spiritus sancti dignitatem: Dei enim opus videtur facere. supra enim dixit, quoniam ex Deo nati sunt; hic autem quoniam spiritus eos generat. Dicens autem Christus, quoniam qui natus est ex spiritu, spiritus est, quia turbatum rursus vidit, ad sensibile exemplum ducit sermonem, dicens non mireris quia dixi tibi: oportet vos nasci denuo. Dicendo enim ne mireris, ostendit animi eius turbationem.

Ponit autem exemplum quod neque communionem aliquam ad corporum grossitiem habet, neque ad incorporeorum perveniens naturam, quod est venti delatio, dicens spiritus ubi vult spirat, et vocem eius audis: sed nescis unde veniat aut quo vadat. sic est omnis qui natus est ex spiritu. quod dicit, tale est. Si ventum nullus detinet, sed quo vult fertur: multo magis spiritus actionem, naturae leges detinere non poterunt, non terminus corporalis nativitatis, neque aliud quid talium. Quoniam autem de vento hic dictum est, manifestat illud quod dicit vocem eius audis, idest sonitum percussionis; non enim loquens infideli et nescienti spiritus actionem hoc diceret. Dicit autem ubi vult spirat, non quasi electionem quamdam vento habente, sed eam quae a natura est motionem, quae non prohibetur, et cum potestate fit. Et nescis unde veniat, aut quo vadat; idest, si huius spiritus, cuius sensum suscipis auditu et tactu, interpretari nescis viam, qualiter divini spiritus operationem scrutaris? unde subdit sic est omnis qui natus est ex spiritu.

Augustinus in Ioannem. Sed quis nostrum non videat verbi gratia austrum euntem a meridie ad aquilonem, aut alium ventum venientem ab oriente et occidente? quomodo ergo nescimus unde veniat aut quo eat? **Beda**. Spiritus igitur sanctus est qui ubi vult spirat, quia ipse in potestate habet cuius cor gratia suae visitationis illustret. et vocem eius audis, cum te praesente loquitur is qui spiritu sancto repletus est.

Augustinus. Sonat psalmus, sonat evangelium, sonat sermo divinus, vox spiritus est. Hoc igitur dicit, quia verbo et sacramento invisibiliter adest spiritus sanctus, ut nascamur.

Alcuinus. ergo nescis unde veniat aut quo vadat; quia etsi te praesente spiritus ad horam quempiam repleverit, non potest videri quomodo in eum intraverit, vel quomodo redierit, quia natura est invisibilis. Haymo. sive nescis unde veniat, quia quomodo credentes ad fidem introducat ignoras; vel quo vadat, quia quomodo fideles ad spem perducatur nescis; et sic est omnis qui natus est ex spiritu; ac si dicat: spiritus sanctus spiritus invisibilis est; ita et quisquis ex spiritu nascitur, invisibiliter nascitur.

Augustinus. vel aliter. Et si tu nascaris de spiritu, hoc eris, ut ille qui non est natus adhuc de spiritu, nesciat unde venias aut quo eas; hoc enim secutus ait sic est omnis qui natus est ex spiritu.

Theophylactus. confundatur ergo macedonius impugnator spiritus, qui servum spiritum sanctum asseruit: spiritus enim sanctus propria potestate et ubi vult, et qualiter vult operatur.

IOANNES 3,9-12

12309 (Jn 3,9-12)

Haymo. Mysteria divinae maiestatis nicodemus capere non valet quae a domino audiebat: et ideo rationem quaerens, factum non abnegans, non voto reprehendentis, sed affectu discentis dominum interrogat; unde dicitur respondit nicodemus, et dixit ei: quomodo possunt haec fieri? **Chrysostomus** in Ioannem. Quia igitur adhuc in iudaica vilitate manet, et exemplo ita manifesto dicto ei, adhuc interrogat, de reliquo asperius ad eum Christus loquitur; unde sequitur respondit et dixit ei: tu es magister in israel, et haec ignoras?

Augustinus in Ioannem. Quid putamus? dominum huic magistro iudaeorum quasi insultare voluisse? volebat quidem illum nasci de spiritu: nemo autem ex spiritu nascitur nisi humilis fuerit, quia ipsa humilitas facit nos nasci de spiritu. ille autem magisterio inflatus erat, et alicuius momenti sibi esse videbatur, quia doctor erat iudaeorum. Deponit ergo dominus superbiam eius, ut possit nasci de spiritu.

Chrysostomus. Nequaquam tamen nequitiam accusat viri, sed insipientiam et ruditatem solum. Sed dicit aliquis: quid commune habet haec nativitas, de qua scilicet Christus locutus est, ad iudaica dogmata? habet quidem commune: nam qui primus homo factus est, et quae de costa facta est mulier, et quae steriles genuerunt, et quae per aquam miracula perfecta sunt: dico autem, quod elisaeus de aqua ferrum eduxit, et quod iudaei mare rubrum transierunt, et quod naaman syrus in iordane purgatus est: haec omnia nativitatem spiritualem et purgamentum in ea futurum figuraliter personabant; et ea quae a prophetis sunt dicta, occulte ostendunt hunc nativitatis modum; ut puta illud: renovabitur ut aquilae iuventus tua; et: beati quorum remissae sunt iniquitates. Sed et isaac figura huius nativitatis erat. Haec igitur rememorans dixit tu es magister in israel, et haec ignoras? rursus autem aliunde suum sermonem ei credibilem facit, ad imbecillitatem eius condescendens, cum subdit amen, amen dico tibi, quia quod scimus loquimur, et quod vidimus testamur, et testimonium nostrum non accipitis. apud nos visus aliis sensibus certior est; et si volumus aliquem facere credere, ita dicimus, quoniam oculis nostris vidimus. propterea Christus humano loquens ad eum sermone, non visum sensibilem inducit; sed manifestum est quod de certissima cognitione et non aliter se habente loquitur. Igitur hoc quidem, idest quod scimus, ait de seipso solo. Haymo. quaeritur autem quare pluraliter dicat quod scimus loquimur. Ad quod dicendum, quod unigenitus Dei filius erat qui hoc loquebatur; ostendens qualiter pater est in filio, et filius in patre, et spiritus sanctus ab utroque

indivisibilis procedat.

Alcuinus. Vel dicit pluraliter, ac si dicat: ego et illi qui modo spiritu sunt renati, intelligimus illud quod loquimur; et quod vidimus apud patrem in abscondito, hoc testamur foris in mundo; et vos, qui carnales estis et superbi, non accipitis testimonium nostrum.

Theophylactus. quod nequaquam de nicodemo dicit, sed de genere iudaeorum, qui usque ad finem in perfidia permanserunt.

Chrysostomus in Ioannem. Quod quidem non turbati verbum est, sed mansuetudinem ostendit. Hinc enim erudit nos, cum ad aliquos locuti fuimus et non persuaserimus, non tristari neque irasci, sed nostrum sermonem credibilem facere, non solum non irascendo, sed etiam non clamando; materia enim irae clamor est. Iesus autem dogmata excelsa tangere debens, propter audientium infirmitatem se detinet multoties; et non continue dignis sua magnitudine dogmatibus immoratur, sed magis his quae condescensionem habent; unde hic subditur si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo si dixerero vobis caelestia, credetis?

Augustinus. hoc est, si non creditis quia templum possum suscitare deiectum a vobis, quomodo credetis quia per spiritum sanctum possunt homines regenerari? **Chrysostomus** in Ioannem. Vel aliter. si baptismum terrenum dicat, non mireris, quia in terra perficitur, et comparatione illius nativitatis stupendae quae est ex substantia patris, terrena est gratiae nativitas. Et bene non dixit: non intelligitis; sed non creditis: nam cum quis aliqua per intellectum suscipere non valet, amentiae vel ignorantiae imputatur; cum autem hoc non suscipiat aliquis quod solum fide oportet suscipere, non amentiae sed infidelitatis est accusatio. Dicebantur autem haec, etsi non credebantur, quia posterius erant ea suscepturi.

IOANNES 3,13

12313 (Jn 3,13)

Augustinus de peccat. Mer. Et remiss.. notata paululum eius imperitia qui se ceteris de magisterio praefererat, et omnium talium incredulitate reprehensa, respondet quod alii credant, si illi non credunt ad illud quod interrogatus est quomodo possunt ista fieri? dicens et nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo, filius hominis qui est in caelo; quasi dicat: sic fiet generatio spiritualis, ut sint caelestes homines ex terrenis; quod adipisci non poterunt nisi membra mea efficiantur, ut ipse ascendat qui descendit, non aliud deputans corpus suum, id est ecclesiam suam, quam seipsum.

Gregorius moralium. Quia enim nos unum cum illo iam facti sumus, unde solus venit in se, solus redit etiam in nobis; et is qui in caelo semper est, ad caelum quotidie ascendit.

Augustinus. quamvis autem in terra factus sit filius hominis, divinitatem tamen suam, qua in caelo manens, descendit ad terram, non indignam censuit nomine filii hominis, sicut carnem suam dignatus est nomine filii Dei. Per unitatem enim personae, qua utraque substantia unus est Christus; et filius Dei ambulabat in terra, et idem ipse filius hominis manebat in caelo. Fit ergo credibiliorum fides ex incredibilioribus creditis. Si enim divina substantia longe distantior potuit propter nos ita suscipere humanam substantiam, ut una persona fieret; quanto credibilior alii sancti fiunt cum homine Christo unus Christus, ut omnibus per gratiam ascendentibus, ipse unus ascendat in caelum qui de caelo descendit? **Chrysostomus** in Ioannem. vel aliter. Quia dixerat nicodemus scimus quoniam a Deo venisti magister, ne aestimetur ita esse magister ut multi prophetarum de terra existentes, subiungit et nemo ascendit in caelum nisi qui descendit de caelo, filius hominis qui est in caelo.

Theophylactus. Cum vero filium hominis descendisse de caelo audis, non putes quod de caelo caro descenderit: hoc enim haereticorum dogma est, qui docebant, quod Christus de caelo corpus sumpserat, et per virginem transierat.

Chrysostomus. Filium enim hominis non carnem hic vocavit, sed a minori substantia se totum nominavit: est enim ei consuetudo multoties a divinitate, multoties ab humanitate totum vocare.

Beda. si enim aliquis homo nudus de monte ad convallia descendat, et assumptis vestimentis et armis ad eundem montem ascendat, recte ipse idem qui prius descendit ascendisse perhibetur.

Hilarius de trin.. Vel quia de caelo descendit, conceptae de spiritu originis causa est: non enim corpori maria originem dedit, licet ad incrementa partumque corporis omne quod sexus sui est naturale contulerit. Quod vero hominis filius est, susceptae in virgine carnis est partus. quod autem in caelis est, naturae

semper permanentis potestas est, quae non ex infinitatis suae virtute in regionem definiti corporis coarctavit verbi Dei potestatem, et in forma servi manens ab omni intra extraque caeli mundique circulo, caeli ac mundi dominus non abfuit. Per hoc ergo et de caelo descendit, quia filius hominis est; et in caelis est, quia verbum caro factum, non amiserat manere quod verbum est.

Augustinus in Ioannem. Miraris autem quia hic erat, et in caelo. Tales fecit discipulos suos. Paulum audi dicentem: nostra conversatio in caelis est. si homo paulus ambulabat in terra et conversabatur in caelis, deus caeli et terrae non poterat esse in caelo et in terra? **Chrysostomus**. Vide autem, quia quod valde videtur excelsum, indignum est sua magnitudine: non enim solum in caelo est, sed ubique, et omnia replet. Sed adhuc ad imbecillitatem auditoris loquitur, paulatim eum reducere volens.

IOANNES 3,14

12314 (*Jn 3,14*)

Chrysostomus in Ioannem. quia dixerat beneficium baptismi, inducit huius causam, scilicet crucem, dicens et sicut moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.

Beda. Magistrum legis mosaicae ad spiritualem sensum eiusdem legis inducit, recordans veteris historiae, et hanc in figuram suae passionis atque humanae salvationis factam edisserens.

Augustinus de peccat. Mer. Et remiss.. Serpentum enim incursibus in deserto multi moriebantur; ac sic moyses ex praecepto domini exaltavit in deserto aeneum serpentem: hunc videntes sanabantur continuo. exaltatus serpens est mors Christi, eo significandi modo quo per efficientem id quod efficitur significatur. A serpente quippe mors venit, qui peccatum, quo mori meretur, homini persuasit; dominus autem in carnem suam non peccatum transtulit tamquam venenum serpentis, sed mortem, ut esset in similitudine carnis peccati poena sine culpa; unde in carne peccati et poena solveretur et culpa.

Theophylactus. videas ergo figuram ad veritatem: ibi enim serpentis similitudo speciem quidem bestiae habet, venenum autem non habet; sic et hic Christus a peccato liber, in similitudinem carnis peccati venit. Exaltari autem audiens, suspensionem intelligas in altum, ut sanctificaret aerem qui sanctificaverat terram ambulando in ea: intelligas etiam per exaltationem gloriam: nam illa crucis altitudo gloria Christi facta est: in quo enim iudicari voluit, in hoc huius mundi principem iudicavit. Adam enim iuste mortuus est, quia peccavit; dominus vero iniuste, quia peccatum non fecit. Postquam ergo devictum sustinuit, superavit illum qui eum tradidit morti, et sic liberavit adam a morte. Sed in hoc devictum se invenit: non enim potuit in cruce dominum contristare ut crucifigentes odiret; sed magis diligebat, et pro eis orabat. Sic igitur crux Christi eius exaltatio et gloria facta est.

Chrysostomus. Ideo etiam non dixit: pendere oportet filium hominis, sed exaltari, quia honestius hoc videbatur: unde et propter audientem et propter figuram hoc posuit; ut discas quoniam cognata sunt vetera novis; deinde ut cognoscas quoniam non invitus ad passionem venit; et adhuc ut discas quoniam multis hinc nascitur salus.

Augustinus. sicut ergo tunc qui conspiciebat exaltatum serpentem, a veneno sanabatur, et a morte liberabatur; sic nunc qui conformatur similitudini mortis Christi per fidem baptismumque eius, et a peccato per iustificationem, et a morte per resurrectionem liberatur; hoc est enim quod ait: ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Quid ergo opus est ut morti Christi per baptismum conformetur parvulus, si morsu serpentis non est omnino venenatus? **Chrysostomus**. attende autem, quod passionem obumbrate posuit, ne ex eius verbis fieret tristis auditor; fructum vero passionis posuit manifeste. Si enim qui credunt in crucifixum, non pereunt; multo magis qui crucifixus est, non perit.

Augustinus in Ioannem. Hoc autem interest inter figuratam imaginem et rem ipsam, quod illi sanabantur a morte ad temporalem vitam; hi autem, ut habeant vitam aeternam.

IOANNES 3,15-18

12315 (*Jn 3,15-18*)

Chrysostomus in Ioannem. quia dixerat oportet exaltari filium hominis, quo mortem occulte significavit, ne auditor tristis ab his fieret verbis, humanum quid de eo suspicans, et mortem eius aestimans non esse

salutarem; hoc ad rectitudinem reducit, filium Dei dicens eum qui datur ad mortem, et mortem eius causam esse vitae aeternae; unde dicit sic enim deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam; quasi dicat: ne mireris quoniam ego debeo exaltari, ut vos salvemini: etenim et patri hoc videtur; qui ita nos dilexit, ut pro servis indevotis filium dederit. Dicendo autem sic deus dilexit mundum, multam indicat amoris intensionem. Multa enim est et infinita distantia: qui enim immortalis, qui sine principio, qui magnitudo infinita, eos qui sunt ex terra et cinere, infinitis plenos peccatis dilexit. Sed et ea quae post hoc ponit, ostensiva sunt magni amoris: non enim servum, non angelum, non archangelum dedit, sed filium suum. Rursus, si filios plures habuisset et dedisset unum, hoc etiam esset maximum; nunc vero filium unicum dedit; unde subdit unigenitum. **Hilarius** de trin.. Sed si dilectionis hinc fides est creaturam creaturae praestitisse, non facit magni meriti fidem vilis et spernenda iactura. Pretiosa autem sunt quae commendant caritatem, et ingentia ingentibus aestimantur. Deus diligens mundum, filium non adoptivum, sed suum et unigenitum dedit. Hic proprietatis est, nativitas est, veritas est; non creatio est, non adoptio est, non falsitas est: hic dilectionis et caritatis fides est, ut ad mundi salutem et filium suum et unigenitum praestitisset.

Theophylactus. videtur autem mihi quod, sicut dixit superius, quod filius hominis descendit de caelo, cum caro de caelo non descenderit; sed propter unam personam in Christo, quae Dei sunt attribuit homini: sed et nunc e converso, quae sunt hominis, verbo Dei appropriat: etenim deus Dei filius impassibilis mansit; sed quia unus erat secundum hypostasim Dei filius et homo qui passionem sustinuit; filius dari dicitur in mortem, qui passibiliter patiebatur, non natura propria, sed carne propria. est autem maxima utilitas consecuta ex huiusmodi datione, mentem excedens humanam; sequitur enim ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Vetus namque testamentum his qui servabant illud, dierum longitudinem promittebat; evangelium vero aeternam et insolubilem vitam.

Augustinus. Notandum vero, quod eadem de filio Dei unigenito replicat quae de filio hominis in cruce exaltato praemiserat, dicens ut omnis qui credit in eum; quia idem redemptor et conditor noster filius Dei ante saecula existens, filius hominis factus est in fine saeculorum; ut qui per divinitatis suae potentiam nos creaverat ad perfruendam beatitudinem perennis vitae, ipse per fragilitatem humanitatis nostrae nos restauraret ad percipiendam quam perdidimus vitam.

Alcuinus. Vere autem per filium Dei habebit mundus vitam; quia non alia de causa venit in mundum nisi ut salvet mundum; unde sequitur non enim misit deus filium suum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.

Augustinus in Ioannem. Quare enim salvator mundi dictus est, nisi ut salvet mundum? ergo quantum in medico est, sanare venit aegrotum. Ipse se interimit qui praecepta medici servare non vult, aut contemnit.

Chrysostomus in Ioannem. sed quia hoc dicit, multi pigrorum in peccatorum magnitudine, et negligentiae superabundantia, Dei abutentes misericordia, dicunt: non est gehenna, non est supplicium; omnia nobis deus peccata dimittit. sed considerandum, quod duo sunt Christi adventus: qui iam factus est, et qui futurus. Et prior quidem factus est, non ut iudicet quae facta sunt a nobis, sed ut dimittat. Secundus autem, non ut dimittat, sed ut iudicet. De priori igitur ait: non veni ut iudicem mundum; quia enim clemens est, non facit iudicium, sed interim remissionem omnium peccatorum per baptismum primo, et postea per poenitentiam; quia si hoc modo non fecisset, universi simul perdit essent: omnes enim peccaverunt et egent gratia Dei. ne igitur aliquis crederet se impune peccare, subdit de poena non credentis qui credit in eum, non iudicatur. qui credit, inquit, non qui investigat. quid igitur si immundam habeat vitam? maxime quidem paulus tales non fideles esse dicit: confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Sed hoc illud significat: quia secundum hoc qui credit, non iudicatur; sed operum quidem graviorem sustinebit poenam; infidelitatis autem causa non torquebitur.

Alcuinus. Vel qui credit in eum et adhaeret ei ut membrum capiti, non iudicabitur.

Augustinus. Quid autem dicturum sperabas de eo qui non credit, nisi quod iudicatur? sed vide quid dicit: qui autem non credit, iam iudicatus est. Nondum apparuit iudicium, sed iam factum est iudicium. Novit enim dominus qui sunt eius; novit qui permaneant ad coronam et qui permaneant ad flammam.

Chrysostomus. Aut hoc dicit, quia ipsum discredere impenitentis supplicium est: esse enim extra lumen, etiam secundum se, maximum supplicium est. Vel quod futurum est praenuntiat. sicut enim qui occidit hominem, etsi nondum sententia iudicantis condemnatus sit, rei tamen natura condemnatus est; ita et qui incredulus est; sicut et adam qua die comedit de ligno, mortuus est.

Gregorius moralium. Vel aliter. In extremo iudicio aliqui non iudicantur et pereunt, de quibus hic dicitur qui non credit, iam iudicatus est. Non enim eorum tunc causa discutitur qui a conspectu districti iudicis iam cum

damnatione suae infidelitatis abscedunt. Professionem vero fidei retinentes, sed professionis opera non habentes, redarguuntur ut pereant. Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem iudicis in extrema examinatione non audiunt: quia praeiudicati in infidelitatis suae tenebris, eius quem despexerant invectione argui non merentur. princeps namque terrenam rempublicam regens aliter punit civem interius delinquentem, atque aliter hostem exterius rebellantem. in isto iura sua consulit; contra hostem vero bella movet, dignaque eius malitiae tormenta retribuit; de malo vero eius quid lex habeat non requirit; neque enim lege necesse est perimi eum qui lege numquam potuit teneri.

Alcuinus. quare autem iudicatus est qui non credit, causam assignat dicens quia non credit in nomine unigeniti filii Dei. In hoc enim solo nomine est salus. Non habet deus multos filios qui possint salvare; hunc habet unigenitum, per quem salvat.

Augustinus de peccat. Mer. Et remiss.. ubi ergo parvulos ponimus baptizatos, nisi inter eos qui crediderunt? hoc enim eis acquiritur per virtutem sacramenti et offerentium responsionem; ac per hoc eos qui baptizati non sunt, inter eos qui non crediderunt, statuimus.

IOANNES 3,19-21

12319 (Jn 3,19-21)

Alcuinus. Reddit causam quare non crediderunt, et quare iuste damnantur, dicens hoc est autem iudicium, quia lux venit in mundum.

Chrysostomus in Ioannem. quasi dicat: numquid ipsi eam quaesierunt vel laboraverunt ut invenirent? ipsa lux venit ad eos, nec ei occurrerunt; unde sequitur et dilexerunt homines magis tenebras quam lucem. Hic de reliquo omni eos privat excusatione: venit enim eripere a tenebris, et ad lucem ducere. Quis ergo eius qui non vult ad lucem accedere, miserebitur? **Beda**. lucem seipsum appellat, de qua evangelista dixit: erat lux vera. Tenebras vero appellat peccata. deinde, quia videbatur multis esse incredibile quod dictum est (nullus enim tenebras praeonorat luci), subdit causam quare haec passi sunt, dicens erant enim eorum opera mala. Et si quidem in iudicium venisset, haberet hoc aliquam rationem; qui enim malorum sibi conscius est, fugere iudicem consuevit; parcenti vero, qui dereliquerunt occurrunt. Decens igitur erat eos qui multorum sibi ipsis erant conscii peccatorum, maxime Christo ad ignoscendum venienti occurrere; quod et in multis factum est; etenim publicani et peccatores venientes recumbebant cum iesu. quia vero quidam sunt ita molles ad eos qui pro virtute sunt labores, ut usque ad ultimum velint adhaerere malitiae; in horum iniuriam subdit omnis enim qui male agit, odit lucem: quod quidem dictum est de his qui eligunt in malitia manere.

Alcuinus. Quia omnis qui male agit, odit lucem; idest, qui est in intentione peccandi, cui placet peccatum, odit lucem, quae detegit peccatum.

Augustinus confess.. quia enim falli nolunt et fallere volunt, amant eam cum seipsam indicat, et oderunt eam cum eos ipsa lux indicat. Inde retribuetur eis, ut eos nolentes manifestet, et eis ipsa non sit manifesta. amant ergo veritatem lucentem, oderunt eam redarguentem; unde sequitur et non venit ad lucem, ut non arguantur opera eius.

Chrysostomus. Eum enim qui in paganismo vivit, nullus redarguit, quia deos tales habet, et digna dogmatibus opera demonstrat; qui vero Christi sunt male viventes ab omnibus rectis accusantur. Si autem gentiles sunt recte viventes, hoc manifeste non novi. non enim mihi dicas eos qui a natura sunt mites et honesti; non enim est hoc virtus; sed eum dic qui a passionibus sustinet violentiam, et sapienter vivit; sed non utique habes. Si enim regni enuntiatio, et gehennae minae, et alia tanta documenta vix detinent homines in virtute, nullo horum persuasi pertransibunt virtutem. si vero hypocrisis fingunt, gloriae gratia hoc faciunt: unde cum potuerint latere, non omittent uti malis desideriis. quae etiam utilitas est cum aliquis sobrius sit et non rapit, fit vero vanae gloriae servus? hoc enim non est recte vivere. inanis enim gloriae servus fornicario non minor est: multo enim plura et graviora operatur. Si autem quidam recte sunt viventes in gentilibus, non hoc adversatur huic sermoni: quia non frequenter contingit, sed raro.

Beda. Moraliter etiam illi magis tenebras quam lucem diligunt, qui suos praedicatores bene docentes odiis et detractionibus insequuntur. sequitur qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.

Chrysostomus. non autem de his qui ab initio facti sunt Christiani hoc dicit; sed tantum de his qui ex

gentibus vel iudaeis ad rectam transponendi erant fidem. Ostendit enim quoniam nullus utique eliget in errore vivens ad fidem venire, nisi prius inscribat sibi ipsi viam rectam.

Augustinus de peccat. Mer. Et remiss.. in Deo autem facta dicit opera eius qui venit ad lucem: quia intelligit iustificationem suam non ad sua merita, sed ad Dei gratiam pertinere.

Augustinus in Ioannem. sed si omnia opera deus mala invenit, quomodo quidam fecerunt veritatem, et venerunt ad lucem, idest ad Christum? sed dilexerunt tenebras magis quam lucem: ibi posuit vim. Multi dilexerunt peccata sua, multi ea confessi sunt. Accusat deus peccata tua: si et tu accuses, adiungeris Deo. oportet ut oderis in te opus tuum, et ames in te opus Dei. Initium operum bonorum confessio est operum malorum: et tunc facis veritatem, quia non te palpas, non tibi blandiris. Venis autem ad lucem, quia hoc ipsum quod tibi displicuit peccatum tuum, non tibi displiceret nisi deus tibi luceret, et eius veritas tibi ostenderet. facit autem aliquis veritatem confessionis, et venit ad lucem in operibus bonis, etiam propter illa quae videntur minuta esse peccata linguae aut cogitationum, aut immorationis in rebus concessis; quoniam minuta plura peccata, si negligantur, occidunt. Minutae sunt guttae quae flumen implent; minuta sunt grana arenae; sed si multa arena imponatur, arena premit atque opprimit. Hoc facit sentina neglecta, quod facit fluctus irruens paulatim. Per sentinam intrat; sed diu intrando et non exhauriendo mergit navem. quid est autem exhaurire, nisi bonis operibus agere ne obruant peccata, gemendo, ieiunando, tribuendo, ignoscendo?

IOANNES 3,22-26

12322 (Jn 3,22-26)

Chrysostomus in Ioannem. nihil veritate apertius neque fortius; quae neque latere vult, neque periculum formidat, neque insidiis tremit, neque gloriam quae a multis est desiderat, nulli humanorum obnoxia; unde et dominus in solemnitatibus ierusalem ascendebat; non se ostentans, neque honorem diligens, sed ut pluribus sua dogmata proponeret, et miraculorum utilitatem. Postquam autem solemnitates solvebantur, ad iordanem frequenter veniebat, quia et illic etiam turbae concurrerant; unde dicitur post haec venit iesus et discipuli eius in iudaeam terram, et illic demorabatur cum eis.

Beda. Dicit autem post haec, non continuo post disputationem cum nicodemo, quae facta est in hierosolymis, sed peracto spatio temporis de galilaea in iudaeam rediit.

Alcuinus. per iudaeam quidem significantur confitentes, quos visitat Christus: ubi enim est peccatorum confessio vel divinarum laudum, illuc venit Christus et discipuli eius, idest doctrina et illuminatio eius, et ibi moratur purgando a vitiis; unde sequitur et illic demorabatur cum eis, et baptizabat.

Chrysostomus. cum autem evangelista postmodum dicat quod iesus non baptizabat, sed discipuli eius, manifestum est quoniam et hic hoc dicit, quod soli discipuli baptizabant.

Augustinus in Ioannem. Baptizatus autem dominus baptizabat non eo baptismo quo baptizatus est: baptizatus est enim a servo, ostendens humilitatis viam, et perducens ad baptismum domini, hoc est suum. Baptizabat enim iesus quomodo dominus, quomodo Dei filius.

Beda. Christo autem iam baptizante, adhuc baptizat Ioannes; quia adhuc permanet umbra, nec debet praecursor cessare donec veritas manifestetur; unde sequitur erat autem Ioannes baptizans in aennon iuxta salim. Aennon hebraice aqua: unde quasi nominis interpretationem aperiens subdit quia aquae multae erant illic. Salim oppidum est iuxta iordanem situm, ubi olim melchisedech regnavit.

Hieronymus ad evagrium. Nec refert utrum salem aut salim nominetur, cum vocalibus in medio litteris perraro utantur hebraei, et pro voluntate lectorum ac regionum varietate, eadem verba diversis sonis atque accentibus proferantur. sequitur et veniebant, et baptizabantur.

Beda. Quantum catechumenis nondum baptizatis prodest doctrina fidei, tantum profuit baptisma Ioannis ante baptismum Christi: quia sicut ille praedicabat poenitentiam et baptismum Christi nuntiabat, et in cognitionem veritatis quae mundo apparuit attrahebat: sic ministri ecclesiae primo erudiunt venientes ad fidem, post peccata eorum redarguunt, deinde in baptismo Christi remissionem promittunt, et sic in cognitionem et dilectionem veritatis attrahunt.

Chrysostomus. Discipulis autem iesu baptizantibus, non cessavit Ioannes baptizans usque ad incarcerationem; quod significat evangelista cum subdit nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem.

Beda. Ecce aperte notat facta Christi ante Ioannem incarcerationem; quae alii praeterierunt, incipientes ab his quae post missum Ioannem in carcerem facta sunt.

Augustinus. Quare autem baptizabat Ioannes? quia oportebat ut dominus baptizaretur. Non solum autem baptizatus est ab eo, ne baptismus Ioannis melior baptismate domini videretur.

Chrysostomus in Ioannem. sed cuius gratia usque tunc baptizabat? si enim cessasset, aestimaretur zelo vel ira facere; sed persistens, non sibi ipsi gloriam acquirebat, sed Christo auditores mittebat. Et multo efficacius hoc faciebat quam discipuli Christi, quia insuspicabile eius erat testimonium, et maiorem gloriam apud omnes habebat; ideo etiam adhuc baptizabat, ne discipulos suos in ampliorem zelum immitteret. Aestimo autem et propter hoc permissam esse mortem Ioannis, et eo sublato de medio, Iesum maxime praedicare coepisse, ut omnis multitudinis affectio ad Christum transiret, et non ultra his quae de utroque erant sententiis scinderetur. zelotype enim se habentes discipuli Ioannis ad Christi discipulos et ad ipsum Christum, quia viderunt discipulos Christi baptizantes, coeperunt dicere ad eos qui baptizabantur, quasi aliquid maius haberet baptismus Ioannis baptismate discipulorum Christi; unde subditur facta est ergo quaestio ex discipulis Ioannis cum iudaeis de purificatione. Quoniam enim ipsi quaestionem moverunt, sed non iudaei, evangelista occulte monstrat, non dicens quod iudaeus quaesivit, sed quod quaestio facta est ex discipulis Ioannis.

Augustinus. intelligas ergo dixisse iudaeos maiorem esse Christum, et ad eius baptismum debere concurrere; illi autem nondum intelligentes defendebant baptismum Ioannis. ventum est ergo ad ipsum Ioannem, ut solveret quaestionem; unde sequitur et venerunt ad Ioannem, et dixerunt ei: rabbi, qui erat tecum trans iordanem... ecce baptizat.

Chrysostomus. hoc est: quem tu baptizasti. Non autem dixerunt: quem tu baptizasti: quia coacti essent et vocis eius meminisse quae super eum est delata; sed dicunt qui erat tecum, quasi qui discipuli ordinem habebat, nihil plus habens nobis, nunc se a te separans baptizat. Addunt autem cui etiam testimonium perhibuisti; quasi dicant: quem tu clarum ostendisti, et circumspicere fecisti, eadem tibi audet: et hoc est quod dicunt ecce hic baptizat. Non autem in hoc solum aestimabant se excitare eum, sed et in eo quod de reliquo ea quae ipsorum erant reprobabantur; unde subdunt et omnes veniunt ad eum.

Alcuinus. Quasi dicant: te dimisso omnes currunt ad baptismum illius quem tu baptizasti.

IOANNES 3,27-30

12327 (Jn 3,27-30)

Chrysostomus in Ioannem. interrogatus Ioannes, non vehementer discipulos increpat, timens ne ab eo separati, aliquid aliud operentur; sed remisit quodammodo eis loquitur; unde dicitur respondit Ioannes, et dixit eis: non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de caelo: quasi dicat: etsi praeclara sunt quae Christi sunt, etsi omnes ad eum currunt, mirari non oportet: deus enim est qui hoc facit. Humana enim facile deprehensibilia sunt, et imbecillia, et velociter defluunt; haec autem non talia sunt: non ergo sunt humanitas adinventata, sed divinitus ordinata. Si autem humilius loquitur de Christo, non mireris: non enim erat conveniens quod praesumptos a tali passione, scilicet invidiae, ab initio doceret omnia; sed interim vult eos terrere, ostendens quod ad impossibilia conantur, et quod Deo rebelles inveniuntur.

Augustinus in Ioannem. Vel aliter. hoc Ioannes de seipso dicit: quasi homo de caelo accepi: ergo quia accepi ut aliquid essem, inanem me vultis esse, ut loquar contra veritatem? **Chrysostomus.** et vide quia hoc quod aestimabant proponi in Christi subversione, quando dixerunt cui testimonium perhibuisti, hoc in eos convertit, dicens ipsi vos mihi testimonium perhibetis, quod dixerim: non sum ego Christus; quasi dicat: si verum meum testimonium aestimatis, dicite quoniam illum mihi praehonorare oportet; unde subdit sed quoniam missus sum ante illum; quasi dicat: minister sum, et ea quae sunt eius qui me misit dico, non humana gratia blandiens ei, sed patri eius qui me misit, ministrans.

Alcuinus. sed si aliquis dicat: quandoquidem tu non es Christus, quis ergo es tu? vel: quis est ille cui perhibes testimonium? ad hoc respondet: ille est sponsus; ego sum amicus sponsi, missus ut per me sponsa praepararetur suo sponso; unde subditur qui habet sponsam, sponsus est. sponsam dicit ecclesiam ex omnibus gentibus congregatam, quae virgo est integritate mentis, perfectione caritatis, unitate catholicae fidei, concordia pacis, integritate animae et corporis; quae habet sponsum, de quo quotidie generat.

Beda. Ceterum frustra est virgo corpore quae virgo non manet in mente. Hanc autem sponsam Christus in thalamo uteri virginalis sibi sociavit, et eandem pretio sui sanguinis redemit.

Theophylactus. Omnis etiam animae sponsus Christus est; sponsalium vero locus, ubi coniunctio efficitur, locus est baptismatis, sive ecclesia. Dat vero arrham sponsae, peccatorum remissionem, spiritus sancti communionem; perfectiora vero in futuro saeculo retribuet dignis. Nullus autem alius est sponsus nisi solus Christus: omnes namque doctores paranympsi existunt, sicut et praecursor. nullus enim bonorum largitor est nisi dominus: omnes alii ministri sunt bonorum, quae dantur a domino.

Beda. sponsam igitur suam dominus amico suo, idest ordini praedicatorum, commendavit; qui eam non sibi, sed Christo zelare debet; unde subditur amicus autem sponsi, qui stat et audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi.

Augustinus. Quasi dicat: non est mea sponsa. Sed numquid non gaudes in nuptiis? immo gaudeo, ait, quia sum amicus sponsi.

Chrysostomus. sed qualiter qui dixit: non sum dignus solvere corrigiam calceamenti, amicum nunc seipsum dicit? non quidem propter honoris aequalitatem, sed multitudinem gaudii repraesentare volens. Non enim in talibus ita ministri sponsi laetantur sicut amici. Simul autem et condescendens eorum imbecillitati amicum se dicit: quia enim aestimabant eum morderi ab his quae fiebant, ostendit quod non solum non mordetur, sed et valde gaudet, si sponsum sponsa cognoscit.

Augustinus. Sed quare stat? quia non cadit, quia humilis est. Vide stantem in solido. Non sum dignus corrigiam calceamenti ei solvere. stat autem, et audit eum. Si ergo cadit, non audit eum: ergo stare debet amicus sponsi et audire, idest permanere in gratia quam accepit, et audire vocem ad quam gaudeat. Non, inquit, gaudeo propter vocem meam, sed propter vocem sponsi gaudeo: ego in audiendo, ille in dicendo; ego auris, ille verbum. Qui enim custodit sponsam vel uxorem amici sui dat quidem operam ut nullus alius ametur; sed si amari se pro amico voluerit, et uti voluerit commendata sibi, quam detestandus universo generi humano apparet? multos autem adulteros video, qui sponsam tanto pretio emptam possidere volunt, et id agunt verbis suis ut pro sponso amentur.

Chrysostomus. Vel aliter. Quod dicit qui stat, non sine causa posuit; sed indicans quod quae sua sunt, iam cessaverunt, et quoniam eum de reliquo stare oportet et audire: quod quidem dicit, a parabola sermonem transferens ad propositum: quia enim sponsi et sponsae mentionem fecerat, ostendit qualiter haec sponsalia fiant, quia per vocem et doctrinam: fides enim est ex auditu; auditus autem per verbum Dei. et quoniam ea quae speraverat evenerunt, idcirco subdit in hoc autem gaudium meum impletum est; idest, perfectum est a me opus quod fieri oportebat, et plus nihil operari possum de reliquo.

Theophylactus. Unde nunc gaudeo, quod scilicet omnes illum attendunt. Si enim non accessisset ad sponsum sponsa, idest populus, tunc dolerem ego paranympsi.

Augustinus in Ioannem. Vel aliter. In hoc gaudium meum impletum est, ut scilicet gaudeam ad vocem sponsi. habeo gratiam meam; plus non mihi assumo, ne quod accepi amittam. Qui enim vult gaudere de se, tristis est; qui autem vult de Deo gaudere, semper gaudebit, quia deus sempiternus est.

Beda. Gaudio autem gaudet homo propter vocem sponsi, cum intelligit non se debere gaudere de sapientia sua, sed de sapientia quam accepit a domino. Quisquis enim in benefactis non gloriam suam vel laudem requirit, neque terrena lucra sed caelestia cupit, hic amicus est sponsi.

Chrysostomus in Ioannem. deinde non solum circa praesentia, sed etiam circa futura passionem invidiae a se removet, dicens illum oportet crescere, me autem minui; quasi dicat: quae nostra sunt, steterunt, et cessaverunt de reliquo; crescunt autem quae sunt illius.

Augustinus. sed quid est hoc illum oportet crescere? deus nec crescit, nec minuitur. Sed Ioannes et iesus, quod ad carnem attinet, coaevi erant: sex menses, qui intererant, nullam distinguunt aetatem. magnum est hoc sacramentum. Antequam veniret dominus, homines gloriabantur de se: venit ille homo, ut minueretur hominis gloria et augetur gloria Dei. Sic enim venit ille ut dimitteret peccata, et homo confiteretur: etenim confessio hominis, humilitas hominis, miseratio Dei, altitudo Dei. Hanc autem veritatem etiam passionibus significaverunt Christus et Ioannes: nam Ioannes capite minutus est, Christus autem in cruce exaltatus. Deinde natus est Christus, cum iam inciperent crescere dies; natus est Ioannes quando coeperant minui dies. Crescat ergo in nobis gloria Dei, et minuatur gloria nostra, ut in Deo crescat et nostra. Quanto autem magis intelligis Deum, videtur in te crescere deus; non autem in se crescit, sed semper perfectus est: sicut si curarentur alicuius oculi ex pristina caecitate, et inciperet videre paululum lucis, et alia die plus videret, videretur ei lux crescere; lux tamen perfecta est, sive ipse videat, sive non: sic enim et interior homo proficit quidem in Deo, et deus in illo videtur crescere; ipse autem minuitur, ut a gloria sua decidat, et in gloria Dei

surgat.

Theophylactus. vel aliter. Sicut aliorum luminarium, adveniente sole, lumen extinguere videtur, licet non sit secundum veritatem extinctum, sed a maiori occultatum; sic et praecursor tamquam stella a sole celatus, minui dicitur. Crescit autem Christus prout paulatim manifestat se per miracula: non quod in virtutibus cresceret aut proficeret (haec nempe nestorii est opinio), sed secundum ostensionem divinitatis eius.

IOANNES 3,31-32

12331 (Jn 3,31-32)

Chrysostomus in Ioannem. sicut vermis ligna corrodit et aerugo ferrum, ita vana gloria nutrientem se perdit animam; ideo multo studio opus est ut hanc destruamus passionem: unde Ioannes multis rationibus discipulos suos habentes passionem hanc, vix mitigat; post illa enim quae antea dixerat, rursus eos aliis disponit sermonibus, dicens qui desursum venit, super omnes est; quasi dicat: quia vos meum extollitis testimonium, et ex hoc dicitis me esse digniorem fide, eo scilicet cui testimonium perhibui; hoc necesse est vos scire, quod non est eum qui de caelis venit, fieri fide dignum ab eo qui terram habitat; et hoc est quod dicit super omnes est, quia ipse sibi sufficiens, et quod omnibus incomparabiliter maior est.

Theophylactus. Ipse enim Christus desursum venit a patre descendens, et super omnes est, distinctus ab omnibus.

Alcuinus. Vel desursum venit, id est de altitudine humanae naturae, quam habuit ante peccatum primi hominis: de illa enim altitudine assumpsit verbum Dei humanam naturam: non assumpsit culpam cuius assumpsit poenam. sequitur qui est de terra, de terra est, id est terrenus est, et de terra loquitur, id est terrena loquitur.

Chrysostomus. et nimirum non ex terra erant ei omnia: etenim animam habebat, et spiritum participabat non ex terra. Qualiter igitur ipse de terra se esse dicit? nihil aliud per hoc ostendit occulte quam quod parvus est, utpote humi reptans, et in terra natus, et nulla comparatione dignus ad Christum, qui nobis desuper venit. non autem dicit de terra loquitur, quoniam ex propria mente loquebatur; sed de terra se loqui dicit in comparatione ad Christi doctrinam; quasi dicat: parva et humilia sunt quae mea sunt, comparata his quae Christi sunt, qualia decens est suscipere terrestrem naturam in comparatione ad illum in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi.

Augustinus in Ioannem. vel quod dicit de terra loquitur, de homine dicebat quantum ad ipsum hominem pertinet. Si enim aliqua loquitur divina, illuminatus est a Deo; sicut apostolus dicit: non autem ego, sed gratia Dei mecum. Ergo Ioannes, et quod ad Ioannem pertinet, de terra est, et de terra loquitur: si quid divinum audivistis a Ioanne, illuminantis est, non recipientis.

Chrysostomus. extincta igitur discipulorum passione, de reliquo cum ampliori propalatione loquitur de Christo: nam ante hoc superfluum erat ista praemittere, in mente audientium locum habere nondum valentia; unde sequitur qui de caelo venit.

Augustinus. Idest, de patre venit, duobus modis super omnes est: primo super omnem humanitatem, qui de ipsa, priusquam peccaret, venit: secundo iuxta altitudinem patris, cui est aequalis.

Chrysostomus. magnum autem quid et excelsum dicens de Christo, rursus ad humilius ducit sermonem, dicens et quod vidit et audivit, hoc testatur. Quia scilicet per sensus hos omnia certissime discimus, et digni fide aestimamur esse magistri de his quae visu suscepimus, vel auditu apprehendimus; hoc de Christo astruere volens Ioannes dixit quod vidit et audivit, hoc testatur: ostendens, quod nihil eorum quae ab ipso dicebantur, falsum est, sed omnia vera sunt; quasi dicat: ego indigeo audire ea quae ab illo dicuntur qui desuper venit, annuntians ea quae vidit et audivit; id est, quae solus ipse manifeste novit.

Theophylactus. Cum ergo audis quod Christus ea quae audivit et vidit a patre, loquitur, non putes quod a patre indigeat addiscere; sed quia omnia quaecumque naturaliter novit, a patre habet, propter hoc a patre audire dicitur, quaecumque novit. sed quid est quod filius audivit a patre? forte filius, patris verbum audivit? immo filius patris verbum est.

Augustinus. quando concipis verbum quod proferas, rem vis dicere, et ipsa rei conceptio in corde tuo iam verbum est. Quomodo ergo tu verbum quod loqueris, in corde habes, et apud te est, sic deus edidit verbum;

hoc est, genuit filium. Cum ergo verbum Dei filius sit, filius autem locutus est nobis, non verbum suum, sed verbum patris se nobis loqui voluit, qui verbum patris loquebatur. Hoc ergo quomodo decuit et oportuit, dixit Ioannes.

IOANNES 3,32-36

12332 (Jn 3,32-36)

Chrysostomus in Ioannem. dixerat quod vidit, et audivit, hoc testatur; quasi excusans, ne quia pauci interim credituri erant, falsa aestimarentur esse quae dicuntur; et propter hoc subdit et testimonium eius nemo accipit, idest pauci: habebat enim discipulos, qui accipiebant testimonium eius in his quae dicebantur. in hoc autem suos discipulos tangit nondum credentes in eum: simul etiam iudaicam ostendit insensibilitatem, sicut et in principio evangelii dictum est in propria venit, et sui eum non receperunt.

Augustinus in Ioannem. Vel aliter. Est quidam populus praeparatus ad iram Dei damnandus cum diabolo. Horum nemo accipit testimonium Christi. Attendit ergo in spiritu divisionem, in genere autem humano commixtionem; et quod nondum locis separatum est, separavit cordis aspectu; et vidit duos populos, infidelium et fidelium. Attendit infideles, et ait et testimonium eius nemo accipit: deinde tulit se a sinistra, et apexit ad dexteram, et secutus ait qui autem acceperit eius testimonium, signavit.

Chrysostomus. idest, monstravit; et adhuc augens timorem, addit quoniam deus verax est; ostendens quoniam non aliter quis discredet huic, nisi falsi arguerit Deum, qui misit illum: quia nihil extra ea quae sunt patris loquitur; et hoc est quod subdit quem enim misit deus, verba Dei loquitur.

Alcuinus. Vel aliter. Signavit, idest signum posuit in corde suo, quasi singulare et speciale aliquid, hunc esse verum Deum, qui passus est ad salutem humani generis.

Augustinus. quid est quia deus verax est, nisi quia homo mendax est, et deus verax est? quia nemo hominum potest dicere quid veritas est, nisi illuminetur ab eo qui mentiri non potest. Deus ergo verax, Christus autem deus. Vis probare? accipe testimonium eius, et invenies. Sed si nondum intelligis Deum, nondum accepisti testimonium eius. Ipse ergo Christus est deus verax, et misit illum deus. Deus misit Deum. lunge ambos, unus deus: hoc enim quem misit deus, de Christo dicebat, ut se ab ipso distingueret. Quid autem? ipsum Ioannem nonne deus misit? sed vide quid adiungat non enim ad mensuram dat deus spiritum. Hominibus ad mensuram dat, unico filio non dat ad mensuram. Alii quidem datur per spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientiae; aliud habet ille, et aliud iste habet. mensura divisio quaedam donorum est, sed Christus quae dat, non ad mensuram accipit.

Chrysostomus. Spiritum autem hic actionem spiritus sancti dicit: vult enim ostendere quoniam omnes quidem nos in mensura spiritus actiones suscipimus; Christus autem omnem spiritus suscipit actionem. Qualiter igitur erit dignus suspectus haberi? nihil enim dicit quod non Dei est, neque quod non spiritus est; et interim de Deo verbo nihil loquitur, sed a patre et spiritu dignam fide facit doctrinam. Nam quoniam deus est, sciverant; et quoniam spiritus est, noverant, etsi non decentem de eo opinionem habebant: quoniam autem filius est nesciverant.

Augustinus. Quia ergo de filio dixerat non ad mensuram dat deus spiritum, subiungit pater diligit filium; et adiecit et omnia dedit in manu eius: ut nosset et hic distincte, quoniam dictum est pater diligit filium. Pater enim diligit Ioannem aut paulum, et tamen non omnia dedit in manu eorum. Pater diligit filium; sed quomodo filium, non quomodo dominus servum; quomodo unicum, non quomodo adoptatum. Itaque omnia dedit in manu eius, ut tantus sit filius quantus est pater. Ergo cum ad nos dignatus est mittere filium, non putemus nobis aliquid minus missum quam est pater.

Theophylactus. sic ergo secundum divinitatem omnia dedit pater filio natura, non gratia. vel dedit omnia in manu eius, secundum humanitatem; dominatur enim omnium eorum et quae in caelo et quae in terra sunt.

Alcuinus. Et quia omnia sunt in manu eius, ergo et vita aeterna; unde subdit qui credit in filium, habet vitam aeternam.

Beda. Non debet hic intelligi fides quae verbo tenus tenetur, sed quae operibus adimpletur.

Chrysostomus. non enim hic dicit quod credere in filium sufficiat ad vitam habendam perpetuam, cum ipse alibi dicat: non omnis qui dicit mihi: domine, domine, intrabit in regnum caelorum. sed et quae in spiritum est

blasphemia, sufficit sola mittere in gehennam. sed etsi in patrem et filium et spiritum sanctum quis recte crediderit, ne aestimemus sufficere ad salutem: opus est enim nobis vita et conversatione recta. Deinde sciens non ita promissione bonorum multos adduci ut terribilium minis, in hoc sermonem concludit, dicens qui autem incredulus est filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum. Vide qualiter hic ad patrem reducit eum qui est supplicii sermonem: non enim dixit: ita filii, quamvis ipse sit iudex, sed patrem iudicem instituit, magis terrere volens. Et non dicit manebit in eo, sed super eum, ostendens quoniam nunquam ab eo desistet: ut enim non aestimet quis mortem esse temporaneam, dixit non videbit vitam.

Augustinus. et non dixit ira Dei venit ad eum, sed manet super eum; quia omnes qui nascuntur mortales, habent secum iram Dei, quam accepit primus adam. Venit filius Dei, non habens peccatum, et indutus est mortalitate: mortuus est ut vivas. Qui ergo non vult credere in filium, ira Dei manet super eum, de qua dicit apostolus: eramus natura filii irae.

IOANNES 4,1-6

12401 (*Jn 4,1-6*)

Glossa. Postquam ostendit evangelista qualiter loannes repressit discipulorum suorum invidiam, quam de profectu doctrinae Christi conceperant; hic ostendit quomodo Christus declinavit pharisaeorum malitiam, qui contra ipsum ex eadem causa zelo invidiae movebantur; unde dicitur ut ergo cognovit iesus quia audierunt pharisaei.

Augustinus in loannem. utique dominus, si sciret pharisaeos ita de se cognovisse quod plures discipulos faceret, et quod plures baptizaret, ut eis hoc ad salutem valeret sequendi eum, non relinqueret iudaeam terram, sed propter illos maneret ibi; quia vero cognovit eorum scientiam, simul et invidentiam, quia non hoc propterea didicerunt ut sequerentur, sed ut persequerentur, abiit inde. poterat quidem et praesens ab his non teneri, si nollet; sed in omni re quam gessit ut homo, hominibus in se credituris praebebat exemplum, quia unusquisque servus Dei non peccat si secesserit in alium locum videns furorem se persequentium. Fecit ergo hoc ille magister bonus, ut doceret, non ut timeret.

Chrysostomus in loannem. hoc etiam fecit mitigans eorum invidiam. Conveniens est etiam eum hoc fecisse, ut non discredideretur carnis dispensatio: si enim retentus effugisset, in suspicionem devenisset veritas carnis.

Augustinus. fortassis autem hoc moveat quod dictum est baptizabat plures quam loannes; et postea subiectum est quamquam iesus non baptizaret. Quid ergo? falsum dictum erat, et correctum est?

Chrysostomus. non autem ipse Christus baptizabat; sed relatores volentes erigere eos qui audiebant, in invidiam, ita annuntiabant, scilicet quod Christus plures baptizaret quam loannes. Sed cuius gratia ipse non baptizaret, loannes praedixit dicens: ipse vos baptizabit in spiritu sancto et igne. Nondum autem spiritum sanctum dabat: decenter igitur nec baptizabat. Discipuli vero id agebant, volentes multos adducere ad salutarem doctrinam: ut enim non semper circumeuntes congregarent eos qui credituri erant, ut in simone et fratre fecit, ideo baptizare instituerunt. Nihil enim amplius habebat discipulorum baptisma, loannis baptisate: utrumque enim expers erat ea quae ex spiritu est gratia; et utrique una causa erat, scilicet adducere ad Christum eos qui baptizabantur.

Augustinus. vel aliter. Utrumque verum est: quia iesus et baptizabat et non baptizabat: baptizabat enim, quia ipse mundabat; non baptizabat, quia non ipse tingebat. Praebebant discipuli ministerium corporis; praebebat ille adiutorium maiestatis, de quo dictum est: hic est qui baptizat.

Alcuinus. Solet autem quaeri si in baptismo discipulorum Christi spiritus sanctus daretur, cum dicatur: spiritus sanctus nondum erat datus, quia iesus nondum erat glorificatus. Sed sciendum, quia dabatur spiritus, licet non ea manifestatione qua post ascensionem in linguis igneis datus est; quia sicut ipse Christus in homine quem ferebat, semper habebat spiritum, sed tamen postea super ipsum baptizatum visibiliter descendit spiritus in specie columbae; sic ante manifestum et visibilem adventum spiritus sancti quicumque sancti eum latenter habere potuerunt.

Augustinus ad seleucianum. intelligimus autem discipulos Christi iam fuisse baptizatos sive baptismo loannis, sicut nonnulli arbitrantur, sive, quod magis credibile est, baptismo Christi: neque enim ministerio baptizandi defuit, ut haberet baptizatos servos per quos ceteros baptizaret, qui non defuit illius humilitatis ministerio, quando eis lavit pedes.

Chrysostomus. Secedens autem Christus de iudaea, rursus eisdem adhaeret quibus et prius; unde subditur et abiit iterum in galilaeam. Sicut autem apostoli expulsi a iudaeis ad gentes venerunt, ita et Christus ad samaritanos accedit; sed tamen omnem auferens a iudaeis excusationem, non principaliter ad eos vadit, sed quasi transiens; quod evangelista occulte ostendit, dicens oportebat autem eum transire per mediam samariam. accepit autem hanc nominationem, quia mons samariae somer dicebatur, ab eo qui possedit; sed qui ibi habitabant, olim non samaritani, sed israelitae vocabantur. tempore autem procedente offenderunt Deum, et rex assyriorum ultra eos ibi manere non permisit; sed in babylonem et medos duxit; in samaria vero gentes ex diversis locis ductas habitare fecit. volens autem deus ostendere quod non propter imbecillitatem iudaeos tradidit, sed propter peccata eorum qui traditi sunt; immisit barbaris leones, qui eos laedebant. annuntiata sunt haec regi, et mittit sacerdotem quemdam, traditurum eis Dei leges. sed tamen neque ita ex toto ab impietate destiterunt, sed ex media parte. Etenim tempore procedente rursus ad idola quidam resilierunt; venerabantur tamen Deum qui a monte samaritanos seipsos vocabant.

Beda. Ideo autem oportebat ipsum transire per samariam, quia sita est inter iudaeam et galilaeam. Est autem samaria insignis provinciae palaestinae civitas, adeo ut tota regio ei sociata samaria dicatur. ad quem igitur ipsius regionis locum dominus verterit, evangelista ostendit; unde dicitur venit ergo in civitatem samariae, quae dicitur sichar.

Chrysostomus. locus ille erat ubi pro dina, levi et simeon gravem occisionem fecerunt.

Theophylactus. Postquam autem filii iacob illam civitatem desertam fecerunt, occidentes sichimitas, hanc civitatem desertam tempore procedente dedit iacob in sortem ioseph; unde dicitur: do tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu amorrhaei, in gladio et arcu meo; et hoc est quod subditur iuxta praedium quod dedit iacob ioseph filio suo. sequitur erat autem ibi fons iacob.

Augustinus in ioannem. Puteus erat: sed omnis puteus fons, non omnis fons puteus: ubi enim aqua de terra manat, et usum praebet haurientibus, fons dicitur; sed si in promptu et superficie sit, fons tantum dicitur; si autem in alto et in profundo sit, ita puteus vocatur ut nomen fontis non amittat.

Theophylactus. quare autem evangelista de praedio et fonte facit mentionem? primo quidem ut, cum audieris mulierem dicentem quod pater noster iacob dedit nobis hunc fontem, non admireris; secundo ex commemoratione fontis et praedii edocemur quod ea quae patriarchae propter fidem quam in Deo habebant, adepti sunt, iudaei propter eorum impietatem perdiderunt, et eorum loca gentibus tradita sunt: quare nihil novi nunc accidit quod gentiles pro iudaeis regnum caelorum consecuti sunt.

Chrysostomus in ioannem. Christus igitur in samariam accedens, facilem et deliciosam vitam abiciens, laboriosam vero sequens, non subiugalibus utitur, sed ita difficulter incedit ut ex itinere fatigetur; erudiens nos ita a superfluis alienos esse ut multa necessaria abscindamus a nobis; et hoc evangelista ostendit, dicens iesus ergo fatigatus ex itinere.

Augustinus. Invenimus iesum fortem et infirmum: fortem, quia in principio erat verbum; infirmum, quia verbum caro factum est. sic ergo infirmus iesus, ab itinere fatigatus, sedebat super fontem.

Chrysostomus. quasi dicat: non in throno aut pulvinari, sed simpliciter ut contingebat super terram. Sessio autem propter laborem facta est, et ut expectaret discipulos, et propter aestum refrigeraret corpus apud fontem; unde sequitur hora autem erat quasi sexta.

Theophylactus. et ne quis incusaret dominum quare ipse samariam venerit, cum hoc discipulis suis prohibuerit, propter hoc dicit, quod circa illum locum sedebat, scilicet ab itinere fessus.

Alcuinus. Mystice autem dominus reliquit iudaeam, idest infidelitatem eorum qui eum reprobaverunt, et per apostolos abiit in galilaeam, idest in volubilitatem huius mundi, docens suos transmigrare de vitiis ad virtutes. Praedium autem non tam ioseph quam Christo arbitror derelictum, cuius figuram ioseph portaverit; quem vere sol adorat et luna et omnes stellae. Ad hoc praedium venit dominus, ut samaritani, qui hereditatem sibi patriarchae israel vindicare cupiebant, agnoscerent, et converterentur ad Christum, qui est patriarchae legitimus heres factus.

Augustinus. Iter autem ipsius est caro pro nobis assumpta: qui enim ubique est, quo it, nisi quia non ad nos veniret nisi formam visibilis carnis assumeret? ideo fatigatus ab itinere, quid est aliud quam fatigatus in carne? quare ergo hora sexta? quia aetate saeculi sexta. computa tamquam unam horam, unam aetatem ab adam usque ad noe; secundam a noe usque ad abraham; tertiam ab abraham usque ad David; quartam

a David usque ad transmigracionem babylonis; quintam usque ad baptismum Ioannis; inde sexta agitur.

Augustinus lib. 83 quaest.. Hora igitur sexta venit ad puteum dominus noster. Video in puteo tenebrosam profunditatem. Admoneor ergo intelligere mundi huius infimas partes, idest terrenas, quo venit dominus iesus hora sexta, idest sexta aetate generis humani, tamquam senectute veteris hominis, quo iubemur exui, ut induamur novo; nam sexta aetas senectus est: quoniam prima est infantia, secunda pueritia, tertia adolescentia, quarta iuventus, quinta grandaevitas. Hora etiam sexta venit dominus ad puteum, idest medio die; unde iam incipit sol iste visibilis declinare in occasum: quoniam nobis vocatis a Christo, visibilium delectatio minuitur, ut invisibilium amore homo interior recreatus ad interiorum lucem, quae numquam excidit, revertatur. Quod autem sedit, humilitatem significat: vel quoniam solent sedere doctores, magistri denuntiat personam.

IOANNES 4,7-12

12407 (Jn 4,7-12)

Chrysostomus in Ioannem. ne quis dicat quoniam adversatur suo praecepto, samaritanis loquens, posuit evangelista multas causas eius quae ad mulierem est locutionis: non enim ad hoc venit antecedenter, ut samaritanis loqueretur: non tamen quia propter hoc non venit, advenientem ad se expellere oportebat; dicitur enim venit mulier de samaria haurire aquam. Vide quod et mulierem ostendit propter aestum exeuntem ad aquam.

Augustinus in Ioannem. haec autem mulier forma est ecclesiae, non iustificatae, sed iam iustificandae. pertinet autem ad imaginem rei, quod ab alienigenis venit: samaritani enim alienigenae fuerunt, quamquam vicinas terras incolerent: ventura enim erat ecclesia de gentibus, et aliena a genere iudaeorum.

Theophylactus. Congrue autem disputatio ad mulierem a siti sumpsit occasionem; sequitur enim dicit ei iesus: da mihi bibere: quia secundum humanitatem sitiebat et propter laborem et propter aestum.

Augustinus lib. 83 quaest.. sitiebat etiam iesus mulieris illius fidem: eorum enim fidem sitit pro quibus sanguinem fudit.

Chrysostomus. discimus autem domini non solum circa itinera validum robur, sed etiam circa cibaria negligentiam: non enim discipuli eius deferebant victualia; propter hoc enim subdit discipuli autem eius abierant in civitatem, ut cibos emerent. Hinc etiam evangelista ostendit Christum humilem in eo quod solus relinquebatur. Et nimirum poterat, si vellet, aut non omnes emittere, aut abeuntibus illis alios ministros habere; sed noluit: etenim ita discipulos assuefecit omnem superbiam conculcare. sed fortasse dicet aliquis: quid magnum est si humiles erant discipuli, piscatores existentes et tabernaculorum factores? sed repente facti sunt omnibus regibus reverentiores, collocutores et secutores domini orbis terrarum. Maxime autem qui ex humilibus sunt, quando dignitates quandoque assumpserint, facilius ad superbiam elevantur, velut inexperte se habentes ad tantum honorem. Detinens igitur discipulos dominus in eadem humilitate erudiebat eos ut per omnia se restringerent. Mulier ergo audiens da mihi bibere, valde sapienter ad formandam interrogationem eum qui a Christo accepit sermonem; unde sequitur dicit ergo illi mulier: quomodo tu cum iudaeus sis, a me bibere poscis, quae sum mulier samaritana? iudaeum quidem eum esse aestimavit a figura et a locutione. Intuere vero qualiter mulier inquisitiva erat. Etsi enim oportebat custodire iesum, ut non couteretur illi; non tamen oportebat illam custodire. Non enim dixit evangelista quod samaritani iudaeis non couterentur, sed subdit non enim coutuntur iudaei samaritani. Iudaei igitur a captivitate revertentes zelotype se ad samaritanos habebant, sicut ad alienigenas et impugnatores. Neque etiam scripturis omnibus utebantur: solum enim ea quae moysi sunt suspicientes, prophetarum non multam curam habebant. Contendebant etiam se in nobilitatem iudaicam immittere: unde et iudaei eos cum omnibus gentibus abominabantur.

Augustinus in Ioannem. Et omnino eorum vasculis non utebantur iudaei. Et quia ferebat secum mulier vasculum, unde aquam hauriret, eo mirata est, quia iudaeus petebat ab ea bibere, quod non solebant facere iudaei.

Chrysostomus. Sed qualiter Christus quaesivit ab ea bibere, lege non concedente? si autem quis dixerit, quia praesciebat eam non daturam; immo propter hoc neque petere oportebat. est igitur dicendum, quod ideo petiit, quia indifferens erat de reliquo tales observantias praeterire.

Augustinus. Ille autem qui bibere quaerebat, sitiebat fidem ipsius mulieris; unde sequitur respondit iesus,

et dixit ei: si scires donum Dei, et quis est qui dicit: da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, et dedisset tibi aquam vivam.

Origenes in Ioannem. nam quasi dogma quoddam est, neminem accipere divinum donum ex non quaerentibus illud: ipsum autem salvatorem iubet pater poscere, ut det illi, secundum illud: postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam. Et ipse salvator dicit: petite et dabitur vobis. Et ideo signanter dicit petisses et dedisset tibi.

Augustinus lib. 83 quaest.. hic autem ei ostendit non se talem aquam petisse qualem ipsa intellexerat; sed quia ipse sciebat fidem eius, eidem sitiendi spiritum sanctum dare cupiebat. Hanc enim recte intelligimus aquam vivam, quod est donum Dei, sicut ipse ait si scires donum.

Augustinus. Dicitur enim vulgo aqua viva illa quae de fonte exit: illa enim quae colligitur de pluvia in lacunas aut cisternas, aqua viva non dicitur: et si de fonte manaverit, et in loco aliquo collecta steterit, nec ad se illud unde manabat admiserit, sed in rupto meatu tamquam a fontis tramite separata fuerit, non dicitur aqua viva.

Chrysostomus in Ioannem. spiritus enim sancti gratiam quandoque scriptura ignem, quandoque aquam vocat; ostendens quoniam non substantiae sunt haec nomina repraesentativa, sed actionis. Per ignis quidem appellationem erectivum et calidum gratiae, et consumptivum peccatorum aenigmatice insinuat: per aquae vero nuncupationem purgamentum quod est ex spiritu, et multum refrigerium recipientibus eum mentibus ostendit.

Theophylactus. Gratiam ergo spiritus sancti dixit aquam vivam, idest vivificativam, refrigerativam et motivam. nam gratia spiritus sancti semper movet illum qui bona operatur, ascensiones in corde suo disponens.

Chrysostomus. Iterum autem dominus eam ab humili suspitione erexit, qua existimabat eum unum multorum esse: multum enim honorem tribuens, dominum vocat; sequitur enim dicit ei mulier: domine, neque in quo haurias habes, et puteus altus est: unde ergo habes aquam vivam? **Augustinus** in Ioannem. videte quomodo intellexit aquam vivam, scilicet aquam quae erat in illo fonte; quasi dicat: tu mihi vis dare aquam vivam, et ego fero unde hauriam et tu non fers: de hac ergo aqua viva mihi dare non potes, quoniam hauritorium non habes. Forte alium fontem promittis? sed numquid tu maior es patre nostro iacob, qui dedit nobis puteum, et ipse ex eo bibit, et filii eius, et pecora eius? **Chrysostomus.** Quasi dicat: non potes dicere quod iacob dedit nobis hunc fontem, et alio ipse usus est: etenim ipse et sui ex eo bibebant: quod non esset, si meliorem alium habuissent. de hoc igitur fonte dare non potes: alium autem meliorem non est te habere, nisi confitearis te ipsum maiorem esse iacob. unde igitur habes aquam quam promittis te daturum nobis? Theophylactus. Quod autem dicit et pecora eius, ostensivum est abundantiae aquarum; quasi dicat: non solum suavis est aqua, ut iacob ex ea biberet et filii eius; sed etiam intantum est abundans, ut tantae multitudini pecorum patriarchae sufficiat.

Chrysostomus. vide autem qualiter seipsam impulit in nobilitatem iudaicam. samaritani enim abraham progenitorem suum dicebant, quasi a chaldaea existentem; sed et iacob patrem vocabant, quasi ipsius existentem nepotem.

Beda. Vel patrem suum iacob vocat, quia ipsa sub lege moysi vixerat, et praedium quod iacob filio suo ioseph dederat possidebat.

Origenes in Ioannem. Mystice autem fons iacob scripturae sunt; siquidem instructi in scripturis bibunt ut iacob et filii eius; simplices autem et rudes bibunt more pecorum iacob.

IOANNES 4,13-18

12413 (Jn 4,13-18)

Chrysostomus in Ioannem. cum mulier quaesivisset numquid maior es patre nostro iacob? non dixit: maior sum, ne videretur gloriari; sed per ea quae subdit, hoc ostendit; sequitur enim respondit iesus, et dixit ei: omnis qui biberit ex aqua hac, sitiet iterum; qui autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum; quasi dicat: si mirabilis fuit iacob, quia hanc aquam dedit; si dabo tibi multo hac potioem, quid dices? non autem ab accusatione, sed ex supereminentia comparisonem facit: non enim dicit quoniam haec aqua vilis est et contemptibilis; sed id quod natura testatur, hoc ponit, scilicet omnis qui bibit ex aqua

hac, sitiet iterum.

Augustinus in Ioannem. Quod quidem verum est et de aqua sensibili, et de ea quam significat illa aqua: etenim aqua in puteo voluptas est saeculi in profunditate tenebrosa: hic eam hauriunt homines hydria cupiditatum: nam qui non praemiserit cupiditatem, pervenire non potest ad voluptatem. Cum pervenerit quisque ad voluptatem saeculi huius, numquid non iterum sitiet? ergo de hac aqua qui biberit, sitiet iterum. Si autem acceperit a me aquam, non sitiet in aeternum: nam quomodo sitient qui inebriabuntur ab ubertate domus Dei? promittebat ergo venam quamdam in satietatem spiritus sancti.

Chrysostomus. Hanc autem excellentiam huius aquae, ut scilicet qui ex ea biberit, non sitiatur in aeternum, per ea quae consequuntur ostendit; sequitur enim sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam; quasi dicat: sicut qui fontem habet intra se positum, nequaquam afficietur siti; ita et qui hanc aquam habet, scilicet quam ego ei dabo.

Theophylactus. Nam aqua quam ego tribuo, semper multiplicatur: semina enim et principium boni, sancti sumunt per gratiam; ipsi vero negotiantur et operantur ad eius augmentum.

Chrysostomus. Vide autem qualiter mulier paulatim ad dogmatum altitudinem ducitur: nam primum quidem aestimavit eum iniquum quemdam esse iudaeum: deinde audiens aquam vivam, suspicata est de sensibili hoc dici: postea discens quoniam spiritualia erant quae dicebantur, credidit quidem quoniam potest aqua sitis necessitatem tollere; nondum autem sciebat quae esset haec aqua, sed quaerebat eam, superiorem sensibilibus aestimans; unde subditur dicit ad eum mulier: domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam neque veniam huc haurire. Et sic eum patriarchae iacob praeposit, de quo tam magnam opinionem habebat.

Augustinus. Vel aliter. Adhuc illa mulier carnem sapit: delectata est non sitire, et putabat hoc secundum carnem sibi promissum esse a domino. Dederat autem deus aliquando servo suo eliae ut per dies quadraginta nec esuriret, nec sitiret: qui hoc potuit dare per quadraginta dies, non poterat dare semper? delectata autem tali munere rogat ut ei aquam vivam daret; unde sequitur dicit ad eum mulier: domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire. Ad laborem enim indigentia cogebat, et laborem infirmitas recusabat: utinam audiret: venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego vos reficiam. hoc enim dicebat iesus, ut iam non laboraret; sed illa nondum intelligebat. Denique voluit dominus ut intelligeret; unde sequitur dicit ei iesus: vade, voca virum tuum, et veni huc. Quid est hoc? per virum suum ei volebat aquam illam dare. An quia non intelligebat, per virum suum eam volebat docere? forte sicut apostolus dicit de mulieribus: si quae volunt discere, domi viros suos interrogent. Sed ibi dicitur, ubi non est iesus qui doceat; cum vero ipse dominus aderat, quid opus erat ut per virum ei loqueretur? numquid per virum loquebatur mariae, quae sedit ad pedes eius? **Chrysostomus** in Ioannem. Quia igitur instabat mulier, accipere aquam promissam quaerens, dicit ei iesus: voca virum tuum: quasi ostendens quoniam et illum oportet his communicare. Haec autem festinans accipere, et rei turpitudinem occultans, adhuc aestimabat se ad hominem loqui; unde sequitur respondit mulier, et dixit: non habeo virum. Hoc audiens Christus opportune de reliquo redargutionem inducit; nam et priores viros enumerat, et eum qui nunc occultabatur redarguit; unde sequitur dicit ei iesus: bene dixisti, quia non habeo virum.

Augustinus in Ioannem. intelligas, revera istam mulierem non habuisse tunc virum; sed utebatur nescio quo non legitimo viro; unde ei convenienter mysteria loquitur, dicens quinque viros habuisti.

Origenes in Ioannem. Vide autem si possibile est fontem iacob mystice totas esse scripturas, aquam vero iesu ea pro quibus editae sunt; quae non est licitum omnibus perscrutari; eo quod quae scripta sunt dictaverunt homines; quae vero oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, in scriptis non possunt redigi; sed ex fonte aquae salientis in vitam aeternam, idest ex spiritu sancto, disciplinae patefiunt his qui nondum humanum cor gestant, sed possunt dicere: nos sensum Christi habemus. qui ergo non suscipit profunditatem verborum, etsi ad modicum quieverit, denuo insistens dubitavit; qui autem bibit de aqua Christi, ad hoc promovetur ut fons omnium quaesitorum prorumpat in eo, sursum scaturizantibus aquis, et pervolante eius mente ad consequentiam huius aquae, ad vitam aeternam. Volebat autem mulier sine aqua iacob, angelicam et super hominem discere veritatem: neque enim angeli indigent fonte iacob ut bibant; sed quilibet in se habet fontem aquae scaturientis in vitam aeternam ab ipso verbo; et hoc est quod subditur dicit ei mulier: domine, da mihi hanc aquam. Sed impossibile est hic absque ea quae hauritur ex fonte iacob aquam capere quae datur a verbo: unde petenti samaritanae aquam videtur dicere iesus, se illam praebere non alibi quam in fonte iacob; unde sequitur dicit ei iesus: vade, voca virum tuum, et veni huc. Si enim sitiamus, idoneum est primo pocula sumere ex fonte iacob; secundum autem apostolum, vir animae lex est.

Augustinus lib. 83 quaest.. Quinque autem viros, quinque libros qui per moysen ministrati sunt, nonnulli

accipiunt. quod autem dictum est et hunc quem habes, non est tuus vir, de seipso dominum dixisse intelligunt, ut iste sit sensus: primo quinque libris moysi quasi quinque viris servisti: nunc autem quem habes, idest quem audis, non est tuus vir, quia nondum in eum credidisti. Sed quoniam non credens Christo, adhuc illorum quinque virorum, idest quinque librorum, copulatione tenebatur, potest movere quomodo dici potuerit quinque viros habuisti, quasi nunc eos iam non haberet. deinde quomodo potest intelligi a quinque illis libris recedere hominem ut ad Christum transeat, cum ille qui credit in Christum, non relinquendos illos quinque libros, sed spiritualiter intelligendos multo avidius amplectatur? est ergo alius intellectus.

Augustinus in Ioannem. videns enim iesus quia mulier non intelligebat, et volens eam intelligere, voca, inquit, virum tuum; idest, praesenta intellectum tuum: cum enim ordinata fuerit vita, intellectus animam regit, ad ipsam animam pertinens: non enim aliud aliquid quid est, quam anima, sed aliquid animae est intellectus. Hoc ipsum animae quod intellectus et mens dicitur, illuminatur luce superiore. Talis lux cum muliere loquebatur, et in illa intellectus non aderat: ergo dominus, tamquam diceret: illustrare volo, et non adest quem; voca, inquit, virum tuum; idest, adhibe intellectum, per quem docearis quo regaris: et adhuc illa nondum vocato illo viro, non intelligit. videtur autem mihi quinque viros priores animae nos posse accipere quinque sensus corporis: ante enim quam quisque possit uti ratione, non regitur nisi sensibus carnis; sed cum coeperit anima capax esse rationis, aut a sapiente mente regitur, aut ab errore; sed error non regit, sed perdit. post illos ergo quinque sensus mulier illa adhuc errabat: error ille non erat legitimus vir, sed adulter. Dicit ergo dominus: tolle istum adulterum, qui te corrumpit, et voca virum tuum, ut intelligas me.

Origenes in Ioannem. Ubi autem decebat confutari a iesu putatum samaritanae virum, non esse virum, nisi apud fontem iacob? potest etiam intelligi, si vir animae lex est, quod samaritana secundum congruam acceptionem verborum legis, ritui infidelium tamquam viro illegitimo se subiciebat. Revocatur autem ad verbum veritatis, quod resurrecturum erat a mortuis, non deinceps moriturum.

IOANNES 4,19-24

12419 (*Jn 4,19-24*)

Chrysostomus in Ioannem. mulier autem a Christo reprehensa, non contristata est, neque dimittens fugit; sed admiratur magis, et immoratur; unde dicitur dicit ei mulier: domine, video quia propheta es tu; quasi dicat: in hoc quod mihi occulta dicis, ostenderis propheta esse.

Augustinus in Ioannem. etsi coepit ad eam venire vir, nondum plene venit: prophetam dominum putabat. erat quidem et propheta: nam de seipso ait: non est propheta sine honore nisi in patria sua.

Chrysostomus. deinde quia hoc suspicata est, nihil mundanum eum interrogavit: non de corporis sanitate, non de vitiis; non molestatur sitiendo, pro doctrina sollicita.

Augustinus. Et incipit quaerere quod illam solet movere, dicens patres nostri in hoc monte adoraverunt; et vos dicitis, quia hierosolymis est locus ubi adorare oportet. Contentio quippe fuerat inter samaritanos et iudaeos: quia iudaei in templo a salomone fabricato adorabant Deum, et ideo meliores se esse iactabant; quibus samaritani dicebant: quomodo iactatis vos quia templum habetis quod nos non habemus? numquid patres nostri, qui Deo placuerunt, in illo templo adoraverunt? melius ergo nos in hoc monte Deum rogamus, ubi patres nostri Deum adoraverunt.

Chrysostomus. quod autem dicit patres nostri, eos qui circa abraham sunt intelligit: etenim illic aiunt filium suum obtulisse.

Origenes in Ioannem. Vel samaritani montem, qui dicitur garizim, iuxta quem iacob habitavit, sanctum reputantes, in eo Deum adorant; sed iudaei montem sion sacrum quid arbitrantes, illum locum putant esse electum a Deo. Verum, quia iudaei, a quibus salus processit, exemplum sunt opinantium sanos sermones, samaritani vero diversimode opinantium; congrue garizim quidem samaritani significant, quod vocatur distinctio, seu divisio; at iudaei sion, quod est specula.

Chrysostomus. Christus autem non solvit quaestionem confestim, sed ad altiora mulierem trahit; de quibus non prius ei locutus est, donec confessa est quoniam propheta est, ut cum multa certitudine audiat de cetero quae dicuntur; unde sequitur dicit ei iesus: mulier, crede mihi, quia venit hora quando neque in monte hoc, neque in hierosolymis adorabitis patrem. Dicit autem crede mihi, quia ubique nobis opus est fide

matre bonorum, quae salutis est medicamentum, sine qua nihil magnorum est possidere. sed qui tentant, assimilantur his qui sine navi pelagus tentant transire: qui parum quidem natare sufficiunt, ultra vero procedentes cito merguntur.

Augustinus in Ioannem. Merito autem iam praesente viro audit mulier crede mihi. iam enim est in te qui credat: coepisti adesse intellectui, sed nisi credideritis non intelligetis.

Alcuinus. Quod autem dicit venit hora, tempus evangelicae doctrinae quod iam instabat dicit, quando ablata omni umbra figurarum, veritas pura luce mentes credentium illustrata erat.

Chrysostomus in Ioannem. Supervacuum autem erat Christo docere propter quid patres in monte et iudaei in hierosolymis adorabant: ideo hoc tacuit; verumtamen reverentiores iudaeos indicavit, non a loco, sed a cognitione; unde subdit vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex iudaeis est.

Origenes in Ioannem. Quod dico vos quantum ad vocem, samaritani, quantum ad anagogem, qui erga scripturas alienae sunt opinionis. Nos quoque quo ad verbum iudaei, quo ad allegoriam vero ego verbum, et qui vere secundum me formati sunt, obtinentes salutem ex dictis iudaicis.

Chrysostomus. samaritani quidem quod nesciebant adorabant, quoniam localem et particularem Deum aestimabant, nihil de eo plus imaginantes quam de idolis; et idcirco cultum Dei cum cultu daemonum miscuerunt: iudaei vero ab hac eruti erant suspicione: etenim orbis terrarum eum noverant esse Deum; propterea dixit nos adoramus quod scimus. Iudaeis autem seipsum connumerat secundum opinionem mulieris, loquens quasi propheta iudaeus existens: ideo dixit adoramus; cum tamen manifestum sit quod ipse est qui ab omnibus adoratur. per hoc autem quod dicit quia salus ex iudaeis est, nihil aliud ostendit quam quod orbi terrarum inde salutaria facta sunt. scire enim Deum et idola detestari, illinc principium habuit et omnia alia dogmata; sed ipsum quod est apud nos, a iudaeis orationis principium habuit. Praesentiam etiam suam salutem vocat: quam dicit ex iudaeis esse, secundum illud apostoli: ex quibus est Christus secundum carnem. Vide qualiter applaudit veteri testamento, quod radicem ostendit bonorum, per omnia semetipsum non esse contrarium legi demonstrans.

Augustinus. multum igitur dedit iudaeis, ex quorum persona dixerat nos adoramus quod scimus; sed non ex persona iudaeorum reproborum, sed ex qualibus fuerant apostoli, quales fuerant prophetae, quales fuerant omnes illi sancti qui pretia rerum suarum ad pedes apostolorum posuerunt.

Chrysostomus. sic igitur superabundantius vobis habent iudaei, o mulier, in modo adorationis; verumtamen et hic adorationis modus de reliquo finem habebit; unde subdit sed venit hora, et nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate. Quia enim prophetae ante longa tempora multa praedixerunt, ideo dixit et nunc est: ne aestimes hanc talem esse prophetiam quae post multum temporis impleatur: res iam instat et in ianuis est. dixit autem veri adoratores, ad distinctionem falsorum: quoniam quidam sunt falsi adoratores, qui temporalia et caduca quaerunt in oratione; sive qui contra hoc quod orant, agere non cessant.

Chrysostomus. vel dicens veros, excludit cum samaritanis iudaeos. Etsi enim iudaei illis meliores essent, tamen futuris multo minores sunt, tamquam figura veritate. Sunt igitur veri adoratores qui neque loco circumcludunt Dei culturam, et Deum in spiritu colunt; unde et paulus dicit: cui servio in spiritu meo.

Origenes. bis autem scribitur venit hora; et primo quidem non adest et nunc est; in secundo vero dicitur et nunc est. Et puto primum quidem notare adorationem praeter corpus futuram in perfectione; secundum vero eam quae fit in vita praesenti, perfecta quantum licet humanam procedere naturam. Cum ergo venerit hora quam dicit dominus, evitandus est mons samaritanorum, et in sion, ubi est hierosolyma, adorandus est deus, quae civitas esse dicitur a Christo celsi principis: et haec est ecclesia, ubi sacra oblatio, spirituales victimae divinis aspectibus offeruntur ab his qui legem spiritualem intellexerunt. Cum autem venerit temporis complementum, tunc nequaquam pensandum verum cultum hierosolymis, idest in praesenti ecclesia, amplius pertractari: neque enim angeli apud hierosolymam colunt patrem; sic et qui similitudinem nacti sunt iudaeorum, melius quam hi qui sunt hierosolymis, colunt patrem. Cum autem haec hora evenerit, patri aliquis in filium deputatur. Ea propter non dictum est: adorabitis Deum, sed adorabitis patrem. Sed in praesenti colunt patrem in spiritu et veritate veri adoratores.

Chrysostomus in Ioannem. dicit ergo hoc de ecclesia, in qua est vera adoratio et Deo congrua; unde subdit nam et pater tales quaerit qui adorent eum. Et si olim volebat eos veteribus immorari, concessit eis figuram: hoc tamen fecit eis condescendens, ut per hoc ad veritatem inducantur.

Origenes in Ioannem. Si autem pater quaerit, per Iesum quaerit, qui venit quaerere et salvare quod perierat: quos erudiens veros cultores efficit. Quod autem subditur spiritus est deus, inde abstractum esse suspicor quod ad vitam veram nos perducit: nam et corporali vita vivificamur a spiritu.

Chrysostomus. Vel indicat quod deus incorporeus est. Oportet igitur et incorpoream eius culturam esse, hoc est per animam: et intellectus puritatem nos ei offerre; unde subdit et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare. Quia enim Iudaei animam quidem negligebant, multum autem circa corpus studium faciebant, id omnifariam purgantes; ideo ait, quia non corporis mundatione, sed incorporeo quod est in nobis, hoc est intellectu, quem dicit spiritum, deus incorporeus colitur.

Hilarius de trin.. Vel cum in spiritu Deum spiritum docuit adorandum, et libertatem ac scientiam adorantium et adorandi infinitatem ostendit, secundum illud apostoli: ubi spiritus domini, ibi libertas.

Chrysostomus. in veritate autem oportet adorare: quia priora figura erant, scilicet circumcisio, holocausta et thymiamata; nunc autem totum est veritas.

Theophylactus. Vel quia multi putant se Deum secundum spiritum, id est animam, adorare, non rectam opinionem de eo habentes, ut haeretici: propter hoc addidit et veritate. Forte etiam dicit aliquis, quia duas partes philosophiae, quae secundum nos sunt, insinuat in praedictis, actionem scilicet et contemplationem: per spiritum namque activum insinuat, secundum apostolum: qui spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei; per veritatem vero contemplativum. vel aliter. Samaritanorum erat opinio quod deus loco concluderetur, et quia in hoc loco Deum adorari oporteat: contra quos dicit, quia veri adoratores non localiter, sed spiritualiter adorant. Iudaeis vero omnia sub figura et umbra erant; et ideo dicit, quia veri adoratores non in figura adorabunt, sed in veritate: quia enim deus spiritus est, spirituales adoratores quaerit: quia vero veritas, veros.

Augustinus. quaerebas montem forte ad orandum, ut Deo esses propinquior; sed ipse qui in altis habitat, humilibus appropinquat: ergo descende, ut ascendas. ascensiones in corde eius in convalle plorationis, quae humilitatem habet. In templo vis orare? in te ora; sed prius esto templum Dei.

IOANNES 4,25-26

12425 (Jn 4,25-26)

Chrysostomus in Ioannem. mulier eorum quae dicta sunt, altitudine fatigata obstupuit; unde sequitur dicit ei mulier: scio quia messias venit, qui dicitur Christus.

Augustinus in Ioannem. unctus latine, graece Christus est, hebraice messias est. Sciebat ergo quis eam posset docere; sed iam docentem nondum agnoscebat; unde subdit cum ergo venerit ille, nobis annuntiabit omnia; quasi dicat: modo Iudaei de templo contendunt, nos de monte: cum ergo ille venerit, et montem spernet, et templum evertet, et docebit nos, ut in spiritu et veritate noverimus adorare.

Chrysostomus. sed unde erat samaritanis expectare Christi adventum? moysi quidem suscipientes legem, ab ipsis moysi litteris hoc noverant: iacob enim de Christo prophetizans dixit: non deficiet princeps de iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est. sed et moyses dicit: prophetam vobis suscitabit deus de fratribus vestris.

Origenes in Ioannem. siquidem non est ignorandum, quod sicut ex Iudaeis surrexit Iesus, Christum se esse non solum dicens, sed ostendens; sic ex samaritanis quidam dositheus nomine, asserebat se fore Christum qui praedicabatur.

Augustinus lib. 83 quaest.. fortasse autem ut intelligentibus indicaret quinque corporis sensus, quinque virorum nomine significari, post quinque carnales responsiones, quae supra in littera patent, sexta responsione nominat Christum.

Chrysostomus. Christus autem de reliquo mulieri revelat seipsum; unde sequitur dicit ei Iesus: ego sum qui loquor tecum. Et quidem si circa principium hoc mulieri dixisset, videretur ei ex vanitate loqui; nunc autem paulatim in memoriam Christi eam reducens, opportune revelavit seipsum. Et quidem Iudaeis quaerentibus: si tu es Christus, dic nobis palam, non manifeste seipsum revelavit: quia non pro discendo quaerebant, sed pro iniuriando; haec vero ex simplici mente loquebatur.

IOANNES 4,27-30

12427 (Jn 4,27-30)

Chrysostomus in Ioannem. expleta doctrina, et convenienter ad tempus, discipuli occurrerunt; unde dicitur et continuo venerunt discipuli eius, et mirabantur, quia cum muliere loquebatur. admirabantur quidem superabundantem Christi mansuetudinem et humilitatem, quoniam ita perspicuus existens, sustinuit loqui cum tanta humilitate mulieri inopi et samaritanae.

Augustinus in Ioannem. quia scilicet quaerebat perditam qui venerat quaerere quod perierat, hoc illi mirabantur: bonum enim mirabantur, et non malum suspicabantur.

Chrysostomus. sed tamen admirantes non interrogaverunt causam; unde subditur nemo tamen dixit ei: quid quaeris, aut: quid loqueris cum ea? erant eruditi discipulorum ordinem observare; at eum timebant et venerabantur. Et nimirum alibi videntur confidenter interrogare, quia ad eos pertinentia necesse habebant scrutari; hic autem nihil ad eos pertinebat quod fiebat.

Origenes in Ioannem. et fere quidem quasi quodam apostolo ad cives utitur hac muliere, adeo eam inflammans per verba ut, amphora dimissa, iret in civitatem relatura concivibus; unde sequitur reliquit ergo mulier hydriam, non curans de corporeo ac viliori propter utilitatem plurium. Interest quoque nostra, omissis corporeis et neglectis, satagere ad impartendum aliis de commodis acquisitis.

Augustinus. graeco nomine appellatur, tamquam si aquarium diceretur, quoniam graece aqua hydor vocatur.

Chrysostomus in Ioannem. Et sicut apostoli vocati dimiserunt retia, ita haec dimittit hydriam, et evangelistarum opus fecit; et non unum tantum vocat, sed civitatem integram; unde sequitur et abiit in civitatem, et dicit illis hominibus: venite, et videte hominem, qui dixit mihi omnia quaecumque feci.

Origenes. convocat quidem illos ad videndum hominem continentem verbum supra hominem. quaecumque autem fecit mulier, erat contubernium quinque coniugum, et post illos conversatio cum sexto non proprio viro; quem deserens et septimo adhaerens, lagenam dereliquit iam pudica.

Chrysostomus. Non verecundata autem est hoc dicere. Anima enim cum ignita fuerit igne divino, ad nihil eorum quae sunt in terra, de reliquo inspicit, neque ad gloriam, nec ad verecundiam, sed ad unam solam, quae detinet eam, flammam. Volebat autem non ex propria annuntiatione eos inducere, sed ex auditu proprio eos facere communicatores doctrinae Christi; unde dixit venite et videte hominem. Non dixit: venite et credite, sed venite et videte, quod levius erat. Noverat enim manifeste quoniam solum gustantes de illo fonte, eadem paterentur quae et ipsa.

Alcuinus. Paulatim autem venit ad praedicandum Christum. primo vocat hominem, ne si diceret Christum, auditores irascerentur et nollent exire.

Chrysostomus. Unde etiam neque manifeste annuntiavit Christum, neque tamen totaliter siluit; sed dixit numquid ipse est Christus? et ideo sermonem eius acceperunt; unde sequitur exierunt de civitate, et veniebant ad eum.

Augustinus lib. 83 quaest.. Quod autem relicta hydria discessit mulier, non negligenter praetereundum est: hydria enim amorem huius saeculi significat, idest cupiditatem qua homines de tenebrosa profunditate, cuius imaginem puteus gerit, hoc est de terrena conversatione, hauriunt voluptatem. Oportebat autem ut Christo credens, saeculo renuntiaret, et relicta hydria, cupiditatem saecularem se reliquisse demonstraret.

Augustinus. Proiecit ergo cupiditatem, et properavit annuntiare veritatem. Discant qui volunt evangelizare, ut prius hydriam ad puteum proiciant.

Origenes. Facta etiam mulier receptaculum honestae disciplinae, ea quae primitus sapiebat, parvipendens deponit.

IOANNES 4,31-34

12431 (Jn 4,31-34)

Augustinus in Ioannem. ierant discipuli eius emere cibos, et venerant; quos Christo offerebant; unde dicitur interea rogabant eum discipuli eius dicentes: rabbi, manduca.

Chrysostomus in Ioannem. Videntes enim eum fatigatum ex itinere et aestu qui erat, rogabant eum vulgari eorum voce: neque enim erat hoc temeritatis, sed amoris cura circa magistrum.

Origenes in Ioannem. arbitrantur aptum fore tempus ad prandium, quod erat inter recessum mulieris ad civitatem et adventum samaritanorum ad ipsum: non enim coram aliquo advena sibi propinabant escas. Ob hoc bene positum est interea.

Theophylactus. dominus vero sciens quod samaritana totam civitatem ad eum traheret, hoc discipulis significavit; unde sequitur ille autem dixit eis: ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.

Chrysostomus. hominum salutem hic cibum vocavit, ostendens quantum desiderium habet nostrae salutis: sicut enim nobis concupiscibile est comedere, ita ei salvare nos. Tu vero intuere, quod non statim revelat, sed ubique in quaestionem immittit auditorem, ut incipiens quaerere quod dicitur et laborans, cum ampliori suscipiat desiderio.

Theophylactus. Dicit autem quem vos nescitis; idest nescitis quod cibum voco salutem hominum; vel nescitis quia samaritani credituri sunt, et salvi fient. Discipuli autem adhuc dubitabant; unde sequitur dicebant ergo discipuli ad invicem: numquid aliquis attulit ei manducare? **Augustinus.** quid mirum si mulier illa non intelligebat aquam? ecce discipuli non intelligunt escam.

Chrysostomus. Et quidem assuetam reverentiam et honorem magistro praebent, ad se invicem quidem loquentes, ipsum vero non praesumentes interrogare.

Theophylactus. In hoc autem quod dicunt discipuli numquid aliquis attulit ei manducare? considerandum est, quod cibos ab aliis oblatos dominus suscipere solebat, non quod alieno ministerio indigeret qui dat escam omni carni, sed ut deferentes meritum consequerentur, simulque formam tradens non erubescere paupertatem, neque grave putare ab aliis nutriri: proprium enim et necessarium est doctoribus, alios habere procuratores ciborum, ut ipsi de nullo curantes, verbi ministrationem procurent sollicitate.

Augustinus. audivit autem dominus cogitationes discipulorum, et instruit eos ut magister, non per circuitum sicut mulierem, sed aperte; unde sequitur dicit eis iesus: meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me.

Origenes in Ioannem. Idoneus cibus filio Dei, cum actor paternae voluntatis efficitur, hoc velle in semetipso protestans quod erat in patre. Solus autem filius perfecti operis paternae voluntatis est capax; ceteri vero sancti nil praeter divinam peragunt voluntatem. Plenam autem et integram facit Dei voluntatem qui dixit meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me; proprius enim cibus eius ostenditur. quid autem sit velle patris, innuit sermo sequens ut perficiam opus eius. siquidem simplicius quis asseret, quoniam opus est iussum mandantis; puta si dicant aedificantes vel fodientes se perficere opus eius qui conduxit eos. Sed si per Christum perficitur opus Dei, restat ut priusquam perficeretur esset diminutum. Qualiter autem diminutum erat opus, cum esset Dei? perfectio quidem operis, rationalis naturae est perfectio; ad huius enim operis perfectionem, cum esset imperfectum, verbum caro factum accessit. Cum enim quodammodo homo perfectus fuerit, ob transgressionem factus est imperfectus; et ideo missus est salvator, primo quidem ut perficiat voluntatem eius qui misit eum; secundo vero ut consummet opus Dei, ut quilibet perfectus fiat ad solidi cibi usum.

Theophylactus. Opus etiam Dei perfecit, scilicet hominem, Dei filius, nostram naturam in seipso sine peccato ostendens in omni opere perfectam et incorruptam. opus etiam Dei, scilicet legem, perfecit: quia finis legis Christus eam cessare faciens, omnibus quae in ea erant perfectis, a corporali cultu in spiritualem reduxit.

Origenes. mystice autem post poculi negotium, ac disciplinam distinctionis aquarum, consequens erat et de cibo disceptare. Samaritana quidem petita potum, non habebat praebere iesu dignum poculum; discipuli

vero invenientes humilia pulmenta apud alienigenas, ei obtulerunt, rogantes eum ut manducaret. et attende si forsitan verentur, ne verbum Dei, propriis non vigoratum escis, in eis deficiat. Quaecumque ergo reperiunt discipuli, his iugiter proponunt verbum alere, ut corroboratum atque roboratum perseveret penes eos qui nutriunt ipsum. Quemadmodum autem corpora egentia cibo, neque eisdem aluntur, neque eadem quantitas ciborum cunctis sufficiens est; sic intelligendum est et in his quae sunt supra corpus: nam horum hoc quidem plurimi, hoc autem paucioris indiget nutrimenti, dissimilis capedinis entia. Sed neque qualitas alentium verborum atque intentionum contemplativarum seu operationum eadem congruit omnibus: nam nuper geniti infantes, rationale appetunt lac; perfectorum autem est solidus cibus. Veridicus est ergo iesus dicens ego cibum habeo manducare quem vos nescitis. Semper enim qui praeest infirmis ac nequeuntibus eadem cum validis videre, hoc dicere potest.

IOANNES 4,35-38

12435 (Jn 4,35-38)

Chrysostomus in Ioannem. quae sit voluntas patris, de cetero interpretatur, dicens nonne vos dicitis quod adhuc quatuor menses sunt et messis venit? Theophylactus. Scilicet materialis. ego autem dico vobis, quod messis intelligibilis adest: hoc enim dicebat propter samaritanos venientes ad ipsum; unde subdit levate oculos vestros, et videte regiones, quia albae sunt iam ad messem.

Chrysostomus. Rursus consuetis nominibus ad maximorum eos contemplationem reducit. Regio enim et messis hic indicat multitudinem animarum, quae paratae sunt ad praedicationis susceptionem. oculos autem hic dicit et eos qui mentis, et eos qui corporis: etenim videbant de reliquo multitudinem samaritanorum venientem. Has autem praeparationes hominum decenter regiones albatas vocat; sicut enim spicae cum dealbatae fuerint, ad messem sunt paratae, ita et hi ad salutem sunt parati. Sed propter quid non manifeste dicit, quod praeparati sunt homines ad susceptionem verbi? duarum quidem occasionum gratia: unius quidem ut manifestior fiat sermo, et magis ante oculos ponat quae dicuntur; alterius autem ut dulcior sit narratio et permanentior eorum quae dicuntur memoria.

Augustinus in Ioannem. In opus autem fervebat et operarios mittere festinabat; unde subditur et qui metit, mercedem accipit, et congregat fructum in vitam aeternam; ut et qui seminat simul gaudeat, et qui metit.

Chrysostomus. per ea quae hic dicit, dividit terrena a caelestibus: sicut enim supra dixerat de aqua, quod qui bibit hanc aquam, non sitiet, ita hic dicit qui metit, congregat fructum in vitam aeternam: et iterum qui seminat, simul gaudeat, et qui metit. Prophetiae enim sunt qui seminant; sed non illi messuerunt, sed apostoli: quia enim infra dicet, quod alius seminat et alius metit, ne quis aestimet quod prophetae seminantes mercede priventur, extraneum quiddam inducit, et a sensibilibus alienum: nam in rebus quidem sensibilibus si contingat alium seminare et alium metere, non simul laetantur, sed dolent qui seminant, quasi aliis laborantes; laetantur autem soli qui metunt: hic autem non ita; sed et qui non metunt seminantes, simul cum metentibus laetantur, quoniam in mercede communicant.

Augustinus. disparis enim temporis labores habuerunt apostoli et prophetae; sed gaudio pariter perfuerunt, mercedem simul accepturi sunt vitam aeternam.

Chrysostomus. ad hoc autem quod dixerat sermonem proverbialem inducit; unde subdit in hoc enim est verbum verum, quia alius est qui seminat, et alius qui metit. Hoc quidem vulgariter dicebatur, si quando alii labores sustinebant, et alii fructus metebant. Sed et hic sermo iste maxime habet veritatem: quia prophetae laboraverunt, sed vos fructus ex illorum laboribus metitis; unde subdit ego misi vos metere quod vos non laborastis.

Augustinus. quid ergo? messoris misit, non seminatore? ibi ergo messoris mittendi ubi iam prophetae praedicaverant. legite labores illorum, et in omnibus eorum laboribus est prophetia Christi: ergo iam in iudaea messis parata erat quando tot millia hominum pretia rerum suarum offerebant, et ad pedes apostolorum ponentes, expeditis humeris a sarcinis saecularibus, Christum dominum sequebantur. De ipsa messe eiecta sunt pauca grana, et seminaverunt orbem terrarum: et surgit alia messis, quae in fine saeculi metenda est; ad quam metendam non apostoli, sed angeli mittentur. messoris sunt angeli.

Chrysostomus. Dicit ergo ego misi vos metere quod vos non laborastis: quasi dicat: ubi minor labor est, maior autem delectatio, ad hoc vos reservavi; et quod laboriosius erat, hoc fuit prophetarum, scilicet mittere semina; unde subdit alii laboraverunt, et vos in labores eorum introistis. Per haec omnia vult ostendere quod prophetarum voluntas erat ut homines ad eum accederent. Et hoc lex ordinabat: et propterea illi

seminaverunt, ut hunc facerent fructum. Ostendit etiam quod ipse illos misit, et quod multa est cognatio novi ad vetus testamentum.

Origenes. Vel aliter totum. Qualiter quidem non est inconueniens hoc quod est levate oculos vestros etc. Allegorizare; quod autem dicitur nonne vos dicitis quoniam quatuor menses sunt et messis venit, non secundum allegoricam tractare? putamus ergo talia quaedam esse in hoc quod dicunt discipuli quatuor menses sunt, et messis venit. plerique enim discipulorum verbi animadvertentes veritatem incomprehensibilem fore humanae naturae, quando coniecerunt aliam esse vitam a praesente, quae corruptioni quatuor elementorum, quasi quatuor mensium subicitur, putant solum post hanc vitam cognitionem esse veritatis. dicunt igitur discipuli de messibus, quae sunt terminus operum ad veritatem conducentium, quia post instantem quaternitatem contingunt. Huiusmodi autem opinionem arguens velut non sanam, inquit verbum incarnatum his qui talia suspicantur nonne vos dicitis, quia adhuc quatuor menses sunt et messis venit? ego autem hoc dico: levate oculos vestros. in pluribus locis scripturae divinae hoc legitur; iubente nobis verbo divino extollere ac sublimare considerationes et cogitationes deorsum consistentes nec valentes erigi, nisi elevante illas iesu: nemo enim consistens in passionibus et vivens carnaliter, hoc propositum servat mandatum. quapropter qui talis est, non videbit regiones, si albae sunt ad messem. Albescunt quidem regiones ad messem, cum adest verbum Dei illustrans singulas regiones scripturae, fecundans in eius adventu: et etiam omnia sensibilia sunt quasi regiones albae paratae ad messem, praesto existente levantibus oculos ratione, quae de quolibet est, ut quisquis fulgorem prospiciat profusae ubilibet veritatis. qui autem metit praedictas messes, duplex habet in metendo emolumentum: unum quidem dum accipit praemium; unde dicitur et qui metit, mercedem accipit: quod arbitror dictum causa futurarum remunerationum: alterum quod sequitur et congregat fructum in vitam aeternam, bonum habitum quemdam denotat intellectus, qui est fructus ex ipsa speculatione proveniens. Arbitror autem quod in qualibet doctrina seminat quidem qui principia excogitat, quae suscipientes alii ac pertractantes, si quid novi potuerunt exprimere, coniungentes, fiunt suae inventionis gratia posteris causa ut metendo quasi maturos fructus aggregent. quanto autem magis hoc in arte artium expedit contemplari? siquidem seminantes sunt moyses et prophetae praevenientes adventum Christi; metentes autem sunt apostoli, qui Christum susceperunt et gloriam eius perspexerunt. Semen autem erat tota ratio secundum revelationem mysterii temporibus praeteritis obfuscati silentio: regiones autem, idest legales et propheticae scripturae, nondum albuerant his qui adventus verbi nequaquam extiterunt capaces. quod autem simul serens et metens gaudeat, erit cum privatio moeroris et angustiae in futuro fiet saeculo. Dum etiam iesus transfiguraretur in gloria, simul cum messoribus petro, iacobo et ioanne, moyses et elias satores pariter gaudent in videndo filii Dei gloriam. Attende tamen si hoc quod dico, alius et alius, intelligi potest propter aliam et aliam vitae conversationem, in qua homines iustificati sunt: ut liceat dicere alium quidem legis cultorem, alium vero evangelii: et tamen exultant simul, dum idem finis ab uno Deo per unum Christum in uno spiritu sancto reponitur. Ad labores autem prophetarum et moysi advenerunt apostoli, instruite iesu, metentes, ac in horrea colligentes animae suae intellectum in scripturis illorum reconditum: et semper qui debite capiunt disciplinam, priorum labores ad maiorem evidentiam trahunt, non tantum laborantes sunt hi qui semina condiderunt.

IOANNES 4,39-42

12439 (Jn 4,39-42)

Origenes in ioannem. Postquam dicta sunt discipulis quae tractata sunt, resumit scriptura de his qui venerant de civitate ad iesum, et crediderant per testimonium mulieris.

Chrysostomus in ioannem. Sicut autem in messe cum facilitate fructus congregantur, et in momento uno area manipulis repletur, ita et nunc fit; unde dicitur ex civitate autem illa multi crediderunt in eum samaritanorum, propter verbum mulieris testimonium perhibentis, quia dixit mihi omnia quaecumque feci. considerabant enim, quod nequaquam mulier grante eum admirata esset qui eius delicta redarguerat, nisi magnus quis esset et excellens qui praedicabatur ab illa. sic ergo solo mulieris testimonio credentes, et nullum signum videntes, exierunt deprecantes Christum ut apud eos maneret; et hoc est quod sequitur cum ergo venissent ad illum samaritani, rogaverunt eum ut ibi maneret. Iudaei vero miracula videntes, non detinuerunt eum apud seipsos; sed omnia egerunt ut a regione eorum eum abicerent: nihil enim livore et invidia deterius, nihil inani gloria difficilium, quae infinita corrumpere consuevit bona. Et quidem samaritani volebant eum semper secum detinere; ipse autem hoc non sustinuit, sed solum mansit ibi duobus diebus post haec; quod subditur et mansit ibi duos dies.

Origenes. non incongrue autem aliquis illud obiciet, quomodo rogatus salvator cum samaritanis manet, qui iussit civitatem samaritanorum non ingredi. Palam enim quoniam et discipuli eius cum eo ingressi sunt. Ad

quod dicendum, quod in viam gentium pergere est imbui gentili dogmate, et in illo ambulare. Civitatem vero samaritanorum intrare est acceptare falsam doctrinam recipientium legales, propheticos, evangelicos, et apostolicos sermones. cum autem deseruerint propriam doctrinam et venerint ad iesum, licet cum eis manere.

Chrysostomus in Ioannem. et iudaei quidem etiam signis visis incorrecti manserunt; hi autem et sine signis multam circa eum fidem demonstraverunt; solum enim verba audierunt; unde sequitur et multo plures crediderunt propter sermonem eius. Cuius igitur gratia haec verba non dicunt evangelistae? ut discas quoniam multa magnorum transcurrerunt, a fine vero totum ostenderunt: suasit enim toti civitati per ea quae dicta sunt. Ubi autem auditores non persuadentur, tunc evangelistae coguntur dicere ea quae dicta sunt, ne quod est ex indevotione auditorum, imputet quis defectui praedicantis. Ipsi autem discipuli Christi iam facti, magistram repulerunt; unde sequitur et mulieri dicebant: quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audivimus, et scimus quia hic est vere salvator mundi. Vide autem qualiter confestim intellexerunt quod orbem terrarum liberare venerat, et quod ad communem salutem veniens, non debebat in iudaeis suam concludere providentiam, sed ubique seminare sermonem. Dicentes etiam, quod est salvator mundi, ostenderunt quod mundus perditus erat, in magnis malis existens. Et quidem venerunt salvare prophetae et angeli; sed hic est vere salvator, qui salutem tribuit, non solum temporaneam, sed aeternam. Vide etiam qualiter audientes mulierem dubitanter dicentem numquid hic est Christus? non dixerunt hi: quoniam nos suspicamur, sed quoniam scimus; et non simpliciter, sed quoniam hic vere salvator mundi, non quasi unum ex multis Christum confitentes. solum verba audierunt, et hoc dixerunt quod dicere habebant, si miracula multa et magna vidissent.

Origenes. ceterum si meminimus praedictorum, non difficile est conicere quomodo cum repererint verbum sincerum, alias disciplinas relinquunt, quasi dogmatum civitatem, de qua egredientes salutifere credunt. Et puto studiose protulisse Ioannem, cum non dixit: rogabant eum samaritani intrare tantum samariam, vel ingredi civitatem, sed etiam ibi manere. Manet namque iesus penes deprecantes; et praesertim quoties qui precantur exeunt civitatem, et versus eum veniunt.

Augustinus in Ioannem. Manet apud eos biduo; hoc est, dat illis duo praecepta caritatis.

Origenes. Neque enim capaces erant tertiae diei eius; non enim erant avidi miraculorum quid cernere, quale qui fuerant in cana galilaeae post triduum cum iesu convivantes. Initium autem credendi multis fuit mulieris verbum: non enim sic per seipsum verbum conspicitur illuminans capientem, velut cum alterius dicto sibi testimonium perhibetur.

Augustinus. sic ergo Christum cognoverunt primo per famam, postea per praesentiam; sicut agitur hodie cum eis qui foris sunt, et nondum sunt Christiani: Christus nuntiatur per Christianos amicos: tamquam illa muliere, hoc est ecclesia, nuntiante ad Christum veniunt: credunt per istam feminam; et multo plures et firmiter in eum credunt, quoniam vere ipse est salvator mundi.

Origenes. impossibile est namque eandem circa intellectum fieri passionem videnti, et ei qui per videntem instruitur; magisque est per speciem ambulare quam per fidem; unde hi non solum testimonio hominis, sed ob ipsam quoque veritatem credunt.

IOANNES 4,43-45

12443 (*Jn 4,43-45*)

Alcuinus. Post biduum quod fecit in samaria, abiit in galilaeam, ubi nutritus fuerat; unde dicitur post duos autem dies exiit inde, et abiit in galilaeam.

Augustinus in Ioannem. Movet autem nos cur evangelista dixerit consequenter ipse enim iesus testimonium perhibuit, quia propheta in sua patria honorem non habet. Magis enim videtur attestari potuisse, quod propheta in patria sua honorem non habet, si contemneret pergere in galilaeam, et in samaria remansisset. hoc ego sentio. In samaria biduum fecit, et crediderunt in eum samaritani: tot dies fecit in galilaea, et non crediderunt in eum galilaei; et propter hoc dixit, quod propheta in patria sua honorem non habet.

Chrysostomus in Ioannem. vel aliter. Ideo hoc adiectum est, quia non in capharnaum abiit, sed in galilaeam, et in cana, ut infra dicitur. Ego enim patriam eum hic aestimo dicere capharnaum. quoniam autem non potitus est illic honore, audi eum dicentem: et tu, capharnaum, quae usque ad caelum exaltata

es, usque ad infernum descendes. dicit autem hic patriam propriam, in qua videtur plus conversatus.

Theophylactus. vel aliter. Quia dominus exiens de samaria, venit in galilaeam, ne aliquis dubitaret et quaereret qua de causa non semper in galilaea maneret, dicit, quod propter hoc non manebat in galilaea, quia nullum ibidem recipiebat honorem; quod ipse testatus est dicens quia propheta in sua patria non habet honorem.

Origenes in Ioannem. Perscrutanda est autem huius dicti sententia. patria siquidem prophetarum in iudaea erat, et est non ignotum quod honorem a iudaeis nequaquam sunt consecuti, iuxta illud: quemnam prophetarum non persecuti sunt patres vestri? miranda etiam occurrit huius decreti veracitas, cum pervenerit non tantum ad sanctos prophetas vilipensos a propriis, et ipsum dominum nostrum; sed protensa sit etiam in quosdam prophetiae sequaces contemptos a suis civibus, et ad mortem deductos.

Chrysostomus. Quid igitur? nonne videmus et apud suos multos in admirationem deductos? ita quidem: sed ab his quae raro contingunt non oportet talia pronuntiari. Sed et si in propria patria aliqui honorantur, multo magis in aliena. Consuetudo enim facile homines contemptibiles facere consuevit. Quando igitur venit in galilaeam, susceperunt eum galilaei; unde sequitur cum ergo venisset in galilaeam, exceperunt eum galilaei. vides quoniam qui mali dicebantur, hi maxime ad Christum accedere inveniuntur. nam propter galilaeos dicitur: interroga, et vide, quoniam propheta ex galilaea non surrexit. Propter samaritanos autem improperebant ei: samaritanus es et daemonium habes. sed ecce samaritani et galilaei credunt in confusionem iudaeorum. Inveniuntur autem et galilaei samaritanis meliores: nam illi quidem mulieris crediderunt verbis; hi vero videntes signa quae faciebat; unde sequitur cum omnia vidissent quae fecerat hierosolymis in die festo.

Origenes. quod enim dominus eicit de templo vendentes oves et boves, tam grande reperitur ut his moti galilaei reciperent dominum, considerantes mirantesque maiestatem eius: non enim minor potentia eius ostenditur in his quam ut caeci videant, audiantque surdi. Aestimo vero nec haec sola ipsum tunc fecisse, sed et alia signa.

Beda. Sed unde data est eis videndi occasio, ostendit subdens et ipsi enim venerant ad diem festum. Mystice autem intimatur quod gentibus in fide a duobus praeceptis caritatis consolidatis, Christus circa fines mundi revertetur ad patriam, idest ad iudaeos.

Origenes in Ioannem. Expediit autem galilaeum, idest transmigrantem, restare hierosolymis, ubi est templum Dei, et videre singula quae peragit ibi iesus. Hoc enim est principium, ut galilaei recipiant Dei filium euntem ad ipsos; alioquin vel non recepissent illum, vel etiam ipse nondum ipsis praeparatis ad eius receptionem adeo prope venisset ad eos.

IOANNES 4,46-54

12446 (Jn 4,46-54)

Chrysostomus in Ioannem. primo quidem dominus, ut supra dictum est, in cana galilaeae venerat vocatus ad nuptias; nunc autem ad eos vadit, ut magis eos attrahat, sponte ad eos veniens, propria patria dimissa, et ut fidem a priori miraculo in eis initiatam fortiolem faceret propter suam praesentiam.

Augustinus in Ioannem. Ibi enim quando aquam in vinum convertit, crediderunt in eum discipuli eius: et utique plena domus erat turbis convivantium, et factum est tam magnum miraculum, et non crediderunt nisi discipuli eius: et ideo hanc civitatem modo repetivit, scilicet ut qui per priora non crediderant, modo credant.

Theophylactus. Rememorat autem nobis evangelista miraculum perpetratum in cana galilaeae de aqua conversa in vinum, ut augeret Christi praeconium: quia galilaei non solum propter miracula hierosolymis facta, sed et propter ea quae apud ipsos facta erant, receperunt iesum; simulque ut ostenderet quod regulus credidit propter miraculum in cana perpetratum, quamvis eius non perfecte cognoverit dignitatem; unde sequitur et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur capharnaum.

Origenes in Ioannem. Putabit autem aliquis regis herodis hunc esse regulum: et aliquis asserit hunc esse de familia caesaris, exercentem tunc temporis aliquid in iudaea: neque enim dicitur quod iudaeus fuerit.

Chrysostomus. regulus autem dicitur, aut quasi generis existens regalis, aut dignitatem aliquam principatus habens; aut quia sic vocabatur. igitur quidam hunc eumdem esse existimant centurionem, qui

est apud matthaeum. ostenditur autem alius esse ab eo: nam ille quidem Christum volentem ire ad suam domum, rogat remanere; hic autem et nihil tale promittentem ad domum trahit: et ille quidem ad iesum de monte descendentem capharnaum intravit; hic autem ad iesum in cana venientem accessit: et illius quidem puer a paralyysi detinebatur; huius autem filius a febre. de hoc ergo regulo subditur hic cum audisset quod iesus adveniret a iudaea in galilaeam, abiit ad eum, et rogabat eum ut descenderet, et sanaret filium eius: incipiebat enim mori.

Augustinus. qui rogabat, nonne credebat? quid a me expectas audire? dominum interroga quid de illo senserit; sequitur enim dixit ergo iesus ad eum: nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Arguit hominem in fide tepidum aut frigidum, aut omnino nullius fidei; sed tentare cupientem de sanitate filii sui, qualis esset Christus, quid esset, quantum posset. Prodigium quidem appellatum est, quasi porrodictum, quod porro dicat, porro significet, et futurum aliquid portendat.

Augustinus de cons. Evang.. Adeo autem dominus supra omnia mutabilia vult mentem credentis attollere, ut nec ipsa miracula, quae, quamvis divinitus, de mutabilitate corporum fiunt, a fidelibus quaeri velit.

Gregorius in evang.. sed mementote etiam quae petiit; et aperte agnoscetis quia in fide dubitavit. poposcit namque ut descenderet, et sanaret filium eius; unde sequitur dicit ad eum regulus: domine, descende priusquam moriatur filius meus. Minus itaque in illum credidit quem non putavit posse salutem dare, nisi praesens esset et corpore.

Chrysostomus. audi etiam qualiter adhuc terrene Christum trahit, quasi non posset eum post mortem suscitare. Si autem non credens venit et rogavit, nil mirabile. consueverunt enim patres ex multo amore non solum medicis loqui de quibus confidunt, sed de quibus non confidunt; nihil volentes praetermittere eorum quae ad salutem pertinent filiorum. Si tamen valde crederet Christi virtutem, non neglexisset etiam in iudaeam ire.

Gregorius. Sed dominus qui rogatur ut vadat, quia non desit ubi invitatur, indicat: solo iussu salutem reddidit qui voluntate omnia creavit; unde sequitur dicit ei iesus: vade, filius tuus vivit. Hic superbia nostra retunditur, qui in hominibus non naturam, qua ad imaginem Dei facti sunt, sed honores et divitias veneramur. redemptor vero noster, ut ostenderet quoniam quae alta sunt hominibus, sanctis despicienda sunt, et quae despicienda sunt hominibus, despicienda non sunt sanctis, ad filium reguli ire noluit, ad servum centurionis ire paratus fuit.

Chrysostomus. Vel aliter. Illic quidem fides confirmata erat; idcirco et promisit ire, ut discamus viri devotionem: hic autem adhuc imperfectus erat, et nondum noverat manifeste quod absens curare poterat: unde ex hoc quod non accedit iesus, hoc addiscit; sequitur enim credidit homo sermoni quem dixit ei iesus, et ibat; non tamen integre, neque sane.

Origenes in ioannem. Ostenditur autem eius dignitas et officium ex hoc quod servientes illi occurrunt; unde sequitur iam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et nuntiaverunt ei, dicentes, quia filius eius viveret.

Chrysostomus. qui quidem obviaverunt, non ut annuntiarent solum, sed quasi aestimantes de reliquo superfluum esse Christi praesentiam, quem credebant accedere. quod autem regulus non integre credidit neque sane, ostenditur ex hoc quod sequitur interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerat. Volebat enim scire utrum casu, vel ex praecepto Christi hoc factum esset. sequitur et dixerunt ei, quia heri hora septima reliquit eum febris. Vide qualiter miraculum manifestum est: non enim simpliciter, neque ut contingit, a periculo liberatus est; sed repente et simul: ut appareat non esse ex naturae consequentia quod fiebat, sed ex actione Christi; unde sequitur cognovit ergo pater quia illa hora erat in qua dixit ei iesus: filius tuus vivit: et credidit ipse, et domus eius tota.

Augustinus in ioannem. Si ergo propterea credidit quia nuntiatum est ei quod filius eius esset sanus, et comparavit horam nuntiantium horae praenuntiantis, quando rogabat, nondum credebat.

Beda. unde datur intelligi, et in fide gradus esse, sicut et in aliis virtutibus, quibus est initium, incrementum atque perfectio. huius ergo fides initium habuit cum filii salutem petiit; incrementum dum credidit sermoni domini dicentis filius tuus vivit; deinde perfectionem obtinuit nuntiantibus servis.

Augustinus. Ad solum sermonem crediderunt plures samaritani; ad illud miraculum sola illa domus credidit ubi est factum; unde subdit evangelista hoc iterum secundum signum fecit iesus, cum venisset a iudaea in galilaeam.

Chrysostomus in ioannem. non sine causa adiecit; sed ostendens quoniam secundo signo facto, nondum

ad perfectionem samaritanorum nullum signum videntium iudaei pervenerunt.

Origenes in Ioannem. Amphibologiam autem continet praesens dictum; uno enim modo denotat quod Iesus veniendo a Iudaea in Galilaeam, duo fecit miracula: quorum secundum est factum erga filium reguli: alio modo sic: duobus existentibus signis quae Iesus in Galilaea exercuit, secundum egit veniens a Iudaea in Galilaeam; et hic sensus verus est. mystice autem, per hoc quod Iesus bis in Galilaeam accedit, binus salvatoris adventus in mundum ostenditur: primus quidem misericordiae, ut vino facto convivias exhilaret; secundus vero ut filium reguli ad mortem pene deductum suscitet, idest populum Iudaeorum, qui post plenitudinem gentium accedet salvandus in fine. magnus autem rex regum est qui constitutus est a Deo in monte Sion sancto eius: huius qui viderunt diem, et gavisi sunt, reguli dignoscuntur. Arbitramur igitur regulum esse Abraham, aegrotum vero filium eius, israeliticum genus debilitatum erga cultum divinum; et ideo incaluit ignitis spiculis inimici, ut proinde febrile censeatur. apparet autem quod praecedentibus sanctis, postquam carnis exuerunt amictum, populus fuit curae: unde legitur in Machab. Post mortem Ieremiae: hic est Ieremias propheta Dei, qui plurimum orat pro populo. Abraham igitur obsecrat adiuvari a salvatore populum infirmum. et quidem potestatis verbum de cana prodit, ubi dictum est filius tuus vivit; sed verbi efficacia in Capharnaum agitur, nam ibi filius reguli curatus est, quasi in agro consolationis morans; quod significat genus quoddam debilius, non tamen omnino fructibus privatorum. Illud autem nisi signa et prodigia videritis, non creditis, dictum illi, refertur ad multitudinem filiorum suorum, et ad ipsum quodammodo: sicut enim Ioannes expectabat datum sibi signum, scilicet: super quem videris spiritum descendentem, sic et praemortui sancti adventum Christi in carnem et signis et prodigiis manifestandum expectabant. Habebat autem hic regulus non solum filium, sed etiam servos; per quos significatur materies quaedam minus bene et infirme credentium. Nec a casu hora septima deserit filium febris: nam septenarius numerus est quietis.

Alcuinus. vel quia per septiformem spiritum est omnis remissio peccatorum: septenarius enim in tria et quatuor divisus significat sanctam trinitatem, in quatuor anni temporibus, in quatuor mundi partibus, in quatuor elementis.

Origenes. possunt quoque significari duo adventus Christi verbi ad animam: primus quidem ex facto vino praebens animae gaudium spiritualis convivii; secundus vero omnes languoris ac mortis reliquias amputans.

Theophylactus. Regulus autem est omnis homo: non solum quia regi universorum propinquus existit secundum animam, sed quia et ipse super omnia principatum sumpsit; cuius filius, idest mens, febricitat voluptatibus pravis et desideriis. Accedit autem ad Iesum, et deprecatur ut descendat; idest, ut condensu misericordiae utatur, et parcat peccatis, priusquam a voluptatum infirmitate mortificetur. Sed dominus dicit vade, idest, profectum continuum circa bonum ostendas, et tunc filius tuus vivet; si autem ambulare cessaveris, mortificabitur tibi intellectus circa boni operationem.

IOANNES 5,1-13

12501 (Jn 5,1-13)

Augustinus de cons. Evang.. post miraculum in Galilaea factum, inde Hierosolimam redit; unde dicitur post haec erat dies festus Iudaeorum, et ascendit Iesus Hierosolimam.

Chrysostomus in Ioannem. Mihi videtur quod erat dies festus Pentecostes. Ascendit autem Iesus Hierosolimam semper in diebus festis, ut cum eis dies festos faciens non videatur legi contrarius, et ob hoc multitudinem simplicem per signa et doctrinam attrahat: maxime enim in diebus festis qui iuxta positi erant, concurrebant. sequitur est autem Hierosolymis probatica piscina, quae cognominatur Hebraice Bethesda, quinque porticus habens.

Alcuinus. probaton Graece, ovis dicitur; probatica ergo piscina pecuaria dicitur, ubi sacerdotes cadavera hostiarum abluebant.

Chrysostomus. Decebat quidem baptisma dari peccata purgans, cuius imago praescripta fuit in piscina et in aliis pluribus. et primum quidem dedit deus aquam expurgantem corporum sordes et iniquitates non existentes, sed opinatas, puta ea quae a funere, et quae a lepra, et quae ab aliis talibus; deinde infirmitates diversas per aquas facit solvi; unde sequitur in his iacebat multitudo magna languentium, caecorum, claudorum, aridorum expectantium aquae motum. Volens enim deus propinquius adducere ad baptismi donum, non adhuc inquinamenta solum mundat, sed etiam aegritudines sanat: sicut enim ministri qui prope regem sunt, his qui sunt a longe clariores sunt; ita et in figuris fit. Non autem simpliciter sanabat aquarum

natura; semper enim hoc fieret; sed in angeli descensione; unde sequitur angelus autem domini descendebat secundum tempus in piscinam, et movebatur aqua. Sic enim et in baptizatis non simpliciter aqua operatur; sed cum spiritus sancti acceperit gratiam, tunc omnia solvit peccata. Angelus enim descendens turbabat aquam, et sanativam imponebat virtutem; ut discant iudaei quoniam multo magis angelorum dominus omnes aegritudines animae sanare potest. Sed tunc quidem infirmitas impedimentum volenti curari fiebat; subditur enim et qui prior descendisset in piscinam post motionem aquae, sanus fiebat a quacumque detinebatur infirmitate. nunc autem unusquisque accedere potest: non enim angelus est qui turbat aquam, sed angelorum dominus, qui omnia operatur. sed etsi orbis terrarum universus veniat, gratia non consumitur, sed similis manet: sicut enim solares radii per unamquamque illuminant diem, et non consumuntur, neque a multa largitione minor fit solis lux; ita et multo amplius spiritus sancti actio in nullo minuitur a multitudine eorum qui potiuntur ea. Hoc autem fiebat, scilicet ut unus tantum post motionem aquae sanaretur; ut qui didicerant quoniam in aqua aegritudines corporis sanabantur, in hoc per multum tempus exercitati, facile crederent quod et aegritudines animae aqua sanare potest.

Augustinus in Ioannem. Plus est autem quod Christus vitia sanavit animarum, quam quod sanavit languores corporum mortuorum. Sed quia ipsa anima non eum noverat, a quo sananda erat, et oculos habebat in carne, unde facta corporalia videret, et nondum habebat in corde, unde Deum latenter cognosceret, fecit quod videri poterat, ut sanaretur unde videri non poterat. Ingressus est locum ubi iacebat multitudo languentium, de quibus elegit unum ut sanaret, de quo subditur erat autem quidam homo ibi triginta et octo annos habens in infirmitate sua.

Chrysostomus in Ioannem. Non autem confestim eum a principio sanavit; sed primum eum familiarem sibi fecit, per interrogationem futurae fidei faciens viam. non autem expetit fidem, ut in caecis fecit, dicens: creditis quia possum hoc facere? quia hic nondum noverat eum manifeste quis esset. Nam alii quidem ex aliis eius virtutem cognoscentes, convenienter haec audiebant; alii vero nondum eum cognoscentes, sed per signa eum cognitari, post miracula requiruntur de fide; unde sequitur hunc cum vidisset iesus iacentem, et cognovisset quia multum iam tempus haberet, dicit ei: vis sanus fieri? non hoc quaerit ut discat (hoc enim superfluum esset), sed ut ostenderet illius patientiam, qui triginta et octo annos habens, per unumquemque annum eripi ab aegritudine expectans, assidebat, et non desistebat; et ut cognoscamus propter quam causam dimittens alios, ad hunc venit. Et non dicit: vis, te curabo? nondum enim aliquid magnum imaginabatur ille de Christo. Non autem turbatus est ad interrogationem, neque dixit: iniuriari mihi venisti, quando interrogas si volo sanus fieri; sed mansuete respondet; sequitur enim respondit ei languidus: domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam; dum venio enim ego, alius ante me descendit. non noverat quis esset qui interrogabat, neque quod curaturus esset eum; opinabatur autem fortasse utilem sibi fore Christum ad mittendum eum in aquam. sed Christus ostendit quod verbo omnia potest facere; unde sequitur dicit ei iesus: surge, tolle grabatum tuum, et ambula.

Augustinus. Tria dixit: sed surge, non operis imperium fuit, sed operatio sanitatis; sano autem duo imperavit: tolle grabatum tuum, et ambula.

Chrysostomus. intuere divinae sapientiae superabundantiam. Non solum sanat, sed et lectum portare iubet: ut et credibile faceret miraculum, et nullus existimet phantasiam esse quod factum est. non enim, nisi certissime et vehementer compacta essent membra, lectulum ferre possent. Audiens autem languidus quoniam cum potestate et velut iubens dixit surge, tolle grabatum tuum, non derisit dicens: angelus descendit, et turbat aquam, et solum unum curat, tu autem homo existens ex solo praecepto speras te magis angelis posse? sed audivit et non discredidit ei qui iussit, et sanus factus est; unde sequitur et statim sanus factus est homo, et sustulit grabatum suum, et ambulabat.

Beda. Multum quippe inter sanationem domini, et quae a medicis infertur, distare probatur: haec videlicet voce iubentis, et mox impletur; illa vero per multa temporis intervalla aliquoties perficitur.

Chrysostomus. Igitur mirabile quidem est hoc; quae autem sequuntur multo maiora erunt: nam in initio quidem nullo molestante suaderi non ita mirabile est, sicut quod post insanientibus iudaeis et accusantibus, Christo obedivit, ut ostendit evangelista consequenter, dicens erat autem sabbatum in illo die. dicunt ergo iudaei illi qui sanatus fuerat: sabbatum est; non licet tibi tollere grabatum tuum.

Augustinus in Ioannem. non calumniabantur domino quia sanum fecerat sabbato, quia eis respondere posset, quia si cuiusquam iumentum in puteum cecidisset utique die sabbati erueret illud et salvaret; sed ei qui portabat grabatum suum; quasi dicant: si sanitas non erat differenda, numquid et opus fuerat imperandum? sed ille auctorem sanitatis suae obiciebat calumniatoribus; unde sequitur respondit eis: qui me sanum fecit, ille mihi dixit: tolle grabatum tuum, et ambula; quasi dicat: quare non acciperem iussionem a quo acceperam sanitatem? **Chrysostomus.** nimirum si malignari vellet, poterat dicere: si crimen est, accusate eum qui iussit, et deponam lectulum; sed et curationem utique occultasset; etenim sciebat non ita

eos id reprehendere ex sabbati solutione, sicut ex infirmitatis sanatione. sed neque hoc occultavit, neque veniam petiit; sed clara voce beneficium confessus est. Illi vero maligne interrogaverunt; unde subditur interrogaverunt ergo eum: quis est ille homo qui dixit tibi: tolle grabatum tuum, et ambula? non dicunt: quis est qui fecit te sanum? sed in medium inducunt id quod transgressio aestimabatur. sequitur is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus autem declinavit a turba constituta in loco. Et primum quidem ut eo absente testimonium insuspicabile fieret; qui enim adeptus fuerat sanitatem, idoneus erat beneficii testis: demum ut non plus faceret furorem illorum accendi. Solus enim visus eius cui invidetur, non parvam invidentibus immittit scintillam. Propterea discedens permisit ab ipsis suum factum examinari. quidam aestimant hunc paralyticum esse eum qui in matthaeo positus est; sed non est: ille enim multos habebat sui curam habentes, et eum ferentes; hic autem nullum. Sed et locus utrorumque diversus est.

Augustinus. Si quidem mediocri corde et humano ingenio consideremus hoc miraculum facientem, quod ad potestatem pertinet, non magnum aliquid fecit; et quod ad benignitatem, parum fecit. Tot iacebant, et unus curatus est, cum posset uno verbo omnes erigere. Quid ergo intelligendum est, nisi quia potestas illa et bonitas magis agebat quid animae in factis eius pro salute sempiterna intelligerent, quam quid pro temporali salute corpora mererentur? in illis enim factis quicquid temporaliter sanatum est, in membris mortalibus in fine defecit; anima quae credidit, ad vitam aeternam transitum fecit. Piscina ista et aqua illa populum mihi videtur significasse iudaeorum: significari enim populus nomine aquarum, aperte nobis indicat apocalypsis iohannis.

Beda. Bene autem piscina probatica fuisse describitur. ille enim populus ovis nomine significatur, secundum illud: nos populus tuus, et oves gregis tui.

Augustinus. aqua ergo illa, idest populus ille, quinque libris moysi tamquam quinque porticibus clauderetur; sed illi libri prodebant languidos, non sanabant: lex enim peccatores convincebat, non absolvebat.

Beda. Denique multa genera languentium in eadem iacuerunt: caeci scilicet qui scientiae lumine carent; claudi, qui ad ea quae iubentur implenda, vires non habent; aridi, qui supernae dilectionis pinguedine carent.

Augustinus. Venit autem Christus ad populum iudaeorum, et faciendo magna, docendo utilia, turbavit peccatores, idest aquam, praesentia sua, et excitavit ad passionem suam. Sed latens turbavit: si enim cognovissent, nunquam gloriae dominum crucifixissent. subito enim videbatur aqua turbata, et a quo turbabatur non videbatur. Descendere ergo in aquam turbatam, hoc est humiliter credere in domini passionem. ibi sanatur unus, significans ecclesiae unitatem; postea quisquis veniret non sanabatur; quia quisquis praeter unitatem fuerit, sanari non poterit. Vae illis qui oderunt unitatem, et partem sibi faciunt in hominibus. Habebat autem triginta et octo annos in infirmitate qui sanatus est: hic enim numerus ad languorem pertinet magis quam ad sanitatem. Quadragenarius enim numerus sacratus nobis in quadam perfectione commendatur: quia lex in decem praeceptis data est, et praedicanda erat per totum mundum, qui quatuor partibus commendatur: denarius autem per quatuor multiplicatus ad quadragenarium pervenit. vel quia per evangelium, quod quatuor libros habet, impletur lex. Si ergo quadragenarius numerus habet perfectionem legis, et lex non impletur nisi in gemino praecepto caritatis, quid miraris, quia languebat qui quadraginta, minus duos, habebat? necessarius erat illi homo ad sanitatem, sed homo ille qui et deus est: et quia illum iacentem duobus minus invenit, duo quaedam iubendo, quod minus erat implevit. In duobus enim domini iussis duo praecepta significata sunt caritatis. Dei dilectio prior est ordine praeciipiendi, proximi autem dilectio prior est ordine faciendi. dicit ergo tolle grabatum tuum; quasi diceret: cum esses languidus, portabat te proximus tuus: sanus factus es, porta proximum tuum. Dicit etiam ambula. sed quo iter agis nisi ad dominum Deum tuum? **Beda.** Quid enim est dicere surge et ambula, nisi a torpore et ignavia, in quibus prius iacebas, erigere, et in bonis operibus proficere stude? tolle grabatum tuum, idest proximum tuum, a quo portaris, et ipse patienter tolera.

Augustinus. porta ergo eum cum quo ambulas, ut ad eum pervenias cum quo manere desideras. Ille autem nondum iesum noverat, quia et nos credimus in eum quem non videmus; et ut non videatur declinat a turba. Quadam solitudine intentionis videtur deus; turba strepitum habet; visio ista secretum desiderat.

IOANNES 5,14-18

12514 (Jn 5,14-18)

Chrysostomus in iohannem. curatus homo non secessit ad nudinas, neque voluptati aut vanae gloriae dedit seipsum; sed in templo conversabatur, quod maximae religionis est signum; unde dicitur postea

invenit eum iesus in templo.

Augustinus in Ioannem. Dominus quidem iesus et in turba eum videbat, et in templo. Ille autem languidus iesum in turba non agnoscit, in templo agnoscit, in loco sacro.

Alcuinus. Quia si gratiam conditoris cognoscere volumus, et ad eius visionem venire, fugienda est turba cogitationum et affectuum pravorum; declinanda sunt pravorum conventicula, fugiendum est ad templum, ut nos ipsos templum Dei studeamus facere, quos deus invisere et in quibus manere dignetur. sequitur et dixit illi: ecce sanus factus es; iam noli amplius peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.

Chrysostomus. ubi prius discimus quod ex peccatis ei nata est haec aegritudo: quia enim saepius animam in nobis aegrotantem insensibiliter habemus, corpus autem, etsi parvam susceperit laesionem, omne facimus studium, ut ab infirmitate liberemur, propterea deus punit corpus pro his quae anima deliquit; secundo vero quod verus est gehennae sermo; tertio quod longum est et infinitum supplicium. dicunt enim quidam: numquid quia in brevi temporis momento adulteratus sum, immortaliter crucior? vide quod hic tanto tempore pro peccatis cruciabatur: non enim temporis mensura peccata iudicantur, sed ipsa delictorum natura. Cum his autem et illud discimus, quod si gravem sustineamus poenam pro prioribus peccatis, deinde in eadem inciderimus, graviora patiemur; et hoc decenter: qui enim neque supplicio factus est melior, ut insensibilis de reliquo et contemptor, ad maius ducetur tormentum. Si autem hic non omnes pro peccatis torquentur, non confidamus: nihil enim nos hic pati pro peccatis, signum est maioris illic futuri supplicii. Non autem omnes aegritudines sunt ex peccatis, sed plures. Quaedam enim et a pigritia fiunt, quaedam propter probationem, sicut in iob. Sed propter quid paralytico huic Christus de peccatis mentionem facit? quidam huic paralytico detrahentes, dicunt eum Christi fuisse accusatorem, et propter hoc haec audisse: quid igitur dicent de paralytico qui est apud matthaeum? etenim et illi dictum est: dimittuntur tibi peccata tua. neque etiam Christus hunc incusat de praeteritis, sed ad futurum eum munit solum. Alios igitur curans, peccatorum non meminit: quia his paralyticis ex peccatis aegritudines sunt factae, aliis autem ex infirmitate naturali. Vel per hos reliquos omnes admonet. Cum his autem et illud est dicere, quoniam multam vidit inesse animae huius patientiam, et ut valentem suscipere admonitionem eum admonet. tribuit autem signum ei propriae deitatis: dicendo enim non amplius pecces, ostendit se scire omnia quae ab eo facta erant delicta.

Augustinus. Nunc autem ille, postea quam vidit iesum, et cognovit eum auctorem salutis suae, non fuit piger in evangelizando quem viderat; unde sequitur abiit ille homo, et nuntiavit iudaeis quia iesus erat qui fecit eum sanum.

Chrysostomus. non ita insensibilis erat ut post tantum beneficium et admonitionem maligna mente hoc dicat. Si enim detrahere vellet, sanitatem tacens, transgressionem dixisset; sed hoc non fecit: non enim dixit, quoniam iesus est qui dixit tolle grabatum tuum, quod videbatur iudaeis crimen esse; sed dixit: quoniam iesus est qui me sanum fecit.

Augustinus in Ioannem. Sic igitur ille annuntiabat, et illi insaniebant; unde sequitur propterea persequerentur iudaei iesum, quia hoc faciebat in sabbato. manifestum enim opus corporale factum erat ante oculos iudaeorum, non sanitas corporis, sed deportatio grabati, quae non videbatur ita necessaria quemadmodum sanitas. Aperte ergo dicit dominus, sacramentum sabbati, et signum observandi unius diei ad tempus datum esse iudaeis; impletionem vero ipsam sacramenti in illo venisse, cum sequitur iesus autem respondit eis: pater meus usque modo operatur, et ego operor; quasi dicat: nolite putare quia sabbato ita requievit pater meus ut ex illo non operetur; sed sicut ipse nunc operatur sine labore, operor et ego. Sed ideo dictum est, Deum requievisse, quia iam creaturam nullam condebat postquam perfecta sunt omnia. quietem vero propterea appellavit scriptura, ut nos admoneret post bona opera quieturos. Et sicut deus postquam fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam, et perfecit omnia opera sua bona valde, requievit septimo die; sic et tibi quietem non speres, nisi cum redieris ad similitudinem in qua factus es, quam peccato perdidisti; et nisi cum bona fueris operatus.

Augustinus super genesim. dici ergo probabiliter potest, ad servandum sabbatum iudaeis fuisse praeceptum in umbra futuri, quae spiritualem quietem significaret; quam deus exemplo quietis suae fidelibus bona opera facientibus arcana significatione pollicebatur.

Augustinus super Ioannem. Erit enim sabbatum huius saeculi cum transierint sex aetates, quasi sex dies saeculi: tunc enim ventura est requies, quae promittitur sanctis.

Augustinus super genesim. Cuius etiam quietis ipse dominus iesus mysterium sua sepultura confirmavit: ipso quippe die sabbati requievit in sepulchro, postquam sexto die consummavit opera sua, quando ait: consummatum est. Quid ergo mirum si deus istum diem, quo erat Christus in sepultura quieturus, volens

etiam hoc modo praenuntiare, ab operibus suis in uno die requievit, deinceps operaturus ordinem saeculorum? potest etiam intelligi, Deum requievisse a condendis generibus creaturae, quia ultra iam non condidit aliqua genere nova. Deinceps autem usque nunc et ultra operatur eorundem generum administrationem, quae tunc instituta sunt, non ut ipso saltem die septimo potentia eius a caeli et terrae omniumque rerum quas condiderat gubernatione cessaret; alioquin continuo dilaberentur: creatoris namque potentia causa est abstinendi omni creaturae, quae ab eis quae creata sunt regendis si aliquando cessaret, simul et eorum cessaret species, omnisque natura concideret. Neque enim sicut structuram aedium cum fabricaverit quis abscedit, atque illo cessante stat opus eius; ita mundus vix ictu oculi stare potest, si ei deus regimen suum subtraxerit. Proinde quod dominus ait pater meus usque modo operatur, continuationem quamdam operis eius, quae universam creaturam continet atque administrat, ostendit. Aliter enim posset intelligi, si diceret: et nunc operatur; ubi non esset necesse ut operis continuationem acciperemus. Aliter autem cogit intelligi, cum ait usque nunc, ex illo scilicet quo cuncta cum conderet operatus est.

Augustinus in Ioannem. ergo tamquam diceret iudaeis: quid expectatis ut non operer sabbato? sabbati dies vobis ad significationem meam praeceptus est. Opera Dei attenditis, per me facta sunt omnia. Operatus est pater lucem; sed dixit ut fieret. Si dixit: verbo operatus est, et verbum eius ego sum. pater meus et tunc operatus est cum fecit mundum, et usque nunc operatur cum regit mundum: ergo et per me fecit cum fecit, et per me regit cum regit.

Chrysostomus. Et quidem Christus, cum discipulos excusare oportebat, David conservum eorum in medium ferebat; quando vero de seipso erat accusatio, ad patrem refugit. Considerandum etiam, quod neque ut homo solum excusat, sed neque ut deus solum: sed quandoque hoc, quandoque illo modo. Volebat enim utrumque credi, et condensationis dispensationem et deitatis dignitatem. Unde hic aequalitatem sui ad patrem ostendit, et in dicendo eum patrem singulariter (dicit enim pater meus) et in agendo eadem illi (dicit enim et ego operor); unde sequitur propterea ergo magis quaerebant eum iudaei interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed et patrem suum dicebat Deum.

Augustinus. non quomodocumque, sed quia aequalem se fecit Deo: nam omnes dicimus Deo: pater noster, qui es in caelis. legimus et iudaeos dixisse: cum tu sis pater noster. Ergo non hic irascebantur quia patrem suum dicebat Deum, sed quod longe alio modo quam homines.

Augustinus de cons. evang.. Dicendo enim pater meus usque modo operatur, et ego operor; quod ei esset aequalis voluit intelligi; consequens esse ostendens ut quoniam pater operatur, et filius operetur: quia pater sine filio non operatur.

Chrysostomus. si vero non naturalis esset filius, nec eiusdem substantiae, haec excusatio maior accusatione esset. Non enim praefectus regalem legem transgrediens poterit effugere, si accusatus se excuset dicens, quoniam et rex solvit legem. Sed quia par est dignitas filii ad patrem, propterea perfecta excusatio est. Sicut igitur pater operans sabbato, absolutus est a crimine, ita et filius.

Augustinus in Ioannem. ecce intelligunt iudaei quod non intelligunt ariani: ariani quippe inaequalem dicunt filium patri, et inde haeresis pulsatur ecclesiam.

Chrysostomus in Ioannem. Qui vero nolunt cum bona mente hoc suscipere, dicunt quod Christus non fecit se aequalem Deo, sed iudaei hoc suspicabantur; sed ad hoc per ea quae supra dicta sunt superveniamus. manifestum enim est quod iudaei persequebantur Christum, et quod solvebat sabbatum, et quod dicebat patrem suum Deum: unde et quod consequenter additur aequalem se faciens Deo, adhaeret praemissis in veritate.

Hilarius de trin.. expositio enim est evangelistae causam demonstrantis cur dominum iudaei interficere vellent.

Chrysostomus. et iterum, si ipse hoc ipsum volebat astruere, sed iudaei hoc inaniter suspicabantur; non dimisisset dominus eorum mentem in errore, sed correxisset: neque enim evangelista hoc tacuisset; sicut supra de eo quod dictum est: solvite templum hoc.

Augustinus. Non tamen iudaei intellexerunt Christum esse filium Dei; sed intellexerunt in verbis Christi, quia talis commendaretur filius Dei quod aequalis esset Deo. Quia ergo nesciebant, talem tamen praedicari agnoscebant; ideo dicit aequalem se faciens Deo. Non autem ipse se faciebat aequalem, sed ille illum genuerat aequalem.

IOANNES 5,19-20

12519 (Jn 5,19-20)

Hilarius de trin.. Ad violati sabbati obiectum sibi reatum dixerat: pater meus usque modo operatur, et ego operor, ut usurpasse hoc ex auctoritate intelligeretur exempli; significans tamen hoc quod ipse ageret, patris opus esse intelligendum, quia ipse in se operaretur operante: et rursus adversum eam invidiam, quod se Deo aequasset paterni nominis usurpatione, volens et nativitatem confirmare, et naturae virtutem profiteri, respondit; unde dicitur respondit itaque iesus, et dixit eis: amen, amen dico vobis: non potest filius a se facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem.

Augustinus in Ioannem. quidam qui Christianos se haberi volunt, ariani haeretici dicentes ipsum filium Dei qui suscepit carnem, minorem esse quam pater est, capiunt ex his verbis causam calumniae, et respondent nobis: videtis quia dominus iesus cum adverteret iudaeos ex hoc moveri, quia patri Deo aequalem se faceret, talia verba subiunxit, ut se aequalem non esse monstraret: qui enim non potest, inquit, a se facere quidquam nisi quod viderit patrem facientem, utique minor est, non aequalis. Sed si deus erat verbum, et est deus maior et deus minor, duos deos colimus, non unum Deum.

Hilarius. Ne igitur exaequatio illa per nomen naturamque filii fidem nativitatis auferret, ait filium a se nihil facere posse.

Augustinus in Ioannem. Tamquam diceret: quid scandalizati estis, quia patrem meum dixi Deum, et quia aequalem me feci Deo? ita sum aequalis, ut ille me genuerit, non ut ille a me, sed ego ab illo sim. Filio hoc est esse quod posse. quia ergo substantia filii de patre est, ideo potentia filii de patre est; quia ergo filius non est a se, ideo non potest a se. sic ergo non potest filius a se facere quidquam, nisi quod viderit patrem facientem: quia videre filii hoc est natum esse de patre; non alia visio est eius et alia substantia eius: totum quod est, de patre est.

Hilarius. Ut autem maneret salutaris in patre et filio confessionis nostrae ordo, naturam nativitatis ostendit, quae potestatem efficiendi non per incrementa indultarum ad unumquodque opus virium sumeret, sed de cognitione praesumeret; praesumeret autem non de aliquo operis corporalis exemplo ut quod prius pater faceret, id postea filius facturum esset; sed cum ex patre filius esset natus per virtutis ac naturae in se paternae conscientiam, nihil nisi quod patrem facientem vidisset, filium facere posse testatus est. Non enim corporalibus modis deus videt; sed visus ei omnis in virtute naturae est.

Augustinus de trin.. hoc autem si propterea dictum acceperimus quia in forma accepta ex creatura minor est filius; consequens erit ut prior pater super aquas ambulaverit, et cetera quae filius in carne apparens inter homines fecit, ut possit filius ea facere. quis autem vel delirus ista sentiat? **Augustinus** super ioan.. Ambulatio tamen illa carnis supra mare a patre fiebat per filium. Quando enim caro ambulabat, et divinitas filii gubernabat, pater absens non erat, cum filius dicat: pater in me manens ipse facit opera. Cum ergo dixisset non potest filius a se facere quidquam, ne forte carnalis subreperet intellectus, ut faceret sibi homo quasi duos fabros, unum magistrum, alterum discipulum, ut quomodo ille fecit arcam, iste faciat alteram, secutus ait quaecumque enim ille fecerit, haec et filius similiter facit. Non ait: quaecumque pater facit, et filius alia similia facit; sed: haec eadem. mundum pater, mundum filius, mundum spiritus sanctus. Si unus deus pater, et filius, et spiritus sanctus, unus mundus factus a patre per filium in spiritu sancto. haec ergo eadem facit. Addit autem similiter, ne alius error in animo nasceretur. videtur enim corpus hoc idem facere quod animus, sed non similiter: animus enim imperat corpori: corpus visibile est, animus invisibilis. Ut faceret aliquid servus, iubente domino fecit: idem ab utroque factum est; sed numquid similiter? non ergo sic pater, et filius; sed haec eadem facit, et similiter facit; ut intelligamus simili potentia facere filium eadem ipsa quae facit pater. Aequalis igitur est patri filius.

Hilarius de trin.. Vel aliter. Omnia et eadem ad ostendendam naturae virtutem locutus est. Est igitur natura eadem, cum eadem omnia posse naturae sit. Ubi vero similiter per filium omnia eadem fiunt, similitudo operum solitudinem operantis exclusit. Haec igitur est verae nativitatis et fidei nostrae intelligentia, quia sub una hac significatione testantur et similiter facta nativitatem, et eadem facta naturam.

Chrysostomus in Ioannem. Vel aliter. Totum quod dicitur a semetipso non potest filius facere quidquam, intelligendum est quia nihil contrarium patri, nihil alienum ab eo facere potest. Ideo autem non dicit quoniam nihil contrarium facit, sed quoniam non potest facere, ut hinc ostendat indissimilitudinem et certitudinem paritatis. non enim imbecillitatem filii, sed multam eius virtutem ostendit hoc verbum. sicut enim cum dicimus: impossibile est Deum peccare, non imbecillitatem eius accusamus, sed ineffabilem quamdam virtutem eius testamur; ita cum dicit filius: non possum a meipso facere quidquam, hoc dicit, quoniam

impossibile est eum facere aliquid contrarium patri.

Augustinus contra serm. Arian.. Hoc autem non deficientis est, sed in eo quod de patre natus est, permanentis; tamque laudabile est omnipotentem non posse mutari, quam laudabile est quod omnipotens non potest mori. Posset enim filius facere quod non vidisset patrem facientem, si posset facere quod per illum non facit pater; hoc est, si posset peccare: neque naturae immutabiliter bonae quae a patre est genita conveniret. Hoc autem quia non potest, non deficienter non potest, sed potenter.

Chrysostomus. his autem quae dicta sunt attestatur quod sequitur quaecumque enim ille fecerit, haec similiter et filius facit. Si enim per seipsum pater omnia facit, et filius per seipsum facit, ut hoc quod dicit similiter, maneat; vides qualiter intelligentia est excelsa, humilitatis autem verba. Si enim humilius producit verba quaedam, non mireris: quia enim persequebantur eum excelsa audientes, et contrarium Deo esse aestimabant, parum per verba remisit.

Augustinus in Ioannem. Cum ergo dixisset et se eadem facere, et similiter quae facit pater, subdit pater enim diligit filium, et omnia demonstrat ei quaecumque ipse facit. Ad hoc quod supra dixit nisi quod viderit patrem facere, videtur pertinere et quod omnia demonstrat ei quae ipse facit. Sed rursus mortalis cogitatio perturbatur: dicit enim aliquis: seorsum facit pater, ut possit filius videre quod facit; velut si faber doceat filium artem suam, et demonstrat ei quicquid facit, ut possit et ipse facere quod viderit patrem facientem. Cum ergo pater facit, filius non facit, ut possit videre filius quod pater facit. Porro si fixum atque inconcussum tenemus, quia per filium omnia pater facit, antequam faciat demonstrat filio. Ubi etiam demonstrat filio pater quod facit, nisi in ipso filio, per quem facit? si enim pater exemplo faciat, et filius attendat manus patris quemadmodum faciat, ubi est illa inseparabilitas trinitatis? non ergo faciendo demonstrat pater filio, sed demonstrando facit per filium. Videt enim patrem filius demonstrantem antequam aliquid fiat, et ex demonstratione patris, et visione filii fit quod fit a patre per filium. Sed dices: ostendo filio meo quod volo facere, et facit ipse, atque ego per ipsum. Sed verba dicturus es filio tuo. Sed ipse filius est verbum patris. Numquid ergo per verbum loqueretur ad verbum? an quia filius magnum est verbum, minora verba transitura erant inter patrem et filium, et sonus aliquis, et quasi creatura quaedam temporalis exitura erat ex ore patris, et percussura aurem filii? remove omnia corporalia: simplicitatem vide, si simplex es; si non potes comprehendere quid sit deus, vel hoc comprehendere quid non deus sit. Multum proficies, si non aliud quam est senseris de Deo. In mente tua vide quod volo dicere: in qua video memoriam et cogitationem. Demonstrat memoria tua cogitationi tuae carthaginem, et quod in illa erat antequam intenderes, conversae ad se cogitationi ostendit. Ecce facta est a memoria demonstratio, facta est in cogitatione visio, et nulla verba in medio cucurrerunt, nullum ex corpore signum datum est; sed tamen omnia quae in memoria tenes, forinsecus accepisti. Pater quae demonstrat filio, non accepit extrinsecus: intus totum agitur; quia nihil creaturarum esset extrinsecus, nisi pater hoc fecisset per filium; et eam pater demonstrando fecit, quia per filium videntem fecit. Sic ergo demonstrans pater filii visionem gignit, quemadmodum pater filium gignit. Demonstratio quippe generat visionem, non visio demonstrationem. Quod si purius et perfectius intueri valeremus, fortassis inveniremus nec aliud esse patrem, aliud eius demonstrationem, nec aliud filium, aliud eius visionem.

Hilarius de trin.. Non igitur per ignoracionem credendus est unigenitus deus doctrina demonstrationis equisse. Demonstratio enim operum nihil aliud hic nobis praeterquam nativitatis fidem ingerit, ut subsistentem filium ex subsistente Deo patre credamus.

Augustinus. Videre enim patrem hoc est illi esse filium. Sic ergo demonstrat pater omnia quae facit filio, ut a patre videat omnia filius. Videndo enim natus est, et ab eo est illi videre a quo est illi esse, et natum esse, et permanere. **Hilarius.** Neque autem incircumspectum se caelestis sermo egit, ne forte diversae naturae significatio sub occasione dicti ambigui subreperet. demonstrata enim potius opera patris esse ait domino, quam ad operationem eorum naturam virtutis adiectam, ut demonstratio ipsa nativitas esse doceretur, cui per dilectionem patris operum paternorum, quae per eum effici vellet, esset cognata cognitio.

Augustinus. sed ecce quem diximus patri coaeternum, videntem patrem, et videndo existentem, rursus nobis tempora nominat; nam sequitur et maiora his demonstrabit ei opera. si autem demonstrabit, hoc est demonstraturus est, nondum demonstravit; et tunc filio demonstraturus est quando et istis; sequitur enim ut vos miremini. Et hoc difficile est videre, quomodo tamquam temporaliter filio coaeterno aliquando monstrat aeternus pater omnia scienti quae sunt apud patrem. Quae sint autem illa maiora, facile est intelligere ex hoc quod subditur sicut enim pater suscitavit mortuos et vivificavit, sic et filius quos vult vivificat. maiora enim opera sunt mortuos suscitare, quam languidos sanare. Sed qui paulo ante loquebatur ut deus, coepit loqui ut homo. Demonstrabit enim quasi temporaliter homini factio in tempore opera maiora, idest resurrectionem corporum. corpora enim resurgent per dispensationem humanam; sed animae resurgent per substantiam Dei: participatione enim Dei fit anima beata, non participatione beatae animae. Quomodo enim anima, quae inferior Deo est, id quod ipsa inferius est, hoc est corpus, vivere facit, sic eamdem animam non facit beate

vivere, nisi quod ipsa anima superius est, scilicet deus. unde et prius dictum est quod pater diligit filium, et demonstrat ei quae ipse facit. Demonstrat enim pater filio ut animae suscitentur, quia per patrem et filium suscitantur, nec possunt vivere nisi earum vita sit deus. Vel nobis pater demonstraturus est, non illi; propterea subiungit ut vos miremini: in quo exposuit quid voluit dicere: et maiora his demonstrabit ei opera. Sed quare non dixit: demonstrabit vobis, sed filio? quia et nos membra sumus filii, et ipse discit quodammodo in membris suis, quomodo et patitur in nobis: sicut enim dixit: quod uni ex minimis meis dedistis, mihi dedistis, ita si interrogetur a nobis: quando eris discens, cum tu doceas omnia? respondet: cum unus ex minimis meis discit, ego disco.

IOANNES 5,21-23

12521 (Jn 5,21-23)

Augustinus in Ioannem. Quia dixerat quod maiora his opera pater demonstraturus est filio, quae sint maiora prosequitur, et dicit sicut enim pater suscitatur mortuos et vivificat, sic et filius quos vult vivificat. Plane maiora sunt ista: valde enim plus est ut resurgat mortuus quam ut convalescat aegrotus. Non autem sic hoc intelligamus ut alios a patre suscitari, alios a filio aestimemus; sed eosdem quos pater suscitatur et vivificat, ipsos et filius suscitatur et vivificat. Et ne quis diceret: suscitatur pater mortuos per filium, ille tamquam potens, iste tamquam ex aliena potestate, tamquam minister facit aliquid; potestatem filii signavit dicens filius quos vult vivificat. Tenete hic non solum potestatem filii, verum etiam et voluntatem. Eadem enim patris et filii potestas est, et voluntas: non enim vult pater aliud quam filius; sed sicut illis una substantia, sic una voluntas est.

Hilarius de trin.. Velle quidem naturae libertas est, quae ad perfectae virtutis beatitudinem cum arbitrii voluntate in libertate subsistat.

Augustinus. sed qui sunt isti mortui, quos vivificat pater et filius? vult nobis insinuare resurrectionem mortuorum quam omnes expectamus, non illam quam quidam habuerunt, ut ceteri crederent; resurrexit enim lazarus moriturus. Cum ergo dixisset sicut enim pater suscitatur mortuos et vivificat, ne intelligeremus illam mortuorum resurrectionem quam fecit ad miraculum, non ad vitam aeternam, secutus ait neque enim pater iudicat quemquam, etc.: ut ostendat quia de illa resurrectione mortuorum dixerat quae futura est in iudicio. vel aliter de resurrectione animarum dictum est sicut pater suscitatur mortuos, etc.. Resurrectione autem corporum sic dicit: neque enim pater iudicat quemquam, etc.. Resurrectio enim animarum fit per substantiam patris et filii, et ideo id simul operantur pater et filius: resurrectio vero corporum fit per dispensationem humanitatis non patri coaeternam. sed vide quomodo verbum Christi mentem nostram huc atque illuc ducit, et uno carnis loco remanere non sinit; ut versando exerceat, exercendo mundet, mundando capaces reddat, capaces factos impleat. Paulo enim ante dicebat, quia demonstrat pater filio quidquid facit. Videbam quasi patrem facientem, et filium expectantem: modo rursus video filium facientem, patrem vacantem.

Augustinus de trin.. Non enim quod dicitur omne iudicium dedit filio, secundum illam locutionem dictum est qua dicitur sic dedit filio vitam habere in semetipso; ut significaret quia sic filium genuit. Si enim sic diceretur, non utique diceretur pater non iudicat quemquam; secundum hoc enim quod pater aequalem genuit filium, iudicat cum illo. Secundum hoc ergo dictum est, quod in iudicio non forma Dei, sed forma filii hominis apparebit; non quia non iudicabit qui dedit omne iudicium filio, cum de illo dicat filius: est qui quaerat et iudicet; sed ita dictum est pater non iudicat quemquam, ac si diceretur: patrem nemo videbit in iudicio, sed omnes filium, quia filius hominis est, ut possit et ab impiis videri, cum et illi videbunt in quem pupugerunt.

Hilarius de trin.. Vel aliter. Quia dixerat et filius quos vult vivificat, ne non nativitatis videretur in se habere naturam, sed non natae potius potestatis iure subsistere, continuo subiecit neque enim pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio. Et in eo quod omne iudicium datum est, naturae nativitas demonstratur: quia et omnia habere sola natura possit indifferens, neque nativitas aliquid possit habere nisi datum sit.

Chrysostomus in Ioannem. Sicut enim dedit vitam, idest genuit eum viventem, ita dedit iudicium, idest genuit eum iudicem. Dedit enim hic positum est, ne hunc ingenitum suspiceris, neque duos patres aestimes. Dicit autem omne iudicium, quia dominus est et puniendi et honorandi, ut voluerit.

Hilarius. datum est enim ei omne iudicium, quia vivificat quos vult. Neque ademptum patri iudicium potest videri, cum ipse non iudicet, quia filii iudicium ex iudicio est paterno. Ab eo enim datum omne iudicium est:

sed dati iudicii causa non tacita est; sequitur enim ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem.

Chrysostomus. ne enim audiens quoniam patrem habet auctorem, dissimilitudinem substantiae aestimes, et honoris minorationem, complicat honorem filii patris honori, eumdem ostendens esse honorem patris et filii. Sed numquid patrem eum dicemus? absit: qui enim patrem eum dicit, non adhuc filium ut patrem honorat, sed totum confundit.

Augustinus. et prius quidem filius videbatur ut servus, pater honorabatur ut deus. apparebit filius aequalis patri ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem. sed quid, si inveniuntur qui patrem honorificant, et non honorificant filium? non potest fieri; unde sequitur qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum. Aliud est enim cum tibi commendatur deus, quia deus est, et aliud cum tibi commendatur deus, quia pater est. Cum tibi commendatur deus creator, tibi commendatur omnipotens, spiritus quidam summus, aeternus, invisibilis, incommutabilis; cum vero tibi, quia pater est, commendatur, nihil tibi aliud quam filius commendatur; quia pater dici non potest, si filium non habet. sed si forte patrem quidem honorificas tamquam maiorem, filium tamquam minorem, ibi tollis honorem patris, ubi minorem das filio. Quid enim tibi aliud videtur ita sentienti, nisi quia pater aequalem sibi filium generare aut noluit, aut non potuit? si noluit, invidit; si non potuit, defecit. Vel aliter. quod dicitur ut omnes honorificent filium sicut honorificant patrem, redditum est resurrectioni animarum, quam sic operatur filius sicut pater; sed propter resurrectionem corporum subditur qui non honorificat filium, non honorificat patrem qui misit illum. Non dixit sic: honoratur enim homo Christus, sed non sicut pater deus. Sed dicit aliquis: missus est filius, et maior est pater, quia misit. Recede a carne: missionem audi, non separationem. Res humanae fallunt homines, res divinae purgant; quamquam et ipsae res humanae dicant contra se testimonium; velut si quis uxorem velit petere, et per se non possit, amicum maiorem mittit qui eam petat. Et tamen attende quam sit aliud in rebus humanis: numquid enim homo pergit cum eo quem mittit? pater autem qui misit filium, non recessit a filio, cum dicat: non sum solus, quia pater mecum est.

Augustinus de trin.. Non autem eo ipso quod de patre natus est, missus dicitur filius; sed vel eo quod apparuit huic mundo, verbum caro factum; unde dicit: a patre exivi, et veni in hunc mundum: vel eo quod ex tempore cuiusdam mente percipitur, sicut dictum est. Mitte illam, ut mecum sit, et mecum laboret.

Hilarius. conclusa igitur sunt omnia adversum haeretici furoris ingenia. Filius est, quia a se nil facit: deus est, quia quaecumque pater facit, et ipse eadem facit; unum sunt, quia exaequantur in honore: non est pater ipse, quia missus est.

IOANNES 5,24

12524 (Jn 5,24)

Glossa. Quia dixerat quod filius quos vult vivificat, consequenter ostendit qualiter per filium perveniatur ad vitam, dicens amen dico vobis, quia qui verbum meum audit, et credit ei qui misit me, habet vitam aeternam.

Augustinus in Ioannem. Quandoquidem in audiendo et credendo vita aeterna est, multo magis in intelligendo. Sed gradus pietatis est fides, fidei fructus intellectus. Et non dixit: mihi; sed credit ei qui misit me. quare verbum audit tuum, et credit alteri? quid voluit dicere nisi quia verbum eius est in me? et quid est audit verbum meum, nisi audit me? credit autem ei qui misit me: quia cum illi credit, verbo eius credit, mihi credit, quia verbum patris ego sum.

Chrysostomus in Ioannem. vel non dixit: qui audit sermones meos, et credit mihi: aestimassent enim hoc esse tumorem et gloriationem verborum superfluam. Dicens autem credit ei qui misit me, susceptibilem faciebat suum sermonem. Ex duobus enim suum sermonem susceptibilem facit: et in hoc quod patri creditur ab eo qui ipsum audit, et in hoc quod multis bonis potietur; unde sequitur et in iudicium non venit.

Augustinus in Ioannem. Sed quis est hic? erit quisquam paulo apostolo melior, qui ait: oportet nos exhiberi omnes ante tribunal Christi? aliquando ergo iudicium poena dicitur, aliquando iudicium discretio dicitur. ergo secundum iudicium discretionis oportet nos omnes exhiberi ante tribunal Christi; secundum iudicium damnationis hic dicitur in iudicium non venit; idest, non venit in damnationem. sequitur sed transit a morte in vitam. non nunc transit, sed iam transiit a morte infidelitatis ad vitam fidei, a morte iniquitatis ad vitam iustitiae. Vel aliter. Ne putares credendo te non moriturum secundum carnem, scias te mortem, quam debes supplicio adam, persoluturum. Accepit enim ille, in quo tunc omnes fuimus: morte morieris nec potes evadere divinam sententiam. Sed cum persolveris mortem veteris hominis, suscipies vitam novi hominis, et transitum facies de morte ad vitam. Ad quam vitam? ad aeternam: resurrexerunt enim in fine saeculi, mortui in

vitam aeternam transibunt: vita enim ista nec vita nominanda est, quia non est vera vita nisi quae est aeterna.

Augustinus de verb. dom.. Videmus autem homines amatores praesentis vitae temporalis ac finiendae, sic pro illa laborare ut quando veniat mortis metus, quidquid possunt faciant, non ut auferant, sed ut differant mortem. Si ergo tanto labore, tanta cura agitur ut aliquantulum plus vivatur, quomodo agendum est ut semper vivatur? et si prudentes dicuntur qui omnibus modis agunt ut differant mortem et vivant paucos dies, quam stulti sunt qui sic vivunt ut perdant aeternum diem? **IOANNES 5,25-26**

12525 (Jn 5,25-26)

Augustinus in Ioannem. Posset aliquis dicere: ex patre aliquis vivificatur cui credit. Quid tu? non vivificas? vide quia et filius quos vult vivificat; unde dicit amen, amen dico vobis, quia venit hora, et nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, et qui audierint vivent.

Chrysostomus in Ioannem. cum autem dicat venit hora, ne forte longum suspiceris tempus, addidit et nunc est. Sicut enim in resurrectione futura vocem audientes praecipientem suscitabimur, ita et nunc fit.

Theophylactus. hoc enim dixit pro his quos a mortuis suscitaturus fuit, scilicet filia archisynagogi, filio viduae et lazaro.

Augustinus in Ioannem. Vel aliter. Ne forte quia dixit transit de morte ad vitam, intelligamus hoc in futura resurrectione, ostendere volens quomodo transit qui credit, subiungit amen, amen dico vobis, quia venit hora. Quae hora? et nunc est, quando mortui audient vocem filii Dei, et qui audierint vivent. Non inquit: quia vivunt, audiunt; sed audiendo reviviscunt. Quid est enim audient, nisi obedient? qui enim credunt, et secundum veram fidem agunt, vivunt, et mortui non sunt; qui autem vel non credunt, vel credunt male viventes et caritatem non habentes, mortui potius deputandi sunt. Et tamen adhuc agitur hora ista, et usque ad finem saeculi ipsa hora una agitur, ut Ioannes dicit: novissima hora est.

Augustinus de verb. Dom.. Quando mortui, idest infideles, audient vocem filii Dei, idest evangelium, et qui audierint, idest qui obedierint, vivent, idest iustificabuntur, et infideles iam non erunt.

Augustinus in Ioannem. Sed quaeret aliquis: habet filius vitam unde vivant credentes? audi ipsum dicentem sicut enim habet pater vitam in semetipso, sic dedit et filio habere vitam in semetipso. vivere quippe suum in illo est, non aliunde, non alienum est; non quasi particeps sit vitae, quae non est quod ipse; sed habet vitam in semetipso, ut ipsa vita sibi sit ipse. Quid tu? anima mortua eras. Audi patrem per filium: surge, ut in eo recipias vitam, quam non habes in te, qui habet vitam in semetipso; et sic agitur prima resurrectio. Haec enim vita, quod pater et filius est, ad animam pertinet. Non enim vitam illam sapientiae sentit corpus, sed mens rationalis.

Hilarius de synodis. Conclusi quidem haeretici scripturarum auctoritatibus, hoc solum tribuere solent filio, ut patri tantum virtute similis sit; tollunt autem ei similitudinem naturae; non intelligentes, non nisi ex naturae similitudine similitudinem esse virtutis: neque enim aliquando inferior natura superioris a se potiorisque naturae virtutem consequitur. non autem potest negari quin filius Dei idem possit, cum dixerit quaecumque pater facit, eadem et filius facit similiter. Sed similitudini virtutis, naturae similitudo succedit, cum dixit sicut habet pater vitam in semetipso, ita et filio dedit habere vitam in semetipso. In vita, naturae et essentiae significatio est; quae sicut habetur, ita data esse docetur ad habendum. Quod enim in utroque vita est, id in utroque significatur essentia; et vita quae gignitur ex vita, idest essentia quae de essentia nascitur, dum non dissimilis nascitur, scilicet quia vita ex vita est, tenet in se originis suae indissimilem naturam.

Augustinus de trin.. intelligitur autem pater non sine vita existenti iam filio vitam dedisse; sed ita eum sine tempore genuisse ut vita quam pater filio gignendo dedit, coaeterna sit vitae eius qui dedit.

Hilarius de trin.. quod enim ex vivo vivum natum est, habet nativitatis perfectionem sine novitate naturae: non enim novum est quod ex vivo generatur in vivum, quia nec ex nihilo ad nativitatem vita quaesita est; et vita quae nativitatem sumit ex vita, necesse est per naturae unitatem, et perfectae nativitatis sacramentum, ut in vivente vivat, et in se habeat vitam viventem. et quidem naturae humanae infirmitas ex disparibus comparatur, et ex inanimatis continetur ad vitam, nec statim in ea quod gignitur vivit, neque totum vivit ex vita, cum in ea multa sint quae sine naturae sensu, cum excreverint, desiccantur. in Deo vero totum quod est vivit: deus enim vita est, et ex vita non potest quidquam esse nisi vivum.

Augustinus in Ioannem. Ergo quod dicitur dedit filio, tale est ac si diceretur: genuit filium: generando enim dedit. quomodo dedit ut esset, sic dedit ut vita esset in semetipso, ut non aliunde vita indigeret; sed ipse

esset plenitudo vitae unde credentes alii viverent, dum viverent. quid interest? quia ille dedit, iste accepit.

Chrysostomus in Ioannem. vides indissimilitudinem, in uno solo differentiam ostendentem; in essendo hunc quidem patrem, illum vero filium.

Hilarius de synodis. Discernitur enim persona accipientis et dantis: non enim potest intelligi ipse atque unus a se accepisse qui dederit: quia alius est sibi vivens, alius profitens se vivere per auctorem.

IOANNES 5,27-29

12527 (Jn 5,27-29)

Theophylactus. Non solum pater dedit filio quod vivificet, sed etiam quod iudicium faciat; unde dicit et potestatem dedit ei iudicium facere.

Chrysostomus in Ioannem. cuius autem gratia circa hoc continue vertitur iudicium, dico et resurrectionem et vitam? quoniam haec maxime omnium sunt quae possunt difficilem etiam auditorem ad credendum adducere. qui enim persuasus est quoniam resurget, et filio dabit noxas eorum quae deliquit, etsi nihil aliud viderit, signum hoc suscipiens curret, benignum sibi iudicem faciens. sequitur quia filius hominis est, nolite mirari hoc. Paulus quidem samosatenus non ita ait; sed sic dedit ei potestatem iudicium facere, quia filius hominis est. sed nullam convenientiam habet hoc dictum ita: non enim propterea suscepit iudicium quia homo est: quia quis prohibet omnes homines esse iudices? sed quia ineffabilis Dei filius est, propterea et iudex est. Ita igitur legendum: quia filius hominis est, nolite mirari hoc: quia enim videbatur audientibus obstare his quae dicebantur: quoniam nihil plus aestimabant esse Christum quam purum hominem; quae vero dicebantur erant maiora quam secundum hominem, et etiam quam secundum angelum, et erant solius Dei: ideo hanc opinionem solvens, dixit: ne miremini quia filius hominis est: et subdit causam quare non sit mirandum, dicens quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei. et cuius gratia non dixit: ne miremini, quia filius hominis est: etenim et ipse filius Dei est? si resurrectionem posuit, quasi scilicet opus dicens quod Dei proprium erat, dat audientibus ex eo syllogizare de reliquo, quoniam deus erat, et Dei filius. Etenim qui argumenta complicant, cum partes ponentes nobiliter demonstraverint quod quaeritur, multoties non inducunt ipsi conclusionem, sed clariorem facientes victoriam, dimittunt illi qui contradicit, ut pro eis sententiam ferat. igitur eius quidem quae secundum lazarus resurrectionis supra reminiscens, de iudicio tacuit: non enim propter iudicium surrexit lazarus: universalem vero resurrectionem inducens, iudicium posuit; unde sequitur et procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae; qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicii. Quia enim supra dixerat: qui audit sermonem meum et credit ei qui misit me, in iudicium non venit, ut non aestimet quis quod credere sufficit ad salutem, adiecit haec et de vita, dum dicit et qui bona egerunt... Et qui mala egerunt.

Augustinus. vel aliter. In quantum erat verbum in principio apud Deum, dedit ei vitam habere in semetipso; sed quia verbum caro factum est ex virgine maria, homo factus filius hominis est; et quia filius hominis est, accepit potestatem iudicium facere, quod scilicet erit in fine saeculi, et ibi erit resurrectio corporum mortuorum. Animas ergo suscitavit deus per Christum filium Dei, corpora suscitavit per eundem filium hominis; unde additur quia filius hominis est: nam secundum quod Dei filius est, semper habuit.

Augustinus de verb. Dom.. ad iudicium enim forma hominis ventura est; forma illa iudicabit quae iudicata est: sedebit iudex qui stabat sub iudice, damnabit vero reos qui factus est falso reus. Rectum enim erat ut iudicandi viderent iudicem: iudicandi autem erant boni et mali: restabat ut in iudicio forma servi et bonis et malis ostenderetur, forma Dei solis bonis servaretur. Beati enim mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

Augustinus in Ioannem. omnes autem qui instituerunt alicuius etiam falsae religionis sectam, negare resurrectionem mentium non potuerunt; sed multi carnis resurrectionem negaverunt; et nisi tu, domine iesu, dixeris eam, quid opponemus contradictoribus? ad ipsam igitur ostendendam subdit nolite mirari hoc, scilicet quod dedit potestatem filio hominis iudicium faciendi, quia venit hora.

Augustinus de verb. Dom.. hic non addit et nunc est, quia ista hora in fine saeculi erit. Nolite, inquam, mirari, quia dixit: oportet homines ab homine iudicari; sed quos homines? non solum quos inveniet vivos; unde sequitur quia venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt.

Augustinus in Ioannem. quid evidentius? corpora sunt in monumentis, non animae. Superius etiam cum diceret venit hora, et adderet et nunc est, subiecit quando mortui audient vocem filii Dei. Non dixit: omnes mortui: mortuos enim iniquos voluit intelligi; sed non omnes iniqui obediunt evangelio; at vero in fine omnes

qui sunt in monumentis audient vocem eius, et procedent. Noluit dicere: et vivent, quod supra dixit, ubi vitam aeternam intelligi voluit et beatam, quam non omnes habebunt qui de monumentis procedent. Accepisti certe potestatem iudicandi, quia filius hominis es. Resurgent corpora; de ipso iudicio dic aliquid, et hoc audite qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, vivere scilicet cum angelis Dei; qui male egerunt, in resurrectionem iudicii. Hic iudicium pro poena posuit.

IOANNES 5,30

12530 (Jn 5,30)

Augustinus in Ioannem. dicturi eramus Christo: tu iudicabis, et pater non iudicabit; nonne ergo secundum patrem iudicabis? et ideo adiecit non possum ego a me facere quidquam.

Chrysostomus in Ioannem. Hoc est, non extraneum neque dissimile his quae vult pater, a me fieri videbitis; sed sicut audio, iudico: in quo nihil aliud ostendit quam quoniam impossibile est eum aliquid aliud velle quam quod pater vult: hoc est, ita iudico ac si ipse pater esset qui iudicaret.

Augustinus in Ioannem. cum ageretur de resurrectione animarum, non dicebat audio, sed video. audio enim nunc dicit, tamquam praecipientis patris imperium. Iam ergo sicut homo loquitur, quo maior est pater.

Augustinus contra arianos. Vel aliter. Dicit filius sicut audio iudico, sive ex humana subiectione, quia filius hominis est, sive secundum illam incommutabilem simplicemque naturam quae sic est filii, ut tamen ei de patre sit: in qua natura non est aliud audire, aliud videre, aliud esse. Unde ab illo est ei audire, et videre a quo illi est ipsum esse. Et ideo sicut audit iudicat: quia sicut genitum est verbum, ut idem verbum sit veritas, ita secundum veritatem iudicat. sequitur et iudicium meum iustum est: quia non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me patris. Hoc enim dicens, ad illum hominem voluit referre intentionem nostram qui voluntatem suam quaerendo, non eius a quo factus est, non habuit iustum iudicium de seipso: sed iustum iudicium habitum est de ipso. Ipse quippe faciens voluntatem suam, non Dei, moriturum se esse non credit; sed hoc iudicium eius iustum non fuit. Denique fecit, et mortuus est: quia iudicium Dei iustum est, quod iudicium facit Dei filius, non quaerendo voluntatem suam, cum sit etiam hominis filius: non quia ipsius in iudicando nulla voluntas est, sed quia non ita est voluntas eius propria ut sit a voluntate patris aliena.

Augustinus in Ioannem. Non ego quaero voluntatem meam propriam, idest filii hominis, quae resistat Deo: faciunt enim homines voluntatem suam, non Dei, quando faciunt quod volunt, non quod iubet deus. Quando autem ita faciunt quod volunt, ut tamen sequantur voluntatem Dei, non faciunt voluntatem suam. Vel ideo dicit filius non quaero voluntatem meam: quia Christus non est de se, sed de patre suo est.

Chrysostomus. ostendit enim non aliam esse patris voluntatem praeter suam, sed unam utriusque. Si vero humanius hoc loquitur, ne mireris: hominem enim purum adhuc eum aestimabant. Inde igitur suum iudicium iustum esse dixit, unde quilibet alius excusans dixisset; qui enim sua vult statuere, in suspicionem deveniet de corruptione iustitiae; qui vero non suis innititur, quam occasionem habebit ut iniusta iudicet?

Augustinus in Ioannem. filius unicus dicit non quaero voluntatem meam: et homines volunt facere voluntatem suam. Faciamus ergo voluntatem patris, Christi, et spiritus sancti: quia horum una voluntas, una potestas, una maiestas est.

IOANNES 5,31-40

12531 (Jn 5,31-40)

Chrysostomus in Ioannem. quia Christus magna de se enuntiaverat, quorum demonstratio non erat dicta, ad confirmationem eorum quae dicta sunt, oppositionem eorum inducit, dicens si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum. Quis autem non statim turbabitur, Christum audiens hoc dicentem? etenim in multis locis apparet sibi ipsi testatus. Si igitur omnia haec falsa sunt, quae nobis erit spes salutis? unde veritatem inveniemus, cum ipsa veritas dicat testimonium meum non est verum? hoc igitur quod dicit non est verum, non quantum ad dignitatem suam, sed quantum ad illorum suspicionem loquebatur. poterant enim ei iudaei subinferre: quoniam tibi non credimus: nullus enim unquam sibi testans dignus est fide. deinde post oppositionem alias dat responsiones manifestas et irrefragabiles, tres inducens testes eorum quae dicta sunt: opera quae ab ipso sunt facta, patris testimonium, et Ioannis praedicationem: et ponit priorem minorem, eam scilicet quae Ioannis; unde dicit alius est qui testimonium perhibet de me; et

scio quoniam verum est testimonium eius quod perhibet de me.

Augustinus de verb. Dom.. noverat enim ipse verum esse de se testimonium suum; sed propter infirmos et propter incredulos quaerebat sol lucernas: fulgorem quippe solis lippitudo eorum ferre non poterat; ideo quaesitus est Ioannes qui testimonium perhiberet veritati. Martyres nonne testes sunt Christi, ut testimonium perhibeant veritati? sed si diligentius inspicimus, quando martyres perhibent illi testimonium, ipse sibi perhibet testimonium; ipse enim habitat in martyribus, ut perhibeant testimonium veritati.

Alcuinus. Vel aliter. Quia Christus deus erat et homo, utriusque naturae proprietatem ostendit: aliquando loquens secundum hoc quod ex hominibus assumpsit, aliquando secundum maiestatem divinitatis. quod ergo ait si ego testimonium perhibeo de me ipso, testimonium meum non est verum, ex parte humanitatis est accipiendum; et est sensus: si ego homo de me perhibeo testimonium, scilicet absque Deo, testimonium meum non est verum; unde sequitur alius est qui testimonium perhibet de me. Pater enim testimonium perhibet de Christo, quia in baptismo vox patris audita est, et in monte transfigurato Christo. sequitur et scio quia verum est testimonium eius. Deus enim veritas est: ergo testimonium veritatis quid aliud potest esse quam verum? **Chrysostomus**. sed secundum priorem intellectum possent illi dicere: si non est verum testimonium tuum, quomodo dicis: quoniam novi quod est verum testimonium Ioannis? unde ad eorum suspicionem respondet dicens vos misistis ad Ioannem, et testimonium perhibuit veritati; quasi dicat: non misissetis ad Ioannem, si eum dignum fide non opinaremini. Et, quod utique maius est, non miserunt ad eum interrogandum de Christo, sed de seipso. qui enim missi sunt, non dixerunt: quid dicis de Christo? sed: tu quis es?... Quid dicis de teipso?. Ita magnam de homine admirationem habebant.

Alcuinus. ille autem testimonium perhibuit, non sibi, sed veritati; sicut amicus veritatis veritati Christo testimonium perhibuit. non autem dominus refellit testimonium Ioannis, quod vere necessarium fuit; sed ostendit non ita debere homines in Ioannem intendere ut iam non putent solum Christum sibi esse necessarium; unde subdit ego autem non ab homine testimonium accepi.

Beda. Quia non indigeo. Ioannes autem etsi testimonium perhibuit, non tamen ut Christus cresceret, sed ut homines ad ipsius cognitionem promoveret.

Chrysostomus. testimonium etiam Ioannis Dei testimonium erat: ab illo enim discens dixit quod dixit. Sed ne dicant: unde manifestum est quod a Deo didicit quod didicit? eorum suspicionem correxit, dicens sed hoc dico ut vos salvi sitis, quasi dicat: ego quidem deus existens, non indigebam huiusmodi testimonio humano: quia vero ei magis attenditis, et eum magis omnibus fide dignum putatis, mihi autem neque miracula facienti credidistis; propter hoc vobis commemoro testimonium illius: ut enim non dicant: quid igitur si ille dixit, nos autem non suscepimus? ostendit quoniam non acceptaverunt quae ab eo dicta sunt; unde sequitur ille erat lucerna ardens et lucens: vos autem voluistis ad horam exultare in luce eius. Hoc autem quod dicit ad horam, facilitatem credendi ostendit, et quam cito ab eo resilierunt: quod si non fecissent, cito eos ad Iesum manuduxisset. vocando autem eum lucernam, ostendit quoniam non ex se habebat lumen, sed a spiritus sancti gratia.

Alcuinus. Ioannes enim erat lucerna illuminatus a Christo luce, ardens fide et dilectione, lucens verbo et actione: qui praemissus est, ut inimicos Christi confunderet, secundum illud: paravi lucernam Christo meo: inimicos eius induam confusione.

Chrysostomus. ad Ioannem igitur vos duco, non quasi illius indigens testimonio, sed ut vos salvemini: nam habeo maius testimonium Ioanne; et hoc est quod sequitur ego autem habeo testimonium maius Ioanne. Hoc autem est quod est ab operibus; unde sequitur opera enim quae dedit mihi pater ut perficiam ea, ipsa opera quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia misit me pater.

Alcuinus. quod enim caecos illuminat, aures aperit, ora mutorum resolvit, daemonia fugat, mortuos suscitatur: opera haec testimonium perhibent de Christo.

Hilarius de trin.. Unigenitus enim deus, non hominis testimonio tantum, sed etiam virtutis, docet esse se filium: opera enim eius quae facit, testantur eum a patre missum. Itaque filii obedientia et paterna auctoritas docentur in misso. Sed quia opera non sufficiunt in credibilibus ad testimonium, sequitur et qui misit me pater, ipse testimonium perhibet de me. revolvite evangelica volumina, et omne eorum opus recensete: nullum aliud patris de filio testimonium extat in libris, quam quod hic sit filius suus. Quid infertur hodie calumniae, ut adoptio nominis sit, ut mendax deus sit, ut nomina inania sint? **Beda** in Ioannem. missio autem incarnatio eius debet intelligi. denique ostendit quod deus incorporeus sit, et quod corporalibus et visibilibus oculis videri non possit; unde sequitur neque vocem eius unquam audistis, neque speciem eius vidistis.

Alcuinus. possent enim iudaei dicere: nos soliti sumus vocem domini audire in sina, et eum vidimus in specie ignis. Si ergo deus perhibet testimonium de te, nos intelligeremus vocem domini. Contra hoc dicit: ego habeo testimonium a patre, quamvis non intelligatis: quia vos nunquam audistis vocem eius, neque speciem eius vidistis.

Chrysostomus. Quomodo ergo moyses dicit: si facta est aliquando huiusmodi res, ut audiret populus vocem Dei loquentis de medio ignis, sicut tu audisti et vidisti? vidisse etiam eum dicuntur Isaias et alii plures. quid ergo est quod nunc ait Christus? in philosophicum eos inducit dogma, paulatim ostendens quoniam neque vox circa Deum est neque species; sed superior et figuris est et loquelis talibus. Sicut enim dixit neque vocem eius audistis, propter hoc non indicat quod vocem emittat, sed non audibilem; ita dicens neque speciem eius vidistis, non hoc dicit quod speciem sensibilem habeat et visibilem, sed quoniam nihil horum est circa Deum.

Alcuinus. non enim carnalibus auribus, sed spirituali intelligentia per gratiam spiritus sancti audiri potest. Non ergo vocem spiritalem audierant, quoniam eum amare et praeceptis eius obedire nolebant; neque speciem eius viderunt, quia non exterioribus oculis videri potest, sed fide et dilectione.

Chrysostomus. Sed neque possibile erat eis dicere quod praecepta eius suscepissent et servarent; ideoque subiungit et verbum eius non habetis in vobis manens, idest praecepta Dei, legem et prophetas: etsi enim ea deus constituit, sed apud vos non sunt: et si scripturae ubique docent ut mihi credatis, vos autem non creditis, manifestum est quod sermo eius deficit a vobis. Et propter hoc subdit quia quem misit ille, huic vos non creditis.

Alcuinus. Vel aliter verbum quod in principio erat, non habent in se manens qui verbum Dei quod audiunt, et memoria tenere et opere implere contemnunt. Dixerat igitur se habere testimonium a Ioanne, ab operibus, a patre; addit et testimonium a lege quae data est per moysen, dicens scrutamini scripturas, in quibus putatis vitam aeternam habere; et illae sunt quae testimonium perhibent de me: quasi dicat: vos in scripturis putatis vitam aeternam habere, et me quasi contrarium moysi repudiatis: testimonio ipsius moysi me esse Deum intelligere potestis, si ipsas scripturas diligenter investigatis. Omnis enim scriptura testimonium perhibet de Christo, sive per figuras, sive per prophetas, sive per angelorum ministeria. Sed his iudaei de Christo non crediderunt; et ideo vitam aeternam habere non possunt; unde sequitur et non vultis venire ad me, ut vitam habeatis; quasi dicat: scripturae perhibent testimonium; et tamen per tot testimonia non vultis venire ad me; idest, non vultis mihi credere, et a me quaerere veram salutem.

Chrysostomus in Ioannem. Vel aliter potest continuari. possent illi dicere: qualiter si vocem eius non audivimus, deus tibi testatus est? et ideo dicit scrutamini scripturas, ostendens quod per has testatus est deus de eo: etenim in iordane testatus est, et in monte. Sed vocem quidem factam in monte non audierunt, factam autem in iordane audierunt, sed non attenderunt. propterea mittit eos ad scripturas, ostendens quoniam et patris testimonium illic est. Non autem ad lectionem simplicem scripturarum, sed ad scrutationem exquisitam eos mittebat: quia ea quae de eo dicebantur in scripturis, desuper obumbrabantur; neque in superficie exprimebantur, sed velut quidam thesaurus recondebantur. non dicit autem: in quibus habetis vitam aeternam; sed in quibus aestimatis vos habere; ostendens quoniam non capiebant magnum fructum et nobilem ex scripturis, sola lectione aestimantes se salvari, cum fide essent privati; propter quod subdit et non vultis venire ad me: quia ei credere nolebant.

Beda. quod autem venire pro credere ponatur, psalmista ostendit dicens: accedite ad eum, et illuminamini. Subdit autem ut vitam habeatis: si enim anima quae peccat moritur, ipsi anima et mente mortui erant. Promittebat ergo illis vitam animae, vel felicitatis aeternae.

IOANNES 5,41-47

12541 (Jn 5,41-47)

Chrysostomus in Ioannem. quia dominus supra meminit et Ioannis, et testimonii Dei, et operum suorum, ut eos ad seipsum attraheret, probabile erat multos suspicari quod haec diceret, gloriam hominum amans; et ideo contra hoc dicit claritatem ab homine non accipio; hoc est, non indigeo. Non enim est mea natura talis ut indigeat quae ab hominibus est gloria. Si enim sol a lucernae lumine non recipit adiectionem, multo magis ego humana gloria non indigeo.

Alcuinus. Vel claritatem ab hominibus non accipio; idest, laudem humanam non quaero: non enim veni ut

honorem ab hominibus acciperem carnalem, sed honorem hominibus darem spiritualem. Non ergo ideo hoc loquor ut gloriam meam quaeram, sed condoleo vobis errantibus, et volo vos reducere ad viam veritatis; unde dicit sed cognovi vos, quia dilectionem Dei non habetis in vobis.

Chrysostomus. quasi dicat: ideo hoc dixi, ut convincam vos quoniam propter amorem Dei me non persequimini: etenim ipse testatur mihi et per opera et per scripturas. Oportebat igitur ut sicut me abiciebatis, aestimantes esse Deo contrarium, ita nunc ad me veniretis, si Deum amaretis; sed non amatis. non autem ab his solum, sed etiam a futuris hoc ostendit, dicens ego veni in nomine patris mei, et non accepistis me. si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. ideo dicit se in nomine patris venisse, ut omnem abscindat occasionem indevotionis.

Alcuinus. Ac si dicat: ideo veni in mundum ut per me glorificetur nomen patris, quia patri omnia attribuo. dilectionem ergo Dei non habebant, quia nolebant eum recipere qui patris venerat facere voluntatem. AntiChristus autem veniet in nomine non patris, sed suo, ut non gloriam patris, sed suam quaerat. quia enim iudaei noluerunt recipere Christum, poena peccati huius congruet ut recipiant antiChristum; ut qui nolunt credere veritati, credant mendacio.

Augustinus de verb. Dom.. Sed audiamus et Ioannem: audisti quia antiChristus venit, et nunc antiChristi multi facti sunt. Quid autem expavescit in antiChristo, nisi quia nomen suum honoraturus est et nomen domini contempturus? quid aliud facit qui dicit: ego iustifico, nisi boni fuerimus, peristis? ergo vita mea ex te pendebit, et salus mea ex te religabitur. Ita ne oblitus sim fundamentum meum? nonne petra erat Christus?

Chrysostomus. Sic igitur irrefragabilem indevotionis eorum ponit demonstrationem; quasi dicat: si ut amantes Deum me persequeremini, multo magis in antiChristo hoc vos facere oporteret: ille enim non dicit se a patre missum, neque secundum voluntatem illius venire; sed e contrario ea quae sibi non congruunt rapiens, super omnia Deum se esse dicet. manifestum est igitur quod livoris persecutio erat qua Christum persequerentur, et odii in Deum. Deinde causam eorum infidelitatis ponit, dicens quomodo vos potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam quae a solo Deo est non quaeritis? hinc enim rursus ostendit quoniam non quae Dei sunt intendebant, sed propriam volebant passionem defendere.

Alcuinus. Magnum igitur vitium est iactantia, et humanae laudis ambitio, quae de se vult aestimari quod de se non habet. Ideo enim non possunt credere, quia superba mens eorum laudari desiderat, et se super alios efferre.

Beda. hoc autem vitium melius caveri non potest, quam ut ad conscientias nostras redeamus, nosque pulverem esse consideremus; et si quid nobis boni inesse deprehendimus, non nobis, sed Deo ascribamus. Instruimur etiam ut semper nos tales exhibeamus quales ab aliis videri desideramus. denique possent ipsi respondere: ergo accusabis nos apud patrem? et ideo eorum quaestionem praeveniens subdit nolite putare quia ego accusaturus sim vos apud patrem.

Chrysostomus. Quia scilicet non veni damnare, sed salvare. est qui accusat vos, moyses, in quo vos speratis. Sicut enim de scripturis supra dixit in quibus putatis vitam aeternam habere, ita et de moyse ait in quo vos speratis, ex propriis eos ubique capiens. sed dicent: qualiter nos ille accusabit? quid tibi et moysi commune, qui sabbatum solvistis? et ideo subdit si enim crederetis moysi, crederetis forsitan et mihi; de me enim ille scripsit. Haec ex superioribus constitutionem habent: cum enim in confessionem deductum sit quod a Deo veni, ab operibus, a voce Ioannis, a patris testimonio, manifestum est quod moyses eos accusabit; etenim dixit: si quis venerit signa faciens et ad Deum ducens, et futura praedicens cum veritate, oportet ei obedire. Christus autem haec omnia fecit; nec ei crediderunt.

Alcuinus forsitan autem more nostro posuit, non quia dubitatio sit in Deo. Scripsit autem de Christo moyses dicens: prophetam vobis suscitabit deus de fratribus vestris: tamquam me ipsum audietis.

Augustinus contra faustum. Sed et omne quod scripsit moyses, de Christo est, idest, ad Christum omnino pertinet, sive quod eum figuris rerum vel gestarum vel dictarum praenuntiet, sive quod eius gratiam, gloriamque commendat. sequitur si autem illius litteris non creditis, quomodo verbis meis credetis? Theophylactus. Quasi dicat: ipse etiam scripsit, et apud vos libros reliquit, ut si forte oblivisceremini, de facili recordari possitis; et cum scriptis non credidistis, quomodo verbis meis non scriptis credetis? Alcuinus. Ex hoc etiam colligitur, quia qui legis praecepta, quae rapinam et alia mala prohibent, implere negligunt, et dicta evangelii, quae perfectiora et subtiliora sunt, implere non valent.

Chrysostomus. et quidem si attenderent his quae dicebantur, oportebat quaerere, et ab eo discere quae sunt illa quae moyses de eo scripsit; sed silent: talis enim est nequitia, ut quicquid dicat aliquis vel faciat, maneat proprium venenum conservans.

IOANNES 6,1-14

12601 (Jn 6,1-14)

Chrysostomus in Ioannem. sicut iacula cum in durum aliquid inciderint, magno impetu huc illuc disperguntur; mollius vero assecuta figuntur et desinunt: ita et si cum audacibus hominibus impetuose incesserimus, saevius magis; si autem cesserimus, facile mollimus eorum insaniam. Propterea Christus furorem ex praemissis sermonibus natum, secedendo mitigavit, in galilaeam vadens; non tamen ad eadem loca unde ierusalem ascenderat: non enim in cana galilaeae, sed ultra mare ivit; unde ait post haec abiit trans mare galilaeae, quod est tiberiadis.

Alcuinus. Hoc mare pro diversitate locorum diversis nominibus vocatur; sed quantum ad praesentem locum, mare galilaeae propter provinciam, tiberiadis autem a civitate dicitur. Mare autem dicitur, non quia sit amara aqua; sed iuxta hebraicum modum, omnium congregationes aquarum maria vocantur: quod mare dominus etiam frequenter transit, ut populis ibi manentibus verbum praedicationis impendat.

Theophylactus. Transit enim de loco ad locum probando populi voluntatem, et avidiores homines uniuscuiusque civitatis et sollicitiores reddens; unde sequitur et sequebatur eum multitudo magna quia videbant signa quae faciebat super his qui infirmabantur.

Alcuinus. Scilicet quod caecos illuminabat, et alia huiusmodi. et sciendum est, quod quoscumque in corpore sanabat, eos pariter reformabat in anima.

Chrysostomus in Ioannem. tanta autem doctrina potientes, a signis magis movebantur, quod grossioris mentis erant. Signa enim, ut ait paulus, non sunt data fidelibus, sed infidelibus. Sapientiores autem erant illi de quibus dicitur quod stupebant in doctrina eius. Sed quare non dicit quae signa videbant eum facientem? quoniam hic evangelista maiorem partem libri in sermonibus domini consumere studuit. sequitur subiit in montem iesus, et ibi sedebat cum discipulis suis. In montem quidem ascendit propter signum quod fieri debebat. Sed quod discipulos secum ascendere fecit, accusatio multitudinis erat non sequentis eum. Ascendit etiam in montem erudiens nos a tumultibus et ab ea quae in mundo est turbatione requiescere; apta enim ad philosophiam solitudo est. sequitur erat autem proximum pascha dies festus iudaeorum. Vide qualiter in anno integro nihil plus evangelista nos docuit de signis Christi quam quod paralyticum sanavit, et filium reguli: non enim studuit universa annuntiare, sed ex multis magna et pauca. Qualiter igitur non ascendit ad diem festum? paulatim enim solvebat legem, occasionem capiens a iudaica nequitia.

Theophylactus. Quia enim iudaei eum persequebantur, occasionem recessus accipiens, legem exclusit, innuens observantibus quod, veritate adveniente, omnis cessat figura; et quod legibus non subicitur, ut legalia festa perficeret. Et vide hoc quod non erat festum Christi, sed iudaeorum.

Beda. Si quis verba evangelistarum diligenter consideraverit, facile cognoscet quia unius anni spatium fuit inter decollationem Ioannis et passionem domini. Cum enim matthaeus dicat, quia dominus audita nece Ioannis secessit in desertum locum, et ibi turbas pavit; et Ioannes dicit quod proximum erat pascha iudaeorum quando turbas pavit, aperte demonstratur quia imminente paschali festivitate decollatus est Ioannes. Evoluto autem unius anni spatio, passus est Christus in eadem festivitate. sequitur cum sublevasset ergo oculos iesus, et vidisset quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad philippum: unde ememus panes ut manducent hi? dixit cum sublevasset oculos iesus, ut disceremus quia oculos non erigebat huc atque illuc; sed pudice sedebat attentus cum discipulis suis.

Chrysostomus in Ioannem. neque etiam simpliciter sedebat cum discipulis suis, sed diligenter loquens aliquid eis, et eos ad seipsum convertens. Deinde respiciens vidit turbam ad se venientem. Cuius igitur gratia philippum interrogat? sciebat enim quod discipulorum eius congregatio ampliori indigebat doctrina. Talis autem erat philippus, qui postea dixit: ostende nobis patrem, et sufficit nobis. Propterea igitur prius eum erudiebat. Nam si simpliciter factum esset, miraculum non tantum appareret; nunc autem prius cogit confiteri inopiam, ut certius discat miraculi magnitudinem; unde sequitur hoc autem dicebat tentans eum. Non quidem ignorans id quod debebat ab ipso dici; sed humano more hoc dictum est. Sicut enim quod dicitur: qui scrutatur corda hominum, non ostendit ignorantiae scrutationem, sed certissimae cognitionis: ita cum hic dicit quod tentavit eum, nihil aliud dicit quam quoniam sciebat certissime. sed aliud est dicere, quoniam probatiorem eum faciebat, per talem interrogationem inducens in certissimam signi cognitionem. Propter hoc et evangelista, ne infirmitate locutionis minorationem aliquam suspiceris, subiungit ipse enim sciebat quid esset facturus.

Alcuinus. Interrogat igitur, non ut ignorata discat, sed ut discipulo adhuc rudi propriam tarditatem ostendat, quam ipse in se perpendere non valebat.

Theophylactus. Vel etiam ut aliis ipsum ostenderet, non tamquam cor eius ignorans.

Augustinus de cons. Evang.. Sed si dominus, secundum narrationem Ioannis, prospectis turbis quaesivit a philippo, tentans eum, unde illis escae dari possent; potest movere quomodo sit verum, quod alii narraverunt, prius dixisse domino discipulos, ut dimitteret turbas. Quibus ille respondit, secundum matthaeum: non habent necesse ire: date eis vos manducare. Intelligitur igitur, post haec verba dominum inspexisse multitudinem, et dixisse philippo quod Ioannes commemorat, alii autem praetermiserunt.

Chrysostomus. vel aliter. Alia quidem sunt illa, alia autem sunt haec, non eisdem facta temporibus.

Theophylactus. Philippum igitur dominus tentans utrum fidem haberet, invenit eum adhuc humanis passionibus subiacentem; quod patet ex hoc quod sequitur respondit ei philippus: ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque modicum quid accipiat.

Alcuinus. In quo tarditatem suam ostendit: nam si perfecte de creatore intelligeret, de eius potentiae largitate non diffideret.

Augustinus. Quod autem philippus hic apud Ioannem respondet, hoc marcus a discipulis responsum esse commemorat, volens intelligi, hoc ex ore ceterorum philippum respondisse; quamquam et pluralem numerum pro singulari usitatissime ponere potuerit.

Theophylactus. sed et andream dominus similem philippo invenit, quamvis altius de illo contemplantem; sequitur enim dicit ei unus ex discipulis eius, andreas frater simonis petri: est puer unus hic qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces.

Chrysostomus. Aestimo quidem non sine causa id eum dicere; sed quia audiverat signum quod eliseus de panibus hordeaceis fecerat: pavit enim de viginti panibus centum homines. Ascendit igitur mente in aliquod excelsum; sed ad summum non potuit pervenire; quod patet per hoc quod subdit sed haec quid sunt inter tantos? aestimabat enim quod de paucioribus pauciora, et de pluribus plura facturus esset qui miracula faciebat; sed hoc non erat verum: similiter enim ei facile erat et de pluribus et de paucioribus pascere turbas: non enim materia subiecta indigebat; sed ne viderentur creaturae alienae esse ab eius sapientia, ipsis creaturis utitur ad materiam miraculorum.

Theophylactus. Confundantur manichaei, qui dicunt, quod panes et omnia huiusmodi creata sunt a malo Deo: quia boni Dei filius iesus Christus panes multiplicavit: nam si creaturae malae fuissent, nequaquam bonus mala multiplicasset.

Augustinus de cons. Evang.. Quod autem andreas apud Ioannem de quinque panibus et duobus piscibus suggessit, hoc ceteri, pluralem numerum pro singulari ponentes, ex discipulorum persona retulerunt.

Chrysostomus in Ioannem. discamus autem hic qui voluptati attendimus quae comedebant mirabiles viri illi et magni, et quantitatem eorum quae inferebantur, et vilitatem mensae eorum. nondum autem apparentibus panibus iussit eos discumbere, ut discas quoniam non entia ut entia ei subsistunt, sicut paulus ait: qui vocat ea quae non sunt, tamquam ea quae sunt. Sequitur enim dicit eis iesus: facite homines discumbere.

Alcuinus. Ad litteram homines discumbere dicimus iacendo comedere more antiquo; unde sequitur erat autem fenum multum in loco.

Theophylactus. Idest herba viridis: erat enim pascha, quod in primo mense veris perficiebatur. sequitur discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. Soli viri numerantur ab evangelista, quia legalem consuetudinem sequebatur. Etenim moyses a viginti annis et supra, populum connumeravit, nulla mentione de mulieribus facta: innuens quod omne quod virile est et iuvenile, dignum et honorabile est apud Deum. sequitur accepit ergo iesus panem, et cum gratias egisset, distribuit discumbentibus similiter et ex piscibus quantum volebant.

Chrysostomus. Sed quare paralyticum debens sanare non orat, neque suscitans mortuos, neque mare quietans; hic autem orat gratias agens? ut scilicet ostendat, eos qui comestionem incipiunt, gratias agere oportere Deo. Sed et aliter in minoribus maxime orat, ut discas quod non propter indigentiam orat. si enim

indigeret orare, multo magis in maioribus hoc fecisset; quia vero illa ex auctoritate facit, manifestum est quod hic condescendendo nobis, orat: et adhuc quoniam turba multa erat praesens, oportebat eis suaderi quod secundum voluntatem Dei advenerat: et ideo cum occulte aliquod miraculum faciebat, non orabat; sed coram multis orabat, ne crederent quod esset Deo contrarius.

Hilarius de trin.. quinque igitur panes offeruntur turbae, et franguntur: subrepunt in frangentium manus quaedam fragmentorum procreationes, non imminuitur unde praefringitur; et tamen praefringentis manum fragmenta occupant: non sensus, non visus profectum tam conspicibilis operationis assequitur; est quod non erat, videtur quod non intelligitur: solum superest ut deus omnia posse credatur.

Augustinus in Ioannem. unde enim multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes: potestas enim erat in manibus Christi, panes autem illi quinque quasi semina erant, non quidem terrae mandata, sed ab eo qui terram fecit, multiplicata.

Chrysostomus. vide autem quanta est servi et domini differentia: nam prophetae quasi ex mensura habentes gratiam, ita miracula faciebant; Christus autem absoluta virtute faciens, cum multa superabundantia omnia operabatur. sequitur ut autem impleti sunt, dixit discipulis suis: colligite quae superaverunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum. non quidem haec ostentatio superflua fuit, sed ne phantasiam aestimarent quod factum est; propter quod etiam ex subiecta materia miraculum fecit. Sed quare non turbis dedit fragmenta portanda, sed discipulis? quoniam hos maxime erudire volebat, qui orbis terrarum debebant esse magistri. Ego autem non solum admiror multitudinem panum quae facta est, sed et certitudinem superfluum: quia neque plus neque minus fecit superfluum esse, sed tantum quantum volebat; scilicet duodecim cophinos, secundum numerum duodecim apostolorum.

Theophylactus. Addiscimus autem ex miraculo perpetrato, non fieri pusillanimes in coarctationibus paupertatis.

Beda. Turbae autem cum vidissent signum quod fecit dominus, mirabantur, quia nondum eum Deum esse cognoverant; ideoque evangelista subdit illi ergo homines, quia carnales erant et carnaliter intelligebant, cum vidissent quod fecerat signum, dicebant quia hic est vere propheta qui venturus est in mundum.

Alcuinus. Nondum pleni fide dominum vocant prophetam, qui nondum Deum dicere noverant; sed iam multum profecerant ex virtute miraculi, qui eum discernentes ab aliis, prophetam vocabant, sicut sciebant in populo illo prophetas aliquando miracula fecisse: nec falluntur si dicunt eum prophetam, cum ipse dominus vocaverit se prophetam, dicens: non caput prophetam perire extra ierusalem.

Augustinus in Ioannem. sic autem propheta est Christus et dominus prophetarum, sicut angelus et dominus angelorum: ex eo enim quod praesens annuntiavit, angelus erat; ex eo quod futura praedixit, propheta erat; ex eo quod verbum caro factum est, et angelorum et prophetarum dominus erat: nullus enim propheta sine verbo Dei.

Chrysostomus in Ioannem. Ex hoc autem quod dicunt qui venturus est in mundum, manifestum est quod prophetam quemdam principalem expectabant; et ideo quod dicitur hic est vere propheta, in graeco cum adiectione articuli ponitur, ad ostendendum scilicet, eum esse discretum ab aliis prophetis.

Augustinus. Considerandum autem quod dicitur: quia enim deus non est talis substantia quae oculis videri possit, et miracula eius quibus totum mundum regit, universamque creaturam administrat, assiduitate viluerunt; servavit sibi quaedam quae faceret opportuno tempore praeter usitatum cursum ordinemque naturae, ut non maiora, sed insolita videndo stuperent, quibus quotidiana viluerunt. maius enim miraculum est gubernatio totius mundi quam saturatio quinque millium hominum de quinque panibus: et tamen hoc nemo miratur; illud mirantur homines, non quia maius, sed quia rarum est. Nec tamen sufficit hoc intueri in miraculis Christi: quia enim dominus est in monte, verbum Dei est in alto: proinde non quasi humiliter iacet, nec transeunter praetereundum est.

Alcuinus. Mystice enim nomine maris turbidum saeculum designatur. Mox autem ut Christus mare mortalitatis nostrae adiit nascendo, calcavit moriendo, transit resurgendo, secutae sunt eum credendo et imitando turbae credentium ex utroque populo collectorum.

Beda. Tunc autem dominus subiit montem quando caelum ascendit, quod designatur per montem.

Alcuinus. quod enim turbis inferius relictis, ad altiora cum discipulis ascendit, ostendit quod simplicibus minora praecepta sunt committenda, perfectioribus altiora: quod imminente pascha illos reficit, significat

quia quisque pane divini verbi, et corpore et sanguine domini desiderat refici, debet spirituale pascha facere, idest, de vitiis ad virtutes transire. Oculi vero domini sunt dona spiritualia, quae cum dominus electis suis misericorditer concedit, tunc in eos oculos suos dirigit: idest respectum pietatis impendit.

Augustinus lib. 83 quaest.. quinque autem panes hordeacei significant veterem legem: sive quia nondum spiritualibus, sed adhuc carnalibus data est lex, idest quinque corporis sensibus deditis: nam ipse et turbae quinque millia hominum fuerunt: sive quia per moysen lex ipsa data est: moyses enim quinque libros scripsit. Et quod hordeacei erant panes, bene significavit vel ipsam legem, quae ita data erat ut in ea vitale animae alimentum corporalibus sacramentis obtegeretur: hordei enim medulla tenacissima palea tegitur: vel ipsum populum nondum expoliatum carnali desiderio, quod tamquam palea cordi eius inhaerebat.

Beda. hordeum etiam pabulum est iumentorum, et cibus servorum: et lex vetus data est servis et iumentis, idest carnalibus.

Augustinus. duo autem pisces, qui saporem suavem pani dabant, duas illas personas videntur significare quibus populus ille regebatur, regiam scilicet, et sacerdotalem; quae tamen duae personae dominum nostrum praefigurabant, ambas enim ille sustinuit.

Alcuinus. Vel duo pisces dicta vel scripta prophetarum et psalmistarum significant; et cum quinarius ad quinque sensus corporis referatur, mille ad perfectionem refertur. Qui vero quinque sensus corporis perfecte regere student, viri dicuntur a viribus; quos feminea mollities non corrumpit; sed sobrie et caste vivunt, et caelestis sapientiae dulcedine merentur recreari.

Augustinus in Ioannem. Puer autem qui ista habebat, forte populus israel erat, qui sensu puerili ea portabat, nec manducabat. illa enim quae portabat, clausa onerabant, aperta pascebant.

Beda. Pulchre autem dicit haec quid sunt inter tantos? quia lex vetus parum proficiebat, quousque eam suis manibus suscepit: idest, opere implevit, et eandem spiritualiter intelligendam esse docuit, quia lex neminem ducebat ad perfectum.

Augustinus. frangendo autem panes multiplicati sunt. Quinque enim libri moysi multos libros, cum exponuntur tamquam frangendo, idest disserendo, fecerunt.

Augustinus lib. 83 quaest.. Dominus etiam tamquam frangendo et aperiendo quod durum erat et clausum in lege, per discipulos implevit, cum eis post resurrectionem aperuit scripturas.

Augustinus in Ioannem. Quia autem ignorantia populi erat in lege, propterea tentatio domini ignorantiam discipuli demonstrabat. super fenum autem discumbabant, quia carnaliter sapiebant, et in carnalibus quiescebant; omnis enim caro fenum. Illi autem de panibus domini implentur qui quod auribus audiunt, operibus implent.

Augustinus. quae sunt autem fragmenta, nisi quae populus non poterat manducare? quid ergo restat, nisi ut secretiora intelligentiae, quae non potest capere multitudo, illis credantur qui idonei sunt et alios docere valent, sicut erant apostoli? unde et duodecim cophini impleti sunt.

Alcuinus. Cophinis enim servilia implentur officia. Cophini igitur sunt apostoli et eorum imitatores, qui licet in praesenti sint despectibiles, spiritualium sacramentorum divitiis sunt interius referti. Dicuntur autem apostoli fuisse cophini, quia per apostolos fides sanctae trinitatis erat praedicanda in quattuor partibus mundi. quod autem novos panes noluit facere, sed allatos cumulavit, significat quia veterem scripturam non reprobavit, sed aperiendo patefecit.

IOANNES 6,15-21

12615 (Jn 6,15-21)

Beda. Turbae, viso tanto miraculo, intellexerunt pium atque potentem; et idcirco voluerunt ipsum facere regem: homines namque volunt habere regem pium ad regendum et potentem ad tuendum. Dominus igitur hoc cognoscens fugit in montem; idest, ascendit celeriter; unde dicitur iesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum et facerent eum regem, fugit in montem ipse solus. Datur ergo intelligi quod dominus cum sederet in monte cum discipulis suis et videret turbas ad se venientes, descenderat de monte, et circa inferiora loca turbas paverat. nam quomodo fieri potest ut rursus ille fugeret in montem, nisi ante de

monte descenderet? **Augustinus** de cons. Evang.. non autem repugnat quod matthaeus dixit: ascendit in montem solus orare; neque enim causae orandi contraria est causa fugiendi: quandoquidem et hinc dominus doceat hanc esse nobis magnam causam orandi, quando est causa fugiendi.

Augustinus in Ioannem. erat autem rex qui timebat fieri rex; nec talis rex qui ab hominibus fieret, sed talis qui hominibus regnum daret: semper quidem ille cum patre regnat secundum quod est filius Dei. Praedixerunt autem prophetae regnum eius et secundum id quod homo factus est Christus, et fecit fideles suos Christianos, qui sunt regnum eius; quod modo colligitur, modo emitur sanguine Christi. Erit autem aliquando manifestum regnum eius, quando erit aperta claritas sanctorum eius, post iudicium ab eo factum. Discipuli autem et turbae credentes in eum, putaverunt illum sic venisse ut iam regnaret. Hoc est velle rapere et facere eum regem.

Chrysostomus in Ioannem. Vide autem quanta est gulae virtus. Non ultra eis sabbati transgressionis cura, non ultra zelant pro Deo; sed omnia remota sunt, ventre repleto; et propheta iam erat apud eos, et regem eum inthronizare volebant. Christus autem fugit, erudiens nos mundanas contemnere dignitates. Sic igitur iesus dimittit discipulos et ascendit in montem. hi vero a magistro relictis, ut sero factum est, descenderunt ad mare. et hoc est quod subditur ut autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare. Et quidem usque ad vesperam expectaverunt eum, venturum esse putantes ad se; facta vero vespera non ultra sustinent eum non inquirere (tantus eos detinebat amor), sed ab amore igniti ascenderunt in navem; unde sequitur et cum ascendissent navim, venerunt trans mare in capharnaum. Veniebant quidem ad capharnaum aestimantes se illic eum inventuros.

Augustinus. Sic ergo dixit finem, et redit ut exponat quomodo venerunt: quia per stagnum navigantes transierunt: et dum navigarent recapitulando exponit quid acciderit, dicens et tenebrae iam factae erant, et non venerat ad eos iesus.

Chrysostomus. non sine causa evangelista tempus designat, sed ut per hoc validum eorum amorem ostendat. Non enim dixerunt: vespera nunc est, nox advenit; sed ab amore igniti ascenderunt in navim. Multa autem erant ex quibus impediabantur. A tempore, unde dicitur et tenebrae iam factae erant; a tempestate, unde sequitur mare autem, vento magno flante, exurgebat a longe: non enim erat prope terram; unde dicitur cum remigassent ergo quasi stadia viginti quinque aut triginta. **Beda** in Ioannem. Eo genere locutionis, quo cum dubitando loquimur, solemus dicere, ferme vigintiquinque aut prope triginta.

Chrysostomus. Et ultimo ab inopinabili; unde sequitur vident iesum ambulans supra mare, et proximum fieri. apparet quidem eis postquam illos dimiserat; illic quidem docens eos quid est derelictio, et amorem excitans maiorem; hic vero suam virtutem ostendens: propter hoc igitur illi turbabantur; unde sequitur et timuerunt. Quibus turbatis dominus confortationem adhibet; unde sequitur ille autem dicit eis: ego sum: nolite timere.

Beda. Non autem dixit: ego sum iesus, sed tantum ego sum: quia familiares eius erant, ideoque audita voce, facile potuerunt cognoscere magistrum: sive, quod verius est, ut ostenderet se illum esse qui moysi dixit: ego sum qui sum.

Chrysostomus in Ioannem. Ideo autem eis apparuit, ut ostendat quoniam ipse est qui tempestatem solvet. Hoc enim ostendit evangelista subdens voluerunt ergo accipere eum in navi, et statim fuit navis ad terram ad quam ibant; tranquillam enim praebuit eis navigationem. Non autem navim ascendit, volens maius miraculum operari, et deitatem eius revelare apertius.

Theophylactus. Vide namque tria miracula. Primum est quod ambulabat supra mare; secundum est quod fluctus mitigat; tertium est quod statim fecit navim ad terram ire, ad quam ibant: nam multum distabant a terra cum eis dominus apparuit.

Chrysostomus. turbae autem non ostendit se iesus supra mare ambulans, quia hoc signum imbecillitatem eorum excedebat; sed neque discipulis diu visus est hoc faciens, sed statim disparuit ab eis.

Augustinus de cons. Evang.. non est autem adversum quod matthaeus prius eum dixit iussisse discipulos ascendere in naviculam, et praecedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas: ac deinde dimissis turbis, ascendisse in montem solus orare; Ioannes vero prius eum fugisse commemorat solum in montem, ac deinde inquit ut autem sero factum est, descenderunt discipuli eius ad mare, et cum ascendissent navim, etc.. Quis enim non hoc videat recapitulando Ioannem postea dixisse factum a discipulis, quod iam iesus iusserat antequam fugisset in montem? **Chrysostomus**. Vel aliter. Mihi videtur hoc signum aliud ab eo quod apud matthaeum positum est: tunc enim non statim eum susceperunt, nunc autem persuasi sunt statim suscipere; et tunc quidem adhuc tempestatem permanebat concutiens navim, nunc autem cum voce

tranquillitas advenit. Multoties enim eadem facit signa, ut facile susceptibilia fiant.

Augustinus in Ioannem. Mystice autem pavit dominus turbas et ascendit in montem: sic enim de illo praedictum est: congregatio populorum circumdabit te; et propter hanc in altum regredere; idest, ut circumdet te congregatio populorum, regredere in altum. Quare autem dictum est fugit? neque enim si nollet teneretur. Aliquid ergo significavit fugiendo: quia scilicet non potuit intelligi altitudo eius; quidquid enim non intellexeris fugit me dicis. Ergo fugit in montem ipse solus, quia ascendit super omnes caelos. Illo autem sursum posito discipuli in navicula tempestatem patiebantur: navicula illa ecclesiam praesignabat. tenebrae iam factae erant, et merito, quia lux non erat; non enim venerat ad illos iesus. Quantum accedit finis mundi, crescunt errores, crescit iniquitas. Lux denique caritas est, secundum illud: qui odit fratrem suum, in tenebris est. Ipsi fluctus navem turbantes, et tempestates, et venti, clamores sunt maledicorum: inde caritas refrigerat, inde fluctus augentur, et turbatur navis. Nec tamen venti illi, et tempestas, et fluctus, et tenebrae id agebant ut vel navis non promoveretur, vel soluta mergeretur: qui enim perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Quinarius autem numerus ad legem pertinet; ipsi sunt quinque libri moysi: ergo legem signat numerus vigesimus quintus: quoniam quinquies quini fiunt vigintiquinque. Sed huic legi, antequam evangelium veniret, deerat perfectio, quae in senario numero comprehenditur. ipsa ergo quinque per sex multiplicentur, ut lex per evangelium impleatur, ut fiant sexies quini triginta. Ad eos ergo qui legem implent, venit iesus calcans fluctus; idest, omnes tumores mundi sub pedibus habens, omnes altitudines saeculi premens; et tamen tantae sunt tribulationes ut etiam ipsi qui credunt in iesum, expavescant ne deficiant.

Theophylactus. Cum autem homines vel daemones nos per timorem nituntur movere, audiamus Christum dicentem ego sum, nolite timere; idest, ego semper assisto, et sicut deus permaneo, et numquam pertranseo: non perdati in me fidem pro falsis terroribus. Vide etiam quomodo non in principio periculi dominus astitit, sed in fine. Permittit namque nos esse in medio periculorum, ut certantes in tribulationibus probabiliores fiamus, et ut ad ipsum solum recurramus qui potens est ex insperatis nos liberare. cum enim intellectus humanus sibi providere non poterit, tunc salus divina advenit. si voluerimus etiam Christum in naviculam nostram suscipere, idest in cordibus nostris habitare, statim inveniatur in terra ad quam ire volumus, idest in caelum.

Beda. Quia vero haec navicula non torpentes vehit, sed fortiter remigantes, significatur quod in ecclesia non desidiosi et molles, sed fortes et in bonis operibus perseverantes perveniunt ad portum salutis aeternae.

IOANNES 6,22-27

12622 (Jn 6,22-27)

Chrysostomus in Ioannem. dominus, etsi turbis non manifeste ostenderit quomodo supra mare ambulaverit, dedit tamen eis latenter suspicari quod factum erat; et hoc evangelista ostendit, dicens altera die turba quae stabat trans mare, vidit quia navicula alia non erat ibi nisi una, et quia non introisset cum discipulis suis iesus in navim, sed soli discipuli eius abiissent. Quid enim hoc erat aliud quam suspicari quod mare pede transiens, recesserat? neque enim est dicere quod in alia navicula pertransivit, quia una erat ibi tantum, in quam ascenderunt discipuli eius, cum quibus ipse non intraverat.

Augustinus in Ioannem. insinuatum autem est illis tam magnum miraculum. Venerunt ergo et aliae naves iuxta locum illum ubi manducaverant panem, in quibus turbae eum secutae sunt; et hoc est quod subditur aliae vero naves supervenerunt quaerentes eum.

Chrysostomus in Ioannem. Sed tamen post miraculum tam magnum venientes, non interrogaverunt eum qualiter pertransiit, neque curaverunt tantum miraculum addiscere; sequitur enim et cum invenissent eum trans mare, dixerunt ei: rabbi, quando huc venisti? nisi quis dicat hic quando pro qualiter dictum esse ab eis. dignum autem est et hinc conspiciere facilem eorum mentem: qui enim dicebant: hic est propheta; qui studebant rapere et facere eum regem, inveniunt eum, nihil tale consiliantur.

Augustinus. ecce enim ille qui in montem fugerat, turbatus cum ipsis turbis loquitur. modo teneant, modo regem faciant. Sed ille post miraculi sacramentum et sermonem infert, et quorum satiavit panibus ventrem, satiat sermonibus mentem.

Alcuinus. qui enim dedit exemplum fugiendae laudis et terreni imperii, dat exemplum doctoribus qualiter debeant insistere praedicationi.

Chrysostomus in Ioannem. Mansuetudo autem et lenitas non ubique est utilis; cum enim deses fuerit

discipulus et grossus, stimulo uti ad eum oportet; hoc et hic filius Dei facit: venientibus enim turbis et blandientibus ei dicendo rabbi, quando huc venisti? ut ostendat quod eum, qui ab hominibus est, honorem non concupiscit, sed solum inspicit eorum salutem, redarguendo eis respondet, non solum corrigere volens, sed et mentem eorum revelare; unde sequitur respondit eis iesus, et dixit: amen, amen dico vobis: quaeritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.

Augustinus. quasi dicat: propter carnem me quaeritis, non propter spiritum.

Chrysostomus. Post reprehensionem autem doctrinam eis adiungit, dicens operamini, non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam aeternam; quasi dicat: vos escam exquiritis temporalem; ego autem corpora vestra nutrivit, ut per hoc exquireretis illam escam quae non temporaneam, sed aeternam tribuit vitam.

Alcuinus. Corporeus cibus carnem tantum reficit exterioris hominis; et semel acceptus non sufficit, nisi quotidie accipiatur; spiritualis autem cibus permanet in aeternum, et satietatem perpetuam immortalitatemque largitur.

Augustinus. seipsum autem insinuat istum cibum, ut in sequentibus illucescit; ac si dicat: quaeritis me propter aliud: quaerite me propter me.

Chrysostomus. sed quia quidam, eo quod volunt pigre nutrir, abutuntur hoc verbo, necessarium est inducere id quod est pauli: qui furabatur, iam non furetur; magis autem laboret operando manibus suis, ut habeat unde tribuat necessitatem patienti. Sed et ipse corinthum veniens morabatur apud aquilam et priscillam, et operabatur. Dicendo autem ne operemini cibum qui perit, non insinuat quod oporteat pigritari, sed quod oporteat operari et dare: hic enim est cibus qui non perit; operari autem cibum qui perit, est affici saecularibus rebus. Hoc igitur dixit, quia illi nullam fidei curam habuerunt, sed solum volebant ventrem implere, nihil laborantes: et hoc decenter cibum qui perit vocavit.

Augustinus. sicut autem samaritanae dixerat: si scires qui petit a te bibere, postulasses ab eo, et daret tibi aquam vivam, ita et hic subdit quem filius hominis vobis dabit.

Alcuinus. Quando autem per manum sacerdotis corpus Christi accipis, non sacerdotem quem vides, sed illum quem non vides attende. Sacerdos est dispensator huius cibi, non actor. Filius hominis seipsum dat nobis, ut nos in ipso et ipse in nobis maneat. Istum filium hominis nolite sic accipere quasi alios filios hominum: sequestratus est enim quadam gratia, et exceptus a numero omnium: iste enim filius hominis et Dei filius est; et hoc est quod subdit hunc enim pater signavit deus. Signare est signum ponere; quasi dicat: nolite me contemnere, quia filius hominis sum: sic enim sum filius hominis ut deus pater me signaret, id est proprium aliquid mihi daret, quo non confunderer cum genere humano, sed per me liberaretur genus humanum.

Hilarius de trin.. signaculorum autem natura est ut omnem impressae in se speciei explicent formam, et nihil minus ex eo in se habeant unde signantur; et dum totum accipiunt quod imprimitur, totum ex se praeferunt quidquid impressum est. Verbum igitur hoc ad divinae nativitatis non proficit exemplum: quia in signaculis et materies fit, et diversitas, et impressio, per quam mollioribus naturis, validiorum generum species imprimuntur. Unigenitus vero deus et per sacramentum salutis nostrae hominis filius, volens proprietatis nobis paternae in se signare speciem, signatum se a Deo ait, ut per hoc potestas in eo dandae ad aeternitatem escae intelligi possit, quia omnem in se paternae formae plenitudinem signantis se Dei contineret.

Chrysostomus in Ioannem. vel signavit, id est in hoc misit hanc nobis afferentem escam; vel signavit, id est revelavit per suum testimonium.

Alcuinus. Mystice autem altera die, id est post ascensionem Christi, turba, stans in bonis operibus, non iacens in terrenis voluptatibus, expectat ut veniat ad eos iesus. Una autem navis est una ecclesia: sed et aliae naves quae superveniunt, sunt conventicula haereticorum, qui quae sua sunt quaerunt, non quae iesu Christi; unde convenienter eis dicitur quaeritis me, quia manducastis ex panibus.

Augustinus. Quam multi etiam non quaerunt iesum, nisi ut illis beneficiat secundum tempus. Alius negotium habet, quaerit intercessionem clericorum: alius premitur a potentiore, fugit ad ecclesiam: vix quaeritur iesus propter iesum.

Gregorius moralium. Per eorum etiam personam, dominus illos intra sanctam ecclesiam detestatur qui per sacros ordines ad dominum propinquantes, non in eisdem ordinibus virtutum merita, sed subsidia

praesentis vitae exquirunt. Satiatos quippe de panibus dominum sequi, est de sancta ecclesia temporalia alimenta sumpsisse; et non pro signis dominum, sed pro panibus quaerere, est ad religionis officium non pro augendis virtutibus, sed pro requirendis subsidiis inhiare.

Beda. Illi etiam qui in oratione quaerunt non aeterna, sed temporalia, quaerunt iesum non propter iesum, sed propter aliquid aliud. Significatur autem mystice quoniam haereticorum conventicula carent hospitio Christi ac discipulorum eius; et dicuntur aliae supervenisse naves, quia haereses repentinae fuerunt. Per turbam autem, quae cognovit quod iesus non erat ibi, neque discipuli eius, illi designantur qui cognoscentes errores haereticorum, relinquunt eos, et ad veram fidem veniunt.

IOANNES 6,28-34

12628 (Jn 6,28-34)

Alcuinus. Intellexerant escam istam quae permanet in vitam aeternam, esse opus Dei; et ideo interrogant quid facerent, ut istum cibum, idest opus Dei, operari possint; et hoc est quod dicitur dixerunt ergo ad eum: quid faciemus ut operemur opera Dei? **Beda.** Idest, quae praecepta servando, poterimus implere opera Dei? **Chrysostomus** in Ioannem. hoc autem dicebant, non ut discant et faciant; sed ad cibi exhibitionem eum inducere volentes.

Theophylactus. Christus vero, quamvis cognosceret quod eis nihil proderat, tamen propter communem utilitatem respondit, et ostendit eis, immo omnibus hominibus, quod sit opus Dei; unde sequitur respondit iesus, et dixit eis: hoc est opus Dei, ut credatis in eum quem misit ille.

Augustinus in Ioannem. non autem dicit: ut credatis ei, sed ut credatis in eum: non enim continuo qui credit ei, credit in eum, nam et daemones credebant ei, et non credebant in eum; et nos credimus paulo, sed non in paulum. Credere ergo in eum, est credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, et eius membris incorporari. ipsa est fides quam de nobis exigit deus, quae per dilectionem operatur. Discernitur tamen ab operibus fides, sicut dicit apostolus: iustificari hominem per fidem sine operibus legis. Et sunt opera quae videntur bona sine fide Christi, et non sunt bona, quia non referuntur ad eum finem ex quo sunt bona; finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti; et ideo noluit discernere ab opere fidem; sed ipsam fidem dixit esse opus Dei; ipsa est enim fides quae per dilectionem operatur. Nec dixit: hoc est opus vestrum; sed hoc est opus Dei, ut credatis in eum, ut qui gloriatur, in domino gloriatur. Credere ergo in eum, est manducare cibum qui permanet in vitam aeternam. Ut quid paras dentem et ventrem? crede, et manducasti. quia ergo invitabat eos ad fidem, illi adhuc quaerebant signa quibus crederent; iudaei enim signa quaerunt; et hoc est quod sequitur dixerunt ergo ei: quod ergo tu facis signum, ut videamus et credamus tibi? quid operaris? **Chrysostomus.** nihil irrationabilius quam ut, signo prae manibus existente, quasi nullo iam signo facto, hoc dicant. neque electionem signi fiendi domino permittunt; sed in necessitatem eum aestimant ducere, ut nullum aliud faciat signum quam tale quale factum est in eorum parentibus; unde subditur patres nostri manducaverunt manna in deserto.

Alcuinus. et ne videatur manna aliquo modo contemnendum, auctoritate psalmi illud extollunt, dicentes sicut scriptum est: panem de caelo dedit eis manducare.

Chrysostomus. multis quidem factis signis et in aegypto, et in mari rubro, et in deserto, huius maxime meminerunt, quod valde concupiscebant propter ventris tyrannidem. Neque autem dicunt quod deus hoc fecit, ne videantur eum exaequare Deo; neque moysen inducunt, ut non videantur Christum deprimere; sed medium ponunt dicentes patres nostri manducaverunt manna. Vel aliter.

Augustinus in Ioannem. Dominus iesus talem se dicebat ut se moysi praeponeret: non enim est ausus moyses de se dicere, quod daret cibum qui non perit. attendebant itaque quanta fecisset moyses; adhuc aliqua maiora volebant fieri; quasi dicant: tu promittis cibum qui non perit, et non talia operaris qualia moyses. Panes hordeaceos ille non dedit, sed manna de caelo.

Chrysostomus in Ioannem. licebat autem domino dicere, quoniam moyse maiora miracula fecit; sed non erat tempus horum verborum nunc; sed unum erat ad quod studebat, scilicet ducere eos ad escam spiritualem; unde sequitur dicit ergo eis iesus: amen, amen, dico vobis: non moyses dedit vobis panem de caelo, sed pater meus dat vobis panem de caelo verum. An non ex caelo erat manna? qualiter igitur ex caelo dicitur? sicut et volucres caeli dicuntur, et sicut dicitur: intonuit de caelo dominus. panem autem non verum vocavit illum, non quia falsum erat miraculum de manna; sed quia figura erat, non veritas. non dixit: non moyses dedit, sed ego; sed pro moyse quidem Deum, pro manna vero seipsum posuit.

Augustinus. quasi diceret: illud manna hoc significabat, scilicet cibum de quo paulo ante locutus sum; et omnia signa mea erant. Signa mea dilexistis; quod significatur, contemnitis. Deus enim dat panem quem significavit manna ipsum, scilicet dominum iesum Christum; unde sequitur panis enim verus est qui de caelo descendit, et dat vitam mundo.

Beda. Non quidem elementis, sed hominibus habitatoribus mundi.

Theophylactus. Seipsum dicit panem verum, quia principale significatum per manna est unigenitus Dei filius, homo factus. Manna namque interpretatur quid est hoc? nam iudaei videntes, stupefacti, unus ad alium dicebant: quid est hoc? filius autem Dei factus homo ipse est potissimum admirativum manna, ita ut cuilibet contingat quaerere: quid est hoc? quomodo filius Dei, filius hominis est? quomodo ex duabus naturis una fit persona? Alcuinus. Qui per assumptam humanitatem descendit de caelo, et per assumptam divinitatem dat vitam mundo.

Theophylactus. Hic autem panis vita secundum naturam existens, tamquam vivi patris filius, proprium opus facit, quia vivificat cuncta. Sicut enim panis ex terra infirmam naturam carnis conservat, sic et Christus per spiritus operationes vivificat animam, et etiam corpus incorruptibile facit, nam per eius resurrectionem corporalis confertur incorruptio; et ideo dicit quod dat vitam mundo.

Chrysostomus. non iudaeis solum, sed orbi terrarum. Illi vero inferius adhuc inspiciebant; unde sequitur dixerunt ergo ad eum: domine, semper da nobis hunc panem. Dicente autem eo, quoniam pater meus dat vobis panem, non dixerunt: roga ut det, sed da nobis.

Augustinus. sicut enim samaritana, cui dictum est: qui biberit de hac aqua, non sitiet unquam, secundum corpus accipiens, et carere indigentia volens, da mihi, inquit, domine, de hac aqua, sic et isti dicunt da nobis panem qui reficiat et non deficiat.

IOANNES 6,35-40

12635 (*Jn 6,35-40*)

Chrysostomus in Ioannem. de reliquo dominus in mysteriorum traditionem eos inducturus est; et primo de deitate sua loquitur; unde dicitur dixit autem eis iesus: ego sum panis vitae. non enim hoc de corpore eius dictum est; de illo enim in fine dicit: panis quem ego dabo caro mea est. Sed interim de divinitate loquitur: etenim caro propter domini verbum panis est, quod spiritum ipsum suscipienti panis caelestis fit.

Theophylactus. non autem dixit ego sum panis nutrimenti, sed vitae: quia enim cuncta mortifera erant, vivificavit nos Christus per seipsum. Est autem panis non consuetae vitae, sed illius quae morte non resecatur; unde subditur qui venit ad me, non esuriet; et qui credit in me, non sitiet in aeternum.

Augustinus in Ioannem. qui venit ad me, hoc est qui credit in me; et quod dixit non esuriet, hoc intelligendum est: et non sitiet unquam; utroque enim significatur aeterna illa satietas, ubi nulla est egestas.

Theophylactus. vel non sitiet neque esuriet; idest, ad verbum Dei audiendum neque taediosus efficietur, neque sitiet siti intellectuali: quasi non habeat aquam baptismi et sanctificationem per spiritum factam.

Augustinus. Panem igitur de caelo desideratis: ante vos habetis, sed non manducatis; unde sequitur sed dixi vobis quia vidistis me et non credidistis.

Alcuinus. Quasi dicat: non ideo hoc dixi quod vos sciam hoc pane satiandos, sed potius ad improprium vestrae incredulitatis dico, quia videtis et non creditis.

Chrysostomus. Vel per hoc quod dicit dixi vobis, insinuat testimonium scripturarum, de quo dixerat: illae sunt quae testimonium perhibent de me. Et iterum dixerat: quoniam veni in nomine patris mei, et non suscepistis me. hoc autem quod dicit quia vidistis me, signa occulte insinuat.

Augustinus. sed non ideo ego populum Dei perdi, quia vos vidistis et non credidistis; unde sequitur omne quod dat mihi pater, ad me veniet, et eum qui venit ad me, non eiiciam foras.

Beda. Absolute dicit omne, ut ostenderet plenitudinem fidelium. hi autem sunt quos pater dat filio, quando

per occultam inspirationem facit eos credere in filium.

Alcuinus. quemcumque ergo pater traxerit ad hoc ut credat in me, veniet per fidem ad me, ut mihi iungatur; et eum qui passibus fidei et bonae operationis veniet ad me, non eiiciam foras; idest, in secreto purae conscientiae mecum morabitur, et tandem recipiam eum in aeterna beatitudine.

Augustinus. illud enim intus, unde non exitur foras, est magnum penetrabile et dulce secretum, sine taedio, sine amaritudine malarum cogitationum, sine interpellatione tentationum et dolorum; de quo dicitur: intra in gaudium domini tui.

Chrysostomus. per hoc autem quod dicit quod dat mihi pater, ostendit quoniam non contingens res est credere in Christum, neque cogitationibus humanis perficitur; sed ea quae desuper revelatione indiget, et anima devota suscipiente revelationem: unde non sunt ab accusatione eruti quibus non dat pater; indigemus enim et ea quae ex nobis est voluntate ad credendum. Per hoc autem tangit incredulitatem eorum, ostendens quoniam qui non credit ei, voluntatem transgreditur patris. Paulus autem ait quod ipse eos tradiderit patri: cum tradiderit regnum Deo et patri. sicut igitur pater dans non privat seipsum, sic nec filius tradens. Dicitur autem filius tradere, quoniam per eum ad patrem adducimur. et de patre dictum est: per quem vocati estis in societatem filii eius. Sic igitur qui venit ad me salvabitur, quia pro his veni et carnem assumpsi; unde sequitur quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Quid dicitis? alia sunt tua, et quae illius? ne igitur hoc aliquis suspicetur, subiunxit haec est autem voluntas eius qui misit me, ut omnis qui videt filium et credit in eum, habeat vitam aeternam. Per hoc autem et filius vult, quia filius quos vult vivificat. Quid est igitur quod dicit? non aliud acturus veni quam quod pater vult, quasi non habens divisam voluntatem a patre: omnia enim quae patris sunt, mea sunt. Sed hoc non dixit; sed in fine reservat; excelsa enim interim occultat.

Augustinus in Ioannem. vel aliter. Quare non eiciat foras, subiungit dicens quia descendi de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me. Propterea enim anima a Deo exiit, quia superba erat. superbia enim eiecti sumus, humilitate regredimur. Medicus enim quando aegritudinem discutit, si curet quod per aliquam causam factum est, et ipsam causam non curet, ad tempus videtur mederi, sed causa manente, morbus repetitur. Ut ergo causa omnium morborum curaretur, idest superbia, descendit, et humilis factus est filius Dei. Quid superbis, homo? filius Dei propter te humilis factus est. Puderet te fortasse imitari humilem hominem; saltem imitare humilem Deum: haec est enim commendatio humilitatis. Non veni facere voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me: superbia quippe facit voluntatem suam, humilitas voluntatem Dei. **Hilarius** de trin.. Non igitur hoc dicit quia faciat quod non velit; sed obedientiam suam sub effectu paternae voluntatis ostendit, volens ipse voluntatem patris explorare.

Augustinus. Ideo ergo qui ad me venerit, non eiiciam eum foras, quia non veni facere voluntatem meam. humilis veni humilitatem docere: qui ad me venit incorporatur mihi et humilis fit, quia non faciet voluntatem suam, sed Dei; et ideo non eicitur foras, quia cum superbus esset, proiectus est foras, ad me enim venire non potest nisi humilis: non mittitur foras nisi superbia; qui servat humilitatem, non labitur a veritate. Quare autem ideo non eiciat foras qui venit ad illum, quia non venit facere voluntatem suam, ostendit cum subdit haec est enim voluntas eius qui misit me patris, ut omne quod dedit mihi pater non perdam ex eo. ipse illi datus est qui servat humilitatem. non est voluntas in conspectu patris, ut pereat unus de pusillis. de tumentibus potest perire, de pusillis nihil perit: quia nisi fueritis sicut pusillus iste, non intrabitis in regnum caelorum.

Augustinus de correptione et gratia. Qui ergo in Dei providentissima dispositione praesciti, praedestinati, vocati, iustificati, glorificati sunt, etiam nondum renati, sed et nondum nati, iam filii Dei sunt et omnino perire non possunt: hi enim vere veniunt ad Christum. ab illo ergo datur etiam perseverantia in bono usque in finem: neque enim datur nisi eis qui non peribunt: quoniam qui non perseverant peribunt.

Chrysostomus in Ioannem. Per hoc autem quod dicit non perdam ex eo, non ostendit se indigere eorum cura; sed hoc dicit propter eorum salutem. Postquam autem dixerat: non perdam ex eo et non eiiciam foras, subiungit sed resuscitem eum in novissimo die: quia in resurrectione communi mali eicientur, secundum illud: tollite eum, et eiicite eum in tenebras exteriores. ipsi etiam perdentur, secundum illud: qui potest animam et corpus perdere in gehennam. Ideo autem multoties resurrectionem inducit, ut non ex solis rebus praesentibus iudicent Dei providentiam, sed aliam expectent vitam.

Augustinus in Ioannem. Videte autem quemadmodum et hic geminam illam resurrectionem designet. Qui venit ad me, modo resurget humilis factus in membris meis. sequitur autem sed resuscitabo illum in novissimo die. Ad exponendum autem quod dixerat: omne quod dedit mihi pater, et iterum quod dixerat: non perdam ex eo, subiungit haec est enim voluntas patris mei qui misit me, ut omnis qui videt filium et credit in eum, habeat vitam aeternam. Superius dixit: qui audit verbum meum, et credit ei qui misit me;

modo autem: qui videt filium et credit in eum. Non dixit: et credit in patrem: hoc est enim credere in filium, quod et in patrem: quia sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit et filio vitam habere in semetipso ut sic omnis qui videt filium et credit in eum, habeat vitam aeternam, credendo et transeundo ad vitam, tamquam prima illa resurrectione; et quia ipsa non est sola, subiungit de secunda et ego resuscitabo eum in novissimo die.

IOANNES 6,41-46

12641 (Jn 6,41-46)

Chrysostomus in Ioannem. iudaei existimantes se comestione carnali potiri, non turbabantur, usquequo postea diffisi sunt; unde dicitur murmurabant ergo iudaei de illo, quia dixisset: ego sum panis vivus, qui de caelo descendi. Videbantur quidem turbari in hoc quod dixerat eum de caelo descendisse; sed non hoc erat quod turbationem faciebat, sed hoc quod non expectabant potiri mensa corporali. Adhuc tamen eum venerabantur, quia recens erat signum; et propterea non manifeste ei contradicebant, sed murmurando suam turbationem ostendebant. Quid autem murmurando dixerint subditur et dicebant: nonne hic est iesus filius ioseph, cuius novimus patrem et matrem? quomodo ergo dicit hic: quia descendi de caelo?

Augustinus in Ioannem. longe autem isti erant a pane de caelo, nec eum esurire noverant: panis enim iste interioris hominis quaerit esuriem.

Chrysostomus. manifestum est enim quoniam mirabilem eius nondum sciverant generationem; propterea eum adhuc filium ioseph dicunt. Sed non increpantur: non enim respondit eis: non sum filius ioseph, quia non poterant illum mirabilem partum audire. Si vero eum qui secundum carnem, non poterant manifeste audire, multo magis nec superiorem ineffabilem.

Augustinus. ab hominibus enim carnem assumpsit, sed non more hominum: nam patrem habens in caelo, matrem elegit in terra, et illic natus sine matre, et hic sine patre. Quid ergo talibus murmurantibus respondit subditur respondit ergo iesus, et dixit eis: nolite murmurare invicem; quasi dicat: scio quare non esuritis sic, ut istum panem non intelligatis neque quaeratis. nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit illum. Magna gratiae commendatio: nemo venit nisi tractus. quem trahat et quem non trahat, quare illum trahat et illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare. Semel accipe, et intellige; si non traheris, ora ut traharis.

Chrysostomus. Hic autem insiliunt manichaei dicentes, quoniam nihil in nobis est positum. Sed hoc non quod in nobis est destruit, sed ostendit nos divino auxilio indigentes: ostendit enim hic non eum qui invitus venit, sed eum qui multam patitur oppugnationem.

Augustinus. sed si inviti trahimur ad Christum, inviti credimus; ergo violentia adhibetur, non voluntas excitatur. sed intrare quisquam ecclesiam potest nolens; credere non potest nisi volens; corde enim creditur ad iustitiam. si ergo invitus venit qui trahitur, non credit; si non credit, non venit: non enim ad Christum ambulando currimus, sed credendo; nec motu corporis, sed voluntate cordis accedimus: ergo voluntate traheris. quid est autem trahi voluntate? delectare in domino, et dabit tibi petitiones cordis tui. Est quaedam voluptas cordis, cui dulcis est panis ille caelestis. Porro si poetae dicere licuit: trahit sua quemque voluptas, quanto fortius nos dicere debemus trahi hominem ad Christum, qui delectatur veritate, beatitudine, iustitia, sempiterna vita, quod totum Christus est? an vero habent corporis sensus voluptates suas, et animus deseritur a voluptatibus suis? da amantem, desiderantem, ferventem, fonti aeternae patriae suspirantem; et scit quid dicam. Sed quare voluit dicere quem traxerit pater? si trahendi sumus, ab illo trahamur cui dicit quaedam quae diligit: trahe me post te. Sed quid intelligi voluit advertamus. Trahit pater ad filium eos qui propterea credunt in filium, quia eum cogitant patrem habere Deum. Deus enim pater aequalem sibi genuit filium: et qui cogitat, atque in fide sua sentit, ac ruminat aequalem esse patri eum in quem credit, ipsum trahit pater ad filium. Arius credidit creaturam: non eum traxit pater. Photinus dicit: homo solum est Christus. Qui sic credit, non eum pater trahit. Traxit petrum qui dixit: tu es Christus filius Dei vivi; unde ei dictum est: non tibi revelavit caro et sanguis, sed pater meus qui in caelis est. Ista revelatio ipsa attractio est. Si enim qui inter delicias terrenas revelantur amantibus, trahunt, non trahet revelatus Christus a patre? quid enim fortius desiderat anima quam veritatem? sed hic homines esuriunt, ibi saturabuntur; ideo subiecit et ego resuscitabo eum in novissimo die: quasi dicat: saturabitur eo quod et hic sitit, in resurrectione mortuorum, quoniam ego resuscitabo eum.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam.. Vel attrahit pater ad filium per opera quae faciebat per illum.

Chrysostomus in Ioannem. non parva dignitas filii, si pater adducit; et ipse suscitatur, non dividens ad

patrem opera, sed ostendens parilitatem virtutis. Deinde ostendit modum secundum quem pater trahit, dicens scriptum est in prophetis: et erunt omnes docibiles Dei. Vides fidei dignitatem; quoniam non ab hominibus, neque per homines, sed ab ipso Deo eam debeant addiscere. magister enim praesidet omnibus paratus existens sua tribuere, ad omnes suam doctrinam effundens. Si autem erunt omnes docibiles Dei, qualiter quidam non credunt? quia hoc de pluribus dictum est, sive quoniam omnes qui volunt.

Augustinus de praedest. Sanct.. Vel aliter. Sicut integre loquimur cum de aliquo litterarum magistro qui in civitate solus est, dicimus: omnes iste hic litteras docet: non quia omnes discunt, sed quia nemo nisi ab illo discit quicumque ibi litteras discit; ita recte dicimus: omnes deus docet venire ad Christum, non quia omnes veniunt, sed quia nemo aliter venit.

Augustinus in Ioannem. Vel aliter. Omnes regni illius homines docibiles erunt Dei, non ab hominibus audiunt: et si hic ab hominibus audiunt, tamen quod intelligunt, intus datur. Strepitum verborum ingero auribus vestris, nisi revelet ille qui intus est. Quomodo ergo, o iudaei, me potestis agnoscere, quos pater non docuit? **Beda.** Dicit autem pluraliter in prophetis, quia omnes prophetae uno eodemque spiritu repleti, licet diversa prophetarent, tamen ad idem tendebant: quapropter cum quovis eorum omnes alii concordabant, sicut cum ioele propheta, qui dicit: erunt omnes docibiles Dei.

Glossa. hoc in ioele non invenitur, sed aliquid simile: dicitur enim ibi: filii sion, exultate et laetamini in domino Deo nostro: quia dedit nobis doctorem. Expressius tamen est in Isaia, ubi dicitur: ponam universos filios tuos doctos a domino.

Chrysostomus. quod quidem praecipuum est, quia ante per homines discebant quae Dei sunt, nunc autem per unicum filium Dei et spiritum sanctum.

Augustinus de praedest. Sanct.. omnes autem docibiles Dei veniunt ad filium, quoniam audierunt et didicerunt a patre per filium; unde subditur omnis qui audivit a patre, et didicit, venit ad me. Si autem omnis qui audivit a patre et didicit, venit, profecto omnis qui non venit, non audit a patre, nec didicit. Valde remota est a sensibus carnis haec schola, in qua pater auditur et docet, ut veniatur ad filium; nec agit hoc cum carnis aure, sed cordis, ubi est et ipse filius; quia ipse est verbum eius per quod pater sic docet: simul est et spiritus sanctus: inseparabilia enim didicimus esse opera trinitatis. Sed patri hoc potissimum est attributum, quia de ipso procedit et filius et spiritus sanctus. Itaque gratia quae occulte et humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo corde duro respuitur: ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur. Cur ergo non omnes docet ut veniant ad Christum, nisi quia eos quos docet, misericordia docet; quos autem non docet, iudicio non docet? si autem dixerimus, quod volunt discere, quos non docet, respondebitur nobis: et ubi est quod ei dicitur: deus, tu convertens vivificabis nos? aut si non faciat volentes ex nolentibus deus, ut quid orat ecclesia secundum praeceptum domini pro persecutoribus suis? non enim quisquam dicere potest: credidi, ut sic vocarer; praevenit quippe eum misericordia Dei, quia sic est vocatus ut crederet.

Augustinus in Ioannem. Ecce ergo quomodo trahit pater docendo de veritate, non necessitatem imponendo; trahere enim Dei est. Omnis qui audivit a patre, et didicit, venit ad me. Quid igitur? Christus nihil docuit? quid quod? patrem magistrum homines non viderunt, filium viderunt? filius ergo dicebat, sed pater docebat. Si enim ego homo cum sim, illum doceo qui audivit verbum meum, illum docet et pater qui audivit verbum eius. Exponit autem hoc ipse, et ostendit nobis quid dixerat, continuo subiungens non quia patrem vidit quisquam; nisi qui a Deo est, hic vidit patrem; quasi dicat: ne forte cum dico vobis omnis qui audivit a patre, et didicit, dicatis apud vos: nunquam vidimus patrem: quomodo ab eo discere poterimus? a meipso audite. ego novi patrem, ab illo sum, quomodo verbum est ab illo cuius est verbum: non quod sonat et transit, sed quod manet cum dicente, et trahit audientem.

Chrysostomus. omnes quidem a Deo sumus. Id vero quod est praecipuum filii et proprium, hic non posuit propter auditorum imbecillitatem.

IOANNES 6,47-52

12647 (Jn 6,47-52)

Augustinus in Ioannem. Revelare voluit se dominus quid esset; unde dicit amen, amen, dico vobis: qui credit in me, habet vitam aeternam; quasi dicat: qui credit in me, habet me. Quid est autem habere me? habere vitam aeternam: vita enim aeterna est verbum, quod in principio erat apud Deum, et vita erat lux hominum. Assumpsit vita mortem, ut vita occideret mortem.

Chrysostomus in Ioannem. quia vero turbae instabant, cibum corporalem petentes, et eius cibi qui patribus eorum datus erat reminiscentes, ut ostendat quod omnia illa figura erant huius veritatis praesentis, mentionem de cibo spirituali facit, dicens ego sum panis vitae. Panem quidem vitae se ipsum vocat, quoniam vitam nostram continet, et hanc, et futuram.

Augustinus. sed quia illi de manna superbiebant, subiungit patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. ideo patres vestri, quia similes estis illorum: murmuratores patres murmuratorum filiorum: nam de nulla re magis Deum offendisse ille populus dictus est, quam contra Deum murmurando. Ideo autem mortui sunt, quia quod videbant credebant; quod non videbant non credebant, neque intelligebant.

Chrysostomus. non autem sine causa addit in deserto; sed occulte insinuans quoniam non longum tempus fuit, quo scilicet manna datum est; neque simul cum eis venit in terram promissionis. Sed quia videbant panem datum a Christo minus quid esse illo quod patribus datum erat, in eo quod illud desuper descendebat, miraculum vero panum inferius gerebatur; propterea subiungitur hic est panis de caelo descendens.

Augustinus. Hunc panem significavit manna; hunc panem significabat altare Dei. Sacramenta haec sunt, et illa fuerunt: in signis diversa sunt; in re quae significatur, paria sunt. Apostolum audi: omnes eandem escam spiritalem manducaverunt.

Chrysostomus. deinde ostendit quod maxime eos poterat persuadere, quoniam ipsi patribus suis multo digniores effecti sunt, qui manna manducantes sunt mortui; et ideo subdit ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. A fine utriusque cibi ostendit differentiam. Panem autem hic dogmata salutaria dicit, et fidem quae in ipsum est, aut corpus suum: haec enim conservant animam.

Augustinus. sed numquid nos non morimur, qui manducamus panem descendentem de caelo? sic illi sunt mortui quemadmodum et nos sumus morituri, quantum attinet ad mortem huius corporis visibilem, atque carnalem; quantum autem pertinet ad mortem spiritalem, qua patres istorum mortui sunt, manducavit manna moyses et multi qui domino placuerunt, et mortui non sunt; quia visibilem cibum spiritualiter intellexerunt, spiritualiter gustaverunt, ut spiritualiter satiarentur. Nam et nos hodie accipimus visibilem cibum; sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti: quoniam multi de altari accipiunt, et accipiendo moriuntur: unde apostolus: iudicium sibi manducat et bibit. Panem ergo caelestem spiritualiter manducare, est innocentiam ad altare apportare; peccata, etsi sint quotidiana, non sint mortifera; antequam ad altare accedatis attendite quid dicatis: dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. si dimittis, dimittentur tibi; securus accede: panis est, non venenum. si quis ergo ex hoc pane manducaverit, non morietur; sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum; qui manducat scilicet intus, non foris.

Alcuinus. Ideo, inquam, non moritur qui comedit hunc panem: quia ego sum panis vivus, qui de caelo descendi.

Theophylactus. Per hoc scilicet quod incarnatus est. Non ergo prius solum fuit homo, et postmodum assumpsit divinitatem, ut nestorius fabulatur.

Augustinus. de caelo descendit et manna; sed manna umbra erat, iste veritas est.

Alcuinus. Est autem mea vita vivificans; unde sequitur si quis manducaverit ex hoc pane, vivet, non tantum in praesenti per fidem et iustitiam, sed in aeternum.

Augustinus. Determinat consequenter dominus quomodo se panem dicat, non tantum secundum divinitatem quae pascit omnia, sed etiam secundum humanam naturam quae est assumpta a verbo Dei, cum subdit et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita.

Beda. Hunc panem tunc dominus dedit, quando mysterium corporis et sanguinis sui discipulis tradidit, et quando semetipsum Deo patri obtulit in ara crucis. Quod vero dicit pro mundi vita, non debemus intelligere pro elementis, sed pro hominibus, qui mundi nomine designantur.

Theophylactus. in hoc quod dicit quem ego dabo, potestatem suam demonstrat, quod non sicut servus minor patre crucifixus est, sed voluntarie: nam etsi a patre dari dicatur, tamen seipsum tradidit ipse. Attende autem, quod panis qui in mysteriis a nobis assumitur, non solum figuram gerit carnis Christi, sed ipse est vera caro Christi; non enim dixit panis quem ego dabo, figuram carnis meae gerit, sed caro mea est.

Transmutatur inenarrabilibus verbis iste panis per mysticam benedictionem et habitationem spiritus sancti in carnem Christi. Sed quare non videmus carnem? quia si caro videretur, horror nos in eius assumptione invaderet; unde ut nostrae infirmitati condescendatur, talis nobis videtur mysticus cibus secundum quod nostrae consuetudini competebat. Pro mundi autem vita carnem suam tradidit, quia moriendo, mortem solvit. Ego etiam intelligo pro mundi vita resurrectionem: nam domini mors universalem resurrectionem toti generi humano ministravit. Forte autem et vitam quae in sanctificatione et beatificatione consistit, et spiritu, mundi vitam dixit: quamvis enim non omnes susceperint vitam quae est in sanctificatione et spiritu; tamen dominus seipsum pro mundo tradidit; et quantum in eo est, totus mundus sanctificatur.

Augustinus in Ioannem. quando autem caperet caro quod dixit panem carnem? norunt autem fideles corpus Christi, si corpus Christi esse non negligant: fiant corpus Christi, si volunt vivere de spiritu Christi: de spiritu enim Christi non vivit nisi corpus Christi. Numquid enim corpus meum vivit de spiritu tuo? hunc panem exponit apostolus dicens: unum corpus multi sumus. O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis. Qui vult vivere, accedat, credat, incorporetur ut vivificetur.

IOANNES 6,53-55

12653 (*Jn 6,53-55*)

Augustinus in Ioannem. Quia iudaei panem concordiae non intelligebant, ad invicem litigabant; unde dicitur litigabant ergo iudaei ad invicem, dicentes: quomodo potest hic nobis dare carnem suam ad manducandum? qui autem manducant talem panem, non litigant ad invicem, quoniam per hunc deus habitare facit unanimes in domo.

Beda. Putabant ergo iudaei quod dominus particulatim carnem suam divideret et eis ad manducandum daret; et ideo litigabant, quia non intelligebant.

Chrysostomus in Ioannem. quia igitur dicebant hoc esse impossibile, ut scilicet carnem suam ad manducandum daret, ostendit quoniam non solum non est impossibile, sed valde necessarium; unde sequitur dicit ergo eis iesus: amen, amen, dico vobis: nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Augustinus. Quasi dicat: quomodo quidem edatur, et quisnam sit modus manducandi illum panem ignoratis; verumtamen nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.

Beda. Et ne crederetur illis solis haec dixisse, mox generalem sententiam intulit, dicens qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem.

Augustinus. et ne istam vitam intelligentes, de hac re litigarent, secutus adiunxit habet vitam aeternam. Hanc ergo non habet qui istam carnem non manducat, nec istum sanguinem bibit. Nam temporalem vitam sine illo habere homines possunt; aeternam vero omnino non possunt. Non ita est haec esca, quam sustentandae huius temporalis vitae causa sumimus: nam qui eam non sumpserit, non vivet; nec tamen qui eam sumpserit, vivet. Fieri enim potest ut morbo, vel senio, vel aliquo casu plurimi qui eam sumpserit, moriantur. In hoc vero cibo et potu, idest corporis et sanguinis domini, non ita est; nam et qui eum non sumit, non habet vitam; et qui eum sumit, habet vitam, et hanc utique aeternam.

Theophylactus. Non enim puri hominis caro est, sed Dei, et hominem divinum facere valens, tamquam divinitate inebrians.

Augustinus de civ. Dei. sunt autem quidam liberationem ab aeterno supplicio hominibus promittentes Christi baptismate ablutis, qui participes sunt corporis eius, quomodolibet vixerint, propter illud quod dicitur hic. sed contradicit eis apostolus dicens: manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae, invidiae, homicidia, ebrietates, comessiones, et his similia; quae praedico, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. Quamobrem quomodo sit accipiendum quod hic dicitur, merito quaeritur. Qui enim in eius est corporis unitate, idest in Christianorum compage membrorum, cuius corporis sacramentum fideles communicantes de altari sumere consueverunt, ipse vere dicendus est manducare corpus et bibere sanguinem Christi; ac per hoc haeretici et schismatici ab unitate corporis separati, possunt idem percipere sacramentum, sed non sibi utile, immo vero etiam noxium, quo iudicentur gravius quam vel tardius liberentur. Nec illi etiam in perditis et damnabilibus moribus debent esse

securi, qui per vitae iniquitatem, ipsam vitae iustitiam, quae est Christus, deserunt, sive fornicando, sive aliquid huiusmodi faciendo: non enim isti dicendi sunt manducare corpus Christi, quoniam nec in membris computandi sunt Christi. Ut enim alia taceam, non possunt simul esse membra Christi et membra meretricis.

Augustinus in Ioannem. Hunc itaque cibum et potum societatem vult intelligi corporis et membrorum suorum, quod est ecclesia in praedestinati et vocati et iustificati et glorificati sanctis et fidelibus eius. Huius rei sacramentum, idest unitas corporis et sanguinis Christi, alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in dominica mensa praeparatur, et de dominica mensa sumitur: quibusdam ad vitam, quibusdam ad exitium. res vero ipsa, cuius sacramentum est, omni homini est ad vitam, nulli ad exitium, quicumque eius particeps fuerit. Ne autem putarent sic in isto cibo et potu promitti vitam aeternam, ut qui eum sumerent, iam nec corpore morerentur, huic cogitationi occurrens subiungit dicens et ego resuscitabo eum in novissimo die: ut scilicet habeant interim vitam aeternam secundum spiritum in requie, quae sanctorum spiritus suscipit; quod autem ad corpus attinet, nec corpus etiam vita aeterna fraudetur, sed in resurrectione mortuorum in novissimo die eam habeat.

IOANNES 6,56-60

12656 (*Jn 6,56-60*)

Beda. Dixerat superius: qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; et ut ostenderet quanta distantia sit inter corporalem cibum et potum, et spirituale mysterium corporis et sanguinis sui, adiecit caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus.

Chrysostomus in Ioannem. hoc autem dicit, aut ut credant his quae dicta sunt, ut non aestiment aenigma et parabolam esse, sed sciant quoniam omnino oportet manducare corpus Christi; aut vult dicere, quod verus cibus est hic qui animam salvat.

Augustinus in Ioannem. vel aliter. Cum cibo et potu id appetant homines ut non esuriant neque sitiunt; hoc veraciter non praestat nisi iste cibus et potus, qui eos a quibus sumitur immortales et incorruptibiles facit; idest societas ipsa sanctorum, ubi pax erit, et unitas plena atque perfecta. Propterea dominus noster corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit quae ad unum aliquid rediguntur ex multis: namque aliud, scilicet panis, ex multis granis in unum constat; aliud, scilicet vinum, ex multis acinis confluit. Deinde iam exponit quid sit manducare corpus eius et sanguinem bibere, dicens qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Hoc est ergo manducare illam escam et illum bibere potum, in Christo manere, et Christum in se habere. At per hoc qui non manet in Christo, et in quo non manet Christus, proculdubio nec manducat eius carnem, nec bibit eius sanguinem; sed magis tantae rei sacramentum ad iudicium sibi manducat et bibit.

Chrysostomus. vel aliter continuatur. Quia promiserat se manducantibus vitam aeternam, ut hoc confirmet, induxit qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.

Augustinus de verb. dom.. Multi quidem, qui vel corde ficto carnem illam manducant et sanguinem bibunt, vel cum manducaverint apostatae fiunt, numquid manent in Christo, et Christus in eis? sed est profecto quidam modus manducandi illam carnem et bibendi illum sanguinem, quo modo qui manducaverit et biberit, in Christo manet, et Christus in eo.

Augustinus de civ. Dei. Hoc est, illi qui non sacramento tenus tantum, sed revera corpus Christi manducant, et sanguinem bibunt.

Chrysostomus. Et quia ego vivo, manifestum est quod ipse vivet: et ad hoc ostendendum subiungit sicut misit me vivens pater, et ego vivo propter patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me; ac si dicat: vivo ego sicut pater; et ne ingenitum aestimes, adiecit propter patrem, patrem sibi esse principium occulte insinuans. Quod autem dicit qui manducat me, et ipse vivet propter me, non de vita simpliciter hoc dicit, sed de approbata: etenim etiam infideles vivunt non manducantes de carne illa. sed neque de resurrectione communi hoc dicit (etenim omnes suscitabuntur), sed de gloriosa et mercedem habente.

Augustinus in Ioannem. Non autem ait: sicut manduco patrem, et ego vivo propter patrem, et qui manducat me, et ipse vivet propter me: non enim filius participatione patris fit melior, sicut participatione filii per unitatem corporis eius et sanguinis, quod illa manducatio et potatio significat, nos efficimur meliores. Si ergo ita dictum est vivo propter patrem, quia ipse de illo est, sine detrimento aequalitatis dictum est. Nec tamen eandem nostram et suam aequalitatem significavit, sed gratiam mediatoris ostendit. Si autem

secundum id accipimus vivo propter patrem, quod alibi ait: pater maior me est; haec verba ita dixit, sicut misit me pater, ac si diceret: ut ego vivam propter patrem, idest ad illum tamquam ad maiorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me misit; ut autem quisque vivat propter me, participatio facit qua manducat me. **Hilarius** de trin.. De veritate igitur carnis et sanguinis Christi non relictus est ambigendi locus; nunc enim ex ipsius domini professione, et fide nostra, vere caro est et vere sanguis est. Hoc ergo vitae nostrae causa est, quod in nobis carnalibus manentem per carnem Christum habemus, victuris nobis per eum ea conditione qua vivit ille per patrem. Si ergo nos naturaliter secundum carnem per eum vivimus, idest naturam carnis suae adepti; quomodo non naturaliter secundum spiritum in se patrem habeat, cum vivat ipse per patrem? per patrem autem vivit, dum nativitas non alienam ei intulit diversamque naturam.

Augustinus in Ioannem. ut autem illum panem manducando vivamus, qui aeternam vitam ex nobis habere non possumus, de caelo descendit; unde sequitur hic est panis qui de caelo descendit.

Hilarius de trin.. se panem hic dicit; ipse enim origo sui corporis est. Ac ne verbi virtus atque natura defecisset a se existimaretur in carne, panem carnem suam esse dixit; ut per hoc quod descendens de caelis panis est, non ex humana conceptione origo esse corporis eius existimaretur, dum caeleste esse corpus ostenditur. At vero cum panis est, assumpti per verbum corporis est professio.

Theophylactus. Non enim purum Deum comedimus, nam et impalpabilis et incorporeus est; neque etiam hominis puri carnem comedimus, quae nil posset proficere. Sed quia deus carnem sibi univit, caro eius vivificativa existit; non quod in Dei naturam transierit; sed secundum quamdam igniti ferri consuetudinem, quod et ferrum manet, et ignis actum ostendit; sic et caro domini vivificativa est tamquam caro verbi Dei.

Beda. et ut ostenderet distantiam umbrae et lucis, typi et veritatis, subiunxit non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.

Augustinus. quod autem illi mortui sunt, ita vult intelligi, ut non vivant in aeternum. Nam temporaliter et hi profecto morientur qui Christum manducant; sed vivunt in aeternum, quia Christus est vita aeterna.

Chrysostomus. si enim possibile fuit sine messe et frumento et aliis huiusmodi, quadraginta annis illorum vitam conservare; multo magis nunc cibo spirituali hoc facere poterit, cuius illa erant figurae. frequenter autem vitam repromittit, quia nihil est ita delectabile hominibus: unde et in veteri testamento longitudo vitae promittebatur; hic autem vita finem non habens. Simul etiam per hoc ostendere vult quoniam sententiam morti tradentem pro peccato nunc solvit, vitam aeternam e contrario promittens. sequitur haec dixit in synagoga, docens in capharnaum: ubi scilicet primae virtutes eius sunt factae. Docebat autem in synagoga et in templo, multitudinem attrahere volens, et ostendens quoniam non est contrarius patri.

Beda. Mystice autem capharnaum, quae interpretatur villa pulcherrima, significat mundum; synagoga vero iudaicum populum. Per hoc ergo ostenditur quod dominus per mysterium incarnationis mundo apparens, iudaicum populum multa docuit, quae ipse intellexit.

IOANNES 6,61-71

12661 (Jn 6,61-71)

Augustinus in Ioannem. Talia loquente iesu, non crediderunt aliquid magnum dicentem, et verbis illis aliquam gratiam cooperientem; sed prout voluerunt intellexerunt, et more hominum, quia poterat aut disponebat iesus carnem, qua indutum erat verbum, veluti conscissam distribuere credentibus in se; unde dicitur multi ergo audientes, non ex inimicis, sed ex discipulis eius dixerunt: durus est hic sermo.

Chrysostomus in Ioannem. idest, difficile susceptibilis, superexcedens eorum imbecillitatem: putabant enim eum supra seipsum loqui maiora propria dignitate, et dixerunt quis potest eum audire? quasi pro seipsis respondentes, quia non debebant.

Augustinus. si autem discipuli durum habuerunt istum sermonem, quid inimici? et tamen sic oportebat ut diceretur quod non ab hominibus intelligeretur; secretum Dei intentos debet facere, non adversos.

Theophylactus. cum autem audis quod discipuli eius murmurabant, non intelligas hos qui actu sunt discipuli, sed hos qui in habitu et figura videbantur ab eo instrui. nam inter discipulos erant quidam ex plebe, qui dicebantur eius discipuli, quia multo cum discipulis manebant tempore.

Augustinus. Sic autem apud se ista dixerunt ut ab illo non audirentur; sed ille, qui noverat in seipsis, apud seipsum audiebat; unde sequitur sciens autem iesus apud seipsum, quia murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: hoc vos scandalizat? Alcuinus. Quod scilicet dixi vobis, manducare carnem meam, et bibere sanguinem meum.

Chrysostomus in Ioannem. Erat autem hoc suae deitatis signum, occulta in medium ferre; unde sequitur si ergo videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius: supple: quid dicetis? hoc et in nathanaele fecit dicens: quoniam dixi tibi: vidi te sub ficu, credis; maiora his videbis. Non igitur quaestiones quaestionibus copulat; sed magnitudine dogmatum et multitudine eos inducere vult. Non igitur discipulos in scandalum mittere volens hoc dicit, sed eorum scandalum solvere volens: nam dum aestimant eum de ioseph natum, non suscipiunt ea quae dicebantur. qui vero credituri erant quoniam de caelo descendit et illuc ascendit, facilius attendunt his quae dicebantur.

Augustinus. vel aliter. Hinc solvit quod illos commoverat: illum enim putabant erogaturum corpus suum; ille autem dixit se ascensurum in caelum, utique integrum. cum videritis, inquit, filium hominis ascendentem ubi erat prius. Certe vel tunc videbitis quia non eo modo quo putatis erogatur corpus suum, et quia gratia eius non consumitur morsibus. Filius autem hominis Christus ex virgine maria hic esse coepit in terra, ubi carnem assumpsit ex terra: quid ergo vult quod ait cum videritis filium hominis ascendentem ubi erat prius, nisi ut intelligamus unam personam esse Christum Deum et hominem, non duas? ne fides nostra sit quaternitas, sed trinitas. Sic ergo erat filius hominis in caelo, quemadmodum filius Dei erat in terra: filius Dei in terra in suscepta carne; filius hominis in caelo in unitate personae.

Theophylactus. Non ergo propter hoc putes quod de caelo corpus Christi descenderit: hoc enim marciiani haeretici et apollinaris est dictum, sed quia unus et idem erat filius Dei et hominis.

Chrysostomus. Propter hoc autem et aliam solutionem inducit, dicens spiritus est qui vivificat; caro non prodest quidquam. Quod autem dicit, tale est. Spiritualiter oportet ea quae de me sunt audire; qui autem carnaliter audit, nihil proficit. Est autem carnaliter intelligere, simpliciter ea quae proposita sunt videre, et nihil plus imaginari. Oportet autem non ita iudicare; sed omnia mysteria interioribus oculis inspicere, quod semper est spiritualiter audire. Carnale vero erat dubitare qualiter potest nobis carnem dare manducare. Quid igitur? non est vera caro? immo utique; quod igitur ait caro non prodest quidquam, non de sua carne dicit, sed de eius carne qui carnaliter accipiebat quae dicebantur.

Augustinus in Ioannem. Vel aliter. Caro non prodest quidquam. Sed quomodo illi intellexerunt? carnem quippe sic intellexerunt quomodo in cadavere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Accedat spiritus ad carnem, et prodest plurimum: nam si caro nihil prodesset, verbum caro non fieret, ut habitaret in nobis; sed spiritus per carnem aliquid operatus est in nobis pro salute nostra.

Augustinus de civ. Dei. non enim caro per seipsam mundat, sed per verbum a quo suscepta est; quod cum sit principium omnium, suscepta anima et carne, et animam credentium mundat et carnem. Spiritus ergo est qui vivificat; caro non prodest quidquam; sicut illi intellexerunt carnem. Non sic ego do ad manducandum carnem meam. Nec carnem debemus sapere secundum carnem; proinde dicit verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.

Chrysostomus. idest, spiritualia sunt, nihil habentia carnale, neque consequentiam naturalem; sed eruta sunt ab omni tali necessitate quae in terra, et a legibus quae hic positae sunt.

Augustinus in Ioannem. Si ergo intellexisti spiritualiter, spiritus et vita tibi sunt; si intellexisti carnaliter, etiam sic spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt. Diximus enim hic dominum commendasse in manducatione carnis suae et potatione sanguinis sui, ut in illo maneamus, et ipse in nobis. Hoc autem quid facit nisi caritas? caritas autem Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis; ergo spiritus est qui vivificat.

Chrysostomus. Et quia de carnali audientia supra locutus est, subiungit sed sunt quidam ex vobis qui non credunt. Dicens quidam, discipulos exceptit; suam autem dignitatem ostendit, occulta revelans.

Augustinus. Non dixit: sunt quidam in vobis qui non intelligunt; sed causam dixit quare non intelligant. propheta enim dixit: nisi credideritis, non intelligetis; nam qui resistit, quomodo vivificatur? adversarius enim radio lucis quo penetrandus est, non avertit faciem, sed claudit mentem. Credant et aperiant, et illuminabuntur.

Chrysostomus. et ut discas quoniam ante haec verba, et non postquam murmuraverunt et scandalizati

sunt, haec Christus cognoverat, subiungit evangelista dicens sciebat enim ab initio iesus qui essent credituri, et qui traditurus eum esset.

Theophylactus. Volens per hoc nobis evangelista ostendere quod ante constitutionem mundi omnia cognoscebat; quod divinitatis erat indicium.

Augustinus. sed postquam distinxit credentes dominus a non credentibus, expressit causam quare non credunt; unde sequitur et dicebat: propterea dixi vobis, quia nemo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum a patre meo.

Chrysostomus. quasi dicat: non turbant me neque stuporem inferunt qui non credunt. Novi quibus dedit pater. Dixit autem hoc, ut ostendat quoniam non illorum gloriam concupiscens hoc dicebat; et ut suadeat eis quod patrem eius existiment Deum, et non ioseph.

Augustinus in Ioannem. ergo et credere datur nobis: non enim nihil est credere. Si autem magnum quid est, gaude quia credidisti, sed noli extolli: quid enim habes quod non accepisti? hoc autem donum quibusdam dari et quibusdam non dari, omnino non dubitat qui non vult manifestissimis sacris litteris repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes esse in condemnationem iustissimam; ita ut nulla Dei esset iusta reprehensio, etsi nullus inde liberaretur; unde constat magnam esse gratiam quod plurimi liberantur. cur autem istum potius quam illum liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, et investigabiles viae eius. sequitur ex hoc multi discipuli eius abierunt retro, et iam cum illo non ambulabant.

Chrysostomus. Non dixit: recesserunt, sed abierunt retro, ab ea quae secundum virtutem est auditione, et quam habebant olim fidem, perdiderunt.

Augustinus. Ecce praecisi a corpore vitam perdiderunt: quia in corpore nec fuerunt: inter non credentes et ipsi reputati sunt. Abierunt retro non pauci, sed multi post satanam, non post Christum, quomodo de quibusdam feminis dicit apostolus: quaedam conversae sunt retro post satanam. Petrum autem non repulit dominus retro ire post satanam, sed fecit post se ire.

Chrysostomus. quaeret autem aliquis: quod tempus erat verba dispensandi his quae constructa erant nocentia? multa quidem utilitas et necessitas. Quia enim instabant cibum corporalem petentes, et eius qui sub patribus datus est reminiscentes, ostendens quoniam omnia illa typus erant, meminit cibi spiritualis. Non igitur scandalizari oportebat, sed interrogare congruum erat: quare illorum amentiae scandalum fuit, non indissolubilitatis eorum quae dicebantur.

Augustinus. Et hoc etiam forte factum est ad consolationem nostram: quoniam aliquando contingit ut homo dicat verum, et quod dicit non capiatur, atque illi qui audiunt scandalizentur et discedant. Poenitet autem hominem dixisse quod verum est: dicit enim apud se homo: non debui sic dicere; et sic domino contingit. Dixit, et perdidit multos: sed non turbatur ipse, quia ab initio noverat qui non essent credentes. nos, si nobis contingat, conturbamur: solatium in domino inveniamus, et tamen caute verba dicamus.

Beda. Sciebat autem dominus de aliis discipulis qui remanserunt an vellent abire; sed tamen eos interrogavit, ut fides eorum monstraretur, et aliis imitanda proponeretur; unde sequitur dixit ergo iesus ad duodecim: numquid et vos vultis abire? **Chrysostomus** in Ioannem. Per hunc autem modum oportebat eos trahi: nam si eos laudasset, passi essent aliquid humanum, existimantes se gratiam Christo facere, eum non relinquendo: ostendens vero se non indigere eorum sequela, magis eos detinuit. non autem eis dixit: abite; hoc enim esset eos expellere; sed interrogavit eos an vellent abire, auferens eis vim et necessitatem, et nolens eos verecundia coarctari: ex necessitate enim detineri par esset ac si abirent. Petrus autem fratrum amator, amicitiae conservator, pro toto respondet collegio; unde sequitur respondit ergo ei simon petrus: domine, ad quem ibimus? **Augustinus** in Ioannem. Quasi dicat: repellis nos a te: da nobis alterum ad quem ibimus, si te relinquimus.

Chrysostomus. hoc autem verbum multae est amicitiae ostensivum: quia scilicet Christus eis honorabilior erat quam patres et matres. Deinde ut non videatur hoc propterea dicere, quia non essent qui eos reciperent, subiungit verba vitae aeternae habes. Audiens enim magistrum dicentem quoniam resuscitabo eum et habebit vitam aeternam, ostendit se recordari eorum quae dicta sunt verborum. et iudaei quidem dicebant: hic est filius ioseph; hic vero dicit et nos credimus, et cognovimus, quia tu es Christus filius Dei.

Augustinus. credidimus enim, ut cognosceremus: nam si prius cognoscere, deinde credere vellemus, nec cognosceremus, nec credere valeremus. Hoc credimus et cognovimus, quia tu es Christus filius Dei; idest quia ipsa vita aeterna tu es, et non das in carne et sanguine tuo nisi quod es.

Chrysostomus. quia vero petrus dixerat et nos credimus, dominus de collegio credentium excipit iudam; unde sequitur respondit eis iesus: nonne ego vos duodecim elegi, et unus ex vobis diabolus est? quod autem dicit, tale est. Ne aestimetis quod quia secuti estis me, non redarguam malos. Dignum autem est hic quaerere, quare nunc nihil dicunt discipuli; sed postea formidantes dicunt: numquid ego sum, domine? sed nondum petrus audierat: vade retro me, satana, et propter hoc timorem non habuit. Nunc etiam non dicit unus ex vobis me tradet, sed diabolus est: ideo nesciebant quod dicebatur; sed malitiam aestimabant vituperari solum. Accusant autem hic Christum gentiles insipienter: non enim electio eius vim infert his quae futura sunt; sed in voluntate situm est salvari et perire.

Beda. Vel dicendum, quod ad aliud elegit undecim, et ad aliud unum; undecim elegit, ut in apostolica dignitate perseverarent; unum elegit, ut per proditionis eius officium salutem operaretur humani generis.

Augustinus. electus enim est iste, de quo nolente et nesciente magnum aliquid boni fieret. Sicut enim iniqui male utuntur bonis operibus Dei, sic e contra deus bene utitur malis operibus hominum. quid iuda peius? sed malo eius bene usus est dominus: tradi se pertulit, ut nos redimeret. Potest etiam sic intelligi quod ait duodecim elegi: quia consecratus est duodenarius numerus eorum, qui per quatuor cardines mundi trinitatem fuerant denuntiaturi. Non autem quia periit inde unus, ideo illius numeri honor ademptus est: nam in locum pereuntis alius subrogatus est.

Gregorius moralium. capitis autem nomine censetur corpus, cum de perverso homine dicitur unus ex vobis diabolus est; unde evangelista exponens subdit dicebat autem de iuda simonis iscariotis: hic enim erat traditurus eum, cum esset unus de duodecim.

Chrysostomus. Considera Christi sapientiam: neque enim Christus eum manifestum fecit, ne inverecundum faciat, et sic litigiosior fiat; neque eum latere permisit, ne aestimans se latere, sine timore operaretur.

IOANNES 7,1-8

12701 (*Jn 7,1-8*)

Augustinus in Ioannem. Futurum erat ut aliquis fidelis Christi absconderet se, ne a persecutoribus inveniretur; et ne illi pro crimine obiceretur latibulum, praecessit in capite quod in membro confirmaretur; unde dicitur post haec autem ambulabat iesus in galilaeam: non enim volebat in iudaeam ambulare, quia quaerebant eum iudaei interficere.

Beda. haec verborum connexio talis est, ut intelligamus quoniam in medio multa geri et fieri potuerunt. Iudaea autem et galilaea regiones sunt palaestinae provinciae, sed iudaea dicta est a tribu iuda: non tamen solum illa regio quam tribus iuda, sed et illa quam tribus beniamin possidebat, iudaea dicta est, quia ex tribu iuda reges oriebantur. Galilaea vero dicitur, eo quod lacteum populum, idest candidum, gignat: galilaea enim graece, latine lac dicitur.

Augustinus. sic autem hoc dominus dixit, quasi non posset ambulare inter iudaeos, et non occidi a iudaeis; hanc enim potentiam quando voluit demonstravit; sed infirmitati nostrae praebebat exemplum: non ipse perdidit potestatem, sed nostram consolabatur fragilitatem.

Chrysostomus in Ioannem. Sed et illud est dicere, quoniam quae deitatis erant ostendebat, et quae humanitatis: etenim fugebat persecutores ut homo, et apparebat eis ut deus, utrumque vere existens.

Theophylactus. Secessit etiam nunc in galilaeam, quia nondum passionis aderat tempus: unde vanum reputabat in medio inimicorum manere, et magis ipsos ad odium incitare; unde et consequenter tempus describitur, cum subditur erat autem in proximo dies festus iudaeorum, scenopegia.

Augustinus. Quid sit scenopegia, qui scripturas legerunt noverunt. faciebant tabernacula in die festo ad similitudinem tabernaculorum, in quibus habitaverunt, cum ex aegypto educti peregrinarentur in eremo. Celebrabant ex hoc diem festum, reminiscentes beneficiorum domini, qui tamen occisuri erant dominum. appellabatur autem apud iudaeos dies festus, cum tamen non esset unus, sed plures.

Chrysostomus. Ostendit igitur per hoc evangelista, quoniam multum tempus praetermisit. Cum enim dominus sedit in monte, erat prope dies festus paschae. Hic autem scenopegiae meminit, et in quinque

intermediis mensibus nihil aliud nobis enarravit, nisi miraculum panum et allocutionem factam ad eos qui comederunt. Quia enim indeficienter signa faciebat et disputabat, non poterant evangelistae omnia enumerare; sed ista praecipue studuerunt dicere pro quibus aut querela aut contradictio quaedam a iudaeis subsequeretur; quod et hic apparet.

Theophylactus. quia enim fratres eius viderant ipsum non esse paratum ad descendendum, subditur dixerunt autem fratres eius ad eum: transi hinc et vade in iudaeam.

Beda. Ac si dicant: tu signa facis, et pauci ea vident; transi ergo ad regiam urbem, ubi sunt principes, ut, visis signis, laudem consequaris ab eis. Sed quia non omnes discipuli semper dominum sequebantur, sed eorum multi in iudaea erant, ideo subdunt ut et discipuli tui videant opera tua quae facis.

Theophylactus. idest, turbae quae sequuntur te: non enim de duodecim dicunt discipulis, sed de aliis qui conversabantur cum illo.

Augustinus in iohannem. cum autem auditis fratres domini, mariae cogitate consanguinitatem non iterum parientis ullam propaginem. Sicut enim in sepulchro, ubi positum est corpus domini, nec ante, nec postea mortuus iacuit, sic uterus mariae nec ante, nec postea quidquam mortale concepit. Opera quidem domini discipulos non latebant, sed istos latebant; et ideo dicebant ut discipuli tui videant opera tua quae facis. Loquebantur autem prudentiam carnis, verbo quod caro factum est; unde et subdunt nemo quippe in occulto aliquid facit, et quaerit ipse in palam esse. Si hoc facis, manifesta te ipsum mundo; quasi dicant: facis miracula: appare hominibus, ut laudari possis ab hominibus: nam qui eum videntur monere, gloriae ipsius consulunt: et quia humanam gloriam requirebant, in eum non credebant; unde sequitur neque enim fratres eius credebant in eum; Christum enim consanguineum potuerunt habere; credere autem in eum ipsa propinquitate fastidierunt.

Chrysostomus. Dignum est autem mirari evangelistarum morem veritatis amicum, qualiter non verecundantur dicere ea quae magistro videntur inferre iniuriam, sed hoc maxime studuerunt enuntiare. Non enim parvam habet detractionem quod fratres eius discredabant. et videtur initium verborum quasi amicorum esse; multae autem amaritudinis erant quae dicebantur: quia de formidine et de amore gloriae eum notant; nam dicunt nemo in occulto aliquid facit: quod erat formidinem incusantium, et simul suspicantium quae fiebant non vere facta esse. Per hoc autem quod dicunt et quaerit ipse in palam esse, amorem gloriae in eo notant. Christus autem mansuete eis respondit, docens nos non indigne ferre, si aliqui etiam viles nobis consilientur; sequitur enim dicit eis iesus: tempus meum nondum advenit; tempus autem vestrum semper est paratum.

Beda. Ne autem videatur hoc contrarium ei quod apostolus dicit: at ubi venit plenitudo temporis, misit deus filium suum, referendum est quod hic dicitur, non ad tempus nativitatis, sed ad tempus glorificationis.

Augustinus. Dabant enim illi consilium consequendae gloriae, veluti saeculariter, et terreno affectu monentes, ne esset ignobilis et latitaret. Sed dominus voluit ad ipsam celsitudinem per humilitatem viam sternere; dicit ergo tempus meum, idest gloriae meae, qua veniam in altitudine iudicaturus, nondum venit; tempus autem vestrum, idest, mundi gloria, semper est paratum. Et quoniam nos domini corpus sumus, quando nobis insultant amatores huius saeculi, dicamus eis: tempus vestrum adest paratum, tempus nostrum nondum advenit: excelsa enim patria, humilis via. Qui recusat viam, quid quaerit patriam?

Chrysostomus. vel aliter. Videtur mihi aliud occulte insinuare: fortassis enim eum prodere volebant, et tradere iudaeis; ideo dicit tempus meum nondum advenit, hoc est tempus crucis et mortis; tempus autem vestrum semper est paratum: quia etsi vos semper sitis cum iudaeis, non interficient vos, eadem cum illis zelantes; unde sequitur non potest vos odisse mundus; me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quia opera eius mala sunt; quasi dicat: qualiter mundus eos odit qui eadem cum ipso volunt, et pro eisdem student? me autem odit, quoniam redarguo eum. Intantum ergo gloriam hominum non quaero, quod non praetermitto eos redarguere; licet sciam ex hoc odium nasci et mortem intentari. Per hoc etiam ostendit quod odium iudaeorum contra eum concitabat publica redargutio, non autem sabbati solutio.

Theophylactus. Vel dominus contra duo de quibus illi eum arguebant, alia duo inducit. Contra formidinem quidem dicit, quod opera mundi redarguit, idest opera eorum qui mundana sapiunt: quod non faceret, si formidolosus esset; sed contra inanem gloriam misit illos ad festum; unde sequitur vos ascendite ad diem festum hunc: nam si vanae gloriae passione detineretur, retinisset eos secum: nam gloriae cupidi consueverunt multos habere qui sequantur eos.

Chrysostomus. hoc etiam dicit ostendens quod eis blandiri non vult, sed concedit eis iudaica facere.

Augustinus. Vel aliter. Vos ascendite ad diem festum hunc, ubi gloriam humanam quaeritis, ubi extendere

vultis carnalia gaudia, non cogitare caelestia. sequitur ego autem non ascendam ad diem festum istum.

Chrysostomus. scilicet modo vobiscum; quia meum tempus nondum impletum est: in futuro enim pascha crucifigendus erat.

Augustinus in Ioannem. Vel meum tempus, idest gloriae meae, nondum advenit: ipse erit dies festus meus, non diebus istis percurrens, et transiens; sed permanens in aeternum. Ipsa erit festivitas et gaudium sine fine, aeternitas sine labore, serenitas sine nube.

IOANNES 7,9-13

12709 (Jn 7,9-13)

Theophylactus. Quia dixerat dominus: non ascendam vobiscum, in principio denegavit ascensum, vitans iram fremantium iudaeorum; unde dicitur haec cum dixisset, ipse mansit in galilaea. Postea vero ascendit; unde sequitur ut autem ascenderunt fratres eius, tunc et ipse ascendit.

Augustinus in Ioannem. ascendit autem non gloriari temporaliter, sed aliquid docere salubriter, et de festo aeterno admonere.

Chrysostomus in Ioannem. Vel ascendit, non ut patiat, sed ut alios erudiat. Latenter autem ascendit: poterat enim manifeste ascendere et detinere eorum inordinatum impetum, quod multoties fecit; at nolebat hoc continuo facere, ne magis suam divinitatem denudaret, et ut incarnatio eius certior esset, et ut nos erudiret ad virtutem. ut igitur disceremus quid nos oporteat facere, qui non possumus persecutores detinere, voluit latenter ascendere. non autem dixit: in occulto, sed quasi in occulto, ut ostendat dispensative hoc esse factum. Si enim omnia ut deus ageret, quomodo possemus nos scire, incidentes humanis periculis, quid oporteat facere? Alcuinus. Vel occulte ascendit, quia favorem hominum non quaerit, non pompis stipantium se turbarum delectatur.

Beda. mystice autem designatur quia singulis quibusque carnalibus humanam gloriam quaerentibus, dominus manet in galilaea, quae interpretatur transmigratio sancta, idest in membris suis, qui transmigrant de vitiis ad virtutes, et in eis proficiunt. Postmodum vero dominus ascendit, quia membra Christi non huius vitae, sed aeternae gloriam quaerunt. Occulte autem dominus ascendit, quia omnis gloria eius est ab intus, idest de corde puro et conscientia bona, et fide non ficta.

Augustinus. Vel quod quasi latenter ascendit, aliquid significare voluit: omnia enim quae dicta sunt antiquo populo israel, umbrae fuerunt futurorum, et scenopegia umbra erat futurorum. Omnia ergo quae fiebant in figura, manifestantur in nobis. Ascendit ergo in occulto; figura enim erat ipsum esse in occulto. In ipso die festo Christus latebat, quia ipse dies festus Christi membra peregrinatura significabat. ille enim est in tabernaculis qui se in mundo esse intelligit peregrinum: scenopegia autem erat celebratio tabernaculorum. sequitur iudaei autem quaerebant eum in die festo, et dicebant: ubi est ille? **Chrysostomus** in Ioannem. Ex multo odio et inimicitia; neque enim eum nominatim vocare volebant. Non autem multa erat eis in festivitate reverentia, nec multa religio; quia a festivitate credebant Christum fraudulenter detinere. sequitur et murmur multum erat de eo in turba.

Augustinus. Murmur erat de contentione, quam convenienter exponit dicens quidam enim dicebant, quia bonus est; alii autem dicebant: non, sed seducit turbas. Quicumque emicuerit in aliqua gratia, alii dicunt bonus est; alii: non, sed seducit turbas. Quod autem dictum est de eo, valet ad consolationem de quocumque hoc dictum fuerit Christiano. et quidem si seducere decipere est, nec Christus seductor, nec quisquam debet seductor esse Christianus. Si autem seducere, aliunde aliquem ad aliud persuadendo ducere est, quaerendum est unde, et quo. Si a bono ad malum, malus seductor est; si a malo ad bonum, bonus est: et utinam sic omnes seductores vocemur et simus.

Chrysostomus. igitur illam quidem aestimo opinionem multitudinis esse, qua scilicet dicebatur bonus esse: hanc vero principum et sacerdotum; quod ostenditur per hoc quod dicunt seducit turbas: non dicunt: seducit nos. sequitur nemo tamen palam loquebatur de illo propter metum iudaeorum.

Augustinus. eorum scilicet qui dicebant bonus est, non qui dicebant seducit turbas: haec enim clarius sonabant, sed bonus est pressius susurrabant.

Chrysostomus. vide autem eorum qui principantur corruptionem; hi autem qui principatibus subiciuntur,

sani quidem erant iudicio, sed non habebant libertatem dicendi: quod maxime multitudinis est.

IOANNES 7,14-18

12714 (Jn 7,14-18)

Chrysostomus in Ioannem. dominus tardatione sua auditores attentiores facere volens, non in primis diebus ascendit, sed circa solemnitatis medium; unde dicitur iam autem die festo mediante, ascendit iesus in templum et docebat. qui enim primis diebus eum quaesierunt, repente eum praesentem videntes, magis intendebant docenti, et qui bonum eum dicebant et qui malum: illi quidem, ut aliquid lucrarentur et admirarentur; hi vero ut comprehenderent.

Theophylactus. nam in principio festi his quae festi erant magis attendebant: unde postea Christum attentius audierunt.

Augustinus in Ioannem. quantum enim datur intelligi, ipsam festivitatem diebus pluribus celebrabant; et ideo dicit iam die festo mediante; idest, cum illius diei festi tot dies remansissent quot praeterissent; ut etiam hoc impleretur quod ait: non ascendam ad diem festum hunc, id est, ad quem vos vultis, primum vel secundum diem; ascendit autem postea die festo mediante.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam.. Tunc etiam ascendit, non quasi ad diem festum, sed quasi ad lucem. Illi vero ascenderunt quasi ad perfruendum deliciis diei festi. Christo vero ille fuit dies festus, quo passione sua redemit mundum.

Augustinus in Ioannem. ille autem qui prius latebat, docebat, et palam loquebatur, et non tenebatur. illud enim quod latebat, erat causa exempli, hoc potestatis.

Chrysostomus. quid autem docebat, non dixit evangelista; sed quod mirabiliter docebat, hoc solum ostendit: tanta enim erat virtus docentis ut qui dixerant: seducit turbas, transmutati mirarentur; unde sequitur et mirabantur iudaei, dicentes: quomodo hic litteras scit, cum non didicerit? vide admirationem nequitia plenam: non enim dicit quod in doctrina admirarentur; sed in aliam admirationem inciderunt.

Augustinus. Omnes quidem, quantum arbitror, admirabantur, sed non omnes convertebantur. Et unde admiratio? quia multi noverant ubi natus, quemadmodum fuerat educatus: numquam eum viderant litteras discentem; audiebant tamen de lege disputantem, legis testimonia proferentem; quae nemo posset proferre, nisi legisset; nemo legeret, nisi litteras didicisset; et ideo mirabantur.

Chrysostomus. ab hac autem admiratione cognoscere debebant quoniam haec scientia humanitus non erat in eo, sed divinitus; sed quia hoc ipsi nolebant confiteri, sed in sola admiratione stabant, dominus haec revelavit; sequitur enim respondit eis iesus, et dixit: mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me.

Augustinus. videtur autem hoc esse contrarium quod dicit mea, et non est mea; nam si dixisset: ista doctrina non est mea, nulla esset quaestio. Quae est ergo doctrina patris, nisi verbum patris? ipse ergo Christus est doctrina patris, si verbum patris est. Sed quia verbum non potest esse nullius, sed est alicuius; et suam doctrinam dixit seipsum, et non suam: quia patris est verbum. Quid est tam tuum quam tu; et quid tam non tuum quam tu, si alicuius es quod es? breviter ergo hoc mihi dixisse videtur mea doctrina non est mea; ac si diceret: ego non sum a meipso. Sabellianam haeresim sententia ista dissolvit, qui dicere ausi sunt, ipsum esse filium qui est et pater: duo esse nomina, sed unam rem.

Chrysostomus in Ioannem. Vel suam dicit, quoniam eam docuerat: non suam autem, quoniam patris erat doctrina. sed si omnia quae sunt patris, eius sunt; ex hoc ipso quod patris est, deberet esse et sua. Sed hoc quod dicit non est mea, vehementer ostendit et sui et patris unam esse doctrinam; ac si diceret: nihil habeo permutatum aut diversum; sed ita ago, ut non aestimetur aliud quid praeter patrem dicere vel agere.

Augustinus de trin.. Vel aliter. Secundum aliud suam dixit, secundum aliud non suam: secundum formam Dei suam, secundum formam servi, non suam.

Augustinus in Ioannem. Si quis autem hoc parum intellexerit, audiat consilium quod dominus consequenter dat, dicens si quis voluerit voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina utrum ex Deo sit, an ego ex meipso loquar. Quid est si quis voluerit voluntatem eius facere? hoc est credere in eum: ipse enim

dixit: hoc est opus Dei ut credatis in eum quem ipse misit. quis autem hoc nesciat, hoc esse facere voluntatem Dei, operari opus eius? cognoscere autem, hoc est intelligere. Ergo noli quaerere intelligere ut credas, sed crede ut intelligas: quia nisi credideritis, non intelligetis.

Chrysostomus. vel hoc ita dicit, ac si dicat: auferte iram et invidiam et odium quod sine causa in me habetis; et nihil erit quod prohibeat vos cognoscere quoniam Dei verba sunt quae loquor. Deinde aliud inducit argumentum insolubile, ab his quae sunt in consuetudine hominum, nos erudiens; unde sequitur qui a semetipso loquitur, gloriam propriam quaerit; quasi dicat: qui aliquam propriam vult instituere doctrinam, propter nihil aliud hoc vult quam ut gloriam acquirat. Si vero ego gloriam eius qui misit me quaero, cuius gratia aliena vellem vos docere? et hoc est quod subdit qui autem quaerit gloriam eius qui misit illum, hic verax est, et iniustitia in illo non est.

Theophylactus. Quasi dicat: verax sum, quia doctrina mea continet veritatem: iniustitia in me non est, quia alterius gloriam non usurpo.

Augustinus. qui quaerit gloriam propriam, antiChristus est. Dominus autem noster magnum nobis exemplum praebuit humilitatis, dum habitu inventus ut homo, quaerit gloriam patris, non suam. sed tu quando aliquid boni facis, gloriam tuam quaeris: quando aliquid mali facis, Deo calumniam meditaris.

Chrysostomus. vide ergo quoniam causa quaedam propter quam humilia de se dicit, haec est, ut credant quoniam non desiderat gloriam neque principatum, et etiam propter imbecillitatem audientium, et ut doceat homines moderata sapere, et nihil de se dicere magnum, sed semper humile.

IOANNES 7,19-24

12719 (Jn 7,19-24)

Chrysostomus in Ioannem. duas criminationes iudaei contra Christum inducebant: unam quod sabbatum solveret, aliam quod patrem suum dicebat Deum, aequalem seipsum faciens Deo. hoc igitur prius confirmavit dum ostendit quod non est Deo contrarius, sed eadem ille docet. De reliquo ad sabbati solutionem instat, dicens nonne moyses dedit vobis legem, et nemo ex vobis facit legem? ac si diceret: lex dicit: non occides; vos autem occiditis; et hoc est quod subditur quid me quaeritis interficere? ac si diceret: et si ego dissolvi legem hominem sanans, transgressio fuit, sed in salutem; vos autem transgredimini in malum: unde non debeo a vobis de solutione legis diiudicari. In duobus ergo eos corripuit: et dicendo quid me quaeritis interficere? et ostendendo quoniam occisionem meditantes non sunt digni alium diiudicare.

Augustinus in Ioannem. Vel hoc dicit quia si legem facerent, in ipsis litteris Christum agnoscerent, et praesentem non occiderent. Respondit autem ei turba, non pertinentia ad ordinem, sed ad perturbationem; sequitur enim respondit turba, et dixit: daemonium habes: quis te quaerit interficere? ei dictum est quod daemonium haberet, qui daemones expellebat. dominus autem non turbatus, sed in sua veritate tranquillus, non reddidit maledictum pro maledicto, sed respondit tranquille.

Beda. In quo nobis patientiae reliquit exemplum: ut quoties nobis ab aliquibus falsa obiciuntur convicia, patienter toleremus, et vera quae possumus non obiciamus, sed salutaria monita praedicemus; sequitur enim respondit iesus et dixit eis: unum opus feci, et omnes miramini.

Augustinus. Ac si diceret: quid si omnia opera mea videretis? ipsius enim opera erant quae in mundo videbant, et ipsum qui fecit omnia non videbant. Fecit unam rem et turbati sunt, quia salvum fecit hominem in sabbato; quasi si quisquam eorum aegrotus sabbato sinceraret, alius illum sanum fecisset quam iste qui eos scandalizavit, quia unum hominem sabbato salvum fecit.

Chrysostomus in Ioannem. Hoc enim quod dicit miramini, hoc est turbamini et tumultuatis. Vide autem quomodo prudenter a lege eos syllogizat. Vult enim ostendere quod facere hoc opus non erat legem solvere: sunt enim multa principaliora quam lex de observatione sabbati, per quorum observationem lex non solvitur, sed impletur; et ideo subdit propterea moyses dedit vobis circumcisionem, non quia ex moyse est, sed ex patribus; et in sabbato circumciditis hominem.

Augustinus. quasi dicat: bene factum est ut acciperetis circumcisionem a moyse, non quia ex moyse est, sed ex patribus: abraham enim primus accepit circumcisionem a domino. Et in sabbato circumciditis. Convicit vos moyses: accepistis in lege ut circumcidatis octavo die; accepistis in lege ut vacetis septimo die. si octavus dies illius qui natus est, occurrit ad diem septimum sabbati, circumciditis hominem; quae

circumcisio pertinet ad aliquod signaculum salutis, et non debent homines sabbato vacare a salute.

Alcuinus. Propter tres enim causas data fuit circumcisio: primo ut signum esset magnae fidei abrahae; secundo ut per eam a ceteris nationibus discernerentur; tertio ut illam in virili membro suscipientes castitatem mentis et corporis observare deberent. et tantum conferebat tunc circumcisio quantum nunc baptisma; nisi quia ianua nondum aperta erat. Concludit ergo ex praemissis si circumcisionem accipit homo in sabbato, ut non solvatur lex moysi, indignamini mihi, quia totum hominem sanum feci in sabbato?

Chrysostomus. quasi dicat: sabbati solutio in circumcisione, legis est observatio: sic et ego hominem curans sabbato, legem servavi. Vos, qui non estis legislatores, ultra modum legem defenditis; sed moyses iubet legem solvi propter mandatum quod non erat ex lege, sed ex patribus. Per hoc autem quod dici totum hominem sanum feci in sabbato, ostendit circumcisionem esse particularem sanitatem.

Augustinus. Forte autem illa circumcisio ipsum dominum significabat. quid enim est circumcisio, nisi carnis expoliatio? significavit ergo expoliationem a corde cupiditatum carnalium. non ergo sine causa data est in eo membro per quod procreatur creatura mortalium: quia per unum hominem peccatum intravit in mundum. Ideo autem quisquis cum praeputium nascitur, quia omnis cum vitio propaginis nascitur; et non mundat deus sive a vitio cum quo nascimur, sive a vitiis quae male vivendo addimus, nisi per Christum: cultellis enim petrinis circumcidebant, et petrae nomine Christum figurabant. Ideo autem octavo die, quia post septimum sabbati dominus die dominico resurrexit. Ipsa autem resurrectio nos circumcidit; idest, abstulit desideria carnalia. Intelligite hoc significari opus bonum quo ego feci totum hominem salvum in sabbato: quia et curatus est ut sanus esset in corpore, et credidit ut sanus esset in anima. Estis autem prohibiti servilia opera facere sabbato: numquid servile opus est hominem sanare in sabbato? manducatis siquidem et bibitis sabbato, quia pertinet ad salutem; per quod ostenditis, opera salutis nullo modo esse die sabbati omittenda.

Chrysostomus. non autem dixit: ego maius circumcisione operatus sum; sed solum factum narrans, iudicium eis concessit; unde subditur nolite iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate; quasi dicat: non quia moyses apud vos habet maiorem gloriam quam ego, ex personarum dignitate feratis sententiam, sed a rerum natura: hoc enim est iuste iudicare. Nullus autem incusavit moysen de hoc quod iussit sabbatum solvi propter mandatum circumcisionis, quod erat aliunde quam ex lege inductum. Ergo fide dignior vobis est moyses, qui iubet solvi legem a mandato non legali.

Augustinus. Hoc autem quod dominus notavit hoc loco, evadere in hoc saeculo, magni laboris est: non personaliter iudicare. Admonuit quidem dominus iudaeos, admonuit et nos: quod enim pretiosum sonabat de ore domini, et propter nos scriptum est, et nobis servatum, et propter nos recitatum. Sursum est dominus, sed etiam hic est veritas dominus. Corpus enim domini, in quo surrexit, uno loco esse potest; veritas eius ubique diffusa est. Quis ergo est qui non iudicat personaliter? qui aequaliter diligit. non enim cum homines diverso modo pro suis gradibus honoramus, timendum est ne personas accipiamus: nonnunquam enim est iudicium inter patrem et filium; non aequamus filium patri in honore, sed praeponimus, si bonam causam habet, filium patri in veritate; et sic tribuimus honorem debitum, ut non perdat aequitas meritum.

IOANNES 7,25-30

12725 (Jn 7,25-30)

Augustinus in Ioannem. Supra dictum est, quod dominus ideo velut occulte ascendit ad diem festum, non quia timebat ne teneretur, cui potestas erat ut non teneretur, sed ut significaret, etiam in ipso die festo, qui celebrabatur a iudaeis, se occultari, et suum esse mysterium: nunc autem apparet potestas quae putabatur timiditas: loquebatur enim palam in die festo, ita ut mirarentur turbae; unde dicitur dicebant ergo quidam ex ierosolymis: nonne hic est quem iudaei quaerebant interficere? ecce palam loquitur, et nihil ei dicunt. Noverant enim qua saevitia quaerebatur; mirabantur qua potentia non tenebatur.

Chrysostomus in Ioannem. Addit autem evangelista ex ierosolymis, quoniam qui magis potiti erant signis, hi omnibus erant miserabiliores; qui deitatis eius signum videntes maximum, omnia iudicio corruptorum principum permittebant. An non magnum, insanientes et quaerentes interficere, habere eum in manibus, et repente quiescere? **Augustinus.** Igitur non plene intelligentes Christi potentiam, putaverunt esse principum scientiam, quod ei pepercerunt; unde subdunt numquid vere cognoverunt principes quia hic est Christus?

Chrysostomus. Sed ipsi neque principum sequuntur sententiam: sed aliam proferunt corruptam et propria amentia dignam; unde subditur sed hunc scimus unde sit: Christus autem cum venerit, nemo scit unde sit.

Augustinus. haec opinio apud iudaeos non inaniter nata est. Invenimus tamen quod scripturae dixerunt de Christo, quoniam nazaraeus vocabitur; ergo praedixerunt unde sit. Iudaei etiam dixerunt herodi quaerenti, quod Christus in bethlehem iudae nasceretur, et testimonium etiam propheticum attulerunt. Unde ergo nata est haec opinio apud iudaeos, quod Christus cum venerit, nemo sciat unde sit, nisi quia utrumque pronuntiaverunt scripturae? secundum hominem praedixerunt unde esset; secundum Deum latebat impios, et quaerebat pios. Hanc igitur opinionem in eis generaverat quod per Isaiam dictum est: generationem eius quis enarrabit? denique dominus ad utrumque respondit, et quia noverant eum unde esset, et quia non noverant; unde sequitur clamabat ergo iesus docens in templo, et dicens: et me scitis, et unde sim scitis; hoc est dicere: et unde sim scitis, et unde sim nescitis; unde sim scitis, iesus a nazareth, cuius etiam parentes nostis. Solus enim in hac causa latebat virginis partus, quo excepto, totum noverunt in iesu quod ad hominem pertinet. recte ergo dixit et me nostis, et unde sim scitis, secundum carnem et effigiem hominis quam gerebat; secundum divinitatem autem a meipso non veni; sed est verus qui misit me.

Chrysostomus. per quod ea quae in mente habebant revelat; ac si diceret: non sum de numero eorum qui sine causa venerunt; sed est verax qui misit me; et si verax est, in veritate misit; et qui missus est, congruum est veracem esse. Rursus autem ex propriis sermonibus eos capit; quia enim dicebant cum venerit Christus, nullus cognoscet unde sit: ostendit etiam inde se Christum esse; quoniam a patre venit, quem ipsi nesciebant: et ideo subdit quem vos nescitis.

Hilarius de trin.. numquid autem non omnis homo, licet in carne ex Deo natus, secundum sensum communis opinionis ex Deo est? et quomodo negat ab his vel seipsum vel unde ipse sit sciri, nisi id unde est ad naturae suae referret auctorem? nam id quod unde sit ignoratur, naturam ex qua est, dum unde sit nescitur, ostendit. Ignorari enim unde sit non potest quidquid subsistit ex nihilo; quia hoc ipsum quod non ignoratur ex nihilo, ignorationem eius unde sit, non habet. Ob hoc autem quid sit ipse, nescitur, dum ignoratur a quo sit: non enim confitetur filium qui negat natum; nec natum intelligit, qui putat eum esse ex nihilo.

Chrysostomus. vel ignorantiam hic dicit quae est per opera, sicut paulus ait: confitentur se nosse Deum, factis autem negant. dupliciter autem eos redarguit. Et primum quidem quae occulte loquebantur, haec in medium inducit, clamans, ut eos verecundari faciat.

Augustinus. Denique ut ostenderet eis unde possent scire, subiecit ego scio eum. Ergo a me quaerite, ut sciatis eum. Patrem enim non cognoscit nisi filius, et cui voluerit filius revelare. Et si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax.

Chrysostomus. quod est impossibile: quia enim verax est qui misit, congruum est et eum qui missus est, veracem esse. Ubique autem cognitionem patris soli sibi attribuit, quia a patre est; unde sequitur et ego scio eum, quia ab ipso sum.

Hilarius de trin.. Quaero autem utrum id quod ab eo est, opus in eo creationis, aut naturam generationis ostendat. Si opus in eo creationis est, universa quoque quae creantur a Deo sunt. Et quomodo patrem non universa noverunt, cum filius eum, idcirco quia ab eo est, non nesciat? si vero idcirco ei, quia ab eo sit, eum nosse sit proprium; quomodo non hoc ei qui ab eo est, erit proprium, scilicet ut verus filius ex natura Dei sit? habes igitur proprietatem cognitionis de proprietate generationis. tamen, ne forte id quod ab eo est, ad adventus sui tempus haeresis invaderet, continuo subiecit et ipse me misit. Tenuit ordinem evangelici sacramenti, natum se professus et missum.

Augustinus. Ab ipso, inquit, sum, quia filius de patre: quod autem videtis me in carne, ipse me misit. Ubi noli intelligere naturae dissimilitudinem, sed generantis auctoritatem.

Chrysostomus. irritaverunt autem iudaeos ea quae dicebantur, propter hoc quod dixerat quem vos nescitis, quia profitebantur se scire; unde sequitur quaerebant ergo eum apprehendere, et nemo misit in eum manus. Vide furorem eorum invisibiliter refrenatum. Evangelista vero humanius et humiliter loqui volens, ut ex hoc Christus homo putaretur, non dixit quod eos invisibiliter detinuit; sed subiecit quia nondum venerat hora eius.

Augustinus. hoc est, quia nolebat, non enim dominus sub fato natus est. Hoc nec de te credendum est, quanto minus de illo per quem factus es? si tua hora voluntas est illius, illius hora quae est nisi voluntas sua? non ergo horam dixit qua cogere mori, sed qua dignaretur occidi.

IOANNES 7,31-36

12731 (Jn 7,31-36)

Augustinus in Ioannem. Humiles et pauperes salvos faciebat dominus; unde dicitur de turba autem multi crediderunt in eum. Turba enim, quae suam aegritudinem cito vidit, etiam illius medicinam sine dilatione cognovit.

Chrysostomus in Ioannem. Verumtamen neque in his erat sana fides; sed more multitudinis vulgaria loquebantur; sequitur enim et dicebant: Christus cum venerit, numquid signa plura faciet quam quae hic facit? dicere enim Christus cum venerit, erat non firmiter credentium hunc esse Christum. Vel etiam hoc dicere, est ostendere eum non esse Christum; ac si dicant: nonne ille cum venerit melior erit et plura signa faciet? grossiores enim non a doctrina, sed a signis inducuntur.

Augustinus. vel intelligunt: si duo non erunt, hic est Christus. Principes autem insaniebant: et ideo medicum non solum non agnoscebant, sed etiam occidere cupiebant; unde sequitur audierunt pharisaei turbam murmurantem de illo haec, et miserunt principes et pharisaei ministros ut apprehenderent eum.

Chrysostomus. multa quidem locutus est supra, sed nihil tale fecerunt; quod maxime enim eos mordebat, hoc erat, quod turbae scilicet Christum glorificabant. sabbati autem solutio, apparens causa erat, quam scilicet praetendebant. Et ipsi quidem non audebant Christum capere, periculum timentes; ministros autem mittunt tamquam periculis expositos.

Augustinus. Quia ergo non poterant apprehendere nolentem, missi sunt ut audirent docentem; sequitur enim dixit ergo iesus: adhuc modicum tempus vobiscum sum.

Chrysostomus. verba loquitur humilitatis plena; ac si diceret: quid festinatis me interficere? parvum expectate tempus.

Augustinus. quod modo ergo vultis facere, facturi estis, sed non modo, quia modo nolo: implere enim debeo dispensationem meam, et sic pervenire ad passionem.

Chrysostomus. per hoc igitur audaciorem turbam terruit, studiosiorem vero magis avidam faciebat ad audiendum, quasi parvo tempore derelicto, in quo possent hac doctrina potiri. Non autem dixit simpliciter: hic sum, sed vobiscum sum, quasi dicat: et si persequamini me, non tamen cessabo, quae sunt pro vobis dispensans, et ea quae sunt ad salutem docens et monens vos. Quod autem subdit et vado ad eum qui me misit, sufficiens erat eos terrere.

Theophylactus. Tamquam patri sit de ipsis conquesturus: quia si missum opprobriis affecerunt, non est dubium quod et mittenti fecerunt iniuriam.

Beda. Dicit autem vado ad eum qui misit me, ac si diceret: revertens ascendo ad patrem, qui me incarnari praecepit. Illuc se dixit ire a quo nunquam recessit.

Chrysostomus. quod vero eo indigebant, manifestat per hoc quod dicit quaeritis me, et non invenietis. Sed ubi quaesierunt eum iudaei? dicit lucas quoniam plangebant mulieres super eum. Probabile autem est et multos alios hoc passos esse; et praecipue dum civitas caperetur, eos meminisse Christi et miraculorum eius, et praesentiam eius quaesivisse.

Augustinus in Ioannem. Vel hic iam resurrectionem suam praedixit: quia quaesituri illum erant post resurrectionem compuncti. noluerunt enim eum agnoscere praesentem, et postea quaesierunt cum viderent in eum multitudinem credentem: unde multi compuncti dixerunt: quid faciemus? viderunt enim Christum suo scelere morientem, et crediderunt in Christum suis sceleribus ignoscentem, et quousque biberent sanguinem quem fuderunt, de sua salute desperaverunt.

Chrysostomus in Ioannem. deinde ne quis eum per mortem communi modo abire aestimet, subiungit et ubi ego sum, vos non potestis venire. Si vero in morte maneret, possent ad eum ire: illuc enim omnes abimus.

Augustinus. non autem dixit: ubi ero, sed ubi sum: semper enim ibi erat Christus quo fuerat rediturus; sic rediit, ut nos non dereliqueret. Erat enim Christus secundum visibilem carnem in terra, secundum invisibilem maiestatem in caelo et in terra. Non autem dixit: non poteritis, sed non potestis venire: tales enim

tunc erant qui non possent. Nam ut sciatis non hoc ad desperationem dictum, et discipulis suis dixit tale aliquid quo ego vado, vos non potestis venire. Denique hoc petro exposuit, dicens: quo ego vado, non potes me sequi modo, sequeris autem postea.

Chrysostomus. haec autem omnia induxit volens eos attrahere; etenim modicum tempus quod relinquebatur, et post recessum ipsum desiderabilem esse, et eum non posse de cetero inveniri, sufficientia erant ad suadendum ut ad eum accederent. Per hoc autem quod dicit vado ad eum qui misit me, ostendit nullam sibi fieri laesionem ab insidiis eorum, et passionem suam voluntariam sibi esse. Passi sunt autem aliquid ipsi iudaei ad ea quae dicta sunt, et quaerunt ad seipsos quo debeat ire; quod non erat eorum qui desiderarent ab eo liberari. sequitur enim dixerunt ergo iudaei ad semetipsos: quo hic iturus est, quia non inveniemus eum? numquid in dispersionem gentium iturus est, et docturus gentes? sic enim gentes vocabant quasi exprobrantes et magna in semetipsis gloriantes: quia gentes ubique disseminatae erant, et imperfecte ad invicem permixtae. sed hoc opprobrium postea ipsi sustinuerunt, quia ubique dispersi sunt. Antiquitus autem tota gens in unum collecta erat; sed cum iudaei ubique terrarum iam gentibus permixti essent, non diceret: quo ego vado, vos non potestis venire: si per hoc gentes intellexisset.

Augustinus. dixerat autem dominus quo ego vado, de sinu patris. Hoc ergo illi nullo modo intellexerunt; et tamen ex hac occasione salutem nostram praedixerunt, quod dominus iturus esset ad gentes, non praesentia corporis, sed tamen pedibus suis; misit enim ad nos membra sua, et fecit nos membra sua.

Chrysostomus. non autem dixerunt quod iturus esset ad gentes laedere eas, sed docere. Iam enim iram submiserant, et his quae dicta erant, crediderant. Nequaquam autem nisi credidissent, quaesissent ad seipsos: quis est hic sermo quem dixit: quaeretis me, et non invenietis, et: ubi ego sum, vos non potestis venire?

IOANNES 7,37-39

12737 (Jn 7,37-39)

Chrysostomus in Ioannem. cum recessuri essent domum, celebrata festivitate, dominus dat eis viatica ad salutem; unde dicitur in novissimo autem die magno festivitatis stabat iesus, et clamabat dicens: si quis sitit, veniat ad me et bibat.

Augustinus in Ioannem. tunc enim agebatur festivitas quae appellatur scenopegia, idest tabernaculorum constructio.

Chrysostomus. quae per septem dies agebatur: prima autem dies et ultima erat celeberrima secundum legem; et hoc significavit evangelista, cum dixit in novissimo die magno festivitatis. Medios autem dies magis ad voluptatem consumebant. Ideo ergo prima die hoc eis non dixit, sed neque secunda aut tertia, ne ea quae dicebantur deperirent, eis voluptati vacantibus. Clamabat autem propter turbae multitudinem.

Theophylactus. simul quidem, ut audibilis fieret, atque ut confidentiam largiretur, et quia neminem formidabat.

Chrysostomus. dicit autem si quis sitit; ac si diceret: neminem necessitate et violentia attraho; sed si quis habet desiderium multum, hunc ego voco.

Augustinus. est enim sitis interior, quia est homo interior. Constat autem plus amare hominem interiorem, quam exteriorem. Si ergo sitimus, veniamus, non pedibus, sed affectibus, nec migrando, sed amando.

Chrysostomus. Quia enim de intellectuali loquitur potu, ostendit per hoc quod post inducit qui credit in me, sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Sed ubi hoc dicit scriptura? nusquam. Quid igitur? qui credit in me, sicut dicit scriptura; hic subdistinguere oportet, ut postea subsequatur flumina de ventre eius fluent aquae vivae: ostendens quoniam rectam oportet habere cognitionem, et non ita a signis sicut a scriptura credere in ipsum; etenim superius dixit: scrutamini scripturas.

Hieronymus in prologo genes.. vel hoc testimonium de proverbiis sumptum est, ubi scilicet dicitur: deriventur fontes tui foris, et in plateis aquas tuas divide.

Augustinus. Venter autem interioris hominis est conscientia cordis eius. Bibito autem isto liquore, vivescit purgata conscientia, et hauriens fontem habebit, et ipsa fons erit. Quis est fons, vel quis est fluvius qui manat de ventre interioris hominis? benevolentia, qua vult consulere proximo. Bibunt ergo qui credunt in domino. Si autem putat qui bibit quod soli ipsi debet sufficere, non fluit aqua viva de ventre eius; si autem proximo festinat consulere, ideo non siccat, quia manat.

Gregorius super ezechielem. Cum enim a mente fidelium sanctae praedicationis verba defluunt, quasi de mente credentium aquae vivae flumina decurrunt. Ventris autem viscera quid sunt aliud nisi mentis interna, idest recta intentio, sanctum desiderium, humilis ad Deum, pia ad proximum voluntas? **Chrysostomus**. dicit autem flumina, et non flumen, copiositatem et ubertatem gratiae occulte insinuans. viventem autem aquam dicit, agentem semper. Spiritus enim gratia cum in mentem intraverit, et firmata fuerit, omni fonte magis manat, et neque deficit, neque evacuatur, neque stat: videbit quis utique hoc ad sapientiam stephani, ad petri linguam, ad pauli fluxum inspiciens. nihil enim eos detinebat, sed sicut flumina, multo impetu delati, omnia secum trahentes abibant.

Augustinus in iohannem. Ad qualem autem potum dominus invitasset, exposuit evangelista, et dixit hoc autem dixit de spiritu quem accepturi erant credentes in eum. Quem dicit spiritum, nisi spiritum sanctum? nam unusquisque homo habet in se proprium spiritum.

Alcuinus. spiritum autem sanctum ante ascensionem apostolis promisit; post ascensionem linguis igneis dedit; inde dicit quem accepturi erant credentes in eum.

Augustinus. erat ergo spiritus Dei; sed nondum in eis erat qui crediderant in iesum. Ita enim disposuit non eis dare spiritum istum, nisi post resurrectionem suam; unde sequitur nondum enim erat spiritus datus quia nondum iesus erat glorificatus.

Chrysostomus in iohannem. apostoli quidem prius spiritu eiciebant daemona, sed ea quae a Christo est potestate; quando enim mittebat eos, non dicitur: dedit eis spiritum sanctum, sed: dedit eis potestatem. De prophetis autem ab omnibus confessum est quod spiritus sanctus eis dabatur: sed haec gratia a terra defecerat.

Augustinus de trin.. Sed quomodo et de iohanne baptista dictum est: spiritu sancto replebitur ab utero matris suae; et spiritu sancto repletus zacharias invenitur, ut de illo talia diceret; et spiritu sancto maria, ut talia de domino praedicaret; spiritu sancto simeon et anna, ut magnitudinem Christi parvuli agnoscerent? quomodo ergo intelligitur, nisi quia certa illa spiritus sancti datio post clarificationem Christi futura erat qualis nunquam antea fuerat? habitura enim erat quamdam proprietatem in ipso adventu, qualis antea nunquam fuit. nusquam enim legimus, linguis quas non noverant, homines locutos veniente in se spiritu sancto, sicut tunc factum est, cum oportet eius adventum signis sensibilibus demonstrari.

Augustinus in iohannem. Cum ergo et modo accipiatur spiritus sanctus, quare nemo loquitur linguis omnium gentium? quia iam ipsa ecclesia linguis gentium loquitur: in hac qui non est, nec modo accipit spiritum sanctum. Si amas unitatem, etiam tibi habet quisquis in illa aliquid habet. Tolle invidiam, et tuum est quod habeo. Livor separat, caritas iungit: ipsam habeto, et cuncta habebis: quia sine ipsa nihil proderit quidquid habere potueris. caritas autem Dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Quare ergo dominus post resurrectionem suam spiritum sanctum dare voluit? ut scilicet in resurrectionem nostram caritas flagraret, ab amore saeculi separaretur, et tota curreret in Deum. Qui enim dixit qui credit in me, veniat et bibat, et flumina de ventre eius fluent aquae vivae, vitam aeternam promisit, ubi nihil timeamus, ubi non moriamur. Quia ergo tale est quod promisit spiritus sancti caritate ferventibus; ideo ipsum spiritum noluit dare nisi cum esset glorificatus, ut in suo corpore ostenderet vitam, quam modo non habemus, sed in resurrectione speramus.

Augustinus contra faustum. Si itaque haec causa erat ut nondum daretur spiritus sanctus, quia nondum erat iesus glorificatus; proculdubio clarificatio iesu iam causa erat ut statim daretur. Cataphryges autem se promissum paraclitum suscepisse dixerunt, et hinc a fide catholica deviarunt. Manichaei etiam quae de promissione spiritus sancti dicuntur, de manichaeo asserunt esse praedicta, tamquam scilicet antea non fuerit spiritus datus.

Chrysostomus. Vel aliter. Gloriam Christi crucem vocat: quia enim inimici eramus, donum autem non inimicis, sed amicis datur; oportebat prius offerri hostiam, et inimicitiam in carne dissolvi, et tunc factos Dei amicos suscipere donum.

IOANNES 7,40-53

12740 (Jn 7,40-53)

Augustinus in Ioannem. Cum dominus invitasset credentes in se ad potandum spiritum sanctum, nata est de illo in turba dissensio; unde dicitur ex illa ergo turba, cum audissent hos sermones eius, dicebant: hic est vere propheta.

Theophylactus. Qui scilicet expectabatur. alii, scilicet populus, dicebant: hic est Christus.

Alcuinus. Iam isti sitim illam spiritualiter haurire coeperant, iam sitim infidelitatis deposuerant; alii in suae infidelitatis ariditate permanebant; de quibus subditur quidam autem dicebant: numquid a galilaea venit Christus? nonne scriptura dicit quia ex semine David, et de bethlehem castello, ubi erat David, venit Christus? noverant enim quid de Christo praedixissent prophetae; sed ignorabant omnia in ipso impleta fuisse; et qui noverant in nazareth nutritum, nativitatis locum non attendebant, nec prophetiam, quam legerant, in eo completam credebant.

Chrysostomus in Ioannem. sed esto, locum nativitatis ignorabant; num etiam genus ignorabant? quoniam ex domo et familia David natus erat. quare igitur dicebant nonne ex semine David venit Christus? sed et hoc obumbrare volebant per educationem in nazareth, omnia malitiose loquentes: unde non accedunt ad Christum quaerentes quomodo scripturae dicunt, quod a bethlehem oportet venire Christum; tu autem ex galilaea venisti; sed omnia malitiose loquuntur. Et quia non diligenter attendebant his quae dicebantur, neque discendi gratia; propter hoc nihil eis Christus respondit. nathanaelem autem dicentem: a nazareth potest aliquid boni esse? laudavit ut vere israelitam, quia veritatis erat inquisitor, et omnia vetera diligenter edoctus. sequitur dissensio itaque facta est propter eum in turba.

Theophylactus. Non in principibus: nam principes unius voluntatis erant, ut videlicet non eum reciperent sicut Christum. Qui ergo magis moderati erant in malitia, verbis tantum gloriae Christi adversabantur; qui vero peiores erant, manus etiam appetebant imponere; de quibus subditur quidam autem ex eis volebant apprehendere eum.

Chrysostomus. hoc autem induxit evangelista, ostendens quoniam loquebantur neque quaerentes veritatem, neque discere volentes. sequitur sed nemo misit super illum manus.

Alcuinus. Quia scilicet ipse non permisit, qui conatus illorum in sua potestate habebat.

Chrysostomus. hoc autem sufficiens erat eos in compunctionem deducere; sed non sunt compuncti: talis enim nequitia nulli vult credere; ad unum aspicit solum, ut eum cui insidiatur interficiat.

Augustinus. Qui vero missi fuerant ut eum tenerent, redierunt immunes a crimine, et pleni admiratione; de quibus subditur venerunt ergo ministri ad pontifices et pharisaeos; et dixerunt eis illi: quare non adduxistis eum? Alcuinus. Qui eum lapidare volentes, tenere non potuerunt, arguunt ministros quia eum non adduxerant.

Chrysostomus. ecce pharisei et scribae miracula videntes et scripturas legentes, nihil profecerunt; ministri autem nihil horum habentes, ab una sola allocutione sunt capti, et abeuntes, ut eum ligarent, redierunt ligati miraculo. Et non dixerunt: non potuimus propter turbam; sed praecones efficiuntur Christi sapientiae; nam sequitur responderunt ministri: numquam sic locutus est homo, sicut hic homo loquitur.

Augustinus. Ille autem sic locutus est, quia deus erat et homo.

Chrysostomus. Non est autem solum eorum prudentia admiranda, quia signis non eguerunt, sed a sola doctrina sunt capti; non enim dixerunt: nunquam talia miracula fecit homo; sed nunquam sic locutus est homo; sed etiam admiranda est eorum securitas: quoniam ad pharisaeos, qui contra Christum adversabantur, venerunt, et eis talia locuti sunt. Nec tamen longum sermonem audiebant, sed brevem; cum enim mens fuerit incorrupta, non longis sermonibus opus est.

Augustinus. pharisei tamen eorum testimonium repulerunt; nam sequitur responderunt ergo eis pharisei: numquid et vos seducti estis? quasi dicant: videmus vos delectatos esse in sermonibus suis.

Alcuinus. Et revera laudabiliter seducti erant, quia dimisso malo infidelitatis, transierunt ad fidem.

Chrysostomus in Ioannem. ab argumento autem insipienti contra eos syllogizant; nam sequitur numquid ex principibus aliquis credidit in eum, aut ex pharisaeis? sed turba haec quae non novit legem, maledicti sunt. Haec autem est ipsorum accusatio, quoniam turba quidem credidit, ipsi autem non crediderunt.

Augustinus in Ioannem. Qui enim non noverant legem, ipsi credebant in eum qui miserat legem, et eum qui miserat legem, condemnabant illi qui docebant legem; ut impleretur quod dominus dixerat: ego veni, ut non videntes videant, et videntes caeci fiant.

Chrysostomus. qualiter igitur maledicti sunt illi qui a lege suadentur? vos potius maledicti estis, qui non observastis legem.

Theophylactus. Ideo autem suaviter et blande pharisaei ministris respondent, quia dubitaverunt ne forte ab eis prorsus segregentur, et Christo adiciantur.

Chrysostomus. Quia vero dixerant quod nullus principum credidit in eum, ad hoc excludendum subiungitur dicit nicodemus ad eos (ille qui venit ad iesum nocte), qui unus erat ex illis.

Augustinus. ipse non quidem incredulus, sed timidus: nam ideo nocte venerat ad lucem, quia illuminari volebat, et sciri timebat. Hic ergo respondit iudaeis numquid lex nostra iudicat hominem, nisi prius audierit ab ipso, et cognoverit quid faciat? credebat enim quia si eum tantummodo patienter vellent audire, forte similes fierent illis qui missi sunt tenere et maluerunt credere. Volebant autem illi perversi ante esse damnatores quam cognitores.

Augustinus de civ. Dei. Dicit autem lex nostra, de lege quae Dei est, eo quod est ab illo data hominibus.

Chrysostomus. ostendit autem nicodemus eos neque cognoscentes legem, neque facientes quae sunt legis. Cum autem congruum esset ostendere quod non indiscrete miserunt vocaturi eum, rudius et iracundius utuntur contradictione; nam sequitur responderunt et dixerunt ei: numquid et tu galilaeus es?

Augustinus in Ioannem. Idest quasi a galilaeo seductus. Dominus enim galilaeus dicebatur, quoniam de nazareth civitate erant parentes eius; secundum mariam dixi parentes, non secundum virile semen.

Chrysostomus. deinde iniuriose, quasi eo nesciente, scripturas induxerunt scrutare scripturas, et vide quia propheta a galilaea non surgit; ac si dicerent: vade, et disce.

Alcuinus. Non enim locum ubi natus est, sed ubi conversabatur attendebant; et ideo non solum messiam, sed nec prophetam eum credebant.

Augustinus. propheta quidem a galilaea non surgit, sed dominus prophetarum inde surrexit. sequitur et reversi sunt unusquisque in domum suam.

Alcuinus. Nullo perfecto negotio, vacui fide, et ideo fraudati utilitate, sunt reversi in domum infidelitatis et impietatis suae.

IOANNES 8,1-11

12801 (Jn 8,1-11)

Alcuinus. Dominus maxime circa suam passionem, hanc sibi effecerat consuetudinem, ut in die quidem in templo, quod erat hierosolymis, verbum Dei praedicaret, signa et miracula ostenderet; sero autem revertebatur in bethaniam, ubi apud sorores lazari hospitabatur; et mane iterum ad simile opus revertebatur. Igitur secundum hunc morem, cum in ultimo die scenopegiae tota die in templo praedicasset, vespere perrexit in montem oliveti; et hoc est quod dicitur iesus autem perrexit in montem oliveti.

Augustinus in Ioannem. Ubi enim decebat docere Christum nisi in monte oliveti, in monte unguenti, in monte chrismatis? Christi enim nomen a chrismate dictum est. Chrisma autem graece, latine unctio nominatur. Ideo autem nos unxit, quia luctatores contra diabolum fecit.

Alcuinus. unctio enim olei fessis et dolentibus membris solet afferre levamen. Mons etiam olivarum sublimitatem dominicae pietatis designat: quia oleos graece, latine misericordia. natura quoque olei mysterio aptissime congruit: superfertur enim omnibus liquoribus; et sicut ait psalmista: miserationes eius super omnia opera eius. sequitur et diluculo iterum venit in templum, ut scilicet misericordiam cum incipiente novi testamenti lumine fidelibus, in templo videlicet suo, pandendam praebendamque signaret. Quod enim diluculo redibat, exortum novae gratiae designat.

Beda. Significatur autem quod postquam per gratiam coepit inhabitare in templo suo, idest in ecclesia, ex omnibus gentibus crediderunt in eum; unde sequitur et omnis populus veniebat ad eum: et sedens docebat eos.

Alcuinus. Sessio humilitatem incarnationis insinuat. Sedente ergo domino, ad eum venit populus: quia postquam per susceptam humanitatem visibilis apparuit, coeperunt eum multi audire, et in eum credere, quem per humanitatem sibi proximum meminerant. Mansuetis autem et simplicibus sermonem domini admirantibus, scribae et pharisaei interrogant, non ut discant, sed ut veritati laqueos nectant; unde sequitur adducunt autem scribae et pharisaei mulierem in adulterio deprehensam; et statuerunt eam in medio, et dixerunt ei: magister, haec mulier deprehensa est modo in adulterio.

Augustinus. Animadverterant enim eum nimium esse mitem: de illo quippe fuerat ante praedictum: procede et regna, propter veritatem et mansuetudinem et iustitiam. Ergo attulit veritatem ut doctor, mansuetudinem ut liberator, iustitiam ut cognitor. cum loqueretur, veritas agnoscebatur; cum adversus inimicos non moveretur, mansuetudo laudabatur; in tertio ergo, iustitia scilicet, scandalum posuerunt: dixerunt enim apud seipsos: si eam dimitti censuerit, iustitiam non tenebit: lex enim quod iniustum erat, iubere non poterat; et ideo legem inducunt, dicentes in lege autem moyses mandavit nobis huiusmodi lapidare. ut autem mansuetudinem non perdat, in qua iam populis amabilis factus est, eam dimitti debere dicturus est. Unde eius sententiam requirunt dicentes tu ergo quid dicis? hinc nos inveniemus ad accusandum occasionem, et reum faciemus tamquam legis praevaricatore; unde evangelista subdit haec autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare. Sed dominus in respondendo et iustitiam servaturus est, et a mansuetudine non recessurus; sequitur enim iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra.

Augustinus de cons. Evang.. Tamquam illos tales in terra scribendos significaret, non in caelo, ubi monuit discipulos ut se scriptos esse gauderent; aut quod se humiliando, quod capitis inclinatione monstrabat, signa in terra faceret; aut quod iam tempus esset ut in terra quae fructum daret, non in lapide sterili, sicut antea, lex eius conscriberetur.

Alcuinus. per terram enim cor humanum ostenditur, quod bonarum vel malarum actionum solet reddere fructus; per digitum autem, qui articulorum compositione flexibilis est, sublimitas discretionis exprimitur. Nos ergo instruit, ut cum qualibet mala proximorum conspicimus, non statim ea temere damnemus; sed prius ad conscientiam cordis humiliter reversi, digito discretionis ea sollicite disquiramus.

Beda. Quantum etiam ad historiam pertinet, per hoc quod digito scripsit in terra, illum se fore monstravit qui quondam legem in lapide scripsit. sequitur cum autem perseverarent interrogantes eum, erexit se.

Augustinus in Ioannem. Non dixit: non lapidetur, ne contra legem dicere videretur. absit autem ut diceret: lapidetur; venit enim non perdere quod invenerat, sed quaerere quod perierat. Quid ergo respondit? qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. Haec vox iustitiae est. Puniatur peccatrix, sed non a peccatoribus; impleatur lex, sed non a praevaricatoribus legis.

Gregorius moralium. qui enim prius semetipsum non iudicat, quid in alio rectum iudicet ignorat. Et si novit etiam per auditum recte tamen aliena merita iudicare non valet, cui conscientia innocentiae propriae nullam iudicii regulam praebet.

Augustinus. cum ergo eos telo iustitiae percussisset, nec dignatus est cadentes attendere; sed avertit ab eis obtutum; unde sequitur et iterum se inclinans scribebat in terra.

Alcuinus. Potest etiam intelligi fecisse hoc dominus iuxta consuetudinem, ut quasi aliquid agens, vultu intendens in aliud, liberam eis exeundi facultatem daret. In hoc etiam figurate admonet, ut et priusquam peccantem fratrem corripiamus, et post adhibitam correctionem, diligenter perpendamus utrum ipsis peccatis, de quibus alium castigamus, aut aliis obnoxii simus.

Augustinus. Sic igitur illi voce iustitiae tamquam telo percussi sese inspicientes, et reos invenientes, unus post unum omnes recesserunt; et hoc est quod subditur audientes autem haec, unus post alium exhibant, incipientes a senioribus.

Glossa. Qui forte magis rei erant, vel magis culpas suas cognoscebant.

Augustinus. Relicti sunt autem duo: miseria, et misericordia; nam sequitur et remansit solus iesus, et mulier in medio stans. Credo, territa illa mulier, ab illo se puniendam sperabat in quo peccatum inveniri non

poterat. Ille autem, qui adversarios eius repulerat lingua iustitiae, levans in illam oculos mansuetudinis, interrogavit eam; unde sequitur erigens se autem iesus, dixit ei: mulier, ubi sunt qui te accusabant? nemo te condemnavit? quae dixit: nemo, domine. Audivimus supra vocem iustitiae: audiamus nunc mansuetudinis; nam sequitur dixit ei iesus: nec ego te condemno, a quo te forte condemnari timuisti, quia in me peccatum non invenisti. Quid est, domine? faves ergo peccatis? non plane; attende quod sequitur: vade, et amplius noli peccare. ergo et dominus damnavit, sed peccatum, non hominem: nam si peccatorum auctor esset, diceret: vade, et vive ut vis; de mea liberatione esto segura: ego te quantumcumque peccaveris, etiam a gehenna et inferni tortoribus liberabo. Non hoc dixit. Intendant ergo qui amant in domino mansuetudinem, et timeant veritatem: etenim dulcis et rectus dominus.

IOANNES 8,12

12812 (Jn 8,12)

Alcuinus. Quia mulierem absolvit a crimine, ne aliqui dubitarent an ille quem videbant verum hominem, posset peccata dimittere, dignatur ipse apertius suae divinitatis potentiam demonstrare; unde dicitur iterum ergo locutus est eis dicens: ego sum lux mundi.

Beda. Ubi advertendum est, quia non ait ego sum lux angelorum vel caeli, sed lux mundi, idest hominum in tenebris commorantium: secundum illud: illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent.

Chrysostomus in Ioannem. Vel aliter. Quia superius galilaeam ei afferebant, et quasi de quodam prophetarum, de eo dubitabant, voluit ostendere quoniam non unus prophetarum est, sed dominator orbis terrarum; unde dicitur iterum locutus est eis iesus, dicens: ego sum lux mundi, non galilaeae, neque palaestinae, neque iudaeae.

Augustinus in Ioannem. manichaei solem istum oculis carnis visibilem Christum dominum esse putaverunt; sed ecclesia catholica improbat tale commentum: non est enim dominus Christus sol factus, sed per quem sol factus est: omnia enim per ipsum facta sunt, et propter nos sub sole factum est lumen quod fecit solem: carnis nube tegitur, non ut obscuretur, sed ut temperetur. loquens ergo per nubem carnis lumen indeficiens, lumen sapientiae ait hominibus ego sum lux mundi.

Theophylactus. uteris autem adversus nestorium hoc praesenti sermone: non enim ait quoniam in me est lux mundi, sed ego sum lux mundi; ipse namque qui homo videbatur, idem et filius Dei et lux mundi erat; non, sicut nugabatur nestorius, in simplici homine Dei filius habitabat.

Augustinus. Abstulit autem te ab oculis carnis, et revocavit ad oculos cordis in hoc quod subdit qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae. Non enim sufficit dicere habebit lumen, sed addidit vitae. Haec verba domini cum verbis psalmi concordant: in lumine tuo videbimus lumen, quoniam apud te est fons vitae. In istis usibus corporalibus aliud est lumen, et aliud fons: fontem fauces quaerunt, lumen oculi. apud Deum, quod lumen est, hoc est fons. qui tibi lucet ut videas, ipse tibi manat ut bibas. Quod promisit, futuri temporis verbo posuit; in eo quod facere debemus, praesens tempus posuit. Qui sequitur, inquit, habebit modo per fidem, post habebit per speciem. Sequere istum solem visibilem si ipse tendis ad occidentem, quo et ille tendit; et si nolueris tu illum deserere, ipse te deseret in occasu. Deus tuus ubique est totus: si non ab illo facies casum, numquam a te ille faciet occasum. tenebrae satis metuendae sunt morum, non oculorum: et si oculorum, non exteriorum, sed interiorum, unde discernitur non album et nigrum, sed iustum et iniustum.

Chrysostomus. Intellectualiter enim dixit non ambulat in tenebris; idest, non manet in errore. Hinc et nicodemum laudat et ministros; et ipsos occulte insinuat dolos complicantes, qui in tenebris et errore sunt, sed lucem non superabunt.

IOANNES 8,13-18

12813 (Jn 8,13-18)

Chrysostomus in Ioannem. quia dominus dixerat: ego sum lux mundi, et qui sequitur me, non ambulat in tenebris, iudaei hoc evertere voluerunt; unde dicitur dixerunt ergo ei pharisaei: tu de te ipso testimonium perhibes, et testimonium tuum non est verum.

Alcuinus. sic responderunt tamquam ipse dominus solus sibi testimonium perhiberet, cum constet quod antequam in carne appareret, multos testes praemisit, qui eius sacramenta praedixerunt.

Chrysostomus. dominus autem evertit quod dixerant; unde sequitur respondit iesus, et dixit eis: et si ego testimonium perhibeo de meipso, verum est testimonium meum. Hoc iuxta eorum suspicionem locutus est, hominem eum nudum aestimantium; et causam subiungit: quia scio unde venio et quo vado; idest: ex Deo sum, et deus, et Dei filius. Non autem hoc dicit manifeste, quia semper humilia miscet altis. Deus autem ipse sibi fide dignus est.

Augustinus in Ioannem. verum est enim testimonium luminis, sive se ostendat, sive alia. Locutus est propheta verum; sed unde haberet, nisi de fonte veritatis hauriret? ergo idoneus est iesus qui sibi testimonium perhibeat. dicens autem quia scio unde venio et quo vado, patrem volebat intelligi: patri enim gloriam dabat filius, a quo est missus. quantum ergo debet homo glorificare eum a quo est creatus? non autem veniendo inde discessit, aut redeundo nos dereliquit. Non potest hoc fieri ab isto sole, qui quando pergat ad occidentem, deserit orientem. Sicut autem sol iste et videntis faciem illustrat, et caeci; sed videt ille, ille non videt: sic et sapientia Dei, verbum Dei, ubique praesens est etiam infidelibus; sed quibus eam videant oculos non habent cordis. Ut ergo dominus inter fideles suos, et inimicos suos iudaeos, tamquam inter tenebras et lucem distingueret, subiungit vos autem nescitis unde venio aut quo vado. Isti ergo iudaei videbant hominem, nec credebant Deum; et ideo dominus subdit vos secundum carnem iudicatis, dum scilicet dicitis tu de teipso testimonium perhibes, et testimonium tuum non est verum.

Theophylactus. Ac si dicat: vos quoniam in carne sum, carnem me solum esse putantes, non autem Deum, secundum carnem fallibiliter iudicatis.

Augustinus in Ioannem. quia enim Deum non intelligitis, et hominem videtis; ideo vobis arrogans videor, quia ego de me testimonium perhibeo. omnis enim homo quando de se perhibere vult laudabile testimonium, superbus et arrogans videtur: homines enim infirmi sumus, verum dicere et mentiri possumus; lux mentiri non potest.

Chrysostomus. vel aliter. Sicut secundum carnem vivere, male vivere est, ita secundum carnem iudicare, iudicare iniustum est. Et quia possent dicere: si iniuste iudicamus, propter quid non convincis, propter quid non condemnas? subiungit ego non iudico quemquam.

Augustinus. Quod duobus modis intelligi potest: ut aut hoc intelligamus non iudico quemquam, idest modo, sicut dicit alio loco: ego non veni ut iudicem mundum, sed ut salvum faciam mundum, non iudicium suum negando, sed differendo; aut certe quia dixerat vos secundum carnem iudicatis, ita coniunxit ego non iudico quemquam, ut subaudias: secundum carnem Christum non iudicare, sicut ab hominibus iudicatus est; nam ut agnoscas iam iudicem Christum, subditur et si iudico ego, iudicium meum verum est.

Chrysostomus. quasi dicat: propter hoc dixi non iudico, quasi non praesumens iudicare: quia si iudicarem iuste, vos condemnarem; sed nunc tempus iudicii non est; sed de futuro iudicio insinuat, cum subdit quia solus non sum, sed ego, et qui misit me pater: ostendens quia non ipse solus eos condemnabit, sed et pater. Hoc autem ad suspicionem illorum loquitur: non enim aestimabant dignum fide esse filium, nisi patris testimonium assumpsisset.

Augustinus. si autem tecum est pater, quomodo te misit? ergo, domine, missio tua, incarnatio tua est. Hic ergo Christus erat secundum carnem, et a patre non recesserat: quia pater et filius ubique erant. Erubescere, sabelliane: non enim dixit: ego sum pater, et ego ipse sum filius; sed solus non sum, inquit, quia mecum est pater. Distingue ergo personas, distingue intelligentiam; agnosce quia pater pater est, et filius filius est; sed noli dicere: pater maior est, filius minor. Una substantia est, una coaeternitas, perfecta aequalitas. Ergo verum est, inquit, iudicium meum, quia filius Dei sum. Ut tamen intelligas quia mecum est pater, non sic sum filius ut ipsum deseruerim: formam servi accepi; sed formam Dei non amisi. De iudicio dixerat; de testimonio vult dicere; nam sequitur et in lege vestra scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est.

Augustinus contra faustum. An forte manichaei calumniantur, quia non ait: in lege Dei, sed in lege vestra scriptum est? ubi usitatam locutionem scripturarum quis non cognoscat? lege enim vestra dixit vobis data, sicut apostolus dicit evangelium suum, quod se tamen accepisse testatur, non ab homine, sed per revelationem iesu Christi.

Augustinus in Ioannem. magnam autem habet quaestionem, et valde videtur in mysterio res esse constituta, ubi deus dixit: in ore duorum vel trium testium stat omne verbum: fieri enim potest ut duo

mentiantur. susanna casta duobus falsis testibus urgebatur; universus populus mentitus est contra Christum: quomodo ergo accipiendum est in ore duorum vel trium stabit omne verbum, nisi quia hoc modo per mysterium trinitas commendata est, in qua est perpetua stabilitas veritatis? accipite ergo nostrum testimonium, ne sentiatis iudicium: differo iudicium, non differo testimonium; unde sequitur ego sum qui testimonium perhibeo de meipso, et testimonium perhibet de me qui misit me, pater.

Beda. In multis enim locis pater filio suo perhibet testimonium, ut est illud: ego hodie genui te; item: hic est filius meus dilectus.

Chrysostomus. Vel aliter. si quod dictum est, simpliciter accipiat, quaestionem habet; nam in hominibus quidem propter hoc determinatum est quod in ore duorum vel trium testium stat omne verbum, quia unus solus non est fide dignus; in Deo autem qualiter utique hoc habebit rationem? sed et aliter non staret quod dictum est; nam in hominibus cum duo de aliena re testantur, tunc testimonium est verum; hoc enim est duo testari: si vero unus eorum sibi ipsi testetur, non adhuc sunt duo testes. ad nihil ergo aliud hoc dixit quam ut ostendat se nihil minus patre habentem; alioquin non dixisset ego, et qui misit me, pater. Considera etiam potestatem nihil habentem diminutum a patre: homo enim cum a seipso dignus fuerit fide, testimonio non indiget; sed hoc in aliena re: in propria vero cum testimonio alieno indigeat, non adhuc dignus est fide. Hic vero totum contrarium: etenim in propria re testans, et ab alio testimonium habens, dixit se fide dignum esse.

Alcuinus. Vel potest sic intelligi quod dicitur, quasi dicat: si vestra lex approbat testimonium duorum hominum qui possent decipi et plura testari; qua ratione meum et patris mei testimonium, quod summa stabilitate firmum est, verum esse non dicitis?

IOANNES 8,19-20

12819 (*Jn 8,19-20*)

Augustinus in Ioannem. Illi qui audierant a domino: vos secundum carnem iudicatis, manifestaverunt quod audierunt: patrem enim Christi carnaliter acceperunt; unde dicitur dicebant ergo ei: ubi est pater tuus? quasi dicant: audivimus te dicere: solus non sum; sed ego, et qui misit me, pater: nos solum te videmus: ostende ergo nobis tecum esse patrem tuum.

Theophylactus. Quidam vero notant hoc prolatum esse a iudaeis quasi ad contumeliam et contemptum. Improperabant enim ei tamquam ex fornicatione genito et proprium genitorem ignoranti, vel tamquam vili existente eo qui pater eius putabatur, scilicet ioseph; quasi dicant: ignotus et ignobilis est pater tuus: quid frequenter patrem nobis inducis? quia ergo non ut scire volentes, sed ut tentantes quaerebant, ad praemissam quaestionem non respondet; unde sequitur respondet iesus: neque me scitis, neque patrem meum.

Augustinus. Quasi dicat: quaeritis: ubi est pater tuus? quasi me iam sciatis, quasi totum hoc sit quod videtis: ergo quia me non nostis, ideo patrem meum vobis non ostendo. Me quippe hominem putatis; ideo patrem meum hominem quaeritis. Quia vero secundum quod videtis, aliud sum, et aliud secundum quod non videtis; patrem autem meum loquor occultus occultum: prius est ut me noveritis, et tunc patrem scietis; et hoc est quod subdit si me sciretis, forsitan et patrem meum sciretis.

Chrysostomus in Ioannem. Dicit autem hoc, ut ostendat quod nihil eis prodest dicere quod sciant patrem, filium nescientes.

Origenes in Ioannem. contrariari autem videtur ad invicem quod hic dicitur: neque me scitis, neque patrem meum, et quod supra dictum est: et me scitis, et unde sim scitis. sed tamen quod dicitur: et me scitis, ad quosdam dicit hierosolymitarum dicentium numquid vere intellexerunt principes quia hic est Christus? hoc vero quod dicit: neque me scitis, ad pharisaeos dicitur. hierosolymitis tamen in prioribus ait: verax est qui me misit, quem vos nescitis. quaeret itaque aliquis: quomodo verum est quod dicitur si me sciretis, et patrem meum sciretis: cum hierosolymitae, quibus dicitur: et me scitis, patrem nesciverunt? dicendum autem est ad hoc, quod salvator quandoque quidem de seipso ut de homine loquitur, quandoque autem secundum divinam naturam: hoc ergo quod dicit: et me scitis, de ipso homine dicit; hoc vero neque me scitis, de divinitate.

Augustinus in Ioannem. quid est enim si me sciretis, et patrem meum sciretis, nisi ego et pater unum sumus? quando vides aliquem alicui similem, quotidiana locutio est: si hunc vidisti, illum vidisti. Propter similitudinem tale dedisti responsum. Hinc et dominus si me, inquit, sciretis, et patrem meum sciretis: non quia pater est filius, sed quia patri similis est filius.

Theophylactus. Erubescat arianus: nam si iuxta eum creatura filius sit, qualiter qui novit creaturam, et Deum novit? neque enim qui substantiam novit angeli, novit et divinam. Cum itaque qui filium novit, et

patrem novit; igitur consubstantialis patri est filius.

Augustinus. hoc autem verbum forsitan increpative dicitur, quod videtur esse verbum dubitationis: homines enim de rebus quas certas habent, aliquando verbum dubitationis ponunt; velut si indignaris servo tuo, et dicas: contemnis me? considera, forsitan dominus tuus sum: sic et dominus dubitando increpat infideles, cum dicit et patrem meum forsitan sciretis.

Origenes. Oportet autem videre quoniam qui alterius sectae sunt, opinantur ex hoc probari manifeste, Deum quem iudaei colebant, patrem non esse Christi. Si enim, inquiunt, hoc pharisaeis Deum provisorem mundi colentibus dicebat salvator, manifestum est, quod patrem iesu, alterum a conditore mundi existentem, nequaquam pharisaei noverunt. hoc vero dicunt, non observantes consuetudinem locutionis in scripturis. Si enim aliquis vellet inducere ea quae de Deo sunt, a parentibus eruditus, non autem bene vivat; hunc dicimus de Deo notitiam non habere: unde et filii heli propter eorum malitiam Deum ignorasse dicuntur. sic igitur et pharisaei patrem ignoraverunt: non enim vivebant secundum conditoris edictum. Est autem et aliud significatum cognoscendi Deum, altero existente cognoscere dominum quam simpliciter credere. dicitur enim in psalmo: studete et videte, quoniam ego sum deus quis non confitetur hoc scribi populo in conditorem credenti? multum enim differt credendo cognoscere, et credere tantum. Sed pharisaeis, quibus ait neque me scitis, neque patrem meum, rationabiliter diceret: neque creditis patri meo: qui enim negat filium, minime patrem habet, scilicet neque secundum fidem, neque secundum cognitionem. Sed et aliter dicit scriptura, illos qui adiuncti sunt alicui, cognoscere illud. Tunc enim adam cognovit uxorem suam cum ei coniunctus est. Si ergo qui adhaeret mulieri, mulierem cognoscit; et qui adhaeret domino, unus spiritus est et Deum cognoscit. Si vero sic se habet, pharisaei nec patrem noverunt nec filium. Post hoc est quidem aliquem cognoscere Deum, non autem cognoscere patrem. Infinitis ergo orationibus editis in lege non invenimus aliquem orando dicentem Deum patrem: tamen orant eum tamquam Deum et dominum: ne praevenirent gratiam per iesum toti mundo effusam, vocantem cunctos ad filiationem, iuxta illud: narrabo nomen tuum fratribus meis. sequitur haec verba locutus est iesus in gazophylacio, docens in templo.

Alcuinus. gaza persica lingua divitiae, philatin servare. Erat autem locus in templo ubi servabantur divitiae.

Chrysostomus. in templo loquebatur more magistri; et hic loquebatur super quibus mordebant et accusabant, quoniam seipsum facit parem patri.

Augustinus. magna igitur fiducia sine timore: non enim pateretur quod nollet; unde sequitur et nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius. Nonnulli cum hoc audiunt, sub fato fuisse Christum credunt; sed si fatum, sicut nonnulli intellexerunt, a fando dictum est, idest a loquendo, verbum Dei quomodo habet fatum? ubi sunt fata? in caelo, inquis, in ordine et conversionibus siderum. Quomodo ergo fatum habet per quem factum est caelum et sidera, cum tua voluntas, si recte sapias, transcendat et sidera? an quia nosti Christi carnem fuisse sub caelo, ideo putas et potestatem Christi subditam caelo? igitur nondum venerat hora eius, non qua cogere mori, sed qua dignaretur occidi.

Origenes. Ubicumque autem additur: haec verba locutus est iesus in tali loco, si bene attendas, invenies additionis opportunitatem. Est autem gazophylacium locus numismatum in honorem Dei et dispensationem pauperum oblatorum. numismata autem sunt divina verba, imaginem regis magni impressam habentia. unusquisque autem conferat in aedificationem ecclesiae, portans ad intellectuale gazophylacium quicquid potest ad honorem Dei et utilitatem communem. Omnibus autem offerentibus in gazophylacio templi, magis oportebat iesum munera portare, quae erant verba vitae aeternae. Loquente ergo iesu in gazophylacio, a nemine detentus est: quia sermones eius fortiores erant his qui eum capere volebant, cum non sit infirmitas in quibus verbum Dei loquitur.

Beda. Vel aliter. In gazophylacio Christus loquitur, quoniam in parabolis ad iudaeos sermones proferebat; tunc autem quasi gazophylacium aperiri coepit, quando discipulis suis caelestia reseravit: unde etiam gazophylacium templo inhaerebat: quia quae lex et prophetae figuraliter praedixerant, ad dominum pertinebant.

IOANNES 8,21-24

12821 (Jn 8,21-24)

Augustinus in Ioannem. Quia supra dictum est quod nemo apprehendit eum, quia nondum venerat hora eius, modo de ipsa sua passione, quae posita erat, non in eius necessitate, sed potestate, locutus est

iudaeis; unde dicitur dixit ergo iterum eis iesus: ego vado. Christo enim domino mors profectio fuit illuc unde venerat et unde discesserat.

Beda. Haec autem verborum connexio talis esse videtur, ut haec uno tempore, uno quoque in loco, vel certe alio tempore alioque in loco geri potuissent: quoniam nihil interponi et quaedam vel multa potuerunt.

Origenes in Ioannem. sed obiciet aliquis sic: si his qui manebant in incredulitate, ista dicebat: quomodo eis dicit et quaeritis me? quaerere enim iesum, est quaerere veritatem et sapientiam. sed dices, quia et de persequentibus aliquando dicitur, quod quaerebant eum capere. Differentiae enim sunt eorum qui quaerunt iesum: non omnes enim pro eorum salute et utilitate quaerunt eum. Propter hoc solum hi qui recte quaerunt eum, inveniunt pacem. Recte autem quaerere dicuntur qui verbum quod est in principio apud Deum quaerunt, ut illos patri adducat.

Augustinus. quaeritis ergo, inquit, me, non pio desiderio, sed odio: nam illum, posteaquam abscessit ab oculis hominum, inquisierunt, et qui oderunt et qui amabant: illi persequendo, isti habere cupiendo. Et ne putetis quia me bene quaeritis, in peccato vestro moriemini. Hoc est Christum male quaerere, in peccato suo mori; hoc est illum odisse, per quem solum posset salus esse. Dixit sententiam praescius quod in peccatis suis morientur.

Beda. Sed nota, quod peccato in singulari numero utitur, sed vestro in plurali, ut idem omnium scelus ostenderet.

Origenes. quaero autem propter hoc quod infra dicitur, quod hoc ipso loquente multi crediderunt in eum; numquid ad omnes praesentes dicit in peccato vestro moriemini? sed ad illos dicebat quos sciebat non esse credituros, et propter hoc in eorum peccatis esse morituros, et non valentes post ipsum sequi; nam sequitur quo ego vado, vos non potestis venire, ubi scilicet veritas et sapientia est: hoc est enim ubi est iesus. Non possunt, ait, quia non volunt; si enim voluissent et non potuissent, non rationabiliter eis diceretur in peccato vestro moriemini.

Augustinus in Ioannem. Hoc autem et discipulis alio loco dicit; nec tamen dixit eis in peccato vestro moriemini, sed quo ego vado, vos non potestis venire modo. Non abstulit spem, sed praedixit dilationem.

Origenes in Ioannem. praesens autem verbum minatur Christi recessum; sed quamdiu salvamus ea quae animae nostrae sunt insita veritatis semina, nequaquam recedit a nobis verbum Dei: si vero a lapsu in malitiam corrumpamur, tunc dicitur nobis ego vado: et cum quaeremus eum, nequaquam inveniemus, sed in peccatis nostris moriemur, ab ipsa morte occupati. Non oportet autem pertransire inexacte quod dicitur in peccatis vestris moriemini. Si enim communiter accipiatur, manifestum est quod peccatores in peccatis eorum moriuntur, iusti vero in iustitia; si vero dicitur moriemini, sicut qui ad mortem peccat moritur, manifestum est quod hi quibus talia dicebantur, nequaquam mortui erant, sed vivebant in infirmitate animae; sed infirmitas illa ad mortem erat: propter hoc medicus videns eos graviter infirmantes, dicebat et in peccatis vestris moriemini: et sic manifestum erat illud quo ego vado, vos non potestis venire. Cum enim aliquis in suo peccato moritur, quo vadit iesus, non potest ire: nullus enim mortuus potest sequi iesum: non enim mortui laudabunt te, domine.

Augustinus. his autem verbis auditis, quomodo solent, carnalia cogitantes interrogaverunt; nam sequitur dicebant ergo iudaei: numquid interficiet semetipsum, quia dicit: quo ego vado, vos non potestis venire? stulta verba. Quid enim? non poterant illi venire quo ille perrexisset, si interficeret semetipsum? numquid ipsi non erant morituri? ergo quo ego vado, dixit; non quo itur ad mortem, sed quo ipse ibat post mortem.

Theophylactus. Per hoc enim manifestavit quod resurget in gloria, et sedebit ad dexteram Dei.

Origenes. quaeramus tamen si hoc ab eis de salvatore dicitur altius aliquid cernentibus. multa enim aut ex traditione, aut ex apocryphis ipsos contingebat videre prae multis. Forte igitur in his quae tradita sunt de Christo, erat iuxta sanas traditiones propheticorum sermonum, sicut generari eum in bethlehem, sic et de morte eius, ut hoc modo transire deberet ab hac vita quomodo ipse dicit: nemo tollit animam meam a me; sed ego pono eam. Quare quod hic dicitur numquid interficiet se? non secundum simplicem sensum dicitur, sed secundum aliquam iudaeorum de Christo traditionem. multum enim ex hoc quod dixerat ego vado, apparet potestas voluntarie morientis, corpore derelicto. Aestimo autem quod ignominiose proferentes hoc, quod secundum traditiones suas de morte Christi ad ipsos devenerat, et non gloriam dantes, dixerunt numquid interficiet semetipsum? oportebat enim eos cum demonstratione gloriae sic dicere: numquid anima eius, cum ipsi placuerit, egredietur relicto corpore? dominus autem ad eos qui terrena sapiebant, tamquam ad terrenos loquitur; unde subditur et dicebat eis: vos de deorsum estis; idest, terram sapitis, sursum cor non habetis.

Chrysostomus in Ioannem. Quasi dicat: non est mirum vos talia cogitare homines carnales, et nihil intelligentes spirituale. Ego de supernis sum.

Augustinus. De quibus supernis? ab ipso patre, quo nihil superius. Vos de hoc mundo estis, ego non sum de hoc mundo: quomodo enim erat de mundo, per quem factus est mundus? **Beda.** Et qui ante mundum fuit; illi autem de mundo erant, quia postquam mundus esse coepit, fuerant creati.

Chrysostomus. vel propter mundanas et vanas cogitationes hoc dicit ego non sum de hoc mundo.

Theophylactus. nihil mundanum, sive terrenum affectans: unde nullatenus ad tantam insaniam devenirem ut meipsum occiderem. Sed apollinarius male suscipiens hunc sermonem, ait, quod corpus domini non fuit de hoc mundo, sed de sursum caelitus descendit. numquid igitur et apostoli, quibus a domino dictum est: vos non estis de hoc mundo, omnia corpora sunt caelitus obtinentes? sic igitur intelligendum est cum dicitur ego non sum de hoc mundo, hoc est, non sum de numero vestrum, qui mundana curatis.

Origenes. Alius autem sensus est eorum qui sunt de sursum, et eorum qui sunt de hoc mundo. Deorsum enim sicut de loco aliquo intelligitur; sed mundus materialis locis quidem diversis continetur, quae omnia quantum ad immaterialia et invisibilia deorsum sunt; quo ad mundum vero comparando mundi loca, erunt utique quaedam deorsum et quaedam sursum. Ubi autem est thesaurus uniuscuiusque, ibi est et cor eius. Si itaque aliquis thesaurizet in terra, deorsum efficitur; si vero aliquis thesaurizet in caelis, fit desuper; sed et transcendens omnes caelos, in fine beatissimo invenietur. Et iterum qui circa hunc mundum est amor, facit eum qui de hoc mundo est; qui autem non diligit mundum, nec ea quae sunt in hoc mundo, non est de mundo hoc. Tamen est et aliquis alius mundus praeter hunc sensibilem mundum, in quo sunt invisibilia, cuius visum et decorem videbunt hi qui mundo sunt corde. Sed et ipse primogenitus omnis creaturae potest dici mundus, prout est summa sapientia: omnia enim in sapientia sunt facta. in ipso itaque erat totus mundus, intantum differens a mundo materiali, inquantum differt ratio totius mundi ab omni materia denudata a materiali mundo. Anima ergo Christi dicit ego non sum de hoc mundo: quia non conversatur in isto mundo.

Augustinus in Ioannem. exposuit autem dominus quid intelligi voluerit, cum dixit vos de hoc mundo estis; quia scilicet peccatores erant. Omnes autem cum peccato nati sumus, omnes vivendo ad id quod nati eramus addidimus. tota ergo infelicitas iudaeorum ipsa erat, non peccatum habere, sed in peccatis mori; unde subdit dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Credo autem in illa multitudine quae dominum audiebat, et eos fuisse qui credituri erant; quasi in omnes autem processerat illa severissima sententia in peccato vestro moriemini; ac per hoc et illis qui credituri erant, spes erat ablata. Revocavit ergo eos ad spem, adiungens si enim non credideritis quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Ergo si credideritis quia ego sum, non moriemini in peccato vestro.

Chrysostomus. si enim propter hoc venit ut peccatum tollat, et aliter non contingit illud exuere nisi per lavacrum; nec continget eum qui non credit, baptizari, necesse est eum qui non credit, ex hac vita abire, veterem hominem, idest peccatum, habentem: non solum quia non credit, sed etiam quia priora peccata habens, hinc recedit.

Augustinus. cum autem dixit si non credideritis quia ego sum, quia nihil addidit, multum est quod commendavit: quia sic etiam et deus moysi dixerat: ego sum qui sum. Sed quomodo audio: ego sum qui sum, et nisi credideritis quia ego sum, quasi alia non sint? sed prorsus qualiscumque excellentia, si mutabilis est, vera non est: non enim est ibi verum esse ubi est et non esse. Discute rerum mutationem: invenies fuit et erit; cogita Deum, invenies est, ubi tempus praeteritum esse non possit. Ut ergo tu sis, transcede tempus. Haec itaque promittens, ne moriamur in peccatis nostris, nihil aliud mihi videtur his verbis dixisse nisi credideritis quia ego sum, quam: nisi credideritis quia deus sum. Deo gratias, quia dicit nisi credideritis; non dixit: nisi ceperitis: quis enim hoc capiat? **Origenes** in Ioannem. Manifestum est autem quod qui moritur in peccatis suis, quamvis dicat se Christo credere, tamen in veritate non credit: qui enim credit iustitiae, non iniustum facit; et credens in sapientiam, nil stultum dicit aut facit: et sic si scrutatus fueris ceteros intellectus Christi, invenies quomodo qui non credit Christo, moritur in peccatis suis. accedens autem ad contraria eorum quae considerantur in Christo, in peccatis suis moritur.

IOANNES 8,25-27

Augustinus in Ioannem. Quia dixerat supra dominus: nisi credideritis quia ego sum, moriemini in peccatis vestris, interrogant illi velut quaerentes nosse in quem deberent credere, ne in suo peccato morentur; unde dicitur dicebant ergo ei: tu quis es? non enim cum dixisti nisi credideritis quia ego sum, addidisti quis esses. Sciebat autem ibi quosdam esse credituros; et ideo cum dixissent tu quis es? ut scirent quid illum credere deberent, dixit eis iesus principium, qui et loquor vobis; non tamquam diceret: principium sum; sed tamquam diceret: principium me credite: quod in sermone graeco evidenter apparet, ubi principium feminini generis est. Principium ergo me credite, ne moriamini in peccatis vestris: principium enim mutari non potest, in se manet, et innovat omnia. Absurdum est autem ut filium dicamus principium, et patrem principium non dicamus; non tamen duo principia, sicut nec duos deos: spiritus autem sanctus patris et filii est spiritus, nec pater est, nec filius. Pater tamen et filius et spiritus sanctus sunt unus deus, unum lumen, unum principium. Addidit autem qui et loquor vobis: quia humilis propter vos factus ad ista verba descendi. Ergo credite me esse principium: quia ut hoc credatis non solum sum principium, sed et loquor vobis. Nam si principium sicuti est, ita maneret apud patrem, ut non acciperet formam servi, quomodo ei crederent, cum infirma corda intelligibile verbum sine voce sensibili audire non possent? **Beda.** Sane in quibusdam exemplaribus invenitur qui et loquor vobis; sed congruentius esse probatur, si quia legatur, ut iste sit sensus: principium me esse credite, quia propter vos ad haec verba descendi.

Chrysostomus in Ioannem. vel aliter. Consideranda est amentia iudaeorum, qui post tempus tantum et signa et doctrinam interrogant tu quis es? quid igitur Christus? a principio loquor vobis, quasi dicat: sermones meos indigni estis audire, non solum ut dicam vobis quis ego sum: vos enim omnia tentantes loquimini; et haec omnia possem arguere, et vos punire; unde sequitur multa habeo de vobis loqui et iudicare.

Augustinus in Ioannem. Supra dixit: ego non iudico quemquam; sed aliud est non iudico, et aliud habeo iudicare. Non iudico, dixit, ad praesens. quod autem dicit multa habeo de vobis loqui et iudicare, iudicium futurum dicit. ideo autem verus in iudicio ero, quia filius veracis veritas sum; unde sequitur sed qui misit me verax est. Verax est pater, non participando, sed generando veritatem. numquid enim dicturi sumus: plus veritas quam verax? si hoc dixerimus, filium incipimus dicere patre maiorem.

Chrysostomus. Dicit autem hoc, ut non aestiment quoniam tot audiens ex imbecillitate, non punit; aut quia eorum cogitationes et contumelias non novit.

Theophylactus. Vel quia dixerat multa habeo de vobis loqui et iudicare, iudicium futuro saeculo reservans subiungit sed qui me misit, verax est; quasi dicat: etsi vos infideles estis, pater meus verax est, qui diem stabilivit in quo vobis retributio fiet.

Chrysostomus. vel aliter. Si in hoc me misit pater, non ut iudicem mundum, sed ut salvem mundum, verax autem est pater; convenienter nullum ego nunc iudico; sed haec loquor quae sunt ad salutem, non quae ad iudicium; unde sequitur et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo.

Alcuinus. Audisse autem a patre idem est et esse a patre: quia ab illo habet audientiam a quo habet essentiam.

Augustinus. dat gloriam patri aequalis filius; tamquam dicat: do gloriam ei cuius sum filius; quomodo tu superbus es adversus eum cuius es servus? Alcuinus. cum autem audissent verax est qui misit me, non intellexerunt de quo diceret; unde subditur et non cognoverunt quia patrem eius dicebat Deum. Nondum enim oculos cordis apertos habebant, quibus patris et filii aequalitatem intelligerent.

IOANNES 8,28-30

12828 (Jn 8,28-30)

Augustinus in Ioannem. cum dixisset dominus: verax est qui misit me, non intellexerunt iudaei quod de patre illis diceret. Videbat autem ibi aliquos quos ipse noverat post passionem suam esse credituros; et ideo sequitur dixit ergo eis iesus: cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum. Recolite illud: ego sum qui sum, et cognoscetis quid sit dictum ego sum. Differo cognitionem vestram, ut impleam passionem meam. Ordine vestro cognoscetis qui sum, cum scilicet exaltaveritis filium hominis. Exaltationem autem crucis dicit, quia et ibi exaltatus est quando pependit in ligno. Hoc oportebat impleri per manus eorum qui postea fuerant credituri, quibus dicit hoc. Quare nisi ut nemo in quocumque scelere et male sibi conscius desperaret, quando videat eis donari homicidium qui occiderant Christum? **Chrysostomus** in

Ioannem. Vel aliter continua: quia multa signa faciens et docens eos non converterat, de cruce de reliquo loquitur, dicens cum exaltaveritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum; quasi dicat: vos aestimatis quod tunc maxime a me separati eritis quando me occideritis; ego autem dico quoniam tunc maxime scietis et gratia signorum et resurrectionis et captivitatis vestrae, quoniam ego sum Christus filius Dei, et quod non contrarius illi; propter quod subdit et a meipso nihil facio; sed sicut docuit me pater, sic loquor: per hoc enim indifferentiam substantiae manifestat, et quod nihil extra paternales intelligentias loquitur; si enim Deo contrarius essem, non tantam iram movissem contra eos qui me non audierunt.

Augustinus. Vel aliter. Quia dixerat tunc cognoscetis quia ego sum, et ad ipsum esse pertinet tota trinitas; ne forte subintraret error sabellianorum, continuo subiunxit et a meipso facio nihil; quasi dicat: a meipso non sum: filius enim de patre est deus. Quod ergo addidit sicut docuit me pater, haec loquor, nemini vestrum obrepat cogitatio carnalis. Nolite vobis quasi duos homines ante oculos ponere, et loquentem patrem ad filium, sicut facis tu quando aliqua verba dicis filio tuo. Quae enim verba fierent unico verbo? si autem loquitur in cordibus vestris sine sono, quomodo loquitur filio suo? incorporaliter pater locutus est filio, quia incorporaliter pater genuit filium; nec eum sic docuit quasi indoctum genuerit; sed hoc est eum docuisse, quod est scientem genuisse. Si enim simplex est natura veritatis, hoc est filio esse quod nosse. Quemadmodum ergo pater illi gignendo dedit ut esset, sic gignendo dedit ut nosset.

Chrysostomus. Rursus ad humiliter sermonem reduxit. Sequitur et qui me misit. Ne autem aestiment hoc quod dicit misit me, minorationis esse, dicit mecum est; nam hoc quidem dispensationis, hoc autem deitatis est.

Augustinus. et cum ambo simul sint, unus tamen est missus, alter misit: quoniam missio incarnatio est, et ipsa incarnatio filii tantum est, non et patris. Ergo inquit qui me misit; idest cuius auctoritate tamquam paterna incarnatus sum. Misit itaque pater filium, sed non recessit a filio; unde sequitur et non reliquit me solum: non enim quo misit filium, non ibi erat pater, qui dixit: caelum et terram ego impleo. Sed quare eum non dereliquit, subdit quia quae placita sunt ei facio semper; non ex quodam initio, sed sine initio, sine fine: Dei enim generatio non habet initium temporis.

Chrysostomus. Vel aliter. Quia continuo dicebant, quoniam non ex Deo est, et quia sabbatum non custodit; contra est, quod ait quoniam quae placita sunt ei facio semper: ostendens quoniam et solvere sabbatum, placitum est ei. Multipliciter enim studet ut ostendat quod nihil facit patri contrarium. Et quia hoc humanius locutus est, subditur haec illo loquente multi crediderunt in eum: ac si diceret evangelista: ne turberis si quid humile a Christo audieris; qui enim post tantam doctrinam nondum suasi erant, humiliora audiunt, et suadentur. Igitur crediderunt quidem, sed non ut oportebat; sed simpliciter quasi laetantes et requiescentes in verborum humilitate: et hoc ostendit evangelista in subsequentibus sermonibus, in quibus narratur quod rursus ei iniuriabantur.

IOANNES 8,31-36

12831 (Jn 8,31-36)

Augustinus in Ioannem. Voluit dominus in profundum fundare fidem eorum qui crediderant, ut non superficie tenus crederent; et ideo dicitur dicebat ergo iesus ad eos qui crediderunt ei iudeos: si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis. Per hoc quod dicit si manseritis, ostendit ea quae in eorum corde erant: sciebat enim quoniam crediderunt quidam, sed non manserunt: et magnum quid eis promittit, scilicet vere discipulos eius fieri: in quo occulte tangit quosdam qui prius ab ipso recesserant: et illi eum audierunt et crediderunt, et recesserunt, quia non permanserunt.

Augustinus de verb. Dom.. omnes autem nos unum magistrum habemus, et sub illo condiscipuli sumus. nec ideo magistri sumus, quia de loco superiore loquimur: sed magister est omnium qui habitat in omnibus nobis. Ad discipulum autem parum est accedere; sed oportet manere nos in illo: et si in illo non manserimus, cademus. Breve opus, breve verbo, magnum opere, si manseritis. quid enim est in verbis Dei manere, nisi nullis tentationibus cedere? si labor non est, gratis accipis praemium; si labor est, attende magnum praemium. et cognoscetis veritatem.

Augustinus in Ioannem. Quasi dicat: quia nunc credentes estis, manendo, videntes eritis. Non enim quia cognoverunt crediderunt; sed ut cognoscerent crediderunt. quid enim est fides, nisi credere quod non vides; veritas quod credidisti, videre? si ergo permaneat in eo quod creditur, pervenitur ad id quod videtur, ut scilicet contemplemur ipsam veritatem sicuti est, non per verba sonantia, sed per lucem splendentem.

Veritas incommutabilis est, panis est mentis; reficit, nec deficit; mutat vescentem, non ipsa in vescentem mutatur. ipsa autem veritas verbum Dei est: haec veritas carne induta est propter nos: latebat in carne, non ut negaretur, sed ut differretur; ut in carne pateretur, ut caro peccati redimeretur.

Chrysostomus in Ioannem. Vel cognoscetis veritatem, hoc est me: ego enim sum veritas. iudaica quidem omnia typus erant, veritatem autem a me scitis.

Augustinus de verb. Dom.. Forte aliquis dicet: et quid mihi prodest cognoscere veritatem? et ideo subiungit et veritas liberabit vos; quasi dicat: si non delectat veritas, delectet libertas. Liberari enim proprie dicitur liberum fieri, quomodo sanari sanum fieri. Hoc in verbo graeco planius est: nam in consuetudine latina maxime in eo consuevimus audire hoc verbum, ut quicumque liberatur intelligatur pericula evadere, molestiis carere.

Theophylactus. sicut autem supra infidelibus ait: in peccatis vestris moriemini, sic manentibus in fide, absolutionem annuntiat peccatorum.

Augustinus de trin.. Unde etiam veritas liberabit, nisi a morte, a corruptione, a mutabilitate? veritas quippe immortalis, incorrupta, incommutabilis permanet. vera autem incommutabilitas est ipsa aeternitas.

Chrysostomus. eorum autem qui crediderant, erat etiam increpationes sufferre; sed hi statim saeviunt. si autem oportebat eos turbari in priori, convenientius erat ut turbarentur in hoc, scilicet quod dixit cognoscetis veritatem, ut dicerent: nunc ergo veritatem nescimus; lex igitur mendacium est, et cognitio nostra? sed nullius horum eis cura erat; sed de mundanis rebus dolent: non enim aliam servitutem noverant nisi mundanam; unde sequitur responderunt ei iudaei: semen abrahamae sumus, et nemini servivimus unquam; quomodo tu dicis: liberi eritis? quasi dicant: eos qui de genere sunt abrahamae, qui sunt ingenui, non oportebat servos vocare: nunquam enim servivimus.

Augustinus in Ioannem. vel hoc responderunt, non illi qui iam crediderant, sed qui in turba erant nondum credentes. Hoc autem ipsum nemini servivimus unquam, secundum huius temporis libertatem, quomodo verum dixisti? ioseph non est venundatus? prophetae sancti in captivitatem non sunt ducti? o ingrati, quid est quod vobis assidue imputat deus, quod vos de domo servitutis liberavit, si nemini servistis? vos autem qui loquimini, quomodo solvebatis tributa romanis, si nemini unquam servistis? **Chrysostomus**. Quia vero non ad vanam gloriam erant quae dicebantur a Christo, sed ad salutem, non voluit ostendere eos servos esse hominum, sed peccati: quae difficillima servitus est, a qua solus deus eripere potest; unde sequitur respondit eis iesus: amen, amen, dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.

Augustinus. multum commendat quod sic pronuntiat: quodammodo, si dici fas est, iuratio eius est: amen quippe interpretatur verum, et tamen non est interpretatum, nec graecus hoc interpretatus ausus est facere, vel latinus. Nam hoc verbum amen hebraeum est: non est autem interpretatum, ut honorem haberet velamento secreti: non ut esset ligatum, sed ne vilesceret nudatum. iam quantum hoc commendatum sit, ex ipsa geminatione cognoscite. Verum dico vobis. Veritas dicit; quae utique etsi non diceret: verum dico, mentiri omnino non posset; tamen inculcat, dormientes quodammodo excitat: contemni non vult quod dicit. Omnis, inquit, iudaeus, graecus, dives, pauper, imperator et mendicus, si facit peccatum, servus est peccati.

Gregorius moralium. Quia quisquis se pravo desiderio subicit, iniquitatis domino dudum libera mentis colla supponit. Sed huic domino contradicimus, cum iniquitati, quae nos ceperat, reluctamur: cum consuetudini violenter resistimus; cum culpam poenitendo percutimus et maculas sordium lacrymis lavamus.

Gregorius moralium. quanto autem aliqui liberius peragunt perversa quae volunt, tanto eius servitio obnoxius obligantur.

Augustinus. o miserabilis servitus. servus hominis aliquando sui domini duris imperiis fatigatus, fugiendo requiescit: servus peccati quo fugit? secum trahit quocumque fugerit: peccatum enim quod facit intus est; voluptas transit, peccatum non transit: praeteriit quod delectabat, remansit quod pungat. Solus de peccato liberare potest qui venit sine peccato, et factus est sacrificium pro peccato; nam sequitur servus autem non manet in domo in aeternum. Ecclesia est domus, servus peccator est: multi intrant in ecclesiam peccatores. non ergo dixit servus non est in domo, sed non manet in domo in aeternum. si ergo nullus ibi servus erit, quis ibi erit? quis gloriabitur mundum se esse a peccato? multum nos terruit; sed adiungit filius autem manet in aeternum. ergo solus in domo sua erit Christus. an forte in hoc quod dicit filius, caput et corpus est? non enim sine causa terruit et spem dedit; terruit, ne peccatum amaremus; spem dedit, ne de peccati absolutione diffideremus. Haec est ergo spes nostra ut a libero liberemur: ipse enim pretium dedit, non argentum, sed sanguinem suum; et propter hoc subditur si ergo filius vos liberaverit, vere liberi eritis.

Augustinus de verb. Dom.. non a barbaris, sed a diabolo; non a corporis captivitate, sed ab animae iniquitate.

Augustinus in Ioannem. prima libertas est carere criminibus; sed ista inchoata est, non perfecta libertas: quia caro concupiscit adversus spiritum, ut non ea quae vultis faciatis. Libertas autem plena atque perfecta est quando nullae erunt inimicitiae, quando novissima inimica mors destruetur.

Chrysostomus in Ioannem. Vel aliter. quia dixerat qui facit peccatum, servus est peccati, ne praecurrant et dicant: immolationes habemus, illae nos eripere possunt; propterea induxit servus non manet in domo in aeternum. Filius manet in aeternum. Domus mentionem facit, patris principatum domum nominans, ostendens ex translatione humanorum, quoniam sicut dominus in domo, ita ipse omnium potestatem habet: hoc enim quod dicit non manet, significat: non habet potestatem donandi; sed filius, qui est dominus domus, habet. Et ideo sacerdotes veteris legis non habebant potestatem per sacramenta legalia peccata dimittere: omnes enim peccaverunt, etiam sacerdotes, qui pro seipsis, ut dicit apostolus, necesse habebant sacrificia offerre; sed filius hanc habet potestatem; unde concludit si ergo filius vos liberaverit, vere liberi eritis: ostendens quod mundana libertas, de qua gloriabantur, non est vera libertas.

Augustinus. noli ergo libertate abuti ad libere peccandum; sed utere ad non peccandum: erit enim voluntas tua libera, si fuerit pia; eris liber, si fueris servus iustitiae.

IOANNES 8,37-41

12837 (*Jn 8,37-41*)

Augustinus in Ioannem. Iudaei se liberos dixerant, quia semen erant abraham. Quid ergo dominus ad hoc responderit subditur scio quia filii abraham estis; quasi dicat: agnosco vos quia filii estis abraham carnis origine, non cordis fide; et ideo subdit sed quaeritis me interficere.

Chrysostomus in Ioannem. hoc enim addidit ut non dicant: peccatum non habemus. Dimittens enim omnem eorum vitam redarguere, hoc quod prae manibus erat, quod adhuc agere volebant, ducit in medium. Paulatim enim eos a cognatione illa removet, erudiens in hoc non magna sapere. Sicut enim libertas et servitus est ab operibus, ita et cognatio. sed ne dicerent: hoc iuste agimus, subiungit causam, dicens quia sermo meus non capit in vobis.

Augustinus. idest, non capit cor vestrum, quia non recipitur a corde vestro. Sic est enim sermo Dei fidelibus tamquam pisci hamus: tunc capit quando capitur; nec fit iniuria illis qui capiuntur: ad salutem quippe, non ad perniciem capiuntur.

Chrysostomus. et non dixit: non capit meum sermonem; sed non capit meus sermo in vobis, altitudinem suorum dogmatum ostendens. sed possent dicere: quid si a teipso loqueris? propter hoc inducit subdens ego quod vidi apud patrem meum, loquor: non enim solum eadem substantiam, sed eadem veritatem habeo patris.

Augustinus. Dominus autem patrem suum Deum vult intelligi; quasi dicat: veritatem vidi, veritatem loquor, quia veritas sum. Si ergo dominus veritatem loquitur quam vidit apud patrem, se vidit, se loquitur, quia ipse est veritas patris.

Origenes in Ioannem. manifestat autem haec auctoritas salvatorem fuisse visorem eorum quae sunt apud patrem; cum tamen homines, quibus revelatio fit, visores non sint.

Theophylactus. cum vero audis quod vidi loquor, nequaquam corporalem visionem intelligas, sed naturalem notitiam veram et approbatam. sicut enim oculi videntes, integre aliquid et vere prospiciunt, nec falluntur; sic ego veraciter ea loquor quae cognovi a patre meo. sequitur et vos quod vidistis apud patrem vestrum facitis.

Origenes. adhuc non nominat patrem ipsorum. Paulo superius abraham commemoravit; sed dicturus est alterum patrem eorum, scilicet diabolum, cuius filii erant, in quantum mali erant, non in quantum homines erant. Malum ergo quod faciunt, dominus eis obiurgat et corripit.

Chrysostomus. alia littera habet: et vos quae vidistis apud patrem vestrum, facite; quasi dicat: sicut ego

verbis et veritate ostendo patrem, ita et vos a rebus ostendite abraham.

Origenes. Item alia littera habet: et vos quae audistis a patre, facite. Audierant enim a patre ea quae in lege et prophetis scripta sunt. Qui autem hoc verbo contra eos qui alterius opinionis sunt, fuerit usus, ostendit quod non alius deus est qui legem dedit et prophetas, et Christi pater. Quaeramus etiam ab inferentibus duas naturas, dicentes: a patre quidem audivisse alienos, inconueniens est. Si autem proprii salvatoris erant, et beatae naturae, qualiter quaerebant illum occidere, et salvatoris sermonem non capiebant? illi autem longe molestius acceperunt quam protulerit dominus, quis eorum esset pater: nam eum qui multarum gentium pater est, fatentur sui fore patrem; unde sequitur responderunt et dixerunt: pater noster abraham est.

Augustinus. quasi dicant: quid tu dicturus es contra abraham? videbantur enim eum provocare ut aliquid mali diceret de abraham, et esset eis occasio faciendi quod cogitabant.

Origenes. sed et hoc ipsum salvator interimit tamquam falso dictum; unde subditur dicit eis iesus: si filii abraham estis, opera abraham facite.

Augustinus. et tamen superius ait: scio quia filii abraham estis; unde non negavit eorum originem, sed facta condemnat. Caro eorum ex illo erat, sed vita non erat.

Origenes. vel dicendum, quod supra in graeco habetur: scio quod semen abraham estis. Ut ergo haec pateant, videamus primo corporalis seminis et filii differentiam. Manifestum enim est quod semen in seipso habet rationes eius cuius est semen, adhuc manentes et pausantes; filius vero, transmutato semine, et agente in appositam sibi materiam a muliere, per superinducta nutrimenta similitudinem accipit generantis: et quantum ad corporalia si aliquis est filius alicuius, subsistit ex semine; si vero aliquod est semen, non omnino filius efficitur. quoniam autem ex operibus iudicantur aliqui semen abraham, videndum est ne forte ex aliquibus seminalibus rationibus, infusus quibusdam animabus, oporteat imaginari eos qui semen sunt abraham. non omnes igitur homines semen sunt abraham: neque enim omnes habent huiusmodi rationes consitas in eorum animabus. oportet igitur eum qui abraham semen est, eius fieri per similitudinem et filium. Possibile vero est ex negligentia et otio destruere hoc quod est eius semen. Hi autem ad quos sermo erat, adhuc in spe erant: unde sciebat iesus quod adhuc semen erant abraham, et nondum peremerant possibilitatem fiendi filii abraham: propter quod eis dicit si filii abraham estis, opera abraham facite. Si autem super hoc quod erant semen abraham, ad augmentum magnitudinis adolevissent, verbum iesu caperent. Sed quia non accesserant ad hoc quod essent filii, verbum non capiunt, sed interficere volunt verbum, et quasi confringere, non capientes magnitudinem eius. Si igitur aliquis vestrum semen est abraham, et adhuc verbum Dei non capit, non quaerat interficere verbum; sed transmutet se ad hoc quod sit filius abraham, et tunc poterit capere filium Dei. Quidam autem unum ex operibus eligunt abraham, illud scilicet: credidit abraham Deo, et reputatum est illi ad iustitiam. Ut autem concedatur eis quod fides sit opus, cur non dictum est singulariter: opus abraham facite, sed pluraliter? puto enim quod hoc dictum aequipollet ei quod est: cuncta opera abraham facite; ut tamen ex historia abraham allegorice sumpta opera eius spiritualiter prosequamur. neque enim oportet eum qui vult esse filius abraham, adire ancillarum coniugia, nec post obitum coniugis in senectute aliam ducere coniugem. sequitur nunc autem quaeritis me interficere, hominem qui veritatem locutus sum vobis.

Chrysostomus. Hanc scilicet veritatem, quod est patri aequalis; propter hoc enim iudaei quaerebant eum interficere. Et ut ostendat quod hoc non est contrarium patri, subdit quam audivi a Deo.

Alcuinus. Quia ipse qui est veritas, a Deo patre genitus erat: audire enim nihil aliud est quam esse a patre.

Origenes. occidere me, inquit, hominem. interim non dico filium Dei; non dico verbum, quia non moritur verbum; hoc dico, quod videtis, quia quod videtis potestis occidere, et quem non videtis, offendere. sequitur hoc abraham non fecit.

Alcuinus. quasi dicat: in hoc probatis vos non esse filios abraham, quia facitis opera contraria operibus abraham.

Origenes. sed diceret ad hoc quidam, quoniam superflue dictum est hoc, quod non fecerit abraham quod suis temporibus non contingebat fieri: non enim in suis diebus natus erat Christus. Sed dicendum, quod in temporibus abraham natus fuerat homo, qui quam audierat a domino veritatem, dicebat; non tamen quaesitus est ab abraham, ut eum occideret. Et scias quod spiritualis adventus iesu nullo tempore defuit sanctis. Ex hoc igitur comprehendo, omnem hominem, qui post regenerationem et ceteras apud se factas divinitus gratias, peccat, denuo crucifigere Dei filium propriis reatibus, in quos rediit; sed hoc abraham non fecit. sequitur vos facitis opera patris vestri.

Augustinus. Adhuc non dicit quis est iste pater eorum.

Chrysostomus. dicit autem hoc dominus, volens eis auferre superfluum gloriam de cognatione, et suadere eis ut non ultra spem salutis habeant in cognatione naturali, sed in ea quae est secundum adoptionem: hoc enim eos prohibebat venire ad Christum, quia aestimabant cognationem abraham sibi sufficere ad salutem.

IOANNES 8,41-43

12841 (*Jn 8,41-43*)

Augustinus in Ioannem. Coeperant iudaei utrumque cognoscere: quia non de carnis generatione loqueretur dominus, sed de vitae institutione. Consuetudo autem scripturarum est fornicationem spiritualiter appellare, cum diis multis et falsis anima tamquam prostituta subicitur; unde dicitur dixerunt itaque ei: nos ex fornicatione non sumus nati, unum patrem habemus Deum.

Theophylactus. quasi responderent, quod Dei quaererent ultionem; et ideo adversus eum consiliarentur.

Origenes in Ioannem. vel aliter. Quia redarguti sunt non esse filii abraham, atrocius respondent, latenter designantes, ex adulterio productum fore salvatorem. Sed magis mihi videtur quod conrixando responderunt. Cum enim prius dixissent: pater noster abraham est, et audissent: si filii abraham estis, opera abraham facite, fatentur se habere maiorem patrem quam abraham, scilicet Deum, et non ex fornicatione sumpsisse exordium. Non enim ex sponsa, sed ex meretrice, seu materia, daemon, qui nihil facit ex se, producit eos qui carnalibus usi inhaerent materiae.

Chrysostomus in Ioannem. Sed quid dicitis vos? patrem habetis Deum, et Christum incusatis haec dicentem? et nimirum ex fornicatione multi eorum nati erant; etenim illicitas commixiones faciebant; non tamen hoc redarguit; sed instat, ut ostendat quod non sunt ex Deo; unde sequitur dixit ergo eis iesus: si deus pater vester esset, diligeretis utique me: ego enim ex Deo processi et veni.

Hilarius de trin.. religiosi nominis assumptionem Dei filius in his qui se Dei filios confitentes, patrem sibi Deum dicerent, non improbavit; sed temerariam iudaeorum usurpationem patrem sibi Deum praesumentium, per id quod se non diligerent, obiurgat. non utique dici potest idipsum esse ex Deo exire, quod venisse. Sed cum ab his qui sibi Deum patrem dicerent, idcirco se diligendum ait, quia ex Deo exiisset; causam dilectionis ex causa docuit esse nascendi. Exiisse enim ad incorporalis nativitatis retulit nomen: quia religio profitendi sibi patrem Deum, ex dilectione Christi, qui ex eo genitus est, merenda sit. Nec enim in Deum patrem fit religiosus qui non diligit filium, cum diligendi filii non alia causa sit quam quod ex Deo sit. Ex Deo igitur filius est, non adventu, sed nativitate. Dilectio autem in patrem hinc erit omnis, si filius ex eo esse credatur.

Augustinus. Sic ergo, quod de Deo processit verbum, aeterna processio est: ab illo enim processit ut verbum patris, et venit ad nos, quia verbum caro factum est. Adventus eius, humanitas eius; mansio eius, divinitas eius. Dicitis Deum patrem, cognoscite me vel fratrem. **Hilarius.** Non esse autem a se sibi originem docuit, cum subdit neque enim a meipso veni, sed ille me misit.

Origenes. Haec arbitror dici propter quosdam per se venientes, et non missos a patre, de quibus in ieremia dicitur: non mittebam eos, et ipsi currebant. Quoniam autem qui duas naturas ingerunt, utuntur hoc verbo, obiciendum est contra illos. Paulus enim odiebat iesum cum persequeretur ecclesiam Dei; unde dominus ad eum: quare me persequeris? si ergo verum est quod hic dicitur si deus pater vester esset, diligeretis me, palam est quoniam et recte convertitur: si non diligeretis, nequaquam deus pater vester esset. Paulus autem aliquo tempore non diligebat iesum: fuit ergo tempus quo deus pater pauli non extitit. Non igitur natura paulus Dei filius fuit, sed postmodum Dei filius factus est. Quando vero deus alicuius fit pater, nisi quando mandata eius custodit? **Chrysostomus.** Quia vero semper quaerebant dicentes: quid est hoc quod dicit: quo ego vado, vos non potestis venire? propterea subdit quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum.

Augustinus in Ioannem. Ideo autem audire non poterant, quia corrigi credendo nolebant.

Chrysostomus. Primo igitur captanda est virtus quae verbum divinum exaudiat, ut deinceps validi sistamus ad percipiendam totam locutionem iesu: quoniam quamdiu quis curatus non est in auditu proprio, a verbo quod dicit surdo: aperiatis, auditu percipere nequit.

IOANNES 8,44-47

12844 (Jn 8,44-47)

Chrysostomus in Ioannem. exclusit iudaeos dominus a cognatione abraham; et quia maiora ausi sunt, ut scilicet patrem suum Deum dicerent, de reliquo percutit eos, dicens vos ex patre diabolo estis.

Augustinus in Ioannem. hic iam cavenda est haeresis manichaeorum, quae dicit esse quamdam naturam mali, et gentem quamdam tenebrarum cum principibus suis, unde diabolus originem ducit; et hinc dicunt ducere originem carnem nostram; et secundum hoc putant dictum a domino vos ex patre diabolo estis: quod essent illi velut natura mali, ducentes originem de gente contraria tenebrarum.

Origenes in Ioannem. In hoc autem simile videntur incurrisse ei qui diceret alteram esse oculi videntis substantiam et alteram caligantis vel se avertentis: quemadmodum enim in his non differt substantia, sed quaedam contingit causa quae facit caligare; sic substantia eadem est, sive recipiat rationem, sive non.

Augustinus. iudaei ergo filii erant diaboli imitando, non nascendo; unde sequitur et desideria patris vestri vultis facere. Ecce unde filii estis, quia talia desideratis, non quia de illo nati estis: quaeritis enim me occidere, hominem qui veritatem vobis dico: et ille invidit homini et occidit; unde sequitur ille homicida erat ab initio: utique in primo homine, in quo potuit fieri homicidium: non enim posset occidi homo, nisi prius fieret homo. Non ferro accinctus diabolus ad hominem venit; verbum malum seminavit et occidit. Noli ergo putare non esse homicidium quando fratri tuo mala persuades. Vos autem ideo saevitis in carnem, quia non potestis in mentem.

Origenes in Ioannem. perpende autem, quod non propter aliquem singulariter tantum, sed pro toto genere quod peremit, in quantum in adam cuncti moriuntur, et vere, dictus est ab initio homicida.

Chrysostomus. et non dixit: opera, sed desideria eius facitis, ostendens quoniam vehementer et ille et ipsi ab occisionibus possidentur: et quia continue eum accusabant quod non est a Deo, insinuat occulte quod hoc etiam eis ex diabolo est; unde sequitur et in veritate non stetit.

Augustinus de civ. Dei. Forte autem aliquis dicet, quod ab initio suae conditionis in veritate non steterit; et ideo numquam beatus cum sanctis angelis fuerit, suo recusans esse subditus creatori, ac per hoc falsus et fallax, quia pia subiectione noluit tenere quod naturae est, affectans per superbam elationem simulare quod non est. Huic sententiae quisquis acquiescit, non cum manichaeis sapit, ut suam quamdam propriam, tamquam ex adverso quodam principio, diabolus habeat naturam mali; qui tanta vanitate desipiunt, ut non attendant non dixisse dominum: a veritate alienus fuit; sed in veritate non stetit; ubi a veritate lapsum intelligi voluit. Illud etiam quod ait Ioannes: ab initio diabolus peccat, hoc intelligunt, si naturale est, nullo modo esse peccatum. Sed quid respondetur propheticis testimoniis? sive quod ait Isaias sub figurata persona principis babiloniae diabolus notans: quomodo cecidit lucifer, qui mane oriebatur? sive quod ezechiel: in deliciis paradisi Dei fuisti: quae si aliter convenientius intelligi nequeunt, oportet ut quod dictum est, in veritate non stetit, sic accipiamus, quod in veritate fuerit, sed non permanserit; et illud quod ab initio diabolus peccat, non ab initio ex quo creatus est, peccare putandus est, sed ab initio peccati: coepit enim in ipso peccatum, et ipse initium peccati fuit.

Origenes. est autem uniforme quidem in veritate morari: varium autem ac multiforme, non morari in ea: quibusdam, ut ita dicam, tremantibus gressibus et nitentibus sistere in eo, non tamen obtinere valentibus; quibusdam vero non passis illud, sed in periculo consistentibus, secundum illud: mihi autem paulisper commoti sunt pedes, et ceteris ab ea cadentibus. Causa igitur cur diabolus veritatem non colat, subditur quia veritas non est in eo: scilicet quod vana suspicatur et seductus est ipse a seipso: in hoc deterior, quod illi quidem ab eo falluntur, is autem sibi ipsi deceptionis auctor existit. sed oportet investigare quomodo dicitur, quod veritas in ipso non est: utrum quia nullam unquam veram habet doctrinam, sed cuncta quae opinatur, falsa sunt; vel quia Christi particeps non est, qui dixit: ego sum veritas. Impossibile autem est aliquam rationalem substantiam de cunctis opinari falso, et de nullo vel exiliter rectitudinem conspiceret. Diabolus igitur saltem id vere capit dogma, considerando de se quod rationalis est. Non igitur eius natura consistit ex contrario veritatis, id est ex errore et ignavia: nunquam enim veritatem cognoscere posset.

Augustinus de civ. Dei. Vel cum dicit quia veritas in eo non est, subiecit indicium, quasi quaesivissemus unde ostendatur quod in veritate non steterit, atque quia veritas non est in eo. Esset autem in eo, si in ipsa stetisset. sequitur cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est et pater eius.

Augustinus in Ioannem. in his verbis quidam diabolum putaverunt patrem habere, et quaesierunt quis esset diaboli pater. Hic est error manichaeorum. diabolum autem dominus dixit patrem mendacii: non enim omnis qui mentitur, pater mendacii sui est: si enim ab alio mendacium accepisti et dixisti, tu quidem mentitus es, sed pater mendacii non es. Ille vero, quia non aliunde accepit mendacium, quo mendacio tamquam veneno serpens hominem occideret, pater est mendacii, sicut deus pater est veritatis.

Theophylactus. Is enim et Deum apud homines criminatus est, ad evam dicens: quoniam invidens vobis, lignum inhibuit: et apud Deum quondam criminatus est homines, ut cum dixit: an gratis colit iob dominum? **Origenes**. attende tamen, quod hoc nomen mendax dicitur tam de diabolo, qui mendacium genuit, sicut hic dicitur quia mendax est, quam de homine, secundum illud: omnis homo mendax. nam si quis mendax non est, huiusmodi non est homo tantum; ita quod ei et similibus dici potest: ego dixi: dii estis. unde, cum aliquis loquitur mendacium, de propriis loquitur. Spiritus autem sanctus loquitur a verbo veritatis et sapientiae, secundum illud: de meo accipiet, et annuntiabit vobis.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam.. vel aliter. Diabolus non speciale nomen est, sed commune. In quocumque enim opera diaboli fuerint inventa, diabolus est appellandus: operis enim nomen est, non naturae. Itaque hoc in loco patrem iudaeorum cain significat, cuius imitatores volentes esse iudaei, salvatorem peremerunt; ab ipso enim forma data est fratricidii, quem dixit mendacium de propriis loqui, ut ostenderet unumquemque non nisi propria voluntate peccare. Sed quia cain imitator diaboli est, patrem eius diabolum dixit, cuius opera secutus est.

Alcuinus. Sed quia dominus veritas est et filius veracis Dei, veritatem dicit; sed iudaei, qui filii erant diaboli, aversi erant a veritate; et hoc est quod sequitur ego autem quia veritatem dico vobis, non creditis mihi.

Origenes in Ioannem. sed quomodo hoc dicitur iudaeis, qui in eum crediderant? sed considera, quod potest aliquis secundum aliquam intentionem credere, secundum aliam vero non credere: sicut qui credunt in unum qui sub pontio pilato crucifixus est, non autem credunt in natum de maria virgine, in eundem credunt et non credunt. Sic igitur hi ad quos loquebatur credebant in eum, secundum quod videbatur signorum factor, non credebant autem his quae profunde ab eo dicebantur.

Chrysostomus in Ioannem. Quia igitur inimici estis veritatis, in nullo me incusantes vultis me interficere; et ideo subditur quis ex vobis arguet me de peccato? Theophylactus. Quasi dicat: si Dei filii estis, utique peccantes debetis habere odio. si ergo me quoque, quem exosum habetis, non potestis arguere de peccato; manifestum est quod propter veritatem me odio habetis; quoniam scilicet dicebat se filium Dei.

Origenes in Ioannem. habet autem hoc verbum Christi magnam fiduciam; cum nullus hominum fiducialiter hoc dicere potuerit nisi solus dominus noster, qui peccatum non fecit.

Gregorius in evang.. Pensate autem mansuetudinem Dei. Non dedignatur ex ratione ostendere se peccatorem non esse, qui ex virtute divinitatis poterat peccatores iustificare; unde subdit qui est ex Deo, verba Dei audit: propterea vos non audistis, quia ex Deo non estis.

Augustinus in Ioannem. Noli attendere naturam, sed vitium. Sunt isti ex Deo, et non sunt ex Deo: natura ex Deo, vitium non ex Deo. Eis autem hoc dictum est qui non solum peccato vitiosi erant, nam hoc commune erat omnibus, sed etiam praecogniti quod non erant credituri ea fide qua possent a peccatorum obligatione liberari.

Gregorius. interroget se ergo unusquisque, si verba Dei aure cordis percipit, et intelliget unde sit. Nam sunt nonnulli qui praecepta Dei nec aure corporis percipere dignantur; et sunt nonnulli qui haec quidem corporis aure percipiunt, sed nullo ea mentis desiderio complectuntur; et sunt nonnulli qui libenter verba Dei suscipiunt, ita ut etiam in fletibus compungantur; sed post lacrymarum tempus ad iniquitatem redeunt; hi profecto verba Dei non audiunt, quia haec exercere in opere contemnunt.

IOANNES 8,48-51

12848 (Jn 8,48-51)

Chrysostomus in Ioannem. cum aliquid altum dominus diceret, hoc apud iudaeos, qui valde insensibiles erant, insania videbatur, ut ex eorum responsione colligitur; dicitur enim responderunt ergo iudaei, et dixerunt ei: nonne bene dicimus nos, quia samaritanus es tu, et daemonium habes? **Origenes** in Ioannem.

sed dignum est quaerere quomodo, cum samaritani saecula futura denegent, nec animae durabilitatem acceptent, ausi sunt samaritanum dicere salvatorem, qui de resurrectione et iudicio tot et tanta edocuit. Sed forsitan velut impropertantes illi hoc dicunt, dum quae sentiunt ipsi non docet.

Alcuinus. Samaritani enim gens odiosa israelitico populo, decem tribubus in captivitatem ductis, terram eorum possidebant.

Origenes. convenit quoque quod aliqui de eo arbitrentur quod secundum samaritanos sentiret, ut nihil post obitum reservetur hominibus, sed ficto ad placendum iudaeis, de resurrectione et aeterna vita tractaret. daemonium vero illum habere dicebant propter eius sermones transcendentis capacitatem humanam, quibus Deum patrem suum asserebat, et se de caelo descendisse, et cetera huiusmodi; vel propter suspicionem eorum, quia plures in beelzebub principe daemoniorum opinabantur ipsum eicere daemones.

Theophylactus. vel samaritanum illum dicebant, tamquam ritus hebraicos dissolventem, utpote sabbati; samaritani enim non perfecte iudaizabant. Ex hoc vero quod eorum cogitationes revelabat, daemonium ipsum habere suspicabantur. Quando vero eum samaritanum dixerunt, nusquam evangelista dicit: ex quo palam est quod multa praetermiserunt evangelistae.

Gregorius in evang.. Ecce iniuriam suspiciens deus, non contumeliosa verba respondet; sequitur enim respondit iesus, et dixit: ego daemonium non habeo. Ex qua re quid nobis innuitur, nisi ut eo tempore cum a proximis ex falsitate contumelias accipimus, eorum etiam vera taceamus mala, ne ministerium iustae correptionis in arma vertatur furoris? **Chrysostomus.** et attendendum, quod ubi eos docere oportebat et eorum superbiam subtrahere, asper erat: ubi vero exprobratum eum oportebat sufferre, multa mansuetudine utebatur; erudiens nos, quae quidem ad Deum vindicare, quae vero ad nos despicere.

Augustinus in Ioannem. et ut homo prius eius imitetur patientiam, ut perveniat ad potentiam. sed quamvis maledictus maledicta non redderet, pertinuit tamen ad eum negare. Duo autem sibi fuerant obiecta: samaritanus es, et daemonium habes. non dixit: non sum samaritanus; samaritanus enim interpretatur custos; noverat autem ille se nostrum esse custodem; non enim pertinuit ad eum ut redimeremur, et non pertinet ut servemur. denique ipse est samaritanus, qui accessit ad saucium, et misericordiam impendit.

Origenes. Aliter quoque dominus magis quam paulus omnibus omnia fieri voluit, ut omnes nanciscatur; et ideo se non negavit esse samaritanum. Aestimo autem solius iesu fore vocem ego daemonium non habeo etc., sicut et illud: venit princeps mundi huius, et in me non habet quidquam; quia etiam quae delictorum reputata sunt minima, daemonibus adaptantur.

Augustinus. deinde post tale convicium hoc solum dixit de gloria sua: sed honorifico patrem meum; quasi dicat: ne vobis arrogans videar, habeo quem honorificem.

Theophylactus. honorificavit autem patrem, ulciscens eum, et non tolerans homicidas et mendaces se Dei veraces filios appellare.

Origenes. Solus autem Christus verissime veneratus est patrem: nullus enim honorans quidquam ex his quae non honorantur a Deo, honorat Deum.

Gregorius. Sed quia quisquis Dei zelo utitur, a pravis hominibus dehonoreatur, in semetipso nobis dominus patientiae praebuit exemplum, qui ait et vos inhonorastis me.

Augustinus. quasi dicat: ego facio quod debeo, vos non facitis quod debetis.

Origenes. non autem illis solum hoc dictum est, sed et omnibus iniuste agentibus qui iniuriam inferunt Christo, qui est iustitia; et inferentibus contumeliam sapientiae, eo quod Christus est sapientia, et similiter de aliis huiusmodi.

Gregorius. Sed quid nobis contra iniurias faciendum sit, suo exemplo nos admonet, cum subiungit ego autem gloriam meam non quaero: est qui quaerat et iudicet.

Chrysostomus in Ioannem. quasi dicat: ex honore quem ad patrem habeo, haec locutus sum vobis, et propter hoc dehonoreatis me; sed nulla est mihi cura huius contumeliae: illi enim noxas debetis propter quem haec audio.

Origenes in Ioannem. quaerit autem deus gloriam Christi in quolibet suscipientium illum, quam quidem reperiret in operantibus secundum insitas virtutis causas. Cum autem non repererit, punit illos in quibus non

reperit gloriam filii sui; unde dicit est qui quaerat, et iudicet.

Augustinus in Ioannem. Quem autem vult intelligi nisi patrem? quomodo ergo alio loco dicit: pater non iudicat quemquam; sed omne iudicium dedit filio? sed videte, quod iudicium quandoque pro damnatione accipitur: hic autem secundum discretionem positum est; quasi dicat: est pater qui gloriam meam a vestra discernat: vos enim secundum hoc saeculum gloriamini, ego non secundum hoc saeculum. Discernit etiam gloriam filii sui a gloria omnium hominum: non enim quia homo factus est, iam comparandus est nobis. Nos homines cum peccato, ille sine peccato, et hoc secundum ipsam formam servi; nam illud quis digne loquatur: in principio erat verbum? **Augustinus.** vel aliter. Si vere dictum est a salvatore: omnia mea tua sunt, palam est quoniam et ipsum iudicium filii, patris est.

Gregorius in evang.. cum vero malorum perversitas crescit, non solum frangi praedicatio non debet, sed etiam augeri; unde dominus postquam daemonium habere dictus est, praedicationis suae beneficia largius impendit, dicens: amen, amen, dico vobis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum.

Augustinus. videbit dictum est pro eo quod est experietur. Cum ergo moriturus moriturus loqueretur, quid sibi vult quod ait qui sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum, nisi quia videbit aliam mortem, de qua nos liberare venerat, mortem aeternam, mortem damnationis cum diabolo et angelis eius? ipsa est vera mors, nam ista migratio est.

Origenes. Sic igitur intelligendum est si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum, ac si diceret: si quis lucem meam custodierit, tenebras non videbit. Quod autem dicit in aeternum, communiter est sumendum, ut sit talis intellectus: si quis sermonem meum servaverit in aeternum, mortem non videbit in aeternum: quia eousque non videt aliquis mortem, quousque iesu verbum custodit. Cum vero quis torpens in observantia sermonis, et circa sui custodiam negligens factus, eum cessat custodire, subinde mortem videt, non apud alium quam apud seipsum. Sic igitur a salvatore instructi, prophetae quaerenti: quis est homo qui vivet, et non videbit mortem? respondere possumus: qui custodit verbum Christi.

Chrysostomus. servaverit autem dicit non solum fide, sed etiam per vitam puram. simul autem et occulte insinuat quoniam nihil possunt ei facere. Si enim qui sermonem eius servabit, non morietur in aeternum, multo magis et ipse non potest mori.

IOANNES 8,52-56

12852 (Jn 8,52-56)

Gregorius in evang.. Sicut bonis necesse est ut meliores etiam per contumelias existant, ita semper reprobi de beneficio peiores fiunt: nam accepta praedicatione, iterum iudaei blasphemant; dicitur enim dixerunt ergo iudaei: nunc cognovimus quia daemonium habes.

Origenes in Ioannem. Hi qui sacris scripturis credunt, comprehendunt quod quae praeter rectam rationem ab hominibus exercentur, non praeter daemones fiunt. Sic igitur iudaei virtute daemonis putabant iesum dixisse: si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum. Hoc autem passi sunt quia Dei virtutem non perspexerunt: nam hic de morte quadam inimica rationi, qua pereunt delinquentes, hoc fassus est; hi vero de communi morte coniectantes esse quod dicitur, increpant dicentem, quasi defuncto abraham et prophetis; unde subditur abraham mortuus est et prophetae, et tu dicis: si quis sermonem meum servaverit, mortem non gustabit in aeternum. cum aliqua differentia sit inter mortem gustare et videre, pro eo quod mortem non videbit, mortem non gustabit protulerunt, velut incauti auditores confundentes dominicum sermonem. Sicut enim dominus in quantum panis vivus est, gustabilis est; in eo vero quod est sapientia, est visibilis pulchritudinis: sic etiam adversaria eius mors et gustabilis est et visibilis. Cum ergo quis steterit per iesum in intellectuali loco, mortem non gustabit, si statum servat, secundum illud matth. 16, 28: sunt de hic stantibus qui non gustabunt mortem. Cum autem aliquis sermonem Christi acceperit et custodierit, mortem non videbit.

Chrysostomus in Ioannem. rursus autem ex inani gloria ad cognitionem confugiunt; unde sequitur numquid tu maior es patre nostro abraham, qui mortuus est? poterant etiam dicere: numquid tu maior es Deo, cuius sermonem qui audierunt mortui sunt? sed non dicunt hoc, quia etiam quam abraham minorem eum aestimabant.

Origenes. non enim discernunt, quia non solum abraham, sed etiam quolibet nato ex muliere, qui natus est ex virgine maior est. Nec verum dicebant iudaei abraham mortuus est: audivit enim verbum Christi, atque servavit. Et huiusmodi simile dices de prophetis, de quibus subdunt et prophetae mortui sunt: nam et verbum filii Dei custodierunt, cum verbum domini factum fuerit ad osee, vel Isaiam, vel ieremiam; quod si quis alius custodivit, ipsi prophetae custodierunt. Mendacium ergo dicunt et in hoc: scimus quia daemonium habes, et in hoc: abraham mortuus est et prophetae.

Gregorius. quia enim aeternae morti inhaeserant, et eamdem mortem cui inhaeserant, non videbant, cum solam mortem carnis aspicerent, in veritatis sermone caligabant. subdunt autem quem teipsum facis? Theophylactus. quasi dicant: tu, qui nulla cura dignus es, carpentarii filius de galilaea, tibi subripis gloriam.

Beda. Quem teipsum facis? hoc est, cuius meriti cuiusve dignitatis vis credi? abraham tamen mortuus erat corpore, anima autem vivebat. maior autem est mors animae in aeternum victurae, quam corporis quandoque morituri.

Origenes. Caecutientium autem fuit haec prolatio: quoniam non se fecit iesus id quod est, sed ex patre recepit; unde sequitur respondit iesus: si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est.

Chrysostomus in ioannem. hoc quantum ad eorum suspicionem dixit, sicut et supra: testimonium meum non est verum, si testimonium perhibeo de meipso.

Beda. His autem verbis nihil esse ostendit gloriam vitae praesentis.

Augustinus in ioannem. dixit autem hoc propter illud quod dixerant quem teipsum facis? refert enim gloriam suam ad patrem, de quo est; unde subdit est pater meus qui glorificat me. De isto verbo calumniantur ariani fidei nostrae, et dicunt: ecce maior est pater, quia glorificat filium. Haeretici, non legis et ipsum filium dicentem, quod glorificet patrem suum? Alcuinus. Glorificavit autem pater filium, cum tempore baptismi et in monte, et tempore passionis coram turbis vox facta est ad eum, et post passionem eum resuscitavit, et collocavit eum ad dexteram suae maiestatis.

Chrysostomus. Addidit autem quem vos dicitis quia deus vester est: volebat enim ostendere quoniam non solum patrem eum nesciebant, sed neque Deum.

Theophylactus. Nam si vere patrem cognoscerent, filium eius venerarentur. Deum etiam contemnunt, qui homicidium in lege prohibuit, adversus Christum clamantes; unde subdit et non cognovistis eum.

Alcuinus. Quasi dicat: vos carnaliter illum Deum vestrum vocatis; pro temporalibus ei servitis: et non cognovistis eum, sicut intelligendus est; spiritualiter ei servire nescitis.

Augustinus. quidam haeretici dicunt Deum annuntiatum in veteri testamento non esse patrem Christi, sed nescio quem principem malorum angelorum. Contra ipsos ergo dicit patrem suum quem illi dicebant Deum suum, et non cognoverunt: si enim ipsum cognovissent, eius filium recepissent. De se autem subdit ego autem novi eum. Secundum carnem iudicantibus potuit et hic arrogans videri; sed arrogantia non ita caveatur ut veritas relinquatur; propter quod subdit et si dixero quia non scio eum, ero similis vobis mendax.

Chrysostomus. Quasi dicat: sicut vos dicentes scire eum, mentimini, ita ego si dixero me nescire. Sed maxima demonstratio est, quod ab illo sit missus, hoc quod sequitur sed scio eum.

Theophylactus. Naturaliter ipsius cognitionem obtinens; qualis enim ego sum, talis et pater, quoniam ego meipsum cognosco, et illum cognosco. Praebet autem indicium quod ipsum cognoscat cum subdit et sermonem eius servo, sermonem mandata nuncupans. Quidam autem sic intelligunt hoc quod dicitur sermonem eius servo: idest rationem substantiae eius: eadem enim est ratio substantiae patris et filii: ideoque patrem cognosco: nam et pro quoniam sumitur, ut sit sensus: quoniam eius sermonem servo.

Augustinus. sermonem etiam patris tamquam filius loquebatur; et ipse erat verbum patris, quod hominibus loquebatur.

Chrysostomus. Et quia dixerant: numquid tu maior es patre nostro abraham? nihil de morte exponens, se maiorem quam abraham esse ostendit consequenter, cum subdit abraham pater vester exultavit ut videret diem meum: vidit et gavisus est, scilicet propter beneficium quod a me habet, ut a maiore.

Theophylactus. Quasi dicat: diem meum desiderabilem habuit et laetitiae plenum, non quasi alicuius minimi

aut fortuiti.

Augustinus. Non timuit, sed exultavit ut videret: credens utique exultavit sperando, ut videret intelligendo diem meum. Incertum autem potest esse utrum dixerit temporalem diem domini, quo erat venturus in carne, an diem domini qui nescit ortum, nescit occasum. sed ego non dubito patrem abraham totum scisse: ait enim servo suo quem mittebat: pone manum sub femore meo, et iura mihi per Deum caeli. Ergo quae fuit illa iuratio, nisi quia significabatur de genere abraham venturum in carne Deum caeli? **Gregorius** in evang.. tunc etiam diem domini abraham vidit, cum in figura summae trinitatis tres angelos hospitio suscepit.

Chrysostomus in Ioannem. Vel diem suum dicit diem crucis, quem abraham in oblatione arietis et isaac praefiguravit; per hoc ostendens quod non invitus ad passionem venit, et ostendens eos esse alienos ab abraham, si in quibus ille exultavit, hi dolent.

Augustinus. quale autem gaudium fuit cordis videntis verbum manens, splendorem piis mentibus refulgentem, apud patrem manentem Deum, et aliquando in carne venturum, non de patris gremio recessurum.

IOANNES 8,57-59

12857 (Jn 8,57-59)

Gregorius in evang.. Carnales mentes iudaeorum audientium verba Christi, oculos a carne non sublevant, dum in eo solam carnis aetatem pensant; unde dicitur dixerunt ergo iudaei ad eum: quinquaginta annos nondum habes, et abraham vidisti? quasi dicerent: multa sunt annorum curricula, ex quo abraham mortuus est, et quomodo vidit diem tuum? carnaliter enim hoc intellexerunt.

Theophylactus. tunc autem triginta trium annorum Christus erat: quare ergo non dixerunt: quadraginta annos nondum habes, sed quinquaginta? supervacua est huiusmodi quaestio: simpliciter enim prout eis occurrit dixerunt. Respondent tamen quidam quod per quinquagesimum annum ex reverentia iubilaeum nominant, in quo et captivos manumittebant et emptitiis possessionibus cedebant.

Gregorius. quos benigne redemptor noster a carnis suae intuitu submovet, et ad divinitatis contemplationem trahit; unde sequitur dixit ergo eis iesus: amen, amen, dico vobis: antequam abraham fieret, ego sum. Ante enim praeteriti temporis est, sum vero praesentis; et quia praeteritum et futurum tempus divinitas non habet, sed semper esse habet, non ait: ante abraham ego fui, sed ante abraham ego sum: secundum illud: ego sum qui sum. Ante ergo vel post abraham habuit esse, qui et accedere potuit per exhibitionem praesentiae, et recedere per cursum vitae.

Augustinus in Ioannem. Quia vero creatura est abraham, non dixit: antequam abraham esset, sed antequam fieret; neque dixit: ego factus sum: nam in principio erat verbum.

Gregorius. sed sustinere ista aeternitatis verba mentes infidelium non valentes, quem intelligere non poterant, obruere quaerebant; unde sequitur tulerunt ergo lapides iudaei, ut iacerent in eum.

Augustinus. tanta durtia quo curreret, nisi ad similes, scilicet lapides? quia vero postquam cuncta quae ad eum spectabant, docendo perfecerat, hi lapides iniciunt, deserit eos quasi correctionem non suscipientes; unde subditur iesus autem abscondit se, et exivit de templo. Non autem abscondit se in angulo templi quasi timens, aut in domunculam fugiens, vel post murum aut columnam divertens; sed caelica potestate invisibilem insidiantibus se constituens, per medium illorum exivit. Iesus autem abscondit se, et exivit de templo.

Gregorius. qui si divinitatis suae potentiam exercere voluisset, tacito nutu mentis suae in suis eos actibus ligaret, aut in poenas subitae mortis obrueret. Sed qui pati venerat, exercere iudicium volebat.

Augustinus. Magis enim erat commendanda sapientia, quam exercenda potentia.

Alcuinus. Ideo etiam fugit quia nondum venerat hora passionis, et quia ipse non elegerat hoc genus mortis.

Augustinus. ergo tamquam homo a lapidibus fugit; sed vae illis a quorum lapideis cordibus fugit deus.

Beda. Mystice autem quot malas cogitationes quis assumit, quasi tot lapides in iesum mittit; ac deinde

quantum ad se pertinet, si ad deliberationem transit, iesum extinguit.

Gregorius. Quid autem abscondendo se dominus significat, nisi quod eis ipsa veritas absconditur qui eius verba sequi contemnunt? eam quippe quam non invenit humilem, veritas fugit mentem. quid autem nobis hoc exemplo loquitur, nisi ut etiam cum resistere possumus, iram superbientium humiliter declinemus. **IOANNES 9,1-7**

12901 (Jn 9,1-7)

Chrysostomus in Ioannem. quia iudaei sermonum Christi altitudinem non susceperant, exiens de templo curavit caecum, sui absentia eorum furorem mitigans, et per operationem signi, eorum duritiam molliens, et de his quae dicta sunt a se, faciens fidem; unde dicitur et praeteriens iesus, vidit hominem caecum a nativitate. Ubi considerandum, quod egrediens de templo, studiose venit ad opus sui manifestativum: ipse enim vidit caecum, non caecus ad eum accessit; et ita studiose respexit ut discipuli eius videntes eum studiose aspicientem interrogarent; sequitur enim et interrogaverunt eum discipuli eius: rabbi, quis peccavit, hic, an parentes eius, ut caecus nasceretur? **Augustinus** in Ioannem. rabbi magister est. Magistrum appellant, quia discere cupiebant: quaestionem quippe proposuerant domino tamquam magistro.

Theophylactus. Videtur tamen haec quaestio peccare: neque enim susceperant apostoli nugas gentilium, quoniam anima in alio saeculo vivens peccavit: sed diligenter intuenti non apparet simplex haec quaestio.

Chrysostomus. Venerunt enim ad hanc interrogationem, quia prius paralyticum curans dixit: ecce sanus factus es: non ultra pecces. Illi igitur cogitantes quia propter peccata fuerat ille paralyti resolutus, quaerunt de isto si hic peccavit; quod non est dicere: a nativitate enim caecus est; aut parentes eius; sed neque hoc: filius enim pro patre non sustinet poenam. sequitur respondit iesus: neque hic peccavit, neque parentes eius.

Augustinus. numquid vel ipse sine originali peccato natus erat, vel vivendo nihil addiderat? habebant ergo peccatum et ipse et parentes eius, sed non ipso peccato factum est ut caecus nasceretur. Ipse autem causam dicit quare caecus sit natus, cum subdit sed ut manifestentur opera Dei in illo.

Chrysostomus. Non autem ex hoc ostendit quod alii caeci facti sunt propter peccata parentum: neque enim contingit uno peccante alium puniri. quod autem dicit ut manifestetur gloria Dei, de seipso dicit, non de patre: illius enim gloria iam manifesta erat. Sed numquid iste iniuste passus est? sed ego eum beneficium accepisse dico per caecitatem: per hanc enim interioribus respexit oculis. qui vero ex non ente ad esse eum deduxit, potestatem habebat absque iniuria et ita eum dimittere. Dicunt autem quidam, quoniam ut hic non est causativum, sed significat eventum, sicut et illud: lex subintravit, ut abundaret delictum; sic et hoc consecutum est, ut dominus oculos clausos aperiens, et alia naturalis infirmitatis nocumenta corrigens, suam demonstravit virtutem.

Gregorius moralium. Alia itaque est percussio qua peccator percutitur, ut sine retractatione puniatur; alia qua peccator percutitur ut corrigatur; alia qua quisque percutitur non ut praeterita corrigat, sed ne ventura committat; alia per quam nec praeterita culpa corrigitur, nec futura prohibetur. sed dum inopinata salus percussione sequitur, salvantis virtus cognita ardentius amatur.

Chrysostomus. Et quia de seipso dixit ut manifestetur gloria Dei, subiungit me oportet operari opera eius qui misit me; idest me oportet manifestare meipsum, et facere ea quae manifestent me patri eadem facientem.

Beda. cum enim filius se operari opera patris asseruit, sua et patris opera eadem esse monstravit; quae sunt infirma salvare, debilia roborare, homines illuminare.

Augustinus. per hoc autem quod dicit qui misit me, universam gloriam dat illi de quo est, quia ille habet filium qui de illo sit; ipse non habet de quo sit.

Chrysostomus. Addidit autem donec dies est, idest, donec licet credere hominibus in me, donec vita haec consistit, oportet me operari; et hoc ostendit subdens venit nox, quando nemo potest operari. Nox dicta est, secundum illud: proicite eum in tenebras exteriores. Ibi ergo erit nox, ubi nemo potest operari, sed recipere quod operatus est. Cum vivis, fac si quid facturus es: ultra enim neque fides est, neque labores, neque poenitentia.

Augustinus. si autem modo operamur, hic est dies, hic est Christus; unde subdit quamdiu sum in mundo, lux sum mundi. Ecce ipse est dies. Dies iste qui circuitu solis impletur, paucas horas habet; dies

praesentiae Christi usque in consummationem saeculi extendetur: ipse enim dixit: ecce ego vobiscum sum usque in consummationem saeculi.

Chrysostomus in Ioannem. quia vero sermonem quem dixerat, per opera credi fecit, subiungit evangelista haec cum dixisset, expuit in terram, et fecit lutum ex sputo, et linivit lutum super oculos caeci. Qui autem maiores substantias de nihilo ad esse perduxit, multo magis oculos sine materia fecisset; sed voluit docere seipsum esse creatorem, qui in principio usus est luto ad hominis formationem. Ideo autem non aqua utitur ad lutum faciendum, sed sputo, ut nihil ascribatur fonti; sed discas quoniam virtus oris oculos aperuit et plasmavit: et deinde ut non videatur eis ex virtute terrae esse curatio, iussit lavari; unde sequitur et dixit ei: vade, et lava ad natatoria siloe, quod interpretatur missus: ut discas quoniam non indigeo luto ad faciendos oculos. Et quia in siloe erat virtus Christi, quae omnia operabatur, propter hoc et interpretationem nobis evangelista adiecit, dicens quod interpretatur missus: ut discas quoniam et illic Christus eum curavit. sicut enim apostolus dicit quod petra erat Christus, ita et siloe spiritualis erat, cuius repentinus aquae defluxus occulte insinuat nobis Christi manifestationem praeter omnem spem. Sed quare non statim eum fecit lavari, sed ad siloe misit? ut destruat iudaeorum indevotio: conveniens enim erat omnes eum videre euntem, et lutum super oculos habentem. et etiam volens ostendere quoniam non alienus est a lege et veteri testamento, mittit eum ad siloe. Non autem erat timendum ne siloe sumeret hanc gloriam: multi enim lavantes ibi oculos, nullo tali beneficio sunt potiti. Et iterum ut discas caeci fidem, qui non contradixit, neque cogitavit apud seipsum: lutum solet magis excaecare: multoties lavi in siloe, et in nullo sum aditus: si quam virtutem haberet, praesens utique curasset. Sed simpliciter obedivit; unde sequitur abiit ergo, et lavit, et venit videns. Sic igitur manifestavit suam gloriam: non enim parva gloria est ut aestimetur auctor creationis: ea enim quae de maiori est fides, quod minus est certificat. In universa autem creatione honorabilior est homo, eorum autem quae in nobis sunt membrorum honorabilior est oculus: hic enim corpus gubernat, hic ornat visum; et quod sol est in orbe terrarum, hoc est oculus in corpore: unde superiorem locum sortitur, sicut in quodam regali loco collocatus.

Theophylactus. Quidam tamen dicunt quod lutum non fuit depositum, sed in oculos est conversum.

Beda. Mystice autem postquam expulsus est de cordibus iudaeorum, mox transivit ad gentiliium populum. Praeterire autem eius, vel iter facere, est de caelis in terram descendere. itaque videt caecum, cum misericorditer respexit genus humanum.

Augustinus. genus enim humanum est iste caecus: haec enim caecitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus: caecus est ergo a nativitate. Spuit dominus in terram, de saliva sua lutum fecit, quia verbum caro factum est, et inunxit oculos caeci. Inunctus erat et nondum videbat: quando enim inunxit, forte eum catechumentum fecit. Mittit illum ad piscinam, quae vocatur siloe, quia baptizatus est in Christo, et tunc eum illuminavit. Pertinuit autem ad evangelistam ut commendaret nobis nomen huius piscinae; et ait quod interpretatur missus: nisi enim ille fuisset missus, nemo nostrum esset ab iniquitate dimissus.

Gregorius moralium. vel aliter. Per salivam sapor intimae contemplationis accipitur, quae ad os a capite defluit, quia de claritate conditoris adhuc in hac vita nos positos gustu revelationis tangit; unde dominus salivam luto miscuit, et caeci nati oculos reparavit, quia superna gratia carnalem cognitionem nostram per admixtionem suae contemplationis irradiat, et ab originali caecitate hominem ad intellectum reformat.

IOANNES 9,8-17

12908 (Jn 9,8-17)

Chrysostomus in Ioannem. inopinabilitas facti miraculi incredulitatem inducebat, et ideo dicitur itaque vicini, et qui viderant eum prius quia mendicus erat, dicebant: nonne hic est qui sedebat et mendicabat? mirabilis Dei clementia quo descendebat? eos qui mendicabant, cum multa devotione curabat, et hinc iudaeorum os obstruens, quoniam non praeclaros, non insignes, neque principes, sed ignobiles sua dignos ducebat providentia: etenim in salutem omnium venerat. sequitur alii dicebant, quia hic est. caeco enim per longam viam eunte diligentes inspectores facti ex inopinabilitate eius quod viderant, non ultra poterant dicere: non est hic. sequitur alii autem: nequaquam, sed similis eius est.

Augustinus in Ioannem. aperti enim oculi vultum mutaverunt. sequitur ille autem dicebat: quia ego sum. Vox grata, ne damnetur ingrata.

Chrysostomus. Non enim verecundatus est de priori caecitate, neque formidavit furorem plebis, neque

renuit ostendere seipsum, ut praedicet benefactorem. sequitur dicebant ergo ei: quomodo aperti sunt oculi tui? hunc modum neque nos scimus, neque ipse qui curatus est novit: sed quod quidem factum est, noverat, modum autem comprehendere non poterat; unde sequitur respondit: ille homo qui dicitur iesus, lutum fecit, et linivit oculos meos. Vide quomodo verax est. Non dixit unde fecit: quod enim non noverat, non dicit: neque enim scivit quoniam in terra expuit. Quoniam autem superunxit, per sensum tactus didicit. sequitur et dixit: vade ad natatoria siloe, et lava. Et hoc etiam ex auditu testatus est: recognovit enim eius vocem ex disputatione cum discipulis. Et quia ad unum se praeparaverat, scilicet omnia sibi suaderi a iubente, subiungit et abii et lavi et vidi.

Augustinus. ecce annuntiator factus est gratiae, ecce evangelizat et confitetur iudaeis. Caecus ille confitebatur, et cor impiorum stringebatur, quia non habebant in corde quod iam ille habebat in facie; unde sequitur et dixerunt: ubi est ille? **Chrysostomus.** dicebant autem hoc, occasionem meditantes; iam enim adversus ipsum conspiraverant. Christus autem non aderat his qui curabantur; non enim quaerebat gloriam, neque se ostentare. Recedebat etiam semper curans iesus, ut omnis suspicio tolleretur signorum. Qui enim non cognoscebant eum, qualiter ob gratiam eius se curatos confiterentur? unde sequitur: ait: nescio.

Augustinus. in his verbis inuncto similis erat, nondum videnti: praedicat, et nescit quid praedicat.

Beda. Unde figuram tenet catechumenorum, qui etsi credunt in iesum, adhuc tamen eum quasi nesciunt, quia nondum loti existunt. Pharisaeorum autem erat approbare opus vel improbare.

Chrysostomus. Iudaei igitur quaerentes ubi est ille? volebant eum invenire ut eum ducerent ad eos; quia vero non habuerunt eum, ducunt caecum; unde sequitur adducunt eum ad pharisaeos qui caecus fuerat, ut scilicet vehementius eum interrogarent. Propterea autem et evangelista subdit erat autem sabbatum quando lutum fecit iesus, et aperuit oculos eius: ut scilicet eorum malam mentem demonstraret, et causam propter quam eum quaerebant; ut scilicet occasionem contra eum invenirent, et ut detraherent miraculo per aestimatam legis praevaricationem: quod etiam manifestum est ex his quae sequuntur; sequitur enim iterum ergo interrogabant eum pharisaei quomodo vidisset. vide autem qualiter non turbatur caecus: nam quandoquidem turbis dicebat sine periculo interrogatus, non ita magnum erat veritatem dicere; mirabile autem est nunc, quod in ampliori periculo constitutus, neque negat, neque contraria dicit prioribus; sequitur enim ille autem dixit eis: lutum posuit mihi super oculos meos, et lavi, et video. Hoc autem ad eos qui iam audierant succinctius loquitur: non enim dixit nomen dicentis, neque quoniam dixit mihi vade et lava; sed confestim lutum mihi posuit super oculos, et lavi, et video; et sic contrarium passi sunt eius quod volebant: duxerunt enim eum ut negaturum, sed ab eo certius didicerunt. sequitur dicebant ergo ex pharisaeis.

Augustinus. Non omnes, sed quidam: iam enim inungebantur quidam. dicebant ergo nec videntes nec inuncti non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit. Ipse potius custodiebat qui sine peccato erat: sabbatum enim observare spiritualiter, est non habere peccatum; et hoc admonet deus quando commendat sabbatum: omne opus servile non facietis. Quid sit opus servile a domino audite: omnis qui facit peccatum servus est peccati. Sed isti sabbatum carnaliter observabant, spiritualiter violabant.

Chrysostomus in Ioannem. malitiose autem quod factum est silentes, aestimatam praevaricationem in medium ferebant: non enim dicebant quoniam sabbato curat, sed quoniam sabbatum non servat. sequitur alii dicebant: quomodo potest homo peccator haec signa facere? a signis enim inducebantur, sed imbecilliter erant dispositi: congruum enim erat ostendere qualiter sabbatum non solvitur; sed nondum hanc habebant mentem quod deus esset, ut possent respondere quoniam dominus sabbati haec fecit. Nullus denique eorum audebat ea quae volebat, manifeste dicere, sed in ambiguitate: hi quidem propter improbabilitatem, alii vero propter amorem principatus. sequitur et schisma erat inter eos.

Augustinus. Dies enim erat Christus, qui inter lucem et tenebras dividit.

Chrysostomus in Ioannem. volentes autem qui dixerant homo peccator non potest talia signa facere, os aliorum obstruere, eum qui suscepit virtutis experientiam, in medium ducunt, ut non videantur ipsi advocacy uti; unde sequitur dicunt ergo caeco iterum: tu quid dicis de illo qui aperuit tibi oculos? Theophylactus. Vide quomodo benevole quaerunt: non enim dixerunt: tu quid dicis de illo qui sabbatum non observat? sed miraculum commemorant: quomodo aperuit tibi oculos? pene ipsum sanatum concitantes; quasi dicerent: benefecit tibi, unde debes eum praedicare.

Augustinus. vel quaerebant quemadmodum hominem calumniarentur, ut eum ex synagoga eicerent. Sed ille constanter quod sentiebat expressit; unde sequitur ille autem dixit, quia propheta est. Adhuc quidem inunctus in corde, nondum Dei filium confitebatur; non mentitur tamen: ipse enim dominus de seipso ait: non est propheta sine honore nisi in patria sua.

IOANNES 9,18-23

12918 (*Jn 9,18-23*)

Chrysostomus in Ioannem. quia pharisaei caecum attonitum facere non valuerunt, sed videbant eum cum omni propalatione benefactorem suum praedicantem, per parentes putabant Christi miraculum annihilare; unde dicitur non crediderunt ergo iudaei de illo quia caecus fuisset et vidisset, donec vocaverunt parentes eius qui viderat.

Augustinus in Ioannem. Idest, caecus fuerat et viderat.

Chrysostomus. Sed haec est veritatis natura: per quae putatur insidias pati, per haec fortior fit: mendacium enim sibi ipsi quidem obviat, et per ea per quae laedere veritatem videtur, per ea clariorem eam ostendit, quod et nunc factum est. Ne enim aliquis diceret quod vicini nihil certum dixerunt, sed per quamdam assimilationem locuti sunt, parentes in medium ducuntur, qui maxime suum filium cognoscebant. Statuentes autem eos in medium, cum multo furore interrogant; unde sequitur et interrogaverunt eos, dicentes: hic est filius vester? et non dicunt: qui quandoque fuit caecus, sed quem dicitis quia natus est caecus. O iniqui. Quis pater eligeret talia mentiri de filio? solum non dicunt: quem vos fecistis caecum. Duobus autem his ad negationem eos inducere conantur: et in hoc quod dicunt quem dicitis quia natus est caecus, et in hoc quod subdunt quomodo ergo nunc videt? Theophylactus. quasi dicant: aut hoc falsum est quod nunc videat, aut primum quod caecus fuerit; sed constat hoc esse verum quod videt: falsum ergo fuit quod caecum eum dicebatis.

Chrysostomus. tribus ergo interrogationibus factis: si filius eorum est, si caecus fuit, et qualiter vidit, duas confitentur; unde sequitur responderunt ergo eis parentes eius, et dixerunt: scimus quia hic est filius noster, et quia caecus natus est. Tertiam autem abiciunt; unde subdunt quomodo autem nunc videat nescimus, aut quis eius aperuit oculos nos nescimus. Et hoc etiam pro veritate factum est, ut nullus alius, sed is qui curatus est, et qui dignus fide erat, hoc confiteretur; unde sequitur ipsum interrogate: aetatem habet, ipse de se loquatur.

Augustinus. Quasi dicant: iuste cogemur loqui pro infante, quia ipse pro se loqui non posset. Caecum a nativitate novimus, sed loquentem.

Chrysostomus. Qualiter ergo grati fuerint parentes, qui eorum quae sciebant quaedam tacuerunt propter timorem iudaeorum? sequitur enim haec dicebant parentes eius, quia timebant iudaeos. rursus et hic opinionem iudaeorum et mentem evangelista inducit; unde sequitur iam enim conspiraverant iudaei ut si quis eum confiteretur esse Christum, extra synagogam fieret.

Augustinus. iam non erat malum fieri extra synagogam: illi expellebant, Christus suscipiebat. sequitur propterea parentes eius dixerunt: quia aetatem habet, ipsum interrogate.

Alcuinus. In quo ostendit evangelista, illos non per ignorantiam, sed propter metum talia respondisse.

Theophylactus. imbecilliores enim filio erant, qui testis aderat intrepidus veritatis, illuminatos habens oculos intellectus a Deo.

IOANNES 9,24-34

(*Jn 9,24-34*)

Chrysostomus in Ioannem. quia parentes miserunt pharisaeos ad illum qui curatus est, rursus vocaverunt eum secundo; unde dicitur vocaverunt ergo rursus hominem qui caecus fuerat. Non autem manifeste dicunt: nega quoniam Christus te curavit; sed sub praetextu religionis ad hoc eum inducere volunt; unde sequitur da gloriam Deo: quasi dicant: confitere quia hic nihil est operatus.

Augustinus in Ioannem. Nega quod accepisti. Hoc plane non est Deo gloriam dare, sed Deum potius blasphemare.

Alcuinus. Sic autem volebant illum dare gloriam Deo, ut, sicut et ipsi, Christum diceret peccatorem; unde

sequitur nos scimus quia hic homo peccator est.

Chrysostomus in Ioannem. qualiter ergo non arguistis eum dicentem: quis ex vobis arguet me de peccato? Alcuinus. Sed ille ut neque pateret calumniae, neque veritatem celaret, non dixit: scio eum iustum; nam sequitur dicit ergo ille: si peccator est, nescio.

Chrysostomus in Ioannem. qualiter qui dixit: quoniam propheta est, nunc dicit si peccator est, nescio? numquid modo timuit caecus? absit; sed voluit Christum a rei testimonio, et non a sua voce ab incusatione eripere, et suam responsionem facere fide dignam ab accepto beneficio; unde subdit unum scio, quia caecus cum essem, modo video; quasi dicat: nihil modo de hoc dico utrum sit peccator, sed iterum dico quod manifeste novi. Quia igitur nequiverant evertere quod factum est, ad priores redeunt sermones, rursus modum curationis inquirentes; sicut canes quidem venationem nunc huc, nunc illuc investigantes; unde sequitur dixerunt ergo illi: quid fecit tibi? quomodo aperuit tibi oculos? hoc est, numquid praestigio aliquo? non enim dixerunt: qualiter vidisti? sed: qualiter aperuit oculos tibi? dantes occasionem detrahendi contra eius operationem. Donec igitur res inquisitione indigebat, caecus remisit loquebatur; quia vero iam vicerat, audacter de reliquo eis loquitur; unde sequitur respondit eis: dixi vobis iam, et audistis; quid iterum vultis audire? quasi dicat: non attenditis ad ea quae dicuntur: unde ultra non respondebo vobis inaniter interrogantibus, et non volentibus addiscere, sed cavillari quae dicuntur; unde sequitur numquid et vos vultis discipuli eius fieri? **Augustinus** in Ioannem. quid est numquid et vos, nisi quia iam ego sum, numquid et vos vultis? iam video, sed non invideo. Haec loquebatur iam stomachans adversus duritiam iudaeorum, et ex caeco videns, non ferens caecos.

Chrysostomus. Ita forte quid est veritas, ita imbecille mendacium; nam veritas quidem et si despectos assumpserit, claros eos facit vel ostendit; mendacium autem et si cum fortibus fuerit, imbecilles eos monstrat. sequitur maledixerunt ergo ei, et dixerunt: tu discipulus eius sis.

Augustinus. maledictum est, si cor discutias, non si verba perpendas. Tale maledictum super nos et super filios nostros. sequitur nos autem moysi discipuli sumus; nos scimus quia moysi locutus est deus. Sed tunc sciretis, quia per moysen praedictus est deus: habetis enim dominum dicentem: si crederetis moysi, crederetis et mihi: de me enim ille scripsit. itane sequimini servum et dorsum ponitis contra dominum? nam subditis hunc autem nescimus unde sit.

Chrysostomus. ea quae per visum cognoscitis, auditu minora aestimatis: illa enim quae nosse vos dicitis, a progenitoribus audistis. sed nonne fide dignior est qui certificavit quod a Deo venit per miracula, quae non solum audistis, sed vidistis? unde sequitur respondit ille homo, et dixit eis: in hoc enim mirabile est, quia vos nescitis unde sit, et aperuit oculos meos. ubique signum inducit, quia hoc depravare non poterant, sed ab eo convincebantur: et quia dixerant quod homo peccator non potest talia signa facere, de cetero illorum assumit iudicium, propria verba eis in memoriam reducens; unde subdit scimus autem quia peccatores deus non audit; quasi dicat: opinio haec mea et vestra communis est.

Augustinus. adhuc tamen unctus loquitur: nam et peccatores exaudit deus. Si enim non exaudiret, frustra publicanus diceret: deus, propitius esto mihi peccatori; ex illa confessione meruit iustificationem, quomodo ipse caecus illuminationem.

Theophylactus. vel dicendum est, quoniam quod dictum est, Deum non exaudire peccatores, hoc significat quod facere miracula deus peccatoribus non concedit. Cum vero veniam implorant de commissis, translati sunt de gradu peccantium ad statum poenitentium.

Chrysostomus. et vide quod cum supra dixit si peccator est, nescio, non dubitans dixit: hic enim non solum a peccatis eum excusat; sed valde Deo placentem ostendit: nam subdit si quis Dei cultor est, et voluntatem eius facit, hunc exaudit. Non enim sufficit Deum cognoscere, sed voluntatem eius facere. deinde extollit quod factum est, dicens a saeculo non est auditum quia quis aperuit oculos caeci nati; quasi dicat: si confitemini quoniam deus peccatores non audit, hic autem miraculum fecit, et tale quale nullus hominum fecit, manifestum est virtutem qua hoc fecit, maiorem esse quam quae est secundum hominem virtus; unde subdit nisi esset hic a Deo, non posset facere quidquam.

Augustinus. libere, constanter, veraciter. haec enim quae facta sunt a domino, a quo fierent nisi a Deo? aut quando a discipulis talia fierent, nisi in eis dominus habitaret? **Chrysostomus.** Quia ergo veritatem locutus, in nullo confusus est; quando maxime admirari eum oportebat, tunc eum condemnant; sequitur enim responderunt et dixerunt ei: in peccatis natus es totus, et tu doces nos? **Augustinus.** quid est totus? cum oculis clausis. Sed qui aperuit oculos, salvat et totum.

Chrysostomus. Vel dicunt totus ac si dicant: a prima aetate in peccatis es. Hic igitur eius caecitatem

exprobrant, ostendentes quod propter peccata factus est caecus; quod rationem non habebat. Donec ergo expectabant eum negaturum esse, fide dignum esse putabant; sed nunc eum eiciunt; unde sequitur et eiecerunt eum foras.

Augustinus. ipsi illum magistrum fecerant, ipsi ut discerent toties interrogaverunt, et ingrati docentem proiecerunt.

Beda. Solet enim maiorum consuetudo a minoribus aliquid discere dedignari.

IOANNES 9,35-41

12935 (Jn 9,35-41)

Chrysostomus in Ioannem. qui propter veritatem et Christi confessionem iniuria opprimuntur, hi maxime honorantur; quod in caeco factum est: eiecerunt enim eum ex templo iudaei, et invenit eum dominus templi, et eum suscepit sicut agonothesa athletam multum laborantem, et coronavit; unde dicitur audivit iesus quia eiecerunt eum foras, et cum invenisset eum, dixit ei: tu credis in filium Dei? ostendit autem evangelista quoniam propter hoc venit iesus ut ei loqueretur. Interrogat autem non ignorans, sed volens seipsum notum facere, et ostendens quoniam multum appretiat eum fidem; quasi dicat: plebs conviciata est mihi, sed nulla mihi est cura illorum: unius cura est: ut tu credas. Melior est faciens voluntatem Dei, quam decies mille iniqui.

Hilarius de trin.. Si autem sola Christi qualiscumque confessio fidei esset consummatio, dictum fuisset: tu credis in Christum? sed quia haereticis pene omnibus hoc nomen in ore esset futurum ut Christum confiterentur, et filium tamen negarent, id quod proprium Christo est, ad fidem poscitur, id est ut credatur in Dei filium. Credidisse autem in Dei filium quid proficit, si credatur in creaturam, cum a nobis fides in Christo non creaturae Dei, sed filii Dei postuletur? **Chrysostomus.** Nondum autem caecus Christum noverat: caecus enim erat antequam veniret ad Christum, et post curationem a iudaeis circum trahebatur; unde sequitur respondit ille, et dixit: quis est, domine, ut credam in eum? desiderantis et valde inquirentis animae verbum est. Pro quo tot disputavit, hunc ignorat, ut discas in eo veritatis amorem. non autem dixit ei dominus: ego sum qui curavi te; sed medie adhuc loquitur; unde sequitur et vidisti eum.

Theophylactus. hoc autem dicit, ut reducat ei in memoriam sanitatem, et quia ab ipso virtutem videndi acceperat. Attende autem, quoniam qui loquebatur, ex maria natus est, et ipse idem est Dei filius, non alius et alius secundum errorem nestorii; unde sequitur et qui loquitur tecum, ipse est.

Augustinus in Ioannem. Modo lavat faciem cordis eius. Denique iam facie lota cordis, et mundata conscientia, agnoscit illum non filium hominis tantum, quod ante crediderat, sed iam filium Dei, qui carnem susceperat; unde sequitur at ille ait: credo, domine. Parum est credere; vis videre qualem credat? et procidens adoravit eum.

Beda. In quo possunt sumere exemplum, ut non erecta cervice quis dominum roget; sed supplex in terram prostratus eius misericordiam imploret.

Chrysostomus. Per hoc igitur eius divinam virtutem ostendit, verbo opus adiungens. Dominus autem illum ferventior circa fidem fecit, et eos qui eum sequebantur, erexit; unde sequitur et dixit eis iesus: in iudicium ego in hunc mundum veni.

Augustinus. dies enim erat inter lucem et tenebras discurrens. Recte autem subditur ut qui non vident, videant: quia de tenebris liberat. sed quid est quod sequitur: et qui vident, caeci fiant? audi quod sequitur: commoti sunt enim pharisaei quidam ex verbis istis; unde sequitur et audierunt quidam ex pharisaeis qui cum ipso erant, et dixerunt ei: numquid et nos caeci sumus? hoc enim eos movebat et qui vident, caeci fiant. sequitur dixit ergo eis iesus: si caeci essetis, non haberetis peccatum; id est, si vos caecos diceretis, et ad medicum recurreretis. Nunc vero quia dicitis: videmus, peccatum vestrum manet: quia enim dicendo videmus, medicum non quaeritis, in caecitate vestra manebitis. Hoc ergo quod paulo ante dixit ego veni ut qui non vident, videant, id est, qui se non videre confitentur, et medicum quaerunt, ut videant; et qui vident, caeci fiant, id est, qui se putant videre, et medicum non quaerunt, in sua caecitate permaneant. ergo istam discretionem vocavit iudicium, cum ait in iudicium veni in hunc mundum. non illud iudicium iam intulit mundo quo de vivis et mortuis in fine saeculi iudicabit.

Chrysostomus. Vel aliter. In iudicium dixit, id est in maius supplicium, ostendens quoniam qui

condemnaverunt eum, ipsi sunt qui condemnati sunt. Quod autem dicit ut qui non vident, videant, et qui vident caeci fiant, idem est quod paulus dicit quod gentes quae non quaerebant iustitiam, invenerunt iustitiam quae est ex fide Christi; israel autem persequens legem iustitiae, in legem iustitiae non pervenit.

Theophylactus. quasi dicat: ecce qui a nativitate non viderat, iam videt anima et corpore; qui vero videre videntur, excaecati sunt intellectu.

Chrysostomus. Sunt enim duae visiones et duae caecitates, scilicet sensibilis et intellectualis. Illi autem ad sensibilia inhiabant solum, et de sensibili solum verecundabantur caecitate; unde ostendit eis quod melius esset eos esse caecos quam sic videntes; propter quod dicit si caeci essetis, non haberetis peccatum, quia tolerabilius fieret vobis supplicium. sed nunc dicitis, quia videtis.

Theophylactus. non considerantes factum in caeco miraculum, non estis digni venia, quasi ex visis miraculis ad fidem non attracti.

Chrysostomus. Hoc igitur quod aestimabant esse magnam laudem, ostendit quod eis fert supplicium: et simul consolatus est eum qui a nativitate fuerat caecus de corporali caecitate. non autem sine causa evangelista dicit, quod audierunt hoc quidam ex pharisaeis qui cum ipso erant; sed ut rememoretur quoniam isti illi erant qui prius restiterant Christo, deinde eum lapidare voluerunt. erant enim quidam superficie tenus sequentes, et facile in contrarium transmutabantur.

Theophylactus. Vel aliter. si caeci essetis, idest inscii scripturarum, nequaquam tam grande vobis peccatum incumberet, tamquam ignorantia peccantibus: nunc vero quia prudentes vos atque legisperitos asseritis, per vos ipsos condemnabiles estis.

IOANNES 10,1-6

13001 (Jn 10,1-6)

Chrysostomus in Ioannem. quia dominus de caecitate iudaeorum disputaverat, ne dicant: non est ex nostra caecitate quod ad te non accedimus, sed a te avertimur, ut erroneum fugientes, vult ostendere quod non est erroneus, sed pastor, ponens signa latronis et pastoris. et primo ostendit quis est erroneus et fur, dicens amen, amen, dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. hic autem et eos qui ante eum fuerunt, occulte insinuat, et eos qui post eum futuri sunt, antiChristum et pseudoChristos. ostium autem scripturas vocavit; hae enim Dei cognitionem aperiunt, hae oves custodiunt, et lupos supervenire non permittunt, haereticis introitum praeccludentes. qui ergo non scripturis utitur, sed aliunde ascendit, hoc est aliam sibi et non legitimam viam facit, hic fur est. Dicit autem ascendit, et non intrat, ad similitudinem furis maceriam transcendere volentis, et periculose omnia agentis. Dicens autem aliunde, etiam scribas occulte insinuavit, qui docebant mandata et doctrinas hominum, et legem praevaricabantur. Si autem infra seipsum ostium dicit, non oportet turbari: etenim pastorem seipsum et ovem differenter praedicat: quia enim adducit nos patri, ostium se dicit; quia vero procurat, pastorem.

Augustinus in Ioannem. vel aliter. Multi sunt qui secundum quamdam vitae huius consuetudinem dicuntur boni homines, qui ea quae in lege mandata sunt quasi observant, et Christiani non sunt, et plerumque se iactant sicut pharisaei: numquid et nos caeci sumus? quia vero omnia ista quae faciunt, et nesciunt ad quem finem referant, inaniter faciunt, dominus de grege suo et ostio quo intratur ad ovile, similitudinem posuit, dicens amen, amen, dico vobis: qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Dicant ergo pagani vel iudaei vel haeretici: bene vivimus: si per ostium non intrant, quid eis prodest? ad hoc enim debet unicuique prodesse bene vivere, ut detur illi semper vivere: quia nec bene vivere dicendi sunt qui finem bene vivendi vel caecitate nesciunt, vel inflatione contemnunt. Non est autem cuiquam spes vera semper vivendi, nisi cognoscat vitam, quod est Christus, et per hanc ianuam intret in ovile. Quicumque ergo vult intrare ad ovile, per ostium intret: non solum Christum praedicet, sed Christi gloriam quaerat, non suam. Humilis autem ianua est Christus: qui intrat per hanc ianuam, oportet humilem esse, ut sano capite possit intrare. Qui autem se non humiliat, sed extollit, per maceriam vult ascendere; ideo exaltatur ut cadat. quaerunt ergo plerumque tales homines etiam persuadere hominibus ut bene vivant et Christiani non sint: per aliam partem volunt ascendere et rapere et occidere. tales ergo fures sunt, quia quod alienum est, suum dicunt; latrones, quia quod furantur occidunt.

Chrysostomus. vidisti qualiter descripsit latronem: intueri et pastoris definitionem; sequitur enim qui autem intrat per ostium, pastor est ovium.

Augustinus de verb. Dom.. intrat per ostium qui intrat per Christum, qui imitatur passionem Christi, qui cognoscit humilitatem Christi; ut cum deus factus sit homo pro nobis, cognoscat se homo non esse Deum, sed hominem. Qui enim vult deus videri cum sit homo, non imitatur illum qui cum deus esset, homo factus est. Tibi autem non dicitur: esto aliquid minus quam es; sed: agnosce quid es. sequitur huic ostiarius aperit.

Chrysostomus. nihil prohibet ostiarius vocare moysen: ille enim est cui eloquia Dei credita sunt.

Theophylactus. vel spiritus sanctus est ostiarius, per quem scripturae reseratae nobis indicant Christum.

Augustinus in Ioannem. vel aliter. Ostiarius ipsum dominum debemus accipere: multo sunt enim magis inter se diversa in rebus humanis pastor et ostium, quam ostiarius et ostium; et tamen dominus et pastorem se dixit et ostium. Cur ergo non intelligamus ipsum et ostiarius? ipse enim se aperit, qui seipsum exponit. Si aliam personam quaeris ostiarii, vide ostiarius forte spiritum sanctum, de quo dominus dicit: ipse vos docebit omnem veritatem. Ostium est Christus qui est veritas. Quis aperit ostium nisi qui docet veritatem? cavendum tamen est ne maior aestimetur ostiarius esse quam ostium, quia in domibus hominum ostiarius ostio, non ostium praeponitur ostiario.

Chrysostomus. quia vero dicebant eum esse deceptorem, et hoc ex infidelitate sui ipsorum certificabant dicentes: quis principum credit in eum? ostendit nunc quod ex hoc quod non attendunt ei, ex ordine ovium excluduntur; unde sequitur oves vocem eius audiunt. Si enim pastoris est per legitimum intrare ostium, per quod ipse intravit, ab ovium congregatione se abstrahunt qui ipsum non audiunt. sequitur et proprias oves vocat nominatim.

Augustinus in Ioannem. novit enim nomina praedestinatorum; unde discipulis ait: gaudete quoniam nomina vestra scripta sunt in caelo. sequitur et educit eas.

Chrysostomus in Ioannem. Oves educebat quando eas mittebat, non extra lupos, sed in medio luporum. Videtur autem et de caeco occulte insinuare: etenim illum eduxit vocans ex medio iudaeorum, et vocem eius audivit.

Augustinus. Sed et quis alius oves emittit, nisi qui earum peccata dimittit, ut eum sequi duris liberatae vinculis possint? sequitur enim et cum proprias oves emisit, ante eas vadit.

Glossa. Emittit siquidem eas de tenebris ignorantiae ad lucem, dum ante eas vadit, quasi in columna nubis et ignis.

Chrysostomus. nimirum pastores contrarium faciunt oves sequentes; sed ipse ostendit se contrarium facere, quoniam oves deducit ad veritatem.

Augustinus. et quis est qui oves praecessit nisi qui surgens a mortuis iam non moritur, et patri dixit: quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum et ipsi sint mecum? sequitur et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius; alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.

Chrysostomus. alienos dicit eos qui circa theodam et iudam, aut eos qui post haec alios debent decipere, pseudoapostolos: ut enim non dicatur unus illorum esse, per multa se ab eis separat. primo quidem per doctrinam scripturarum, per quas Christus ad se homines adducebat; illi vero ab eis homines abstrahebant. secundo per ovium obedientiam: nam in eum quidem non solum viventem, sed etiam mortuum homines crediderunt; illos autem confestim reliquerunt.

Theophylactus. significat etiam antiChristum, qui paululum decipiens, non obtinebit sequaces post eius mortem.

Augustinus. sed quomodo solvetur ista quaestio? audiunt vocem Christi quandoque non oves: audivit enim iudas, sed lupo erat; et non audiunt oves: aliqui enim eorum qui Christum crucifixerunt, non audierunt, sed oves erant. Sed dicit aliquis: quando non audiebant, oves non erant; vox audita eos mutavit, et ex lupis oves fecit. Me autem adhuc movet quod per ezechielem obiurgat dominus pastores, et dicit inter cetera de ovibus: errantem non revocastis: et errantem dicit, et ovem appellat. Non erraret, si vocem pastoris audiret; sed ideo erravit, quia vocem alieni audivit. Dico ergo: novit dominus qui sunt eius: novit praescitos, novit praedestinos. Ipsi sunt oves, aliquando se ipsi nesciunt; sed pastor novit eas: multae enim oves foris sunt, et multi lupi intus. De praedestinis ergo loquitur. Est autem aliqua vox pastoris in qua oves non audiunt alienos, in qua non oves non audiunt Christum. Quae est ista vox? qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Hanc vocem non negligit proprius, non audit alienus. sequitur hoc

proverbium dixit eis iesus; illi autem non cognoverunt quid loqueretur eis. Pascit enim dominus manifestis, exercet obscuris. Cum autem duo audiunt verba evangelii, unus impius, alter pius, et talia forte sunt ut ambo non intelligant: unus dicit: verum est quod dixit, et bonum est quod dixit, sed nos non intelligimus; iste, quia credit, iam pulsat; dignus est cui aperiatur, si pulsare persistat. alius dicit: nihil dixit; quia adhuc audiet: nisi credideritis, non intelligetis.

IOANNES 10,7-10

13007 (Jn 10,7-10)

Chrysostomus in Ioannem. dominus attentiores volens iudaeos facere, manifestat quod supra dixerat; unde dicitur dixit ergo iterum eis iesus: amen, amen, dico vobis: ego sum ostium ovium.

Augustinus in Ioannem. Ecce quod clausum posuerat, aperuit: ipse est ostium: intremus, et nos intrasse gaudeamus. sequitur omnes quotquot venerunt, fures sunt et latrones.

Chrysostomus. non de prophetis hoc dicit, sicut haeretici dicunt, sed de seditiosis; unde et laudans oves, subiungit sed non audierunt eos oves. Nusquam autem videtur laudare eos qui non obedierunt prophetis; sed eis detrahit vehementer.

Augustinus. intellige ergo: quotquot venerunt praeter me; non autem praeter illum prophetae venerunt, quia cum illo venerunt qui cum verbo Dei venerunt, qui veraces fuerunt: quia ipse verbum et veritas venturus praecones mittebat: sed eorum corda quos miserat possidebat: carnem quippe ipse accepit ex tempore qui est semper: in principio enim erat verbum. ante adventum autem eius, quo humilis venit in carne, praecesserunt iusti, sic eum credentes venturum, quomodo nos credimus in eum qui venit: tempora variata sunt, non fides: eadem enim fides utrosque coniungit, et eos qui venturum esse, et eos qui venisse crediderunt. quotquot ergo praeter illum venerunt, fures fuerunt et latrones; idest ad furandum et occidendum venerunt. Sed non audierunt eos oves; illi scilicet de quibus dictum est: novit dominus qui sunt eius. Eos ergo non audierunt oves in quibus non erat vox Christi, errantes, vana fingentes, miseros seducentes. quare autem se ostium dixerit, aperit subdens ego sum ostium: per me si quis introierit, salvabitur.

Alcuinus. quasi dicat: illos non audiunt oves, sed me audiunt: quia ego sum ostium: et qui per me non fictus, sed verus introierit, perseverando salvabitur.

Theophylactus. Educit autem ad pascua dominus oves per ostium; unde sequitur et ingredietur et egredietur, et pascua inveniet. quae sunt autem haec pascua nisi delectatio futura, et requies in quam nos dominus introducit? **Augustinus.** sed quid est quod dicit ingredietur et egredietur? ingredi quippe in ecclesiam per ostium Christum, valde bonum est: exire autem de ecclesia non est bonum. potest ergo dici ingredi nos, quando interius aliquid cogitamus; egredi autem, quando exterius aliquid operamur, secundum illud: exhibit homo ad opus suum.

Theophylactus. Vel ingredi dicitur cui est curae homo interior; egredi vero qui hominem exteriorem, id est membra quae sunt supra terram, in Christo mortificat: hic enim pascua in futuro reperiet saeculo.

Chrysostomus. vel hoc dicitur propter apostolos, qui cum audacia introierunt, et exierunt, ut totius orbis terrarum facti domini, et nullus eos eicere valuit: et nutrimentum habuerunt.

Augustinus. Sed plus me delectat quod ipse quodammodo nos admonuit cum secutus adiungit fur non venit nisi ut furetur.

Alcuinus. Quasi dicat: merito oves non audiunt vocem furis, quia non venit fur nisi ut furetur, alienam rem sibi usurpando, non de praeceptis Christi suos sectatores instruens, sed suis exemplis eos vivere suadens; unde subditur et mactet, mala doctrina retrahendo a fide, et perdat, in aeterna damnatione. illi ergo furantur et occidunt. ego veni, ut vitam habeant, et abundantius habeant.

Augustinus. videtur mihi dixisse ut vitam habeant ingredientes, hoc est per fidem quae per dilectionem operatur, per quam fidem in ovile ingrediuntur ut vivant, quia iustus ex fide vivit. Et abundantius habeant, scilicet egredientes, scilicet quando veri fideles moriuntur, et abundantius habent vitam, ubi nunquam deinde moriuntur. quamvis ergo et hic in ipso ovili non desint pascua, invenient tamen pascua ubi saturentur, qualia invenit cui dictum est: hodie mecum eris in paradiso.

Gregorius super ezech.. ingrediatur ergo ad fidem, egrediatur ad speciem; pasqua vero inveniet in aeterna satietate.

Chrysostomus. quod autem dicit fur non venit nisi ut furetur et mactet et perdat, de seditiosis dicit: quod ad litteram est factum, omnibus occisis et perditis qui eos sequebantur; et sic etiam praesenti vita eos privaverunt. ego autem veni pro salute ovium ut vitam habeant, et abundantius habeant in regno caelorum: et haec est tertia differentia, qua se discernit a pseudoprophetis.

Theophylactus. mystice autem fur diabolus est, qui venit tentando ut furetur per cogitationes illicitas, et mactet per consensum, et deinde per opera destruat.

IOANNES 10,11-13

13011 (*Jn 10,11-13*)

Augustinus in Ioannem. Aperuit dominus duas res quas quodammodo clusas proposuerat. Primo quidem scimus quia ostium ipse est; nunc autem ostendit quia pastor est, dicens ego sum pastor bonus. supra autem dixerat pastorem intrare per ostium. Si ergo ipse est ostium, quomodo per seipsum intrat? sicut ergo ipse per seipsum novit patrem, nos autem per illum; sic intrat in ovile per seipsum, nos autem per ipsum: nos, quia Christum praedicamus, per ostium intramus; Christus autem seipsum praedicat: lumen enim et alia demonstrat et seipsum. Si autem praepositi ecclesiae, qui filii sunt, pastores sunt; quomodo unus pastor est, nisi quia sunt illi omnes unius membra pastoris? et quidem quod pastor est dedit et membris suis: nam et petrus pastor, et ceteri apostoli pastores, et omnes boni episcopi: ostium vero nemo nostrum se dicit: hoc sibi ipse proprie tenuit. Non autem adderet bonus, nisi essent et pastores mali: ipsi sunt fures et latrones, aut certe ut multum mercenarii.

Gregorius in evang.. atque eius bonitatis formam, quam nos imitemur, adiungit, dicens bonus pastor animam suam ponit pro ovibus suis. Fecit quod monuit, ostendit quod iussit: pro ovibus suis animam suam posuit, ut in sacramento nostro corpus suum et sanguinem verteret, et oves quas redemerat carnis suae alimento satiaret. Ostensa est nobis de contemptu mortis via quam sequamur, apposita forma cui imprimamur. primum nobis est exteriora nostra misericorditer ovibus eius impendere; postremum vero, si necesse sit, etiam in mortem animam nostram pro eisdem ovibus ministrare. Qui autem non dat pro ovibus substantiam suam, quando pro his daturus est animam suam? **Augustinus** in Ioannem. Non autem solus Christus hoc fecit, et tamen si illi qui fecerunt, membra eius sunt, idem ipse unus hoc fecit: ipse enim potuit facere sine illis, illi sine illo non poterant.

Augustinus de verb. Dom.. Omnes tamen pastores boni fuerunt, non solum quia sanguinem fuderunt, sed quia pro ovibus fuderunt: non enim fuderunt elatione, sed caritate. Nam et apud haereticos, qui propter iniquitates et errores suos aliquid molestiarum perpessi fuerunt, nomine martyrii se iactant, ut hoc pallio dealbati facilius furentur, quia lupi sunt. Non autem omnes qui corpora sua in passione etiam ignibus tradunt, aestimandi sunt sanguinem fudisse pro ovibus, sed potius contra oves; dicit enim apostolus: si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Quomodo autem habet vel exiguam caritatem, qui etiam convictus non amat unitatem? quam dominus commendans, noluit multos appellare pastores, sed pastorem unum, dicens ego sum pastor bonus.

Chrysostomus in Ioannem. Sic igitur de cetero dominus de passione sua disputabat, ostendens quoniam pro salute fieret mundi, et non invitus in hanc venit. deinde rursus ostendit signa pastoris et mercenarii, cum dicit mercenarius autem, et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et dimittit oves et fugit.

Gregorius. sunt enim nonnulli qui dum plus terrenam substantiam quam oves diligunt, merito nomen pastoris perdunt: non enim pastor, sed mercenarius vocatur qui non pro amore intimo oves dominicas, sed ad temporales mercedes pascit. Mercenarius quippe est qui pastoris locum tenet, sed lucrum animarum non quaerit, terrenis commodis inhiat, honore praelationis gaudet.

Augustinus de verb. Dom.. aliud ergo quaerit in ecclesia, non Deum quaerit: si Deum quaereret, castus esset, quia legitimum maritum anima Deum habet: quisquis a Deo praeter Deum aliquid quaerit, non caste Deum quaerit.

Gregorius. Utrum vero pastor sit, vel mercenarius, cognosci veraciter non potest, si occasio necessitatis

deest: tranquillitatis enim tempore plerumque ad gregis custodiam sicut verus pastor, sic etiam mercenarius stat; sed lupus veniens indicat quo quisque animo super gregis custodiam stabat.

Augustinus. Lupus autem diabolus est, et qui illum sequuntur: nam dictum est quod induti quidam pellibus ovium, intus sunt lupi rapaces.

Augustinus in Ioannem. ecce lupus ovis guttur apprehendit, diabolus fideli adulterium persuasit, excommunicandus est: sed excommunicatus inimicus erit, insidiabitur, nocebit cum potuerit: unde taces, non increpas: lupum venientem vidisti, et fugisti: corpore stetisti, animo fugisti; affectiones enim nostrae motus animorum sunt: laetitia animi diffusio est, tristitia autem contractio, cupiditas animi progressio, timor animi fuga est.

Gregorius. lupus etiam super oves venit cum quilibet iniustus et raptor fideles quosque atque humiles opprimit. Sed is qui pastor esse videbatur et non erat, reliquit oves et fugit: quia dum sibi ab eo periculum metuit, resistere eius iniustitiae non praesumit. fugit autem non mutando locum, sed subtrahendo solatium. Sed contra haec mercenarius nullo zelo accenditur: quia dum solum exteriora commoda requirit, interiora gregis damna negligenter patitur; unde subditur mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non pertinet ad eum de ovibus. Sola ergo causa est ut mercenarius fugiat quia mercenarius est, ac si dicat: stare in periculo ovium non potest qui in eo quod ovibus praeest, non oves diligit, sed lucrum terrenum quaerit; et ideo opponere se contra periculum trepidat, ne hoc quod diligit amittat.

Augustinus. Si autem apostoli pastores fuerunt, non mercenarii, quare fugiebant quando persecutionem patiebantur? et hoc domino dicente: si vos persecuti fuerint, fugite. pulsemus, aderit qui aperiet.

Augustinus ad honoratum. Fugiant ergo omnino de civitate in civitatem servi Christi, ministri verbi et sacramenti eius, quando eorum quisquam specialiter a persecutoribus quaeritur, ut ab aliis qui non ita requiruntur non deseratur ecclesia. cum autem omnium, idest episcoporum, et clericorum, et laicorum est commune periculum, hi qui aliis indigent, non deserantur ab his quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant; aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquuntur ab eis, per quos eorum ecclesiastica est implenda necessitas. Tunc ergo de locis in quibus sumus, premente persecutione, fugiendum est Christi ministris, quando ibi aut plebs Christi non fuerit cui ministretur, aut potest impleri per alios necessarium ministerium, quibus eadem non est causa fugiendi. Cum autem plebs manet et ministri fugiunt, ministeriumque subtrahitur, quid erit nisi mercenariorum illa fuga damnabilis, quibus non est cura de ovibus? **Augustinus** in Ioannem. In bonis ergo nominantur ostium, ostiarius, pastor et oves; in malis fures et latrones, mercenarii, lupus.

Augustinus de verb. Dom.. Diligendus est pastor, cavendus latro, tolerandus mercenarius. Tamdiu enim est utilis mercenarius, quamdiu non videt lupum, furem vel latronem; cum autem viderit, fugit.

Augustinus in Ioannem. nec enim mercenarius diceretur, nisi acciperet a conducente mercedem. Filii aeternam hereditatem patris patienter expectant, mercenarius temporalem mercedem conducentis festinanter exoptat; et tamen per linguas utrorumque divina Christi gloria diffamatur. Inde ergo laedit unde mala facit, non unde bona dicit: botrum carpe, spinam cave: quia botrus aliquando de radice vitis exortus, pendet in spinis: multi quippe in ecclesia commoda terrena sectantes, Christum praedicant, et per eos vox Christi auditur; et sequuntur oves, non mercenarium, sed vocem pastoris per mercenarium.

IOANNES 10,14-21

13014 (Jn 10,14-21)

Chrysostomus in Ioannem. duos superius malos praemisit dominus: unum qui furatur et mactat et rapit; alterum qui non prohibet: per illum seditiosos insinuans, per hunc iudaeorum magistros confundens, et non procurantes creditas oves. Sed ab utrisque seipsum Christus distinxit: ab illis quidem qui ad laedendum venerunt, in hoc quod dixit: veni ut vitam habeant; ab his qui contemnunt luporum rapinas, ex eo quod pro ovibus animam ponit; et ideo quasi concludens subdit: ego sum pastor bonus. Sed quia superius dixerat, quod oves pastoris vocem audiunt, et sequuntur eum, ne quis dicat: quid ergo dicis de his qui tibi non credunt? consequenter subdit et cognosco oves meas, et cognoscunt me meae; quod et paulus ostendit, dicens: non repellit dominus plebem suam, quam praescivit.

Gregorius in evang.. Ac si aperte dicat: diligo oves meas, et ipsae me diligentes obsequuntur: qui enim veritatem non diligit, adhuc minime cognovit.

Theophylactus. hinc autem differentiam mercenarii et pastoris elicias: nam mercenarius ignorat oves, quia raro visitat eas; pastor vero cognoscit oves proprias tamquam erga eas sollicitus.

Chrysostomus. Deinde ut non aestimes parem mensuram cognitionis Christi et ovium, consequenter subdit sicut novit me pater, et ego cognosco patrem; quasi dicat: ita certissime ipsum scio, sicut ipse me. Hic ergo est par cognitio, ibi non; nam sequitur et animam meam pono pro ovibus meis.

Gregorius. ac si aperte dicat: in hoc constat quia cognosco patrem et cognoscor a patre, quia animam meam pono pro ovibus meis; idest, ea caritate qua pro ovibus meis morior, quantum patrem diligam ostendo.

Chrysostomus. hoc etiam dicit ostendens quod non est erroneus: quia et apostolus quando seipsum voluit ostendere verum esse magistrum, contra pseudoapostolos induxit rationem a periculis et mortibus.

Theophylactus. seductores enim non exposuerunt animam suam pro ovibus, sed sicut mercenarii deseruerunt illos qui eos sequebantur. dominus autem, ut non caperentur, dixit: sinite hos abire.

Gregorius. Quia vero non solum iudaeam, sed etiam gentilitatem redimere venerat, adiungit et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili.

Augustinus de verb. Dom.. Loquebatur enim primo de ovili de genere carnis israel: erant autem alii de genere fidei ipsius israel: extra erant, adhuc in gentibus erant, praedestinati, nondum congregati. non ergo sunt de hoc ovili, quia non sunt de genere carnis israel; sed erunt de hoc ovili; nam sequitur et illas oportet me adducere.

Chrysostomus. ostendit utrosque dispersos, et pastores non habentes. sequitur et vocem meam audient; ac si dicat: quid miramini si hi me sunt secuturi et vocem meam audituri, quando alios videbitis me sequentes, et vocem meam audientes? deinde et futuram eorum praenuntiat unionem; unde subdit et fiet unum ovile et unus pastor.

Gregorius. quasi ex duobus gregibus unum ovile efficit, quia iudaicum et gentilem populum in sua fide coniungit.

Theophylactus. idem namque omnibus est baptismi signaculum, unus pastor verbum Dei. Attendant ergo manichaei, quoniam unum ovile et unus pastor est novi et veteris testamenti.

Augustinus in Ioannem. quid ergo est: non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus israel, nisi quia praesentiam suam corporalem non exhibuit nisi populo israel, ad gentes autem non perrexit ipse, sed misit?

Chrysostomus. hoc autem verbum oportet, quod hic positum est, non necessitatis est demonstrativum, sed eius quod omnino fiet. quia autem alienum dicebant eum a patre, subiungit propterea me pater diligit, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam.

Augustinus in Ioannem. idest, quia morior, ut resurgam: cum magno enim pondere dictum est ego pono. Non gloriantur iudaei: saevire poterunt: si ego nolero ponere animam meam, quid saeviendo facturi sunt? Theophylactus. Dilexit autem pater filium, non tamquam stipendia mortis pro nobis sustinendae, dilectionem suam ei tribuens; sed quasi suae quidditatis proprietatem in genito intuens, dum ex eadem caritate pro nobis voluit mortem subire.

Chrysostomus in Ioannem. Vel utitur hic condescensione; quasi dicat: etsi nihil aliud esset, hoc suasit mihi amare vos, quod vos ita amamini a patre, ut ego etiam propter hoc diligar ab eo, quia pro vobis morior. Non autem a patre antea non amabatur, et nos sumus facti amoris eius causa. Similiter autem et hoc ostendere vult, quoniam non invitus ad passionem venit; unde sequitur nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a meipso.

Augustinus de trin.. In quo demonstravit quod nulla causa peccati usque ad mortem carnis accesserit, sed quia voluit, quando voluit, et quomodo voluit; unde sequitur potestatem habeo ponendi animam meam.

Chrysostomus. quia enim multoties consiliabatur eum interficere, dicit quoniam nolente eo inutilis erat hic labor. Ita enim habeo potestatem animam meam ponere, ut nullus possit me invito facere: quod in hominibus non est: nos enim non habemus potestatem aliter ponere, nisi interficiendo nosmetipsos; ipse autem solus dominus est ponendi eam. Hoc autem existente vero et illud constat, quod quandocumque voluerit, eam suscipere possit; unde sequitur et potestatem habeo iterum sumendi eam: in quo et

resurrectionem demonstravit indubitabilem. Ut autem non aestiment, cum eum interfecerint, derelictum a patre, subiungit hoc mandatum accepi a patre meo, scilicet ponendi animam et sumendi. Ex quo non est intelligendum quod prius expectaverit audire, et opus ei fuerit discere; sed voluntarium monstravit processum, et contrarietatis ad patrem suspicionem destruxit.

Theophylactus. nihil enim aliud mandatum hic dicitur quam ea quae ad patrem concordia.

Alcuinus. Verbum enim non verbo accepit mandatum, sed in verbo unigenito patris est omne mandatum. Cum autem dicitur filius accipere quod substantialiter habet, non potestas minuitur, sed generatio eius ostenditur: pater enim filio, quem perfectum genuit, omnia gignendo dedit.

Theophylactus. Postquam autem de se sublimia ostenderat, mortis et vitae se principem exprimens, rursus inducit humilia, sic mira dispositione utraque connectens ut nec minor aut subditus patri reputetur, nec Dei adversarius, sed eiusdem potestatis et consilii.

Augustinus in Ioannem. Per hoc autem quod dixit de anima sua, instruimur contra apollinaristas, qui dicunt Christum non habuisse animam humanam, idest rationalem. Quaeramus autem quomodo dominus animam suam ponit. Christus enim est verbum et homo, idest verbum et anima et caro. Christus ergo ex eo quod verbum est, ponit animam, et iterum sumit eam; an ex eo quod anima humana est, ipsa se ponit, et iterum ipsa se sumit; an iterum ex eo quod caro est, caro animam ponit, et iterum sumit? si autem dixerimus quia verbum Dei posuit animam suam et iterum sumpsit eam: ergo aliquando anima illa separata est a Dei verbo. Mors enim corpus ab anima separavit; a verbo autem animam separatam non dico. Si autem dixerimus quia ipsa se anima posuit, absurdissimus sensus est: si enim a verbo separata non erat, a seipsa poterat separari? caro ergo ponit animam suam, et iterum sumit eam, non tamen potestate sua, sed potestate inhabitantis carnem, scilicet verbi.

Alcuinus. Et quia lux in tenebris lucebat, et tenebrae eam non comprehenderunt, subiungitur dissensio itaque facta est inter iudaeos propter sermones hos. dicebant autem multi ex ipsis: daemonium habet et insanit.

Chrysostomus. quia enim maiora erant quam secundum hominem ea quae dicebantur, daemonium eum habere dicebant. Sed quod daemonium non habebat ostendunt alii ab his quae fecit; unde sequitur alii autem dicebant: haec verba non sunt daemonium habentis. Numquid daemonium potest caecorum oculos aperire? quasi dicant: nec ipsa verba daemonium habentis videntur. Si vero non suademini a verbis, ab operibus moveamini. Quia ergo dominus eam quae per res est tribuerat demonstrationem, silebat de reliquo: neque enim responsione erant digni. Sed et nos erudivit mansuetudinem et longanimitatem omnem. Ipsi etiam seipsos compescebant, quando ab invicem divisi altercabantur.

IOANNES 10,22-30

13022 (*Jn 10,22-30*)

Alcuinus. Audivimus patientiam Dei et inter opprobria praedicationem salutis; sed ipsi obdurati magis eum tentare quam ipsi obedire volebant; unde dicitur facta sunt autem encaenia in hierosolymis.

Augustinus in Ioannem. Encaenia festivitas erat dedicationis templi: graece enim chenon, dicitur novum: quandocumque novum quid fuerit dedicatum, encaenia vocantur.

Chrysostomus in Ioannem. Dicit enim diem secundum quam templum dedicatum est, redeuntibus eis a captivitate babylonis.

Theophylactus. Splendide ergo prosequerantur solemnitatem, veluti proprium decorem recuperante civitate post tam longam captivitatem.

Alcuinus. Vel haec dedicatio in memoriam illius erat dedicationis quam iudas machabaeus fecit. prima enim dedicatio a salomone facta est tempore autumnii; secunda a zorobabel et iesu sacerdote, tempore veris; haec autem tempore hiemali; unde sequitur et hiems erat.

Beda. Sub iuda enim machabaeo statutum legitur ut eadem dedicatio per omnes annos in memoriam solemnibus renovaretur officiis.

Theophylactus. Tempus autem hiemis evangelista exprimit, ad ostendendum quod proximum esset tempus passionis: nam in vere sequenti passus est dominus; et ideo hierosolymis conversabatur.

Gregorius moralium. vel idcirco hiemis curavit tempus exprimere, ut inesse iudaeorum cordibus malitiae frigus indicaret.

Chrysostomus. in hac autem solemnitate Christus cum multo studio aderat: de reliquo enim iudaeam frequentabat, quia passio erat in ianuis; unde sequitur et ambulabat iesus in templo in porticu salomonis.

Alcuinus. porticus salomonis dicitur ubi rex ille ad orandum stare consueverat: et ideo ex eius nomine cognominabatur. Solent autem porticus quibus templum cingebatur, ex nomine templi vocari. Si autem filius Dei in templo in quo caro brutorum animalium offerebatur, ambulare voluit; quanto magis nostram orationis domum, in qua caro et sanguis eius consecratur, visitare gaudebit? Theophylactus. Satagas tu quoque, dum hiems imminet, idest vita praesens turbinibus iniquitatis concussa, spirituales encaenias tui templi celebrare, semper renovando teipsum, et ascensiones in corde tuo disponens: tunc iesus erit praesto tibi in porticu salomonis, pacificum statum tibi tribuens sub tegmine proprio. In saeculo autem futuro nemo renovationis solemnia perficere poterit.

Augustinus in Ioannem. quia ergo iudaei friguerant a diligendi caritate, et ardebant nocendi cupiditate, non accedebant prosequendo, sed premebant persequendo; unde sequitur circumdederunt ergo eum iudaei, et dixerunt ei: quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palam. Non veritatem desiderabant, sed calumniam praeparabant.

Chrysostomus. Opera enim eius in nullo incusare valentes, captionem quamdam ex verbis cupiebant invenire. et intuere perversitatem illorum: nam cum per sermonem erudit, dicunt ei quod signum ostendis? cum autem per opera demonstrat, dicunt ei si tu es Christus, dic nobis palam: quasi semper ad contrarium stantes. Sed et plenum odio erat quod dicunt dic nobis palam. Et nimirum ipse palam omnia dicebat, in festivitatis semper assistens, et nihil occulte loquebatur. Sed et adulationis verba praemittunt, dicentes quousque animam nostram tollis? ut scilicet eum provocantes, aliquam captionem inveniant.

Alcuinus. causantur enim quod animos eorum incertos et suspensos dimittendo tolleret, qui venerat ut animas salvaret.

Augustinus. quaerebant autem audire a domino: ego sum Christus; et fortasse de Christo secundum hominem sapiebant, sed divinitatem Christi in prophetis non intelligebant, et sic si diceret: ego sum Christus, secundum quod illi sapiebant, de semine David, calumniarentur quod sibi arrogaret regiam potestatem.

Alcuinus. Et sic cogitabant eum tradere potestati praesidis ad puniendum, quasi contra augustum imperium usurparet; quare dominus ita temperavit responsionem ut etiam calumniatorum ora concluderet, et quia Christus est, fidelibus panderet: et de homine quaerentibus divinitatis mysteria narrat; unde sequitur respondit eis iesus: loquor vobis, et non creditis. Opera quae ego facio in nomine patris mei, haec testimonium perhibent de me.

Chrysostomus. quia enim simulabant a solo verbo se suaderi, qui a tot operibus non sunt suasi, arguit malitiam eorum, quasi dicat: si operibus non creditis, qualiter verbis credetis? et quare non credant, ostendit subdens sed vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.

Augustinus. Hoc autem dixit, quia videbat eos ad sempiternum interitum praedestinos, non ad vitam aeternam sui sanguinis pretio comparatos: oves enim sunt credendo, pastorem sequendo.

Theophylactus. Postquam vero dixerat: non estis ex ovibus meis, consequenter induxit eos ut oves eius efficiantur, dicens oves meae vocem meam audiunt.

Alcuinus. Idest, praeceptis meis ex animo obediunt. Et ego cognosco eas, idest eligo: et sequuntur me, hic mansuetudinis et innocentiae viam incedendo, et post ad gaudia aeternae vitae intrando; unde sequitur ego vitam aeternam do eis.

Augustinus. Ista sunt pasqua de quibus supra dixerat: et pasqua inveniet. Bona pasqua vita aeterna dicitur, ubi nulla herba arescit, totum viret. vos autem calumniam propterea quaeritis, quia de vita praesenti cogitatis. sequitur et non peribunt in aeternum: subaudi tamquam eis dixerit: vos peribitis in aeternum, quia non estis ex ovibus meis.

Theophylactus. Sed quomodo videmus iudam periisse? quia non permansit usque ad finem. Christus autem de perseverantibus hoc dixit; nam si quis separatur ab ovium grege, desinens sequi pastorem, confestim incurrit periculum.

Augustinus. Quare autem non pereant, subdit et non rapiet eas quisquam de manu mea: de illis enim ovibus de quibus dicitur: novit dominus qui sunt eius, nec lupus rapit, nec fur tollit, nec latro interficit. Securus est de numero illorum qui pro eis novit quid dedit.

Hilarius de trin.. consciae potestatis haec vox est: at vero ut in natura licet Dei, tamen ex Deo intelligenda sit eius nativitas, subiecit pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est. Non occultat ex patre esse se natum: quod enim a patre accepit, accepit nascendo, non postea; tamen ex alio est dum accepit.

Augustinus in Ioannem. non enim crescendo, sed nascendo aequalis est qui semper natus est de patre filius, de Deo deus. Hoc est ergo quod dedit mihi pater, quod maius omnibus est, ut scilicet sim verbum eius, ut sim unigenitus filius eius, ut sim splendor lucis eius. Ideo ergo nemo rapit oves meas de manu mea, quia nec de manu patris mei; unde sequitur et nemo potest rapere de manu patris mei. Si manum intelligamus potestatem, una est patris et filii potestas, quia una divinitas: si autem manum intelligamus filium, manus patris est ipse filius: quod non ita dictum est tamquam deus pater habeat corporis membra; sed quod per ipsum facta sunt omnia. Nam solent et homines dicere manus suas esse alios homines per quos faciunt quod volunt. Aliquando et ipsum opus hominis manus hominis dicitur, quod fit per manum; sicut dicitur quisque agnoscere manum suam, cum id quod scriptum sit, agnoscit. Hoc autem loco manum patris, et filii intelligimus potestatem: ne forte cum hic manum patris ipsum filium dictum acceperimus, incipiat carnalis cogitatio etiam filii quaerere filium.

Hilarius. ut enim per corporalem significationem, virtutem possis eiusdem nosse naturae, commemorata est filii manus, manus patris, quia natura et virtus patris est etiam in filio.

Chrysostomus in Ioannem. deinde ut non aestimes quia ipse quidem imbecillis est, propter patris autem virtutem in tuto sunt oves, subdit ego et pater unum sumus.

Augustinus. Utrumque audi, et unum et sumus, et a charybdi et a scilla liberaberis. Quod dixit unum, liberat te a sabellio. Si unum, non ergo diversum; si sumus, ergo pater et filius.

Augustinus de trin.. Unum enim sumus dictum est: quod ille hoc et ego secundum essentiam, non secundum relativum. **Hilarius** de trin.. Haec igitur quia haeretici negare non possunt, impietatis suae mendacio neganda corrumpunt: tentant enim id ad unanimatis referre consensum, ut voluntatis in his unitas sit, non naturae; id est, ut non per id quod sunt idem, sed per id quod idem volunt, unum sint. Sed per naturae nativitatem, dum nihil deus in ea ex se gignendo eum degenerat, unum sunt. Dumque de manu eius non rapiuntur, non rapiuntur de manu patris; dum in operante se operatur pater, dum ipse in patre, et in eo pater est. Hoc non praestat creatura, sed nativitas; non efficit voluntas, sed potestas; non loquitur unanimitas, sed natura. non negamus igitur unanimitatem inter patrem et filium: nam hoc solent haeretici mentiri, ut cum solam concordiam ad unitatem non recipimus, discordes eos a nobis affirmari loquantur. Sed audiant quam a nobis unanimitas non negetur. unum sunt pater et filius natura, honore et virtute; nec natura eadem potest velle diversa.

IOANNES 10,31-38

13031 (*Jn 10,31-38*)

Augustinus in Ioannem. Audierunt ergo iudaei: ego et pater unum sumus, et non pertulerunt, et more suo duri ad lapides cucurrerunt; unde dicitur sustulerunt lapides iudaei, ut lapidarent eum.

Hilarius de trin.. nunc haereticorum furor iam domino in caelis sedente pari infidelitate dictis non obedientes, odium impietatis exercent, verborum lapides iniciunt, et, si possent, de throno eum suo in crucem retraherent.

Theophylactus. Dominus autem ostendens quod nullam iustam habebant occasionem furendi adversus eum, commemorat signa quae fecerat; nam sequitur respondit eis iesus: multa bona opera ostendi vobis ex patre meo.

Alcuinus. Scilicet in sanitatibus infirmorum, in exhibitione doctrinae et miraculorum; quae ex patre ostendi, quia eius gloriam per omnia quaesivi. propter quod eorum opus me lapidatis? quamvis inviti, confitentur multa beneficia sibi impensa a Christo; sed quod de sua patrisque aequalitate dixerat, pro blasphemia deputabant; unde sequitur responderunt ei iudaei: de bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia, et quia, homo cum sis, facis te ipsum Deum.

Augustinus. ad hoc responderunt quod dixerat: ego et pater unum sumus. Ecce iudaei intellexerunt quod ariani non intelligunt; ideo enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici: ego et pater unum sumus, nisi ubi aequalitas est patris et filii.

Hilarius. Iudaeus dicit cum sis homo; arianus: cum sis creatura; utrique autem dicunt facis te Deum. Subicit enim arianus substantiae novae et alienae Deum, ut aut alterius generis deus sit, aut omnino nec deus; dicit enim: non est filius ex nativitate, non est deus ex veritate; creatura est praestantior cunctis.

Chrysostomus in Ioannem. dominus autem non destruxit opinionem iudaeorum aestimantium quod se Deo parem diceret; sed magis contrarium facit; nam sequitur respondit eis iesus: nonne scriptum est in lege vestra? **Augustinus** in Ioannem. idest, vobis data: quia ego dixi: dii estis. Deus hoc dicit per prophetam in psalmo, hominibus. Et legem appellavit dominus generaliter omnes illas scripturas, quamvis alicubi specialiter dicat legem, a prophetis distinguens, sicuti est: in his duobus praeceptis tota lex pendet et prophetae. Aliquando autem in tria distribuit easdem scripturas, ubi ait: oportebat impleri omnia quae scripta sunt in lege et prophetis et psalmis de me. Nunc vero etiam psalmos legis nomine nuncupavit: ex quibus sic argumentatur: si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est, et non potest solvi scriptura, quem pater sanctificavit, et misit in mundum, vos dicitis: quia blasphemias, quia dixi: filius Dei sum? **Hilarius.** Demonstraturus quidem quod ipse et pater unum essent, in eo primo ineptia ridiculi opprobrii confutatur, cur in reatum vocaretur, quod se, cum homo esset, Deum faceret. Cum enim lex huius nominis appellationem sanctis hominibus decerneret, et sermo Dei indissolubilis confirmaret hanc impartiti nominis professionem; iam ergo non est criminis, quod se Deum, cum homo sit, faciat, cum eos qui homines sunt, deos lex dixerit. Et si a ceteris hominibus non irreligiosa huius nominis usurpatio est: ab eo homine quem sanctificavit pater, non impudenter usurpari videtur, quia Dei filium se dixerit, cum praecellat ceteros per id quod sanctificatus in filium est, beato paulo dicente quod praedestinatus est filius in virtute secundum spiritum sanctificationis: omnis enim haec de homine responsio est, quod Dei filius etiam hominis filius est.

Augustinus. vel aliter. Sanctificavit; idest, ut sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit. Si autem sermo Dei factus est ad homines ut dicerentur dii, ipsum verbum Dei quomodo non est deus? si per sermonem Dei homines participando fiunt dii, verbum unde participatur non est deus? Theophylactus. vel sanctificavit eum, hoc est sanxit sacrificari pro mundo. In quo ostendit se non esse Deum sicut ceteri: nam salvum facere mundum, divinum opus est, non autem hominis deificati per gratiam.

Chrysostomus in Ioannem. Vel interim quidem, ut susciperetur sermo, humiliter locutus est; postea autem ad maius eos reduxit, dicens si non facio opera patris mei, nolite credere mihi; per hoc ostendens quod in nullo minor est patre: quia enim substantiam eius impossibile erat eis videre, ab operum paritate et identitate demonstrationem eius quae secundum virtutem indissimilitudinis est, tribuit.

Hilarius. quid hic adoptio, quid indulgentia nominis loci invenit, ne ex natura Dei filius sit, cum Dei filius ex naturae paternae operibus credendus sit? non exaequatur ac similis est Deo creatura, neque ei naturae alienae potestas comparatur. Gerere autem se, non sua, sed quae patris sunt, testatur, ne per magnificentiam gestorum naturae nativitas auferatur. Et quia sub sacramento assumpti corporis nati ex maria hominis, Dei filius non intelligebatur, fides nobis intimatur ex gestis, cum ait si autem facio, et si mihi non vultis credere, operibus credite. Cur enim sacramentum nati hominis intelligentiam divinae nativitatis impediatur, cum divina nativitas omne opus suum sub mysterio assumpti hominis exaequatur? faciens igitur opera patris, demonstrare debuit quid esset operibus credendum; nam sequitur ut cognoscatis et credatis quia pater in me est, et ego in patre. Hoc est illud Dei filius sum; hoc est illud ego et pater unum sumus.

Augustinus in Ioannem. non enim filius sic dicit in me est pater et ego in illo, quomodo possunt dicere homines: si enim bene cogitemus et bene vivamus, in Deo sumus, et deus in nobis est, quasi participantes eius gratiam et illuminati ab ipso: unigenitus autem Dei filius in patre est, et pater in illo tamquam aequalis.

IOANNES 10,39-42

Beda. Adhuc iudaeos in coepta dementia persistere evangelista ostendit, dicens quaerebant ergo eum apprehendere.

Augustinus in Ioannem. Non credendo et intelligendo, sed saeviendo et occidendo. Tu apprehendas ut habeas; illi apprehendere volebant ut non haberent; unde sequitur et exivit de manibus eorum. non eum apprehenderunt, quia manus fidei non habuerunt. Sed non erat magnum verbo eicere carnem suam de manibus carnis.

Chrysostomus in Ioannem. cum autem Christus aliquid magnum locutus fuerit, recedit velociter, ut sedetur eorum furor per absentiam eius; quod utique et nunc fecit; unde sequitur et abiit iterum trans iordanem in eum locum ubi erat Ioannes baptizans primum, et mansit illic. Ideo hunc locum evangelista commemorat, ut discas quoniam proprie abiit, ut recordetur eorum quae illic facta sunt et dicta a Ioanne, et testimonii illius.

Beda. Dicit autem ubi erat primum, idest a primaeva aetate. Demorante autem eo ibi, narrat quia multi venerunt ad eum; unde sequitur et multi venerunt ad eum, et dicebant quia Ioannes quidem fecit signum nullum.

Augustinus. idest, nullum miraculum ostendit: non daemonia fugavit, non caecos illuminavit, non mortuos suscitavit.

Chrysostomus. Vide autem qualiter syllogismos componunt indubitabiles. Ioannes quidem, dicunt, nullum signum fecit; hic autem facit: quare huius praeeminentia ostenditur. Deinde ne putetur Ioannes, quia nullum signum fecit, indignus testimonio, subdunt omnia autem quaecumque dixit Ioannes de hoc, vera erant; quasi dicant: etsi nullum signum fecerit, tamen de hoc omnia veraciter dixit. Ergo dicunt: si Ioanni credere oportebat, multo magis huic, cum illius testimonio etiam demonstrationem signorum habenti; unde sequitur et multi crediderunt in eum.

Augustinus. ecce qui apprehenderunt permanentem, non quomodo iudaei volebant apprehendere discedentem. Et nos ergo per lucernam veniamus ad diem, quia Ioannes lucerna erat, et diei testimonium perhibebat.

Theophylactus. Notandum autem, quod crebro dominus educit populus ad solitaria loca, de perfidorum societate eripiens, ut magis fructificent; sicut legem veterem daturus, eduxit populum in desertum. mystice autem recedens a hierosolymis dominus, hoc est a plebe iudaica, ad loca fontes habentia se transfert, idest ad ecclesiam ex gentibus, quae habet fontem baptismi, per quem multi ad Christum accedunt, quasi transeuntes iordanem.

IOANNES 11,1-5

13101 (*Jn 11,1-5*)

Beda. Dixerat evangelista, dominum trans iordanem abiisse, tuncque lazarus contigit infirmari; unde dicitur erat quidam languens lazarus a bethania. Hinc est quod in quibusdam exemplaribus copulativa coniunctio et posita invenitur, ut sequentia verba superioribus connexa videantur. interpretatur autem lazarus adiutus. inter omnes enim mortuos quos dominus suscitavit, hic magis ab eo adiuvatur, quem non solum mortuum, sed quadriduanum suscitavit.

Augustinus in Ioannem. Inter omnia enim miracula quae fecit dominus, lazari resurrectio praecipue praedicatur. Sed si attendamus quis fecerit, delectari debemus potius quam mirari. Ille suscitavit hominem qui fecit hominem: plus enim est hominem creare quam resuscitare. Infirmabatur autem in bethania lazarus; unde dicitur a bethania de castello mariae et marthae sororum eius; quod castellum erat proximum hierosolymis.

Alcuinus. Et quia plures feminae huius nominis erant, ne erraremus in nomine, ostenditur ex notissima actione; nam sequitur maria autem erat quae unxit dominum unguento, et extersit pedes eius capillis suis, cuius frater lazarus infirmabatur.

Chrysostomus in Ioannem. Igitur primum quidem illud necessarium discere, quoniam haec non fuit illa

meretrix quae in luca legitur: haec enim honesta fuit, et studiosa circa Christi susceptionem.

Augustinus de cons. Evang.. Vel aliter. hoc dicens iohannes attestatur lucae, qui hoc in domo pharisaei cuiusdam simonis factum esse narravit: iam itaque hoc maria fecerat. Quod autem in bethania rursus fecit, aliud est, quod ad lucae narrationem non pertinet, sed pariter narratur a tribus.

Augustinus de verb. Dom.. invaserat igitur lazarum pernicies inimica languoris; miserandi hominis corpus quotidie edax febris incendium consumebat. aderant autem duae sorores languenti, et casum dolentes, iuvenis aegrotantis lectulo iugiter inhaerebant; unde de eis mox subditur miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes: domine, ecce quem amas infirmatur.

Augustinus in iohannem. non dixerunt: veni et sana; non ausae sunt dicere: ibi iube, et hic fiet; sed tantummodo ecce quem amas infirmatur.

Chrysostomus. Per hoc enim ad miserendum volunt attrahere Christum; adhuc enim ei quasi homini intendebant. ideo autem non iverunt ad Christum, sicut centurio et regulus, sed mittunt, quia vehementer confidebant de Christo, propter multam familiaritatem quam habebant ad eum, et quia a luctu detinebantur.

Theophylactus. Et quia mulieres erant, quas non decet de facili domo exire. multam autem devotionem et fidei magnitudinem exprimunt, dicentes ecce quem amas infirmatur: tantam enim potentiam in domino esse credebant, quod mirum videretur qualiter virum sibi dilectum infirmitas potuerit occupare. sequitur audiens autem iesus dixit eis: infirmitas haec non est ad mortem: quia ipsa mors non erat ad mortem, sed potius ad miraculum: quo facto crederent homines in Christum et vitarent veram mortem; unde sequitur sed pro gloria Dei. Ubi ex obliquo dominus Deum se dixit, contra haereticos qui dicunt, quod filius Dei non sit deus. Pro gloria ergo cuius Dei? audi quod sequitur: ut glorificetur filius Dei per eam, scilicet infirmitatem.

Chrysostomus. hoc autem ut non est causale, sed eventus; nam evenit quidem aliunde infirmitas, usus est autem ea in gloriam Dei. sequitur diligebat autem iesus martham et sororem eius mariam et lazarum.

Augustinus. Ille languens, illae tristes, omnes dilecti. Habebant ergo spem, quoniam diligebantur ab eo qui est dolentium consolator, languentiumque sanator.

Chrysostomus. Per hoc etiam erudit nos evangelista non tristari, si qua infirmitas facta fuerit circa bonos viros et Dei amicos.

IOANNES 11,6-10

13106 (Jn 11,6-10)

Alcuinus. Dominus, nuntiata infirmitate lazari, quousque quatrimum compleretur sanare distulit, ut mirabilius suscicaret; unde dicitur ut autem audivit quia infirmabatur, tunc quidem mansit in eodem loco duobus diebus.

Chrysostomus. ut scilicet expiraret et sepeliretur et dicerent quoniam foetet, ut nullus posset dicere, quoniam nondum defunctum eum suscitavit, sed stupor fuit, et non mors. sequitur deinde post haec dicit discipulis suis: eamus in iudaeam iterum.

Augustinus. Ubi pene fuerat lapidatus, quia propterea inde discessisse videbatur ne lapidaretur. Discessit enim ut homo; sed in redeundo, quasi oblitus infirmitatem, ostendit potestatem.

Chrysostomus. nusquam autem alibi dominus praedixit discipulis quo iturus esset; sed hic praedicit, quia formidabant vehementer, ut non repente eos conturbet; nam sequitur dicunt ei discipuli: rabbi, nunc quaerebant te iudaei lapidare, et tu iterum vadis illuc? formidabant enim et pro eo et pro seipsis: nondum enim erant in fide firmati.

Augustinus. cum autem vellent dare consilium homines Deo, discipuli magistro, corripuit eos; unde sequitur respondit iesus: nonne duodecim horae sunt diei? ut enim diem se ostenderet, duodecim discipulos elegit. in hoc autem verbo non ipsum iudam, sed successorem eius praevidebat. iuda enim cadente, successit mathias, et duodenarius numerus mansit. Horae ergo illustrantur a die, ut per horarum praedicationem credat mundus in diem. Me ergo sequimini, si non vultis offendere; unde subdit si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt; si autem ambulaverit in nocte, offendit, quia

lux non est in eo.

Chrysostomus. quasi dicat: qui sibi nihil conscius est nequitiae, nihil patietur versutiae; qui vero mala agit, patietur. Itaque non oportet formidare: nihil enim dignum morte gessimus. Vel aliter. Si quis lucem huius mundi videt, securus est; multo magis qui mecum est, nisi amoverit se a me.

Theophylactus. Quidam vero hunc diem intelligunt tempus praecedens passionem, noctem vero ipsam passionem. Dicit ergo eis: dum dies est, idest dum nondum imminet tempus passionis, non offendetis: non enim vos persequentur iudaei: cum autem nox venerit, passionem propriam dico, ex tunc noctem possidebitis angustiarum.

IOANNES 11,11-16

13111 (Jn 11,11-16)

Chrysostomus in Ioannem. posita una confortatione discipulorum, hic alio modo eos confortat, ostendens quoniam non hierosolymam debent ire, sed in bethaniam; unde dicitur haec ait, et post haec dicit illis: lazarus amicus noster dormit; sed vado ut a somno excitem eum; quasi dicat: non eo rursus disputaturus contra iudaeos, sed amicum nostrum excitaturus: propter hoc ergo dicit amicus noster, ut ostendat necessarium suum adventum.

Augustinus in Ioannem. quod autem dixit dormit, verum dixit. Domino dormiebat, hominibus mortuus erat, qui eum suscitare non poterant: nam dominus tanta facilitate excitabat de sepulchro, quanta tu excitas dormientem de lecto. Ergo secundum potentiam suam dixit dormientem, sicut et apostolus dicit: de dormientibus autem nolo vos ignorare. Dormientes appellavit, quia resurrecturos praenuntiavit. Sed quomodo interest in ipsis qui quotidie dormiunt et exurgunt, quid quisque videat in somnis; alii sentiunt laeta somnia, alii torquentia: sic unusquisque cum causa sua dormit, cum causa sua surgit.

Chrysostomus. Discipuli autem impedire voluerunt eius adventum in iudaeam; unde sequitur dixerunt ergo discipuli eius: domine, si dormit, salvus erit: solet enim esse somnus aegrotantium salutis indicium; quasi dicant: si dormit, non igitur utile est quod tu vadas ad excitandum eum.

Augustinus. quomodo ergo intellexerunt discipuli, sic responderunt; unde sequitur dixerat autem iesus de morte eius; illi vero putaverunt quod de dormitione somni diceret.

Chrysostomus. Si vero quis dicat: quomodo non cognoverunt discipuli mortuum esse, ab eo quod dixit vado ut excitem illum? stultum enim erat eum ire per tot stadia ut lazarus a somno excitaret: istud dicemus, quoniam aestimabant hoc aenigma esse, qualia multa loquebatur.

Augustinus. Quia ergo obscure dixerat dormit, manifestat quod dixerat; unde sequitur tunc ergo dixit eis manifeste: lazarus mortuus est.

Chrysostomus. non autem hic adiecit: vado ut resuscitem eum; non enim volebat verbis praedicere quod per opera debebat certificare, vanam gloriam ubique nos fugere docens; et quod non oportet simpliciter promittere. sequitur et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.

Augustinus. aeger enim, non mortuus fuerat nuntiatus; sed quomodo lateret eum qui creaverat, ad cuius manus anima morientis exierat? ait ergo gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi: ut iam inciperent admirari, quia dominus poterat dicere mortuum, quod nec viderat nec audiverat. Ubi meminisse debemus quod adhuc etiam ipsorum discipulorum miraculis aedificabatur fides, non ut esse inciperet, sed ut quae coeperat cresceret. quod ergo dicit ut credatis, intelligendum est ut amplius robustiusque credatis.

Theophylactus. intellexerunt autem quidam hoc sic. Gaudeo, inquit, pro vobis: nam cum illic non extiterim, confert ad maioritatem fidei vestrae; quoniam si astitsem, aegrotantem curassem, quod esset modicum signum ad meae virtutis indicium. quia vero me absente supervenit mors, potius in fide mea corroboramini, cum videbitis me posse etiam defunctum putrescentem resuscitare.

Chrysostomus. igitur omnes discipuli quidem timebant iudaeos, super alios vero thomas; unde sequitur dicit ergo thomas, qui dicitur dydimus, ad condiscipulos: eamus et nos, et moriamur cum eo: infirmior enim erat aliis et infidelior, postea omnibus fortior factus est et irreprehensibilis, qui solus orbem terrarum percurrit, et in mediis plebibusolvebatur volentibus eum interficere.

Beda. Vel castigati discipuli superioribus domini verbis non ausi sunt ultra contradicere; sed thomas prae omnibus socios hortatur, ut irent et morerentur cum eo: in quo magna eius videtur esse constantia: sic enim loquebatur, quasi facere posset quae alios hortabatur, immemor suae fragilitatis, sicut et petrus.

IOANNES 11,17-27

13117 (Jn 11,17-27)

Alcuinus. Dominus ad hoc venire distulerat ut quatrimum impleteretur, ut lazarus gloriosius resuscitaretur; unde dicitur venit itaque iesus, et invenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.

Chrysostomus in Ioannem. manserat enim dominus duobus diebus, et ante duos dies venerat nuntius, in qua die lazarus est defunctus: ipse autem quarta die accessit.

Augustinus in Ioannem. de quatuor autem diebus multa dici possunt. Diversis enim modis una res significari potest. Est enim unus dies mortis quem homo trahit de mortis propagine. Sed et legem naturalem transgrediuntur homines: ecce alter dies mortis. lex etiam scripturae data est divinitus per moysen, et ipsa contemnitur: adde tertium diem mortis. Venit evangelium, et ipsum transgrediuntur homines: ecce quartus dies mortis. Et ad tales excitandos dominus non dedignatur accedere.

Alcuinus. aliter. Primum peccatum extitit elatio in corde, secundum consensus, tertium factum, quartum consuetudo. sequitur erat autem bethania iuxta hierosolimam quasi stadiis quindecim.

Chrysostomus. Quod erat milliaria duo. Hoc autem inducitur ad ostendendum quod congruum fuit multos iudaeorum a hierosolymis adesse; unde subditur multi autem ex iudaeis venerant ad martham et mariam, ut consolarentur eas de fratre suo. Sed quomodo iudaei consolabantur dilectas a Christo, cum iam statuissent quod si quis Christum confiteretur, extra synagogam fieret? sed propter calamitatis necessitatem, aut quasi nobiles has mulieres reverentes, eas consolabantur; aut quia hi aderant qui non mali erant: multi enim ex ipsis credebant. Hoc autem dicebat evangelista ad ostendendum quod lazarus vere mortuus erat.

Beda. Nondum autem dominus castellum introierat; unde adhuc extra castellum posito occurrit martha; unde sequitur martha ergo, ut audivit quia iesus veniret, occurrit illi; maria autem domi sedebat.

Chrysostomus. Non autem assumit sororem obviam Christo vadens; vult enim singulariter Christo loqui, et quod factum est ei annuntiare; cum vero eam in bonam spem duxit, tunc abiit et vocavit mariam.

Theophylactus. Primo itaque non pandit sorori, volens astantes hoc latere; quoniam si percepisset maria Christum accedere, obviam iret, et comitarentur eam praesentes iudaei, quibus notum fore adventum iesu martha nolebat. sequitur dixit autem martha ad iesum: domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.

Chrysostomus. credebat enim in Christum, sed non ut oportebat: nondum enim cognoscebat quoniam deus erat; et ideo dicebat si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.

Theophylactus. Quasi diffidens quoniam etiam absens, si vellet, posset prohibere mortem fratris sui.

Chrysostomus. nondum etiam cognoscebat quod propria virtute hoc faceret; quod apparet ex hoc quod subditur: sed nunc scio quia quaecumque poposceris a Deo, dabit tibi deus: ut de virtuoso quodam et approbato viro loquens.

Augustinus in Ioannem. non autem dicit ei: rogo te ut resuscites fratrem meum; unde enim sciebat, si fratri eius resurgere utile fuerat? hoc tamen dixit: scio quia potes, si vis, facere: utrum facias, iudicii tui est, non praesumptionis meae.

Chrysostomus. dominus autem vera quae non cognoscebat eam docuit; unde sequitur dixit ei iesus: resurget frater tuus. non dixit: petam ut resurgat. Sed si diceret: non indigeo adiutorio, a me ipso omnia facio, valde fuisset grave mulieri; sed hoc dicere: resurget, medium erat.

Augustinus. Ambiguum autem fuit quod dixit resurget: non enim ait: modo; et ideo sequitur dicit ei martha: scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. De illa resurrectione segura sum, de hac incerta sum.

Chrysostomus in Ioannem. Audierat autem mulier multa a Christo de resurrectione loquente; dominus autem manifestius suam ostendit auctoritatem: nam subditur dicit ei iesus: ego sum resurrectio et vita: ostendens quoniam non indiget alio adiutorio: si enim alio adiutorio indigeret, qualiter erit resurrectio? si vero ipse est vita, non loco circumcluditur, sed ubique existens potest sanare.

Alcuinus. Ideo ego sum resurrectio, quia vita: per quem tunc cum aliis resurget, per eundem potest et modo resurgere.

Chrysostomus. illa ergo dicente: quaecumque petieris, ipse dicit qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet: ostendens quoniam ipse est tributor bonorum, et ab ipso oportet petere. Per hoc autem eius intellectum elevat: non enim hoc erat solum quod quaerebatur, ut solum lazarum suscitaret; sed etiam oportebat eam et qui praesentes erant discere resurrectionem.

Augustinus. Dicit ergo qui credit in me, etiam si mortuus fuerit in carne, vivet in anima, donec resurget caro, nunquam postea moritura: nam vita animae fides est. sequitur et omnis qui vivit in carne, et credit in me, etiam si moriatur ad tempus propter mortem carnis, non morietur in aeternum.

Alcuinus. Propter vitam spiritus, et immortalitatem resurrectionis. sciebat autem dominus, quem nihil latet, quod hoc credebat; sed confessionem qua salvaretur quaerit; unde sequitur credis hoc? ait illi: utique, domine, ego credidi quia tu es Christus filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

Chrysostomus. videtur mihi non intellexisse mulier quod dictum est; sed quoniam magnum quid erat intellexit, non tamen cognovit quid est: propterea aliud interrogata, aliud respondit.

Augustinus. vel aliter. Quando hoc credidi quod filius es Dei, credidi quia tu es vita: quia et qui credit in te, etiam si moriatur, vivet.

IOANNES 11,28-32

13128 (Jn 11,28-32)

Chrysostomus in Ioannem. ex virtute sermonum Christi interim martha lucrata est luctus dissolutionem: ea enim quae ad magistrum erat devotio non permittebat eam sentire praesentia, quae luctum inducere poterant; unde dicitur et cum haec dixisset, abiit, et vocavit mariam sororem suam silentio.

Augustinus in Ioannem. Advertendum, quod suppressam vocem silentium nuncupavit: nam quomodo siluit, cum subdatur dicens: magister adest, et vocat te? **Chrysostomus** in Ioannem. Ideo autem occulte sororem vocat: si enim scivissent iudaei Christum advenire, recessissent, et non fuissent testes miraculi.

Augustinus. Advertendum etiam, quemadmodum evangelista non dixerit ubi, vel quando, vel quomodo mariam dominus vocaverit, ut hoc in verbis marthae potius intelligeretur, narrationis brevitate servata.

Theophylactus. Sive etiam ipsam Christi praesentiam vocationem reputavit, quasi dicat: inexcusabile est ut eo praesente tu non exeas obviam ipsi.

Chrysostomus. Omnibus autem assidentibus, illa lugens et plangens non expectavit ad se venire magistrum, neque dignitatem servavit, neque a luctu detenta est; sed surgens confestim obviavit; unde sequitur illa ut audivit, surrexit cito, et venit ad eum.

Augustinus. ex quo patet quod non illam praevenisset martha, si ei notus fuisset adventus iesu. sequitur nondum enim venerat iesus in castellum: sed erat adhuc in illo loco ubi occurrerat ei martha.

Chrysostomus. vacantius enim ibat, ut non videatur inicere seipsum miraculo, sed rogari ab aliis. Hoc igitur vult occulte evangelista insinuare: aut quia cito currebat, ut anticiparet eum venientem. Venit autem non sola, sed omnes trahens iudaeos; unde sequitur iudaei igitur qui erant in domo cum ea, et consolabantur eam, cum vidissent mariam quia cito surrexit et exiit, secuti sunt eam, dicentes, quia vadit ad monumentum ut ploret ibi.

Augustinus. hoc pertinuit ad evangelistam narrare, ut videamus quae occasio fuerit quod plures ibi essent quando lazarus resuscitatus est; ut tam grande miraculum quatruiduani mortui resurgentis testes plures

inveniret. sequitur maria ergo cum venisset ubi erat iesus, videns eum, cecidit ad pedes eius.

Chrysostomus. Ferventior haec sorore erat: non enim turbam verecundata est, nec suspicionem timuit quam de Christo iudaei habebant, cum aliqui inimicorum Christi interessent; sed omnia contempsit humana praesente magistro, et soli se dabat ei qui ad magistrum honori.

Theophylactus. Quamvis etiam se diminute videbatur habere, dicens domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.

Alcuinus. Quasi dicat: dum nobiscum praesens fuisti, non morbus, non infirmitas aliqua apparere ausa est, apud quas vita noverat habitare sive hospitari.

Augustinus de verb. Dom.. o infidelis conventio. Te adhuc posito in saeculo lazarus amicus moritur. Si amicus moritur, inimicus quid patietur? parum est si non tibi soli superi serviunt; ecce tuum dilectum inferi rapuerunt.

Beda. Non autem omnia dixit maria quae martha protulerat: quia consueto hominum more lacrymis non omnia quae voluit et in animo habuit, proferre potuit.

IOANNES 11,33-41

13133 (Jn 11,33-41)

Chrysostomus in Ioannem. mariae loquenti nihil Christus loquitur; neque ea dicit quae sorori dixerat: turba enim aderat multa, et non erat tempus illorum verborum. Sed condescendit, et humiliatur, humanam naturam denudans: quia enim miraculum magnum erat futurum, et multos per id lucraturus, sua condescensione attrahit testes, et humanam monstrat naturam; unde dicitur iesus ergo ut vidit eam plorantem, et iudaeos qui venerant cum ea plorantes, infremuit spiritu, et turbavit semetipsum.

Augustinus in Ioannem. Quis enim eum posset nisi ipse turbare? turbatus est Christus, quia voluit; esurivit, quia voluit; in illius potestate erat sic vel sic affici, vel non affici. Verbum enim animam suscepit et carnem, totius hominis sibi coaptans in personae unitate naturam; ac per hoc ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum turbatur infirmitas.

Theophylactus. ad approbandam enim conditionem humanam iubet ei quod suum est prosequi, nec non iniungit ei virtute spiritus sancti, illamque compescit. Haec autem cuncta naturam pati dominus connivet, cum approbando quod homo verus et non apparens fuerat, tum etiam nos monendo, ac metam moestitiae et iucunditati imponendo. Nam ex toto nec compati nec moerere ferinum, ac horum exuberantia muliebre. sequitur et dixit: ubi posuistis eum? **Augustinus** de verb. Dom.. non locum sepulti ignorare credi debuerat, sed fidem populi approbare volebat.

Chrysostomus. Non enim vult ipse se inicere, sed omnia ab aliis discere, et rogatus facere, ut ab omni suspitione eripiat signum.

Augustinus lib. 83 quaest.. quod et interrogat, vocationem nostram, quae fit in occulto, arbitror significare. praedestinatio enim nostrae vocationis occulta est, cuius secreti signum est interrogatio domini quasi nescientis, cum ipsi nesciamus: vel quod ignorare se peccatores alio loco dominus ostendit, dicens: non novi vos; quia in disciplina et praeceptis eius non sunt peccata. sequitur dicunt ei: domine, veni et vide.

Chrysostomus. Nondum enim aliquod signum resurrectionis monstraverat: unde ita videbatur iturus ut lacrymaturus, non ut resuscitaturus, propter hoc ei dicunt veni et vide.

Augustinus. videt autem dominus quando miseretur; unde illi dicit: vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte omnia peccata mea. sequitur et lacrymatus est iesus.

Alcuinus. quia fons pietatis erat, flebat pro parte humanitatis quem resuscitare poterat per potentiam divinitatis.

Augustinus. quare autem flevit Christus, nisi quia homines flere docuit? **Beda.** Est autem hominum consuetudo caros suos mortuos lugere: secundum hanc consuetudinem iudaei dominum flere putabant; unde subditur dixerunt ergo iudaei: ecce quomodo amabat eum.

Augustinus. Quid est amabat eum? non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam. sequitur quidam autem ex ipsis dixerunt: non poterat hic, qui aperuit oculos caeci nati, facere ut hic non moreretur? plus est quod facturus est, ut mortuus suscitetur.

Chrysostomus. Erant autem ex inimicis eius qui hoc dixerunt. ex quibus igitur oportebat eius admirari virtutem, ex his ei detrahunt, scilicet ex illuminatione caeci nati, quasi nec illo miraculo facto. In hoc etiam se ostendunt esse corruptos, quia nondum Christo adveniente ad monumentum, praeassumunt accusationes, non expectantes rei finem. sequitur iesus ergo rursus fremens in semetipso venit ad monumentum. Studiose evangelista frequenter dicit quod lacrymatus est, et quod fremuit, ut discas quod vere nostram naturam induit. Quia enim hic magis aliis evangelistis magna de eo loquitur, etiam in rebus corporalibus humiliora dicit.

Augustinus in Ioannem. fremas autem et in te, si disponis reviviscere; omni homini dicitur qui premitur pessima consuetudine. sequitur erat autem spelunca, et lapis superpositus ei. Mortuus sub lapide, reus sub lege: lex enim quae data est iudaeis, in lapide scripta est. Omnes autem rei sub lege sunt, iusto autem non est lex posita.

Beda. Est autem spelunca rupes cavata. Porro monumentum dicitur eo quod mentem moneat; hoc est, mortuos ad memoriam revocat. sequitur ait iesus: tollite lapidem.

Chrysostomus. Sed quare non lapide iacente fecit resuscitari? nonne poterat qui corpus movit mortuum voce, etiam multo magis lapidem movere? non autem hoc fecit, ut eos testes faciat miraculi, ut non dicant quod in caeco dixerant: non est hic. Manus enim, et accessus ad monumentum testabantur quod ipse est.

Augustinus. mystice autem dicit removete lapidem, removete legis pondus, gratiam praedicate.

Augustinus lib. 83 quaest.. In quo puto illos significari qui venientibus ad ecclesiam ex gentibus, onus circumcisionis imponere volebant; vel eos qui in ecclesia corrupte vivunt, et offensionem sunt credere volentibus.

Augustinus de verb. Dom.. iam autem maria et martha sorores lazari, quae Christum frequenter mortuos resuscitasse viderant, fratrem suum posse resuscitare penitus non credebant; nam sequitur dicit ei martha soror eius qui mortuus fuerat: domine, iam foetet, quatruiduanus enim est.

Theophylactus. Hoc autem martha tamquam diffidens dicit, veluti impossibile credens posse fratrem suscitari, ob dierum diuturnitatem.

Beda. vel haec verba non sunt desperationis, sed potius admirationis.

Chrysostomus in Ioannem. Sed hoc etiam quod dicit, valet ad obstruendum indevotos, ut et miraculum testentur manus tollentes lapidem, et auditus vocem audiens Christi, et visus videntium lazarum exire, et odoratus foetorem recipiens.

Theophylactus. Christus autem commemorat mulieri ea de quibus secum contulerat, et pene ut obliviscenti loquitur; unde sequitur dicit ei iesus: nonne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei?

Chrysostomus. non enim memor erat mulier eius quod Christus dixerat supra: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet. Et discipulis quidem dixit: ut glorificetur filius Dei in ea: hic autem gloriam Dei de patre dicit. Infirmitates enim eorum qui audiebant, causa erant differentiae eorum quae dicebantur. Nolebat dominus interim turbare adstantes; et ideo dicit videbis gloriam Dei.

Augustinus. in hoc autem est gloria Dei, quia et foetentem et quatruiduanum resuscitat. sequitur tulerunt ergo lapidem.

Origenes in Ioannem. Mora tollendi lapidem adiacentem ex sorore defuncti causata est: nisi enim dixisset iam foetet, est enim quatruiduanus, non diceretur dixit iesus: tollite lapidem. Sustulerunt ergo lapidem: nunc ergo longe tardius ablatum est. Commodum est igitur nihil interponere inter iussa iesu et ipsorum executionem.

13141 (Jn 11,41-46)

Alcuinus. Quia Christus secundum hominem minor erat patre, ab illo petit suscitationem lazari; atque ideo se exauditum esse dicitur: iesus autem elevatis sursum oculis dixit: pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.

Origenes in Ioannem. Elevavit quidem sursum oculos, quoniam intelligentiam humanam erexit, adducens illam per orationem ad excelsum patrem. Sed et necesse est volentem ad exemplar orationis Christi orare, elevare oculos cordis sursum, ac erigere illos a praesentibus rebus memoria, cogitationibus, atque intentionibus. Si autem digne orantibus huiusmodi quaedam exprimitur a Deo de propria oratione promissio: adhuc loquente dicam: ecce adsum, quid expedit arbitrari de domino et salvatore? erat enim oraturus pro resurrectione lazari. Sed praeveniens illius orationem qui solus bonus pater est, exaudivit dicenda. Pro impletione igitur orationis subdit gratiarum actiones, dicens pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me.

Chrysostomus in Ioannem. hoc est, nihil est contrarium mei ad te. non autem ostendit quod ipse non potuit, vel quod minor sit patre; quia hoc et amicis dicitur, et honore aequalibus. Ut autem ostendat quoniam non indiget oratione, subiungit ego autem sciebam quoniam semper me audis; quasi dicat: ad hoc quod fiat voluntas mea, non indigeo oratione ut tibi suadeam: una enim est nostra voluntas. Hoc autem obumbrate dicit, propter auditorum imbecillitatem. Deus enim non ita dignitatem suam respicit, ut ad salutem nostram: propterea excelsa quidem et magna, pauca, et ipsa occultata, humilia vero multa circumfluunt eius sermonibus. **Hilarius** de trin.. non igitur prece eguit: nobis oravit, ne filius ignoraretur; unde subditur sed propter populum qui circumstat dixi, ut credant quia tu me misisti. Cum enim sibi non proficeret deprecationis sermo, ad profectum tamen nostrae fidei loquebatur. Non inops ergo auxilii est, sed nos sumus inopes doctrinae.

Chrysostomus. Non autem dixit ut credant quoniam minor sum, quoniam sine oratione non possum facere; sed quoniam tu me misisti. Non dixit: misisti me imbecillum, servitatem recognoscentem, a meipso nihil facientem; sed me misisti, ut non Deo contrarium aestiment, nec dicant: non est ex Deo; et ut ostendam, secundum tuam voluntatem opus hoc fieri.

Augustinus de verb. Dom.. venit autem Christus ad monumentum in quo lazarus dormiebat, et non tamquam mortuum, sed tamquam sanum, tamquam audire paratum, de sepulchro protinus vocavit; unde sequitur haec cum dixisset, voce magna clamavit: lazare, veni foras. ideo dicit nomen, ne omnes mortui cogerentur exire.

Chrysostomus. non autem dixit: surge tu; sed veni foras, ut viventi loquens ei qui mortuus fuerat: propter quod non dixit: in nomine patris mei veni foras; aut: resuscita eum, pater; sed haec omnia dimittens, postquam orantis formam acceperat, per res auctoritatem ostendit: quoniam et hoc sapientiae suae est, per verba quidem condescensionem, per res vero ostendere potestatem.

Theophylactus. Alta vero salvatoris vox, quae lazarus suscitavit, indicium est tubae magnae sonaturae in communi resurrectione. altius etiam clamavit, ut gentilium ora refrenet fabulantium, in tumulis esse animas defunctorum: nam quasi foras manentem eam advocat per clamorem. sicut autem universalis resurrectio in ictu oculorum proveniet, sic et haec resurrectio singularis; et ideo sequitur et statim prodiit qui mortuus fuerat, ligatus manus et pedes institis, et facies eius sudario erat ligata. Iam mancipatur effectui quod dicitur: venit hora cum audient defuncti vocem filii Dei, et qui audierint vivent.

Origenes in Ioannem. nam vox elata et clamor non inconvenienter dicitur excitasse illum; et sic adimpletum est quod dixerat: vado ut excitem eum. Sed et pater, qui filium orantem exaudivit, suscitavit lazarus, ut sic resurrectio lazari commune opus sit filii orantis et patris exaudientis. Sicut enim pater suscitavit mortuos et vivificat, sic et filius quos vult vivificat.

Chrysostomus. exiit autem ligatus, ut non putaretur esse phantasma. Sed et hoc quod exhibat ligatus, non minus videbatur esse quam resuscitare. sequitur dicit eis iesus: solvite eum, ut videlicet tangentes, et ei appropinquantes, videant quia vere est ille. sequitur et sinite abire; et hoc propter humilitatem; non enim ducit eum, neque iubet secum ambulare ad sui demonstrationem.

Origenes. Dixerat autem supra dominus: propter populum qui circumstat, dixi, ut credant quia tu me misisti: nullo autem eorum credente hoc dixisset, velut aliquis hominum inscius futurorum; unde ad hoc removendum subditur multi ergo ex iudaeis qui venerant ad mariam et martham, et viderant quae fecit crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad pharisaeos et dixerunt eis quae fecit iesus. Continet quid ambiguum sermo praesens: verum qui iverunt ad pharisaeos, fuerint ex illis multis qui crediderant,

proponentes conciliare Christo hostiliter se habentes ad eum; vel alii a credentibus, irritare volentes invidum pharisaeorum zelum in ipsum. Et videtur mihi hoc magis evangelistam exprimere velle: multos enim dixit qui per hoc quod viderunt crediderunt, veluti paucis existentibus aliis, de quibus subdit quidam autem ex ipsis abierunt ad pharisaeos, et dixerunt eis quae fecit iesus.

Augustinus lib. 83 quaest.. quamquam autem secundum evangelistae historiam resuscitatum lazarum plena fide teneamus, tamen in allegoria aliquid significare non dubito; neque cum res factae allegorizantur, gestae rei fidem amittunt.

Augustinus in loannem. Omnis quidem qui peccat moritur; sed deus magna misericordia animas suscitatur, ne moriantur in aeternum. Intelligimus ergo tres mortuos, quos in corporibus suscitavit, aliquid significare de resurrectionibus animarum.

Gregorius moralium. puellam enim in domo, adolescentem extra portam, in sepulchro autem lazarum suscitatur. adhuc quippe in domo mortuus iacet qui iacet in peccato: iam quasi extra portam ducitur cuius iniquitas usque ad inverecundiam publicae perpetrationis operatur.

Augustinus. Vel intus est mors, quia cogitatum malum nondum processit in factum. Si autem ipsum malum fecisti, quasi mortuum extra portam extulisti.

Gregorius. Sepulturae vero aggere premitur qui in perpetratione nequitiae etiam usu consuetudinis pressus gravatur; sed hos plerumque divina gratia respectus sui lumine illustrat.

Augustinus lib. 83 quaest.. Vel accipiamus lazarum in monumento animam terrenis peccatis obrutam.

Augustinus in loannem. et tamen lazarum dominus amabat: si enim peccatores non amaret, de caelo ad terras non descenderet. Bene autem de illo qui peccare consueverat, dicitur foetet: incipit enim habere pessimam famam tamquam odorem teterrimum.

Augustinus liber 83 quaest.. recte etiam dicit quatruiduanus est: ultimum enim elementorum terra est: significat enim puteum terrenorum peccatorum, idest cupiditatum carnalium.

Augustinus in loannem. Fremuit autem dominus, lacrymavit, voce magna clamavit: quia difficile surgit quem moles consuetudinis premit. Turbat semetipsum Christus, ut tibi significet quomodo tu turbari debeas, cum tanta mole peccati gravaris et premeris. Fides enim hominis sibi displicentis fremere debet in accusatione malorum operum, ut violentiae poenitentis cedat consuetudo peccandi. Quando dicis: illud feci et pepercit mihi deus: evangelium audivi et contempsisti: quid facio? iam fremit Christus, quia fides fremit; in voce frementis apparet spes resurgentis.

Gregorius moralium. Dicitur autem lazaro veni foras, ut ab excusatione et occultatione peccati ad accusationem suam ore proprio exire provocetur; ut qui intra conscientiam suam abscondit iacet per nequitiam, a semetipso foras exeat per confessionem.

Augustinus lib. 83 quaest.. Quod autem lazarus exiit de monumento, animam significat recedentem a carnalibus vitiis; quod vero institis obvolutus, hoc est quod etiam a carnalibus recedentes, et mente servientes legi Dei, adhuc tamen in corpore constituti, alieni a molestiis carnis esse non possumus; quod autem facies eius sudario tecta erat, hoc est quod in hac vita plenam cognitionem habere non possumus; quod autem dicit solvite eum et sinite abire, hoc est quod post hanc vitam auferuntur omnia velamina, ut facie ad faciem videamus.

Augustinus in loannem. vel aliter. Quando contemnis, mortuus iaces; quando confiteris, procedis. Quid est enim procedere nisi ab occultis velut exeundo manifestari? sed ut confitearis deus facit, magna voce clamando, idest magna gratia vocando. Mortuus autem procedens adhuc ligatus est, confitens adhuc reus; ut autem solverentur peccata eius, ministris hoc dixit: solvite eum, et sinite abire; quod est: quae solveritis super terram, erunt soluta et in caelis.

Alcuinus. Christus ergo suscitatur, quia interior per seipsum vivificat: solvunt discipuli, quia per ministerium sacerdotum absolvuntur vivificati.

Beda. Per eos autem qui pharisaeis annuntiaverunt, significantur nonnulli, qui videntes bona servorum Dei opera, odiis insequuntur et infamare conantur.

IOANNES 11,47-53

13147 (Jn 11,47-53)

Theophylactus. Decebat admirari ac extollere eum qui talia peragebat miracula: ipsi vero potius consiliantur illum occidere; unde dicitur collegerunt ergo pontifices et pharisaei concilium adversus iesum, et dicebant: quid facimus? **Augustinus** in Ioannem. Nec tamen dicebant: credemus; plus enim perditii homines cogitabant quomodo nocerent et perderent, quam quomodo sibi consulerent ne perirent; et tamen timebant, et quasi consulebant: dicebant enim quid facimus, quia hic homo multa signa facit? **Chrysostomus** in Ioannem. Hominem eum adhuc vocant qui tantam susceperunt eius deitatis demonstrationem.

Origenes in Ioannem. Est autem per ea quae dicuntur ab ipsis, considerare eorum insipientiam et caecitatem: insipientiam quippe, quia testificabantur illum et multa peregrisse miracula, et tamen aestimabant se posse adversus eum aemulari, velut non posset pro se adversus eorum aemulationes. Caecitatis autem hoc ipsum erat: ad facientem enim tot miracula pertinebat ut se ab eorum insidiis eximeret: nisi forte crederent quod signa fecit, et putabant ea non fieri divina virtute. Hi quidem igitur deliberabant non dimittere ipsum, opinantes se per hoc esse impedimento volentibus credere in eum, et romanis, ne eis auferrent terram et gentem; unde sequitur si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, et venient romani et tollent locum nostrum et gentem.

Chrysostomus. Hoc dicentes, populum volunt concutere, ut periclitandum ex suspitione tyrannidis; quasi dicant: si romani viderint eum turbas ducentem, suspicabuntur nos in tyrannidem velle consurgere, et destruent nostram civitatem. sed fictio erat quae dicebantur: quid enim demonstrabat tale? armigeros circumferabat, et equitaturas trahebat? nonne deserta persequabatur? sed ut non putentur ob passionem suam hoc dicere, totam civitatem periclitari dicunt.

Augustinus. vel timuerunt ne si omnes in Christum crederent, nemo remaneret qui adversus romanos civitatem Dei templumque defenderent: quoniam contra ipsum templum et contra suas paternas leges doctrinam Christi esse sentiebant. Temporalia ergo perdere timuerunt, et vitam aeternam non cogitaverunt: nam et romani post domini passionem et glorificationem tulerunt eis et locum et gentem, expugnando et transferendo.

Origenes. sed et secundum anagogem, locum eorum qui ex circumcissione sunt gentes occupaverunt, quia per eorum casum salus gentibus evenit: loco enim gentium romani ponuntur, ex regnantibus qui regno suberant nuncupati. Gens etiam ab eis sublata est: quia qui fuit populus Dei, factus est non populus.

Chrysostomus. cum autem illi haesitabant, et in ordine consilii proponebant, dicentes quid facimus? unus inverecunde et cum crudelitate clamavit: unde sequitur unus autem ex ipsis, caiphas nomine, cum esset pontifex anni illius.

Augustinus. movere potest quomodo dicatur pontifex anni illius, cum dominus constituerit unum summum sacerdotem, cui mortuo unus succederet. Sed intelligendum est, per ambitiones et contentiones inter iudaeos, postea constitutum esse plures fore pontifices, qui per annos singulos vicibus ministrarent; et forte etiam in unum annum plures administrabant, quibus alio anno alii succedebant.

Alcuinus. Nam de hoc caipha iosephus refert, quod pretio sibi sacerdotium unius anni redemerit.

Origenes in Ioannem. Increpatur autem caiphae pravitas in hoc quod dicitur pontifex anni illius, quo scilicet noster salvator exercuit ministerium passionis; et tamen cum esset pontifex anni illius, dixit eis vos nescitis quidquam, neque cogitatis, quia expedit vobis ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat; quasi dicat: vos sedetis, et adhuc segnius rem attenditis; sed attendatis, unius hominis salutem pro communi republica oportere contemnere.

Theophylactus. Hoc autem ipse quidem prava dixit intentione: tamen spiritus sancti gratia ore eius usa est ad futuri praesagium; unde subditur hoc autem a semetipso non dixit; sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit quia iesus moriturus erat pro gente.

Origenes. non quicumque prophetizat, propheta est; sicut non quicumque ius prosequitur, iustus est, sicut qui facit aliquod opus propter humanam gloriam. Caiphas ergo prophetavit quidem, nec tamen erat propheta, sicut et balaam. Audebit autem quis dicere quod non per spiritum sanctum caiphas prophetaverit, quia etiam spiritus maligni est attestari iesu et prophetare pro eo, iuxta illud quod dicitur: novimus te quod

sis sanctus Dei: nam eius intentionis est non fideles auditores efficere, sed incitare in praetorio considerentes adversus iesum, ut eum perimerent. deinde quod dicit expedit vobis, quod pars eius prophetiae fuit, dicit verum, vel mentitur? nam si verum dicit, salvantur hi qui in praetorio adversus iesum nituntur, mortuo iesu pro populo, et pertingunt ad id quod expedit. Quod si inconveniens est, manifestum est quod non fuit spiritus sanctus qui dedit haec proferri, quia spiritus sanctus non mentitur. si autem quis velit veridicum et in hoc esse caipham, concederetur illi quod gratia Dei pro omnibus gustet mortem, et quod est salvator omnium hominum, maxime fidelium. Fatebitur etiam cuncta quae sunt in hoc loco prophetiam esse veridicam, incipiendo ab illo vos nihil scitis; nihil enim noverant qui iesum ignorabant esse veritatem, sapientiam, iustitiam et pacem, et quod ipsis quoque erat expediens ut hic unus in quantum est homo moriatur pro populo; non enim in quantum est imago invisibilis Dei, est susceptibilis mortis. Pro populo autem obiit, velut potens totius orbis culpam, in seipsum retorquens, dissipare ac delere. Ex hoc vero quod dicitur hoc autem a semetipso non dixit, docemur quod aliqua nos homines per nos dicimus, nulla inducente virtute ad proferendum; quaedam vero suadente nobis quadam virtute, etsi non integre exprimamus, et sic inconsequenter disponamur ad ea, insectantes ea quae dicimus, sed non intentionem dictorum; velut caiphaz ex se nihil protulit, nec dixit intentionem, quia prophetiam dicti non accipiebat. sed etiam apud paulum quidam legisperiti sunt non intelligentes nec ea quae proferunt.

Augustinus. Hic docemur, etiam homines malos prophetiae spiritu futura praedicere; quod tamen evangelista divino attribuit sacramento, quia pontifex fuit, idest summus sacerdos.

Chrysostomus. Vide autem quanta spiritus sancti virtus est: a mente enim mala valuit verba proferre prophetiae. vide etiam quanta est pontificalis virtus potestatis: pontifex enim effectus, etsi indignus existens, tamen prophetavit nesciens quid diceret: ore enim solum usa est gratia, contaminatum autem cor non tetigit.

Augustinus. Caiphaz igitur de sola gente iudaeorum prophetavit, in qua erant oves, de quibus ait ipse dominus: non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus israel. sed noverat evangelista alias esse oves, quae non erant de hoc ovili, quas oportebat adduci; et ideo addidit et non tantum pro gente, sed ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum. Haec autem secundum praedestinationem dicta sunt: nam neque oves eius, neque filii Dei adhuc erant.

Gregorius moralium. persecutores igitur peregerunt hoc quod perniciose moliti sunt; intulerunt mortem, ut ab eo abscinderent fidelium devotionem; sed fides inde crevit unde se hanc extinguere infidelium crudelitas credidit. ille enim ad pietatis suae obsequium redegit quod contra illum humana crudelitas extorsit.

Origenes. Concitati autem ad iram ex verbis caiphaz, taxaverunt ut occiderent dominum; unde sequitur ab illo ergo die cogitaverunt ut interficerent eum. Et quidem si non spiritu sancto caiphaz prophetaverat, alius spiritus fuit qui valuit et per impium loqui, et sibi compares adversum Christum incitare. Qui autem vult respondere pro spiritu sancto, dicet quod sicut sacrarum intentionem scripturarum ad utilitatem prolatam aliqui prave suscipiunt ad constituendam enormem disciplinam, sic edita pro salvatore prophetiam veridicam non debito modo percipientes, consiliati sunt ut interficerent Christum.

Chrysostomus. quaerebant quidem et prius eum interficere, nunc et sententiam firmaverunt.

IOANNES 11,54-56

13154 (Jn 11,54-56)

Origenes in Ioannem. Cum concilium congregaverunt pontifices et pharisaei ut occiderent iesum, ipse cautius se observans non ultra cum fiducia conversabatur cum iudaeis; sed neque ad aliam civitatem abiit populatam, sed ad quamdam remotam: unde dicitur iesus ergo iam non in palam ambulabat apud iudaeos; sed abiit in regionem iuxta desertum, in civitatem quae dicitur ephrem.

Augustinus in Ioannem. Non quia potentia eius defecerat, in qua, si vellet, palam cum iudaeis conversaretur, et nihil ei facerent; sed exemplum discipulis demonstravit, quo appareret non esse peccatum, si fideles eius oculis persequentium se subtraherent, et furorem sceleratorum latendo potius evitarent, quam se ostendendo magis accenderent.

Origenes. honestum namque est imminente agone confitenti iesum non evitare confessionem, nec recusare subire mortem gratia veritatis; nec minus honestum est non tradere occasionem tantae tentationi, non solum propter incertitudinem eventus proprii, sed ne nos occasionem praestemus ut alii magis impii ac noxii fiant: nam si quis factus erga quemquam materia criminis luet poenas, quo modo persecutorem non

declinans, non etiam et persequentis delicto dabit responsum? non solus autem dominus illuc ivit, immo, ut nullam daret causam perquirentibus eum, discipulos etiam secum duxit; unde sequitur et ibi morabatur cum discipulis suis.

Chrysostomus in Ioannem. Qualiter putas turbatos discipulos humane videntes eum salvatum? ipsi autem, quando omnes laetabantur et festa celebrabant, tunc occultantur, et in periculis sunt; sed tamen permanebant cum eo, secundum illud: vos estis qui permansistis mecum in tentationibus meis.

Origenes. quo ad anagogiam vero dicatur, quod iesus dudum cum fiducia ambulabat inter iudaeos, cum verbum divinum per prophetas in ipsis conversabatur; sed abiit illinc, nec est verbum Dei inter iudaeos. accessit autem ad villam quae est prope desertum, de qua dicitur: multi filii desertae magis quam coniugatae. Villa autem dicitur ephrem, qui interpretatur fertilitas. Fuit autem ephraim frater manasse senioris populi oblivioni traditi: post populum enim oblivioni datum et praetermissum prodiit ex gentibus abundantia. discedens ergo a iudaeis dominus, venit in terram totius orbis prope desertam ecclesiam, quae dicitur civitas fecunda; et ibi moratur cum discipulis usque nunc.

Augustinus in Ioannem. Ille autem qui de caelo venerat pati, propinquare voluit loco passionis, quia imminebat hora passionis; unde sequitur proximum autem erat pascha iudaeorum. Habebant iudaei pascha in umbra, nos in luce: sanguine occisi pecoris iudaeorum postes signati sunt; sanguine Christi frontes nostrae signantur. Illum diem festum iudaei cruentum habere domini sanguine voluerunt; illo die festo occisus est agnus, qui eundem diem festum suo sanguine consecravit. mandatum autem erat in lege iudaeis ut die festo, quo pascha erat, omnes undique convenirent, et illius diei celebratione sanctificarentur; unde sequitur et ascenderunt multi hierosolymam de regione ante pascha ut sanctificarent seipsos.

Theophylactus. ascenderunt autem ante pascha ut purgarentur: quoniam quicumque peccaverant inviti vel spontanei, pascha non celebrabant, nisi prius expiarentur, ut moris erat, balneationibus et ieiuniis, ac rasura, quin etiam quasdam deputatas oblationes offerendo. Hi ergo expiationem celebrantes, insidiantur domino; unde sequitur quaerebant ergo iesum, et colloquebantur ad invicem in templo stantes: quid putatis quia non venit ad diem festum? **Chrysostomus.** Insidiabantur ei, et tempus festi tempus faciebant occisionis.

Origenes. et propter hoc non dixit pascha domini, sed iudaeorum: nam salvator in illo patiebatur insidias.

Alcuinus. Illi ergo quaerebant iesum non bene; nos autem quaerimus eum stantes in templo Dei, mutuo nos consolando et exorando ut veniat ad diem festum nostrum, et sua praesentia nos sanctificet.

Theophylactus. Sed si talia solum vulgus perageret, videretur utique passio ex imperitia progredi; sed etiam pharisaei praecipunt ut capiatur; unde sequitur dederant autem pontifices et pharisaei mandatum ut si quis cognoverit ubi sit, indicet ut apprehendant eum.

Origenes. et attende, quod ignorabant ubi est: ostensum est enim eum discessisse. Dices etiam quoniam insidiantes iesu ignorabant ubi sit: propter quod dederunt alia quam divina mandata, docente disciplinas et mandata hominum.

Augustinus. Nos autem indicemus modo iudaeis ubi sit. Utinam velint audire et apprehendere.

IOANNES 12,1-11

13201 (Jn 12,1-11)

Alcuinus. Appropinquante tempore in quo dominus pati disposuit, appropinquavit ipse loco in quo eiusdem passionis dispensationem perficere voluit; unde dicitur iesus ergo ante sex dies paschae venit in bethaniam. Primo venit in bethaniam, deinde hierosolyma. In hierosolymam quidem ut ibi pateretur; in bethaniam vero ut resuscitatio lazari memoriae omnium arctius imprimeretur; unde subditur ubi fuerat lazarus mortuus, quem suscitavit iesus.

Theophylactus. Decima autem die mensis agnum iudaei capiunt immolandum in festo paschae, ex tunc enim festivitatis praelibant solemnia: quapropter in die quae est nona mensis, et praecedit sextum diem ante pascha, epulantur splendide, et exordium festi hanc diem constituunt: quo fit ut iesus quoque pergens bethaniam convivaretur; unde sequitur fecerunt autem ei coenam ibi, et martha ministrabat. Per hoc autem quod dixit quod martha ministrabat, insinuat quod in illius domo erat convivium. Sed attende mulieris

fidelitatem: non enim famulabus imponit ministerium, sed ipsamet suscepit. innuere autem volens evangelista verae resurrectionis lazari signum, subdit lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo.

Augustinus in Ioannem. vivebat, loquebatur, epulabatur, veritas ostendebatur, infidelitas iudaeorum confundebatur.

Chrysostomus in Ioannem. maria autem non faciebat communem famulatum, sed ad solum dominum constituit honorem, et non ut ad hominem accedit, sed ut ad Deum; unde sequitur maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici pretiosi, et unxit pedes iesu, et extersit capillis suis pedes eius.

Augustinus. quod ait pistici, locum aliquem credere debemus, unde erat hoc unguentum pretiosum.

Alcuinus. Vel pistici, idest fidelis, nec extraneis speciebus adulterati. haec est illa mulier quae quondam peccatrix in domo simonis venit ad dominum cum alabastro unguenti.

Augustinus de cons. Evang.. Quod autem hoc in bethania rursus fecit, aliud est quod ad lucae narrationem non pertinet, sed pariter narratur a tribus, Ioanne scilicet, matthaeo et Marco. Quod ergo matthaeus et marcus caput domini unguento illo perfusum dicunt, Ioannes autem pedes; non solum caput, sed et pedes domini accipiamus perfudisse mulierem. Matthaeus et marcus recapitulando ad illum diem redeunt in bethaniam, qui erat ante sex dies paschae, et narrant quod Ioannes de coena et unguento. sequitur et domus impleta est ex odore unguenti.

Augustinus in Ioannem. ad apostolum revoca intentionem, qui dicit: aliis sumus odor vitae ad vitam, aliis sumus odor mortis ad mortem; denique audies hinc ex unguento isto, quomodo erat aliis odor bonus in vitam, aliis odor malus in mortem; unde sequitur dixit ergo unus ex discipulis suis, iudas iscariones, qui erat eum traditurus.

Augustinus de cons. Evang.. quod alii dicunt discipulos murmurasse de unguenti pretiosi effusione, Ioannes autem iudam commemorat, puto discipulorum nomine iudam significatum, plurali numero pro singulari usurpato. Potest etiam intelligi quod alii discipuli aut senserint hoc, aut dixerint, aut eis iuda dicente persuasum sit: atque omnium voluntatem matthaeus et marcus verbis etiam expresserint; sed iudas propterea dixerit quia fur erat, ceteri propter pauperum curam; Ioannem vero de solo illo id commemorare voluisse, cuius ex hac occasione furandi consuetudinem credidit intimandam; nam sequitur dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum; sed quia fur erat, et loculos habens, ea quae mittebantur portabat.

Alcuinus. Portabat ministerio, exportabat furto.

Augustinus in Ioannem. non tunc periit iudas quando accepit a iudaeis pecuniam, ut dominum traderet: iam fur erat, dominum perditus sequebatur non corde, sed corpore. voluit autem per hoc dominus nos admonere ut malos toleremus, ne corpus Christi dividamus. Qui aliquid de ecclesia furatur, iudae perditio comparatur. Tolera malum bonus, ut venias ad praemium bonorum, ne immittaris in poenam malorum. exemplum domini accipite conversantis in terra. Quare habuit loculos cui angeli ministrabant, nisi quia ecclesia ipsius loculos habitura erat? quare fures admisit, nisi ut eius ecclesia fures dum patitur toleraret? sed ille, qui consueverat de loculis pecuniam tollere, non dubitavit accepta pecunia ipsum dominum vendere.

Chrysostomus in Ioannem. Ideo etiam ei furi existenti loculos commisit pauperum, ut omnem abscinderet occasionem: non enim habuit dicere quoniam propter pecuniarum desiderium hoc fecit; etenim sufficientem habebat ex loculo concupiscentiae mitigationem.

Theophylactus. Quidam vero administrationem pecuniae suscepisse iudam fatentur, tamquam minimum omnium. Nam pecuniae administratio, doctrinae administratione inferior est, secundum quod dicunt apostoli: non est aequum nos derelinquere verbum Dei, et ministrare mensis.

Chrysostomus. Christus autem multa condescensione ad iudam utens, non increpavit eum surripientem, sed communem intulit excusationem; nam sequitur dixit ergo iesus: sinite illam, ut in diem sepulturae meae servet illud.

Alcuinus. Significat se moriturum, et ad sepeliendum aromatibus esse unguendum; ideo mariae, cui ad unctionem mortui corporis multum desideranti pervenire non liceret, donatum sit viventi adhuc impendere obsequium, quod post mortem celeri resurrectione praeventa nequiret.

Chrysostomus. Rursus etiam propter proditorem rememoratus est sepulturae; ac si dicat: gravis sum tibi

et onerosus; sed expecta parum, et abibo; et hoc ostendit, cum subdit pauperes enim semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis.

Augustinus in Ioannem. Loquebatur de praesentia corporis sui: nam secundum maiestatem suam, secundum providentiam, secundum ineffabilem et invisibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum est: ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Vel aliter. in iudae persona significati sunt in ecclesia mali: si enim bonus homo es, habes Christum et in praesenti per fidem et sacramentum, et habebis semper: quia cum hinc exieris, ad illum venies, qui dixit latroni: hodie mecum eris in paradiso. Si autem male versaris, videris habere in praesenti Christum, quia baptizaris baptismo Christi, accedis ad altare Christi; sed male vivendo non semper habebis. non autem dixit: habes, sed habebis, quia unus malus corpus malorum significat. sequitur cognovit ergo turba multa ex iudaeis quia illic esset, et venerunt, non propter iesum tantum, sed ut lazarum viderent, quem suscitavit a mortuis. Curiositas eos adduxit, non caritas.

Theophylactus. visores enim suscitati fieri cupiebant, expectantes etiam de inferis aliquid lazaro referente perpendere.

Augustinus. quia vero tantum miraculum domini tanta erat evidentia diffamatum, ut non possent vel occultare quod factum est, vel negare, cogitaverunt ut lazarum interficerent; unde sequitur cogitaverunt autem principes sacerdotum ut et lazarum interficerent. O caeca saevitia. Quasi dominus suscitare potuerit mortuum, et non possit occisum. Ecce utrumque dominus fecit: et lazarum mortuum, et seipsum suscitavit occisum.

Chrysostomus in Ioannem. Nullum autem miraculum Christi eos ita furere fecit: hoc enim mirabilius erat, et coram multis factum est; et erat inopinabile, mortuum quatuoriduanum videre ambulans et loquentem. aliter etiam isti in aliis putabant criminari sabbati solutionem, et hac via abducere turbas; hic autem quia a nullo habebant conqueri contra iesum, adversum lazarum faciunt conatum: itaque et in caeco hoc fecissent, nisi haberent accusationem de sabbato. Aliter autem. Ille quidem ignobilis erat, et eiecerunt eum de templo: hic vero clarus. Hoc etiam eos mordebat quod festivitatem instantem omnes dimittentes, bethaniam veniebant.

Alcuinus. mystice autem quod ante sex dies venerat bethaniam, significat quod ille qui sex diebus omnia fecerat, et sexto die hominem creaverat, ipsa sexta mundi aetate, sexta feria, sexta hora redimere mundum venerat. Coena autem dominica, fides est ecclesiae, quae per dilectionem operatur. martha ministrat, cum fidelis anima opera suae devotionis domino impendit. Lazarus unus erat ex discumbentibus, cum ii qui post peccatorum mortem resuscitati sunt ad iustitiam, una cum eis qui in sua permanserunt iustitia, de praesentia veritatis exsultant, et caelestis gratiae muneribus aluntur. Et bene in bethania celebratur, quae interpretatur domus obedientiae: nam ecclesia est obedientiae domus.

Augustinus. unguentum autem quo maria unxit pedes iesu, iustitia fuit, ideo libra fuit. Erat autem unguentum nardi pistici pretiosi. Pistis graece, latine fides dicitur. quaerebas operari iustitiam? iustus ex fide vivit. Unge pedes iesu bene vivendo, dominica sectare vestigia, capillis terge; si habes superflua, da pauperibus, et domini pedes tersisti: capilli enim superflua corporis videntur.

Alcuinus. Et notandum, quod primo tantum pedes unxerat, hic autem pedes et caput unxit; ibi rudimenta poenitentium, hic iustitia perfectarum designatur animarum. Per caput enim domini sublimitas divinitatis, per pedes humilitas incarnationis exprimitur; vel per caput ipse Christus, per pedes pauperes, qui sunt membra eius.

Augustinus. domus autem repleta est odore, mundus impletus est bona fama.

IOANNES 12,12-19

13212 (Jn 12,12-19)

Chrysostomus in Ioannem. praeceptum legis erat ut decima luna primi mensis agnus sive hoedus in domo recluderetur usque ad quartam decimam lunam eiusdem mensis, quando ad vesperam immolabatur: unde et verus agnus ex omni grege sine macula electus, pro populi sanctificatione immolandus, ante quinque dies, idest decima luna, hierosolymam ascendit.

Augustinus in Ioannem. Quantus autem fructus apparuerit praedicationis eius, et quantus grex ovium ex

his quae perierant domus israel, vocem pastoris audierit intuendum ex eo quod dicitur in crastinum autem turba multa, quae convenerat ad diem festum, cum audissent quia venit iesus hierosolymam, acceperunt ramos palmarum etc.. Rami palmarum laudes sunt, significantes victoriam qua erat dominus mortem moriendo superaturus, et trophaeo crucis de diabolo mortis principe triumphaturus.

Chrysostomus in ioannem. Ostendebant autem quoniam de reliquo maiorem quam de propheta opinionem habebant de eo; unde sequitur et processerunt obviam ei, et clamabant: hosanna, benedictus qui venit in nomine domini, rex israel.

Augustinus. Hosanna vox est obsecrantis, magis affectum indicans quam rem aliquam significans, sicut sunt in lingua latina quas interiectiones vocant.

Beda. Est autem compositum ex corrupto et integro: hosi enim, salva, anna obsecrantis est interiectio. Hosi corruptum, anna est integrum. Benedictus autem qui venit in nomine domini, sic potius accipiendum est ut in nomine domini, in nomine Dei patris intelligatur; quamvis possit intelligi etiam in nomine suo, quia et ipse dominus est: sed verba eius melius nostrum dirigunt intellectum, qui ait: ego veni in nomine patris mei. Non utique amittit divinitatem, quando nos docet humilitatem.

Chrysostomus. Hoc est etiam quod maxime coegit credere in Christum omnes, quoniam non est Deo contrarius: et hoc maxime erigebat plebem quod ipse dicebat se a patre venisse. Ex his ergo verbis colligimus quod deus est: nam hosanna salvos fac interpretatur; salutem autem soli Deo scriptura attribuit. deinde quia vere est deus, qui venit, inquit, non: qui ducitur; hoc enim servile est quodammodo, illud vero dominicum. quod etiam dicunt in nomine domini, illud idem erga ipsum protendit: non enim in nomine servi, sed domini dicunt illum venire.

Augustinus. quid autem magnum fuit regi saeculorum regem fieri hominum? non enim rex israel Christus ad exigendum tributum vel ferro exercitum armandum; sed rex israel, quod mentes regat, quod in regnum caelorum perducatur. Quod ergo rex esse voluit israel, dignatio est, non promotio; miserationis indicium, non potestatis augmentum: qui enim appellatus est in terra rex iudaeorum, in caelis est dominus angelorum.

Theophylactus. Iudaei autem regem israel ipsum nuncupabant, quasi sensibilem regem somniantes: expectabant namque exurgere quemdam in regem maiorem quam secundum humanam naturam, salvaturum eos a romanorum iurisdictione. quomodo autem dominus venerit, ostendit evangelista subdens et invenit iesus asellum, et sedit super eum.

Augustinus. hoc breviter dictum est: nam quemadmodum sit factum, apud alios evangelistas plenissime legitur. Pullum autem asinae in quo nemo sederat (hoc enim apud alios evangelistas invenitur), intelligimus populum gentium, qui legem domini non acceperat; asinam vero (quia utrumque domino adductum est), plebem eius quae veniebat ex populo israel.

Chrysostomus. fecit ergo hoc, prophetice aliquid figurans: quoniam videlicet immundum gentium populum debebat subiectum habere; et prophetiam quamdam implens.

Augustinus. Adhibetur autem huic facto propheticum testimonium, ut appareat quoniam maligni principes iudaeorum eum non intelligebant in quo implebantur quae legebant; unde sequitur sicut scriptum est: noli timere, filia sion: ecce rex tuus venit tibi sedens super pullum asinae. In illo populo erat filia sion: ipsa est ierusalem, quae est sion, cui dicitur: noli timere illum, agnosce qui a te laudatur; et noli trepidare cum patitur, quia ille sanguis funditur per quem tuum delictum deleatur, et vita redimatur.

Chrysostomus. vel aliter. Quia reges eorum iniusti fuerant, et eos obnoxios bellis faciebant, confide, ait, hic non talis, sed mitis et mansuetus; quod ostendit ab asino: non enim exercitum habens intrabat, sed asinum habens solum. Vide autem evangelistae sapientiam: non verecundatur priorem ignorantiam divulgare; nam sequitur haec non cognoverunt discipuli eius primum, sed quando glorificatus est iesus.

Augustinus. Idest, quando virtutem suae resurrectionis ostendit, tunc recordati sunt quod haec erant scripta de eo, et haec fecerunt ei, idest non alia quam quae scripta erant de eo.

Chrysostomus. hoc autem ignorabant, quoniam ipse non revelavit eis: scandalizasset enim eos, si rex existens talia passurus erat; et etiam non suscepissent statim cognitionem regni de quo hic dicebatur: de regno enim temporali hoc dici putassent.

Theophylactus. Aspice autem consequentiam passionis. Suscitavit lazarum, hoc omnium novissime reservans miraculum, et ob hoc plurimi concurrebant et credebant; unde sequitur testimonium ergo

perhibebat turba, quae cum eo erat quando vocavit lazarum de monumento, et suscitavit eum a mortuis: propterea et obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. Exinde livor et insidiae; unde sequitur pharisaei autem dicebant ad semetipsos: videtis quia nihil proficimus: ecce mundus totus post eum abiit.

Augustinus. turba turbavit turbam. quid autem invidet caeca turba, quia post eum abiit mundus per quem factus est mundus? **Chrysostomus.** Mundum enim hic turbam dicunt. Videtur autem mihi hoc dictum esse eorum qui sani quidem erant, non audebant autem propalari: demum ab eventu deterrebant alios, quasi inconsummabilia tentantes.

Theophylactus. ac si dicerent: quantumcumque insidiemini, tanto hic augetur, et gloria eius intenditur: quis ergo profectus de tantis insidiis?

IOANNES 12,20-26

13220 (Jn 12,20-26)

Beda. Templum domini hierosolymis situm adeo erat famosum ut diebus festis non solum vicini, sed etiam multae ex longinquis regionibus gentes illuc advenirent, sicut de eunucho candacis reginae aethiopum actus apostolorum declarant. hac ergo consuetudine hi gentiles venerant adorare, de quibus dicitur erant autem quidam gentiles ex his qui ascenderant ut adorarent in die festo.

Chrysostomus in Ioannem. Prope existentes ut de cetero proselyti fierent. Fama itaque audita de Christo, volunt eum videre; unde sequitur hi ergo accesserunt ad philippum, qui erat a bethsaida galilaeae, et rogaverunt eum dicentes: domine, volumus iesum videre.

Augustinus in Ioannem. ecce volunt eum iudaei occidere, gentiles videre; sed etiam illi ex iudaeis erant qui clamabant: benedictus qui venit in nomine domini. Ecce illi ex circumcissione, illi ex praepotio, velut duo parietes de diverso venientes, et in unam fidem Christi pacis osculo concurrentes. sequitur venit philippus, et dicit andreae.

Chrysostomus. Quasi priori existenti: audiverat enim: in viam gentium ne abieritis; propterea cum condiscipulo communicans magistro refert; unde sequitur andreas rursus et philippus dicunt iesu.

Augustinus in Ioannem. Audiamus ergo vocem lapidis angularis; unde sequitur iesus autem respondit eis, dicens: venit hora ut clarificetur filius hominis. Forsitan aliquis putat ideo se dixisse glorificatum, quia gentiles volebant eum videre. non ita est; sed videbat gentiles post passionem et resurrectionem suam in omnibus gentibus credituros. Ex occasione igitur istorum gentilium qui eum videre cupiebant, annuntiat futuram plenitudinem gentium, et promittit iam adesse horam glorificationis suae, qua facta in caelis gentes fuerant crediturae, secundum illud: exaltare super caelos, deus, et super omnem terram gloria tua. sed altitudinem glorificationis oportuit ut praecederet humilitas passionis; unde adiunxit amen, amen, dico vobis: nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert. Se autem dicebat granum mortificandum in infidelitate iudaeorum, multiplicandum in fide populorum.

Beda. Ipse enim ex semine patriarcharum in agro huius mundi seminatus est ut moriendo cum multiplicatione resurgeret: solus mortuus est, cum multis surrexit.

Chrysostomus. et quia per sermones non ita suadebat, utitur experimento, quia frumentum magis facit fructum cum mortuum fuerit. Si autem in seminibus hoc accidit, multo magis in me. Quia igitur de reliquo debebat mittere discipulos ad gentes, videt autem gentiles praesilientes ad fidem, ostendit quod tempus erat ut ad crucem veniret. non enim prius eos ad gentes misit donec iudaei offenderunt, donec crucifixerunt. Et quia de morte sua praevidit discipulos contristandos, superabundantiam facit sermonis, dicens: non solum si non mortem meam patienter sustinueritis, sed etiam si vos ipsi non moriamini, nullum vobis erit lucrum; et hoc est quod subdit qui amat animam suam, perdet eam.

Augustinus. hoc duobus modis intelligi potest: qui amat, perdet; id est: si amas, perdes: si cupis vitam tenere in Christo, noli mortem timere pro Christo. Item alio modo: qui amat animam suam, perdet eam. Noli amare in hac vita, ne perdas in aeterna vita. Hoc autem quod posterius dixi, magis habere videtur evangelicum sensum; sequitur enim et qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam. Ergo quod supra dictum est, qui amat, subintelligitur in hoc mundo.

Chrysostomus in Ioannem. amat autem animam suam in hoc mundo qui desideria eius inconuenientia facit; odit autem eam qui non cedit ei noxia concupiscenti. et non dixit: qui non cedit ei, sed qui odit eam: quemadmodum enim eorum qui odio habentur, nec vocem audire sustinemus nec vultum videre delectamus, ita et animam cum contraria iniungit quae Deo non placent, cum vehementia auertere oportet.

Theophylactus. Quia enim valde onerosum erat audire quod oportet odire animam, consolatur per hoc quod addit in hoc mundo, temporis indicans particularitatem: non enim in perpetuum iubet animam odio haberi; et emolumentum ponit cum dicit in vitam aeternam custodit eam.

Augustinus in Ioannem. sed vide ne tibi subrepat ut teipsum interimere velis: sic intelligendo quod debes in hoc mundo odisse animam tuam; hinc enim quidam maligni atque perversi homicidae flammis se donant, aquis praefocant, praecipitatione collidunt et pereunt. hoc Christus non docuit: immo et diabolo praecipitium suggerenti respondit: vade, satana. Cum ergo causae articulus venerit, ut haec conditio proponatur aut faciendum esse contra Dei praeceptum, aut ab hac vita migrandum, comminante mortem persecutore, ibi oderis in hoc mundo animam tuam, ut in vitam aeternam custodias eam.

Chrysostomus. dulcis quidem est praesens vita his qui affixi sunt ei: si vero quis ad caelum respexerit, videns quae ibi sunt bona, cito contemnet vitam praesentem. cum enim apparuerit melior, contemnitur peior. In hoc ergo nos inducens Christus, subdit qui mihi ministrat, me sequatur; idest, me imitetur. De morte hoc dicit, et de ea quae per opera assecutione; oportet enim eum qui ministrat, eum cui ministrat sequi.

Augustinus. Quid ergo sit ministrare Christo, in ipsis verbis agnoscimus, cum dicit si quis mihi ministrat. ministrant ergo iesu qui non quae sua sunt quaerunt, sed quae iesu Christi; hoc est enim me sequatur: vias ambulet meas, non suas: non ea tantum quae ad misericordiam pertinent corporalem, sed omnia opera bona propter Christum faciens, usque ad illud opus magnae caritatis, quod est animam pro fratribus ponere. Sed quo fructu, qua mercede? sequitur et ubi ego sum, illic et minister meus erit. Gratis ametur, ut operi quo ministratur illi, pretium sit esse cum illo.

Chrysostomus. ostendit autem per hoc, quod resurrectio morti succedet. Ubi autem sum, ait, quia in caelis ante resurrectionem Christus erat. Igitur illuc transmigramus animo et mente. sequitur si quis mihi ministraverit, honorificabit eum pater meus.

Augustinus. per hoc intelligitur exposuisse quod supra dixerat illic et minister meus erit: nam quem maiorem honorem accipere poterit adoptatus quam ut sit ubi est unicus? **Chrysostomus.** Non autem dixit: ego honorificabo eum, sed pater meus: nondum enim de eo decentem opinionem habebant, sed maiorem de patre.

IOANNES 12,27-33

13227 (Jn 12,27-33)

Chrysostomus in Ioannem. quia dominus ad passionem discipulos exhortatus fuerat, ne dicant, quod ipse extra dolores existens humanos facile de morte philosophatur, et nos admonet, propter hoc quod ipse est sine periculo, ostendit quod et ipse in agonia sit, et tamen propter utilitatem mortem non renuit; unde dicit nunc anima mea turbata est.

Augustinus in Ioannem. Audio qui in hoc mundo odit animam suam, in vitam aeternam custodit eam: et mundum contemnere accendor, et in conspectu meo nihil est vitae huius totus, quantumlibet fuerit prolixus, vapor; pro amore aeternorum temporalia mihi cuncta vilescunt; et rursum dominum audio dicentem nunc anima mea turbata est. Sequi iubes animam meam; sed turbari video animam tuam: quale fundamentum quaeram si petra succumbit? agnosco, domine, misericordiam tuam: nam qui caritatis voluntate turbaris, multos in corpore tuo, qui suae infirmitatis necessitate turbantur, ne desperando pereant, consolaris. In se ergo caput nostrum suscepit membrorum suorum affectum; et ideo non est ab aliquo turbatus; sed, sicut de illo dictum est: turbavit semetipsum.

Chrysostomus. appropinquans enim de reliquo cruci, quod humanum est ostendit, et naturam non volentem mori, sed praesenti adhaerentem vitae, ostendens quoniam non extra humanas passiones erat: sicut enim esurire non crimen est, ita neque praesentem vitam appetere. Christus autem corpus a peccato

mundum habebat, non a naturalibus necessitatibus erutum. Hoc igitur dispensationis est, non deitatis.

Augustinus. denique homo qui sequi vult, audiat qua hora sequatur. Accessit forte hora terribilis: proponitur optio aut faciendae iniquitatis, aut subeundae passionis: turbatur anima infirma; audi ergo quid subiungit: et quid dicam? **Beda.** Hoc est, quid aliud nisi ut membra mea instruantur? pater, salvifica me ex hac hora.

Augustinus. docuit te quem invocas, cuius voluntatem tuae voluntati praeponas. Non ideo tibi videatur ex alto diffidere, quia te vult ab initio proficere. hominis suscepit infirmitatem ut doceat contristatum dicere: non quod ego volo, sed quod tu vis; unde subditur sed propterea veni in horam hanc. pater, glorifica nomen tuum, in sua scilicet passione et resurrectione.

Chrysostomus. quasi dicat: non habeo quid dicam, ereptionem quaerens: propterea enim veni in horam hanc; ac si dicat: etsi turbemur et tumultum patiamur, non fugiamus mortem: quia ego nunc turbatus, non dico ut effugiam; oportet enim ferre quod supervenit; non dico: eripe me ex hac hora; sed contrarium dico, scilicet clarifica nomen tuum. Ostendit enim quoniam pro veritate moritur, gloriam Dei hoc vocans; et hoc evenit: futurum enim erat ut post crucem converteretur orbis terrarum, et cognosceret nomen Dei, et coleret, non solum patris, sed etiam filii. sed tamen hoc silet. sequitur venit ergo vox de caelo dicens: et clarificavi, et iterum clarificabo.

Gregorius moralium. Huiusmodi verbis per angelum loquitur deus, cum nil in imagine ostenditur, sed supernae vocis verba audiuntur: et nimirum de caelestibus loquens, verba sua quae audiri ab hominibus voluit, rationali creatura administrante formavit.

Augustinus in Ioannem. clarificavi autem dicit, antequam facerem mundum, et iterum clarificabo, cum resurget a mortuis. Vel aliter. Clarificavi, cum de virgine natus est, cum miracula multa fecit, cum descendente spiritu sancto in specie columbae monstratus est; et iterum clarificabo, cum resurget a mortuis, cum exaltabitur super caelos deus et super omnem terram gloria eius. sequitur turba ergo quae stabat et audierat, dicebat tonitruum factum esse.

Chrysostomus in Ioannem. aperta quidem et bene significativa erat vox: sed cito ab eis evolavit quasi a grossioribus, et carnalibus, et desidiosis. Et hi quidem sonitum tantum retinuerunt; alii vero quoniam articulata erat vox noverant; quid autem significavit non adhuc; de quibus subditur: alii dicebant: angelus ei locutus est. sequitur respondit iesus, et dixit: non propter me haec vox venit, sed propter vos.

Augustinus. Hic ostendit, illa voce non sibi indicatum quod iam sciebat, sed eis quibus indicari oportebat. sicut autem vox illa non propter eum facta est, sed propter eos; sic anima eius, non propter ipsum, sed propter eos turbata est.

Chrysostomus. Ad illud enim instat vox patris quod semper dicebant, quoniam non est ex Deo: qui enim a Deo glorificatur, qualiter non est ex Deo? ubi vide quod humilia propter eos facta sunt, non quasi filio auxilio indigente. Quia ergo dixit clarificabo, ostendit consequenter et modum gloriae; nam sequitur nunc iudicium est mundi.

Augustinus. iudicium enim quod in fine expectant, erit praemiorum poenarumque aeternarum. dicitur etiam iudicium, non damnationis, sed discretionis: hoc vocabat hic iudicium, discretionem scilicet, et a suis redemptis diaboli expulsionem; unde sequitur nunc princeps mundi huius eicietur foras. Absit ut diabolus principem mundi ita dictum existimemus ut eum caeli et terrae dominari posse credamus; sed mundus appellatur in malis hominibus, qui toto orbe terrarum diffusi sunt. Sic ergo dictum est princeps huius mundi, idest princeps malorum hominum, qui habitant in mundo. appellatur etiam mundus in bonis, qui similiter per totum orbem terrarum diffusi sunt; ideo dicit apostolus: deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Hi sunt ex quorum cordibus princeps mundi eicietur foras. Praevidebat enim dominus, post passionem et glorificationem suam, per universum mundum multos populos credituros, in quorum cordibus diabolus intus erat, cui quando ex fide renuntiant, eicitur foras. Sed numquid de cordibus veterum iustorum non est eiectus foras? quomodo ergo dictum est nunc eicietur foras, nisi quia tunc quod in hominibus paucissimis factum est, nunc in multis magnisque populis iam mox futurum esse praedictum est? quid ergo ait quispiam: quia diabolus eicitur foras, iam fidelium neminem tentat? immo tentare non cessat; sed aliud est intrinsecus regnare, aliud forinsecus oppugnare.

Chrysostomus. sed quale est istud iudicium quo diabolus foras eicitur, exemplo id faciam manifestum. Sit aliquis debitores expetens, et feriat, et in vincula mittat: deinde ex eadem dementia et eum qui nihil debet sub eundem carcerem ducat: hic et eorum quae in alios fecit, dabit vindictam. Ita et in Christo factum est: eorum enim quae diabolus in nos fecit, per ea quae in Christum ausus est, sustinebit vindictam. Et ne quis

dicat: qualiter mittetur foras, si te superabit? subiungit et ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum. Qualiter enim superatur qui et alios trahit? hoc autem, plus fuit dicere, quam: resurgam. Si enim hoc dixisset, nondum manifestum esset quod traheret; dicendo vero traham, utrumque demonstrat.

Augustinus. Sed quae omnia trahit, nisi ex quibus diabolus eicitur foras? non autem dixit: omnes, sed omnia: non enim omnium est fides. non itaque hoc ad universitatem hominum retulit, sed ad creaturae integritatem, idest spiritum, et animam, et corpus; ad illud scilicet quod intelligimus, quod vivimus, quod visibiles sumus: aut si omnia ipsi homines intelligendi sunt, omnia praedestinata ad salutem possumus dicere; aut certe omnia hominum genera secundum innumerabiles differentias, quibus inter se praeter sola peccata homines distant.

Chrysostomus. qualiter igitur supra dixit, quoniam pater trahit? quia scilicet filio trahente, pater trahit. Dicit autem traham, quasi a tyranno detentos, et per seipsos nequeuntes accedere, et illius manus effugere.

Augustinus. Sed si exaltatus, inquit, fuero a terra; hoc est, cum exaltatus fuero; non enim dubitat futurum esse quod venit implere: nam exaltationem suam dixit in cruce passionem; unde evangelista subdit hoc autem dixit significans qua morte esset moriturus.

IOANNES 12,34-36

13234 (Jn 12,34-36)

Augustinus in Ioannem. cum intellexissent iudaei quod dominus de sua morte dixisset, proponunt ei quaestionem, quomodo se diceret moriturum; unde dicitur respondit ei turba: nos audivimus ex lege quia Christus manet in aeternum; quomodo tu dicis: oportet exaltari filium hominis? memoriter tenuerunt quod dominus assidue dicebat se esse filium hominis: nam hoc loco non dixit: si exaltatus fuerit filius hominis; sed superius dixerat: venit hora ut clarificetur filius hominis. Hoc ergo in animo retinentes, inquit: si Christus manet in aeternum, quomodo exaltabitur a terra; idest, quomodo crucis passione morietur?

Chrysostomus in Ioannem. hinc est videre quoniam multa eorum quae parabolice dicebantur, intelligebant: quia enim praevenit de morte disputans, audientes hic exaltationem, suspicati sunt hoc.

Augustinus. Vel hoc eum dixisse intelligebant quod facere cogitabant. Non ergo eis verborum istorum obscuritatem aperuit infusa sapientia, sed stimulata conscientia.

Chrysostomus. Et vide qualiter malitiose interrogant; non enim dixerunt nos audivimus ex lege quia Christus nihil patitur: in multis enim scripturarum locis et passio et resurrectio simul ponitur; sed quoniam manet in aeternum: et nimirum hoc non erat contrarium, immortalitati enim per passionem non est factum impedimentum. Sed aestimaverunt per hoc ostendere eum non esse Christum, quoniam Christus manet in aeternum. deinde subdunt: quis est filius hominis? et hoc malitiose; quasi dicant: non dicas quod propter odium tuum hoc dicamus: ecce enim non novimus de quo dicis. Sed Christus respondit, ostendens quoniam passio non prohibet manere eum in aeternum; unde subditur dixit ergo eis iesus: adhuc modicum lumen in vobis est: quasi dicat: adhuc parvo tempore ego lux vobiscum sum; per hoc ostendens quod mors eius transigratio est: etenim lux solaris non interimitur, sed parum recedens rursus apparet.

Augustinus. Vel aliter. modicum lumen in vobis est, per hoc quod intelligitis quia Christus manet in aeternum; ergo ambulate, accedite, totum intelligite, et moriturum Christum, et victurum in aeternum, dum lucem habetis.

Chrysostomus. Hic dicit tempus totum praesentis vitae et ante crucem et post crucem: multi enim post crucem crediderunt in eum. ut non tenebrae vos comprehendant.

Augustinus. Si scilicet eo modo credideritis Christi aeternitatem ut negetis in eo mortis humilitatem. sequitur et qui ambulat in tenebris, nescit quo vadat.

Chrysostomus. quanta denique iudaei nunc agunt, et nesciunt quid agunt; sed ut in tenebris ambulantes, putant rectam quidem incedere viam, contrariam autem vadunt; propterea subdit dum lucem habetis, credite in lucem.

Augustinus. Id est, dum aliquid veri habetis, credite in veritatem, ut renascamini veritati; unde sequitur ut filii lucis sitis.

Chrysostomus. quod est filii mei. In principio autem evangelista dicit quod ex Deo nati sunt, hoc est ex patre; hic autem ipse dicitur hos generare, ut discas quoniam una est actio patris et filii. sequitur haec locutus est iesus, et abiit, et abscondit se ab eis.

Augustinus. non ab eis qui credere et diligere coeperunt, sed ab eis qui videbant et invidebant. Cum autem se abscondit, nostrae infirmitati consuluit, non suae potestati derogavit.

Chrysostomus. sed cum nec lapides levarent, nec blasphemarent, cuius gratia occultatus est? corda enim rimatus noverat furorem in eis saevientem, et non expectavit ut in opus exirent; sed occultatur, mitigans eorum invidiam.

IOANNES 12,37-43

13237 (Jn 12,37-43)

Chrysostomus in Ioannem. noverat dominus ferventem animum iudaeorum, et occisionem meditantem; et ideo occultatus est: et hoc occulte insinuavit evangelista subdens cum autem tanta signa fecisset coram eis, non crediderunt in eum.

Theophylactus. Non autem modicae iniquitatis fuit tantis signis non credere: ea vero signa commemorat quae supra sunt posita.

Chrysostomus. ne quis autem dicat: cuius gratia venit Christus, non noverant, quod non ei intenderent; ideo ad hoc excludendum inducit etiam prophetas hoc scientes; propter quod sequitur ut sermo Isaiae impleretur, quem dixit: domine, quis credidit auditui nostro, et brachium domini cui revelatum est? Alcuinus. Quis pro raritate posuit: quia quod sancti prophetae a Deo audierunt et populo praedicaverunt, paucissimi crediderunt.

Augustinus in Ioannem. satis autem ostendit brachium domini ipsum Dei filium nuncupatum: non quod deus pater figura detinetur carnis humanae: sed quia omnia per ipsum facta sunt, ideo brachium domini dictum est. Si enim aliquis homo tanta potestate praevaleret ut sine ullo motu corporis sui, quod diceret fieret, verbum eius, brachium eius esset. Non autem patet occasio erroris his qui dicunt quia solus pater est, si brachium eius est filius (non enim duae, sed una persona est homo et brachium eius), non intelligentes quomodo verba de rebus aliis ad res alias propter aliquam similitudinem transferantur. Quidam autem inter se mussitant: quae culpa fuit iudaeorum, si necesse erat ut sermo Isaiae impleretur? quibus respondemus, Deum praescium futurorum per prophetam praedixisse infidelitatem iudaeorum, non fecisse: non enim propterea quemquam deus ad peccandum cogit, quia futura hominum peccata iam novit: ipsorum enim praescivit peccata, non sua. Fecerunt ergo peccatum iudaei quod facturos esse praedixit quem nihil latet.

Chrysostomus. Quod ergo dixit ut sermo Isaiae prophetae impleretur, ly ut non causale est, sed eventus: non enim quia dixit Isaias, non crediderunt; sed quia non erant credituri, propterea Isaias dixit.

Augustinus. sed ea quae sequuntur, profundiore faciant quaestionem; adiungit enim et dicit propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum, ut non videant oculis, et non intelligant corde, et convertantur, et sanem eos. Si enim credere non poterant, quod peccatum est hominis non facientis quod non potest facere? et, quod est gravius, ad Deum causa refertur, quandoquidem ipse excaecavit oculos eorum et induravit eorum cor: non enim hoc saltem de diabolo dicitur, sed de Deo. sed quare non poterant credere? respondeo: quia nolebant. Sicut enim quod dominus negare se ipsum non potest, laus est voluntatis divinae, ita quod illi non poterant credere, culpa est voluntatis humanae.

Chrysostomus. Hoc autem et in communi consuetudine custoditur, ut cum quis dicit: non possum amare illum: vehementiam voluntatis impotentiam dicit. sed evangelista dicit non poterant, ut ostendat quoniam impossibile est mentiri prophetam: non tamen propterea impossibile erat eos credere; non enim haec praedixisset, si credituri essent.

Augustinus. sed aliam causam, inquis, dicit propheta, non voluntates eorum: quia scilicet excaecavit oculos eorum, et induravit cor eorum. Sed hoc etiam eorum voluntatem meruisse respondeo. Sic enim excaecat et obdurat deus deserendo et non adiuvando; quod occulto iudicio facere potest, iniquo non potest.

Chrysostomus. neque enim derelinquit nos nisi voluerimus nos, secundum illud: oblitus es legis Dei tui; obliviscar et ego tui. Haec dicit ostendens nos incipere derelictionem et causam fieri perditionis. sicut enim sol infirmum offendit visum non ex propria natura; ita fit in his qui non attendunt Dei sermones. Terrens autem auditores scriptura dicit excaecavit et induravit.

Augustinus. Quod autem addidit et convertantur, et sanem eos, utrum subaudiendum sit non, idest non convertantur, etenim conversio de illius gratia est; an forte et hoc de supernae medicinae misericordia factum intelligendum, ut quoniam superbe suam iustitiam constituere volebant, adhuc desererentur et excaecarentur, ut offenderent in lapidem offensionis, et impleretur facies eorum ignominia, atque humiliati quaerent non suam, qua inflatur superbus, sed iustitiam Dei, qua iustificatur impius? hoc enim multis eorum profecit in bonum, qui de suo scelere compuncti, in Christum postea crediderunt. sequitur haec dixit Isaias quando vidit gloriam eius, et locutus est de eo. Vidit autem non sicuti est, sed modo quodam significativo, sicut prophetae visio fuerat informanda. Nemo ergo vos fallat eorum qui dicunt invisibilem patrem et visibilem filium, qui putant eum esse creaturam: in forma enim Dei, in qua aequalis est patri, etiam filius invisibilis est: ut autem ab hominibus videretur, formam servi accepit. ostendit etiam se, antequam susciperet carnem, oculis hominum, sicut voluit in subiecta creatura, non sicuti est.

Chrysostomus. gloriam autem hic dicit visionem sedentis in throno excelso, et alia quae ibi dicuntur; unde sequitur et locutus est de eo, hoc scilicet: vidi Deum sedentem, et quod audivit vocem dicentem: quem mittam, et quis ibit nobis? sequitur verumtamen ex principibus multi crediderunt in eum; sed propter pharisaeos non confitebantur, ut de synagoga non eicerentur. Dillexerunt enim magis gloriam hominum, quam gloriam Dei.

Alcuinus. Gloria Dei est publice confiteri Christum; gloria hominum est in mundanis gloriari.

Augustinus. hos ergo improbavit evangelista qui in hoc gressu fidei si proficerent per amorem, quae humanae gloriae sunt proficiendo superarent.

IOANNES 12,44-50

13244 (Jn 12,44-50)

Chrysostomus in Ioannem. quia amor humanae gloriae principes credentes confiteri prohibebat, dominus contra hoc eis loquitur; unde dicitur iesus autem clamavit, et dixit: qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui me misit; quasi dicat: quid formidatis credere in me? in Deum fides pervenit per me.

Augustinus in Ioannem. Quia enim homo apparebat hominibus, cum lateret deus, ne putarent eum hoc esse tantum quod videbant, talem ac tantum se volens credi qualis et quantus est pater, qui credit in me, inquit, non credit in me, idest in hoc quod videt, sed in eum qui me misit, idest in patrem. Nam si putaverit eum habere filios secundum gratiam, non autem habere filium aequalem sibi atque coaeternum, nec credit in patrem qui eum misit, quia non est hoc pater qui eum misit. Ne autem putarent sic voluisse intelligi patrem tamquam multorum filiorum per gratiam generatorem, non unici verbi aequalis sibi, continuo subiecit qui videt me, videt eum qui misit me; quasi dicat: usque adeo nihil distat inter eum et me, ut qui me videt, videat eum qui misit me. Apostolos suos certe ipse dominus misit; numquam tamen aliquis eorum dicere auderet: qui credit in me. credimus enim apostolo, sed non credimus in apostolum. Filius autem recte unigenitus dicit qui credit in me, non credit in me, sed credit in eum qui me misit; ubi non a se abstulit credentis fidem, sed noluit in forma servi remanere credentem.

Chrysostomus. vel dicit qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me, quasi dicat: qui fluminis accipit aquam, non eam quae est fluminis accipit sed eam quae est fontis. Volens autem ostendere quoniam non est credere in patrem, non credentem in eum, subiungit qui videt me, videt eum qui me misit. quid igitur? corpus est deus? nequaquam; sed consideratio veri, quae est per intellectum, hic visio dicitur. Deinde ostendit eam quae est ad patrem cognitionem, in hoc quod subdit ego lux in mundum veni: quia enim pater lux vocatur, ubique eo hic utitur nomine. Lucem autem se hic vocavit, eo quod ab errore eripit, et intellectuales tenebras solvit; unde subdit ut omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.

Augustinus. In quo satis manifestat, omnes se in tenebris invenisse. Sed ne in eis tenebris maneant in quibus inventi sunt, debent credere in lucem, quae venit in mundum. Dixit quodam loco discipulis suis: vos estis lux mundi; non tamen eis dixit: vos lux venistis in mundum, ut omnis qui credit in vos, in tenebris non maneat. Lumina ergo sunt omnes sancti; sed credendo illuminantur ab eo a quo si quis recesserit,

tenebratur.

Chrysostomus. Ut autem non existiment quod propter imbecillitatem eos qui ipsum contemnunt illaesos dimittat, subiungit et si quis audierit verba mea et non custodierit, ego non iudico eum.

Augustinus. Intelligendum est: modo non iudico eum; cum alio loco dicat: pater omne iudicium dedit filio. Quare autem modo non iudicat, ostendit subdens non enim veni ut iudicem mundum, sed ut salvificem mundum; idest, ut salvum faciam mundum. Nunc ergo est tempus misericordiae, post erit iudicii.

Chrysostomus. Deinde ut non pigriores ex hoc fiant, terribile subdit iudicium qui spernit me et non accipit verba mea, habet qui iudicet eum.

Augustinus in Ioannem. Non dicit: ego non iudico eum in novissimo die: hoc enim esset contrarium illi sententiae: omne iudicium dedit filio. expectantibus autem quisnam esset ille, secutus adiungit sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum in novissimo die. Satis manifestavit seipsum in novissimo die iudicaturum: seipsum quippe locutus est, seipsum annuntiavit. Aliter itaque iudicabuntur qui non audierunt, aliter qui audierunt et contempserunt.

Augustinus de trin.. Ideo autem iudicat verbum quod locutus est filius, quia non ex se locutus est filius; unde sequitur quia ego ex meipso non sum locutus; per quod intelligi voluit: ego non ex me natus sum. quaero itaque quomodo intelligamus: ego non iudicabo, sed verbum quod locutus sum iudicabit; cum ipse sit verbum patris quod loquitur. Vel ita. Ego non iudicabo ex potestate humana, quia filius hominis sum, sed ego iudicabo ex potestate verbi Dei, quia filius Dei sum.

Chrysostomus in Ioannem. Vel aliter. Ego non iudico eum; idest, non sum causa perditionis eius; sed ipse qui verba mea spernit. Verba enim quae modo locutus sum, in ordine stabunt accusatoris omnem tollentia excusationem; et hoc est quod subdit sermo quem locutus sum, ille iudicabit eum. Et quis sermo? quia ego ex meipso non sum locutus; sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit quid dicam, et quid loquar. Omnia igitur haec propter eos dicebantur, ut nullam habeant excusationem.

Augustinus in Ioannem. mandatum autem, non quod filius non habeat, pater dedit; sed in sapientia patris, quod est verbum patris, omnia mandata sunt patris. Dicitur autem mandatum datum, quia non est a seipso, cui dicitur datum; et hoc est dare filio id sine quo numquam filius fuit, quod est gignere filium qui numquam non fuit.

Theophylactus. Cum enim verbum patris existat filius, et quae sunt in mente patris revelet in integrum, mandatum accepisse dicit quid sit dicturus, et quid loquatur. sicut etiam nostrum verbum, si verum fateri volumus, ea profert quae suggerit mens. sequitur et scio quia mandatum eius vita aeterna est.

Augustinus. si ergo vita aeterna est ipse filius, et vita aeterna est mandatum patris, quid aliud dictum est nisi quia ego sum mandatum patris? proinde et id quod adiungit, quae ergo loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor, non accipiamus dixit mihi quasi per verba locutus sit unico verbo. Dixit ergo pater filio id sine quo numquam filius fuit, sicut dedit vitam filio: non quod nesciebat vel non habebat, sed quod ipse filius erat. Quid est autem sicut dixit mihi, sic loquor, nisi verbum loquor? ita ille dixit ut verax, ita iste loquitur ut veritas; verax autem genuit veritatem: quid ergo iam diceret veritati? non enim imperfecta erat veritas, cui verum aliquod adderetur.

IOANNES 13,1-5

13301 (Jn 13,1-5)

Theophylactus. Quia dominus transmigraturus erat de praesenti saeculo, explicat qualem erga suos amicitiam gereret; unde dicitur ante diem festum paschae, sciens iesus quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.

Beda. Plurimas siquidem festivitates iudaei habebant; sed apud eos insignior atque celebrior erat paschae festivitas; propter quod signanter dicit ante diem festum paschae.

Augustinus in Ioannem. pascha, non sicut quidam existimant, graecum nomen est, sed hebraeum; opportunissime tamen occurrit in hoc nomine quaedam congruentia utrarumque linguarum: quia enim pati

graece paschin dicitur, ideo pascha passio putata est, ut hoc nomen a passione sit appellatum: in sua vero lingua, hoc est in hebraea, pascha transitus dicitur, propterea quia tunc primum pascha celebravit populus Dei quando ex aegypto fugientes, rubrum mare transierunt. Nunc ergo figura illa prophetica in veritate completa est, cum sicut ovis ad immolandum ducitur Christus, cuius sanguine illinitis postibus nostris, idest cuius signo crucis signatis frontibus nostris, a perditione huius saeculi, tamquam a captivitate aegyptiaca, liberamur, et agimus saluberrimum transitum, cum de diabolo transimus ad Christum, et ab isto instabili saeculo ad eius fundatissimum regnum. Hoc itaque nomen, idest pascha, velut interpretans nobis evangelista, dicit sciens quia venit hora eius ut transeat ex hoc mundo ad patrem. Ecce pascha, ecce transitus.

Chrysostomus in Ioannem. Non solum autem tunc sciens, sed olim. Transitum autem eius mortem vocat. Relicturus autem discipulos maiorem eis demonstravit amorem; et hoc est quod dicit cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos; hoc est, nihil dereliquit, eorum quae eum qui valde amat, decens est facere. Non autem a principio hoc fecit, sed maiora postea adiecit ut eorum augeat familiaritatem, et multam eis praeparet consolationem ad ea quae superventura erant; suos autem eos vocat secundum familiaritatis rationem, quia et alios suos dicit secundum conditionis rationem, ut cum dicitur: sui eum non receperunt. Addit autem qui erant in mundo: quia sui erant etiam defuncti, ut abraham, isaac et iacob; sed in mundo non erant. Hos ergo suos qui erant in mundo, mansit amans continue, et tandem perfectam amicitiam circa eos ostendit; et hoc est in finem dilexit eos.

Augustinus. vel aliter in finem dilexit eos, ut et ipsi de hoc mundo ad suum caput dilectione transirent. Quid est enim in finem, nisi in Christum? finis enim legis Christus ad iustitiam omni credenti, finis perficiens, non interficiens. Video autem posse ista verba quodam humano modo etiam sic accipi tamquam usque ad mortem Christus dilexerit suos. Sed absit ut dilectionem morte finierit qui non est morte finitus: nisi forte sit ita intelligendum: usque ad mortem dilexit eos: idest, usque ad mortem illum dilectio ipsa perduxit. sequitur et coena facta, idest iam peracta, et ad convivantium mensam usumque perducta. Non enim ita debemus intelligere coenam factam, veluti iam consumptam atque transactam: adhuc enim coenabatur cum surrexit, et pedes lavit discipulis: nam postea recubuit, et buccellam traditori dedit. Quod autem ait cum iam diabolus misisset in cor ut traderet eum iudas simonis iscariotis, missio ista spiritualis suggestio est, et non fit per aurem, sed per cogitationem: diabolicarum enim suggestiones immittuntur, et humanis cogitationibus immiscentur. Factum ergo iam fuerat in corde iudae per immissionem diabolicam ut traderet discipulus magistrum.

Chrysostomus. Hoc autem quasi stupens interseruit evangelista, quoniam eum qui iam prodere statuerat, dominus lavit: ostendit etiam proditoris multam nequitiam, quoniam neque talis eum communicatio detinuit, quod maxime consuevit nequitiam detinere.

Augustinus. locuturus autem evangelista de tanta domini humilitate, prius eius celsitudinem voluit commendare; ad quod pertinet quod dicit sciens quia omnia dedit ei pater in manus: ergo et ipsum traditorem.

Gregorius moralium. Sciebat enim quod in manu sua ipsos etiam persecutores acceperat, ut ipse in se ad usum pietatis intorqueret quidquid eorum contra se malitia permissa saeviret.

Origenes in Ioannem. Omnia enim tradidit ei pater in manus, hoc est in opere eius et potestate. Pater enim meus usque huc, inquit, operatur et ego operor. Vel omnia tradidit ei pater in manus cuncta capientes, ut quaelibet ei famulentur.

Chrysostomus. Traditionem enim hic salutem fidelium vocat. Cum autem audieris traditionem, nihil humanum suspiceris; eum enim qui ad patrem est ostendit honorem et concordiam. Sicut enim pater ei tradidit, ita ipse patri: unde paulus: cum tradiderit, inquit, regnum Deo et patri.

Augustinus. sciens etiam quia a Deo exivit, et ad Deum vadit, nec Deum cum inde exiret, nec nos deserens cum rediret.

Theophylactus. quia ergo pater omnia ei commisit in manus; idest, salutem ei commisit fidelium; decens reputabat quaecumque spectant ad salutem, illis ostendere. Sciens etiam quod a Deo exivit et ad Deum vadit, nullatenus eius gloria minui poterat dum pedes discipulorum ablueret: neque enim gloriam usurpavit: qui enim dignitatem usurpant, minime condescendunt, ne dissipent quod incongrue sibi diripuerunt.

Augustinus. Cum ergo illi pater omnia dedisset in manus, ille discipulorum non manus, sed pedes lavit; et cum se sciret a Deo exisse et pergere ad Deum, non Dei domini, sed hominis servi implevit officium.

Chrysostomus. hoc autem dignum erat, eo quod a Deo exivit et ad Deum vadit, ut universum conculcasset tumorem; unde sequitur surgit a coena, et ponit vestimenta sua, et cum accepisset linteum, praecinxit se. deinde misit aquam in pelvim, et coepit lavare pedes discipulorum, et extergere linteo quo erat praecinctus. Vide qualiter humilitatem ostendit non solum in lavando pedes, sed etiam aliter. Non enim antequam recumberet, sed postquam resederunt omnes, tunc surrexit: deinde non solum lavit, sed vestimenta deposuit, linteum praecinxit, et pelvim implevit, et non alii impleri iussit; sed omnia operatur, ostendens quod cum omni studio oportet talia facere.

Origenes. Mystice autem prandium primus cibus esse dignoscitur; et ante terminum diei spiritualis, qui in vita praesenti consideratur, et his qui introducuntur, conveniens existit: coena vero finalis; et his qui iam ultra progressi sunt apponitur. Aliter quoque poterit quis asserere prandium fore intellectionem scripturarum antiquarum, coenam vero recondita in novo testamento mysteria. Puto autem quod qui una cum iesu coenant, et in finali vitae praesentis die secum convivantur, egent lavacro quodam, non utique erga quod primorum, ut ita loquar, corporis et animae, sed quod ad ultima et postrema, quae terrae necessario haerent. dicit autem, quod coepit lavare pedes; nam postmodum lavit, et finivit loturam: quia pedes apostolorum fuerunt contaminati, iuxta illud: omnes vos scandalizabimini ista nocte in me. Postea autem perfecit eos lavare, purgans eos, ut ultra non foedentur.

Augustinus. posuit autem vestimenta sua, qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit; praecinxit se linteo, qui formam servi accepit; misit aquam in pelvim unde lavaret pedes discipulorum, qui in terram sanguinem fudit, quo immunditiam dilueret peccatorum: linteo autem quo erat praecinctus, pedes quos laverat tersit, qui carne qua erat indutus, evangelistarum vestigia confortavit; et linteo quidem ut se praecingeret, posuit vestimenta quae habebat; ut autem formam servi acciperet, quando semetipsum exinanivit, non quod habebat deposuit, sed quod non habebat accepit; crucifigendus sane, suis expoliatus est vestimentis, et mortuus involutus est linteis, et tota eius passio nostra purgatio est.

IOANNES 13,6-11

13306 (*Jn 13,6-11*)

Origenes in Ioannem. Sicut medicus plurium aegrotorum intentus curae, ab his qui magis indigent, propriam curam incipit; sic et Christus, qui foedos abluit pedes discipulorum, exorditur ab his qui magis erant foedi, et sic ultimo venit ad petrum, quasi minus aliis indigentem lotura pedum; unde dicitur venit ergo ad simonem petrum; cui quodammodo ad resistendum pene munda pedum conscientia persuadebat; unde sequitur et dixit ei petrus: domine, tu mihi lavas pedes? **Augustinus** in Ioannem. Quid est tu? quid est mihi? cogitanda sunt potius quam dicenda; ne forte quod ex his verbis aliquatenus quidem digne concepit anima, non explicet lingua.

Chrysostomus in Ioannem. Vel petrus primus erat, sed credibile est proditorem stultum existentem ante eum recubuisse; quod evangelista significavit cum dixit coepit lavare; deinde venit ad petrum.

Theophylactus. Ex quo patet quod non primitus lavit petrum; ex ceteris vero discipulis nullus tentavisset ante petrum lavari.

Chrysostomus. Quaereret autem utique quis quare nullus eum aliorum prohibuit, sed solus petrus; quod non parvi amoris et verecundiae erat. Ex hoc igitur mihi videtur prius solum proditorem lavis; deinde ad petrum venisse, et alios discipulos per eum de reliquo castigatos. si enim quemquam ex ceteris lavare coepisset, prohibuisset dominum, et dixisset quae petrus dixit. Vel aliter. omnes porrigebant pedes, decernentes quod tantus non irrationabiliter eorum lavaret pedes: solus autem petrus nullam aliam considerationem conferens, tamquam reverens iesum, non praebebat pedes suos ad lavandum: saepe enim scriptura designavit petrum fervidum ad insinuandum quae sibi visa sunt utiliora et meliora.

Augustinus. Vel aliter. Non debemus putare hoc petrum inter ceteros formidasse atque recusasse, cum et id alii ante ipsum libenter vel aequanimiter fieri permisissent; non enim ita intelligendum est quasi aliquibus iam lavisset, et post eos venisset ad primum: quis enim nesciat primum apostolorum esse beatissimum petrum? sed quod ab illo coeperit. Quando ergo pedes discipulorum lavare coepit, venit ad eum a quo coepit, idest ad petrum; et tunc petrus expavit; quod etiam quilibet eorum expavesceret. sequitur respondit iesus, et dixit ei: quod ego facio, tu nescis modo, scies autem postea.

Chrysostomus. idest humilitatem huius doctrinae, et quomodo humilitas sufficit in Deum perducere.

Origenes. Vel insinuat dominus quod hoc erat mysterium. Lavando enim et exsiccando pedes eorum, faciebat eos decoros, debentes evangelizare honesta, ut ostendere valeant iter sanctum, ac pergere per eum qui dixit: ego sum via. Oportebat autem lavari pedes discipulorum a iesu deponente vestimenta, ut mundos pedes mundiores efficiat, vel ut immunditiam pedum discipulorum suscipiat in proprium corpus per linteum, quo solo praecinctus manebat: ipse namque languores nostros portavit. Attende etiam, quod cum debeat pedes discipulorum abluere, non aliud tempus elegit quam cum diabolus iam intraverat in cor iudae ut eum proderet, et futura pro hominibus dispensatio imminebat: nam ante hoc non erat opportunum pedes discipulorum lavari a iesu. Quis enim pedum eorum sorditiem intermedii temporis usque ad passionem lavasset? sed neque tempore passionis; alter enim iesus non aderat qui pedes eorum lavaret; sed neque post dispensationem; illo namque tempore spiritu sancto superveniente, eorum loti sunt pedes. huius ergo mysterii, dicit dominus petro, tu non es capax; sed post haec nosces, cum illud perceperis illustratus.

Augustinus. nec tamen ille dominici facti altitudine exterritus permittit fieri, quod cur fieret ignorabat; sed usque ad suos pedes humilem Christum videre non potest sustinere; nam sequitur dicit ei petrus: non lavabis mihi pedes in aeternum; hoc est, nunquam hoc patiar. hoc quippe in aeternum non fit quod nunquam fit.

Origenes in Ioannem. ex hoc autem accipimus exemplum, quoniam possibile est quemquam secundum purum propositum dicere propter ignorantiam quod sibi non prodest. Petrus enim ignorans hoc esse conveniens, primo quidem quasi dubitans suaviter dixit: domine, tu mihi lavas pedes? secundo: non lavabis mihi pedes in aeternum: quod erat prohibitivum operis perducentis eum ad habendum partem cum iesu: in quo etiam non tantum iesum arguit inconvenienter lavantem pedes discipulorum, sed etiam condiscipulos indecenter suos pedes porrigentes. cum ergo non esset expediens petro proprium responsum, non permisit illud dominus verificari; nam subditur respondit ei iesus: si non laveris te, non habebis partem mecum.

Augustinus. ita dictum est: si non laveris te, cum de solis pedibus ageretur, quomodo dici solet: calcas me, quando sola planta calcatur.

Origenes. Qui autem recusant haec et similia tropologizare, dicant quomodo probabile est eum qui ob reverentiam iesu dixit non lavabis mihi pedes in aeternum, non habiturum partem cum Dei filio, propter non lavari pedes ab eo, sicut propter immane scelus: et ideo praestandi sunt pedes, idest mentis affectus, lavandi a iesu, ut sint pedes nostri decori, et praesertim cum aemulantes potiora dona, volumus adnumerari eis qui evangelizant bona.

Chrysostomus. ideo autem non dixit cuius gratia hoc faciebat, sed minas imposuit, quia ille nequaquam persuasus esset; audiens enim scies autem postea, non dixit: doce igitur me ut permittam; sed quando comminatus est id quod maxime timebat, scilicet separari ab eo, tunc permisit.

Origenes. hoc dicto utemur contra eos qui indiscretius se facere statuerunt quod eis non prodest: nam ostendendo illis quod non sunt habituri partem cum iesu, dum praesumptuosum decretum observant, admonebimus illos ne immorentur male decretis, etiam si iureiurando ex multo impetu illud firmaverunt.

Augustinus. At ille amore et timore perturbatus plus expavit Christum sibi negari quam usque ad suos pedes humiliari; unde sequitur dicit ei simon petrus: domine, non tantum pedes, sed et manus et caput.

Origenes. manus autem lavare nolebat iesus, contemnens quae dicebantur quoniam discipuli tui non lavant manus, cum panem manducant, caput autem submergi nolebat, in quo imago et gloria patris extiterat: satis est autem ei ut pedes lavandos porrigeret; unde sequitur dicit ei iesus: qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus.

Augustinus. totus utique praeter pedes, vel nisi pedes, quos habet opus lavare: homo enim in baptismo totus abluitur, non praeter pedes, sed totus omnino; verumtamen cum in rebus humanis postea vivitur, utique terra calcatur. Ipsi igitur humani affectus, sine quibus in hac mortalitate non vivitur, quasi pedes sunt, ubi ex humanis rebus afficimur, ut si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos decipiamus. si autem confitemur peccata nostra, qui pedes discipulorum lavit, nobis peccata dimittit usque ad pedes, quibus conversamur in terra.

Origenes. impossibile autem puto non contaminari extrema animae et infima eius, quamquam quo ad homines perfectus quis esse putetur; plurimi autem et post baptismum implentur pulvere scelerum usque ad verticem; qui vero legitime discipuli Christi sunt, erga solos pedes indigent lavatione.

Augustinus ad seleucianum. ex hoc autem quod hic dicitur, intelligitur quod iam petrus baptizatus fuerat:

intelligimus enim eius discipulos, per quos baptizabat, iam fuisse baptizatos, sive baptismo Iohannis, sicut nonnulli arbitrantur, sive, quod magis credibile est, baptismo Christi. Neque enim renuit ministerium baptizandi, ut haberet baptizatos servos per quos ceteros baptizaret, qui non defuit humilitatis ministerio, quando eis pedes lavit; unde sequitur et vos mundi estis, sed non omnes.

Augustinus in Iohannem. hoc quid sit ne quaeramus, ipse evangelista patefecit adiungens sciebat enim quisnam esset qui traderet eum: propterea dixit: non estis mundi omnes.

Origenes. Quod ergo dicit vos mundi estis, refertur ad undecim; quod vero subditur sed non omnes, dicitur propter iudam existentem immundum: primo quidem quia pauperes non erant sibi curae, sed fur erat; demum diabolo ingresso in cor eius, ut proderet Christum. Lavat autem pedes postquam mundi erant: quoniam gratia transcendit necessitatem; et, sicut dicit Iohannes: mundus mundificetur adhuc.

Augustinus. Vel ipsi discipuli, cum loti essent, non opus habebant nisi pedes lavare; quia dum in isto saeculo vivit homo, humanis affectibus terram velut pedibus calcans contrahit.

Chrysostomus. Vel aliter. Non dicit eos mundos, ut a peccatis erutos aestimes, victima nondum oblata; sed eam quae cognitionis est mundationem dicit: iam enim ab errore iudaico eruti erant.

IOANNES 13,12-20

13312 (Jn 13,12-20)

Augustinus. Memor dominus se promisisse scientiam facti sui petro, dicens: scies autem postea, quid sit quod fecit, docere nunc incipit; unde dicitur postquam ergo lavit pedes eorum, accepit vestimenta sua: et cum recubisset iterum, dixit eis: scitis quid fecerim vobis? **Origenes** in Iohannem. quid vel interrogative proferatur, ut ostendat facti magnitudinem, vel imperative, ut eorum erigat intellectum.

Alcuinus. Mystice autem, impleta redemptionis nostrae purgatione per sanguinis sui effusionem, accepit vestimenta sua, tertia die de sepulchro resurgens, et eodem corpore iam immortalis vestitus; et cum recubisset ascendens in caelum in dextera paterna divinitatis recumbens, inde venturus est ad iudicandum.

Chrysostomus in Iohannem. non autem adhuc ad solum petrum, sed ad omnes loquitur dicens vos vocatis me magister et domine: in quo eorum iudicium assumit; deinde ut non illorum gratiae esse putentur haec verba, subiungit et bene dicitis, sum etenim.

Augustinus. Homini praeceptum est: non te laudet os tuum, sed laudet te os proximi tui: periculosum est enim sibi placere, cui cavendum est superbiere. Ille autem qui super omnia est, quantumcumque se laudet, non se extollit excelsius. Nec potest recte dici arrogans deus: nobis namque expedit Deum nosse, non illi; nec eum quisque cognoscit, si non se indicet ipse qui novit. Si ergo se laudando quasi arrogantiam vitare voluerit, nobis sapientiam denegabit. Quomodo autem arrogantiam veritas timet? et quidem quod magistrum se dicit, nemo reprehenderet, etiam qui eum nihil aliud quam hominem crederet; quoniam id profitetur quod et ipsi homines in quibuslibet artibus usque adeo sine arrogantia profitentur, ut professores vocentur; quod vero dominum discipulorum se dicit, cum sint secundum saeculum ingenui, quis ferat in homine? sed cum deus loquitur, nulla est elatio tantae celsitudinis, nullum mendacium veritatis: nobis subiacere utile est illi celsitudini, servire veritati. Ideo bene ergo dicitis, vocando me magistrum et dominum, quia sum: nam si non essem quod dicitis, male diceretis.

Origenes. et illi quidem non bene dicunt domine, quibus dicitur: discedite a me qui operamini iniquitatem; sed apostoli bene dicunt: magister et domine: non enim eis nequitia dominabatur, sed verbum Dei. sequitur si ergo lavi pedes vestros dominus et magister, et vos debetis alter alterius lavare pedes.

Chrysostomus. a maioribus rebus accipit exemplum, ut quod minus est operemur: nam ipse quidem dominus est; nos autem ad conservos facimus, si fecerimus; et ideo subdit exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum ego feci vobis, ita et vos faciatis.

Beda. Primum dominus egit factis quod postmodum docuit verbis, secundum illud: coepit Iesus facere et docere.

Augustinus in Iohannem. Hoc est, beate petre, quod nesciebas; hoc tibi postea sciendum promisit.

Origenes. considerandum vero est si necessarium est quemlibet volentem disciplinam iesu perficere, velut debitum opus prosequi lavacrum sensibilibus pedum; propter hoc quod dicit debetis ad invicem lavare pedes. sed hic mos vel non fit, vel admodum raro.

Augustinus. Est enim apud plerosque consuetudo huius humilitatis, cum se invicem hospitio suscipiunt, et faciunt hoc sibi invicem fratres, etiam opere ipso visibili. Multo enim melius est et sine controversia verius, ut etiam manibus fiat, ne dedignetur quod fecit Christus, facere Christianus. Cum enim ad pedes fratrum inclinatur corpus, etiam in corde ipso excitatur, vel, si iam inerat, confirmatur humilitatis affectus. Sed excepto hoc morali intellectu, numquid etiam frater fratrem a delicti poterit contagione mundare? sed confiteamur invicem delicta nostra, invicem nos delicta donemus, et pro nostris delictis invicem oremus; atque ita quodammodo invicem pedes nostros lavemus.

Origenes. Vel aliter. hoc lavacrum spirituale pedum, de quo dictum est, principaliter quidem a nullo nisi a solo iesu potest effici: secundario vero a discipulis eius quibus dixit vos debetis ad invicem lavare pedes. Iesus enim lavit pedes discipulorum in quantum magister, et servorum in eo quod dominus. hic autem est finis magistri, ut discipulum faciat sicut se: quod de salvatore apparet, qui, prae ceteris magistris et dominis, vult ut fiant eius discipuli quasi magister et dominus, non habentes spiritum servitutis, sed spiritum filiationis, in quo clamant: abba, pater. Prius ergo quam fiant et magister et dominus, egent lavacro pedum, velut insufficientes discipuli, et adhuc sapientes spiritum servitutis; cum autem aliquis eorum statum magistri attingit et domini, tunc imitari poterit eum qui lavit discipulorum pedes, ac lavare pedes per doctrinam quasi magister.

Chrysostomus. adhuc autem provocans eos ad lavandum pedes, subiungit amen, amen dico vobis: non est servus maior domino suo, neque apostolus maior eo qui misit illum; quasi dicat: si ergo haec a me facta sunt, multo magis a vobis oportet haec fieri.

Theophylactus. Necessario etiam hic apostolos admonet: quia enim ad dignitates habebant attingere, et hic quidem maiores, hic minores, ne insurgant ad invicem, serenat conscientiam omnium.

Beda. Quia vero scire bonum, et non facere, non pertinet ad beatitudinem, sed ad condemnationem, secundum illud: scienti bonum et non facienti, peccatum est illi, subiungit si haec scitis, beati eritis, si feceritis ea.

Chrysostomus. nam scire quidem omnium est, facere vero non omnium. Deinde proditorem non manifeste redarguit, sed obumbrate, cum subditur non de omnibus vobis dico.

Augustinus in Ioannem. Quasi dicat: est inter vos qui non erit beatus, neque facit ea. Ego scio quos elegerim. quos, nisi eos qui beati erunt, faciendo quae praecepit? non est igitur iudas electus. quid est ergo quod alio loco dicit: nonne ego vos duodecim elegi? an ipse ad aliquid est electus, ad quod erat utique necessarius, non autem ad beatitudinem, de qua dicit beati eritis, si feceritis ea.

Origenes in Ioannem. vel aliter. Non recte existimo posse referri quod dicitur non de omnibus vobis dico, ad hoc quod dictum est beati eritis, si feceritis ea: totum enim hoc et de iuda et de quolibet alio verum est dicere: beatus talis, si fecerit hoc. Reducemus autem haec ad illud dictum: non est servus maior domino suo, nec apostolus maior eo qui misit illum. Iudas enim, cum esset servus peccati, non erat servus divini verbi, nec apostolus, diabolo ingresso in cor eius. cum ergo dominus novisset qui sunt sui, alienos a se non novit: propter quod non ait: ego scio cunctos praesentes; sed ego scio quos elegerim; quasi dicat: electos meos novi.

Chrysostomus in Ioannem. deinde ut non multos contristet suo sermone, subiungit sed ut impleatur scriptura: qui manducat mecum panem, levabit calcaneum suum contra me; ostendens quod non ignorans traditur; quod maxime sufficiens erat iudam retinere. Et non dixit: tradet me; sed levabit contra me calcaneum suum, dolum et occultationem insidiarum repraesentare volens.

Augustinus. Quid est enim levabit calcaneum suum super me, nisi conculcabit me? in quo iudas traditor eius attingitur.

Chrysostomus. Dicit autem qui manducat mecum panem; id est, qui a me nutritus est, qui mea mensa communicavit: ut si quando a famulis aut aliquibus vilioribus patiamur aliquod malum, non scandalizemur, respicientes iudae exemplum, qui infinitis potitus bonis, in contrarium remuneravit benefactorem.

Augustinus. illi ergo qui electi erant, manducabant dominum; ille manducabat panem domini contra dominum: illi vitam, ille poenam. Qui enim manducat indigne, ait apostolus, iudicium sibi manducat. sequitur amodo dico vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit credatis quia ego sum, de quo scilicet illa scriptura praecessit.

Origenes. Non autem dictum est apostolis ut credatis, quasi non credentibus; sed dictum est tamquam aequipolleat ei quod est: ut credentes operemini, perseverantes in credulitate, nec aliquam occasionem ad repulsam captantes: super ea enim quae obtinebant discipuli ad fidem facientia, hoc etiam adepti sunt, videre perfici scripturam praedictam.

Chrysostomus in Ioannem. quia ergo discipuli exituri erant ad praedicandum et multa passuri, duobus modis eos consolatur: uno modo a seipso, cum dicit: beati eritis, si feceritis ea; alio vero modo consolatus est eos ab aliis, eo scilicet quod ab hominibus multa potentur procuratione; unde subdit amen, amen, dico vobis: qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum qui me misit.

Origenes. qui enim recipit quem mittit iesus, iesum, qui in misso consistit, recipit; qui autem iesum recipit, patrem recipit. Igitur qui recipit quem mittit iesus, mittentem recipit patrem. Potest etiam et hic sermo fore: qui recipit quem ego misero, usque ad mei receptionem attingit; qui vero non per aliquem apostolorum meorum me recipit, sed recipit me venientem ad animas, patrem recipit, ut non tantum ego in eo maneam, sed et pater.

Augustinus in Ioannem. Ariani autem cum hoc audiunt, statim ad gradus sui dogmatis currunt, dicentes: quantum apostolus distat a domino, tantum filius a patre. Sed ubi dominus dixit: ego et pater unum sumus, nullam distantiae suspicionem reliquit. Quoniam ergo nos accepturi sumus haec verba dominica qui me accipit, accipit eum qui me misit, quod unius naturae sunt pater et filius, consequens videbitur, quia dixit qui accipit si quem misero, me accipit, ut unius naturae sint filius et apostolus. Ita dixisse possit videri: qui accipit si quem misero, me accipit; qui autem me secundum Deum accipit, accipit eum qui me misit. Sed cum ista dicebat, non ab illo naturae unitas, sed in eo qui mittitur, mittentis commendabatur auctoritas. Si ergo attendas Christum in petro, discipuli praeceptorem; si autem patrem in filio, invenies unigeniti genitorem.

IOANNES 13,21-30

13321 (*Jn 13,21-30*)

Chrysostomus in Ioannem. quia dominus apostolis debentibus orbem terrarum universum percurrere, exhibuerat duplicem consolationem praedictam, cogitans quod utraque proditor privatus est, turbatur; et hoc significat evangelista dicens cum haec dixisset iesus, turbatus est spiritu, et protestatus est, et dixit: amen, amen, dico vobis, quia unus ex vobis me tradet.

Augustinus in Ioannem. non illi hoc tunc primum venit in mentem; sed quia proditorem iam fuerat expressurus, ut non lateret in ceteris, ideo turbatus est spiritu: et quia ipse traditor iam fuerat exiturus, ut iudaeos, quibus dominus ab eo traderetur, adduceret. Turbavit eum imminens passio, et periculum proximorum, et traditoris impendentes manus, cuius fuerat praecognitus animus. hoc etiam dominus significare sua turbatione dignatus est, quod quando ex falsis fratribus aliquos separari, etiam ante messem, urgens causa compellit, fieri sine ecclesiae turbatione non possit. Turbatus est autem non carne, sed spiritu: spiritus enim in huiusmodi scandalis non perversitate, sed caritate turbatur; ne forte in separatione aliquorum zizaniorum, simul aliquod eradicetur et triticum. Sive ergo ipsum iudam pereuntem miserando, sive sua morte appropinquante, turbatus est; non animi infirmitate, sed potestate turbatur: non enim aliquo cogente turbatur, sed turbavit semetipsum, ut supra dictum est. Quod autem turbatur, infirmos in suo corpore, hoc est in sua ecclesia, consolatur, ut si qui suorum morte imminente turbantur, non se reprobos putent.

Origenes in Ioannem. in eo enim quod dicit turbatus est spiritu, quod humanum est, scilicet passio, proveniebat ab exuberantia spiritus: si enim sanctus quilibet in spiritu vivit, et agit, et patitur, quanto magis haec dicenda sunt de iesu sanctorum praemiatores? **Augustinus.** Pereant igitur argumenta stoicorum, qui negant in sapientem cadere perturbationem animorum; qui profecto, sicut vanitatem aestimant veritatem, sic stuporem deputant sanitatem. turbetur plane animus Christiani, non miseria, sed misericordia. Dicit autem unus ex vobis, numero, non merito; specie, non virtute.

Chrysostomus in Ioannem. quia vero non nominatim dixit, rursum in omnes inducit timorem; unde sequitur aspiciant ergo discipuli ad invicem, haesitantes de quo diceret. Et nimirum nullius sibi ipsis conscii mali, tamen enuntiationem Christi propriis cogitationibus credibiliorem putabant.

Augustinus in Ioannem. sic etiam in eis erat erga magistrum suum pia caritas, ut tamen eos humana, alterum de altero, stimulare infirmitas.

Origenes. Reminiscebantur etiam, ut homines existentes, quoniam alterabilis est affectus adhuc provectorum, ac susceptibilis appetitus contrariorum his quae prius voluerant.

Chrysostomus. Omnibus autem tremantibus, et ipso vertice, scilicet petro, formidante, Ioannes velut dilectus recubuit in sinu iesu; unde sequitur erat ergo recumbens unus ex discipulis eius in sinu iesu, quem diligebat iesus.

Augustinus. ipse est Ioannes, cuius est hoc evangelium, sicut postea manifestat. erat enim haec eorum consuetudo qui sacras nobis litteras ministrarunt, ut quando ab aliquo eorum divina narrabatur historia, cum ad seipsum veniret, tamquam de alio loqueretur. Quid enim deperit veritati, quando et res ipsa dicitur, et quodammodo dicentis iactantia devitatur? **Chrysostomus.** si autem huiusmodi familiaritatis causam quaeris discere, amoris res erat: propterea dicit quem diligebat iesus: quamvis enim et alii amarentur, tamen iste plus aliis.

Origenes. Aestimo autem quod etiam hoc protendit, quod Ioannes recumbens verbo, ac in secretioribus pausans, incumbebat gremio verbi.

Chrysostomus. Volebat etiam ostendere seipsum esse alienum a crimine; et hoc etiam dicit, ne aestimes quod Petrus ei ut maiori existenti innueret; nam sequitur innuit ergo huic Simon Petrus, et dicit ei: quis est de quo dicit? ubique enim invenitur Petrus ab amore impetum faciens; et quia primo increpatus est non locutus est, sed mediante Ioanne vult discere. Ubique enim scriptura ostendit Petrum fervidum, et familiaritatem habentem ad Ioannem.

Augustinus. Notanda autem locutio est, dicere aliquid non sonando, sed tantummodo innuendo: innuit, inquit, et dicit; id est, innuendo dicit. Si enim cogitando aliquid dicitur, sicut illud: dixerunt apud semetipsos, quanto magis innuendo, ubi iam foris qualibuscumque signis promitur quod fuerit corde conceptum?

Origenes in Ioannem. vel primo innuit, et deinde non contentus nutu, dixit illi: dic quis sit de quo dicit. sequitur itaque cum recubisset ille super pectus iesu, dicit ei: domine, quis est? **Augustinus** in Ioannem. quod autem nunc supra pectus dicit, paulo supra dixerat in sinu. Vel aliter. Primo quidem iacens in sinu iesu, superascendit, et incubuit supra pectus; quasi si non incubisset in pectore, sed remansisset iacens in sinu, nequaquam dominus ei tradidisset verbum quod Petrus scire cupierat. per hoc ergo quod ultimo supra pectus incubuit, exprimitur tamquam per maiorem et abundantiore gratiam, specialis iesu discipulus esse.

Beda. Quod autem in sinu et supra pectus recubuit, non solum fuit praesentis amoris indicium, sed etiam futurae rei signum: quod scilicet inde vocem sumeret, quam postmodum cunctis saeculis inauditam emitteret.

Augustinus. per sinum enim quid aliud significatur quam secretum? hic est utique pectoris sinus, sapientiae secretum.

Chrysostomus. Neque autem tunc nominatim proditorem dominus manifestavit; nam sequitur respondit iesus: ille est cui intinctum panem porrexero. et modus ipse manifestationis conversurus erat: quia enim ob mensationem verecundatus non est, eodem pane communicans verecundari debuit. sequitur et cum intinxisset panem, dedit iudae Simonis Iscariotis. Non, ut putant quidam negligenter legentes, tunc iudas solus Christi corpus accepit: intelligendum est enim quod iam eis omnibus distribuerat dominus sacramenta corporis et sanguinis sui, ubi et ipse iudas erat, sicut Lucas narrat; at demum ad hoc ventum est, ubi secundum narrationem Ioannis dominus per buccellam tinctam atque porrectam suum exprimit traditorem; fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem: non enim omnia quae tinguntur abluuntur: sed ut inficiantur, nonnulla tinguntur. si autem bonum aliquid haec significat tinctio, eidem bono ingratum merito est secuta damnatio; sequitur enim et post buccellam, tunc introivit in eum satanas.

Origenes in Ioannem. attende quod primo quidem non introivit satanas in iudam, sed immisit in cor eius solum ut proderet praecceptorem, post panem autem in eum ingressus est. Quamobrem nobis cavendum est ne diabolus intrudat in cor nostrum aliquid ignitorum telorum suorum: nam si intruserit, insidiatur deinde ut et ipse introeat.

Chrysostomus. donec enim fuit in collegio, non audebat insilire, sed extrorsum immittebat; quando vero eum manifestum fecit et expulit, libere in eum de cetero exilivit.

Augustinus. Vel intravit in eum, ut sibi iam traditum plenius possideret: neque enim non in illo erat quando ad iudaeos de pretio tradendi dominum pactus est, cum lucas dicat: intravit autem satanas in iudam; et abiit, et locutus est cum principibus sacerdotum. Talis iam venerat ad coenandum; sed post panem introivit in eum, non ut adhuc alienum tentaret, sed ut proprium possideret.

Origenes. Decebat enim, ut aestimo, propter panis exhibitionem auferri ab indigno bonum quod se habere credebat; quo privatus, factus est capax ingressus satanae in ipsum.

Augustinus in Ioannem. dicunt autem aliqui: ita ne hoc meruit panis porrectus de mensa Christi, ut post illum intraret in discipulum satanas? quibus respondemus, hinc potius nos doceri quam sit cavendum male accipere bonum: si enim corripitur qui non diiudicat, hoc est non discernit a ceteris cibis domini corpus, quomodo damnatus qui ad eius mensam fingens se amicum, accedit inimicus? sequitur et dicit ei iesus: quod facis, fac citius.

Origenes. Cui autem id ambiguum est quoniam potuit vel iudae vel satanae dominus dixisse quod facis, citius, provocans adversarium ad pugnam, vel proditorem ad subministrandum dispensationi quae erat futura salubris saeculo? quam non amplius tardari nec protrahi, sed pro posse maturari volebat.

Augustinus. non tamen praecepit facinus, sed praedixit: non tam in perniciem perfidi saeviendo, quam ad salutem fidelium festinando.

Chrysostomus. hoc enim quod dicit quod facis, fac citius, non praecipientis est neque consiliantis, sed exprobrantis, et ostendentis quoniam ipse nolebat suam proditionem impedire. sequitur hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. Multam utique quis hic dubitationem inveniet, si interrogantibus discipulis: quis est? dixit: cui ego intingens panem dabo, et tamen non intellexerunt: nisi dicatur, quod latenter dixit, ut nullus audiret; et propterea supra pectus Ioannes residens interrogat, quasi ad aurem, ut non fieret proditor manifestus. fortasse enim si Christus eum manifestum fecisset, petrus utique eum interfecisset. propterea dicit, quod nullus cognovit recumbentium, sed neque Ioannes: nequaquam enim putavit quod discipulus in tantum iniquitatis prodiret: quia enim procul a tali iniquitate erat, non de aliis hoc suspicabatur. Veram igitur causam eorum quae a Christo dicta sunt ignoraverunt. quid autem aestimarent, ostendit evangelista, cum subdit quidam putabant, quia oculos habebat iudas, quod dixisset ei iesus: eme ea quae opus sunt nobis ad diem festum; aut ut egenis aliquid daret.

Augustinus. Habebat ergo dominus oculos, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, et aliis indigentibus tribuebat. Tunc primum ecclesiasticae pecuniae forma est instituta, ut intelligeremus, quod praecepit non cogitandum esse de crastino, non ad hoc esse praeceptum ut nihil pecuniae servetur a sanctis; sed ne Deo propter ista serviatur, et propter inopiae timorem iustitia deseratur.

Chrysostomus in Ioannem. et nimirum nullus discipulorum pecunias afferebat; sed per hoc quod dicit hic, occulte insinuat quod quaedam mulieres eum de suis facultatibus nutriebant. qui autem non peram, non virgam, non aes iubet deferre, oculos ferebat ad inopum ministerium; ut discas quoniam valde pauperem et mundo crucifixum, huius oportet partis multam facere procuracionem; multa enim ad nostram dispensans doctrinam agebat.

Origenes. sic igitur iudae salvator dicebat quod facis, fac citius; ac proditor in hoc tantum ad praesens obedivit magistro: accepto namque pane, nullam traxit moram; unde sequitur cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Et revera exiit, non solum recedendo de domo in qua tenebatur; sed omnino egressus est a iesu. Ego autem opinor, quod post panem ingressus satanas in iudam, non tolerabat in eodem loco cum iesu esse: nulla namque conformitas est iesu ad satanam. Non frustra autem requiram, quare super hoc quod est et accipiens panem, non adicitur: et manducans. numquid igitur accepto pane non manducavit iudas? post panem enim forsitan acceptum a iuda, non esum, qui semel in cor eius immiserat ut magistrum prodat, timore ductus ne quod immissum fuerat evanesceret usu panis, quam cito panem iudas recepit, introivit in eum, et statim domum excessit. Aliter quoque non inepte dicitur, quod sicut qui indigne manducat panem domini, aut bibit eius calicem, in praeiudicium sibi comedit atque bibit; sic panis iesu datus aliis fuit ad salutem, iudae in damnum, ut post panem intraret in eum satanas.

Chrysostomus. Subdit autem erat autem nox, ut discas iudae temeritatem, quoniam neque tempus eum tenuit ab impetu.

Origenes in Ioannem. nox etiam sensibilis instar extitit obductae noctis in anima iudae.

Gregorius moralium. A qualitate enim temporis, finis exprimitur actionis: dum non rediturus ad veniam, ad traditionis perfidiam nocte iudas exisse perhibetur.

IOANNES 13,31-32

13331 (Jn 13,31-32)

Origenes in Ioannem. Post evenientia ex prodigiis, nec non ex transfiguratione praeconia, initium glorificandi filii hominis fuit exitus iudae a loco ubi morabatur iesus, cum satana, qui eum ingressus est; unde dicitur cum ergo exisset, dixit iesus: nunc clarificatus est filius hominis. Non enim immortalis unigeniti verbi, sed hominis qui factus est ex semine David, gloria hic narratur. Si enim in morte Christi glorificantis Deum illud verum est: exuens principatus et potestates, traduxit confidenter triumphans in ligno, et illud: concilians per sanguinem crucis suae sive quae in terris sive quae in caelis sunt, in his omnibus glorificatus est filius hominis, Deo etiam glorificato in eo; unde sequitur et deus clarificatus est in eo; quia non est Christum glorificari, nisi cum eo quoque glorificetur et pater. At quoniam quicumque glorificatur, ab aliquo glorificatur; si quaeras de eo quod clarificatus est filius hominis, a quo, respondens subdit si deus clarificatus est in eo, et deus clarificabit eum in semetipso.

Chrysostomus in Ioannem. hoc est per seipsum, non per alium. sequitur et continuo clarificabit eum: quasi dicat: non post longum tempus, sed confestim in ipsa cruce ea quae clara sunt apparebunt. Sol namque aversus est, petrae scissae sunt, multa corpora eorum qui dormierant surrexerunt. Hac autem via eas quae ceciderant, cogitationes discipulorum restituit, et suadet non solum non tristari, sed etiam laetari.

Augustinus in Ioannem. vel aliter. Exeunte immundo, omnes mundi cum suo mundatore manserunt. tale aliquid erit cum zizaniis a tritico separatis, iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui. Hoc futurum praevidens dominus discedente iuda, tamquam zizaniis separatis, remanentibus tamquam tritico apostolis sanctis, dixit nunc clarificatus est filius hominis: tamquam diceret: ecce in illa mea clarificatione quid erit, ubi malorum nullus erit, ubi bonorum nullus perit. Sic autem non est dictum: nunc significata est clarificatio filii hominis; sed nunc clarificatus est filius hominis: sicut non est dictum: petra significat Christum; sed petra erat Christus. Solet enim loqui scriptura, res significantes, tamquam illa quae significantur appellans. Est autem clarificatio filii hominis, ut deus clarificetur in eo; unde adiungit et deus clarificatus est in eo. denique tamquam ista exponens, adiungit et dicit si filius clarificatus est in eo, quia non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem eius qui eum misit et deus clarificabit eum in semetipso, ut natura humana, quae ab aeterno verbo suscepta est, etiam immortalis aeternitati donetur. sequitur et continuo clarificabit eum; resurrectionem scilicet suam, non sicut nostram in fine saeculi, sed continuo futuram, hac attestazione praedicens. Potest et de ista clarificatione dictum videri nunc clarificatus est filius hominis; ut quod ait nunc, non ad imminens passionem, sed ad vicinam resurrectionem pertinere credatur; tamquam fuerit factum quod erat tam proxime iam futurum.

Hilarius de trin.. Quod autem deus in eo glorificatus est, ad corporis gloriam spectat, per quam Dei intellecta est gloria, quasi corpus ex naturae divinae consociatione gloriam mutaret. Quod vero quia glorificatus in eo deus est, ideo glorificavit eum in se, ut qui regnat in gloria quae ex Dei gloria est, ipse exinde in Dei gloriam transeat, toto iam in Deo ex ea qua homo est dispensatione mansuro. Nec sane de tempore tacuit, dicens et continuo clarificabit eum: ut quia prodeunte ad prodicionem iuda, gloriam quae sibi post passionem, consecuta resurrectione, futura esset, significasset in praesens, eam qua in se deus eum clarificaturus esset, in posterum reservaret, Dei in eo gloria per virtutem resurrectionis ostensa; ipso vero in Dei gloria ex subiectionis dispensatione mansuro. **Hilarius** de trin.. Primam autem significationem huius dicti non ambiguam existimo, cum ait nunc clarificatus est filius hominis: gloria enim non verbo, sed carni acquirebatur. Hoc vero quod sequitur, et deus clarificatus est in eo, quid significet interrogo; et cum non alius sit filius hominis, neque alius filius Dei: verbum enim caro factum est, requiro quis in hoc filio hominis, qui et filius Dei est, glorificatus sit deus. Et videamus quid sit hoc quod tertio dicitur si deus clarificatus est in eo, et deus clarificabit eum in semetipso. Homo utique non per se glorificatur, neque rursum qui in homine glorificatur deus, licet gloriam accipiat, non tamen aliud ipse quam deus est. Utique aut Christum necesse est esse qui glorificatur in carne, aut patrem qui glorificatur in Christo. Si Christus est deus, certe Christus est qui glorificatur in carne: si pater, sacramentum est unitatis, cum pater glorificatur in filio. De eo vero quod glorificatum in filio hominis Deum deus glorificat in seipso, in quo relicta facultas exerendae impietatis existimatur, ne secundum naturae veritatem verus deus Christus sit? numquid enim extra se est quod glorificat in seipso? quem enim in seipso pater glorificat, in eius gloria confitendus est; et qui in patris gloria

glorificandus est, in his intelligendus est esse in quibus est pater.

Origenes in Ioannem. vel aliter. Nomen gloriae non hic accipitur iuxta quosdam paganorum, qui definiunt gloriam esse a pluribus collata praekoniam. Palam est enim quod hoc aliud est ab eo quod in exodo dicitur, quod gloria Dei repletum est tabernaculum, et quod aspectus moysi glorificatus erat: quantum enim ad corporalia divinior quaedam apparitio contigit in tabernaculo, necnon in facie moysi cum Deo locuti; quantum ad anagogiam vero gloria Dei dicitur esse quae apparuit: quoniam deificatus ac transcendens cuncta materialia intellectus, ut scrutetur divinam visionem in his quae cernit, deificatur: ut hoc sit tropice quod glorificata est facies moysi, eo facto divino secundum intellectum. nulla autem comparatio fuit excellentiae Christi ad cognitionem moysi glorificantem faciem animae eius: totius enim divinae gloriae fulgorem esse filium aestimo, dicente paulo: qui cum sit splendor gloriae et figura substantiae eius; quinimpro proveniunt ab hac totius gloriae luce singulares splendores ad totam rationalem creaturam: non enim arbitror quempiam totum posse capere totius divinae gloriae fulgorem, nisi filium eius. In quantum igitur non erat notus filius mundo, nondum in mundo glorificatus erat; cum autem pater aliquibus de mundo existentibus tradidit iesu notitiam, tunc glorificatus est filius hominis in his qui cognoverunt eum; et hoc dedit gloriam cognoscentibus: nam qui libera facie divinam gloriam intuentur, secundum eandem transfigurantur imaginem a gloria glorificati in glorificantium gloriam. Cum igitur appropinquavit ad eam dispensationem, qua mundo notus debebat gloriam promereri in gloria glorificantium ipsum, ait nunc clarificatus est filius hominis. Et quia nullus novit patrem nisi filius, et cui revelaverit filius, debebat autem ex dispensatione depromere patrem filius, ob hoc etiam deus glorificatus in illo dignoscitur. vel hoc quod est et deus clarificatus est in eo, cum illo perscrutaberis: qui me videt, et patrem meum videt: nam videbitur in verbo, cum deus existat, et imago invisibilis Dei, qui genuit eum pater. amplius autem sic quoque clarius quae sunt in hoc loco capientur. Velut enim per quosdam nomen Dei blasphematur in gentibus, sic per sanctos, quorum bona gesta coram hominibus plenissime discernuntur, celsi patris nomen extollitur. In quo vero adeo glorificatus est, ut in iesu, dum peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore eius? cum ergo talis est filius, glorificatus est, et deus glorificatus est in eo. at si deus in eo glorificatus est, recompensat ei pater maius illo quod filius hominis exercuit. Longe enim superstans est gloria in filio hominis cum glorificat eum pater, quam in patre cum in illo glorificatus est: et debebat praepotentem maiorem rependere gloriam. Deinceps quoniam statim haec erant futura (dico autem filium hominis in Deo glorificari), ob hoc subiecit et continuo glorificabit eum.

IOANNES 13,33-35

13333 (Jn 13,33-35)

Augustinus in Ioannem. cum dixisset superius: et continuo clarificabit eum, ne putarent quod sic eum clarificaturus esset deus ut non eis coniungeretur ulterius ea conversatione quae in terra est, adiecit, atque ait filioli, adhuc modicum vobiscum sum; tamquam diceret: continuo quidem resurrectione clarificabor, non tamen continuo ascensurus in coelum. Sicut enim scriptum est in actibus apostolorum, fuit cum eis post resurrectionem quadraginta dies. Hos igitur quadraginta dies significavit dicendo adhuc modicum vobiscum sum.

Origenes in Ioannem. per hoc autem quod dicit filioli, ostendit adhuc imminentem animabus eorum parvitatem. Hi autem quibus nunc dicit filioli, post resurrectionem fiunt fratres: sicut et antequam essent filioli, fuerunt servi.

Augustinus. Potest etiam et sic intelligi: adhuc sicut vos in hac infirmitate carnis etiam ipse sum, donec scilicet moreretur atque resurgeret. Cum illis quidem fuit postquam resurrexit, exhibitione praesentiae corporalis; sed non cum illis fuit consortio infirmitatis humanae. apud alium enim evangelistam post resurrectionem ait: haec locutus sum vobis, dum adhuc essem vobiscum; idest, in carne mortali cum essem sicut et vos. Tunc enim in eadem quidem carne erat, sed cum illis in eadem mortalitate iam non erat. Est et alia divina praesentia sensibus ignota mortalibus, de qua idem dicit: ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi. Hoc non est adhuc modicum sum vobiscum: non enim modicum est usque ad consummationem saeculi; aut si et hoc modicum est, quia in oculis Dei mille anni sunt dies unus, non tamen hoc significare voluisse credendus est nunc, quando secutus adiunxit quo ego vado, vos non potestis venire. numquid enim post consummationem saeculi, quo ipse vadit, venire non poterant? de quibus postea dicturus est: pater, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum.

Origenes in Ioannem. Intrinsicus autem sciscitaberis, an post multum non fuit cum eis: non ideo quod non aderat illis secundum carnem; sed eo modico consummato, vos scandalizabimini in me in ista nocte, et sic non erit cum eis qui cum dignis tantummodo conversatur. Sed si cum eis non erat, nihilominus ipsi

quaesituri erant iesum; velut petrus post negationem graviter plorabat quaerens puto iesum; et ideo sequitur quaeritis me, et, sicut dixi iudaeis, quo ego vado vos non potestis venire. quaerere iesum, est verbum quaerere, sapientiam, iustitiam, veritatem, divinam virtutem, quae omnia Christus est. Volentibus ergo discipulis sequi iesum: non quippe velut rudiores arbitrantur corporaliter, sed ut significat illud: qui non tollit crucem suam et sequitur me, non potest meus esse discipulus, ait nunc dominus quo ego vado vos non potestis venire; nam etsi vellent sequi verbum et illud confiteri, tamen nondum erant validi circa hoc: cum nondum esset spiritus datus, eo quod iesus non erat glorificatus.

Augustinus. Vel hoc dicit, quia adhuc minus idonei erant sequi moriturum dominum pro iustitia: quomodo enim iam fuerant secuturi martyrio non maturi? aut iturum dominum ad immortalitatem carnis, quomodo iam fuerant secuturi, non quandolibet morituri, sed in fine saeculi resurrecturi? aut iturum dominum ad sinum patris quomodo iam erant secuturi, cum esse nemo possit in illa felicitate nisi perfectus in caritate? iudaeis autem cum hoc diceret, non addidit modo. Ipsi autem non poterant venire tunc quo ille ibat, sed poterant postea; et ideo subdit et vobis dico: modo.

Origenes. quasi dicat: et vobis dico non absque additione huius adverbii modo. iudaei namque, quos praevidebat in suis facinoribus morituros, in brevi tempore non valebant pergere quo iesus ibat: sed discipuli post breve tempus poterant sequi verbum.

Chrysostomus in Ioannem. ne autem audientes discipuli: sicut dixi iudaeis, aestiment similiter et in eos dictum esse, adiecit filioli.

Origenes in Ioannem. Quod est exprimentis imminentem adhuc animae discipulorum modicitatem. Fiunt autem post resurrectionem hi quibus dixit filioli, fratres; sicut et prius servi fuerant antequam essent filioli.

Chrysostomus. Hoc autem dicit eum qui in seipsum est, erigens discipulorum amorem. Cum enim viderimus aliquos dilectissimorum discedentes, exardescimus, et maxime cum viderimus eos in locum abeuntes in quem non est possibile nobis abire. Simul etiam ostendit quoniam mors eius quaedam translatio est et transpositio melior ad loca mortalia corpora non suscipientia.

Augustinus in Ioannem. docens autem quomodo idonei esse possint pergere quo ille antecedebat, subiungit mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. Nonne iam hoc erat mandatum in antiqua lege Dei, ubi scriptum est: diliges proximum tuum tamquam teipsum? cur ergo novum mandatum appellatur a domino? an quia exuto vetere induit nos hominem novum? innovat quippe audientem, vel potius obedientem, non omnis, sed ista dilectio, quam dominus, ut a carnali dilectione distingueret, addidit sicut dilexi vos, ut et vos diligatis invicem: non sicut se diligunt qui corrumpunt, nec sicut se diligunt homines, quia homines sunt; sed sicut se diligunt qui Dei sunt et filii altissimi omnes, ut sint filio eius unico fratres, ea dilectione invicem diligentes qua ipse dilexit eos, perducturus eos ad illum finem ubi satiabitur in bonis desiderium eorum.

Chrysostomus. Vel dicit sicut dilexi vos: non enim praeexistentibus vestris iustitiis debitum vobis reddidi, sed ipse incepti: ita et vos benefacere oportet, etiam nihil debentes.

Augustinus. noli autem putare illud maius praetermissum esse mandatum, quo praecipitur ut diligamus dominum Deum nostrum; sed bene intelligentibus utrumque invenitur in singulis: nam et qui diligit Deum, non eum potest contemnere praecipientem ut diligit proximum; et qui superne ac spiritualiter diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? ipsa est dilectio, quam ab omni mundana dilectione distinguendo addidit dominus sicut dilexi vos. Quid enim nisi Deum dilexit in nobis, non quem habebamus, sed ut haberemus? sic ergo et nos invicem diligamus, ut quantum possumus, invicem ad habendum in nobis Deum cura dilectionis attrahamus.

Chrysostomus. praetermittens autem miracula quae erant facturi, ab amore eos designat, subdens in hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem: hoc enim est quod maxime homines sanctos ostendit; hos enim dicit esse discipulos.

Augustinus. tamquam diceret: alia munera mea habent vobiscum etiam non mei, non solum naturam, vitam, sensum, rationem, et eam salutem quae hominibus pecoribusque communis est; verum etiam linguam, sacramenta, prophetiam, scientiam, fidem, distributionem rerum suarum pauperibus, et traditionem corporis sui, ut ardeant; sed quoniam caritatem non habent, ut cymbala concrepant, nihil sunt, nihil eis prodest.

IOANNES 13,36-38

13336 (Jn 13,36-38)

Chrysostomus in Ioannem. magnus amor, et ipso igne vehementior; et nulla est prohibitio quae eius promptum impetum detinere possit. Ardentissimus itaque petrus audiens: quo ego vado vos non potestis venire, eum interrogavit; unde sequitur dicit ei simon petrus: domine, quo vadis? **Augustinus** in Ioannem. sic utique hoc dixit magistro discipulus tamquam sequi paratus: propterea dominus, qui eius animum vidit, sic ei respondit; nam sequitur respondit ei iesus: quo ego vado, non potes me modo sequi. Dilationem intulit, non spem abstulit, sed eam sequenti voce firmavit, dicens sequeris autem postea. Quid festinas, petre? nondum te suo spiritu solidaverat petra: noli extolli praesumendo, non potes modo: noli deici desperando; sequeris enim postea.

Chrysostomus. audiens autem hoc petrus, neque ita desiderium detinuit, sed benignam spem accipiens properat: et quia timorem excussit prodicionis, cum securitate per seipsum de reliquo interrogat, aliis silentibus; unde sequitur dicit ei petrus: quare non possum te modo sequi? animam meam pro te ponam. Quid dicis, petre? dixi quoniam non potes, et tu dicis quoniam possum; quocirca scies per experientiam quoniam nihil est tuus amor, nisi praesente superna liberatione; unde sequitur respondit iesus: animam tuam pro me pones? **Beda.** Quae sententia duobus modis potest pronuntiari: uno modo affirmando, ac si dicat: animam tuam pro me pones; sed nunc timendo mortem carnis, animae mortem incurres; alio modo insultando, quasi diceret: **Augustinus.** ita ne facies pro me, quod nondum ego pro te? praeire potes, qui sequi non potes? quid tantum praesumis? audi quis sis: amen, amen, dico tibi: non cantabit gallus, donec ter me neges. Qui mihi promittis mortem tuam, ter negabis vitam tuam. Quid in animo eius esset cupiditatis videbat, quid virium non videbat: voluntatem suam iactabat infirmus; sed inspiciebat valetudinem medicus. An apostolus petrus, sicuti cum favore perverso excusare quidam nituntur, Christum non negavit, quia interrogatus ab ancilla hominem se nescire respondit, sicut alii evangelistae testantur expressius? quasi qui hominem Christum negat, non Christum neget; et hoc in eo neget quod factus est propter nos, ne periret quod fecerat nos. Per quid autem caput est ecclesiae, nisi per hominem? quomodo est igitur in corpore Christi qui negat hominem Christum? sed quid multis immerer? non enim dominus ait non cantabit gallus, donec hominem aut filium hominis neges; sed donec me neges. quid est me, nisi quod erat? quicquid eius negavit, Christum negavit. Siquidem dubitare nefas est. Christus hoc dixit, verumque praedixit; proculdubio petrus Christum negavit. Non accusemus Christum, cum defendimus petrum. Agnovit plane peccatum suum infirmitas petri. Et quantum mali Christum negando commiserit, plorando monstravit. Neque nos cum ita dicimus, primum apostolorum accusare delectat; sed hunc intuendo admoneri nos oportet, ne homo quisquam de humanis viribus fidat.

Beda. Resipiscendi nihilominus unusquisque, si in lapsum corruerit, exemplum capiat ne desperet, sed incunctanter veniam se posse promereri credat.

Chrysostomus in Ioannem. unde manifestum est quoniam et casum petri dominus concessit: nam poterat quidem et a principio revocare; sed quia permanebat in vehementia, ipse quidem non impulit ad negationem, sed dimisit desertum, ut discat propriam imbecillitatem, et ut post haec talia non patiat, cum orbis terrarum dispensationem susceperit; sed reminiscens eorum quae passus est, cognoscat seipsum.

Augustinus. in anima itaque contigit petri quod offerebat in corpore; sed aliter quam putabat: nam ante mortem et resurrectionem domini, et mortuus est negando et revixit plorando.

Augustinus de cons. Evang.. hoc autem de praedicta negatione sua petro non solum Ioannes, sed et ceteri tres commemorant; non sane omnes ex una eademque occasione sermonis ad eam commemorandam veniunt: nam matthaeus et marcus eam subnectunt postquam dominus egressus est ex illa domo ubi manducaverat pascha; lucas vero et Ioannes antequam inde esset egressus. Sed facile possumus intelligere, aut illos duos eam recapitulando posuisse, aut istis praeoccupando; nisi magis moveret quod tam diversa non tantum verba, sed etiam sententias domini praemittunt, quibus permotus petrus illam praesumptionem proferret pro domino vel cum domino moriendi, ut magis cogant intelligi ter eum expressisse praesumptionem suam diversis locis sermonis Christi, et ter illi a domino responsum, quod eum esset ante galli cantum ter negaturus.

IOANNES 14,1-4

13401 (Jn 14,1-4)

Augustinus in Ioannem. Ne discipuli mortem Christi tamquam homines timerent, et ideo turbarentur, consolatur eos, etiam Deum se esse contestans; unde dicitur et ait discipulis suis: non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite, quasi dicat: consequens est, si in Deum creditis, ut in me credere debeatis: quod non esset consequens, si Christus non esset deus. Mortem metuitis huic formae servi: non turbetur cor vestrum; suscitabit illam forma Dei.

Chrysostomus in Ioannem. Ea etiam quae in me est fides et in patrem qui genuit, potentior est his quae supervenient; et nihil contra eam potest praevalere difficultas. hoc etiam modo divinitatis virtutem ostendit, quia ea quae in mente habebant ducit in medium dicens non turbetur cor vestrum.

Augustinus. Quia igitur etiam sibi metuebant discipuli, cum petro dictum esset fidentiori atque promptiori: non cantabit gallus, donec ter me neges, subiunxit in domo patris mei mansiones multae sunt: per quod a turbatione recreantur, certi ac fidentes etiam post pericula tentationum, se apud Deum cum Christo esse mansuros: quia etsi alius est alio fortior, sapientior, iustior, sanctior, nullus alienabitur ab illa domo ubi mansionem pro suo quisque accepturus est merito. denarius quidem ille aequalis est omnibus quem paterfamilias eis qui operati sunt in vinea, iubet dari: quo utique denario vita significatur aeterna, ubi amplius alio nemo vivit, quoniam vivendi non est diversitas in aeternitate mansura; sed multae mansiones diversas meritorum in una vita aeterna significant dignitates.

Gregorius super ezech.. Vel hac ratione conveniunt mansiones multae cum uno denario, quia etsi alter minus atque alius amplius exultat, omnes tamen unum gaudium conditoris sui visione laetificat.

Augustinus. Atque ita deus erit omnia in omnibus, ut quoniam deus caritas est, per caritatem fiat ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero quod ipse non habet: non enim erit ita aliqua invidia imparis claritatis, quoniam regnabit in omnibus unitas caritatis.

Gregorius moralium. Eiusdem etiam disparilitatis damna non sentiunt: quia tantum sibi unusquisque percipit quantum sufficit.

Augustinus. respuendi autem sunt a corde Christiano qui putant ideo dictum multas esse mansiones, quia extra regnum caelorum erit aliquid ubi maneant beati innocentes, cum sine baptismo ex hac vita emigraverint, sine quo in regnum caelorum intrare non possunt. Absit autem ut cum omnis domus regnantium filiorum non sit alibi nisi in regno, ipsius regiae domus pars aliqua non sit in regno; non enim ait dominus: in beatitudine sempiterna mansiones multae sunt, sed in domo patris mei.

Chrysostomus in Ioannem. Vel aliter continua. quia dominus supra dixerat petro: quo ego vado, non potes me sequi modo, sequeris autem postea, ne aestiment soli petro hanc promissionem esse datam, dixit in domo patris mei mansiones multae sunt; hoc est, et vos regio illa suscipiet quae et petrum: copia enim est ibi multa mansionum, et non est dicere quoniam praeparatione indigent; et propter hoc subdit si quo minus, dixissem vobis quia vado parare vobis locum.

Augustinus in Ioannem. ubi satis ostendit, ideo se hoc illis dixisse, quia iam ibi mansiones multae sunt, et non est opus illi aliquam praeparare.

Chrysostomus. Quia vero dixerat: non potes me modo sequi, ut non aestiment se ab eo finaliter abscissos esse, subiungit et si abiero et praeparavero vobis locum, iterum veniam et accipiam vos ad meipsum, ut ubi ego sum, et vos sitis: ex quo ostendit quod oportet eos vehementer confidere.

Theophylactus. ac si dicat utrumque. Vos turbari non oportet, sive paratae sint, sive non. nam etsi paratae non sint, ego cum omni solertia praeparabo vobis illas.

Augustinus. sed quomodo vadit et parat locum, si iam mansiones multae sunt? sed nondum sunt sicut parandae sunt; easdem enim mansiones quas praedestinando praeparavit, praeparat operando. iam ergo sunt in praedestinatione: si quo minus, dixisset: ibo et praeparabo, hoc est praedestinabo; sed quia nondum sunt in operatione, dicit et si abiero et praeparavero vobis locum. Parat autem modo mansiones, mansionibus praeparando mansores. quippe cum dixit in domo patris mei mansiones multae sunt, quid putamus esse domum Dei, nisi templum Dei? de quo apostolus dicit: templum Dei sanctum est, quod estis vos. Haec ergo domus Dei adhuc aedificatur, adhuc praeparatur. Sed quid est quod ut praeparet abiit, cum nos ipsos praeparet; quod non faciet, si reliquerit? sed illud significat, quia ut parentur istae mansiones, vivere debet iustus ex fide: si autem vides, non est fides. Eat ergo ne videatur, lateat ut credatur. Tunc enim locus paratur, si ex fide vivatur: creditus desideretur, ut desideratus habeatur. Si bene intelligis, nec unde vadit, nec unde venit recedit. Vadit ergo latente eo, venit apparendo. Sed nisi maneant regendo, ut

proficiamus bene vivendo, non parabitur locus ubi possimus manere perfruendo.

Alcuinus. Dicit ergo si abiero, per carnis absentiam, iterum veniam, per divinitatis praesentiam; vel iterum veniam iudicare vivos et mortuos. Et quia sciebat eos interrogaturos quo iret, vel per quam viam iret, subiungit et quo ego vado scitis, scilicet ad patrem, et viam scitis, scilicet per meipsum.

Chrysostomus. hoc autem dicens, desiderium quod in eorum mente erat, ostendit, et dat eis desiderium interrogandi.

IOANNES 14,5-7

13405 (Jn 14,5-7)

Chrysostomus in Ioannem. si iudaei volentes a Christo separari, quaerebant quo iturus esset, multo magis discipuli numquam ab eo separari volentes, hoc discere cupiebant, et interrogant eum ex multa dilectione et timore; et ideo dicitur dicit ei thomas: domine, nescimus quo vadis; et quomodo possumus viam scire? **Augustinus** in Ioannem. utrumque illos dominus dixerat scire, utrumque dicit iste nescire; sed nescit ille mentiri; ergo isti sciebant, et se scire nesciebant. convincit ergo eos hoc scire; unde subditur dicit ei iesus: ego sum via, veritas et vita.

Augustinus de verb. dom.. Quasi dicat: qua vis ire, ego sum via; quo vis ire, ego sum veritas; ubi vis permanere, ego sum vita. veritatem et vitam omnis homo capit; sed viam non omnis invenit. Deum esse quamdam vitam aeternam, veritatem scibilem, etiam huius saeculi philosophi viderunt. verbum ergo Dei, quod apud patrem est veritas et vita, assumendo hominem, factum est via. Ambula per hominem, et pervenies ad Deum. Melius enim est in via claudicare, quam praeter viam fortiter ambulare.

Hilarius de trin.. Non enim vos in erratica atque in invia deducit ille qui via est; neque illudit per falsa qui veritas est; neque in mortis relinquit errore qui vita est.

Theophylactus. Cum itaque activam exerces, fit tibi Christus via; cum autem in contemplativa perseveras, efficitur tibi veritas. Adiecta autem vita est activo et contemplativo: decet enim ire et praedicare pro futuro saeculo.

Augustinus. sciebant ergo viam, quia sciebant ipsum qui est via. Quid autem opus erat ut adderet veritas et vita, cum restaret nosse quo iret? quia ad veritatem ibat et ad vitam. Ibat ergo ad seipsum per seipsum. Sed numquid, o domine, ut venires ad nos, reliqueras te? scio quidem quod formam servi accepisti et in carne venisti, manens ubi eras: et per hanc rediisti, non relinquens quo veneras. si ergo per hanc et venisti et rediisti; per hanc nobis non solum qua veniremus ad te, verum etiam tibi qua venires et redires via fuisti. Cum vero ad vitam, quod es ipse, ivisti, eamdem carnem tuam de morte ad vitam duxisti. Itaque dum caro de morte venit ad vitam, Christus venit ad vitam. et quia verbum est vita, Christus venit ad seipsum; quoniam utrumque est Christus, una persona, scilicet verbum caro. Venerat etiam per carnem deus ad homines, veritas ad mendaces: est enim deus verax, omnis autem homo mendax. Cum itaque se ab hominibus abstulit, atque illuc ubi nemo mentitur, carnem suam levavit, idem ipse, qua verbum caro factum est, per seipsum, idest per carnem suam, ad veritatem, quod est ipse, remeavit: quam quidem veritatem, quamvis inter mendaces, etiam in morte servavit. Ecce ego ipse, si loquor vobis quod intelligatis, quodammodo ad vos procedo, nec me relinquo. cum autem tacuero, quodammodo ad me redeo, et vobiscum maneo, si tenueritis quod audistis. Si hoc potest imago quam fecit deus, quid potest ex Deo nata imago? ac per hoc et ipse per seipsum, et ad seipsum, et ad patrem, et nos per ipsum, et ad ipsum, et ad patrem imus.

Chrysostomus. si enim ego sum dominus ducendi ad patrem, omnino venietis illuc: neque enim est possibile alia venire via. Cum autem supra dixerit: nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit illum, nunc dicens quoniam nullus potest venire ad patrem nisi per me, exaequat seipsum ei qui genuit. Qualiter autem dixerit: quo vado scitis, et viam scitis, ostendit subdens si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis; quasi dicat: si sciretis meam substantiam et dignitatem, et eam quae patris est sciretis. noverant quidem eum, sed non ita ut oportebat: postea autem spiritus veniens perfectam in eis construxit cognitionem: et propter hoc subditur amodo cognoscetis eum: dicit autem eam quae secundum mentem cognitionem. Et vidistis eum: scilicet per me: ostendens quoniam qui videt eum, et patrem videt. Viderunt autem eum, non in nuda substantia, sed carne indutum.

Beda. Sed quaerendum est quomodo nunc dicat dominus si cognovissetis me, et patrem meum utique

cognovissetis: cum praemiserit supra: quo ego vado scitis, et viam scitis. Datur ergo intelligi quia quidam eorum sciebant, quidam vero nesciebant, quorum unus erat thomas. **Hilarius** de trin.. Vel aliter continua. Cum iter ad patrem per filium sit, quaerendum est utrum hoc per doctrinae admonitionem, an per naturae fidem sit. Intelligentiae igitur sensum in consequentibus requiramus; nam sequitur si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis. In sacramento enim assumpti corporis divinitatis paternae naturam confirmans, hunc ordinem tenuit; tempus autem visionis separavit a tempore cognitionis: nam quem cognoscendum ait, eumdem iam dixit et visum, ut naturae iam pridem in se conspectae scientiam ex tempore nunc huius revelationis acciperent.

IOANNES 14,8-11

13408 (Jn 14,8-11)

Hilarius de trin.. Commovit apostolum philippum novitas dictorum. homo cernitur, Dei se filium confitetur, cognito se cognoscendum patrem fatetur, patrem visum esse dicit. Prorupit igitur apostolica familiaritas dominum interrogans; unde dicitur dicit ei philippus: domine, ostende nobis patrem, et sufficit nobis. Non visum negavit, sed ostendi sibi rogavit; neque ostensionem veluti corporalis contemplationis intuitum desideravit, sed demonstrationem intelligendi eius qui visus est postulavit. Filium enim in habitu hominis viderat, sed quomodo per id patrem viderit, nescit: nam ut ostensio illa intelligendi potius esset demonstratio quam videndi, subiecit et sufficit nobis.

Augustinus de trin.. Illa enim laetitia qua nos adimplebit cum vultu suo, nihil amplius requiretur: quod bene intellexerat philippus, ut diceret domine, ostende nobis patrem, et sufficit nobis. Sed nondum intellexerat eo quoque modo ad ipsum se potuisse dicere: domine, ostende nobis te, et sufficit nobis. Ut enim hoc intelligeret, responsum est ei a domino; unde sequitur dixit ei iesus: tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? **Augustinus** in ioannem. Sed quomodo hoc dicit, cum et quo iret scirent et viam scirent, non ob aliud nisi quod ipsum scirent? sed facile ista quaestio solvitur, si dicamus, quod eum aliqui eorum sciebant, aliqui nesciebant, de quibus erat philippus. **Hilarius**. Arguit ergo apostolum in cognoscendo se ignorantem: cum enim ea quae gereret, propria Deo essent, calcare undas, iubere ventis, peccata dimittere, mortuis vitam reddere; hinc querelae omnis orta conquaestio est, quod in homine assumpto Dei non intellecta natura est. Et ideo postulanti ut sibi patrem ostenderet, ait philippe, qui videt me, videt et patrem.

Augustinus. Solemus enim de simillimis duobus ita loqui: vidistis illum? vidistis istum. Sic ergo dictum est qui videt me, videt et patrem: non quod ipse sit pater et filius; sed quod a patris similitudine in nullo prorsus discrepet filius.

Hilarius. Non autem ille hic visum oculorum carnalium significat: non enim hoc quod ex partu virginis carnale est, ad contemplandam in eo Dei formam et imaginem proficit; sed intellectus Dei filius id praestat ut intellectus et pater sit, dum ita imago est ut non differat genere, sed significet auctorem; non enim solitarium sermo significat et indifferentem; tamen naturam professio docet: cum enim dicitur et patrem, exclusa est singularis atque unici intelligentia; et quid reliquum est, nisi ut per naturae unam similitudinem pater per filium visus sit? **Augustinus**. Sed numquid obiurgandus est qui cum similem viderat, etiam illum cui est similis, vult videre? sed ideo discipulum dominus arguebat, quoniam cor postulantis videbat. Tamquam enim melior esset pater quam filius, ita philippus patrem nosse cupiebat; et ideo nec filium sciebat, quo alium meliorem esse credebatur. Ad hunc ergo sensum corrigendum dictum est non credis quia ego in patre, et pater in me est? quasi dicat: si ad te multum est hoc videre, saltem quod non vides crede.

Hilarius. quae enim ignorandi patrem aut ostendendi ignorantibus necessitas relinquebatur, cum pater in filio visus esset ex proprietate naturae, dum ex indifferentia unitatis unum sint natus et generans, ut hic sermo domini sequeretur: non credis quia ego in patre, et pater in me est? **Augustinus** de trin.. Volebat enim eum ex fide vivere, antequam illud posset videre; et ideo dicit non credis? contemplatio quippe merces est fidei; cui mercedi per fidem corda mundantur.

Hilarius de trin.. Pater autem in filio est et filius in patre, non per duplicem convenientium generum coniunctionem, neque per insitam capacioris substantiae naturam; quia per corporalem necessitatem exteriora fieri his quibus continentur interiora non possunt, sed per nativitatem viventis naturae ex vivente, dum non aliud ex Deo quam deus nascitur. **Hilarius** de trin.. Naturam enim suam, ut ita dicam, sequitur indemutabilis deus, indemutabilem gignens Deum. Nec naturam suam deserit ex indemutabili Deo indemutabilis Dei perfecta nativitas. Subsistentem igitur in eo Dei naturam intelligimus, cum in Deo deus sit; nec praeter eum qui est deus, quisquam alius deus sit.

Chrysostomus in Ioannem. vel aliter totum. Philippus hic corporeis oculis patrem volebat videre, quia et ipsum filium ita se existimabat vidisse, fortassis a prophetis audiens, quoniam vidi dominum, et ideo dixit ostende nobis patrem. Etenim iudaei interrogaverunt: quis est pater tuus? et petrus et thomas, quo iret: et nullus didicit manifeste. Ut ergo non videatur onerosus esse philippus, et ipse interrogans ostende nobis patrem, adiungit et sufficit nobis; idest, nihil plus quaerimus. Dominus autem non dixit ei: impossibile petis; sed ostendit quoniam neque ipsum filium vidit: nam si hunc potuisset videre, et illum vidisset; et ideo dicit tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? non dixit: non vidistis me, sed non cognovistis me, quantum ad hoc scilicet quod filius hoc manens quod pater, decenter in seipso ostendit eum qui genuit. Deinde dividens hypostases, ait qui videt me, videt et patrem: ne quis dicat, quod ipse est pater, ipse filius. ostendit autem per hoc quoniam neque filium visu corporeo vidit. Si autem aliquis hic visum cognitionem dicere velit, non contradico; quasi dicat: qui cognovit me, cognovit et patrem. Sed non dixit hoc; sed consubstantialitatem repraesentare volens, dixit: qui meam substantiam vidit, vidit et eam quae patris. Unde patet quod non est creatura: creaturam enim videntes, Deum nesciunt omnes: philippus etiam substantiam patris videre quaerebat. Si ergo alterius substantiae esset, non diceret qui videt me, videt et patrem. Sed nec aliquis in argento auri substantiam videre potest: non enim alia per aliam apparet naturam.

Augustinus. Deinde non ad solum philippum, sed ad omnes pluraliter loquitur, dicens verba quae ego loquor vobis, a meipso non loquor. Quid est a meipso non loquor, nisi: a meipso non sum, qui loquor? ei quippe tribuit quod facit de quo est ipse qui facit.

Hilarius de trin.. Unde neque se filium negavit, nec naturam in se paternae virtutis abscondit: nam dum loquitur, ipse in substantia manens loquitur; dum autem non a se loquitur, nativitatem in se Dei a Deo testatur.

Chrysostomus. Vide autem superabundantem unius substantiae demonstrationem: nam subditur pater autem in me manens, ipse facit opera; quasi dicat: nequaquam aliter facit pater et aliter ego; sicut et alibi ait: si non facio opera patris mei, non credatis mihi. Sed quomodo a verbis incipiens, ad opera venit? conveniens enim erat dicere: ipse loquitur verba; sed duo ponit de doctrina et signis; aut quia et verba opera erant.

Augustinus in Ioannem. Nam qui proximum loquendo aedificat, bonum opus operatur. in his duabus sententiis diversi nobis adversantur haeretici. Ariani dicunt: ecce inaequalis est patri filius: non a seipso loquitur. Dicunt sabelliani: ecce qui pater est, ipse est filius. Quid est pater in me manens ipse facit, nisi in me maneo ego qui facio? **Hilarius.** Sed manere in filio patrem, non est singularis atque unicus; operari vero per filium patrem, non est differentis aut exteri; sicut non unius est, non a se loqui qui loquitur, neque rursus alieni ac separabilis loqui per loquentem. Et quia in se patrem loqui et operari docuerat, perfecte huius unitatis fidem statuit, dicens credite mihi quia ego in patre et pater in me est: ne scilicet per virtutis efficientiam, et non per naturae, quae secundum nativitatem est, proprietatem, pater in filio et operari crederetur et loqui: sic enim habetur in graeco. Nostra littera habet non creditis quia ego in patre, et pater in me est? **Augustinus** in Ioannem. Antea solus philippus arguebatur.

Chrysostomus. Si vero non sufficit hoc ad ostendendum consubstantialitatem, saltem ab operibus discite; unde subditur alioquin propter opera ipsa credite. Vidistis enim signa cum auctoritate, et omnia quae deitatis erant propria, et quae solus pater operatur: peccata soluta, mortem recedentem, et huiusmodi.

Augustinus. Hoc ergo propter opera credite quia ego in patre et pater in me est: neque enim, si separati essemus, inseparabiliter operari ulla ratione possemus.

IOANNES 14,12-14

13412 (Jn 14,12-14)

Chrysostomus in Ioannem. quia dominus dixerat: propter opera credite, ostendens quoniam non hoc solum potest, sed multo maiora, et, quod est mirabilius, aliis potest dare, adiunxit amen, amen, dico vobis: qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet.

Augustinus in Ioannem. sed quae sunt ista maiora? an forte quod aegros ipsis transeuntibus etiam eorum umbra sanabat? maius est enim quod sanet umbra quam fimbria. verumtamen quando ista dicebat, verborum suorum facta et opera commendabat. Cum enim dixit: pater in me manens, ipse facit opera, quae opera tunc dicebat nisi verba quae loquebatur? et eorum verborum fructus erat fides illorum. Verumtamen

evangelizantibus discipulis non tam pauci quam illi erant, sed gentes etiam crediderunt. Nonne ab ore ipsius dives ille tristis abscessit? et tamen postea quod ab illo auditum non fecit unus, fecerunt multi, cum per discipulos loqueretur. Ecce maiora fecit praedicatus a credentibus, quam locutus audientibus. verum, hoc adhuc movet quod hic maiora per apostolos fecit. Non autem ipsos tantum significans ait qui credit in me. Numquid inter credentes in Christum non est computandus qui non fecerit opera maiora quam Christus? durum est nisi intelligatur. apostolus dicit: credenti in eum qui iustificat impium, reputatur fides ad iustitiam. In hoc opere faciemus opera Christi, quia et ipsum credere in Christum, opus est Christi: hoc operatur in nobis, non utique sine nobis. Audi ergo: qui credit in me, opera quae ego facio et ipse faciet. Prius ego facio, deinde et ipse faciet: quia facio ut faciat. Quae opera, nisi ut ex impio iustus fiat? quod utique in illo, sed non sine illo Christus operatur. prorsus hoc maius esse dixerim quam creare coelum et terram: caelum enim et terra transibunt: praedestinatorum autem salus et iustificatio permanebit. Sed in caelis angeli opera sunt Christi: numquid etiam his operibus maiora facit qui cooperatur Christo ad suam iustificationem? iudicet qui potest utrum maius sit iustos creare quam impios iustificare. Certe si aequalis sit utrumque potentiae, hoc maioris est misericordiae. Sed omnia opera intelligere Christi, ubi ait maiora horum faciet, nulla necessitas cogit: horum enim forsitan dixit quae illa hora faciebat; tunc autem verba fidei faciebat; et utique minus est verba iustitiae praedicare, quod fecit praeter nos, quam impios iustificare, quod ita facit in nobis ut faciamus et nos. Magnam autem spem dominus suis promisit orantibus, dicens quia ego ad patrem vado.

Chrysostomus. Hoc est, non pereo, sed in propria manebam dignitate, et in caelis ero. Vel hoc dicit, ac si diceret: vestrum est de cetero miracula facere; ego enim vado.

Augustinus. et ne quisquam hoc sibi tribueret ut etiam illa opera maiora seipsum facere ostenderet, adiecit et quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. qui dixerat: faciet post ait faciam: tamquam diceret: non vobis hoc impossibile videatur: non enim poterit esse maior me qui credit in me; sed ego sum facturus et tunc maiora quam nunc; maiora per eum qui credit in me, quam nunc per me; quod non est defectio, sed dignatio.

Chrysostomus in Ioannem. Dicit autem in nomine meo, quia et apostoli dicebant: in nomine Christi iesu surge et ambula. Omnia enim signa quae fecerunt, ipse faciebat, et manus domini erat cum illis.

Theophylactus. Exponit autem nobis per hoc miraculorum doctrinam: nam per orationem ac invocationem sui nominis potest quis exercere prodigia.

Augustinus. Sed quid est quodcumque petieritis, cum videamus plerumque fideles eius petere et non accipere? an forte propterea quia male petunt? male enim usus eo quod vult accipere, Deo potius miserante non accipit. Quomodo ergo intelligendum est quodcumque petieritis, hoc faciam, si deus aliqua petentibus fidelibus etiam consulendo non facit? an forte solis apostolis hoc dictum debemus accipere? absit: superius enim dixerat: qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet. Ipsos quoque si cogitemus apostolos, inveniemus eum qui plus omnibus laboravit rogasse ut ab eo discederet angelus satanae, nec tamen quod rogaverat accepisse. Sed audi quod illic positum est in nomine meo, quod est Christus iesus. Christus regem, iesus salvatorem significat: et per hoc quodcumque petimus adversus utilitatem salutis, non petimus in nomine salvatoris: et tamen ipse salvator est, non solum quando facit quod petimus, verum etiam quando non facit: quoniam quod videt peti contra salutem, non faciendo se exhibet salvatorem. novit enim medicus quid pro sua, quid contra suam salutem poscat aegrotus; et ideo contraria poscentis non facit voluntatem, ut faciat sanitatem. Sane quaedam quamvis in nomine eius petamus, non tunc quando petimus facit, sed tamen facit: differtur enim quod petimus, non negatur. continuo autem subiecit ut glorificetur pater in filio, si quid petieritis in nomine meo, hoc faciam. Nullo modo igitur sine patre filius facit, quandoquidem, ut in illo pater glorificetur, propterea facit.

Chrysostomus. cum enim filius ostendatur magna potens, glorificabitur ille qui genuit. Ideo autem secundo id ponit, ut certificet sui ipsius sermonem.

Theophylactus. attende etiam seriem paternaе glorificationis. In nomine iesu facta sunt signa per quae credebant apostolorum sermonibus: et sic dum ad notitiam patris pervenirent, glorificabatur pater in filio.

IOANNES 14,15-17

13415 (Jn 14,15-17)

Chrysostomus in Ioannem. quia dominus dixerat: quodcumque petieritis, hoc faciam, ut non aestiment

omnem simpliciter petitionem valere, induxit si diligitis me, mandata mea servate: quasi dicat: tunc faciam quod petitis. vel quia audientes quoniam ad patrem vado consequens erat eos turbari, dicit: non est hoc me amare ut turbemini, sed ut faciatis mandata mea: hoc est enim amor, obedire et credere ei qui diligitur. Quia vero consequens erat eos vehementer inquirere carnis praesentiam, et illam habere consolationem quam prius habuerunt, subiungit et ego rogabo patrem, et alium paraclitum dabit vobis.

Augustinus in Ioannem. In quo ostendit et seipsum esse paraclitum. paraclitus autem latine dicitur advocatus: et dictum est de Christo: advocatum habemus apud patrem iesum Christum iustum.

Alcuinus. Vel paraclitum, idest consolatorem: habebant enim et tunc unum consolatorem, qui miraculorum dulcedine et praedicatione eos erigere et confortare solebat. Didymus de spiritu sancto. Sed spiritum sanctum alium paraclitum nominavit, non iuxta naturae differentiam, sed iuxta operationis diversitatem. cum enim salvator mediatoris et legati personam habebat, ex qua pontifex deprecaretur pro peccatis nostris, spiritus sanctus secundum aliam significationem paraclitus, ab eo quod consolatur in tristitia positos, nuncupatus est. Verum noli ex filii et spiritus sancti operatione diversa varias aestimare naturas: siquidem in alio loco reperitur paraclitus spiritus legati apud patrem persona fungi, ut ibi: ipse spiritus interpellat pro nobis. salvator quoque consolationem operatur in cordibus eorum qui indigent; scriptum est enim: et humiles populi sui consolatus est.

Chrysostomus. ait autem rogabo patrem, ut fide dignum faciat eis sermonem: quoniam si dixisset: ego mittam, non simpliciter credidissent.

Augustinus contra arianos. Qui tamen ut inseparabilia sua et patris opera demonstraret, alibi ait: cum abiero, mittam eum ad vos.

Chrysostomus. quid autem apostolis plus haberet, si patrem solum rogaret ut spiritum aliis daret? quoniam illi multoties et sine oratione ostenduntur hoc facientes.

Alcuinus. rogabo igitur dicit, ut inferior secundum humanitatem, patrem meum, cui sum aequalis et consubstantialis secundum divinam naturam.

Chrysostomus. dicit autem ut maneat vobiscum in aeternum, quoniam neque post mortem recedit. per hoc etiam occulte insinuat, quod spiritus sanctus non patietur mortem ut ipse, neque abibit. Ne autem paraclitum audientes, rursus incarnationem aliam suspicentur, et oculis putent eum videre, subiungit spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum nec scit eum.

Augustinus. Hic est utique in trinitate spiritus sanctus, quem patri et filio consubstantialem et coaeternum fides catholica profitetur.

Chrysostomus in Ioannem. spiritum autem veritatis eum vocat per hoc quod figuras veteris testamenti manifestat. mundum autem hic malos dicit; visionem autem certissimam cognitionem dicit, quia visus est apertior sensus.

Beda. Nota etiam, quod cum spiritum sanctum, spiritum veritatis dicit, spiritum sanctum esse spiritum suum ostendit: deinde cum a patre eum dari narrat, patris etiam eum spiritum esse declarat; ac per hoc spiritus sanctus a patre procedit et filio.

Gregorius moralium. Spiritus autem sanctus omnem quem repleverit, ad desideranda invisibilia accendit; et quoniam mundana corda solum visibilia diligunt, hunc mundus non accipit, quia ad diligenda invisibilia non assurgit. Saeculares etenim mentes quanto se foras per desideria dilatant, tanto ad receptionem illius, sinum cordis angustant.

Augustinus in Ioannem. Sic autem mundum, idest mundi dilectores, dicit non posse accipere spiritum sanctum, velut si dicamus: iniustitia iusta esse non potest. Mundus ergo, idest mundi dilectores, non potest eum accipere, quia non videt eum. Non enim habet invisibiles oculos mundana dilectio, per quos videri spiritus sanctus nisi invisibiliter non potest. sequitur vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit. Sed ne putarent quod dictum est, apud vos manebit, ita dictum quemadmodum apud hospes visibiliter manere consuevit, adiecit in vobis erit.

Chrysostomus. Quasi dicat: non ita apud vos manebit sicut ego, sed in vestris habitabit animabus.

Augustinus. prius autem est esse alicubi, post manere. Sed exposuit quod dixerat apud vos, cum adiunxit in vobis. si enim non sit in vobis, non potest esse in vobis eius scientia: sic enim a vobis videtur in vobis et

vestra conscientia.

Gregorius moralium. Si autem spiritus sanctus in discipulis manet, quomodo iam singulare signum erit quod in mediatore permanet? secundum illud: supra quem videris spiritum descendentem et manentem, hic est qui baptizat. Quod tamen citius cognoscimus, si dona eiusdem spiritus discernamus. In his enim donis sine quibus ad vitam perveniri non potest, spiritus sanctus in electis omnibus semper manet; in illis autem quibus non nostra vita servatur, sed aliorum quaeritur, nequaquam semper manet: aliquando enim se a signorum ostensionibus subtrahit, ut eo humiliter virtutes eius habeamus: Christus autem in cunctis eum et semper habet praesentem.

Chrysostomus. Hic autem sermo oppositas haereses velut uno ictu sustulit: nam dicere alium ostendit eius, idest spiritus, hypostaseos differentiam; dicere vero paraclitum, substantiae cognitionem.

Augustinus contra arianos. consolatorem enim (quod officium tamquam personae infimae in trinitate spiritui sancto deputant) Deum dicit apostolus, secundum illud: is qui consolatur humiles, consolatus est nos deus. Deus est itaque spiritus sanctus qui consolatur humiles. Aut si hoc de patre vel filio dictum ab apostolo volunt accipi, desinant consolationis tamquam munere proprio separare a patre et filio spiritum sanctum.

Augustinus in Ioannem. sed cum caritas Dei diffusa sit in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis, quomodo diligemus et mandata Christi servabimus, ut eum accipiamus quem nisi habuerimus, diligere et mandata servare non possumus? an forte praecedit in nobis caritas qua diligamus Christum, ut diligendo Christum eiusque faciendo mandata, mereamur accipere spiritum sanctum, ut caritas Dei patris diffundatur in cordibus nostris? perversa est ista sententia. Qui enim se filium Dei diligere credit, et patrem non diligit, profecto nec filium diligit; sed quod sibi ipsi videtur confinxit. Restat ergo ut intelligamus, spiritum sanctum habere qui diligit, et habendo mereri ut plus habeat, et plus habendo plus diligit. Iam itaque habebant spiritum discipuli, quem dominus promittebat; sed dandus eis erat amplius; habebant occulte, accepturi erant manifeste. proinde non solum non habenti, verum etiam habenti non incassum promittitur; non habenti quidem, ut habeatur; habenti autem, ut amplius habeatur.

Chrysostomus. quando igitur discipulos purgaverat per sacrificium passionis, et peccatum solutum erat, et ipsi ad pericula et agones mittebantur, oportebat spiritum sanctum venire abundanter. Non autem statim post resurrectionem, ut in multo eius constituti desiderio, cum multa eum suscipiant gratia.

IOANNES 14,18-21

13418 (*Jn 14,18-21*)

Augustinus in Ioannem. Ne quisquam putaret quod ita spiritum sanctum dominus daturus fuerat, velut per seipsum non et ipse esset futurus cum eis, adiecit, et ait non relinquam vos orphanos. orphani pupilli sunt: illud enim est graecum, hoc latinum. Quamvis ergo nos filius Dei suo patri adoptavit filios, tamen in hoc etiam ipse erga nos paternum ostendit affectum.

Chrysostomus in Ioannem. et quidem a principio dixerat: venietis quo ego vado; sed quia hoc longum tempus erat, promisit spiritum. Et quia nesciebant quid est hoc, promittit eis suam praesentiam, quam maxime quaerebant, cum dicit veniam ad vos. Ne tamen rursus eandem quaerant praesentiam, qualem et prius habuerunt, occulte hoc excludit, cum subdit adhuc modicum, et mundus me iam non videt; vos autem videtis me; ac si diceret: veniam quidem ad vos, non tamen ut prius vobiscum per unamquamque diem consistens. Et ne dicant: qualiter igitur iudaeis dixisti: amodo non videbitis me? solvit opinionem dicens ad vos solos veniam.

Augustinus in Ioannem. videbat enim tunc eum mundus carnis oculis in carne conspicuum; non autem videbat quod in carne verbum latebat. Sed quoniam post resurrectionem etiam carnem suam, quam non solum videndam, verum etiam contrectandam demonstravit suis, noluit demonstrare non suis; hinc dictum est adhuc modicum, et mundus iam me non videt; vos autem videbitis me. Sed quoniam in iudicio eum mundus videbit, quo nomine significati sunt a regno eius alieni; melius intelligitur illud etiam tempus significare voluisse quando in fine saeculi auferetur ab oculis damnatorum, ut eum de cetero videant diligentes. modicum autem dixit, quia id quod prolixum videtur hominibus, brevissimum est ante oculos Dei. sequitur quia ego vivo, et vos vivetis.

Theophylactus. Quasi dicat: et si mortem subiero, tamen resurgo. Vos quoque vivetis; hoc est, cum

videritis me, laetabimini, et tamquam mortui reviviscetis in apparitione mea.

Chrysostomus. mihi autem videtur vitam non praesentem dicere, sed futuram; ac si dicat: mors crucis non distare faciet vos a me in finem, sed momento parvo occultabit me a vobis.

Augustinus. Cur autem de praesenti se dixerit vivere, illos autem de futuro esse victuros, nisi quia et vitam carnis resurgentis qualis in ipso praecedebat, et illis est pollicitus secuturam? et quia ipsius mox futura erat resurrectio, praesentis temporis ponit verum, propter significandam celeritatem; illorum autem, quoniam saeculi differtur in finem, non ait: vivitis, sed vivetis. Quia vero vivit ille, ideo et nos vivemus: per hominem quippe mors, et per hominem resurrectio mortuorum. sequitur in illo die, de quo scilicet ait, et vos vivetis, vos cognoscetis, contemplando, quamvis et nunc credendo noverimus, quia ego sum in patre, et vos in me, et ego in vobis: quia quando vivemus ea vita qua mors absorbetur, tunc perficietur hoc ipsum quod nunc inchoatum est iam per ipsum, ut sit in nobis, et nos in ipso.

Chrysostomus. Vel in illo die cum resurgam, cognoscetis; quia cum viderunt eum resurrexisse et esse cum eis, tunc certissimam fidem didicerunt. magna enim erat virtus spiritus sancti, quae omnia eos docebat. Quod autem dictum est ego sum in patre, humilitatis est; quod autem dicit et vos in me et ego in vobis, humanitatis est, et auxilii quod est a Deo. Consuevit enim scriptura multoties eisdem verbis in Deo et hominibus positus non similiter uti.

Hilarius de trin.. vel hoc dicit, ut cum ille in patre per naturam divinitatis esset, nos autem in eo per corporalem eius nativitatem; et ille rursus in nobis per sacramenti mysterium inesse crederetur: ipse enim testatus est: qui edit carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet, et ego in eo.

Alcuinus. Per dilectionem autem et observantiam mandatorum eius, tunc perficietur hoc ipsum quod nunc inchoatum est per ipsum, ut sit in nobis, et nos in ipso. Et ut omnibus, non tantum apostolis, hanc beatitudinem promississe videatur, adiungit qui habet mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me.

Augustinus. qui habet in memoria et servat in vita; qui habet in sermonibus et servat in operibus; qui habet audiendo et servat faciendo; qui habet faciendo et servat perseverando, ipse est qui diligit me. Opere est demonstranda dilectio, ne sit infructuosa nominis appellatio.

Theophylactus. Ac si dicat: vos putatis quod ex affectione quadam tristamini de morte mea; sed ego signum dilectionis reputo mandata mea servari. qualem autem praerogativam obtineat qui diligit, ostendit subdens qui autem diligit me, diligitur a patre meo, et ego diligam eum.

Augustinus. sed quid est diligam, tamquam nunc non diligit? exponit per id quod sequitur: et manifestabo ei meipsum; id est, ad hoc diligam ut manifestem, et ipsam visionem mercedem fidei capiamus. Nunc enim ad hoc nos dilexit ut credamus; tunc ad hoc ut videamus; quia et nos nunc diligimus credendo quod videbimus; tunc autem diligemus videndo quod credidimus.

Augustinus ad paulinam de videndo Deo. sic autem promisit ostensurum seipsum dilectoribus suis cum patre Deum unum, non quomodo in hoc saeculo visus est in corpore et a malis.

Theophylactus. vel quia post resurrectionem appariturus illis erat in corpore magis repraesentante divinitatem, ne credant ipsum spiritum fore, seu phantasma, ob hoc praedixit illis; ut tunc videntes illum non diffidant, sed reminiscantur quia propter mandatorum suorum custodiam apparet eis: atque ideo tenentur semper custodire illa, ut perpetuo eis apparet.

IOANNES 14,22-27

13422 (Jn 14,22-27)

Augustinus in Ioannem. quia dominus dixerat: adhuc modicum, et mundus me iam non videt; vos autem videbitis me, interrogavit eum de hoc ipse iudas, non ille traditor eius qui iscariotis cognominatus est, sed cuius epistola inter scripturas canonicas legitur; unde dicitur dicit ei iudas non ille iscariotis: domine, quid factum est, quia nobis manifestaturus es teipsum, et non mundo? causam quaesivit quare non se mundo, sed suis manifestaturus esset. Dominus autem exponit quare suis se manifestaturus est, non alienis: quia scilicet hi diligunt, illi vero non diligunt; unde sequitur respondit iesus, et dixit ei: si quis diligit me, sermonem meum servabit.

Gregorius in evang.. Probatio enim dilectionis, exhibitio est operis: nunquam amor Dei est otiosus: operatur enim magna, si est; si vero operari renuerit, amor non est.

Augustinus. Dilectio autem sanctos discernit a mundo, quae facit unanimes habitare in domo in qua facit pater et filius mansionem; qui donant et ipsam dilectionem, quibus in fine donabunt suam manifestationem. Est enim quaedam Dei manifestatio interior, quam prorsus impii non noverunt: quibus Dei patris et spiritus sancti manifestatio nulla est: filii vero esse potuit, sed in carne; quae nec talis est qualis illa, nec semper illis adesse potest, sed ad modicum tempus; et hoc ad iudicium, non ad gaudium; ad supplicium, non ad praemium; unde sequitur et ad eum veniemus. Veniunt quidem ad nos dum venimus ad eos; veniunt subveniundo, venimus obediendo; veniunt illuminando, venimus intuendo; veniunt implendo, venimus capiendo; ut sit nobis eorum non extranea visio, sed interna; et in nobis eorum non transitoria mansio, sed aeterna; unde sequitur et mansionem apud eum faciemus.

Gregorius. In quorundam etenim corda venit, et mansionem non facit: quia per compunctionem quidem respectum Dei percipiunt, sed tentationis tempore hoc ipsum quod compuncti fuerant obliviscuntur, sicque ad perpetranda peccata redeunt ac si haec minime planxissent. Qui ergo Deum vere diligit, in eius corde dominus et venit et mansionem facit: quia sic eum divinitatis amor penetrat ut ab hoc amore tentationis tempore non recedat: ille enim vere amat cuius mentem delectatio prava ex consensu non superat.

Augustinus. an forte putabitur, mansionem in dilectore suo facientibus patre et filio, exclusus esse ab hac mansionem spiritus sanctus? quid est ergo quod superius ait de spiritu sancto: apud vos manebit, et in vobis erit? nisi forte quisquam sic absurdus est ut arbitretur, cum pater et filius venerint, discessurum inde spiritum sanctum, tamquam locum daturum maioribus. Sed et huic carnali cogitationi occurrit scriptura, cum dicit: ut maneat vobiscum in aeternum. In eadem ergo mansionem cum ipsis erit in aeternum: quia nec ille sine ipsis venit, nec illi sine eo: sed propter insinuationem trinitatis, personis singulis nominatis dicuntur quaedam, non tamen aliis separatis intelliguntur, propter eiusdem trinitatis substantiam.

Gregorius. tanto autem quisque a superno amore disiungitur, quanto inferius delectatur; unde subditur qui non diligit me, sermones meos non servat. De dilectione ergo conditoris, lingua, mens et vita requiratur.

Chrysostomus in Ioannem. Vel aliter totum. Aestimavit iudas sicut mortuos videmus in somno, ita et se eum esse visuros; unde quaerit quid est quod debes te manifestare nobis, et non mundo? quasi dicat: vae nobis, quoniam morieris, et ut mortuus debes nobis assistere. Ne igitur hoc suspicentur, dicit ego et pater ad eum veniemus; quasi dicat: sicut pater manifestat seipsum, ita et ego: et mansionem apud eum faciemus; quod somniorum non est. sequitur et sermo quem audistis non est meus, sed eius qui misit me patris; quasi dicat: non me solum, sed neque patrem amat qui hunc non audit sermonem. Dicit autem hoc, quoniam nihil extra patrem loquitur, neque praeter id quod illi videtur.

Augustinus. Et fortasse propter aliquam distinctionem, ubi suos dixit, pluraliter sermones dixit, dicens qui non diligit me, sermones meos non servat. Ubi autem sermonem, hoc est verbum, non suum esse dixit, sed patris, seipsum intelligi voluit; non enim suum, sed patris est verbum; quomodo nec sua imago, sed patris; nec suus filius, sed patris. Recte igitur auctori tribuit quod facit aequalis, a quo habet hoc ipsum quod illi est indifferens et aequalis.

Chrysostomus. quia vero eorum quae dixerat, quaedam manifesta erant et quaedam non intellexerunt, ut non turbarentur, subiungit haec locutus sum vobis apud vos manens.

Augustinus in Ioannem. alia est illa mansio quam promisit futuram, alia vero haec quam praesentem esse testatur: illa spiritualis est, atque intrinsecus mentibus redditur; haec corporalis forinsecus oculis atque auribus adhibetur.

Chrysostomus in Ioannem. ut autem eius corporalem recessum facilius sustinerent, praeparat eos, promittens quod eius recessus magnorum eis esset futura causa bonorum: quia donec ipse apud eos corporaliter manebat et spiritus non venerat, nihil magnum poterant scire; unde sequitur paraclitus autem spiritus sanctus quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia quaecumque dixero vobis.

Gregorius in evang.. Graeca locutione paraclitus, latina advocatus dicitur, vel consolator. Qui idcirco advocatus dicitur, quia pro errore delinquentium apud iustitiam patris intervenit, dum eos quos repleverit, exorantes facit. Consolator autem idem spiritus vocatur, quia de peccati perpetratione moerentibus, dum spem veniae praeparat, ab afflictione tristitiae mentem levat.

Chrysostomus. Continue autem eum paraclitum vocat propter continentes eos tribulationes. Didymus de spiritu sancto. Spiritum autem sanctum a patre in suo mitti nomine salvator affirmat, cum proprie nomen salvatoris sit filius; siquidem naturae consortium, et, ut ita dicam, proprietates personarum ex ista voce significatur. Filii quippe tantummodo est in nomine patris venire, salva proprietate filii ad patrem, et patris ad filium. nullus autem alius venit in nomine patris; sed verbi gratia, in nomine domini, Dei, et omnipotentis. Quomodo igitur servi qui in nomine domini veniunt, per hoc ipsum quod subiecti sunt et serviunt, indicant dominum, servi quippe sunt domini; sic et filius qui venit in nomine patris, portat eius nomen per hoc quod unigenitus Dei filius approbatur. Quia ergo spiritus sanctus in nomine filii a patre mittitur, ostendit quia unitate sit iunctus ad filium; unde et filii dictus est spiritus, per adoptionem suam filios faciens eos qui se recipere voluissent. Iste autem spiritus sanctus, qui venit in nomine filii missus a patre, docebit omnia eos qui in fide Christi perfecti sunt: omnia autem illa quae spiritualia sunt et intellectualia veritatis et sapientiae sacramenta. Docebit vero, non sicut qui artes aliquas et sapientiam studio industriaeque didicere; sed quasi ipsa ars atque doctrina et sapientia, veritatis spiritus invisibiliter menti insinuat scientiam divinorum.

Gregorius. Nisi autem idem spiritus cordi adsit audientis, otiosus est sermo doctoris. Nemo ergo docenti homini tribuat quod ex ore docentis intelligitur: quia nisi intus sit qui doceat, doctoris lingua exterius in vacuum laborat. sed et ipse conditor non ad eruditionem hominis loquitur, si eidem homini per unctionem spiritus non loquatur.

Augustinus. numquid autem dicit filius et docet spiritus sanctus, ut dicente filio verba capiamus, docente autem spiritu sancto, eadem verba intelligamus? omnis igitur et dicit et docet trinitas; sed nisi etiam sigillatim commendaretur, eam nullo modo humana capere utcumque posset infirmitas.

Gregorius. requirendum vero nobis est cur de eodem spiritu dicatur suggeret vobis omnia, cum suggerere soleat esse minoris. Sed quia suggerere aliquando dicimus subministrare, invisibilis spiritus suggerere dicitur, non quod nobis scientiam ab imo inferat, sed ab occulto.

Augustinus. Vel quod addit suggeret, idest commemorabit vos, intelligere debemus etiam, quod iubemur non oblivisci, saluberrima monita ad gratiam pertinere, quae nos commemorat Christus.

Theophylactus. Spiritus itaque sanctus et docuit et commemoravit: docuit quidem quaecumque non dixerat eis Christus, tamquam non valentibus portare; commemoravit vero quaecumque dominus dixerat; sed obscuritatis causa vel intellectus tarditate, commendare memoriae nequiverunt.

Chrysostomus. Quia vero et haec audientes turbantur, excogitantes odia et praelia sibi imminere post eius recessum, rursus eos consolatur, dicens pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.

Augustinus. pacem nobis reliquit in hoc saeculo, in qua manentes hostem vincimus, et ut etiam hic invicem diligamus; pacem suam nobis dabit in futuro saeculo, quando sine hoste regnabimus, ubi nunquam dissentire possimus. Pax autem nobis ipse est, et cum credimus quia est, et cum videbimus eum sicuti est. Sed quid est quod ubi dicit pacem relinquo vobis, non addit meam; ubi vero ait do vobis, ibi dixit meam? utrum subaudiendum est meam et ubi dictum non est; an forte et hic aliquid latet? pacem enim suam eam voluit intelligi qualem habet ipse; pax vero ista quam nobis reliquit in hoc saeculo, nostra potius dicenda est quam ipsius. Illi quippe nihil repugnat in seipso, quia nullum habet omnino peccatum; nos autem talem pacem nunc habemus in qua adhuc dicamus: dimitte nobis debita nostra. itemque inter nos ipsos est nobis pax, quia invicem nobis credimus quod invicem diligamus. Sed nec ipsa plena est, quia cogitationes cordis nostri invicem non videmus. Nec ignoro ista domini verba etiam sic accipi posse, ut eiusdem sententiae repetitio videatur. Quod vero dominus adiunxit non quomodo mundus dat, ego do vobis, quid est aliud, nisi non quomodo homines dant qui diligunt mundum? qui propterea sibi dant pacem, ut sine molestia mundo perfruantur: et quando iustis dant pacem ut non eos persequantur, pax esse non potest vera ubi non est vera concordia, quia disiuncta sunt corda.

Chrysostomus. Pax etiam exterior ad malum fit multoties, et eis qui habent eam nihil prodest.

Augustinus de verb. Dom.. Est autem pax serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculum, consortium caritatis. Nec poterit ad hereditatem domini pervenire qui testamentum pacis noluerit observare; nec potest concordiam habere cum Christo qui discors voluerit esse cum Christiano.

13427 (Jn 14,27-31)

Chrysostomus in Ioannem. quia dixerat: pacem relinquo vobis, quod erat recedentis, hoc poterat eos conturbare, ideo dicit non turbetur cor vestrum, neque formidet: quoniam haec quidem ex dilectione, illa vero ex formidine patiebantur.

Augustinus in Ioannem. hinc autem turbari et formidare poterat cor illorum, quod ibat ab eis, quamvis venturus ad eos, ne forsitan gregem lupus hoc intervallo invaderet pastoris absentia; unde sequitur audistis quia ego dixi vobis: vado, et venio ad vos. Ibat autem per id quod homo erat, et manebat per id quod deus erat. Cur itaque turbaretur et formidaret cor, quando sic deserebat oculos ut non desereret cor? ut autem intelligerent secundum id quod homo erat, eum dixisse vado, et venio ad vos, subiecit atque ait si diligeretis me, gauderetis utique quia vado ad patrem, quia pater maior est. Per quod ergo filius non est aequalis patri, per hoc erat iturus ad patrem, a quo et venturus est, iudicaturus vivos et mortuos; per illud autem in quo est aequalis gignenti, nunquam recedit a patre, sed cum illo est ubique totus pari divinitate, quam nullus continet locus. Ipse ergo filius Dei aequalis patri in forma Dei, quia semetipsum exinanivit, non formam Dei amittens, sed formam servi accipiens, maior est etiam seipso: quia maior est forma Dei, quae amissa non est, quam forma servi, quae accepta est. Haec igitur est forma servi, in qua Dei filius minor est non patre solo, sed etiam spiritu sancto: secundum hanc formam servi puer Christus etiam parentibus minor erat, quando parvus maioribus, sicut scriptum est, subditus erat. Agnoscamus igitur geminam substantiam Christi; divinam scilicet, qua aequalis est patri; et humanam, qua maior est pater. Utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus, ne sit quaternitas sed trinitas deus. Ideo ergo dixit si diligeretis me, gauderetis utique, quia vado ad patrem: quia naturae humanae gratulandum est, eo quod sic assumpta est a verbo unigenito ut immortalis constitueretur in caelo, atque ita fieret terra sublimis, ut incorruptibilis pulvis sederet ad dexteram patris. Quis non hinc gaudeat, qui sic diligit Christum, ut suam naturam iam immortalem gratuletur in Christo, atque ipsum speret futurum esse per Christum? **Hilarius** de trin.. Vel aliter. si donantis auctoritate pater maior est, numquid per doni confessionem minor filius est? maior itaque donans est, sed minor iam non est cui unum esse donatur.

Chrysostomus. Vel aliter. Nondum noverant apostoli quid sit resurrectio, quam praedixerat dicens vado, et venio ad vos; neque qualem oportebat de eo opinionem, habebant; patrem vero magnum esse aestimabant. Dicit igitur eis: etsi de me formidatis quod me defendere nequeam, nec confiditis quod post crucem rursus vos videam; tamen audientes quoniam ad patrem vado, laetandum vobis est, quoniam ad maiorem vado, et potentem omnia versuta dissolvere. Haec autem omnia ad imbecillitatem discipulorum dicebantur: et ideo subdidit et nunc dixi vobis priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis.

Augustinus in Ioannem. quid est hoc, cum magis credere homo debeat antequam fiat id quod credendum est? haec est enim laus fidei, si quod creditur non videtur: nam et ille cui dictum est: quia vidisti, credidisti, aliud vidit, aliud credidit: vidit hominem, credidit Deum. Sed si dicuntur credi quae videntur, sicut dicit unusquisque oculis suis se credidisse, non tamen ipsa est quae in nobis aedificatur fides; sed ex rebus quae videntur, acquiritur in nobis, ut ea credantur quae non videntur. Illud itaque dicit cum factum fuerit, quod eum post mortem visuri erant viventem et ad patrem ascendentem; quo viso, fuerant credituri quod ipse esset Christus filius Dei, qui hoc potuit facere, et praedicere antequam faceret; credituri autem hoc, non fide nova, sed aucta; aut certe cum mortuus esset, defecta; cum resurrexisset, refecta.

Hilarius. Gloriam autem resumendae meritum continuo subiecit dicens iam non multa loquar vobiscum.

Beda. Ideo hoc dicebat, quoniam iam instabat tempus ut comprehenderetur, et ad mortem traderetur. venit enim princeps mundi huius.

Augustinus. quis nisi diabolus? non autem creaturarum, sed peccatorum princeps est diabolus. Unde apostolus cum dixisset: adversus rectores mundi sequenti verbo exposuit quid dixisset mundi, cum subiungit: tenebrarum harum, idest hominum impiorum. Et in me non habet quidquam. Quia neque cum peccato deus venerat, nec eius carnem de peccati propagine virgo pepererat. et tamquam ei diceretur: cur ergo morieris, si non habes peccatum, cui debetur mortis supplicium? continuo subiungit sed ut cognoscat mundus quia diligo patrem, et sicut mandatum dedit pater, sic facio; surgite, eamus hinc. Discumbens enim discumbentibus loquebatur. Eamus autem dixit ad illum locum unde fuerat tradendus ad mortem qui nullum habebat meritum mortis, sed habebat, ut moreretur, mandatum patris.

Augustinus contra arianos. Quod autem voluntati et praecepto patris obediens est filius nec in hominibus demonstrat diversam imparemque naturam patris praecipientis et filii obedientis. Huc accedit quod Christus non tantum deus est, qua natura aequalis est patri, sed etiam homo, qua natura minor est patre.

Chrysostomus. vel hoc quod dicit surgite, eamus hinc, principium est alterius sententiae: consequens enim erat eos formidare et a tempore et a loco, in villa manifeste existentes: etenim nox profunda erat; et erat consequens eos non attendere his quae dicebantur; sed semper circumvolvere oculos, et imaginari eos qui aggressuri eos erant, et maxime audientes: adhuc modicum vobiscum sum, et: venit princeps mundi huius. Quia igitur haec et huiusmodi audientes, turbabantur, ut mox capiendi, ducit eos in locum alium, ut aestimantes se in cautela esse, cum otio de reliquo audiant: magna enim dogmata erant audituri.

IOANNES 15,1-3

13501 (Jn 15,1-3)

Hilarius de trin.. Ad consummandae corporeae passionis sacramentum per dilectionem efficiendi mandati paterni festinat exurgens; corporeae tamen assumptionis statim mysterium pandens, per quam ei tamquam in vite modo palmitis inessemus, adiecit ego sum vitis vera.

Augustinus in Ioannem. Quod secundum hoc dicit quod est caput ecclesiae, nosque membra eius, homo Christus iesus. Unius quippe naturae sunt vitis et palmites. Sed cum dicit ego sum vitis vera, numquid ut adderet vera, ad eam vitem retulit, unde ista similitudo translata est? sic autem dicitur vitis per similitudinem, non per proprietatem: sicut agnus, ovis et cetera huiusmodi: ut magis ipsa sint vera, ex quibus ducuntur istae similitudines. sed dicendo ego sum vitis vera, ab illa se discernit cui dicitur: quomodo conversa es in amaritudinem, vitis aliena? nam quo pacto est vitis vera quae expectata est ut faceret uvam, fecit autem spinas? **Hilarius.** Sed a corporeae huius humilitatis assumptione formam paternae maiestatis alienans, agricolam patrem curiosum huius vitis ostendit, dicens et pater meus agricola est.

Augustinus de verb. Dom.. Colimus enim Deum, et colit nos deus; sed sic Deum colimus, ut non meliorem eum faciamus; colimus enim eum adorando, non arando; quod autem ille nos colit, meliores nos reddit. Cultura ipsius est in nos, quod non cessat verbo suo extirpare mala semina de cordibus nostris, aperire cor nostrum tamquam aratro sermonis, plantare semina praeceptorum expectare fructum pietatis.

Chrysostomus in Ioannem. et quia Christus sibi sufficit, discipuli vero multo indigent agricolae auxilio; propterea de vite nihil dicit, sed de palmitibus, cum subdit omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum. fructum autem hic vitam occulte insinuat, ostendens quod sine operibus non potest aliquid esse in eo.

Hilarius. inutiles autem et inveraces palmites desecans, deputabit arsueros.

Chrysostomus. et quia etiam qui valde virtuosus sunt, indigent agricolae opere, adiungit et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Hoc dixit propter tribulationes eorum quae tunc inducebantur, ostendens quod tentationes fortiores eos faciebant; sicut et purgare, hoc est circumcidere palmitem, eum magis germinare facit.

Augustinus. Quis autem est in hac vita sic mundus ut non sit magis magisque mundandus? ubi si dixerimus quia peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus. Mundat itaque mundos, idest fructuosos, ut tanto sint fructuosiores quanto sunt mundiores. secundum hoc ergo vitis est Christus quod ait: pater maior me est; secundum illud autem quod ait supra: ego et pater unum sumus, et ipse agricola est; nec talis quales sunt qui extrinsecus operando exhibent ministerium, sed talis ut det intrinsecus incrementum: unde continuo etiam seipsum mundatorem palmitum ostendit, dicens iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis. Ecce ipse mundator est palmitum: quod est agricolae, non vitis officium. Sed quare non ait: mundi estis propter baptismum quo abluti estis, nisi quia et in aqua verbum mundat? detrahe verbum: et quid est aqua nisi aqua? accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Unde ista tanta virtus aquae ut corpus tangat et cor abluatur, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? nam in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud virtus immanens. hoc verbum fidei tantum valet in ecclesia Dei ut per ipsum credentem, offerentem, benedicentem, tingentem mundet infantem, quamvis credere non valentem.

Chrysostomus. Vel dicit mundi estis, propter sermonem quem locutus sum vobis; idest, interim lumen doctrinae iam suscepistis, et a iudaico errore eruti estis.

IOANNES 15,4-7

13504 (Jn 15,4-7)

Chrysostomus in Ioannem. quia iam mundos eos dixerat propter sermonem quem locutus fuerat eis, docet quod oportet de reliquo incipere ea quae ab eis sunt; et ideo dicit manete in me et ego in vobis.

Augustinus in Ioannem. non eo modo illi in ipso, sicut ipse in illis: utrumque enim prodest, non ipsi, sed illis: ita sunt quippe in vite palmites ut viti non conferant, sed inde accipiant unde vivant; ita vero vitis est in palmitibus ut vitale alimentum subministret eis, non sumat ab eis; ac per hoc, ut manentem in se haberent Christum, et manerent in Christo, discipulis prodest utrumque, non Christo; unde subdit sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis. Magna gratiae commendatio. corda instruit humilium, ora obstruit superbiorum. Nonne huic resistunt veritati, ad bona opera facienda Deum sibi necessarium non putantes, non assertores, sed praecipitatores liberi arbitrii? qui enim a semetipso se fructum aestimat ferre, in vite non est; qui in vite non est, in Christo non est; qui in Christo non est, Christianus non est.

Alcuinus. Omnis enim fructus boni operis ab illa radice procedit, qui nos sua gratia liberavit, et suo auxilio provehit, ut fructum plus afferre valeamus: unde cum repetitione et superiorum explanatione subdit ego sum vitis et vos palmites. Qui manet in me, credendo, obediendo, perseverando, et ego in eo, illuminando, subveniando, perseverantiam donando, hic, et non alius, fert fructum multum.

Augustinus. sed ne quisquam putaret saltem parvum aliquem fructum posse a semetipso palmitem ferre, subdit quia sine me nihil potestis facere. Non ait: parum potestis facere: quia nisi palmes in vite manserit et vixerit de radice, quantumlibet fructum a semetipso non potest ferre. Quamvis autem Christus vitis non esset nisi homo esset; tamen istam gratiam palmitibus non praeberet, nisi etiam deus esset.

Chrysostomus. vide ergo filium non minus patre conferentem ad discipulorum procuracionem: nam pater quidem purgat; ipse vero in se tenet quod facit palmites fructificare. Sed tamen et purgare filii monstratum est esse, et manere in radice est patris, qui radicem genuit. Igitur magnum quidem damnum est nihil posse facere; verum non usque ad hoc sistit, sed ulterius producit sermonem, dicens si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, id est agricolae non potietur manus, et arescet, hoc est, si quid habebat a radice, amittet, denudatus eius auxilio et vita: et colligent eum; Alcuinus: messorum angeli, et in ignem, aeternum scilicet, mittent et ardet.

Augustinus. ligna enim vitis tanto sunt contemptibilia si in vite non manserint, quanto gloriosiora si manserint. Unum ex duobus palmiti congruit, aut vitis, aut ignis: si in vite non est, in igne erit.

Chrysostomus. deinde ostendens quid est manere in eo, subdit si manseritis in me et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis. Eam enim quae per opera ostensionem quaerit.

Augustinus. Tunc enim sunt dicenda verba eius in nobis manere, quando facimus quae praecepit et diligimus quae promisit. Quando autem verba eius manent in memoria nec inveniuntur in vita, non computatur palmes in vite, quia vitam non attrahit ex radice. Quid autem velle possunt manendo in salvatore nisi quod non alienum est a salute? aliud quippe volumus quia sumus in Christo, et aliud volumus quia sumus adhuc in hoc saeculo. de mansionem autem huius saeculi nobis aliquando subrepat ut hoc petamus quod nobis non expedire nescimus. Sed absit ut faciat nobis, si maneamus in Christo, qui non facit quando petimus nisi quod expedit nobis. Ad verba autem eius pertinet oratio pater noster, ab huius orationis verbis et sensibus non recedamus in petitionibus nostris; et quidquid petimus, fiet nobis.

IOANNES 15,8-11

13508 (Jn 15,8-11)

Chrysostomus in Ioannem. ostendit supra dominus quoniam qui eis insidiabantur, ardebunt, non manentes in Christo; deinde ostendens quoniam ipsi inexpugnabiles erunt, ita scilicet ut multum fructificent, ait in hoc clarificatus est pater meus ut plurimum fructum afferatis; quasi dicat: si ad gloriam patris pertinet quod vos fructificetis, non contemnet gloriam suam. Qui autem fructum facit, ille est discipulus Christi; unde subdit et efficiamini mei discipuli.

Theophylactus. fructus autem apostolorum sunt gentes, quae per eorum doctrinam astrictae sunt fidei, nec non ad Dei redactae sunt gloriam.

Augustinus in Ioannem. sive enim clarificatus, sive glorificatus dicatur, ex uno verbo graeco utrumque translatum est. Doxa enim graece dicitur, latine gloria est. Quod ideo commemorandum putavi, ne hoc nostrae gloriae tribuamus, tamquam ex nobis ipsis habeamus: eius est enim haec gratia; et ideo in hoc non nostra, sed eius est gloria. A quo enim faciemus fructum nisi ab illo cuius misericordia praevenit nos? unde subditur sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos. Ecce unde sunt nobis opera bona; nam unde nobis essent, nisi quia fides per dilectionem operatur? unde autem diligeremus, nisi prius diligeremur? quod autem ait sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos, non aequalitatem naturae ostendit nostrae et suae, sicut est patris et ipsius; sed gratiam, qua mediator est Dei et hominum, homo Christus iesus. Mediator quippe monstratur, cum dicit pater dilexit me, et ego dilexi vos: nam pater utique diligit et nos, sed in ipso.

Chrysostomus. si igitur pater amat nos, confidite: si patris est gloria, fructificate. deinde ut non pigros eos faciat, subdit manete in dilectione mea. Qualiter autem hoc erit, ostendit subdens si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea.

Augustinus. Quis ambigat quod dilectio praecedat observantiam praeceptorum? unde enim praecepta servet, non habet qui non diligit. Quod ergo hic ait, ostendit non unde dilectio generetur, sed unde monstretur; ut nemo se fallat dicendo quod eum diligit, si eius praecepta non servat. Quamvis quod dicit manete in dilectione mea, non apparet quam dixerit dilectionem: utrum qua eum diligimus, an qua ipse nos diligit; sed ex verbo superiori dignoscitur; dixerat quippe ego dilexi vos, et continuo subiecit manete in dilectione mea, illa utique qua dilexit eos. Quid est ergo manete in dilectione mea, nisi manete in gratia mea? et quid est si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, nisi ex hoc scietis quod in dilectione mea, qua vos diligo, manetis, si mea praecepta servatis. non ergo ut nos diligit, prius praecepta eius servamus; sed nisi nos diligit, praecepta eius servare non possumus. Haec est gratia quae humilibus patet, superbos latet. sed quid illud est quod adiungit sicut et ego praecepta patris mei servavi et maneo in eius dilectione? utique eam hic dilectionem patris intelligi voluit, qua eum diligit pater. Sed numquid et haec gratia intelligenda est qua pater diligit filium, sicut gratia est qua nos diligit filius; cum simus nos filii gratia, non natura, unigenitus autem natura, non gratia? an hoc etiam in ipso filio ad hominem referendum est? ita sane: nam dicendo sicut dilexit me pater, et ego dilexi vos, gratiam mediatoris ostendit; mediator autem Dei et hominum, non in quantum deus, sed in quantum homo, est Christus. Igitur hoc recte possumus dicere, quod cum ad naturam Dei non pertineat humana natura, ad personam tamen filii Dei per gratiam pertinet, qua nulla est maior, nulla prorsus aequalis. neque enim illam susceptionem ulla hominis merita praecesserunt, sed ab illa susceptione merita eius cuncta coeperunt.

Alcuinus. quae autem praecepta dixerit, exponit apostolus dicens: Christus factus est obediens patri usque ad mortem, mortem autem crucis.

Chrysostomus in Ioannem. Deinde quia futura passio et tristia verba interruptura erant eorum laetitiam, subiungit haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur; quasi dicat: et si incidat tristitia, hanc auferam, ut ad finem veniat gaudium.

Augustinus in Ioannem. quod est autem gaudium Christi in nobis, nisi quod dignatur gaudere de nobis? et quod est gaudium nostrum, quod dicit implendum, nisi eius habere consortium? gaudium autem iam ipse perfectum de nobis habebat, quando nos praesciendo et praedestinando gaudebat; sed illud gaudium in nobis non erat, quia nec nos, in quibus esse posset, eramus; coepit autem esse in nobis quando vocavit nos. Et hoc gaudium nostrum merito dicimus, quo nos beati futuri sumus; quod inchoatur in fide renascentium, implebitur in praemio resurgentium.

IOANNES 15,12-16

13512 (Jn 15,12-16)

Theophylactus. Quia praedixerat, quod si mandata mea custodieritis, tunc in me permanebitis; hic ostendit quae mandata observare oporteat, dicens hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem.

Gregorius in evang.. Cum autem cuncta sacra eloquia dominicis sint plena praeceptis, quid est quod de dilectione quasi de speciali mandato hic dicit, nisi quia omne mandatum de sola dilectione est, et omnia praecepta unum sunt? quia quidquid praecipitur, in sola caritate solidatur. ut enim multi arboris rami ex una

radice prodeunt, sic multae virtutes ex una caritate generantur; nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice caritatis.

Augustinus in Ioannem. ubi ergo caritas est, quid est quod possit deesse? ubi autem non est, quid est quod possit prodesse? discernitur autem ita dilectio ab ea qua se invicem diligunt homines sicut homines: unde adiunctum est sicut dilexi vos. Ut quid enim nos dilexit Christus, nisi ut possimus regnare cum Christo? ad hoc ergo et nos invicem diligamus, ut dilectionem nostram discernamus a ceteris, qui non ad hoc se invicem diligunt ut deus diligatur, quia nec vere diligunt. Qui autem se propter habendum Deum diligunt, ipsi se diligunt.

Gregorius. Una autem et summa est probatio caritatis, si et ipse diligatur qui adversatur: nam et ipsa veritas et crucis patibulum sustinet, et tamen ipsis suis persecutoribus affectum dilectionis impendit, dicens: pater, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. cuius dilectionis summam exprimit cum subiungit maiorem hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Mori pro inimicis dominus venerat: et tamen positurum se animam pro amicis dicebat, ut nobis ostenderet quia, cum diligendo lucrum facere de inimicis possumus, etiam ipsi amici sunt qui persequuntur.

Augustinus in Ioannem. quia ergo superius dixerat: hoc est praeceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos, fit ex hoc consequens quod idem Ioannes dicit, ut quemadmodum Christus pro nobis animam suam posuit, sic et nos debemus animas pro fratribus ponere. Hoc martyres ardenti dilectione fecerunt; ideo ad mensam Christi non sic eos commemoramus quemadmodum alios, ut etiam pro eis oremus; sed magis ut eorum vestigiis haereamus. Talia enim suis fratribus exhibuerunt qualia de domini mensa pariter acceperunt.

Gregorius. qui vero tranquillitatis tempore non dat pro Deo tunicam suam, qualiter in persecutione daturus est animam suam? virtus ergo caritatis ut invicta sit in perturbatione, nutriatur per misericordiam in tranquillitate.

Augustinus de trin.. Ex una autem eademque caritate Deum proximumque diligimus; sed Deum propter Deum, nos autem et proximum propter Deum. Cum ergo duo sint praecepta caritatis, in quibus tota lex pendet et prophetae, dilectio Dei et proximi; non immerito plerumque scriptura pro utroque unum ponit: quia qui diligit Deum, consequens est ut faciat quae praecepit deus; consequens ergo est ut proximum diligit, quia et hoc praecepit deus; unde et hic sequitur vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis.

Gregorius moralium. Amicus quippe quasi animae custos dicitur: unde non immerito qui voluntatem Dei custodire in praeceptis illius dicitur, eius amicus vocatur.

Augustinus in Ioannem. magna dignatio. Cum servus bonus esse non possit, si praecepta domini sui non fecerit; hinc amicos suos voluit intelligi, unde boni servi possunt probari. Potest igitur esse et servus et amicus qui servus est bonus. Quomodo autem intellecturi sumus et servum et amicum esse servum bonum, declarat cum subdit iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus eius. Itaque tunc servi non erimus quando boni servi fuerimus. Numquid servo bono et probato dominus eius non etiam sua secreta committit? sed sicut sunt duo timores, sic sunt duae servitutes. est timor quem perfecta caritas mittit foras, in quo etiam est servitus simul foras cum ipso timore mittenda; et est alius timor castus, permanens in saeculum saeculi. Ad primam ergo servitutum servos pertinentes intuebatur dominus dicens iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat dominus eius: non ille utique servus ad timorem pertinens castus, cui dicitur: euge, serve bone... intra in gaudium domini tui; sed ille servus pertinens ad timorem foras a caritate mittendum, de quo alibi dicitur: servus non manet in domo in aeternum: filius autem manet in aeternum. Quoniam itaque dedit nobis potestatem filios Dei fieri, ut miro modo servi, non servi esse possimus, hoc dominum facere scimus. Hoc servus ille nescit, qui nescit quid faciat dominus eius; et cum aliquid boni facit, sic extollitur quasi hoc ipse faciat, et non dominus eius; et in se, et non in domino gloriatur. sequitur vos autem dixi amicos, quia omnia quaecumque audivi a patre meo, nota feci vobis.

Theophylactus. Quasi dicat: servus non novit consilia sui domini; vos autem cum amicos reputem, secreta mea vobis communicavi.

Augustinus in Ioannem. Quo autem pacto intellecturi sumus, omnia eum nota fecisse discipulis quaecumque audivit a patre, cum propterea multa non dicat eis quia scit eos modo portare non posse? sed omnia se nota fecisse discipulis dicit, quae se novit nota esse facturum in illa plenitudine, de qua dicit apostolus: tunc cognoscam sicut et cognitus sum. Sicut enim mortalitatem carnis et salutem animarum futuram expectamus, ita omnium notitiam quaecumque unigenitus audivit a patre, futuram expectare debemus.

Gregorius in evang.. Vel omnia quae audivit a patre, quae nota fieri voluit servis suis, sunt gaudia internae caritatis et festa supernae patriae, quae nostris quotidie mentibus per aspirationem sui amoris imprimunt: dum enim audita superna caelestia amamus, amata iam novimus, quia amor ipse notitia est. Omnia ergo nota eis fecerat, quia a terrenis desideriis immutati, amoris summi facibus ardebant.

Chrysostomus in Ioannem. Vel omnia dicit quaecumque eos audire oportebat. per hoc autem quod dicit se audisse, ostendit quod nihil alienum loquitur, sed quae patris.

Gregorius. Sed quisque ad hanc pervenit dignitatem ut amicus Dei vocetur, dona quae percipit super se, non suis meritis tribuat; unde subditur non vos me elegistis, sed ego elegi vos.

Augustinus in Ioannem. haec est ineffabilis gratia: quid enim eramus quando Christum nondum elegeramus, nisi iniqui et perditii? neque enim credideramus in eum, ut eligeret nos: nam si credentes elegit, eligentes elegit. Hic certe vacat vana illorum ratio qui ideo nos dicunt electos ante mundi constitutionem, quia praescivit nos deus futuros bonos, non seipsum nos facturum bonos: quoniam si propterea nos elegisset quia bonos futuros esse praescierat, simul etiam praescisset quod eum nos fuisset prius electuri: non enim aliter possumus esse boni; nisi forte dicendus est bonus qui non elegit bonum. Quid ergo elegit in non bonis? non est ut dicas: ideo electus sum quia iam credebam; si enim credebam in eum, iam elegeram eum. Nec est ut dicas: antequam crederem iam bona operabar, ideo electus sum. Quid enim est boni operis ante fidem? quid ergo dicturi sumus, nisi quia mali eramus, et electi sumus ut boni per gratiam nos eligentis essemus? **Augustinus** de praedest. Sanct.. Electi sunt itaque ante mundi constitutionem ea praedestinatione in qua deus sua futura facta praescivit; electi autem de mundo ea vocatione qua deus id quod praedestinavit implevit: quos enim praedestinavit, hos et vocavit.

Augustinus in Ioannem. Et videte quemadmodum non eligat bonos, sed quos elegit, faciat bonos; nam sequitur et posui vos ut eatis et fructum afferatis. Iste est fructus de quo iam dixerat: sine me nihil potestis facere. Ipse est via, in qua nos posuit, ut eamus.

Gregorius. posui ergo vos, scilicet ad gratiam plantavi, ut eatis volendo, quia velle iam mente ire est; et fructum afferatis operando. Qualem vero fructum afferre debeant significat cum addit et fructus vester maneat: omne enim quod secundum praesens saeculum laboramus, vix usque ad mortem sufficit: mors namque interveniens fructum nostri laboris abscindit. Quod vero pro aeterna vita agitur, etiam post mortem servatur; et tunc apparere incipit, cum laborum carnalium fructus coeperit non videri. Tales ergo fructus operemur qui maneant, qui, cum mors cuncta interimat, ipsi exordium a morte sumant.

Augustinus. dilectio ergo est fructus noster; quae nunc est in desiderio, nondum in saturitate. et ipso desiderio quodcumque petierimus in nomine unigeniti filii, dat nobis pater; unde sequitur ut quodcumque petieritis patrem in nomine meo, det vobis. Hoc petimus in nomine salvatoris quod pertinet ad rationem salutis.

IOANNES 15,17-21

13517 (*Jn 15,17-21*)

Augustinus in Ioannem. Dixerat dominus: posui vos ut eatis et fructum afferatis: caritas autem fructus noster est: de hoc itaque fructu mandans nobis, dicit haec mando vobis ut diligatis invicem. Unde et apostolus: fructus, inquit, spiritus caritas, ac deinde cetera tamquam ex isto capite exorta et religata contexuit. Merito itaque sic dilectionem saepe commendat tamquam sola praecipienda sit, sine qua non possunt prodesse cetera bona, et quae non potest haberi sine ceteris bonis, quibus homo efficitur bonus.

Chrysostomus in Ioannem. vel aliter continua. Dixi quoniam animam meam pro vobis pono, et quia primum vos elegi. Haec autem omnia non exprobrans dixi, sed ad dilectionem vos inducens ut diligatis invicem. Deinde, quia persecutionem pati et a multis exprobrari difficile erat, ostendit consequenter quod non dolere, sed laetari oportet; unde sequitur si mundus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit; quasi dicat: scio hoc esse durum, sed propter me patiemini.

Augustinus in Ioannem. cur enim se membra supra verticem extollunt? recusas esse in corpore, si non vis mundi odium sustinere cum capite. pro dilectione autem patienter debemus etiam mundi odium sustinere: necesse est enim ut nos oderit, quos cernit nolle quod diligit; unde sequitur si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret.

Chrysostomus. Quia enim propter Christum pati nondum erat eis sufficiens mitigationis causa; illa causa dimissa, hanc adiecit, ostendens quod hoc est virtutis argumentum a mundo odio haberi; unde dolere oporteret si a mundo diligeremini: hoc enim esset malitiae vestrae ostensivum.

Augustinus. Universae autem hoc dicit ecclesiae, quam plurimum mundi nomine appellat, sicut est illud: deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. Totus ergo mundus ecclesia est, et totus mundus odit ecclesiam. Mundus igitur odit mundum, inimicus reconciliatum, inquinatum mundatum. quaeri ergo potest: si etiam mali faciunt persecutionem malis, sicut impii reges et iudices cum essent persecutores piorum, utique et homicidas et adulteros puniebant; quomodo intelligendum est quod dominus ait si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret? nisi quia mundus est in eis a quibus talia scelera puniuntur, et mundus est in eis a quibus diliguntur. mundus ergo odit quod suum est ex ea parte hominum qua sceleratis nocet, et diligit quod suum est ex ea parte qua ipsis favet. Si etiam quaeratur quomodo se diligit mundus qui odit modum redemptionis; diligit utique falsa dilectione, non vera: quoniam quod ei nocet hoc diligit: odit naturam, diligit vitium: unde et nos prohibemur diligere in illo quod ipse diligit, et iubemur diligere quod ipse odit in seipso. Vitium quippe in illo diligere prohibemur, iubemurque naturam. Ut autem de hoc mundo damnato non essent, electi sunt inde non meritis suis, quorum nulla bona praecesserant opera; non natura, quae tota fuerat in ipsa radice vitiata, sed gratia; unde sequitur quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.

Gregorius super ezech.. Nam perversorum derogatio vitae nostrae approbatio est: quia iam ostenditur nos aliquid iustitiae habere, si illis displicere incipimus qui non placent Deo: nemo enim potest in una eademque re omnipotenti domino atque eius hostibus gratus existere: nam se Deo amicum denegat qui eius placet inimico; et inimicis veritatis adversabitur qui eidem veritati in mente subiugabitur.

Augustinus. Exhortans autem dominus suos servos ad mundi odia perferenda patienter, nullum eis maius et melius quam de seipso proponit exemplum; unde sequitur mementote sermonis mei quem ego dixi vobis: non est servus maior domino suo. Si me persecuti sunt, et vos persequentur; si sermonem meum servaverunt, et vestrum servabunt.

Glossa. idem observaverunt ut calumniarentur, iuxta illud: observabit peccator iustum.

Theophylactus. Vel aliter. Si dominum, inquit, persecuti sunt, vos etiam servos multo magis; si non persecuti fuissent, sed sermonem custodivissent, vestrum etiam custodirent.

Chrysostomus in Ioannem. Quasi dicat: non vos turbari oportet, si communicabitis meis passionibus: quia vos non estis me potiores.

Augustinus. Hic autem ubi dicitur non est servus maior domino, illum significat servum pertinentem ad timorem castum, qui permanet in saeculum saeculi.

Chrysostomus. deinde et aliam mitigationem ponit, quoniam et pater cum eis contumeliam patitur, cui iniuriantur; unde sequitur sed haec omnia facient vobis propter nomen meum.

Augustinus. Quae omnia nisi quae dixit, quod odio habebunt, et persequentur, sermonemque contemnent? quid est autem aliud dicere propter nomen meum, quam me in vobis odio habebunt, me in vobis persequentur, et sermonem vestrum, quia meus est, ideo non servabunt? tanto igitur miseriores qui propter hoc nomen ista faciunt, quanto beatiores qui propter hoc nomen ista patiuntur. faciunt autem et ista malis; sed utrique miseri, et qui faciunt, et qui patiuntur. quomodo autem hoc erit verum haec omnia facient vobis propter nomen meum, cum illi non propter nomen Christi faciant, hoc est propter iustitiam, sed propter iniquitatem suam? haec quaestio ita solvitur, si totum referatur ad iustos, tamquam dictum sit: haec patiemini ab eis propter nomen meum. Si autem propter nomen meum sic accipitur, id est quod in vobis oderunt, et propter iustitiam quam in vobis oderunt: similiter recte dici possunt et boni, cum persecutionem faciunt malis, et propter iustitiam facere, quam diligendo persequuntur malos; et propter iniquitatem, quam oderunt in ipsis malis. Quod autem addit quia nesciunt eum qui misit me, secundum eam scientiam dictum est qua dicitur: scire te, sensus est consummatus.

IOANNES 15,22-25

Chrysostomus in Ioannem. ponit iterum dominus aliam discipulorum mitigationem, ostendens quoniam iniuste et in ipsum, et in discipulos talia operabuntur; unde dicitur si non venissem et locutus eis non fuisset, peccatum non haberent.

Augustinus in Ioannem. iudaeis locutus est Christus, non aliis gentibus. In eis ergo voluit intelligi mundum, qui odit Christum et discipulos eius; immo vero non eos solos, sed nos quoque ad eundem mundum pertinere monstravit. numquid ergo sine peccato erant iudaei, quibus Christus locutus est, antequam Christus in carne venisset? sed magnum quoddam peccatum, non omne peccatum sub generali nomine vult intelligi: hoc est enim peccatum quo tenentur cuncta peccata, quod unusquisque si non habeat, dimittuntur ei cuncta peccata; hoc autem est, quia non crediderunt in Christum, qui propterea venit ut credatur in eum. Hoc ergo peccatum, si non venisset, non utique haberent: adventus enim eius quantum credentibus salutaris, tantum non credentibus exitialis factus est. sequitur nunc excusationem non habent de peccato suo. Si autem hi ad quos non venit Christus, nec locutus est eis, excusationem non habent de peccato suo; cur hic dictum est, propterea istos non habere, quia venit et locutus est eis? si autem habent, utrum ad hoc habent ut a poenis alienentur, aut ut mitius puniantur? ad haec inquisita respondeo, eos habere excusationem, non de omni peccato suo, sed de hoc peccato suo, quo in Christum non crediderunt. Sed non in eo sunt numero illi ad quos per discipulos venit: non sunt enim in poena leviori ponendi qui omnino legem Christi accipere noluerunt, et eam, quantum ad ipsos attinet, omnino nullam esse voluerunt. Hanc etiam excusationem possunt habere qui priusquam evangelium Christi audirent, vitae huius fine praeventi sunt; sed non ideo possunt effugere damnationem. Quicumque enim homines, nisi in eo salvatore salventur qui venit quaerere quod perierat, ad perditionem sine dubio pertinebunt. quamvis dici possit, alios leviores, alios graviores poenas passuros. Ille enim perire Deo dicitur, qui ab illa beatitudine quam dat sanctis suis, per supplicium separatur. tanta est autem diversitas suppliciorum, quanta est diversitas peccatorum: quae quomodo se habeat, altius iudicat sapientia divina, quam coniectura scrutatur aut effatur humana.

Chrysostomus. Quia vero hinc inde causabantur, quoniam propter patrem eum persequabantur, destruens eorum excusationem, dicit qui me odit, et patrem meum odit.

Alcuinus. Sicut enim qui diligit filium, diligit et patrem, quia una est dilectio patris et filii, sicut una natura; ita et qui odit filium, odit patrem.

Augustinus in Ioannem. Sed cum superius dixerit: nesciunt eum qui me misit, quomodo possunt odisse quem nesciunt? si enim Deum, non quod est ipse, sed nescio quid aliud eum suspicantur aut credunt, non utique ipsum oderunt. Et de hominibus quidem fieri potest ut eos saepe quos numquam vidimus oderimus vel diligamus, fama de aliquo sermocinante vel bene vel male. Sed quomodo de quo natura nobis intimatur, dicendus est ignotus? non enim eius facie corporali nobis intimatur; sed tunc nobis ad cognitionem patet quando eius mores et vita non latent: alioquin nec seipsum nosse quisquam potest, qui videre faciem suam non potest. Sed plerumque in eis nostra credulitas fallitur: quia nonnunquam et historia, et multo magis fama mentitur. pertinet autem ad nos ut, quia non possumus hominum indagare conscientiam, de ipsis rebus habeamus veram certamque sententiam. quando ergo non erratur in rebus, ut recta sit improbatio vitiorum, virtutumque approbatio; si erratur in hominibus, venialis est humana tentatio. Proinde, sicut fieri potest ut homo bonus hominem bonum oderit, nesciens, non ipsum, sed quod putat esse ipsum; vel potius diligat nesciens, cum bonum diligit, quod est ille; ita fieri potest ut homo iniustus hominem oderit iustum; et tamen dum eum credit iniustum, diligat non ipsum, sed quod putat esse ipsum; quemadmodum autem homines, sic et Deum. Deinde, si interrogarentur iudaei utrum diligerent Deum, se diligere responderent, non ex animo mentientes, sed errando potius opinantes: quomodo enim diligerent patrem veritatis qui habent odio veritatem? nolunt enim sua facta damnari; et hoc habet veritas. Tantum igitur oderunt veritatem quantum oderunt suas poenas, quas talibus irrogat. Nesciunt autem illam esse veritatem, quae tales quales ipsi sunt damnat; ac per hoc quia veritatem, qua iudicante damnantur, de patre Deo natam nesciunt, etiam ipsum et nesciunt et oderunt.

Chrysostomus. Sic igitur non habent, inquit, excusationem, per hoc quod eam quae a sermonibus doctrinam tribuebam, sed et eam quae ab operibus adieci, secundum moysi legem, qui ab eo qui hoc facit, persuaderi universos iussit; cum ad pietatem ducat, et miracula tribuat. Unde subdit si opera non fecissem in eis quae nemo alius fecit, peccatum non haberent.

Augustinus in Ioannem. Hoc scilicet peccatum quo in eum loquentem et operantem non crediderunt. Sed quid est quod addidit quae nemo alius fecit? nulla quippe in operibus Christi videntur esse maiora quam suscitatio mortuorum, quod scimus etiam antiquos fecisse prophetas. fecit tamen aliqua Christus quae nemo alius fecit. Sed respondetur nobis, et alios fecisse quae nec ipse nec alius fecit. Sed quod tam multa vitia et malas valetudines vexationesque mortalium tanta potestate sanaret, nullus omnino legitur

antiquorum. Ut enim taceatur quod iubendo, sicut occurrebant, salvos singulos fecit: marcus dicit quod quocumque introbat in vicos vel in villas aut in civitates, in plateis ponebant infirmos, et deprecabantur, ut vel fimbriam vestimenti eius tangerent; et quotquot tangebant eum, salvi fiebant. haec nemo alius fecit in eis. Sic enim intelligendum est quod ait in eis, non inter eos vel coram eis, sed prorsus in eis: quia sanavit eos. Nemo tamen alius fecit quicumque talia opera in eis fecit: quoniam quisquis alius homo aliquid eorum fecit, ipso faciente facit; haec autem ipse non illis facientibus fecit. Sed haec etsi pater aut spiritus sanctus fecit, nemo alius fecit, quia totius trinitatis una substantia est. His ergo beneficiis amorem, non odium retribuere debuerunt; et hoc eis exprobrans, adiungit dicens nunc autem viderunt et oderunt me et patrem meum.

Chrysostomus. Hoc autem dicit, ne discipuli dicant: cur igitur intra tot nos induxisti mala? nonne praelia et odium praevidisti? sed et prophetiam inducit, cum subdit sed ut adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: quia odio habuerunt me gratis.

Augustinus de trin.. legis nomine aliquando simul omnia veteris testamenti sanctarum scripturarum significantur eloquia: et ita dominus hic dicit in lege eorum scriptus est, cum legatur in psalmis.

Augustinus in Ioannem. Eorum autem legem dicit, non ab ipsis inventam, sed ipsis datam. Gratis odit qui nullum ex odio commodum quaerit, vel incommodum fugit: sic oderunt Deum impii, sic diligunt iusti, ut alia praeter illum bona non expectent: quoniam ipse erit in omnibus omnia.

Gregorius moralium. Aliud est autem bona non facere, aliud bonorum odisse doctorem: sicut aliud est ex praecipitatione, aliud ex deliberatione peccare. ex infirmitate enim plerumque solet accidere amare bonum, sed implere non posse. ex studio autem peccare, est bonum nec facere nec amare. Sicut ergo nonnumquam gravius est peccatum diligere quam perpetrare, ita nequius est odisse iustitiam quam non fecisse. Sunt ergo nonnulli in ecclesia, qui non solum bona non faciunt, sed etiam persequuntur; et quae ipsi facere negligunt, etiam in aliis detestantur. horum peccatum non ex infirmitate aut ignorantia, sed ex solo studio perpetratur.

IOANNES 15,26-27

13526 (Jn 15,26-27)

Chrysostomus in Ioannem. possent discipuli domino dicere: si verba a te audierunt quae nullus dixit; si opera viderunt quae nullus alius fecit, et tamen non profuerunt; si oderunt et patrem tuum et te cum eo, cuius gratia nos mittis, qualiter digni fide erimus? ne igitur haec cogitantes turbentur, consolationem inducit, dicens cum autem venerit paraclitus, quem ego mittam vobis a patre, spiritum veritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.

Augustinus in Ioannem. Tamquam diceret: odio me habuerunt et occiderunt videntes: sed tale de me testimonium paraclitus perhibebit, ut eos faciat in me credere non videntes: et quia ille perhibebit, et vos perhibebitis; unde sequitur et vos testimonium perhibebitis. Ille cordibus vestris inspirando, vos vocibus vestris sonando; unde poteritis praedicare quod nostis quia ab initio mecum estis: quod modo non facitis, quia illius spiritus plenitudo nondum adest vobis. Dabit enim vobis fiduciam testimonium perhibendi caritas Dei diffusa in cordibus vestris per spiritum sanctum qui dabitur vobis. Ille quippe testimonium perhibens, et testes fortissimos faciens, abstulit amicis Christi timorem, et inimicorum odium convertit in amorem. didymus de spiritu sancto. Spiritum autem sanctum venientem consolatorem dicit, ab operatione ei nomen imponens: quia non solum eos quos se dignos esse reperit, ab omni perturbatione reddit alienos, verum incredibile quoddam gaudium eis tribuit: sempiterna quippe laetitia in eorum corde versatur quorum spiritus sanctus habitator est. Iste spiritus consolator a filio mittitur, non secundum angelorum aut prophetarum aut apostolorum ministerium, sed ut mitti decet a sapientia et virtute spiritum Dei indivisam habentem cum eadem sapientia et virtute naturam. etenim filius missus a patre non separatur atque disiungitur ab eo, manens in illo, et habens illum in semetipso. Qui spiritus sanctus supradicto modo missus a filio, de patre egreditur, non aliunde ad alia transmigrans. Quomodo enim pater non consistit in loco, cum ultra omnem corporum sit naturam; ita et spiritus veritatis nequaquam locorum fine clauditur, cum sit incorporalis, et excedens universam creaturarum essentiam.

Chrysostomus. Propterea vero non spiritum sanctum, sed spiritum veritatis eum vocavit, ut ostendat quod erit fide dignus. Dicit autem quod a patre procedit, quia omnia certissime novit, quemadmodum ipse ait de seipso: quoniam novi unde venio et quo vado. Didymus. sed cum posset dicere: a Deo, sive: omnipotente, potente, nihil horum tetigit; sed ait a patre, non quod pater a Deo omnipotente sit alius; sed secundum

proprietatem patris intellectum parientis, egredi ab eo dicitur spiritus veritatis. Mittente autem filio spiritum veritatis, simul mittit et pater, cum eadem voluntate patris et filii, spiritus veniat.

Theophylactus. Et alias quidem patrem dicit mittere spiritum; nunc autem cum se missurum dixit, aequipollentiam denotat. Ne autem censeretur reniti contra patrem, velut ab alia potestate transmittens spiritum, addidit a patre; quasi acceptante patre, et pariter destinante. Cum autem audis quod procedit, ne intelligas processum missionem esse illatam extrinsecus, qua mittuntur administratorii spiritus; sed quoddam differens, et exceptae actionis proprium processum appellat uni principali spiritui attributum: originalis enim consistentia spiritus est processus. Non ergo procedere pro mittere sumendum est, sed ex patre naturalem essentiam obtinere.

Augustinus in Ioannem. Hic aliquis forsitan quaerit utrum et a filio procedat spiritus sanctus: filius enim solius patris est filius, et pater solius filii est pater: spiritus autem sanctus non est unius eorum spiritus, sed amborum, quandoquidem dicit ipse Christus: spiritus patris vestri qui loquitur in vobis; et dicit apostolus: misit deus spiritum filii sui in corda vestra. Nec ob aliud aestimo ipsum proprie vocari spiritum, cum etiam si de singulis interrogemur, non possimus nisi et patrem et filium spiritum dicere. Quod ergo communiter vocantur et singuli, hoc proprie vocari oportuit eum qui non est unus eorum, sed in quo communitas apparet eorum amborum. cur ergo non credamus quod etiam de filio procedat spiritus sanctus, cum filii quoque ipse sit spiritus? si enim ab eo non procederet, non post resurrectionem discipulis suis insufflasset, dicens: accipite spiritum sanctum. De hac quoque virtute credendus est dicere evangelista: virtus de illo exibat, et sanabat omnes. Si ergo et de patre et de filio procedat spiritus sanctus, cur filius dixit de patre procedit, nisi quemadmodum solet ad eum referre et quod ipsius est de quo ipse est? unde illud est quod ait: mea doctrina non est mea, sed eius qui me misit. Si igitur haec intelligatur eius doctrina, quam tamen dixit non suam, sed patris: quanto magis intelligendus est et de ipso procedere spiritus sanctus, ubi sic ait de patre procedit, ut non diceret: de me non procedit. A quo autem habet filius ut sit deus, ab illo habet utique ut procedat ab eo spiritus sanctus. Hinc utcumque et illud intelligitur, cur non dicatur natus esse, sed potius procedere spiritus sanctus: quoniam si et ipse filius diceretur, amborum utique filius diceretur, quod absurdissimum est: filius quippe nullus est duorum, nisi patris et matris. Absit autem ut inter Deum patrem et Deum filium tale aliquid suspicemur, quia nec filius hominum simul ex patre et ex matre procedit; sed cum in matrem procedit ex patre, non tunc procedit et ex matre. Spiritus autem sanctus non de patre procedit in filium et de filio procedit ad sanctificandam creaturam; sed simul de utroque procedit. Neque enim possumus dicere quod non sit vita spiritus sanctus, cum vita pater, vita sit filius; ac per hoc sicut pater, cum habeat vitam in semetipso, dedit et filio vitam habere in semetipso, sic ei dedit vitam procedere de illo, sicut procedit et de seipso.

IOANNES 16,1-4

13601 (Jn 16,1-4)

Augustinus in Ioannem. merito promisso spiritu sancto, quo in eis operante fierent testes eius, subiunxit haec locutus sum vobis, ut non scandalizemini. cum enim caritas Dei diffunditur in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis, fit pax multa diligentibus legem Dei ut non sit illis scandalum. deinde quae passuri essent exprimens, ait absque synagogis facient vos.

Chrysostomus in Ioannem. iam enim composuerant, ut si quis confessus fuerit Christum, extra synagogam fieret.

Augustinus. quid autem mali erat apostolis expelli de iudaicis synagogis, quasi non fuerint inde exituri, etiam si eos nullus expelleret? sed voluit denuntiare, quia iudaei Christum non fuerant recepturi, a quo isti non fuerant recessuri. Nam quia non erat ullus alius populus Dei quam illud semen abrahamae; si cognoscerent Christum, non aliae fierent ecclesiae Christi, aliae synagogae iudaeorum. Quod quia noluerunt, quid restabat nisi ut remanentes extra Christum, extra synagogam facerent eos qui non reliquerunt Christum? deinde cum hoc eis dixisset, adiecit sed venit hora ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo. Quae verba ita subiecit tamquam ex hoc consolaretur eos qui de synagogis iudaicis pellerentur. An forte de synagogis illa separatio sic eos fuerat turbatura ut mori vellent potius quam in hac vita sine iudaeorum congregationibus morari? absit ut sic turbarentur qui Dei, non hominum, gloriam requirebant. iste itaque sensus est in his verbis. extra synagogam facient vos; sed nolite solitudinem formidare. Separati quippe a congregationibus eorum, tam multos in nomine meo congregabitis, ut illi metuentes ne templum quod erat apud eos, et omnia legis veteris sacramenta deserantur, sic interficerent vos ut Deo arbitrentur se praestare obsequium, zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam. Hoc enim de iudaeis dictum debemus accipere, de quibus dixerat: extra synagogam facient vos.

Nam testes, idest martyres Christi, etiam si occisi sunt a gentilibus, non tamen illi arbitrati sunt Deo, sed diis suis falsis obsequium se praestare; iudaeorum autem omnis qui occidit praedicatores Christi, Deo se putavit praestare obsequium, credens quod desererent Deum israel quicumque converterentur ad Christum. Hinc ergo accensi et zelum Dei habentes, sed non secundum scientiam, obsequium se Deo praestare credentes, occidebant eos.

Chrysostomus. Deinde consolationem inducit, dicens et haec omnia facient vobis, quia non noverunt patrem neque me; quasi dicat: sufficit vobis in consolationem, propter me et patrem haec pati.

Augustinus. Ne autem ignaros atque imparatos animos mala improvisa, quamvis cito transitura, turbarent, hanc fuisse causam ut haec eis praenuntiaret, ostendit subdens haec locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini quia dixi vobis. Hora eorum, hora tenebrosa, hora nocturna; sed nox iudaeorum separatum a se diem Christianorum nulla confusione fuscavit.

Chrysostomus in Ioannem. Sed et propter aliam causam hoc praedixit, ut non dicerent, quoniam non praevidit futura; et hoc significat cum dicit reminiscamini quia ego dixi vobis. Et ut non possent dicere, quoniam blandiens nobis, ea quae ad gratiam dicebat solum. Cuius autem gratia hoc a principio non dixit, ostendit dicens haec autem ab initio vobis non dixi, quia vobiscum eram: quia scilicet in custodia mea eratis, et licitum erat interrogare quando volebatis, et super me totum praelium vertebatur: unde superfluum erat hoc a principio vobis dicere; non quia haec tunc non noveram, propterea non dixi.

Augustinus in Ioannem. sed alii tres evangelistae eum praedixisse ista demonstrant, antequam ventum esset ad coenam, qua peracta, secundum Ioannem, ista locutus est. An forte hinc ista solvitur quaestio, quia et illi eum narrant proximum fuisse passioni cum hoc diceret? non ergo ab initio quando cum illis erat. Sed matthaeus non solum imminente passione, verum etiam ab initio haec denuntiata esse commemorat. Quid sibi ergo vult quod hic dicit haec autem ab initio non dixi, nisi quia ea quae hic dicit de spiritu sancto, quod sit venturus ad eos, et testimonium perhibiturus quando mala passuri sunt, haec eis ab initio non dixit, quoniam cum ipsis erat et eius praesentia consolabantur? abscessurus autem, oportebat ut diceret illum esse venturum, per quem caritate diffusa in cordibus suis verbum Dei cum fiducia praedicarent.

Chrysostomus. Vel praedixit quidem quoniam flagella patientur; non autem quod mors eorum reputaretur ut Dei cultura: quod maxime poterat eos attonitos facere. Vel quia illic ea quae a gentibus debebant pati dixit; hic autem et quae a iudaeis dicit.

IOANNES 16,5-11

13605 (Jn 16,5-11)

Chrysostomus in Ioannem. quia discipulos nondum perfectos tristitia impugnabat, eos dominus increpando dirigit, dicens et nunc vado ad eum qui me misit; et nemo ex vobis interrogat me: quo vadis? audientes enim quoniam qui interficiet vos, opinabitur se obsequium praestare Deo, ita ceciderunt ut nihil ei loquerentur; et ideo subditur sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Non parva autem est haec mitigatio, scire eos quoniam sciverat dominus tristitiae eorum superabundantiam, et propter desertionem eius, et propter mala quae didicerant se passuros, et nesciebant si possent viriliter ferre.

Augustinus in Ioannem. Vel quia superius interrogaverant eum quo esset iturus; et responderat se iturum quo ipsi tunc venire non possent: nunc ita se promittit iturum ut nullus eorum quo vadat interroget; et hoc est quod dicit et nemo ex vobis interrogat me: quo vadis? euntem enim in caelum non verbis quaesierunt, sed oculis deduxerunt. Videbat autem dominus quid sua verba in eorum cordibus agerent: spiritualem quippe nondum interius habentes consolationem quam per spiritum sanctum fuerant habituri, id quod exterius in Christo videbant, amittere metuebant; et quia se amissuros esse, illo vera denuntiante, dubitare non poterant, contristabatur humanus affectus, quia carnalis desolabatur aspectus; unde sequitur sed quia haec locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Noverat autem ille quid eis potius expediret: quia visus interior ipse est melior, quo eos consolaturus erat spiritus sanctus; unde subdit sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis ut ego vadam.

Chrysostomus. Quasi dicat: et si millies contristemini, oportet vos audire, quia me recedere vobis confert. Quid autem conferat, ostendit subdens si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos.

Augustinus de trin.. Haec autem dixit non propter inaequalitatem verbi Dei et spiritus sancti; sed tamquam impedimento esset praesentia filii hominis apud eos quominus veniret ille qui minor non esset: quia non

semetipsum exinanivit sicut filius formam servi accipiens. Oportebat ergo ut auferretur ab eorum oculis forma servi, quam intuentes hoc solum Christum esse putabant quod videbant; unde sequitur si autem abiero, mittam eum ad vos.

Augustinus in Ioannem. numquid autem hic positus, eum non poterat mittere quem scimus super eum baptizatum venisse atque mansisse; immo vero a quo scimus eum nunquam separabilem fuisse? quid est ergo si non abiero, paraclitus non veniet ad vos, nisi: non potestis capere spiritum quamdiu secundum carnem nosse persistitis Christum? Christo autem discedente corporaliter, non solum spiritus sanctus, sed et pater et filius illis affuit spiritualiter.

Gregorius moralium. Ac si aperte diceret: si ab intentionis vestrae oculis corpus non subtraho, ad intellectum vos invisibilem per consolatorium spiritum non perduco.

Augustinus de verb. Dom.. hanc autem habitudinem spiritus sanctus paraclitus attulit, ut, ab oculis carnis forma servi remota, quam de virginis utero accepit, in ipsa Dei forma, in qua patri aequalis, etiam cum in carne dignatus est apparere, permansit, purgata mentis acie ostenderetur.

Chrysostomus. Quid autem hic dicunt qui non convenientem de spiritu sancto habent opinionem? numquid expedit dominatorem abire, et servum accedere? quae autem sit utilitas advenientis spiritus, ostendit cum subditur et cum venerit ille, arguet mundum de peccato et de iustitia et de iudicio.

Augustinus in Ioannem. Numquid autem Christus non arguit mundum? an forte quia Christus in iudaeorum tantum gente locutus est, mundum non videtur arguisse? spiritus autem sanctus in discipulis eius toto orbe diffusis, non unam gentem intelligitur arguisse, sed mundum. Sed quis audeat dicere quod per discipulos Christi arguat mundum spiritus sanctus, et non arguat Christus, cum clamet apostolus: an experimentum quaeritis eius qui in me loquitur Christus? quos itaque arguit spiritus sanctus, utique et Christus. sed dixit ille arguet mundum, quasi dicat: ille diffundet in cordibus vestris caritatem; sic enim timore depulso, arguendi habebitis libertatem. Exponit deinde quid dixerit, dicens de peccato quidem, quia non crediderunt in me; hoc enim peccatum solum prae ceteris posuit, quia hoc manente, cetera detinentur, et hoc discedente, cetera dimittuntur.

Augustinus de verb. Dom.. Sed multum interest utrum quisque credat ipsum esse Christum et utrum credat in Christum; nam ipsum esse Christum, et daemones crediderunt: ille vero credit in Christum qui et sperat in Christum et diligit Christum.

Augustinus in Ioannem. arguitur ergo mundus de peccato, quia in Christum non credit; et arguitur de iustitia eorum qui credunt. Ipsa quippe fidelium comparatio, infidelium est vituperatio. de iustitia vero, quia ad patrem vado. Et quoniam ista vox infidelium esse consuevit: quomodo credimus quod non videmus? ideo credentium iustitiam sic oportuit definiri: quia ad patrem vado, et iam non videbitis me. Beati enim qui non vident et credunt. Nam et qui viderunt Christum, non in eo laudata est fides eorum quia credebant quod videbant, idest filium hominis; sed quia credebant quod non videbant, idest filium Dei. Cum vero et ipsa forma servi subtracta eorum esset aspectibus, tunc ex omni parte impletum est: iustus ex fide vivit. Erit itaque vestra iustitia, de qua mundus arguetur, quoniam in me, quem non videbitis, credetis; et quandoque me videbitis: quoniam tunc sicut ero videbitis me, non quod sum vobiscum modo; idest, non videbitis mortalem, sed sempiternum; dicendo enim iam non videbitis me, velut nunquam eos de cetero visuros Christum praenuntiavit.

Augustinus de verb. Dom.. vel aliter. Illi non crediderunt: ipse ad patrem vadit. Illorum ergo peccatum, ipsius autem iustitia. Quod enim a patre ad nos venit, misericordia est; iustitia vero quod ad patrem vadit; secundum illud apostoli: propter quod et deus exaltavit illum. Sed si solus vadit ad patrem, quid nobis prodest? an ideo solus, quia Christus unus est cum omnibus membris suis, tamquam caput cum corpore suo? arguitur ergo mundus de peccato in eis qui non credunt in Christum, et de iustitia in eis qui resurgunt in membris Christi. sequitur de iudicio autem, quia princeps mundi huius iam iudicatus est, idest diabolus princeps iniquorum, qui corde non habitant nisi in hoc mundo quem diligunt. hoc autem ipso quo foris missus est, iudicatus est; et de hoc iudicio mundus arguitur: quia frustra de diabolo queritur qui non vult credere in Christum, quem iudicatum, idest foras missum, et propter nostram exercitationem forinsecus expugnare permissum, non solum viri, sed etiam mulieres et pueri et puellae martyres vicerunt.

Augustinus in Ioannem. Vel iudicatus est, quoniam iudicio ignis aeterni irrevocabiliter destinatus est; et de hoc iudicio mundus arguitur, quoniam cum suo principe iudicatur, quem superbum atque impium imitatur. credant itaque homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis suae, quo peccata omnia detinentur; transeant in numerum fidelium, ne arguantur de iustitia eorum quos iustificatos non imitantur; caveant futurum iudicium, ne cum mundi principe iudicentur, quem iudicatum imitantur.

Chrysostomus in Ioannem. vel aliter. Arguet mundum de peccato: idest, omnem eorum excusationem abscindet, et ostendet eos sine venia peccasse, non credentes in me, dum videbunt spiritus sancti donationem ineffabilem invocato me fieri.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam.. hoc etiam modo spiritus sanctus de peccato arguit mundum, quia in nomine salvatoris, qui reprobatus est a mundo, virtutes operatus est. Salvator autem, servata iustitia, non trepidavit reverti ad eum qui se miserat, et per id quod regressus est probavit se inde venisse; unde sequitur et de iustitia, quia ad patrem vado.

Chrysostomus. idest, ire ad patrem erit argumentum quod irreprehensibilem agebam vitam, ut non possint adhuc dicere, quoniam hic homo peccator est, et non est ex Deo. Rursus quoniam expugnavi adversarium (nequaquam autem peccator existens expugnasset), non possunt dicere quod daemonium habeo, et quod seductor sum. Quoniam autem condemnatus est propter me, scient quod conculcabunt eum postea; et resurrectionem meam manifeste scient: non enim me valuit detinere.

Augustinus de quaest. Nov. Et vet. Testam.. videntes daemones animas de inferis ire ad caelos, cognoverunt iudicatum esse principem huius mundi, ut reus factus in causa salvatoris, quae tenebat iure amitteret. haec quidem ascendente salvatore visa sunt; sed superveniente in discipulis spiritu sancto, palam aperteque manifestata sunt.

IOANNES 16,12-15

13612 (Jn 16,12-15)

Theophylactus. Quia supra dixerat dominus: expedit vobis ut ego vadam, iam hoc amplificat dicens adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo.

Augustinus in Ioannem. omnes haeretici audacias figmentorum suorum, quas maxime exhorret sensus humanus, hac occasione evangelicae sententiae colorare conantur; quasi haec ipsa sint quae tunc discipuli portare non poterant, et ea docuerit spiritus sanctus, quae palam docere atque praedicare spiritus erubescit immundus. Sed alia sunt mala quae portare non potest qualiscumque pudor humanus, et alia sunt bona quae portare non potest parvus sensus humanus. ista sunt in corporibus impudicis, illa remota sunt a corporibus universis. quis autem nostrum audeat eorum se dicere iam capacem quae illi capere non valebant? ac per hoc nec a me expetenda sunt ut dicantur. Sed dicit aliquis: sic multi possunt quod tunc non poterat petrus, sicut multi possunt martyrio coronari, quod tunc non poterat petrus, praesertim iam misso spiritu sancto, qui tunc nondum erat missus. Sed numquid ideo scimus quae sunt quae dicere voluit? absurdissime enim mihi videtur dici, tunc non potuisse portare discipulos quae de altissimis rebus invenimus in apostolicis litteris quae postmodum scriptae sunt, nec ea dominum dixisse narratur. perversarum quidem sectarum homines ferre non possunt quod in scripturis sanctis de fide catholica reperitur, sicut nos ferre non possumus sacrilegas eorum vanitates: quid enim est ferre non posse, nisi aequo animo non habere? quis autem fidelis, vel etiam catechumenus, antequam spiritum sanctum baptizatus accipiat, non aequo animo legit atque audit, etiam si non intelligit ea quae post ascensionem domini scripta sunt? dicit autem aliquis: nihil ne spirituales viri habent in doctrina quod carnalibus taceant, et spiritualibus eloquantur? nulla quidem necessitas est ut aliqua secreta doctrinae taceantur fidelibus parvulis, seorsum dicenda maioribus; sed spirituales spiritualia carnalibus non omnino taceant propter catholicam fidem, quae omnibus praedicanda est: nec tamen sic edisserant ut volentes ea perducere ad intelligentiam non capacium, facilius fastidire faciant in veritate sermonem, quam in sermone percipi veritatem. Non ergo in his domini verbis nescio quae secreta suscipimus quae cum dici a docente possint, portari a discente non possint. Sed ea ipsa quae in doctrina religionis in quorumlibet hominum notitia dicimus, si vellet nobis Christus dicere, sicut ea dicit angelis suis; quinam homines portare possent, etiam si essent spirituales, quales adhuc apostoli non erant? nam utique quidquid de creatura sciri potest, minus est ipso creatore: et quis eum tacet? quis autem vivens in hoc corpore posset omnem cognoscere veritatem, cum dicat apostolus: ex parte scimus? sed quia per spiritum sanctum fit ut ad ipsam quoque plenitudinem veniamus, de qua idem dicit apostolus: tunc autem facie ad faciem; non quod est in hac tantum vita dominus nobis promisit dicens cum venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem; vel deducet vos in omnem veritatem: quo verbo intelligimus eius nobis plenitudinem in vita alia reservari. ipse autem spiritus sanctus et nunc docet fideles, quanta quisque potest capere spiritalia, et in eorum cordibus desiderium maius accendit. Didymus. vel hoc dicit, quod auditores verborum eius nondum fuerant omnia consecuti quae postea pro nomine eius sufferre poterant: sed aliqua tradens eis, illa quae maiora erant, in posterum distulit; quae tunc non poterant, nisi primitus in capite nostro magisterium et forma crucis praeiret.

Adhuc etiam typo legis, et umbrae et imaginibus servientes non poterant veritatem, cuius umbram lex portabat, inspicere. Cum autem venerit spiritus veritatis, diriget vos in omnem veritatem sua doctrina et institutione, vos transferens a morte litterae ad spiritum vivificantem, in quo solo omnis scripturae veritas posita est.

Chrysostomus. Quia ergo dixerat nunc non potestis portare, tunc autem poteritis; et quoniam spiritus sanctus ducet vos in omnem veritatem, ne hoc audientes, maiorem spiritum sanctum existiment, subiungit non enim loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur.

Augustinus in Ioannem. Simile est hoc ei quod de seipso dixit: non possum a me ipso facere quidquam, sed sicut audio iudico; sed illud secundum hominem posse accipi dicimus. Cum igitur spiritus sanctus nulla susceptione cuiusquam creaturae creatura sit factus, quomodo de illo hoc intelligendum est? sic itaque debemus accipere, ut intelligamus non eum esse a se ipso: nam filius de patre natus est, et spiritus sanctus de patre procedit. Quid autem illic intersit inter procedere et nasci, et longum est disserere, et temerarium definire. Audire autem illi scire est, scire vero esse. Quia ergo non est a semetipso, sed ab illo a quo procedit; a quo illi est essentia, ab illo scientia: ab illo igitur audientia. Semper itaque audit spiritus sanctus, quia semper scit: ab illo ergo audivit, audit et audiet a quo est. didymus. Ait ergo non loquetur a semetipso; hoc est, non sine me et sine meo et patris arbitrio: quia non ex se est, sed ex patre et me est. Hoc enim ipsum quod subsistit et loquitur, a patre et a me illi est. Ego veritatem loquor; idest, inspiro quae loquor, siquidem spiritus veritatis est. Dicere autem et loqui in trinitate, non secundum consuetudinem nostram accipiendum est, sed iuxta formam incorporalium naturarum, et maxime trinitatis, quae voluntatem suam inserit cordibus credentium, et eorum qui audire eum sunt digni. Loqui ergo patrem et audire filium, eiusdem naturae in patre et filio consensusque significatio est. Spiritus vero sanctus, qui est spiritus veritatis spiritusque sapientiae, non potest filio loquente audire quae nescit, cum hoc ipsum sit quod profertur a filio, idest procedens veritas a veritate, consolator manans a consolatore, deus de Deo spiritus veritatis procedens. Denique ne quis illum a patris et filii voluntate et societate discerneret, scriptum est sed quae audiet loquetur.

Augustinus de trin.. Non autem hinc efficitur ut minor sit spiritus sanctus; secundum hoc enim dictum est quod de patre procedit.

Augustinus in Ioannem. nec moveat quod verbum futuri temporis positum est: illa quippe audientia sempiterna est, quia est sempiterna scientia. in eo autem quod sempiternum est, sine initio et sine fine, cuiuslibet temporis verbum ponatur: quamvis enim natura illa immutabilis non recipiat fuit et erit, sed tantum est; non tamen mendaciter dicimus: fuit et est et erit; fuit, quia nunquam defuit; erit, quia nunquam deerit; est, quia semper est. didymus. Per spiritum etiam veritatis futurorum sanctis viris scientia certa conceditur: unde et prophetae hoc eodem repleti spiritu praenuntiabant, et quasi praesentia intuebantur quae erant deinceps secutura; unde sequitur et quae ventura sunt annuntiabit vobis.

Beda. Constat quia multi spiritus sancti gratia repleti, quae ventura erant agnoverunt; sed quia multi variis coruscant virtutibus, nec tamen quae ventura sunt agnoscunt, potest hic sermo sic accipi: quae ventura sunt, vobis annuntiabit, idest, gaudia vobis caelestis patriae ad memoriam reducet. Ventura vero apostolis nuntiavit, mala scilicet quae pro confessione Christi erant passuri, et bona quae pro eisdem malis erant percepturi.

Chrysostomus in Ioannem. elevavit igitur per hoc eorum mentem, cum ad nihil ita avidum sit humanum genus ut ad sciendum futura. Ab hac igitur eos eruit sollicitudine, ostendens, quoniam futura eis pericula praedicat ut non incidant non observantes. Deinde ostendens quoniam dixerit omnem veritatem in quam spiritus sanctus adducet, subiungit ille me clarificabit.

Augustinus in Ioannem. quia scilicet diffundendo in credentium cordibus caritatem, spiritualesque faciendo, declaravit eis qualiter patri filius esset aequalis, quem secundum carnem prius tantummodo noverant, et hominem sicut homines cogitabant. Vel certe, quia per ipsam caritatem fiducia repleti, et timore depulso, annuntiaverunt hominibus Christum; ac sic fama eius diffusa est toto orbe terrarum. Quod enim facturi erant in spiritu sancto, hoc eundem spiritum dixit esse facturum.

Chrysostomus. et quia dominus dixerat: magister vester unus est Christus; ut et spiritus sanctus suscipiatur ab eis, subiunxit quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. Didymus. Accipere hic ut divinae naturae conveniat intelligendum est: quomodo enim filius dans non privatur his quae tribuit, neque eum damno suo impartitur aliis, sic et spiritus sanctus non accipit quod ante non habuit: si enim prius quod non habebat accepit, translato in alium munere vacuus largitor effectus est. Sic igitur spiritum sanctum a filio accipere id quod suae naturae fuerat, cognoscendum est; et non aliam dantem et accipientem, sed unam significare substantiam. Siquidem et filius eadem a patre suscipere dicitur in quibus ipse subsistit: neque

enim quid aliud est filius, exceptis his quae ei dantur a patre; neque alia est spiritus sancti substantia praeter id quod datur a filio.

Augustinus. Non autem propterea, sicut quidam haeretici putaverunt, minor est filio spiritus sanctus, quia filius accipiat a patre, spiritus sanctus a filio, quasi quibusdam gradibus, naturam. unde ipse quaestionem solvens, cur hoc dixerit, explanat dicens omnia quae habet pater, mea sunt: propterea: dixi vobis, quia de meo accipiet, et annuntiabit vobis. didymus. Quasi dicat: licet a patre procedat spiritus veritatis, tamen quia omnia quae habet pater, mea sunt, et ipse patris spiritus meus est, et de meo accipiet. Cave autem ne cum ista dicuntur, putes rem esse aliquam et possessionem quae a patre habeatur, ac a filio; verum quae habet pater iuxta substantiam, idest aeternitatem, immutabilitatem, bonitatem, haec eadem habet et filius. Procul hinc absint dialecticorum tendiculae; dicunt enim: ergo et pater est filius. Si autem dixisset: omnia quaecumque habet deus, mea sunt, haberet occasionem impietas consurgendi; cum vero dixerit omnia quae habet mea sunt, patris nomine se filium declaravit, paternitatem qui filius erat non usurpavit; quamvis et ipse per adoptionis gratiam multorum sanctorum sit pater. **Hilarius** de trin.. Non ergo in incerto dominus reliquit, utrum ex patre an ex filio spiritus paraclitus esse putetur: a filio enim accepit quod ab illo mittitur, et a patre procedit. Et interrogo utrum idipsum sit a filio accipere quod a patre procedere. Certe idipsum atque unum esse existimabitur a filio accipere, quod si acciperet a patre; cum enim ait omnia quaecumque habet pater, sua esse, et idcirco dixisse, de suo accipiendum esse, docet etiam a patre accipienda, a se tamen accipi, quia omnia quae patris sunt, sua sunt. non habet haec unitas diversitatem; nec differt a quo acceptum sit, quod datum a patre, datum referatur a filio.

IOANNES 16,16-22

13616 (Jn 16,16-22)

Chrysostomus in Ioannem. postquam dominus discipulos relevavit per ea quae de spiritu sancto promisit, rursus eorum oppressit sensum dicens modicum et iam non videbitis me. Hoc autem facit, ut assuefaciat eos per tristium auditionem, bene ferre suam separationem: eam enim quae dolet animam, et a tristitia multa detinetur, nihil ita consuevit quietare, ut quae tristitiam pariunt verba revoluta continue.

Beda. Dicit enim modicum et iam non videbitis me; quia tentus est nocte illa a iudaeis, et in mane crucifixus et vespere sepultus ab humanis est seclusus obtutibus.

Chrysostomus. Si vero quis diligenter scrutabitur, hoc consolationis est dicere quoniam ad patrem vado: hoc enim est ostendere quod non perierit, sed mors eius translatio sit; et aliam consolationem eis imposuit cum adiecit et iterum modicum, et videbitis me: ostendens quoniam et redibit, et in pauco erit separatio, et continua quae cum eis coexistentia.

Augustinus in Ioannem. Haec autem verba domini obscura erant discipulis, antequam id quod dicit esset impletum; unde sequitur dixerunt ergo ex discipulis eius ad invicem: quid est hoc quod dicit nobis: modicum et non videbitis me, et iterum modicum et videbitis me quia vado ad patrem? **Chrysostomus.** Hoc autem non intelligebant, aut propter tristitiam, quae amovebat a mente eorum ea quae dicebantur, aut propter immanifestationem eorum quae dicebantur: idcirco videbatur eis duo contraria ponere, non existentia contraria. Si enim videbimus te, aiunt, quomodo vadis? si vero vadis, qualiter et videbimus? propterea dicunt quid est hoc quod dicit nobis: modicum? nescimus quid loquitur.

Augustinus. nam in praecedentibus, quia non dixerat modicum, sed dixerat ad patrem vado, aperte illis visus est loqui. Nunc ergo quod illis tunc obscurum fuit, et mox manifestatum est, iam nobis utique manifestum est. Post paululum enim passus est, et non viderunt eum; rursus post paululum resurrexit, et viderunt eum. Dicit autem et iam non videbitis me; quia scilicet mortalem Christum ulterius non viderunt.

Alcuinus. vel aliter. Modicum tempus est futurum quo non videbitis me, idest illud triduum quo in sepulchro quievit; et iterum est modicum futurum tempus quo videbitis me, idest illi quadraginta dies, in quibus eis saepius post passionem suam usque ad tempus ascensionis suae apparuit; et ideo illo modico tempore videbitis me, quia vado ad patrem: quia non semper in terra corporaliter sum mansurus, sed per humanitatem quam assumpsi, ascensus in caelum. sequitur cognovit autem iesus quia volebant eum interrogare, et dixit eis: de hoc quaeritis inter vos, quia dixi vobis: modicum et non videbitis me. Amen, amen, dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos. Ignorantiam ipsorum pius magister intelligens, secundum illorum dubitationem respondit, quasi expositurus quid esset quod dixit.

Augustinus. Quod sic accipi potest, quia contristati sunt discipuli de morte domini, et confestim de

resurrectione laetati. Mundus autem (quo nomine significati sunt inimici, a quibus Christus occisus est) tunc utique laetatus est occiso Christo, quando sunt discipuli contristati; unde sequitur mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

Alcuinus. sed et cunctis fidelibus convenit hic sermo domini, qui per lacrymas pressurasque praesentes ad gaudia aeterna contendunt. flentibus autem iustis, mundus gaudet, quia in praesenti delectantur, alterius vitae nulla gaudia sperantes.

Chrysostomus. Deinde ostendens quoniam tristitia parit gaudium, et quoniam tristitia brevis, laetitia vero infinita est, ad exemplum venit mundanum, dicens mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius; cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum.

Augustinus. Ista similitudo ad intelligendum non videtur esse difficilis; quoniam comparatio eius in promptu est, eodem ipso exponente cur dicta sit; nam sequitur et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis. Iterum autem videbo vos, et gaudebit cor vestrum. Parturitio quippe tristitiae, partus autem gaudio comparatur; quod tunc magis esse consuevit quando non puella, sed puer nascitur. quod vero subdit et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, quia gaudium ipsorum ipse iesus est, significat quod ait apostolus: Christus resurgens ex mortuis iam non moritur.

Chrysostomus. significat etiam praedicto exemplo quoniam solvit ipse mortis pressuras, et novum hominem regenerans esse fecit. Et non dixit quoniam non erit ei tribulatio, sed neque meminit eius: tantum est quod succedit gaudium; ita erit et sanctis. Et non dixit: quoniam natus est puer, sed: quoniam homo, occulte suam resurrectionem insinuans.

Augustinus. Vel de futuris visione et gaudio, quae superius dicta sunt, melius existimo intelligi modicum et iam non videbitis me: modicum enim est hoc totum spatium quo praesens pervolat saeculum; ideo namque addidit quia vado ad patrem: quod ad superiorem sententiam referendum est, ubi ait modicum et iam non videbitis me; non ad posteriorem ubi ait modicum et videbitis me. Eundo quippe ad patrem, facturus erat ut eum non viderent. illis ergo ait modicum et iam non videbitis me, qui eum tunc corporaliter videbant: quia iturus erat ad patrem et eum deinceps mortales visuri non erant qualem cum ista loquebatur videbant. Quod vero addidit et iterum modicum et videbitis me, universae promisit ecclesiae. Hoc autem modicum longum nobis videtur, quoniam adhuc agitur; cum finitum fuerit, tunc sentiemus quam modicum fuerit.

Alcuinus. mulier autem sancta ecclesia est, propter fecunditatem bonorum operum, et quia spiritales Deo filios generat. Haec mulier dum parit, idest dum in mundo virtutum profectibus insistit, dum undique tentatur et affligitur, tristitiam habet de hoc, quia venit hora eius ut patiat: quia nemo carnem suam odio habuit.

Augustinus in Ioannem. Nec tamen in huius gaudii parturitione sine gaudio tristes sumus; sed, sicut apostolus ait: spe gaudentes; quia et ipsa mulier parturiens, cui comparati sumus, plus gaudet de mox futura prole quam tristis est de praesenti dolore.

Alcuinus. Sed cum peperit, idest cum devicto laborum certamine ad palmam pervenerit, iam non meminit pressurae praecedentis, propter gaudium perceptae retributionis, quia natus est homo in mundum. Sicut enim mulier nato in hoc mundo homine laetatur, ita ecclesia, nato in vitam aeternam fidelium populo, exultatione repletur.

Beda. Nec novum debet videri si natus dicatur qui ex hac vita migraverit: sicut enim consuete nasci dicitur cum quis de utero matris procedens in hanc lucem ingreditur, ita potest natus appellari qui solutus a vinculis carnis, ad lucem aeternam sublimatur: unde sanctorum solemnia, non funebria, sed natalitia vocantur.

Alcuinus. Quod autem dicit iterum videbo vos, idest assumam vos ad meipsum. Vel iterum videbo vos; idest, iterum videndus apparebo; et gaudebit cor vestrum.

Augustinus. Hunc enim totius laboris sui fructum ecclesia nunc parturit desiderando, tunc est paritura cernendo. Et ideo masculinum, quoniam ad istum fructum contemplationis, cuncta officia referuntur actionis; solus enim liber est qui propter se appetitur, et non refertur ad aliud: huic servit actio. Ad hoc enim refertur quidquid bene agitur: ibi est finis qui sufficit nobis: aeternus igitur erit. Neque enim finis nobis sufficit nisi cuius nullus est finis. De hoc igitur quod sufficit nobis rectissime audivimus gaudium vestrum nemo tollet a vobis.

IOANNES 16,23-28

13623 (Jn 16,23-28)

Chrysostomus in Ioannem. rursus ostendit dominus quod expedit eum abire, cum dicit et in illo die me non rogabitis quidquam.

Augustinus in Ioannem. hoc verbum quod est rogare non solum petere, verum et interrogare significat; et graecum evangelium, unde hoc translatum est, tale habet verbum quod utrumque possit intelligi.

Chrysostomus. Dicit ergo et in illo die, scilicet cum resurrexero, me non rogabitis quidquam, idest non dicetis: ostende nobis patrem, et: quo vadis? quoniam scietis per spiritum sanctum. Vel non rogabitis me, idest, non indigebitis mediatore ad impetrandum; sed sufficet nomen meum, quod invocantes, omnia accipietis; unde sequitur amen, amen, dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Ostendit autem nominis virtutem, si non visus neque rogatus, sed nominatus solum apud patrem facit mirabilia. Non ergo, ait, existimetis, quia de reliquo non ero vobiscum, vos derelictos esse; nomen enim meum maiorem dabit vobis securitatem; unde sequitur usque modo non petistis quidquam in nomine meo. Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.

Theophylactus. alacritas enim vestra tunc erit integerrima, cum ad vota vobis petita succedent.

Chrysostomus. Quia obumbrata erant quae dicta sunt, subiunxit haec in proverbii locutus sum vobis. Venit hora cum iam non in proverbii loquar vobis: idest erit tempus quando scietis omnia manifeste; dicit autem resurrectionis tempus: sed palam de patre meo annuntiabo vobis: etenim quadraginta diebus disputavit cum eis congregatis, loquens de regno Dei. Et nunc, inquit, in timore existentes non attenditis his quae dicuntur; tunc autem resuscitatum videntes, poteritis palam omnia dicere.

Theophylactus. Adhuc praebet illis fiduciam, quoniam recipient in tentationibus auxilium desuper, cum subdit in illo die in nomine meo petetis: adeo assero vobis patrem favere quod neque interventu meo ulterius indigebitis; unde subdit et non dico vobis quia ego rogabo patrem pro vobis: ipse enim pater amat vos. Porro ne resiliant a domino, velut eo ulterius non egentes subiungit quia vos me amastis; quasi dicat: ob hoc diligit vos pater, quia vos me dilexistis. cum itaque excideritis ab amore meo, confestim et a paterno decideritis.

Augustinus in Ioannem. Sed numquid ideo amat ille quia nos amamus, an potius quia ille amat, ideo nos amamus? hoc ipse evangelista dicit: nos diligamus, quia ipse prior dilexit nos. amat ergo nos pater, quia nos amamus filium, cum a patre et filio accepimus, ut patrem amemus et filium. Amavit ipse quod fecit; sed non in nobis faceret quod amaret, nisi antequam id faceret, nos amaret. **Hilarius** de trin.. Caret etiam apud patrem intercessionis necessitate perfecta de filio fides, quae quod a Deo exierit, credit, atque amat, et per seipsam iam et audiri meretur et amari, natum ex Deo filium missumque confessa; unde sequitur et credidistis quia a Deo exivi. Nativitas itaque eius, et adventus ostenditur, cum subdit exivi a patre et veni in mundum. alterum in dispensatione, alterum in natura est. A patre enim venisse et a Deo exisse, non est significationis eiusdem; cum aliud sit a Deo in substantiam nativitatis exisse, aliud a patre in hunc mundum ad consummanda salutis nostrae sacramenta venisse. Cum autem exire a Deo sit ex nativitate subsistere, quid aliud quam deus esse posset? **Chrysostomus** in Ioannem. quia vero resurrectionis sermo non modicum eos mitigabat, et cum hoc audire quod a Deo exivit et illuc vadit, continue ea circumvolvitur; unde sequitur iterum relinquo mundum et vado ad patrem. nam hoc quidem certificabat quoniam recte in ipsum credebant: hoc vero quoniam sub munitione eius futuri erant.

Augustinus. Exiit enim a patre, quia de patre est; in mundum venit, quia mundo suum corpus ostendit. Mundum reliquit corporali discessione, perrexit ad patrem hominis ascensione, nec mundum deseruit praesentiae gubernatione: quia sic in mundum venit exiens a patre ut non desereret patrem. Sed dominum iesum Christum posteaquam resurrexit, et interrogatum legimus et rogatum: nam interrogatus est a discipulis ascensurus in caelum, quando regnum restitueret israel; rogatus est a stephano cum esset in caelo, ut spiritum eius susciperet. Et quis audeat dicere rogandum non esse immortalem, rogari debuisset mortalem? puto ergo, quod dicit in illa die me non rogabitis quidquam, non ad illud tempus referendum esse quo resurrexit, sed ad illud quando videbimus eum sicuti est; quae visio non temporalis vitae est, sed aeternae, ubi iam nihil rogemus, nihil interrogemus, quia nihil desiderandum remanebit, nihil quaerendum latebit.

Alcuinus. Sic ergo dicit: in futuro me non rogabitis quidquam; sed interim, dum in peregrinatione huius miseriae conversamini, si petieritis patrem, dabit vobis; unde subdit amen, amen, dico vobis: si quid

petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Augustinus. hoc quod ait si quid, non quodlibet intelligitur, sed aliquid quod non in beatae vitae comparatione sit nihil. Non autem petitur in nomine salvatoris quidquid petitur contra rationem salutis: non enim sonum litterarum aut syllabarum, sed quod sono recte ac veraciter intelligitur, hic accipiendum est, cum dicit in nomine meo. Unde qui hoc sentit de Christo quod non est de unico filio Dei sentiendum, non petit in eius nomine. Qui vero quod est de illo sentiendum sentit, ipse in eius nomine petit, et accipit quod petit, si non contra suam salutem sempiternam petit; accipit autem quando debet accipere: quaedam enim non negantur, sed ut congruo dentur tempore differuntur. Ita sane intelligendum est, quod ait dabit vobis, ut ea beneficia significata sciuntur his verbis quae ad eos qui petunt proprie pertinent. Exaudiuntur quippe omnes sancti pro seipsis, non autem pro omnibus, quia non utcumque dictum est dabit; sed dabit vobis. quod autem sequitur, usque modo non petistis quidquam in nomine meo, duobus modis intelligi potest: vel quia in nomine meo non petistis, quod nomen non sicut cognoscendum est cognovistis; vel non petistis quidquam, quoniam in comparatione rei quam petere debuistis, pro nihilo habendum est quod petistis. Ut igitur in nomine eius non nihil, sed gaudium plenum petant, subdit petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. Hoc quod dicit gaudium plenum, non carnale, sed spirituale gaudium est; et quando tantum erit ut aliquid ei iam non sit addendum, tunc erit plenum.

Augustinus de trin.. hoc est autem plenum gaudium vestrum quo amplius non est, frui Deo, trinitate, ad cuius imaginem facti sumus.

Augustinus in Ioannem. Quidquid ergo petitur quod pertinet ad hoc gaudium consequendum, hoc est in nomine Christi petendum. Isto enim bono in petendo perseverantes sanctos suos nequaquam misericordia divina fraudabit. Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla res est, sed quia in tantae rei comparatione quidquid aliud concupiscitur, nihil est. sequitur haec in proverbii locutus sum vobis: venit hora cum iam non in proverbii loquar vobis, sed palam de patre meo annuntiabo vobis. Possem dicere hanc de qua loquitur horam futurum saeculum intelligi, ubi videbimus palam quod apostolus dicit: facie ad faciem; ut quod ait haec in proverbii locutus sum vobis, hoc sit quod ab apostolo dictum est: videmus nunc per speculum in aenigmate. Annuntiabo autem vobis quia per filium pater videbitur: neque enim patrem quis cognoscit nisi filius, et cui voluerit filius revelare.

Gregorius moralium. Palam quippe de patre annuntiare se asserit; quia per patefactam tunc maiestatis suae speciem, et quomodo ipse gignenti non impar oriatur, et quomodo utrorumque spiritus utriusque coaeternus procedat ostendet.

Augustinus. sed istum sensum videtur impedire quod sequitur: in illo die in nomine meo petetis: in futuro enim saeculo quid petituri sumus, quando satiabitur in bonis desiderium nostrum? petitio namque alicuius est indigentiae. Relinquitur itaque ut intelligatur iesus discipulos suos de carnalibus vel animalibus spirituales esse facturus. Homo autem animalis sic audit quaecumque audit de Dei natura ut aliud quam corpus cogitare non possit. Ideo proverbia illi sunt quaecumque dicta sapientiae de incorporea immutabilique substantia; non quod tamquam proverbia deputet, sed quia sic cogitat quomodo qui proverbia solent audire, neque intelligere. Cum vero spiritualis coeperit omnia diiudicare, etiam si in hac vita velut per speculum et ex parte perspicit, tamen nullo corporis sensu, nulla imaginaria cogitatione, sed mentis certissima intelligentia, capit Deum non corpus esse, sed spiritum. Ita palam de patre annuntiante filio ut eiusdem substantiae conspiciatur et ipse qui annuntiat, nunc in eius nomine petunt qui petunt: quia in sono eius nominis non aliud quam res ipsa est quae hoc nomine vocatur, intelligunt. Hi possunt cogitare dominum nostrum iesum Christum, inquantum homo est, pro nobis interpellare patrem; inquantum deus est, nos exaudire cum patre: quod eum significasse arbitror, ubi ait et non dico vobis quia ego rogabo patrem pro vobis. Ad hoc quippe intuendum, quomodo non roget patrem filius, sed simul exaudiant rogantes pater et filius, non nisi spiritualis oculus mentis ascendit.

IOANNES 16,29-33

13629 (Jn 16,29-33)

Chrysostomus in Ioannem. quia discipulos hoc maxime respirare fecit quod erant patris amici, propterea dicunt se cognoscere quod omnia nosset; unde sequitur dicunt ei discipuli eius: ecce nunc palam loqueris, et proverbium nullum dicis.

Augustinus in Ioannem. cum autem adhuc promittatur futura illa hora in qua sine proverbii locuturus est; cur isti hoc dicunt, nisi quia illa quae scit ipsis non intelligentibus esse proverbia, usque adeo non intelligunt,

ut nec saltem non se intelligere intelligant? **Chrysostomus.** quoniam autem ad id quod in eorum mente erat respondit, subdunt nunc scimus quoniam scis omnia. vides qualiter imperfecte se habebant, qui post tot et tanta demonstrata dicunt nunc scimus; et hoc dicunt tamquam ei quamdam gratiam tribuentes. Et non est opus tibi ut quis te interroget; hoc est, antequam audias, nosti ea quae scandalizant nos, et quiescere nos fecisti dicens quoniam pater vos amat.

Augustinus. quid ergo vult sibi quod ei quem sciebant nosse omnia, cum dicere debuisse videantur: non est opus tibi ut quidquam interrogas, dicendum potius putaverunt non est opus tibi ut quis te interroget? quod utrumque legimus factum: et interrogasse scilicet dominum, et interrogatum fuisse. Sed hoc cito solvitur: quia hoc non ei, sed illis potius opus erat quos interrogabat, vel a quibus interrogabatur. Neque enim aliquos ille interrogabat ut ab eis aliquid disceret, sed eos potius ut doceret: et qui interrogabant eum, volentes ab eo aliquid discere, illis profecto id opus erat ut scirent ab eo aliqua qui noverat omnia. ille autem non opus habebat ut quod ab eo scire quisque vellet, per ipsius cognosceret interrogationem: quia priusquam interrogaretur, interrogatorum noverat voluntatem. praevidere autem cogitationes hominum, magnum domino non erat, sed magnum parvulis erat, qui subdunt in hoc credimus quia a Deo existi.

Hilarius de trin.. Per id enim credunt quod a Deo exiit, quia ea quae Dei sunt agit. nam cum dominus utrumque dixisset, a Deo exivi, et a patre veni in hunc mundum, nihil admirationis in eo habuerunt quod frequenter audierunt: unde non addunt: a patre venisti in hunc mundum: sciebant enim a Deo missum, exisse tamen a Deo nesciebant. Inenarrabilem vero illam filii nativitatem per virtutem dicti istius intelligentes, tunc primum coeperunt advertere, cum illum sine proverbiiis profiterentur esse locutum. Non enim per consuetudinem humani partus deus ex Deo nascitur, cuius a Deo exitio potius quam partus est. Est enim unus ex uno: non est portio, non est defectio, non est diminutio, non derivatio; non est protensio, non passio, sed viventis naturae ex vivente nativitas est. deus ex Deo exiens est, non creatura in Dei nomine electa, non ut esset coepit ex nihilo; sed exiit a manente, et exiisse significationem habet nativitatis, non inchoationis.

Augustinus. Denique de ipsa eorum aetate adhuc secundum interiorem hominem parva et infirma eos admonet; unde subditur respondit eis iesus: modo creditis.

Beda. Quod duobus modis pronuntiari potest; affirmando scilicet et insultando. si insultando, hic est sensus: tardius ad credendum evigilastis: ecce enim venit hora ut dispergamini unusquisque in propria etc.. Si affirmando, sensus est: verum est quod creditis; sed ecce venit hora ut dispergamini unusquisque in propria, et me solum relinquantis.

Augustinus in Ioannem. Non enim quando comprehensus est, tantummodo carne sua eius carnem, verum etiam mente reliquerunt fidem.

Chrysostomus in Ioannem. Dicit autem dispergamini, scilicet quando tradar: tantum enim vobis dominabitur timor ut neque simul possitis recedere. Sed ego ex hoc nullum patiar malum; unde subdit et non sum solus, quia pater mecum est.

Augustinus. ad hoc intelligendum eos volebat extendi et crescere ne sic a patre filium cogitarent exisse ut putarent etiam recessisse. Deinde sermonem concludit dicens haec locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis.

Chrysostomus. idest, ut non abiciatis me a mente vestra. Non enim nunc solum quando comprehendar, fiet vobis adversa, sed donec eritis in mundo pressuram habebitis, idest tribulationem; et hoc est quod subdit in mundo pressuram habebitis.

Gregorius moralium. Quasi dicat: sit vobis de me interius quod consolando reficiat, quia erit de mundo exterius, quod saeviendo graviter premat.

Augustinus. illud initium habitura fuerat ista pressura de quo dicit venit hora ut dispergamini unusquisque in propria; sed non eo modo erat perseveratura: quod enim adiunxit, et me solum relinquantis, non vult eos tales esse in consequenti pressura, quam post eius ascensionem fuerant in mundo habituri, ut relinquant eum, sed ut in illo pacem habeant permanentes in eo; unde sequitur sed confidite.

Chrysostomus. idest, resurgite mente: magistro enim superante inimicos, non oportet discipulos anxiiari; unde subdit quia ego vici mundum.

Augustinus. dato autem spiritu sancto confiderunt, et vicerunt, non nisi in illo: non enim vicisset ille mundum, si membra eius vinceret mundus. Cum autem dicitur haec locutus sum vobis, ut in me pacem

habeatis, non recentiora paulo ante ab eo dicta, sed omnia debemus accipere: sive quaecumque illis locutus est ex quo eos coepit habere discipulos, sive ex quo post coenam exorsus est hunc mirabilem prolixumque sermonem. Hanc enim causam commendavit sermonis sui, ut in illo pacem haberent. Haec pax finem temporis non habebit; sed omnis piae nostrae intentionis actionisque finis ipsa erit.

IOANNES 17,1-5

13701 (Jn 17,1-5)

Chrysostomus in Ioannem. quia dixerat dominus: in mundo pressuram habebitis, post admonitionem in orationem convertitur, erudiens nos in tribulationibus, omnia dimittentes, ad Deum refugere; unde dicitur haec locutus est iesus.

Beda. Illa intelligi debent quae in coena locutus est, quaedam quidem sedendo usque ibi: surgite, eamus hinc; deinde stando usque ad hymni finem, cuius hoc est initium: et sublevatis oculis in caelum dixit: pater, venit hora: clarifica filium tuum.

Chrysostomus. propter hoc in caelum oculos elevavit ut nos doceret extensionem quae est in orationibus, ut stantes sursum aspiciamus, non oculis carnis solum, sed et mentis.

Augustinus in Ioannem. Poterat autem dominus in forma servi, si hoc opus esset, orare silentio; sed ita se patri exhiberi voluit precatorem ut meminisset nostrum se esse doctorem. Proinde non solum ad ipsos sermocinatio, sed etiam pro ipsis ad patrem oratio, discipulorum est aedificatio: profecto et nostrum, qui fueramus conscripta lecturi. Hoc autem quod ait pater, venit hora, ostendit omne tempus, et quid et quando faceret, vel fieri sineret, ab illo dispositum qui tempori subditus non est. non autem credatur haec hora fato urgente venisse, sed Deo potius ordinante: absit enim ut sidera mori cogere siderum conditorem. **Hilarius** de trin.. Non diem autem, non tempus, sed horam venisse dicit. In hora diei portio est: et quae erat haec hora? iam nunc conspuendus, flagellandus, crucifigendus erat: sed clarificat pater filium. Sol de cursu operis defecit, et interitum suum cum eo reliqua mundi elementa senserunt; ad onus domini in cruce pendentis terra tremuit, et eum qui moriturus erat se contestata est non capere. Proclamat centurio: vere filius Dei erat iste; praedictioni consentit effectus. Dominus dixerat clarifica filium tuum. Non solum nomine contestatus est esse se filium, sed et proprietate qua dicitur tuum: multi enim nos filii Dei, sed non talis hic filius: hic enim proprius et verus est filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione. Ergo post clarificationem eius, veritatem confessio secuta est: nam verum Dei filium centurio confitetur, ne quis credentium ambigeret quod aliquis persequentium non negasset.

Augustinus in Ioannem. Sed si passione clarificatus dicitur, quanto magis resurrectione? nam in passione magis eius humilitas quam claritas commendatur. quod ergo ait: pater, venit hora, clarifica filium tuum, sic intelligendum est tamquam dixerit: venit hora seminandae humilitatis: fructum non differas claritatis. **Hilarius** de trin.. Sed forte infirmus reperietur filius dum clarificationem potioris expectat. Et quis non patrem potiore confitebitur, cum ipse dicat: pater maior me est? sed cavendum est ne apud imperitos gloriam filii honor patris infirmit; nam sequitur ut filius tuus clarificet te. Non ergo infirmus est filius, vicem clarificationis ipse, cum clarificandus sit, redditurus. Ergo expositulatio clarificationis dandae vicissimque reddendae, eadem in utroque ostendit divinitatis virtutem.

Augustinus. merito autem quaeritur quomodo patrem clarificaverit filius, cum sempiterna claritas patris nec diminuta fuerit in forma humana, nec augeri potuerit in sua perfectione divina. Sed apud homines minor erat, quando in iudaea tantummodo deus notus erat; quia vero per evangelium Christi factum est ut pater innotesceret gentibus, patrem clarificavit et filius. Dicit ergo clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te; ac si dicat: resuscita me, ut innotescas toti orbi per me. Deinde magis pandens quomodo clarificet patrem filius, subiungit sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam. Omnem carnem dixit omnem hominem, a parte totum significans. hoc autem quod potestas Christo a patre data est omnis carnis, secundum hominem intelligendum est.

Hilarius de trin.. Caro enim factus ipse vitae aeternitatem erat caducis et corporeis et mortalibus redditurus. Vel acceptio potestatis sola est significatio nativitatis, in qua accepit id quod est. Non est infirmitati datio deputanda, cum in eo significetur pater esse quod dederit, et in eo filius deus maneat quod vitae aeternae dandae sumpserit potestatem.

Chrysostomus in Ioannem. Dicit autem dedisti ei potestatem omnis carnis: ut ostendat quod non ad iudaeos solos sua praedicatio, sed ad totum orbem terrarum extenditur. Sed quid est quod dicit omnis

carnis? non enim utique omnes crediderunt. Et quidem quantum ex eo est, omnes crediderunt; si vero non attendebant his quae dicebantur, non eius qui dicebat, est criminatio, sed eorum qui non susceperunt.

Augustinus in Ioannem. Dicit ergo sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ita te glorificet filius, idest notum te faciat omni carni quam dedisti ei; sic enim dedisti, ut omne quod dedisti ei, det eis vitam aeternam. **Hilarius** de trin.. Sed in quo tandem aeternitatis vita est, ostendit cum subdit haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum. Vita est verum Deum nosse; sed solum hoc non facit vitam: quid ergo connectitur? et quem misisti iesum Christum.

Hilarius de trin.. Dum autem ariani intelligunt solum patrem verum Deum, solum iustum, solum sapientem, a communione horum, secundum hos, filius separatur. soli enim, ut aiunt, propria non participantur ab altero; quae si in patre solo, et non in filio existimabuntur, necesse est ut filius deus falsus et insipiens esse credatur. nulli autem dubium est veritatem ex natura et ex virtute naturae esse: verum enim triticum est quod spica structum, et aristis vallatum, et folliculis excussum, et in far comminutum, et in panem coctum, et in cibum sumptum reddit ex se et naturam panis et munus. Quaero ergo in quo filio veritas Dei desit, cui non desit Dei nec natura nec virtus. Naturae enim suae virtute usus est, ut essent quae non erant, et fierent quae placerent. an forte quod ait te solum, communionem atque unitatem suam a Deo separat? separat sane, si non ad id quod ait te solum verum Deum, continue subiecit et quem misisti iesum Christum. Per id enim ecclesiae fides Christum verum Deum confessa est, quod solum verum Deum confessa patrem sit: non enim unigenito Deo naturae demutationem naturalis nativitas intulit.

Augustinus de trin.. Videndum est ergo an intelligere cogamur, cum dictum est patri ut cognoscant te solum verum Deum, tamquam hoc insinuare voluerit, quia et solus pater deus verus est, ne non nisi ipsa tria simul, patrem et filium et spiritum sanctum, intelligeremus esse Deum. Nunc ergo ex domini testimonio et patrem solum verum Deum dicimus, et filium solum Deum verum, et spiritum sanctum solum verum Deum; et simul patrem et filium et spiritum, idest simul ipsam trinitatem, non tres veros deos, sed unum verum Deum.

Augustinus. Vel ordo verborum est: ut te, et quem misisti iesum Christum, cognoscant solum verum Deum; consequenter enim et spiritus sanctus intelligitur, quia spiritus est patris et filii, tamquam caritas consubstantialis amborum. sic igitur filius glorificat te, ut omnibus quos dedisti ei, te cognitum faciat. Porro si cognitio mei est vita aeterna, tanto magis in vita aeterna, quanto magis in hac cognitione proficimus. Non autem moriemur in vita aeterna. Tunc ergo Dei cognitio perfecta erit quando nulla mors erit: summa tunc Dei clarificatio, quia summa gloria. A veteribus autem gloria definita est frequens de aliquo fama cum laude. At si homo laudatur cum famae creditur, quomodo deus laudabitur quando ipse videbitur? propter quod scriptum est: beati qui habitant in domo tua, in saecula saeculorum laudabunt te. Ibi erit Dei sine fine laudatio, ubi erit Dei plena cognitio, et ideo clarificatio.

Augustinus de trin.. quod dixerit famulo suo moysi: ego sum qui sum, hoc contemplabimur cum vivemus in aeternum.

Augustinus de trin.. Cum enim fides nostra videndo fiat veritas, tunc mortalitatem nostram commutatam tenebit aeternitas.

Augustinus in Ioannem. sed prius hic clarificatur deus cum annuntiatus hominibus innotescit, et per fidem credentibus praedicatur; propter quod dicit ego te clarificavi super terram.

Hilarius de trin.. Haec quidem clarificationis vicissitudo non pertinet ad divinitatis profectum, sed ad honorem qui ex cognitione ignorantium suscipiebatur.

Chrysostomus. Unde bene dixit super terram: in caelo enim glorificatus fuerat, et in natura gloriam habens, et ab angelis adoratus. Non igitur de illa gloria ait quae substantiae eius est, sed de ea quae ad culturam hominum pertinet; unde subdit opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem.

Augustinus. Non ait: iussisti, sed dedisti: ubi commendatur evidens gratia: quid enim habet quod non accepit, etiam in unigenito, humana natura? sed quomodo consummavit opus quod accepit ut faciat, cum restet adhuc passionis experimentum, nisi consummasse se dicat quod se consummatum certissime novit? **Chrysostomus.** Vel dicit consummavi; quasi, ea quae ex parte mea sunt omnia feci; aut quia, cum id quod maximum est factum est, dici potest totum iam factum esse. Radix enim bonorum submissa erat, quam omnino debebat sequi fructus: et quia his quae futura erant, ipse iam aderat et copulabatur.

Hilarius de trin.. Post quae, ut meritum obedientiae et sacramentum totius dispensationis intelligeremus, adiecit et nunc clarifica me tu, pater, apud temetipsum.

Augustinus. Supra dixerat: pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te; in quo verborum ordine ostenderat, prius a patre clarificandum filium, ut patrem clarificaret filius; modo autem dixit ego te clarificavi, et nunc clarifica me; tamquam prior ipse patrem clarificaverit, a quo deinde ut clarificetur exposcit. Ergo intelligendum est utroque verbo superius usum eo ordine quo futurum erat; modo vero usum fuisse verbo praeteriti temporis de re futura, velut si dixisset: ego te clarificabo super terram, opus consummando quod dedisti mihi ut faciam, et nunc clarifica me tu, pater: quae est omnino eadem sententia, nisi quod hic additur clarificationis modus, cum subdit claritate quam habui, priusquam mundus fieret, apud te. ordo verborum est: quam habui apud te, priusquam mundus esset. Hoc quidam sic intelligendum putaverunt tamquam natura humana quae suscepta est a verbo, converteretur in verbum, et homo mutaretur in Deum; immo, si diligentius cogitemus, homo periret in Deo. Non enim quisquam ex ista mutatione hominis, vel duplicari Dei verbum dicturus est, vel augeri; sed quisquis Dei filium praedestinatum negat, hunc eundem filium hominis negat. Cum ergo videret illius praedestinatae suae glorificationis venisse tempus, ut et nunc fieret in redditione quod fuerat in praedestinatione iam factum, oravit dicens et nunc clarifica me tu, pater, etc.: idest, illam claritatem quam habui apud te praedestinatione tua, tempus est ut apud te habeam etiam vivens in dextera tua. **Hilarius** de trin.. Vel orabat ut id quod ex tempore erat, gloriam eius quae sine tempore est claritatis acciperet, ut in Dei virtutem et spiritus incorruptionem transformata carnis corruptio absorberetur.

IOANNES 17,6-8

13706 (Jn 17,6-8)

Chrysostomus in Ioannem. quia dixerat opus consummavi, manifestat quale opus: ut scilicet nomen Dei manifestaret; unde dicitur manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo.

Augustinus in Ioannem. quod si de his tantum dicit discipulis cum quibus coenavit, non pertinet hoc ad illam clarificationem de qua superius loquebatur, qua filius clarificat patrem: quanta est enim gloria duodecim vel undecim innotescere potuisse mortalibus? si autem quod ait manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo, omnes intelligi voluit qui in eum fuerant credituri, est plane ista clarificatio qua filius clarificat patrem: et tale est quod ait manifestavi nomen tuum, quale illud quod supra dixerat: ego te clarificavi, pro tempore futuro et illic et hic praeteritum ponens. Sed de his qui iam erant discipuli, non de omnibus qui in illum fuerant credituri, eum hoc dixisse, ea quae sequuntur credibilium demonstrant. ab ipso ergo orationis suae exordio omnes suos dominus volebat intelligi, quibus notum faciendo patrem, clarificat eum. Cum enim dixisset: filius tuus clarificet te, mox quemadmodum id fieret demonstravit dicens: sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. Iam nunc quid de illis a quibus tunc audiebatur discipulis suis dicat, audiamus: manifestavi nomen tuum hominibus quos dedisti mihi de mundo. Non ergo Dei nomen noverant, cum essent iudaei; et ubi est quod legitur: notus in iudaea deus, et in israel magnum nomen eius? ergo intelligendum est: manifestavi nomen tuum hominibus istis, quos dedisti mihi de mundo, qui me audiunt haec dicentem, non illud nomen tuum quod vocaris deus, sed illud quod vocaris pater meus; quod nomen manifestari sine ipsius filii manifestatione non possit: nam quod deus dicitur universae creaturae, etiam omnibus gentibus antequam in Christum crederent non omnimode esse potuit hoc nomen incognitum. in hoc ergo quod fecit hunc mundum, et antequam imbuerentur in fide Christi, notus in omnibus gentibus deus; in hoc autem quod non est cum diis falsis colendus, notus in iudaea deus; in hoc vero quod pater est huius Christi, per quem tollit peccatum mundi, hoc nomen eius prius occultum, nunc manifestavit eis quos dedit ei pater ipse de mundo. Sed quomodo manifestavit, si nondum venit hora de qua superius dixerat, quod veniet hora cum iam non in proverbii loquar vobis? proinde intelligendum est pro tempore futuro praeteritum positum.

Chrysostomus. vel quod ipsum Christum filium habeat, manifestaverat eis iam et verbis et rebus.

Augustinus. Per hoc autem quod dicit dedisti mihi de mundo, dictum est de illis quod non essent de mundo; sed hoc eis regeneratio praestitit, non generatio. quid est autem quod sequitur: tui erant, et mihi eos dedisti? an aliquando habuit pater aliquid sine filio? absit. Verumtamen habuit aliquid aliquando Dei filius, quod nondum habuit idem ipse hominis filius, qui nondum erat homo factus ex matre: quapropter quod dixit tui erant, non inde se separavit Dei filius; sed solet ei tribuere omne quod potest a quo est ipse qui potest. Quod itaque ait et mihi eos dedisti, secundum hominem se accepisse hanc potestatem ut eos haberet ostendit; et etiam ipse sibi eos dedit, hoc est cum patre deus Christus homini Christo; quod cum patre non est. hoc autem dixit, ut ostendat eam quam ad patrem unanimitatem, et quoniam placet patri ut filio credant; unde sequitur et sermonem tuum servaverunt.

Beda. Sermonem patris semetipsum appellat, quia per ipsum pater omnia condidit, et in se continet omnes sermones; ac si diceret: memoriae me commendaverunt, ut nunquam obliviscantur. Vel dicit: et sermonem tuum servaverunt, in eo scilicet quod mihi crediderunt; unde sequitur et nunc cognoverunt quia omnia quae dedisti mihi, abs te sunt. Quidam autem dicunt hanc esse litteram: nunc cognovi quia omnia quae dedisti mihi, abs te sunt: sed hi non habent rationem. Quomodo enim poterat ignorare filius quae sunt patris? sed de discipulis dictum est; quasi dicat: didicerunt quod nihil est in me alienum extra te, et quod quaecumque doceo, tua sunt.

Augustinus. Simul autem pater dedit ei omnia cum genuit qui habet omnia.

Chrysostomus. Et unde didicerunt? ex verbis meis, quibus docebam eos quoniam a te exivi: hoc enim per totum studebat ostendere evangelium; unde sequitur quia verba quae dedisti mihi, dedi eis; et ipsi acceperunt.

Augustinus. idest, intellexerunt, atque tenuerunt. tunc enim verbum accipitur quando mente percipitur; unde sequitur et cognoverunt vere quia a te exivi. Et ne quisquam putaret istam cognitionem iam per speciem factam, non per fidem, exponendo addidit et crediderunt, ut subaudiamus vere quia tu me misisti. Hoc itaque crediderunt vere, quod cognoverunt vere. idem enim est a te exivi quod est tu me misisti. Quod autem dicit crediderunt, vere intelligendum est, non eo quo supra dixit modo crediderunt, sed vere, idest quomodo credendum est, inconcusse, firme, stabiliter; non iam ad propria redituri, et Christum relicturi. Adhuc ergo discipuli non erant tales quales eos dicit verbis praeteriti temporis, quasi iam esset praenuntians quales futuri essent accepto spiritu sancto. Quomodo autem pater ea verba filio dederit, facilius quaestio videtur, si secundum quod est filius hominis accepisse a patre credatur; si vero secundum id quod est a patre genitus, accepisse a patre ista verba cogitatur, nihil ibi temporis cogitetur, quasi prius fuerit, et ea non habuerit; quoniam quidquid deus pater Deo filio dedit, gignendo dedit.

IOANNES 17,9-13

13709 (*Jn 17,9-13*)

Chrysostomus in Ioannem. quia multas a domino consolationes discipuli audientes nondum persuasi erant, de reliquo patri loquitur, dilectionem quam ad eos habebat ostendens; unde sequitur ego pro eis rogo; quasi dicat: non solum quae a me sunt tribuo eis, sed et alium pro hoc rogo; ut ampliorem ostendat amorem.

Augustinus in Ioannem. Cum ergo addit non pro mundo, mundum vult intelligi eos qui vivunt secundum concupiscentiam mundi, et non sunt in ea sorte gratiae ut ab illo eligantur ex mundo; quam sortem significat cum subdit sed pro his quos dedisti mihi. Per hoc enim quod eos illi pater iam dedit, factum est ut non pertineant ad mundum pro quo non rogat. neque autem quia pater eos filio dedit, amisit ipse quos dedit; unde subdit quia tui sunt.

Chrysostomus. Frequenter autem hoc ponit dedisti mihi, ut discant quoniam patri hoc placet, et quoniam non ut alienus veniens eos seduxit, sed ut proprios accepit. Deinde ne quis aestimet novum esse eius principatum et nuper eos suscepisse a patre, subiungit et omnia mea tua sunt, et tua mea sunt; ac si dicat: neque audiens aliquis quoniam mihi eos dedisti, aestimet eos alienos esse a patre; mea enim eius sunt: nec audiens quoniam tui erant, aestimet alienos eos fuisse a me: quae enim sunt eius, mea sunt.

Augustinus. Satis autem hic apparet, quoniam unigeniti filii sunt omnia quae sunt patris; per hoc utique quod etiam ipse deus est, et de patre natus, patri aequalis: non quomodo dictum est maiori ex duobus filiis: omnia mea tua sunt; illud enim de omnibus dictum est creaturis quae infra creaturam sanctam rationalem sunt; hoc autem ita dictum est, ut sit haec etiam ipsa creatura rationalis quae non nisi Deo subditur. hoc ergo cum sit Dei patris, non simul esset et filii, nisi patri esset aequalis. nefas est enim ut sancti de quibus haec locutus est, cuiusquam sint nisi eius a quo creati et sanctificati sunt. Hoc autem quod ait, cum de spiritu sancto loqueretur: omnia quae habet pater, mea sunt, de his dicit quae ad ipsam patris pertinent divinitatem: neque enim spiritus sanctus de creatura quae patri est subdita et filio, fuerat accepturus, cum dicat: de meo accipiet.

Chrysostomus. Deinde demonstrationem praedictorum ponit, dicens et clarificatus sum in eis. Ex quo patet quoniam potestatem super eos habeo, quoniam glorificant me, tibi credentes et mihi: nullus enim in quibus non habet potestatem glorificatus est.

Augustinus in Ioannem. dicendo autem iam esse factum, ostendit iam fuisse praedestinatum, et certum haberi voluit quod esset futurum. Sed utrum ipsa sit clarificatio de qua dixerat: et nunc clarifica me tu, pater, apud te ipsum (si enim apud te, quomodo in eis?), an cum hoc ipsum innotescit eis, et per eos omnibus qui credunt eis, quasi testibus suis; unde subdit et iam non sum in mundo, et hi in mundo sunt.

Chrysostomus. Hoc est: et si non appaream secundum carnem, per hos glorificor qui pro me moriuntur sicut et pro patre, et praedicant me sicut et patrem.

Augustinus. Sed si horam illam qua loquebatur attendas, utrique in mundo adhuc erant. Non enim secundum profectum cordis et vitae id accipere possumus, cum dicat iam non sum in mundo. Numquid ergo fas est ut eum credamus aliquando mundana sapuisse? restat igitur ut secundum illud quod etiam ipse in mundo prius erat, in mundo se dixit iam non esse praesentia corporali. An non quotidie dicimus: iam non est hic de aliquo quantocius abituro, et maxime morituro? unde exponens cur hoc dixerit, adiecit et ego ad te venio. Commendat igitur patri eos quos corporali absentia relicturus est, dicens pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi. Sicut homo Deum rogat pro discipulis suis, quos accepit a Deo. Sed attende quod sequitur: ut sint unum sicut et nos. Non ait: ut simus unum ipsi et nos, sicut et nos unum sumus: ipsi utique in natura sua unum sunt, sicut nos in nostra unum sumus: quia enim una eademque persona est deus et homo, intelligimus hominem in eo quod rogat, et Deum in eo quod unum sunt et ille et ipse quem rogat. Poterat quidem dicere per id quod ecclesiae caput est, et corpus eius ecclesia: ego et ipsi, non unum sed unus sumus, quia caput et corpus unus est Christus; sed divinitatem suam consubstantiali patri ostendens, vult esse suos unum, sed in Christo; non tantum per eandem naturam qua omnes ex hominibus mortalibus aequales angelis fiunt, sed etiam per eandem in eandem habitudinem conspirantem concordissimam voluntatem, in unum spiritum quodammodo caritatis igne conflati. Ad hoc enim valet quod ait ut sint unum, sicut et nos unum sumus: ut quemadmodum pater et filius non tantum aequalitate substantiae, sed etiam voluntate unum sunt, ita et hi inter quos et Deum mediator est filius, non tantum per hoc quod eiusdem naturae sunt, sed etiam per eandem dilectionis societatem unum sint.

Chrysostomus. rursus ut homo loquitur subdens cum essem cum eis, ego servabam eos in nomine tuo, hoc est per tuum adiutorium; humane enim loquitur, et ad eorum mentem aestimantium quod maiorem quamdam haberent utilitatem ab eius praesentia.

Augustinus in Ioannem. In nomine enim patris servabat discipulos suos filius homo, cum eis humana praesentia constitutus; sed et pater in nomine filii servabat quos in nomine filii petentes exaudiebat. Neque hoc tam carnaliter debemus accipere velut vicissim nos servent pater et filius: simul enim nos custodiunt et pater et filius et spiritus sanctus; sed scriptura nos non levat nisi descendat ad nos. Intelligamus ergo cum ita dominus loquitur, personas eum distinguere, non separare naturam. Quando ergo servabat discipulos suos filius praesentia corporali, non expectabat pater ad custodiendum succedere filio discedenti; sed eos ambo servabant potentia spiritali; et quando ab eis abstulit filius praesentiam corporalem, tenuit cum patre custodiam spiritalem; quia et custodiendos quando filius homo accepit, custodiae paternae non abstulit; et cum pater filio custodiendos dedit, non dedit sine ipso cui dedit; sed dedit homini filio, non sine Deo eodem ipso filio; sequitur enim quos dedisti mihi, ego custodivi, et nemo ex ipsis periit, nisi filius perditionis, idest traditor Christi, perditioni praedestinatus, ut scriptura impleatur, qua scilicet de illo, maxime in psalmo 108, prophetatur.

Chrysostomus. et nimirum solus ille tunc periit, sed multi postea. Dicit autem nemo ex eis periit, idest, quantum ex mea parte non perdam: quod manifestius alibi dicit: non eiciam foras. Si vero per seipsos exilient, non ex necessitate ad me traho. sequitur nunc autem ad te venio. Sed quia posset aliquis quaerere: numquid non potes eos conservare recedens? potest quidem, sed cuius gratia hoc dicat, ostendit subdens et haec loquor in mundo, ut habeant gaudium meum impletum in semetipsum; idest, ut non tumultuentur imperfectiores existentes per id quod indicavit quod propter eorum gaudium et requiem omnia haec infirma loquebatur.

Augustinus. vel aliter. Quod sit hoc gaudium, iam superius expressum est ubi ait ut sint unum, sicut et nos unum sumus. Hoc gaudium suum, idest a se in eos collatum, in eis dicit implendum; propter quod se locutum dixit in mundo. Haec est pax et beatitudo futuri saeculi. In mundo autem loqui se dicit, qui paulo ante dixerat iam non sum in mundo; quia enim nondum abierat, hic adhuc erat; et quia mox fuerat abiturus, hic quodammodo iam non erat.

13714 (Jn 17,14-19)

Chrysostomus in Ioannem. rursus dominus assignat causam propter quam digni sunt discipuli multa diligentia potiri a patre, dicens ego dedi eis sermonem tuum, et mundus eos odio habuit; quasi dicat: propter te odio habiti sunt et propter sermonem tuum.

Augustinus in Ioannem. Nondum autem id experti fuerant passionibus suis, quae illos postea sunt secutae; sed more suo dicit ista, verbis praeteriti temporis futura praenuntians. Deinde causam subicit cur eos oderit mundus, dicens quia non sunt de mundo. Hoc eis regeneratione collatum est: nam generatione de mundo erant. Donatum est ergo eis ut sicut nec ipse, ita nec ipsi de mundo essent; unde sequitur sicut et ego non sum de mundo. Ipse de mundo nunquam fuit; quia etiam secundum formam servi de spiritu sancto natus est, de quo illi renati. Quamvis autem iam non essent de mundo, adhuc tamen necessarium erat eos esse in mundo; unde subdit non rogo ut tollas eos de mundo.

Beda. quasi dicat: iam imminet tempus ut tollar ego de mundo, ideoque necesse est ut illi nunc non tollantur de mundo, ut me et te primum annuntient mundo. Quod vero subdit, sed ut serves eos a malo, licet omne malum intelligi possit, maxime vult intelligi malum secessionis.

Augustinus. repetit autem eandem sententiam, dicens de mundo non sunt, sicut et ego non sum de mundo.

Chrysostomus. supra autem dixit: quos dedisti mihi de mundo; illic naturam dicens, hic autem de actibus malis. Dicit autem non sunt de mundo: quia nihil commune cum terra est eis, sed caelestium facti sunt cives: in quo amorem suum eis ostendit, dum patri eos laudat. Hoc autem quod dicit sicut, cum in ipso et patre ponitur, parilitas ostenditur propter naturae unitatem; sed cum de nobis et Christo dicitur, multa distantia intermedia inter utrumque existit. Cum autem prius dixit: serva eos a malo, non de periculis ereptione ait solum, sed de permanentia in fide; unde subdit sanctifica eos in veritate.

Augustinus. Sic enim servantur a malo; quod superius oravit ut fieret. Quaeri autem potest quomodo de mundo iam non erant, si sanctificati in veritate nondum erant. An quia et sanctificati in eadem proficiunt sanctitate, neque hoc sine adiutorio gratiae Dei? sanctificantur autem in veritate heredes testamenti novi, cuius veritatis umbrae fuerunt sanctificationes veteris testamenti; et cum sanctificantur in veritate, sanctificantur in Christo, qui dixit: ego sum via, veritas et vita; unde sequitur sermo tuus veritas est. Graecum evangelium logos habet, idest verbum. Sanctificavit ergo pater in veritate, idest in verbo suo unigenito, suos heredes, eiusque coheredes.

Chrysostomus. Vel aliter. Sanctifica eos in veritate; idest, sanctos fac per sancti spiritus donationem et recta dogmata: recta enim dogmata de Deo docent, et sanctificant animam: et quia hic de dogmatibus ait, subiunxit sermo tuus veritas est; hoc est: nullum mendacium est in eo, et nihil typicum ostendit neque corporeum. videtur autem mihi et aliud ostendere hoc quod dicit sanctifica eos in veritate; idest, segrega eos sermoni et praedicationi; unde subdit sicut tu me misisti in mundum.

Glossa. Pro quo enim Christus missus est, pro hoc et hi; unde paulus: deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, et posuit in nobis verbum reconciliationis. Hoc autem quod dicit sicut, non similiter de eo et de apostolis ponitur, sed ut erat possibile hominibus. dicit autem se eos misisse in mundum, secundum quod erat ei consuetudo, futurum ut factum dicere.

Augustinus. manifestum est autem per hoc quod nunc adhuc de apostolis loquitur: nam ipsum nomen apostolorum quoniam graecum est, missos significat in latino; sed quoniam per hoc quod Christus factus est caput ecclesiae, illi membra sunt eius, ideo ait et pro eis ego sanctifico meipsum; idest, eos in meipso sanctifico, cum et ipsi sint ego. Et ut intelligeremus, cum dixit pro eis sanctifico meipsum, hoc eum dixisse quod eos ipse sanctificaret, mox addidit ut sint et ipsi sanctificati in veritate, idest in me, secundum quod verbum veritas est, in quo et ipse filius hominis sanctificatus est ab initio, quando verbum caro factum est. Tunc enim sanctificavit se in se, idest hominem se in verbo se: quia unus Christus verbum et homo; propter sua vero membra dicit et pro eis ego sanctifico meipsum; hoc est, ipsos in me, quoniam in me etiam ipsi sunt, et ego. Ut sint et ipsi sanctificati in veritate. quid est et ipsi, nisi quemadmodum ego, et in veritate, quod sum ego? **Chrysostomus.** vel aliter. Pro eis sanctifico meipsum; idest, meipsum offero tibi hostiam: hostiae enim omnes sanctae dicuntur, et quaecumque Deo dicantur. Quia vero antiquitus in figura sanctificatio erat, utpote in ove, nunc autem est in ipsa veritate, ideo subdit ut sint et ipsi sanctificati in veritate: quia et eos tibi facio oblationem; quod propterea dicit, quia ipse qui offertur est caput eorum, aut quia et ipsi immolantur. Exhibete enim, ait apostolus, membra vestra hostiam viventem sanctam.

IOANNES 17,20-23

13720 (Jn 17,20-23)

Augustinus in Ioannem. cum orasset dominus pro discipulis suis, quos et apostolos nominavit, adiunxit et ceteros qui in eum fuerant credituri, dicens non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me.

Chrysostomus in Ioannem. hinc rursus consolatur eos, ostendens aliorum salutis causam futuros, cum dicit qui credituri sunt per verbum eorum in me.

Augustinus. Ubi omnes suos intelligi voluit, non solum qui tunc erant in carne, sed etiam qui futuri erant; neque hi tantum qui ipsos, cum in carne viverent, apostolos audierunt, sed et post obitum eorum, et nos longe post nati, per verbum eorum credidimus in Christum: quoniam ipsi qui cum illo tunc fuerunt, quod ab illo audierunt, ceteris praedicaverunt, atque ita verbum eorum ad nos usque pervenit, et perventurum est ad posteros, quicumque credituri sunt. potest autem videri in hac oratione non orasse pro quibusdam suis, pro illis scilicet qui neque tunc erant cum illo, neque per verbum eorum postea, sed in eum ante crediderunt. Numquid etiam cum illo erat tunc nathanael, ioseph ab arimathaea, et multi alii, de quibus Ioannes dicit quod crediderunt in eum? omitto dicere de simeone sene, de anna prophetissa, zacharia, elisabeth, Ioanne praecursore: quoniam responderi potest, orandum pro talibus mortuis non fuisse, qui cum magnis suis meritis hinc abierant: hoc enim et de antiquis iustis similiter respondetur. Intelligendum est igitur quod nondum ei sic crediderant quomodo ipse in se credi volebat; sed post eius resurrectionem spiritu sancto impartito edoctis et confirmatis apostolis, sic alios credidisse quemadmodum Christo credi oportebat. Sed restat ad quaestionem paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, et latro qui tunc creditur quando in ipsis doctoribus fides quae fuerat qualiscumque defecit. Proinde relinquitur ut sic intelligamus quod dictum est, per verbum eorum, ut ipsum verbum fidei quod praedicaverunt in mundo, sic significatum esse credamus. dictum autem est verbum eorum, quoniam ab ipsis est primitus ac praecipue praedicatum: nam quidem ab ipsis praedicabatur in terra, quando per revelationem iesu Christi ipsum verbum eorum paulus accepit; ac per hoc et ille latro in fide sua verbum eorum habebat. Ergo illa oratione pro omnibus quos redemit, sive tunc in carne viventes, sive postea futuros, redemptor noster oravit. Quid autem, vel quare pro eis rogaret, continuo subiunxit dicens ut omnes unum sint. Hic pro omnibus rogavit quod est supra pro illis; ut omnes, hoc est ut nos et illi unum simus.

Chrysostomus in Ioannem. Et sic in unanimitate sermonem concludit, unde incepit ibi finiens: nam incipiens dixit: mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem. **Hilarius** de trin.. Tum demum unitatis profectus exemplo unitatis ostenditur cum ait sicut tu, pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint: ut scilicet sicut pater in filio, et filius in patre est, ita per huius unitatis formam in patre et filio unum omnes essent.

Chrysostomus. rursus autem et hoc quod dicit sicut, non certissimae parilitatis in eis est, sed ut hominibus possibile est; sicut cum dicit: estote misericordes sicut et pater vester caelestis perfectus est.

Augustinus in Ioannem. est autem hic diligenter advertendum, non dixisse dominum: ut omnes unum simus; sed ut omnes unum sint, sicut tu, pater, in me, et ego in te; subintelligitur: unum sumus. Ita est enim pater in filio ut unum sint, quia unius substantiae sunt; nos vero esse quidem possumus in eis unum; unum tamen cum eis esse non possumus, quia unius substantiae nos et ipsi non sumus. Sic autem sunt in nobis, vel nos in illis, ut illi unum sint in natura sua, nos unum in nostra. Sunt quippe et ipsi in nobis sicut deus in templo; sumus autem nos in illis, sicut creatura in creatore suo. Ideo ergo addidit in nobis, ut quod unum efficimur fidelissima caritate, gratiae Dei tribuendum esset, non nobis.

Augustinus de trin.. Vel quia in seipsis unum esse non possunt, dissociati ab invicem per diversas voluptates et cupiditates et immunditiam peccatorum: unde mudentur per mediatorem, ut sint in illo unum.

Hilarius de trin.. Laborantes autem haeretici fallere, ne per id quod dictum est: ego et pater unum sumus, naturae in his unitas, et indifferens divinitatis subsistentia crederetur; sed ex dilectione mutua et voluntatum concordia unum essent: exemplum unitatis istius ex his dictis dominicis protulerunt ut omnes unum sint, sicut tu, pater, in me, et ego in te. Sed licet ipsum intelligentiae suae sensum impietas demutet, non tamen potest intelligentia non extare dictorum: si enim regenerati in unius vitae atque aeternitatis natura sunt, cessat in his solus unitatis assensus qui unum sunt in eiusdem regeneratione naturae; soli autem patri et filio ex natura proprium est ut unum sint, quia deus ex Deo unigenitus, non potest nisi in originis suae esse

natura.

Augustinus. Quid est autem hoc quod subdit ut mundus credat quia tu me misisti? numquid tunc crediturus est mundus, quando in patre et filio omnes unum erimus? nonne ista est pax illa perpetua, potius fidei merces quam fides? sed etsi in hac vita propter ipsam communem fidem omnes qui unum credimus, unum sumus; etiam sic non ut credamus, sed quia credimus, unum sumus. Quid est ergo omnes unum sint ut mundus credat? ipsi quippe omnis mundus est credens, cum de his dicat de quibus dixerat: non pro his rogo tantum, sed pro his qui credituri sunt per verba eorum in me. Quomodo ergo intellecturi sumus? nisi quia non in eo causam posuit ut credat mundus, quia illi unum sunt: sed orando dixit ut mundus credat, sicut orando dixerat ut unum sint. Denique si verbum quod ait rogo, ubique ponamus, erit huius expositio sententiae manifestior. Rogo ut omnes unum sint; rogo ut et ipsi in nobis unum sint; rogo ut mundus credat quia tu me misisti.

Hilarius de trin.. Vel per id mundus crediturus est filium a patre missum esse, quod omnes qui credituri in illum sunt, unum in patre et filio erunt.

Chrysostomus in Ioannem. nihil enim ita scandalizat omnes ut ab invicem dividi; sed quod credentes fiant unum, hoc aedificat ad fidem, et hoc etiam a principio dixit: in hoc cognoscent omnes quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem. Si enim altercantur, non dicentur pacifici magistri esse discipuli. me vero, inquit, non existente pacifico, non confitebuntur a te missum.

Augustinus. deinde salvator noster, qui rogando patrem se hominem demonstrabat, nunc demonstrat, se ipsum, quoniam cum patre deus est, facere quod rogat; unde subdit et ego claritatem quam dedisti mihi, dedi illis. Quam claritatem, nisi immortalitatem, quam natura humana in illo fuerat acceptura? propter immutabilitatem enim praedestinationis praeteriti temporis verbis futura significat. Immortalitatis autem claritatem, quam sibi a patre datam dicit, etiam se sibi dedisse intelligendum est. Cum enim tacet filius in opere patris operationem suam, humilitatem commendat; cum vero in opere suo tacet operationem patris, parilitatem commendat. isto igitur modo et hoc loco, nec se facit alienum a patris opere, quamvis dixerat claritatem quam dedisti mihi; nec patrem fecit alienum ab opere suo, quamvis dixerat dedi eis. Sicut autem ex eo quod patrem pro suis omnibus rogavit, hoc fieri voluit ut omnes unum sint; ita etiam suo beneficio id fieri voluit; unde adiunxit ut unum sint in nobis, sicut et nos unum sumus.

Chrysostomus. vel claritatem dicit gloriam quae est per signa et dogmata, et ut unanimes sint; unde subdit ut unum sint in nobis, sicut et nos unum sumus. Haec enim gloria, ut sint unum; etiam signis maior est. Universi enim qui per apostolos crediderunt, unum sunt; et si quidam ex ipsis divisi sunt, hoc eorum desidia fuit; quod tamen eum non latuit.

Hilarius. Per acceptum igitur et datum honorem omnes unum sunt. Sed nondum apprehendo ratione, quoniam datus honor unum omnes esse perficiat. Sed dominus gradum quemdam atque ordinem consummandae unitatis exposuit cum subdit ut unum sint in nobis: ut cum ille in patre per naturam divinitatis esset, nos contra in eo per corporalem eius nativitatem, et ille iterum in nobis per sacramenti esse mysterium crederetur, perfecta per mediatorem unitas docetur.

Chrysostomus. Alibi vero ait de se et patre: veniemus, et mansionem apud eum faciemus: illic quidem sabellianorum obstruens ora, dum scilicet ponit duas personas; hic vero arii suspicionem destruens, cum patrem per se dicit discipulis advenire.

Augustinus in Ioannem. neque tamen hoc ita dictum est tamquam pater non in nobis aut nos in patre non simus, sed per mediatorem inter Deum et hominem se breviter intimavit. quod vero addidit ut sint consummati in unum, ostendit eo perduci reconciliationem quae fit per mediatorem ut perfecta beatitudine perfruamur. Unde id quod sequitur, ut cognoscat mundus quia tu me misisti, non sic accipiendum puto tamquam iterum dixerit ut credat mundus. quamdiu enim credimus quod non videmus, nondum sumus consummati, sicut erimus cum meruerimus videre quod credimus. quando ergo de consummatione loquitur, talis est intelligenda cognitio qualis erit per speciem, non qualis nunc est per fidem. Ipsi quippe credentes sunt mundus, non permanens inimicus, sed ex inimico amicus effectus; propterea sequitur et dilexisti eos sicut me dilexisti. In filio quippe nos pater diligit, quia in eo nos elegit: nec ideo pares sumus unigenito filio: neque enim semper aequalitatem significat quod dicitur: sicut illud, ita et istud; sed aliquando tantum: quod illud est, est et illud. Ita in hoc loco nihil est aliud dilexisti eos sicut me dilexisti, quam dilexisti eos, quoniam et me dilexisti: non enim alia causa est diligendi membra eius, nisi quia diligit eum. Cum igitur eorum quae fecerit nihil oderit, quis digne possit eloqui quantum diligit membra unigeniti filii sui, et quanto amplius ipsum unigenitum?

IOANNES 17,24-26

Chrysostomus in Ioannem. postquam dixerat quia multi credent per eos, et multa gloria potentur, loquitur de reliquo de coronis eis repositis, dicens pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum et illi sint mecum.

Augustinus in Ioannem. Ipsi sunt quos a patre accepit, quos et ipse de mundo elegit: sicut enim ait in huius orationis exordio: dedit ei potestatem omnis carnis, idest omnis hominis, ut det eis vitam aeternam: ubi ostendit potestatem se omnis hominis accepisse, ut liberaret quos voluerit et damnaret quos voluerit. Quapropter omnibus membris suis promisit hoc praemium, ut ubi est ipse, et nos cum illo simus; nec poterat non fieri quod omnipotenti patri se velle dixerit omnipotens filius: una vero est patris et filii voluntas; et si intelligere nondum permittit infirmitas, credat pietas. Quantum ergo attinet ad creaturam, in qua factus est ex semine David secundum carnem, eo modo dicere potuit ubi ego sum, ut iam ibi se esse diceret ubi fuerat mox futurus. In caelo ergo nos futuros esse promisit: illo enim forma servi levata est quam sumpsit ex virgine et ad dexteram patris collocata.

Gregorius moralium. Ubi est ergo quod rursus veritas dicit: nemo ascendit in caelum nisi qui de caelo descendit? quae sibi in verbis suis non discrepat: quia enim membrorum suorum caput dominus factus est, repulsa reproborum multitudine, solus etiam est nobiscum; et sic, dum nos cum illo unum iam facti sumus, unde solus venit in se, illuc etiam solus redit in nobis.

Augustinus in Ioannem. quod vero attinet ad formam Dei, in qua aequalis est patri, si secundum eam velimus intelligere quod dictum est ubi ego sum, et illi sint mecum, abscedat ab animo omnis imaginum corporalium cogitatio, et non inquiretur aequalis patri filius ubi sit; quoniam nemo invenit ubi non sit: propterea non ei satis fuit dicere volo ut ubi ego sum, et ipsi sint, sed addidit mecum. Esse enim cum illo magnum bonum est: nam et miseri possunt esse ubi est ille; sed beati soli sunt cum illo. Et ut de visibili, quamvis longe dissimili, quaecumque sumamus exemplum; sicut caecus etiam si ibi sit ubi lux est, non est tamen ipse cum luce, sed absens est a praesente, ita non solum infidelis, sed etiam fidelis, etsi esse numquam possit ubi non sit Christus, non est tamen ipse cum Christo per speciem; nam fidelem non est dubitandum esse cum Christo per fidem. sed hic de specie illa dicebat in qua videbimus eum sicuti est; unde adiunxit ut videant claritatem meam quam dedisti mihi. ut videant dixit, non: ut credant: fidei merces est ista, non fides.

Chrysostomus in Ioannem. Non autem dixit: ut participant gloriam meam, sed ut videant, hoc occulte insinuans quoniam omnis requies ibi est filium Dei videre. Dedit autem ei pater claritatem quando eum genuit.

Augustinus. Cum ergo viderimus claritatem quam dedit pater filio, etiam si eam dici hoc loco intelligamus, non quam pater aequali filio, gignens eum, dedit, sed quam facto homini filio dedit post mortem crucis, tunc fiet iudicium, tunc tolletur impius ne videat claritatem domini: quam, nisi illam qua deus est? si ergo secundum id quod filius deus est, accipiamus hoc dictum, volo ut ubi ego sum, et ipsi sint mecum, in patre cum Christo erimus: qui cum dixisset ut videant claritatem quam dedisti mihi, continuo subiunxit quia dilexisti me ante constitutionem mundi. In illo enim dilexit et nos ante constitutionem mundi, et tunc praedestinavit quod in fine facturus est mundi.

Beda. Claritatem igitur vocat dilectionem qua ipse dilectus est a patre ante mundi constitutionem: in illa claritate et nos dilexit ante constitutionem mundi.

Theophylactus. Postquam ergo pro fidelibus oravit, et tot illis prospera promisit, ponit quoddam pium et propria mansuetudine dignum, dicens pater iuste, mundus te non cognovit: quasi dicat: ego cuperem cunctos homines consequi dicta bona, quae quidem pro fidelibus imploravi; sed quia ignoraverunt te, ideo non continget gloriam et coronas.

Chrysostomus. videtur autem mihi hoc et anxius dicere, quoniam eum qui ita bonus et iustus est cognoscere noluerunt. Non igitur hoc est quod iudaei dicunt, quoniam ipsi quidem te cognoscunt, ego vero ignoro; sed e contrario est; unde subdit ego autem cognovi te, et hi cognoverunt quia tu me misisti: et notum feci eis nomen tuum, et notum faciam, per spiritum sanctum eis perfectam cognitionem dando. Si autem didicerint quis es tu, scient quia ego non sum separatus a te, sed valde amatus, et proprius filius et coniunctus. Hoc vero suasi eis, ut ego maneam in eis; et sic fidem quae est in me et amorem servabunt certissime; et hoc est quod subditur ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit, et ego in ipsis; quasi dicat: ipsis me amantibus, ego manebo in eis.

Augustinus. vel aliter. Quid est eum cognoscere, nisi vita aeterna, quam mundo damnato non dedit, reconciliato dedit? propterea itaque mundus non cognovit quia iustus es. hoc meritis eius, ut non cognosceret, retribuisti; et propterea mundus reconciliatus cognovit quia misericors es; et ut cognosceret,

non ei merito, sed gratia subvenisti. denique sequitur ego autem cognovi te. Ipse fons gratiae est deus natura, homo autem de spiritu sancto et virgine ineffabili gratia. Denique quia gratia Dei per iesum Christum est, dicitur et hi cognoverunt: ipse est mundus reconciliatus; sed ideo quia tu me misisti: ergo gratia cognoverunt. Et notum feci eis nomen tuum per fidem, et notum faciam per speciem, ut dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit. Qualis est ista locutio, tali et apostolus usus est: bonum certamen certavi; non ait: bono certamine, quod usitatus dicitur. Quomodo autem dilectio qua pater dilexit filium, esset in nobis, nisi quia membra eius sumus, et in illo diligimus, cum ipse diligitur totus, idest caput et corpus? et ideo subiunxit et ego in ipsis: est enim in nobis tamquam in templo suo, nos autem in illo secundum quod caput nostrum est.

IOANNES 18,1-2

13801 (Jn 18,1-2)

Augustinus in Ioannem. terminato sermone quem post coenam dominus ad discipulos habuit, adiuncta oratione quam dixerat ad patrem, eius passionem Ioannes evangelista sic exorsus est haec cum dixisset iesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli eius. Non autem continuo hoc factum est cum eius illa finita esset oratio; sed alia quaedam sunt interposita, quae ab isto praetermissa, apud alios evangelistas leguntur.

Augustinus de cons. Evang.. facta est enim contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior, sicut lucas commemorat. Dixit etiam ipse petro, sicut ipse lucas subiungit: ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum et cetera quae ibi sequuntur. Et hymno dicto, sicut matthaeus et marcus commemorant, exierunt in montem oliveti. Contextit ergo narrationem matthaeus, et dixit: tunc venit iesus cum illis in villam quae dicitur gethsemani. iste locus est quem commemorat hic Ioannes: ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli eius.

Augustinus. ad hoc ergo valet quod dictum est, haec cum dixisset, ut non eum ante opinemur ingressum quam illa verba finiret.

Chrysostomus in Ioannem. Sed propter quid non dixit: cessans ab oratione venit illuc? quoniam oratio illa fuit loquela propter discipulos facta. De nocte autem vadit, et flumen pertransit, et properat ad locum proditori cognitum, auferens his qui insidiabantur, laborem, et ostendens discipulis quoniam volens ad mortem venit.

Alcuinus. Dicit autem trans torrentem cedron, idest cedrorum: genitivus enim est graecus. Transit torrentem, quia de torrente passionis bibit. ubi erat hortus, ut peccatum quod in horto commissum fuerat, in horto deleret: paradus enim hortus deliciarum interpretatur.

Chrysostomus. Ne autem audiens hortum, eum occultari aestimes, subiungit sciebat autem et iudas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter iesus convenerat illuc cum discipulis suis.

Augustinus. Ibi ergo lupus ovina pelle contactus, et inter oves alto patrisfamilias consilio toleratus didicit, ubi ad tempus exiguum dispergeret gregem, insidiis appetendo pastorem.

Chrysostomus. multoties autem ibi cum discipulis iesus singulariter convenerat, de necessariis loquens, et quae non erat fas alios audire. Facit autem hoc in montibus et in hortis, maxime purum a tumultibus inquirens semper locum, ne mens impediatur ab auditione. Ideo autem iudas illuc venit, quoniam multoties Christus extra pernoctabat. Ivisset autem ad domum, si putasset eum ibi invenire dormientem.

Theophylactus. Noverat etiam iudas dominum festo tempore consuevisse semper docere discipulos aliquod sublime: erat autem solitus docere huiusmodi mystica in talibus locis: ac quoniam tunc dies erat solemnus, arbitratus est illum esse illic, et discipulos docere quae ad celebritatem spectabant.

IOANNES 18,3-9

13803 (Jn 18,3-9)

Glossa. Ostenderat evangelista quomodo iudas ad locum ubi Christus erat, pervenire potuerit; nunc ostendit quomodo illuc pervenit, dicens iudas ergo cum accepisset cohortem, et a pontificibus et pharisaeis ministros, venit illuc cum laternis et facibus et armis.

Augustinus in Ioannem. cohors non iudaeorum, sed militum fuit. A praeside itaque intelligatur accepta, tamquam ad tenendum reum servato ordine legitimae potestatis, ut nullus tenentibus auderet obsistere; quamquam et manus tanta fuerat congregata, et sic armata veniebat, ut vel terreret, vel etiam repugnaret, si quisquam Christum defendere auderet.

Chrysostomus in Ioannem. sed qualiter cohorti suaserunt? quia milites erant, pecuniarum gratia omnia facere meditantés.

Theophylactus. faces autem afferunt et laternas, ne Christus latens in tenebris fugeret.

Chrysostomus. multoties autem alias miserunt comprehendere eum, sed non valuerunt: unde manifestum est quod tunc sponte seipsum dedit; propter quod subditur iesus autem sciens omnia quae ventura erant super eum, processit, et dixit ad eos: quem quaeritis? Theophylactus. quaerit autem non ut volens scire: nam utique noverat omnia quae ventura erant super eum: sed ostendere volens quoniam cum praesens esset, ab eis videri non poterat vel discerni; nam sequitur dicit ei iesus: ego sum.

Chrysostomus. in medio enim eorum existens, excaecavit eorum oculos: quoniam enim non tenebrae causa erant, indicavit evangelista dicens, quoniam habuerunt lampades. Si vero lampades non essent, a voce saltem debebant eum agnoscere. Si vero et illi ignorabant, qualiter iudas ignoravit, qui cum eo fuerat continue? et ideo subdit stabat autem et iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. Fecit autem hoc iesus, ostendens quoniam non solum comprehendere eum non possent, sed nec videre in medio existentem, nisi ipse concederet; unde subditur ut ergo dixit eis: ego sum, abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram.

Augustinus. Ubi nunc militum cohors, ubi terror, et munimen armorum? una vox turbam odiis ferocem armisque terribilem sine telo ullo percussit, repulit, stravit. Deus enim latebat in carne, et sempiternus dies ita membris occultabatur humanis, ut cum laternis et facibus quaereretur occidendus a tenebris. Quid iudicaturus faciet qui iudicandus hoc fecit? et nunc utique per evangelium, ego sum, dicit Christus, et a iudaeis expectatur antiChristus, ut retro redeant, et in terram cadant: quoniam deserentes caelestia, terrena desiderant.

Gregorius super ezech.. quid autem hoc est quod electi in faciem, et reprobi retrorsum cadunt, nisi quod omnis qui post se cadit, ibi cadit ubi non videt; qui vero ante se ceciderit, ibi cadit ubi videt? iniqui ergo quia in invisibilibus cadunt, post se cadere dicuntur, quia ibi corruunt ubi quod tunc eos sequitur, modo videre non possunt: iusti vero, quia in istis visibilibus semetipsos sponte deiciunt ut in invisibilibus erigantur, quasi in faciem cadunt, quia timore compuncti videntes humiliantur.

Chrysostomus in Ioannem. demum ne quis dicat quoniam ipse iudaeos ad hoc induxit ut eum occiderent, seipsum in manibus eorum tradens, manifeste ostendit eis omnia quae sufficiebant eos revocare. Sed quia permanebant in malitia et nullam habebant excusationem, tunc seipsum in manibus eorum tradidit; unde sequitur iterum ergo interrogavit eos: quem quaeritis? illi ergo dixerunt: iesum nazarenum. Respondit iesus: dixi vobis quia ego sum.

Augustinus in Ioannem. Audierant primo ego sum; sed non comprehenderant: quia hoc noluit qui potuit quidquid voluit. Verum si nunquam se ab eis permetteret apprehendi; non quidem illi facerent propter quod venerant, sed nec ipse faceret propter quod venerat: proinde quia tenere volentibus et non valentibus ostendit potestatem suam, iam tenebunt eum, ut faciat de nescientibus voluntatem suam; unde subditur si ergo me quaeritis, sinite hos abire.

Chrysostomus. Quasi dicat: si me quaeritis, nihil vobis ad hos commune est: ecce meipsum trado: usque ad ultimam horam ad suos dilectionis conservantiam demonstrans.

Augustinus. Inimicos iubet, et hoc faciunt quod iubet: sinunt scilicet nunc eos abire quos non vult perire.

Chrysostomus. unde evangelista ostendens quod hoc non fuit eorum propositi, sed virtus eius qui comprehensus fuerat, subiungit ut impleretur sermo quem dixit: quia quos dedisti mihi, non perdi ex eis quemquam. Perditionem autem non hanc dixerat quae est mortis, sed illam aeternam: evangelista vero et de praesenti morte id accepit.

Augustinus. numquid autem non erant postea morituri? cur ergo si tunc morerentur, perderet eos, nisi quia nondum in eum sic credebant quomodo credunt quicumque non pereunt? **IOANNES 18,10-11**

Chrysostomus in Ioannem. petrus confidens in praedicta voce domini et in his quae iam facta erant, armatur adversus eos qui supervenerant; unde dicitur simon ergo petrus habens gladium, eduxit eum, et percussit pontificis servum. sed qualiter iussus non peram habere neque duo vestimenta, gladium habet? mihi videtur hunc formidans praeparasse dudum.

Theophylactus. Vel ad opus agni illo indigens, ferebat hunc etiam post coenam.

Chrysostomus. Sed qualiter qui iussus erat non aliam dare, homicida fit? quia maxime non se ulcisci iussus est; hic autem non se ulciscitur, sed magistrum. Demum nondum perfecti adhuc erant, sed videbis postea petrum verberatum, et humiliter ferentem. Non sine causa autem subdit et abscidit eius auriculam dexteram. Videtur mihi enim impetum apostoli significare quoniam ad ipsum caput impetum fecit.

Augustinus in Ioannem. Solus autem hic evangelista etiam nomen servi huius expressit, cum dixit erat autem nomen servo malchus: sicut lucas solus quod eius auriculam dominus tetigerit, et sanaverit eum.

Chrysostomus. Tunc enim miraculum fecit, et erudiens nos, quoniam eis qui male faciunt benefacere oportet, et virtutem revelans suam. Nomen autem propterea posuit evangelista, ut his qui tunc legerent, liceret quaerere si vere factum sit. Servum autem eum summi pontificis dicit: quia magnum est quod factum est, non solum quia curavit, sed quia curavit eum qui super eum venerat, et paulo post aliam daturus erat.

Augustinus. malchus autem interpretatur regnator. Quid ergo auris pro domino amputata et a domino sanata significat, nisi auditum amputata vetustate renovatum, ut sit in novitate spiritus, et non in vetustate litterae: quod cui praestitum fuerit a Christo, quis dubitet regnatorum esse cum Christo? quod autem servus inventus est, et hoc ad illam pertinet vetustatem, quae in servitutem generat; sed cum accessit sanitas, figurata est et libertas.

Theophylactus. Vel caesio auris dexterae servi principis sacerdotum signum erat surditatis eorum, quae praecipue in principibus sacerdotum inoleverat; quod autem denuo restituta sit auris, significat ultimam reparationem intellectus in israeliticis veniente elia.

Augustinus. factum autem petri dominus improbavit, et progredi ultra prohibuit; unde sequitur dixit ergo iesus petro: mitte gladium tuum in vaginam. Etenim ille ad patientiam commonendus fuit, et hoc ad intelligentiam conscribendum.

Chrysostomus. non solum autem minis eum cohibuit, ut matthaeus refert; sed et aliter consolatur eum, dicens calicem quem dedit mihi pater, non vis ut bibam illum? ostendens quoniam non illorum virtutis quae fiebant erant, sed suae concessionis; et quod non est Deo contrarius, sed obediens usque ad mortem.

Theophylactus. in eo autem quod ipsam calicem dicit, quam sibi grata et acceptabilis pro salute mortalium mors videatur, edisserit.

Augustinus. quod autem a patre traditum sibi dicit calicem passionis, illud est quod ait apostolus: filio proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum. Verum auctor calicis huius est etiam ipse qui bibit: unde idem apostolus dicit: Christus dilexit nos, et tradidit seipsum pro nobis.

IOANNES 18,12-14

13812 (*Jn 18,12-14*)

Theophylactus. Peractis cunctis quae sufficienter se habebant ad prohibendum iudaeos, cum illi hoc nequaquam discernent, tunc duci se permisit; unde dicitur cohors ergo et tribunus et ministri iudaeorum comprehenderunt iesum.

Augustinus in Ioannem. Comprehenderunt ad quem non accesserunt: nec audierunt illud: accedite ad eum, et illuminamini. Si enim sic accederent, non eum manibus occidendum, sed recipiendum corde comprehenderent. Nunc autem quando eum illo modo comprehenderunt, ab eo longius recesserunt. sequitur et ligaverunt eum; a quo solvi potius velle debuerunt: et erant forte in eis qui postea liberati ab eo, dixerunt: dirupisti vincula mea. Postea vero quam persecutores tradente iuda dominum ligaverunt, ut intelligatur iudas non laudabilis utilitate traditionis huius, sed sceleris voluntate damnabilis, subditur et adduxerunt eum ad annam primum.

Chrysostomus in Ioannem. prae delectatione enim gloriabantur in his quae fiebant, quasi trophaeum statuentes.

Augustinus in Ioannem. Nec tacet causam cur ita factum sit, subdens erat enim socer caiphae, qui erat pontifex anni illius. Merito et matthaeus, cum id brevius narrare voluisset, eum ad caipham ductum fuisse commemorat: quia et ad annum prius ideo ductus est, quod socer eius fuerit; ut intelligendum sit hoc eundem caipham fieri voluisse.

Beda. quatenus dum a consimili pontifice damnaretur, ipse quoque minoris criminis reus haberetur. Vel fortassis sic domus eius sita erat ut praeterire eam non possent. sive divinitus actum est, ut qui erant affines sanguine, sociarentur in scelere. Sed quod dicitur, quod esset pontifex anni illius, sonat contrarium legi, in qua praeceptum erat ut unus esset pontifex summus, quo mortuo succederet ei filius suus; sed iam pontificatus ambitione erat infectus.

Alcuinus. Refert enim iosephus, istum caipham, unius anni sacerdotium redemisse. Non ergo mirum si iniquus pontifex inique iudicaverit: saepe qui per avaritiam ad sacerdotium accedit, per iniustitiam in eo servatur.

Chrysostomus. ne autem audiens vincula auditor tumultuetur, recoluit prophetiae, quoniam mors eius salus fuit orbis terrarum; unde sequitur erat autem caiphas qui consilium dederat iudaeis, quia expedit unum hominem mori pro populo: tanta enim est veritatis superabundantia, ut et inimici eam personent.

IOANNES 18,15-18

13815 (Jn 18,15-18)

Augustinus de cons. Evang.. De petri tentatione, quae inter domini contumelias facta est, non eodem ordine omnes narrant: nam ipsas primo commemorant matthaeus et marcus, deinde petri tentationem; lucas vero explicat prius tentationes petri, demum domini contumelias. Ioannes autem incipit petri tentationem dicere, cum dicit sequebatur autem iesum simon petrus, et alius discipulus.

Alcuinus. ex devotione sequebatur magistrum, quamvis a longe propter timorem.

Augustinus in Ioannem. Quis sit autem ille alius discipulus, non temere affirmandum est, quia tacetur. Solet autem se idem Ioannes ita significare et addere: quem diligebat iesus: fortassis ergo et hic ipse est.

Chrysostomus in Ioannem. se autem occultat humilitatis gratia; etenim magnam rectitudinem enarrat, quomodo omnibus fugientibus ipse sequitur. Sed praeponit sibi petrum, et sui ipsius coactus est meminisse, ut discas quoniam certius aliis enarrat ea quae facta sunt in atrio, quasi intus existens. Succidit autem propriam laudem, subdens discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum iesu in atrium pontificis; non enim hoc ut magnum quid de seipso ponit; sed quia dixit quod intravit cum iesu solus, ut non aestimes hoc excelsae mentis esse, addit causam. Igitur petrum venisse illuc, amoris fuit; non intrasse autem intro, timoris; unde sequitur petrus autem stabat ad ostium foris.

Alcuinus. foris stabat qui negaturus erat dominum, nec erat in Christo qui Christum confiteri non erat ausus.

Chrysostomus. sed quoniam et petrus intrasset utique domum, si ei concessum esset, indicavit subdens exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariae, et introduxit petrum. Ideo autem ipse eum non introduxit, quia Christo adhaerebat, et sequebatur eum. sequitur dixit ergo ancilla ostiaria: numquid et tu ex discipulis es hominis istius? dicit ille: non sum. Quid dicis, o petre? nonne prius dixisti: et si oportuerit, animam meam pro te ponam? quid ergo factum est, quoniam nec ostiariae fers interrogationem? non erat miles qui interrogabat, sed ostiaria vilis; neque dixit: seductoris discipulus es, sed hominis illius; quod miserentis erat. Dicit autem numquid et tu? quia Ioannes intus erat.

Augustinus. Sed quid mirum si deus vera praedixit, homo autem falsa praesumpsit? sane in ista quae iam coepta est negatione petri debemus advertere, non solum ab eo negari Christum qui dicit eum non esse Christum, sed ab illo etiam qui negat se esse Christianum. dominus enim non ait petro: discipulum meum te negabis; sed: me negabis. negavit ergo ipsum cum se negavit esse discipulum. quid autem aliud isto modo quam se negavit esse Christianum? quam multi postea, etiam pueri et puellae, potuerunt mortem pro Christi

confessione contemnere, et regnum caelorum fortiter introire, quod tunc iste non potuit, qui claves regni eius accepit. Ecce unde dictum est sinite hos abire: quia quos dedisti mihi, non perdi ex eis quemquam. utique enim petrus, si negato Christo hinc iret, quid aliud quam periret? **Chrysostomus.** Idcirco autem divinae providentiae secretum permisit ut primus ipse laberetur petrus, quo erga peccantes duriores sententiam proprii casus intuitu temperaret. petrus enim orbis terrarum doctor et magister peccavit, et veniam impetravit, ut haec indulgentiae norma et regula iudicantibus praeberetur. Idcirco enim non angelis arbitror commissam sacerdotii potestatem, ne cum ipsi minime peccarent, in peccatoribus sine misericordia vindicarent. homo passibilis supra homines ordinatur, ut dum ipse in aliis suas recolat passiones, mitem apud eos se praebeat et benignum.

Theophylactus. Quidam tamen inanem quamdam gratiam appropriantes petro, dicunt, quod ideo negavit petrus, quoniam volebat semper esse cum Christo, et sequi continue. Novit enim quod si fateretur se esse de Christi discipulis, divideretur ab eo, et non haberet ultra spatium sequendi videndique dilectum: unde simulabat se officium gerere ministrorum, ne vultus moestitia cognitus excluderetur; unde sequitur stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se. Erat autem et petrus stans cum eis, et calefaciens se.

Augustinus. Non hiems erat, et tamen frigus erat, quale solet etiam aequinoctio verno accidere.

Gregorius moralium. iam autem intus a caritatis calore petrus torpuerat, et ad amorem praesentis vitae, quasi ad persecutorum prunas, infirmitate aestuante recalabat.

IOANNES 18,19-21

13819 (Jn 18,19-21)

Chrysostomus in Ioannem. quia Christo nullum crimen inferre poterant, de discipulis interrogabant; unde dicitur pontifex ergo interrogavit iesum de discipulis suis: fortassis ubi erant, vel cuius gratia eos collegit. Hoc autem dicebat quasi seditiosum et novarum rerum factorem eum redarguere volens, quasi nullo alio attendente ei quam eius discipulis.

Theophylactus. Explorat insuper de doctrina; unde sequitur et de doctrina eius, cuiusmodi scilicet foret, utrum a lege discrepans et adversa moysi, ut exinde occasione concepta ut Dei aemulum perdat.

Alcuinus. Non enim cognoscendae veritatis amore interrogat, sed ut causam inveniret qua eum accusare potuisset, et tradere romano praesidi ad damnandum. Sed dominus ita temperavit responsonem ut nec veritatem taceret, nec se defendere videretur; sequitur enim respondit ei iesus: ego palam locutus sum mundo; ego semper docui in synagoga et in templo quo omnes iudaei conveniunt, et in occulto locutus sum nihil.

Augustinus in Ioannem. non praetereunda nascitur hic quaestio: si enim ipsis discipulis non loquebatur palam, sed horam promittebat quando palam fuerat locuturus, quomodo palam locutus est mundo? deinde ipsis discipulis suis multo manifestius loquebatur quando cum eis erat remotus a turbis; tunc enim et parabolis aperiebat, quas clausas proferebat ad alios. Sed intelligendum est ita eum dixisse palam locutus sum mundo, ac si dixisset: multi me audierunt. et rursus non erat palam, quia non intelligebant; et quod seorsum discipulis loquebatur, non in occulto utique loquebatur; quis namque in occulto loquitur qui coram tot hominibus loquitur? praesertim si hoc loquitur paucis, quod per eos velit innotescere multis.

Theophylactus. reminiscitur autem hic prophetiae quae dicit: non in occulto locutus sum, nec in loco terrae tenebroso.

Chrysostomus in Ioannem. Vel locutus est quidem in occulto, sed non, ut hi aestimabant, trepidans et seditionem faciens; sed ubi multorum auditione superiora erant quae dicebantur. Volens autem ex superabundantia fide dignum constituere suum testimonium, subdit quid me interrogas? interroga eos qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quae dixerim ego; quasi dicat: tu me de meis interrogas; interroga inimicos meos, qui insidiantur mihi. Sunt autem haec verba confidentis in eorum quae dicta erant veritate: haec est enim veritatis inaltercabilis demonstratio, cum inimicos quis invocat teste.

Augustinus. Ipsa enim quae audierant et non intellexerant, talia erant ut non possent iuste ac veraciter criminari: et quotiescumque interrogando tentarunt ut invenirent unde accusarent eum, sic eis respondit ut

omnes eorum retunderentur doli, et calumniae eorum frustrarentur.

IOANNES 18,22-24

13822 (*Jn 18,22-24*)

Theophylactus. Cum iesus astantium interpellasset testimonium, volens se minister excusare quod non esset de his qui admirabantur iesum, percussit eum; unde dicitur haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam iesu, dicens: sic respondes pontifici? **Augustinus** de cons. Evang.. Hic sane ostenditur quod annas pontifex erat, nondum enim erat missus ad caipham cum hoc diceretur; et hos duos annam et caipham pontifices commemorat etiam lucas in initio evangelii sui.

Alcuinus. Hic impletur prophetia threnorum: dedi maxillam meam percutientibus. Sed iesus iniuste percussus mansuete respondit; unde sequitur respondit ei iesus: si male locutus sum, testimonium perhibe de malo; si autem bene, quid me caedis? Theophylactus. quasi dicat: si habes ex his quae nunc a me prolata sunt reprehendere, ostende quod male dixerim; quod si nequis, quid furis? vel etiam sic: si perperam docui cum in synagogis docebam, certifica principem sacerdotum; quod si recte docui, ita ut etiam vos ministri miraremini, quid me nunc caedis, quem prius admirabaris? **Augustinus** in Ioannem. Quid ista responsione verius, mansuetius, iustius? qui enim accepit alapam, numquid vellet eum qui percussit aut caelesti igne consumi, aut terra dehiscente sorberi, aut correptum daemonio volutari, aut etiam alia huiusmodi qualibet poena, vel etiam graviori puniri? quid horum per potentiam iubere non potuisset per quem factus est mundus, nisi patientiam nos docere maluisset, qua vincitur mundus? hic dicet aliquis: cur non fecit quod ipse praecepit? percutienti scilicet non sic respondere, sed maxillam debuit alteram praebere. Quid quod et mansuete respondit, et non solum maxillam alteram iterum percussuro, sed totum corpus figendum praeparavit in ligno? et hinc potius demonstravit sua illa praecepta patientiae non ostentatione corporis, sed cordis praeparatione fienda: fieri enim potest ut alteram maxillam visibiliter homo praebeat iratus. Quanto ergo melius et respondet vera placatus, et ad perferenda graviora tranquillo animo fit paratus? **Chrysostomus** in Ioannem. quid igitur consequens erat, nisi aut redarguere, aut acceptare quod dictum est? sed hoc non fit: ea enim quae fiebant non erant iudicium, sed seditio et tyrannis. Non inveniendes autem quid plus facerent, mittunt eum ligatum ad caipham; unde sequitur et misit eum annas ligatum ad caipham pontificem.

Theophylactus. Suspicientes hunc, cum astutior esset, excogitare aliquid posse adversum iesum dignum morte.

Augustinus. Ad illum autem, sicut matthaeus dicit, ab initio ducebatur, quoniam ipse erat illius anni princeps sacerdotum. Alternis quippe intelligendi sunt solere annis agere pontificatum, et credendum est secundum voluntatem caiphae id esse factum ut iesum primo ad annam ducerent; vel etiam domos eorum ita fuisse positas ut non deberet annas a transeuntibus praeteriri.

Beda. Quod autem dicit ligatum, non sic intelligendum quod tunc tantum fuerit ligatus; sed tunc ligatus est cum est captus: itaque ligatum ad caipham misit sicut sibi fuerat praesentatus. Sive fieri potuit ut ad horam solveretur, quatenus discuteretur, post hoc discussus iterum ligaretur, et sic ad caipham mitteretur.

IOANNES 18,25-27

13825 (*Jn 18,25-27*)

Augustinus in Ioannem. cum dixisset evangelista, quod iesum ligatum miserat annas ad caipham, reversus est ad locum narrationis, ubi reliquerat petrum, ut explicaret quod in domo annae de trina eius negatione contigerat; unde dicitur erat autem simon petrus stans, et calefaciens se. Hic recapitulat quod ante iam dixerat.

Chrysostomus in Ioannem. vel multo stupore detinebatur qui fervidus erat, ut deducto iesu de cetero non moveretur. Sed hoc fit, ut discas quanta naturae sit imbecillitas, cum deus hominem dereliquerit. Et interrogatus rursus etiam negat; unde sequitur dixerunt ergo ei: numquid et tu ex discipulis eius es? negavit ille, et dixit: non sum.

Augustinus de cons. Evang.. Hoc loco invenimus non ante ianuam, sed ad focum stantem, secundo negasse petrum; quod fieri non posset nisi iam rediisset postea quam foras exierat, ut matthaeus dicit.

neque enim iam exierat, et foris vidit eum altera ancilla; sed cum exiret, eum vidit; idest, cum surgeret et exiret, animadvertit eum et dixit his qui erant ibi, idest qui simul erant ad ignem intus in atrio: et hic cum iesu nazareno erat. ille autem qui foras exierat, hoc audito, rediens, iuravit illis contra nitentibus: quia non novi hominem. Deinde in eo quod ioannes hic ait dixerunt: numquid et tu ex discipulis eius es? quod redeunti et stanti dictum intelligimus, hoc quoque confirmatur, non illam tantum alteram ancillam, quam commemorant in hac secunda negatione matthaeus et marcus, sed alium quemdam, quem commemorat lucas, cum petro illud egisse; unde ioannes dicit dixerunt ergo ei. ioannes autem secutus de tertia petri negatione, ita explicat dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus eius cuius abscidit petrus auriculam: nonne ego vidi te in horto cum illo? quod matthaeus et marcus non singulari, sed plurali numero enuntiant eos qui cum petro agebant, cum lucas unum dicat; ioannes quoque unum eumdemque cognatum eius cuius abscidit petrus auriculam: facile est intelligere aut pluralem numerum pro singulari usitata locutione usurpasse matthaeum et Marcum; aut quod unus maxime tamquam sciens, et qui eum viderat, affirmabat; ceteri autem secuti eius fidem petrum simul urgebant.

Chrysostomus. sed neque hortus in memoriam eius reduxit ea quae ibi dicta sunt, neque multa dilectio quam illic per verba multa ostendit; unde sequitur iterum ergo negavit petrus, et statim gallus cantavit.

Augustinus. Ecce medici completa est praedictio, aegroti convicta praesumptio: non enim factum est quod ille dixerat: animam meam pro te ponam; sed factum est quod ille praedixerat: ter me negabis.

Chrysostomus. Evangelistae vero concorditer negationem petri scripserunt, non discipulum accusantes, sed nos erudire volentes quantum malum sit non Deo totum concedere, sed in semetipso confidere.

Beda. Mystice autem per primam petri negationem illi designantur qui ante passionem ipsius negaverunt eum esse Deum; per secundam vero illi qui post resurrectionem eius in divinitate pariter et humanitate offenderunt. Item per primum galli cantum ipsius designatur capitis resurrectio, per secundum illa quae in fine celebrabitur totius corporis. Per primam autem ancillam, quae petrum negare coegit, designatur cupiditas; per secundam carnalis delectatio; per unum seu plures servos, daemones, qui suadent Christum negare.

IOANNES 18,28-32

13828 (*Jn 18,28-32*)

Augustinus in ioannem. redit evangelista ad locum narrationis suae, ubi eam reliquerat ut explicaret petri negationem; unde dicitur adducunt ergo iesum ad caipham in praetorium: ad caipham quippe ab anna collega et socero eius dixerat missum. Sed si ad caipham, cur ad praetorium, quod nihil aliud vult intelligi quam ubi praeses pilatus habitavit? **Beda.** Praetorium enim dicitur sedes praetoris; praetores vero dicuntur praefecti, sive praeceptores, eo quod civibus praecepta donent.

Augustinus. Aut igitur aliqua urgente causa de domo annae, quo ad audiendum ambo convenerant, caiphaz perrexit ad praetorium praesidis, et socero suo iesum reliquerat audiendum; aut in domo caiphaz praetorium pilatus acceperat, et tanta domus erat ut seorsum habitantem dominum suum, seorsum iudicem ferret.

Augustinus de cons. evang.. Tamen ad ipsum caipham ab initio ducebatur, ad quem in extremo perductus est; sed quia iam tamquam convictum reum adducebant, caiphaz antea visum fuerat ut iesus moreretur, nulla mora interposita est quin occidendus pilato traderetur. sequitur erat autem mane.

Chrysostomus in ioannem. Antequam gallus cantaret, ad caipham ducitur; mane vero ad pilatum: per quae demonstrat evangelista quoniam per totum intermedium noctis a caipha interrogatus in nullo redarguitur; et idcirco misit eum pilato. sed illa aliis dimittens enarranda, ipse quaesivit quod deinceps est; sequitur enim et ipsi non introierunt in praetorium.

Augustinus in ioannem. Hoc est in eam partem domus quam pilatus tenebat, si ipsa erat domus caiphaz. Cur autem non introierunt, exponit subdens ut non contaminarentur, sed manducarent pascha.

Chrysostomus. Quoniam tunc iudaei faciebant pascha; ipse vero ante unam diem tradidit pascha, reservans suam occisionem sextae feriae quando vetus pascha fiebat: vel pascha dicit totum festum.

Augustinus. Dies enim agere coeperant azymorum, quibus diebus contaminatio illis erat in alienigenae

habitaculum intrare.

Alcuinus. Pascha enim proprie dicebatur dies illa qua agnus ad vesperam quartadecima luna occidebatur; septem vero dies sequentes dies azymorum dicebantur, in quibus nihil fermentatum in domibus eorum debuit inveniri. Sed tamen dies paschalis invenitur inter dies azymorum, ut apud matthaeum: prima autem die azymorum accesserunt discipuli ad iesum, dicentes: ubi vis paremus tibi comedere pascha? pascha etiam dies azymorum inveniuntur nominati, sicut hic: ut manducarent pascha: pascha enim non immolationem agni hic notat, quae fiebat quartadecima luna ad vesperam; sed magnam solemnitatem, quae quintadecima luna celebrabatur post agni immolationem; quartadecima enim luna dominus, sicut et alii iudaei, pascha celebravit; quintadecima luna, quando magna solemnitas celebrabatur, est crucifixus; quartadecima vero luna coepit esse immolatio ex quo captus est in horto.

Augustinus. O impia caecitas. Alienigenae iudicis praetorio contaminari timebant, et fratris innocentis sanguinem fundere non timebant. nam quod etiam dominus erat et vitae dator qui occidebatur, non eorum conscientiae, sed nescientiae deputetur.

Theophylactus. Sed pilatus utcumque procedens mitius, ipse idem egreditur; unde sequitur exivit ergo pilatus ad eos foras.

Beda. Haec autem erat consuetudo iudaeorum, ut quem mortis reum iudicarent, vinctum praesidi traderent, ut dum praeses vinctum cerneret, intelligeret morti addictum.

Chrysostomus. Sed videns eum ligatum et a tot ductum, non aestimavit hoc argumentum esse inaltercabile accusationis, sed interrogat; unde sequitur et dixit eis: quam accusationem affertis adversus hominem hunc? inconveniens enim dicit esse, iudicium eos rapuisse, supplicium autem illi concedere. sed illi renuentes ex directo accusationem, coniecturis quibusdam utuntur; unde sequitur responderunt, et dixerunt: si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.

Augustinus. Interrogentur atque respondeant ab immundis spiritibus liberati, caeci videntes, mortui resurgentes, et, quod omnia superat, stulti sapientes, utrum sit malefactor iesus. Sed ista dicebant, de quibus per prophetam iam ipse praedixerat: retribuebant mihi mala pro bonis.

Augustinus de cons. evang.. Sed videndum est ne contra sit quod lucas dicit, certa in eum dicta esse crimina: coeperunt autem illum, inquit, accusare, dicentes: hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dari caesari, et dicentem se Christum regem esse. Sed secundum ioannem videntur iudaei noluisse dicere crimina ut eorum auctoritatem secutus pilatus, quid ei obicerent desineret quaerere; sed ob hoc tantum nocentem crederet, quod sibi ab eis tradi meruisset. ergo intelligere debemus et hoc dictum esse, et illud quod lucas commemoravit: multa enim dicta et multa responsa sunt. unde in narratione sua quisque posuit quod satis esse iudicavit: nam et ipse ioannes dicit quaedam quae obiecta sunt, quae suis locis videbimus. Itaque sequitur dicit ergo eis pilatus: accipite eum vos, et secundum legem vestram iudicate eum.

Theophylactus. Quasi dicat: quoniam ad votum iudicium poscitis, et superbitis, ac si nihil unquam profanum egeritis, accipite vos et damnate; ego nequaquam talis iudex efficiar.

Alcuinus. Vel hoc dicit, quasi dicat: vos qui legem habetis, scitis quid lex de talibus iudicet; secundum quod iustum esse scitis, ita facite. sequitur dixerunt ergo iudaei: nobis non licet interficere quemquam.

Augustinus in ioannem. Sed nonne lex praecepit, ne malefactoribus, praesertim seductoribus adeo qualem istum putabant, parcant? sed intelligendum est eos dixisse non sibi licere interficere quemquam propter festi diei sanctitatem quam celebrare iam coeperant. Ita ne omnem sensum nimia malitia perdidistis, ut ideo vos a sanguine innocentis impollutos esse credatis, quia eum fundendum alteri traditis?

Chrysostomus in ioannem. vel ideo ipsi eum non interfecerunt, quia multum de potestate eorum abscissum erat eis romanis regibus subiacentibus. Vel aliter. Quia dixerat eis secundum legem vestram interficite eum, volentes ostendere quod peccatum eius non est iudaicum, dicunt non licet nobis: non enim secundum legem nostram peccavit; sed crimen eius est publicum, quia se regem dixit. Vel quia eum crucifigi cupiebant, ut etiam modo mortis eum diffament. Non autem licebat eis crucifigere. Sed quod alio modo interficiebant, monstrat stephanus ab eis lapidatus; et ideo subditur ut sermo iesu impleretur quem dixit significans qua morte esset moriturus: quoniam scilicet iudaeis crucifigere non licebat. Aut dicit hoc evangelista, quoniam non ab eis solum, sed et a gentibus debebat interfici.

Augustinus. Sic enim legimus apud Marcum, ubi ait: ecce ascendimus ierosolymam, et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et tradent eum gentibus. Pilatus autem romanus erat, eumque in

iudaeam romani praesidem miserant. Ut ergo iste sermo iesu impleretur, idest ut eum sibi traditum gentes interficerent, noluerunt eum accipere, dicentes nobis non licet interficere quemquam.

IOANNES 18,33-38

13833 (*Jn 18,33-38*)

Chrysostomus in Ioannem. pilatus ab odio iudaeorum eripi volens, iudicium non protraxit in longum; unde dicitur introivit ergo iterum in praetorium pilatus, et vocavit iesum.

Theophylactus. seorsum, eo quod magnam habebat de eo suspicionem. Proponebat autem omnia exquisite rimari amoto strepitu iudaeorum; unde sequitur et dixit ei: tu es rex iudaeorum? Alcuinus. His verbis ostendit pilatus iudaeos obiecisse hoc criminis, ut diceret se esse regem iudaeorum.

Chrysostomus. vel hoc pilatus a multis audierat. Quia vero nihil illi habebat dicere, ut non multa fieret investigatio, quod communiter dicebatur, hoc in medium ducere vult. sequitur et respondit iesus: a temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt de me? Theophylactus. Innuit ex hoc, pilatum esse vecordem, ac indiscrete iudicantem; ac si diceret: si hoc ex te ipso loqueris, pande signa meae rebellionis; at si ab aliis percepisti, inquisitionem fac ordinariam.

Augustinus in Ioannem. Sciebat utique dominus et quod ipse interrogavit, et quod ille responsurus fuit; sed tamen dici voluit, non ut ipse sciret, sed ut conscriberetur quod voluit ut sciretur.

Chrysostomus. Non ergo ignorans interrogat, sed ab ipso accusari iudaeos volens; unde sequitur respondit pilatus: numquid ego iudaeus sum? **Augustinus.** abstulit a se suspicionem qua posset putari a semetipso dixisse, id se a iudaeis audisse demonstrans; unde subdit gens tua et pontifices tui tradiderunt te mihi. Deinde dicendo quid fecisti? satis ostendit illud ei pro crimine obiectum; tamquam diceret: si te regem negas, quid fecisti, ut tradereris mihi? quasi mirum non esset, si puniendus iudici traderetur qui se diceret regem.

Chrysostomus. Reducit autem pilatum non valde malum existentem, et vult ostendere quod non est homo nudus, sed deus et Dei filius: et quod formidaverit pilatus, dissolvit tyrannidis suspicionem; unde sequitur respondit iesus: regnum meum non est de hoc mundo.

Augustinus. Hoc est quod bonus magister scire nos voluit. Sed prius nobis demonstranda fuerat vana hominum de regno eius opinio, sive gentium, sive iudaeorum, a quibus id pilatus audierat; quasi propterea fuisset morte plectendus, quod illicitum affectaverit regnum, vel quoniam solent regnaturi invidere regnanti: et videlicet cavendum erat ne huius regnum sive romanis sive iudaeis esset adversum. quod si interrogante pilato continue respondisset, non etiam iudaeis, sed solis gentibus hoc de se opinantibus respondisse videretur. Sed post responsionem pilati, iam iudaeis et gentibus opportunius aptiusque respondit; quasi dicat: audite, iudaei et gentes, non impedio dominationem vestram in hoc mundo. Quid vultis amplius? venite credendo ad regnum quod non est de hoc mundo. Quid est enim eius regnum, nisi credentes in eum? quibus dicit: de hoc mundo non estis; quamvis eos esse vellet in mundo. Unde et hic non ait regnum meum non est in hoc mundo; sed non est de hoc mundo. de mundo enim est quidquid hominum a Deo quidem creatum, sed ex adam vitiata stirpe generatum est; factum est autem regnum non iam de mundo quidquid inde in Christo regeneratum est. Sic enim nos deus eruit de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii caritatis suae.

Chrysostomus. Vel hoc dicit, quoniam non tenet regnum ut hic reges terreni tenent; sed quoniam desuper habet principatum, qui non est humanus, sed multo maior et clarior; unde subdit si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer iudaeis. Ostendit hic regni eius quod apud nos est imbecillitatem, quoniam a ministris habet fortitudinem; superius vero regnum sufficiens est sibi ipsi, nullo indigens. Si igitur maius est illud regnum, volens captus est, seipsum tradens.

Augustinus. Cum autem probasset regnum suum non esse de hoc mundo, subdit nunc autem regnum meum non est hinc. Non dixit: non est hic: hic enim est regnum eius usque ad finem saeculi, habens intra se commixta zizania usque ad messem; sed tamen non est hinc, quia peregrinatur in mundo.

Theophylactus. Vel ideo non dicit: non est hic, sed non est hinc: nam regnat in mundo, et utitur eius provisione, et iuxta votum cuncta disponit; non est autem ab infimis constitutum regnum eius, sed caelitus et ante saecula.

Chrysostomus. hinc autem haeretici accipientes occasionem, alienum eum esse a mundi conditione dicunt. Sed cum dicit regnum meum non est hinc, non privat mundum a sua providentia et praelatione; sed ostendit regnum suum non esse humanum neque corruptibile. sequitur dicit itaque ei pilatus: ergo rex es tu? respondit iesus: tu dicis quia rex sum ego.

Augustinus. Non quia regem se timuit confiteri: sed ita dictum est, ut neque regem se neget, neque regem se talem esse fateatur cuius regnum putetur esse de hoc mundo. Dictum est enim tu dicis, ac si diceretur: carnalis carnaliter dicis. Deinde subiungit ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Non est producenda huius pronomini syllaba quod ait in hoc natus sum, tamquam dixerit: in hac re natus sum; sed corripienda, tamquam dixerit: ad hoc natus sum; sicut et ait ad hoc veni in mundum. Unde manifestum est eum temporalem nativitatem suam hic commemorasse, qua incarnatus venit in mundum; non illam sine initio qua deus erat.

Theophylactus. Vel aliter. quaesito per pilatum si dominus esset rex, ego, inquit, in hoc natus sum, idest ad hoc quia rex sum; hoc enim ipso quod a rege productus sum, me quoque testor fore regem.

Chrysostomus in Ioannem. si igitur rex natus est, nihil nisi accipiens habet. Ad hoc, inquit, veni, ut testimonium perhibeam veritati, hoc est, ut hoc ipsum suadeam omnibus. Et notandum est, quod suam humilitatem ostendit, dum dicentibus quoniam malefactor est, ferebat silens; quando vero interrogatus est de regno, tunc locutus est ad pilatum, erudiens eum et reducens ad altiora: et ostendit se nihil versutum operatum esse, per hoc quod dicit ut testimonium perhibeam veritati.

Augustinus. Cum autem Christus testimonium perhibeat veritati, testimonium perhibet sibi: eius quippe est vox: ego sum veritas. Sed quia non omnium est fides, adiungit, atque ait omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Audit utique interioribus auribus; idest, obedit meae voci; ac si diceret: credit mihi. Quod vero ait omnis qui est ex veritate, gratiam commendavit, qua secundum propositum vocat. Nam si naturam cogitemus in qua creati sumus, cum omnes veritas creaverit, quis non est ex veritate? sed non omnes sunt, quibus ut obediant veritati, ex ipsa veritate praestatur. si enim dixisset: omnis qui audit vocem meam, ex veritate est, ideo dictus ex veritate putaretur, quia obtemperat veritati. non autem hoc dicit, sed ait omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. audit utique, ac per hoc non ideo est ex veritate quia eius audit vocem, sed ideo audit quia ex veritate est: quia hoc illi donum ex veritate collatum est.

Chrysostomus. haec autem dicens, attrahit, et suadet fieri eorum quae dicuntur, auditorem: ita denique et eum cepit his brevibus verbis, ut quaereret quid est veritas; sequitur enim dixit ei pilatus: quid est veritas? Theophylactus. Nam fere ab hominibus evanuerat, et cunctis erat incognita, dum essent increduli.

IOANNES 18,39-40

13839 (Jn 18,39-40)

Augustinus in Ioannem. cum dixisset pilatus quid est veritas? credo in mentem illi venisse continuo consuetudinem iudaeorum, qua solet eis dimitti unus in pascha; et ideo non expectavit ut responderet ei iesus, ne mora fieret, cum recolisset morem quo posset eis in pascha dimitti; quod eum valde voluisse manifestum est; unde dicit et cum hoc dixisset, iterum exivit ad iudaeos.

Chrysostomus in Ioannem. Sciebat enim quidem quoniam haec indigebat tempore interrogatio; oportebat autem eum eripere ab impetu iudaeorum; idcirco et exivit.

Alcuinus. vel non expectabat audire responsum, quia forte indignus fuit audire. sequitur et dixit eis: ego nullam in eo invenio causam.

Chrysostomus. non dixit: quia peccavit, et dignus est morte, donate eum festo; sed primum eum excusans, tum rogat ex abundantia, ut si nollent eum ut innocentem dimittere, saltem obnoxium donarent tempori, ideoque induxit est autem consuetudo vobis ut unum dimittam vobis in pascha.

Beda. haec consuetudo non erat legis praeceptum, sed ex antiqua patrum traditione descendit, ut ob recordationem liberationis ex aegypto unum etiam in die paschae dimitterent vincitum. Deinde exhortative dicit. vultis ergo dimittam vobis regem iudaeorum? **Augustinus.** Avelli enim ex eius corde non potuit iesum regem iudaeorum esse, tamquam hoc ibi sicut in titulo ipsa veritas fixerit, de qua quid esset interrogavit.

Theophylactus. Pulchre autem pilatus respondet per hoc quod in nullo iesus erraverit; sed frustra inquietetur ab eis velut regnum desiderans. Non enim eum qui se regem assereret ac aemulum romanae potestatis, romanorum vicarius absolvisset. Quamobrem in hoc quod dixit regem iudaeorum absolvam, prorsus innoxium iesum prodit, illuditque iudaeos; quasi dicat: quem vos criminamini ut regem se putantem, hunc ego absolvi iubeo quasi talem non existentem.

Augustinus. sed hoc audito clamaverunt; unde sequitur clamaverunt omnes rursus dicentes: non hunc, sed barabbam. erat autem barabbas latro. Non reprehendimus, o iudaei, quod per pascha liberastis nocentem, sed quod occidistis innocentem; quod tamen nisi fieret, verum pascha non fieret **Beda.** Quia ergo reliquerunt salvatorem et petiverunt latronem, usque hodie diabolus sua latrocinia exercet in ipsos.

Alcuinus. Barabbas autem interpretatur iste filius magistri eorum, idest diaboli, qui huic latroni in suo scelere, iudaeis in sua perfidia magister fuit.

IOANNES 19,1-5

13901 (Jn 19,1-5)

Augustinus in Ioannem. cum iudaei clamassent, non iesum sibi dimitti a pilato velle propter pascha, sed barabbam latronem, subditur tunc ergo apprehendit pilatus iesum, et flagellavit. hoc pilatus non ob aliud fecisse credendus est nisi ut eius iniuriis iudaei satiati, sufficere sibi aestimarent, et usque ad eius mortem saevire desisterent. Ad hoc pertinet quod idem praeses etiam cohortem suam permisit facere quae sequuntur; aut fortassis et iussit: dixit enim quid deinde fecerint milites, pilatum tamen id iussisse non dixit; sequitur enim et milites plectentes coronam de spinis imposuerunt capiti eius, et veste purpurea circumdederunt eum: et veniebant ad eum, et dicebant: ave, rex iudaeorum, et dabant ei alapas.

Chrysostomus in Ioannem. quia enim pilatus dixit eum regem iudaeorum, schema ei contumeliae de reliquo apponunt.

Beda. Nam pro diademate spineam illi imposuerunt coronam, et pro purpureo vestimento, quo reges veteres utebantur, vestem purpuream ei circumdant: ubi non debet videri contrarium quod matthaeus dicit circumdeditisse chlamydem coccineam, quia, ut **Origenes** refert, unius sunt materiae coccus et purpura: cocculae enim inciduntur, et ex his guttae sanguinis fluunt, ex quibus utriusque generis tingitur vestimentum. Et quamvis hoc milites illudendo facerent, nobis tamen operabantur mysteria. Nam per spineam coronam nostrorum designatur peccatorum susceptio, quae sicut spinas terra nostri corporis germinat. In vestimento purpureo caro passionibus subiecta significatur. Purpura etiam vestitur, cum de triumphis sanctorum martyrum gloriatur.

Chrysostomus. non autem iniunctio principis erat quod faciebant, sed ad gratiam iudaicam hoc faciebant; quia neque circa initium ab illo iussi iverunt nocte; sed iudaeis pecuniarum gratia gratificantes omnia audebant: tot autem et talibus factis ipse stabat silens. Tu vero audiens haec, in mente habe continue: et regem orbis terrarum et angelorum dominum videns contumeliam patientem et omnia ferentem silentio imitare.

Augustinus. Sic enim implebantur quae de se dixerat Christus; sic martyres informabantur ad omnia quae persecutores libuit facere, perferenda; sic regnum quod de hoc mundo non erat, superbum mundum non atrocitate pugnandi, sed patiendi humilitate vincebat.

Chrysostomus. Ut autem convicium quod a militibus factum erat in eum, videntes respirent a passione, coronatum iesum adduxit ad eos; unde sequitur exivit iterum pilatus foras, et dixit eis: ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam in eo causam invenio.

Augustinus. Hinc apparet non ignorante pilato haec a militibus facta, sive iusserit ea, sive permiserit illa, scilicet causa quam supra diximus, ut haec eius ludibria inimici libentissime viderent, et ulterius sanguinem non sitirent; unde sequitur exivit ergo iesus portans spineam coronam et purpureum vestimentum: non clarus imperio, sed plenus opprobrio. sequitur et dicit eis: ecce homo; quasi dicat: si regi invidetis, iam parcite, quia abiectum videtis: fervet ignominia, frigescat invidia.

IOANNES 19,6-8

13906 (Jn 19,6-8)

Augustinus in Ioannem. Iudaeorum invidia pro Christi ignominia non frigescit: inardescit potius et increscit; unde dicitur cum ergo vidissent eum pontifices et ministri, clamabant dicentes: crucifige, crucifige eum.

Chrysostomus in Ioannem. vidit ergo pilatus omnia inaniter fieri; unde sequitur dicit eis pilatus: accipite eum vos, et crucifigite. Execrantis est hoc verbum, et ad rem non concessam eos impellentis: ipsi enim ducebant eum, ut cum praesidis iudicio hoc fieret. Contigit autem contrarium, iudicio praesidis eum magis absolvi; unde sequitur ego enim non invenio in eo causam: continue enim eum ab accusationibus eruit: unde manifestum est quoniam et priora propter illorum concessit insaniam. Sed iudaeos canes nil horum in verecundiam convertit; nam sequitur responderunt iudaei: nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.

Augustinus. ecce alia maior invidia: parva quidem illa videbatur velut affectatae illicito ausu regiae potestatis: et tamen neutrum sibi iesus mendaciter usurpavit; sed utrumque verum est: et unigenitus est Dei filius, et rex a Deo constitutus super sion montem sanctum eius: et utrumque nunc demonstraret, nisi quanto erat potentior, tanto mallet esse patientior.

Chrysostomus. ad invicem enim ipsis disputantibus silebat, implens propheticum illud quod non aperuit os suum; in humilitate sua iudicium ei sublatum est.

Augustinus de cons. Evang.. Hoc autem potest congruere ei quod lucas commemorat in accusatione iudaeorum dictum: hunc invenimus subvertentem gentem nostram, ut adiungatur quia filium Dei se fecit.

Chrysostomus. deinde pilatus quidem timet ab ipsis auditis, et formidavit ne forte verum esset quod dicebatur, et videretur inique agere; unde sequitur cum ergo audisset pilatus hunc sermonem, magis timuit.

Beda. Non timuit quia legem audivit, quia alienigena erat; sed magis timuit, ne filium Dei occideret.

Chrysostomus. Illi vero hoc dicentes non horruerunt; sed interficiunt eum pro quibus oportuerat adorare.

IOANNES 19,9-12

13909 (Jn 19,9-12)

Chrysostomus in Ioannem. pilatus timore concussus, rursus inquisitionem facit; unde dicitur et ingressus est praetorium iterum, et dicit ad iesum: unde es tu? non autem ultra interrogat: quid fecisti? sequitur iesus autem responsum non dedit ei. Qui enim audivit, quoniam in hoc natus sum et ad hoc veni, et quoniam regnum meum non est hinc, cum debuisset resistere et eripere eum, hoc quidem non fecit, sed secutus est iudaicum impetum. Propterea ergo nihil ei respondit, quoniam inaniter omnia interrogabat. sed et aliter operibus testantibus ei, nolebat per sermones vincere, et excusationes componere, ostendens quoniam ad hoc venit.

Augustinus in Ioannem. hoc autem silentium domini nostri iesu Christi non semel factum, collatis omnium evangelistarum narrationibus, reperitur: et apud principem sacerdotum, et apud herodem, et apud ipsum pilatum, ut non frustra de illo prophetia processerit: sicut agnus coram tondente fuit sine voce, sic non aperuit os suum, tunc utique quando interrogantibus non respondit; quamvis enim quibusdam interrogantibus saepe responderit, tamen propter illa in quibus noluit respondere, ad hoc data est de agno similitudo, ut in suo silentio non reus, sed innocens haberetur; idest, non sicut male sibi conscius, qui de peccatis convincebatur suis, sed sicut mansuetus qui pro peccatis immolabatur alienis.

Chrysostomus. Quia igitur siluit, sequitur dicit ergo ei pilatus: mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? vide qualiter seipsum condemnavit. si enim in te totum positum est, cuius gratia nullam causam inveniens, non absolvis? quia igitur adversus seipsum protulit, respondit iesus: non haberes potestatem adversum me ullam, nisi datum esset tibi desuper, ostendens quoniam non simpliciter et secundum aliorum consequentiam hoc fit, sed mystice consummatur. Ne igitur hoc audiens aestimes eum ab omni erutum crimine, subdit propterea qui tradidit me tibi, peccatum maius habet. Et nimirum si datum erat, neque hic neque illi obnoxii sunt criminibus; inaniter dicis. hoc enim datum est, idest concessum; ac si diceret: permisit hoc fieri; neque tamen propterea extra nequitiam sunt.

Augustinus. ecce respondit. Proinde ubi non respondebat, non sicut reus, sive dolosus, sed sicut ovis silebat; ubi respondebat, sicut pastor docebat. Discamus ergo quod dixit, quod et per apostolum docuit quia non est potestas nisi a Deo; et quia plus peccat qui potestati innocentem occidendum livore tradit, quam potestas ipsa si eum timore alicuius maioris potestatis occidit. Talem quippe deus dederat illi potestatem ut esset etiam sub caesaris potestate: quapropter inquit non haberes adversum me potestatem ullam, idest quantulamcumque habes, nisi hoc ipsum, quidquid est, tibi esset datum desuper. sed quia scio quantum sit, non enim tantum est ut tibi omni modo liberum sit, propterea qui tradidit me tibi, maius peccatum habet. Ille quippe me tuae potestati tradidit invidendo; tu vero eamdem potestatem in me exerciturus es metuendo. Nec timendo quidem, praesertim innocentem hominem, homo debet occidere; sed id zelando facere multo maius malum est quam timendo; et ideo non ait qui me tibi tradidit, ipse habet peccatum, tamquam ille non haberet; sed ait maius peccatum habet, ut etiam se habere intelligeret.

Theophylactus. Dicit autem qui tradidit me tibi, idest iudas, vel etiam turba. Cum ergo patens responsum iesus ediderit, quod nisi ego memetipsum praeberem, et pater concederet, non haberes potestatem in me; ex hoc potius ipsum absolvere pilatus satagebat; unde sequitur et exinde quaerebat pilatus dimittere eum.

Augustinus. Lege superiora, et invenies iam dudum eum quaerere dimittere iesum. Exinde itaque intelligendum est, propter hoc, idest ex hac causa, ne haberet peccatum occidendo innocentem sibi traditum.

IOANNES 19,13-16

13913 (*Jn 19,13-16*)

Augustinus in Ioannem. maiorem timorem se ingerere putaverunt iudaei pilato terrendo de caesare ut occideret Christum, quam superius ubi dixerunt nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit; unde dicitur iudaei autem clamabant dicentes: si hunc dimittis, non es amicus caesaris: omnis enim qui se regem facit, contradicit caesari.

Chrysostomus in Ioannem. sed unde habetis hoc demonstrare? a purpura, a diademate, a curru, a militibus? nonne solus semper cum duodecim discipulis incedebat, per omnia vilia transiens, et cibum et stolam et habitationem? **Augustinus.** pilatus autem eorum legem non timuit ut occideret; sed magis filium Dei timuit, ne occideret. Nunc vero non sic potuit contemnere caesarem auctorem potestatis suae, quemadmodum legem gentis alienae; unde subditur pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras iesum, et sedit pro tribunali in loco qui dicitur lithostratos, hebraice autem gabbatha.

Chrysostomus. exiit quidem, ut scrutaturus rem: sedere enim pro tribunali, hoc ostendebat.

Glossa. Sicut enim tribunal est iudicium, sic thronus vel solium regum, et cathedra doctorum.

Beda. Lithostratos autem dicitur pavementum quasi lapide stratum; et erat locus sublimis. sequitur erat autem parasceve paschae, hora quasi sexta.

Alcuinus. Parasceve, idest praeparatio; hoc nomine dicebatur sexta sabbati, in qua praeparabant necessaria sabbato, ut de manna dictum est: sexta die colligetis duplum. quia enim sexta die homo est factus, et in septima requievit deus, ideo sexta die pro homine patitur, sabbato quiescit in sepulchro. hora autem erat quasi sexta.

Augustinus in Ioannem. Quid est ergo quod marcus dicit: erat hora tertia quando crucifixerunt eum, nisi quia hora tertia crucifixus est dominus linguis iudaeorum, hora sexta manibus militum? ut intelligamus horam quintam iam fuisse transactam, et aliquid de sexta coeptum, quando sedit pro tribunali pilatus, quae dicta est a Ioanne hora quasi sexta; et cum duceretur et crucifigeretur, et iuxta eius crucem gererentur quae gesta narrantur, hora sexta integra compleretur: ex qua hora usque ad nonam sole obscurato, tenebras factas, trium evangelistarum, matthaei, Marci et Lucae contestatur auctoritas. sed quoniam iudaei facinus interfecti Christi a se in romanos, idest pilatum et eius milites, transferre conati sunt, propterea marcus ea hora qua Christus a militibus crucifixus est praetermissa, tertiam potius horam recordatus expressit, ut non tantum milites reperiantur crucifixisse iesum, verum etiam iudaei, qui ut crucifigeretur, hora tertia clamaverunt. Est et alia huius solutio quaestionis, ut non hic accipiatur hora sexta diei; quia neque Ioannes ait: erat hora diei quasi sexta; sed ait erat parasceve hora quasi sexta. Parasceve autem latine praeparatio est pascha enim nostrum, ut dicit apostolus, immolatus est Christus: cuius paschae praeparationem si ab

hora noctis nona computemus, quando videntur principes sacerdotum pronuntiasse domini immolationem, dicentes: reus est mortis, usque ad horam diei tertiam, qua crucifixum esse Christum marcus evangelista testatur, sex horae sunt: tres nocturnae et tres diurnae.

Theophylactus. Solvunt autem quidam, quod ex peccato scriptoris contigerit apud graecos: nam quaedam littera graeca nomine gamma, cuius talis est figura g, tertiam horam importat: quaedam autem figura, quae ab eis vocatur episemon, quae talis est s, sextam horam importat. Ex negligentia ergo scriptorum, praecedens figura cedere potuit in sequentem.

Chrysostomus in Ioannem. pilatus ergo, ut scrutaturus exiens, nullam tamen scrutationem faciens, tradit eum, aestimans movendos esse eos; unde sequitur et dixit iudaeis: ecce rex vester.

Theophylactus. Quasi dicat: ecce qualem hominem fatemini quod imperium vestrum capesseret, humilis, ut nihil tale possit tentare.

Chrysostomus. et nimirum quae dicta sunt erant sufficientia ut facerent eos de cetero ab ira cessare; sed trepidabant, ne dimissus, rursus turbam ducat. Amor etenim principatus versutum quid est, et animum sufficiens perdere: propterea magis insistunt; unde sequitur illi autem clamabant: tolle, tolle. Interficere enim eum conantur exprobratissima morte; unde subdunt crucifige eum, formidantes, ne aliqua eius post ipsum fiat memoria.

Augustinus. adhuc autem pilatus terrorem, quem de caesare ingesserant, superare conatur; unde subditur dixit eis pilatus: regem vestrum crucifigam? de ignominia eorum volens eos frangere, quos de ignominia Christi mitigare non potuit. sequitur responderunt pontifices: non habemus regem, nisi caesarem.

Chrysostomus. volentes seipsos submiserunt supplicio; propterea et deus tradidit eos; quia enim concorditer negaverunt regnum Dei, dimisit eos in suum iudicium incidere: regnum enim Christi refutantes, id quod caesaris est super seipsos vocabant.

Augustinus. Sed pilatus timore mox vincitur; unde sequitur tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. apertissime enim contra caesarem venire videretur, si regem se non habere nisi caesarem profitentibus, alium regem vellet ingerere, dimittendo impunitum quem propter hos ausus ei tradiderunt occidendum. non autem dictum est tradidit eis illum ut crucifigerent illum, sed ut crucifigeretur, scilicet iudicio ac potestate praesidis. Sed ideo illis traditum dixit evangelista, ut eos crimine implicatos, a quo alieni esse conabantur, ostenderet; non enim faceret hoc pilatus, nisi ut id quod eos cupere cernebat, impletet.

IOANNES 19,17-18

13917 (Jn 19,17-18)

Glossa. Ad mandatum praesidis, milites Christum susceperunt crucifigendum; unde dicitur susceperunt autem iesum, et eduxerunt.

Augustinus in Ioannem. potest enim hoc iam referri ad milites apparitores praesidis: nam postea evidentius dicitur: milites ergo cum crucifixissent eum quamvis evangelista, etiam si totum iudaeis tribuit, merito facit: ipsi enim fecerunt quidquid ut fieret extorserunt.

Chrysostomus in Ioannem. sed quia lignum ut profanum putabant et vitabant, et neque tangere ipsum sustinebant; crucem iesu ut condemnato imponunt; unde sequitur et baiulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur calvariae locum, hebraice autem golgotha, ubi eum crucifixerunt. Ita et in typo factum est: isaac etenim ligna portavit; sed tunc quidem usque ad patris beneplacitum res processit; nunc autem in rebus effectum obtinuit, veritas enim erat.

Theophylactus. sed quodammodo, ut illic isaac dimissus est, et mactatus est aries, sic et hic divina natura manet impassibilis; sed humanitas, secundum quam aries dicitur, tamquam errantis arietis adae filius, hic mactata est. sed qualiter alius evangelista dicit, quod angariaverunt simonem, ut crucem portaret?

Augustinus de cons. Evang.. utrumque factum invenimus: primo id quod Ioannes dicit, deinde quod ceteri tres; unde intelligitur quod ipse sibi portabat crucem, cum exiret in locum memoratum.

Augustinus in Ioannem. grande spectaculum; sed si spectet impietas, grande ludibrium; si pietas, grande mysterium. Videt impietas regem pro virga regni lignum sui portare supplicii: videt pietas regem baiulantem

lignum ad seipsum figendum, quod fixurus fuerat etiam in frontibus regum, spernendum oculis impiorum, in quo erant gloriatura corda sanctorum: ipsam crucem suam gestans humero commendabat, et lucernae arsurae, quae sub modio ponenda non erat, candelabrum ferebat.

Chrysostomus. et sicut victores, ita et ipse in humeris portabat victoriae signum. Quidam autem dicunt, quod in illo loco qui calvariae dicebatur, adam mortuus est et sepultus; ut in loco ubi mors regnavit, illic et iesus trophaeum statuerit.

Hieronymus super matth.. Favorabilis interpretatio et mulcens aurem populi, nec tamen vera. Extra urbem enim et foris portam loca sunt in quibus truncantur capita damnatorum, et calvariae, quasi decollatorum, sumpsere nomen. Adam vero sepultum iuxta ebron et arbee in iesu filii nave volumine legimus.

Chrysostomus. Crucifigebant autem eum cum latronibus; unde sequitur et cum eo alios duos hinc et inde: medium autem iesum: in hoc prophetiam implentes, quoniam cum iniquis reputatus est. Quae enim conviciantes faciebant, haec veritati conferebant: volebat enim daemon quod fiebat obumbrare, sed non valuit: tribus enim in cruce affixis, miracula quae fiebant, nulli ascripsit, nisi soli iesu. Ita inanes diaboli artes factae sunt. Nec solum non obfuit gloriae eius; sed contulit non parum: nam latronem in cruce convertere, et in paradysum inducere, non minus fuit quam concutere petras.

Augustinus. Tamen et ipsa crux, si attendas, tribunal fuit: in medio enim iudice constituto, unus latro, qui credit, liberatus; alter, qui insultavit, damnatus est: iam significabat quod facturus est de vivis et mortuis, alios positurus ad dexteram, alios vero ad sinistram.

IOANNES 19,19-22

13919 (Jn 19,19-22)

Chrysostomus in Ioannem. sicut in trophaeo litterae ponuntur victoriam ostendentes, ita pilatus titulum cruci Christi inscripsit; unde dicitur scripsit autem et titulum pilatus, et posuit super crucem: simul quidem pro Christo respondens, ut eum a communione latronum discerneret; simul autem et de iudaeis ulciscens, ostendens scilicet ipsorum malitiam, dum in suum regem insurrexerunt; unde sequitur erat autem scriptum: iesus nazarenus rex iudaeorum.

Beda. In quo monstrabatur iam tum regnum ipsius, non, ut ipsi putabant, destructum, sed potius augmentatum.

Augustinus in Ioannem. sed iudaeorum tantum rex Christus est, an etiam gentium? immo et gentium; cum enim dixisset: ego autem sum constitutus rex ab eo super sion montem sanctum eius, subiecit: postula a me, et dabo tibi gentes hereditatem tuam. Magnum ergo volumus intelligi in hoc titulo sacramentum: quia scilicet oleaster factus est particeps pinguedinis oleae, non olea particeps facta est amaritudinis oleastri. Rex ergo iudaeorum Christus, secundum iudaeorum circumcisionem, non carnis, sed cordis; non littera, sed spiritu. sequitur hunc ergo titulum multi legebant iudaeorum: quia prope civitatem erat locus ubi crucifixus est iesus.

Chrysostomus. credibile autem est multos gentiles simul cum iudaeis propter festum convenisse; et ideo ut nullus ignoraret, non in una lingua, sed in tribus scripsit; unde subditur et erat scriptum hebraice, graece et latine.

Augustinus. hae quippe tres linguae ibi prae ceteris eminebant: hebraea propter iudaeos in lege Dei gloriantes; graeca propter gentium sapientes; latina propter romanos multis et pene omnibus tunc gentibus imperantes.

Theophylactus. Significat autem superscriptio triplici sermone figurata, dominum esse regem practicae, physicae, nec non theologiae. Nam per latinas litteras figuratur practica, eo quod romanorum imperium potentissimum, satisque officiosum in expeditionibus fuerit. Per graecas vero litteras physica figuratur: graeci namque erga naturalium speculationem insudaverunt. Demum per hebraicas theologia praetenditur, dum iudaeis est credita rerum divinarum agnitio.

Chrysostomus. Iudaei autem crucifixo invadebant; unde sequitur dicebant ergo pilato pontifices iudaeorum: noli scribere: rex iudaeorum; sed: quia ipse dixit: rex sum iudaeorum. Nam haec quidem enuntiatio est, et communis sententia. si vero adiciatur quoniam ipse dixit, ipsius petulantiae et extollentiae

ostenderetur crimen esse. Sed pilatus in priori stetit mente; unde sequitur respondit pilatus: quod scripsi scripsi. O ineffabilem vim divinae operationis etiam in cordibus ignorantium. Nonne occulta vox quaedam pilato intus quodam, si dici potest, clamoso silentio personabat quod tanto ante in psalmorum litteris prophetatum est: ne corrumpas tituli inscriptionem? sed quid loquimini, insani pontifices? numquid enim propterea non erit verum, quia iesus ait: rex sum iudaeorum? si corrumpi non potest quod pilatus scripsit, corrumpi potest quod veritas dixit? ideo enim pilatus quod scripsit scripsit, quia dominus quod dixit dixit.

IOANNES 19,23-24

13923 (Jn 19,23-24)

Augustinus in Ioannem. iudicante pilato, milites qui ei parebant crucifixerunt iesum; unde dicitur milites ergo, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius: et tamen si voluntates, si clamores eorum cogitemus, iudaei magis crucifixerunt. Sed de partitione sortitioneque vestimentorum eius, ceteri evangelistae brevius et clause; iste vero apertissime locutus est; nam sequitur et fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem: unde apparet quatuor fuisse milites qui in eo crucifigendo praesidi paruerunt. sequitur et tunicam: subaudiendum est: acceperunt; ut iste sit sensus: acceperunt autem et tunicam; et sic locutus est, ut de ceteris vestimentis nullam sortem missam esse videamus; sed de tunica, quam simul cum ceteris acceperunt, sed non similiter dividerunt; de hac enim sequitur exponens erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum.

Chrysostomus in Ioannem. Ipsam speciem tunicae evangelista historice designat: quia enim in palaestina duos pannos connectentes subtexunt indumenta, ostendit Ioannes quod talis erat tunica iesu; occulte vilitatem vestimentorum insinuans.

Theophylactus. alii vero dicunt, quod apud palaestinam telas contexunt, non velut apud nos texuntur, existente superius stamine, inferius vero textentibus; ut sic non versus partem supremam textura protendat, sed e contra.

Augustinus. cur autem de illa sortem miserint narrat, dicens dixerunt ergo ad invicem: non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit. Apparet itaque in aliis vestimentis aequales se habuisse partes, ut sortiri necesse non fuerit; in illa vero una non eos habere potuisse singulas partes nisi scinderetur, ut pannos eius inutiliter tollerent: quod ne facerent, ad unum eam pervenire sortitione maluerunt. Huius evangelistae narrationi consonat et propheticum testimonium; unde subiungit ut scriptura impleretur dicens: partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem.

Chrysostomus. intuere prophetiae certitudinem: non enim quae partiti sunt solum, sed et quae non partiti sunt, dixit propheta: nam vestimenta quidem dividerunt, sed vestem sorti concesserunt.

Augustinus. Matthaeus dicendo: dividerunt vestimenta eius, sortem mittentes, totam divisionem vestimentorum voluit intelligi, et ad illam tunicam pertinere, de qua sortem miserunt. tale est quod etiam ait lucas: dividentes vestimenta eius, miserunt sortes. dividentes enim venerunt ad tunicam, de qua est sortitio. Dicendo autem sortes, pluralem numerum pro singulari posuit. marcus autem solus videtur intulisse aliquam quaestionem: dicendo enim: mittentes sortem super eis, quis quid tolleret, tamquam super omnibus vestimentis, non super sola tunica sors missa sit, locutus videatur. sed haec brevitatis obscuritatem facit. sic enim dictum est: mittentes sortem super eis, ac si diceretur: mittentes sortem cum dividerentur. Cum autem dicit: quis quid tolleret, id est quis tunicam tolleret, tamquam si totum ita diceretur: mittentes sortem super eis, quis tunicam, quae partibus aequalibus superfuerat, tolleret. Quadripartita autem vestis domini nostri iesu Christi, quadripartitam figuravit eius ecclesiam, quatuor scilicet partibus in orbe diffusam, et in eisdem aequaliter, id est concorditer, distributam. Tunica vero illa sortita, omnium partium significat unitatem, quae caritatis vinculo continetur. Si autem caritas et supereminentiorem habet viam, et supereminet scientiae, et super omnia praecepta est, secundum illud: super omnia autem haec caritatem habete; merito vestis, qua significatur, desuper contexta perhibetur. Et addidit per totum: quia nemo eius est expers qui pertinere invenitur ad totum, a quo toto catholica vocatur ecclesia. Inconsutilis autem, ne aliquando dissuatur; et ad unum provenit, quia in unum omnes colligit. In sorte autem, Dei gratia commendata est: cum enim sors mittitur, non personae cuiusque, vel meritis, sed occulto iudicio Dei ceditur.

Chrysostomus. Vel, sicut quidam dicunt, tunica inconsutilis desuper contexta per totum, secundum allegoriam ostendit quoniam non simpliciter homo erat qui crucifixus est, sed et desuper deitatem habebat.

Theophylactus. vel aliter. Vestis inconsutilis denotat corpus Christi, quod a superiori parte contextum est:

spiritus enim sanctus supervenit, et virtus altissimi virgini obumbravit. hoc ergo sacrosanctum Christi corpus indivisibile constat: nam et si dividatur per singulos, sanctificans uniuscuiusque animam simul et corpus, integre tamen et indivisibiliter consistit in omnibus. At quoniam ex quatuor elementis mundus consistit, intelligenda est per Christi vestimenta visibilis creatura, quam inter se dividunt daemones, quoties morti tradunt verbum Dei quod habitat in nobis, ac satagunt nos suae partis efficere per mundanas illecebras.

Augustinus. Nec ideo ista non aliquid boni significasse quis dixerit, quia per malos facta sunt: quid enim de ipsa cruce dicturi sumus, quae similiter ab impiis facta est? et tamen ea significari recte intelligitur quod ait apostolus: quae sit latitudo, longitudo, altitudo et profundum. Lata est quippe in transverso ligno, quo extenduntur pendentes manus, et significat opera bona in latitudine caritatis: longa est a transverso ligno usque ad terram, et significat perseverantiam in longitudine temporis: alta est in cacumine, quo transversum lignum sursum versus excedit, et significat supernum finem, quo cuncta opera referuntur: profunda est in ea parte quae in terra figitur; ibi quippe occulta est, sed cuncta eius apparentia inde consurgunt, sicut bona nostra de profunditate gratiae Dei, quae comprehendere non potest, universa procedunt. Sed etsi crux Christi hoc solum significet quod ait apostolus: qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum passionibus et concupiscentiis, quam magnum bonum est. postremo quid est signum Christi nisi crux Christi? quod signum nisi adhibeatur sive frontibus credentium, sive ipsi aquae, ex qua regenerantur, sive oleo, quo chrismate unguuntur, sive sacrificio quo aluntur, nihil eorum vitae proficitur.

IOANNES 19,25-27

13925 (Jn 19,25-27)

Theophylactus. Cum milites quae ad propriam spectabant socordiam prosequerentur, ipse de genitricis cura sollicitus est; unde dicitur et milites quidem haec fecerunt: stabant autem iuxta crucem iesu mater eius, et soror matris eius, maria cleophae et maria magdalene.

Ambrosius. maria mater domini ante crucem stabat filii. Nullus me hoc docuit nisi sanctus iohannes evangelista. mundum alii concussum in passione domini conscripserunt, caelum tenebris obductum, refugisse solem, in paradysum latronem, sed post piam confessionem, receptum. iohannes docuit quod alii non docuerunt, quemadmodum in cruce positus matrem appellaverit. Pluris putavit quod victor suppliciorum, pietatis officia matri exhibebat, quam quod regnum caeleste donabatur vitae aeternae. Nam si religiosum est quod latroni donatur vita, multo uberioris pietatis est quod a filio mater tanto affectu honoratur: ecce, inquit, filius tuus. ecce mater tua. Testabatur de cruce Christus, et inter matrem atque discipulum dividebat pietatis officia. Condebat dominus non solum publicum, sed etiam domesticum testamentum. Et hoc eius testamentum signabat iohannes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum non pecuniae, sed vitae aeternae, quod non atramento scriptum est, sed spiritu Dei vivi: lingua mea calamus scribae velociter scribentis. sed nec maria minor quam matrem Christi decebat, fugientibus apostolis, ante crucem stabat, et piis spectabat oculis filii vulnera, quia spectabat non in pignoris mortem, sed in mundi salutem; aut fortasse quia cogoverat per filii mortem mundi redemptionem, aula regalis etiam sua morte putabat se aliquid publico addituram muneri; sed iesus non egebat adiutore ad redemptionem omnium, qui omnes sine adiutore servavit; unde et dicit: factus sum homo sine adiutorio inter mortuos liber. Suscepit quidem affectum parentis, sed non quaesivit alterius auxilium. Hanc imitamini, matres sanctae, quae in unico filio dilectissimo tantum maternae virtutis exemplum dedit: neque enim vos dulciores liberos habetis, neque illud virgo quaerebat solatium, ut alium posset generare filium.

Hieronymus contra helvidium. Maria ista, quae in Marco et matthaeo, iacobi et ioseph mater dicitur, fuit uxor alphaei, et soror mariae matris domini quam mariam cleophae nunc iohannes cognominat, a patre, sive a gentilitate familiae, aut quacumque alia causa ei nomen imponens. si autem inde tibi alia atque alia videtur, quod alibi dicatur maria iacobi minoris mater, et hic maria cleophae, disce scripturae consuetudinem, eumdem hominem diversis nominibus appellari.

Chrysostomus in iohannem. Et considera, quod imbecillius genus, scilicet mulierum, virilius apparuit iuxta crucem stando, fugientibus discipulis.

Augustinus de cons. evang.. Nisi autem matthaeus et lucas mariam magdalene nominassent, potuissemus dicere alias a longe, alias iuxta crucem fuisse: nullus enim eorum praeter iohannem matrem domini commemoravit. nunc ergo quomodo intelligitur eadem maria magdalene, et a longe stetisse cum aliis mulieribus, sicut matthaeus et lucas dicunt, et iuxta crucem fuisse, sicut iohannes dicit, nisi quia in tanto intervallo erant ut iuxta dici possent, quia in conspectu eius praesto aderant, et a longe in conspectu turbae propinquius circumstantis cum centurione et militibus? possumus etiam intelligere quod illae quae simul

aderant cum matre domini, postquam eam discipulo commendavit, abire iam coeperant, ut a densitate turbae se eruerent, et cetera quae facta sunt, longius intuerentur; ut ceteri evangelistae, qui post mortem domini eas commemoraverunt, iam longe stantes commemorarent. Quid autem interest ad veritatem quod quasdam mulieres pariter omnes, quasdam singuli nominaverunt? **Chrysostomus**. Et cum aliae mulieres astarent, nullius alterius meminit nisi matris, docens nos plus aliquid matribus praebere. Sicut enim parentes circa spiritualia adversantes neque nosse oportet, ita quando nihil impediunt, omnia decet eis praebere, et aliis praeferre; unde subditur cum vidisset ergo iesus matrem, et discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suae: mulier, ecce filius tuus.

Beda. dilectionis indicio evangelista suam demonstrat personam: non quod exceptis ceteris solus, sed prae ceteris familiaris propter privilegium castitatis a domino amabatur, quoniam virgo ab eo vocatus, virgo permansit in aevum.

Chrysostomus. papae. Quanto discipulum honoravit honore. Sed ipse seipsum occultat, moderate sapiens: si enim vellet gloriari, et causam utique adiecisset propter quam amabatur: etenim conveniens est magnam quamdam et mirabilem esse causam. Ideo autem nihil aliud Ioanni loquitur, neque consolatur tristantem, quoniam tempus non erat verborum consolatione. Sed neque parum erat honorari eum tali honore. Quia vero conveniens erat matrem existentem dolore oppressam procuracionem quaerere, quia ipse aberat, discipulo qui diligebatur tradidit diligentiam habituro; unde sequitur deinde dicit discipulo: ecce mater tua.

Augustinus in Ioannem. Haec nimirum est illa hora de qua iesus aquam conversurus in vinum dixerat matri: quid mihi et tibi est, mulier? nondum venit hora mea. Tunc enim divina facturus, non divinitatis, sed humanitatis vel infirmitatis matrem velut incognitam repellebat; nunc autem humana iam patiens, ex qua factus fuerat homo, affectu commendabat humano. Moralis igitur insinuat locus, et exemplo suo instruit praeceptor bonus, ut a filiis piis impendatur cura parentibus: tamquam lignum illud ubi erant fixa membra morientis, etiam cathedra fuerit magistri docentis.

Chrysostomus in Ioannem. Itaque etiam marcionis obstruit inverecundiam: si enim non genitus est secundum carnem, neque matrem habuit; cuius gratia tantam circa eam solam facit providentiam? intueri autem qualiter cum crucifigeretur, universa imperturbate agebat, discipulo loquens de matre, prophetias implens, latroni bonam spem tribuens; antequam autem crucifigeretur, trepidans videtur; nam illic quidem naturae imbecillitas demonstrata est, hic autem virtutis superabundantia ostendebatur. sed et nos per hoc erudit, si ante adversa conturbamur, non propterea desistere; cum vero agonem ingressi fuerimus, omnia sustinere ut facilia et levia.

Augustinus. quia ergo matri, quam relinquebat, alterum pro se filium quodammodo providebat, cur hoc fecerit ostendit in hoc quod subditur et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Sed in quae sua Ioannes matrem domini accepit? neque enim non ex eis erat qui dixerant ei: ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. Suscepit ergo eam in sua, non praedia, quae nulla propria possidebat, sed officia, quae propria dispensatione exequenda curabat.

Beda. Alia littera habet: accepit eam discipulus in suam, quidam volunt in suam matrem; sed congruentius subauditur in suam curam.

IOANNES 19,28-30

13928 (Jn 19,28-30)

Augustinus in Ioannem. patiebatur haec omnia qui apparebat homo, et ipse idem disponebat haec omnia qui latebat deus; unde dicitur postea, sciens quoniam omnia consummata sunt, ut consummaretur scriptura, id est quod scriptura praedixerat: et in siti mea potaverunt me aceto, dixit: sitio, tamquam diceret: hoc minus fecistis: date quod estis. Iudaei quippe ipsi erant acetum, degenerantes a vino patriarcharum et prophetarum. Vas ergo positum erat aceto plenum: tamquam enim de pleno vase, de iniquitate mundi huius impletum cor habentes, velut spongia, cavernosis quodammodo atque tortuosis latibulis fraudulentum; unde sequitur illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius.

Chrysostomus in Ioannem. neque enim ex his quae videbant facti sunt mansueti, sed saeviebant magis, et eum potabant, condemnatorum pocula offerentes: propterea enim hyssopus appositus erat.

Augustinus. hyssopum autem, cui circumposuerunt spongiam aceto plenam, quoniam herba est humilis et

pectus purgat, Christi humilitatem congruenter accipimus; quam circumdederunt, et se circumvenisse putaverunt: Christi namque humilitate mundamur. ne moveat quomodo spongiam ori eius potuerunt admovere qui in cruce fuerat exaltatus a terra: sicut enim apud alios evangelistas legitur, quod hic praetermisit, in arundine factum est, ut in spongia talis potus ad crucis sublimia levaretur.

Theophylactus. quidam vero hyssopum dicunt vocari arundinem: nam frondes habet arundini consimiles. sequitur cum ergo accepisset iesus acetum, dixit: consummatum est.

Augustinus. quid nisi quod prophetia tanto ante praedixerat? **Beda.** Hic quaeri potest quomodo hic dicitur cum accepisset acetum, cum alius evangelista dicat: noluit bibere. Sed hoc facile solvitur: quoniam non accepit ut biberet, sed ut quod scriptum erat impleret.

Augustinus. Deinde, quia nihil remanserat quod antequam moreretur fieri adhuc oporteret, sequitur et inclinato capite tradidit spiritum, peractis omnibus quae ut peragerentur expectabat, tamquam ille qui potestatem habebat ponendi animam suam, et iterum sumendi eam.

Gregorius moralium. Spiritus autem hic pro anima ponitur: si enim aliud spiritum quam animam evangelista diceret, exeunte spiritu anima remansisset.

Chrysostomus. non autem quoniam expiravit, inclinavit caput, sed quia inclinavit caput, tunc expiravit; per quae omnia indicavit evangelista quoniam omnium dominus ipse erat.

Augustinus. quis enim ita dormit quando voluerit, sicut iesus mortuus est quando voluit? quanta speranda vel timenda potestas est iudicantis, si apparuit tanta morientis? Theophylactus. Tradidit autem dominus spiritum Deo patri, ostendens quod nequaquam sanctorum animae conversantur in tumulis, immo deveniunt ad manus patris omnium, peccatoribus ad locum poenarum delatis, videlicet ad infernum.

IOANNES 19,31-37

13931 (*Jn 19,31-37*)

Chrysostomus in Ioannem. iudaei qui camelum transglutiebant, culicem autem colabant, cum tantam fuissent operati audaciam, de die diligenter ratiocinantur; unde dicitur iudaei ergo, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato.

Beda. Parasceve, idest praeparatio, dicta est sexta feria, quia eo die duplices sibi cibos filii israel praeparabant. erat enim magnus dies ille sabbati; scilicet propter solemnitatem paschalem. rogaverunt pilatum, ut frangerentur crura eorum.

Augustinus in Ioannem. non crura tollerentur, sed hi quibus ideo frangebantur ut morerentur, auferrentur ex ligno, ne pendentes in crucibus magnum diem festum sui diurni cruciatus horrore foedarent.

Theophylactus. sic enim iubebatur in lege, non occidere solem in hominis supplicio: vel quia noluerunt in die festo tortores aut homicidae censer.

Chrysostomus. vide autem qualiter valida est veritas: per eorum enim studia prophetia completur; unde subditur venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui crucifixus est cum eo; ad iesum autem cum venissent, ut viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura; sed unus militum lancea latus eius aperuit.

Theophylactus. Ut iudaeis complacent, lanceant Christum, circa corpus exanime contumelias inferentes; sed contumelia in signum prodiit: sanguinem enim de corpore extincto manare miraculosum est.

Augustinus. Vigilanti verbo evangelista usus est, ut non diceret latus eius percussit, aut vulneravit, sed aperuit, ut illic quodammodo vitae ostium panderetur, unde sacramenta ecclesiae manaverunt, sine quibus ad vitam quae vere vita est, non intratur; unde sequitur et continuo exivit sanguis et aqua. Ille sanguis in remissionem fusus est peccatorum: aqua illa salutare temperat poculum: hoc et lavacrum praestat et potum. Hoc praenuntiabat quod noe in latere arcae ostium facere iussus est, quo intrarent animalia quae non erant diluvio peritura, quibus praefigurabatur ecclesia. Propter hoc prima mulier facta est de viri latere dormientis; et hic secundus adam inclinato capite in cruce dormivit, ut inde formaretur ei coniux per id quod

de latere dormientis effluxit. O mors, unde mortui reviviscunt. quid isto sanguine mundius, quid isto vulnere salubrius? **Chrysostomus.** et quia hinc suscipiunt principium sacra mysteria, cum accesseris ad tremendum calicem, ut ab ipsa bibiturus Christi costa, ita accedas.

Theophylactus. Erubescant igitur qui vinum in sacris non limphant mysteriis: videntur enim non credere quod aqua de latere fluxerit. Potest tamen quis calumniose dicere, quod aliqua virtus vitalis erat in corpore, et ideo sanguis effluxit; aqua vero manans inexpugnabile signum fuit; et ideo evangelista subiungit et qui vidit, testimonium perhibuit.

Chrysostomus. quasi dicat: non ab aliis audivit, sed ipse praesens vidit. Et verum est testimonium eius: quod convenienter subiungit, convicium Christi enarrans, non magnum aliquod et admirabile signum, ut sic suspectus sermo redderetur; sed ipse hoc dixit, haereticorum ora praecludens, et futura personans mysteria, et eum qui latebat in eis inspiciens thesaurum. sequitur et ille scit quia vera dicit, ut et vos credatis.

Augustinus. scit enim qui vidit, cuius credat testimonio qui non vidit. Duo autem testimonia de scripturis reddidit singulis rebus quas factas fuisse narravit. Nam quia dixerat: non fregerunt crura iesu, subdidit facta sunt enim haec ut scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo: quod praeceptum est eis qui celebrare pascha iussi sunt ovis immolatione in veteri lege, quae dominicae passionis umbra praecesserat. item quia subiunxerat: unus militum lancea latus eius aperuit, ad hoc pertinet alterum testimonium quod subdit dicens et iterum alia scriptura dicit: videbunt in quem transfixerunt: ubi promissus est Christus in ea qua crucifixus est carne futurus.

Hieronymus. Hoc autem testimonium sumptum est de zacharia.

IOANNES 19,38-42

13938 (Jn 19,38-42)

Chrysostomus in Ioannem. aestimans ioseph extinctum esse iudaeorum furorem Christo crucifixo, cum fiducia accessit, ut deponendum funus procuraret; unde dicitur post haec autem rogavit pilatum ioseph ab arimathaea.

Beda. Arimathaea, ipsa est ramatha civitas helcanae et samuelis. Caelitus autem provisum est ut esset dives, ut ad praesidem posset accedere; et ut esset iustus, ut corpus domini accipere mereretur; unde sequitur ut tolleret corpus iesu, eo quod esset discipulus iesu.

Chrysostomus. Non ex duodecim, sed ex septuaginta: quoniam nullus ex duodecim accesserit. Et si timorem iudaeorum quis pro causa assumpserit, hic eodem detinebatur timore; unde dicitur occultus autem propter metum iudaeorum. sed valde insignis erat, et pilato notus; unde et gratiam accepit; et hoc est quod subditur et permisit pilatus. Et sepelit de reliquo, non ut condemnatum, sed ut magnum quemdam et mirabilem; unde subditur venit ergo, et tulit corpus iesu.

Augustinus de cons. Evang.. In extremo enim illo officio funeri exhibendo, minus curavit de iudaeis, quamvis soleret in domino audiendo eorum inimicitias devitare.

Beda. Sedata enim utcumque eorum saevitia, eo quod se adversus Christum praevaluisse gaudebant, corpus Christi petiit, quoniam non videbatur causa discipulatus sed pietatis venisse, ut funeri officium impenderet; quod homines non solum bonis, sed etiam malis solent impendere. adiungitur autem ei et nicodemus; unde sequitur venit autem et nicodemus, qui venerat ad iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhae et aloes quasi libras centum.

Augustinus in Ioannem. non ita distinguendum est, ut dicamus: primum ferens mixturam myrrhae, sed ut quod dictum est primum, ad superiorem sensum pertineat. Venerat enim ad iesum nicodemus nocte primum, quod idem Ioannes narravit in prioribus evangelii sui partibus. Hic ergo intelligendum est, ad iesum non tunc solum, sed tunc primum venisse nicodemum; venisse autem postea, ut fieret audiendo discipulus Christi. Ferunt autem pigmenta, quae maxime corpus apta sunt quamplurimum conservare, et non permittere cito subici corruptioni: adhuc enim ut de nudo homine disponebant, sed tamen multam dilectionem demonstrabant.

Beda. Notandum est autem, quod simplex unguentum fuerit: quia ex diversis aromatibus licentiam conficiendi non habent. sequitur acceperunt ergo corpus iesu, et ligaverunt eum linteis cum aromatibus,

sicut mos est iudaeis sepelire.

Augustinus. in quo evangelista admonuit in huiusmodi officiis quae mortuis exhibentur, morem cuiusque gentis esse servandum. erat autem illius gentis consuetudo, ut mortuorum corpora variis aromatibus condirentur, ut diutius servarentur illaesa.

Augustinus de cons. Evang.. neque autem hic iohannes aliis repugnat: neque enim illi qui nicodemum tacuerunt, affirmaverunt a solo ioseph dominum sepultum, quamvis solius commemorationem fecerint: aut quia illi una sindone a ioseph involutum dixerunt, propterea prohibuerunt intelligi, et alia lintea potuisse afferri a nicodemo, et superaddi; ut verum narret iohannes, quod non uno linteo, sed linteis involutus sit: quamvis et propter sudarium quod capiti adhibeatur, et institas quibus corpus totum alligatum est, quia omnia de lino erant, etiam si una sindon ibi fuit, veracissime dici potuit ligaverunt eum linteis: lintea quippe generaliter dicuntur quae lino texuntur.

Beda. Hinc ecclesiae consuetudo descendit, ut corpus domini non in sericis et auro textis consecratur, sed in sindone munda.

Chrysostomus in iohannem. quia vero brevitate temporis urgebantur: nona enim hora mortuo Christo, deinde accedentibus ad pilatum et deponentibus Christi corpus, vespera imminebat; ideo ponunt eum in proximo monumento; unde subditur erat autem in loco ubi crucifixus est, hortus, et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus fuerat: quod dispensatione factum est, ne alterius alicuius, qui cum eo iaceret, aestimaretur resurrectio facta esse.

Augustinus in iohannem. Sicut etiam in mariae virginis utero nemo ante illum, nemo post illum conceptus est, ita in hoc monumento nemo ante illum, nemo post illum sepultus est.

Theophylactus. Per hoc etiam quod novum fuit sepulchrum, mystice datur intelligi quod per Christi sepulturam omnes innovamur, morte et corruptione destructa. Attende etiam abundantiam pro nobis susceptae paupertatis: nam qui domum in vita non habuit, post mortem quoque in alieno sepulchro reconditur, et nudus existens, a ioseph operitur. sequitur ibi ergo propter parasceven iudaeorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt iesum.

Augustinus. acceleratam vult intelligi sepulturam, ne advesperasceret, quando iam propter parasceven, quam coenam puram iudaei latine usitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.

Chrysostomus. propinquum autem fuit sepulchrum, ut discipuli possent cum facilitate accedere, et consideratores fieri eorum quae eveniebant, prope existente loco; et ut sepulturae testes essent etiam inimici custodientes sepulchrum, et ut falsus ostenderetur is qui de furto sermo.

Beda. Mystice autem ioseph interpretatur aptus pro acceptione boni operis; ad quod monemur ut corpus domini digne percipere mereamur.

Theophylactus. nunc etiam quodammodo Christus apud avaros mortificatur in paupere famem patiente. Esto ergo ioseph, et tege Christi nuditatem non semel, sed iugiter in tuo tumulo spirituali considerando reconde, cooperi, et misce myrrham et aloem amaricantia, considerando vocem illam: ite, maledicti, in ignem aeternum, qua nihil amarius aestimo.

IOANNES 20,1-9

14001 (*Jn 20,1-9*)

Chrysostomus in iohannem. quia iam transierat sabbatum in quo impediabatur a lege, non potuit maria magdalene quiescere, sed venit profundo diluculo, consolationem quamdam a loco sepulturae invenire volens; unde dicitur una autem sabbati maria magdalene venit mane, cum adhuc tenebrae essent, ad monumentum.

Augustinus de cons. Evang.. Venit quidem maria magdalene, sine dubio ceteris mulieribus quae domino ministraverant plurimum dilectione ferventior, ut non immerito iohannes solam commemoraret, tacitis eis qui cum illa fuerant, sicut alii testantur.

Augustinus in iohannem. una autem sabbati est, quem iam diem dominicum propter domini resurrectionem

mos Christianus appellat, quem matthaeus primam sabbati nominavit.

Beda. dicitur ergo una sabbati, hoc est altera sive prima die post sabbatum.

Theophylactus. vel aliter. Hebdomadae dies iudaei sabbatum nominabant, unam autem ex sabbati diebus primam. Futuri autem saeculi exemplar est haec dies, quoniam futuri saeculi una dies est nequaquam nocte interpolata: deus enim ibi sol est, qui numquam occidit. In hac igitur die dominus resurrexit, incorruptibilitatem corporis assumens, sicut nos in futuro saeculo incorruptione induemur.

Augustinus de cons. evang.. Quod autem marcus dicit: valde mane oriente iam sole, non repugnat ei quod hic dicitur: cum adhuc tenebrae essent: die quippe surgente aliquae reliquiae tenebrarum tanto magis extenuantur, quanto magis oritur lux. Nec sic accipiendum est quod ait marcus: valde mane orto iam sole, tamquam sol ipse iam videretur super terram; sed potius, sicut dicere solemus eis quibus volumus significare temporius aliquid faciendum, orto iam sole dicitur, idest de proximo adveniente in has partes.

Gregorius in evang.. Congruè autem dicitur cum adhuc tenebrae essent. Maria enim auctorem omnium quem carne viderat, mortuum quaerebat in monumento: et quia hunc minime invenit, furatum credit. adhuc ergo erant tenebrae cum venit ad monumentum. sequitur et vidit lapidem revolutum a monumento.

Augustinus. Iam ergo factum erat quod solus matthaeus commemorat de terraemotu et lapide revoluto, conterritisque custodibus.

Chrysostomus. surrexit quidem dominus, lapide et signaculis sepulchro iniacentibus. quia vero oportebat et alios certificari, aperitur monumentum post resurrectionem, et ita creditur quod factum est. hoc denique et mariam movit: videns enim lapidem sublatum, non intravit neque prospexit, sed ad discipulos ex multo amore cum velocitate cucurrit. Nondum autem de resurrectione noverat aliquid manifestum, sed putabat translationem corporis esse factam.

Glossa. Et ideo cucurrit nuntiare discipulis, ut aut secum quaerent, aut secum dolerent; et hoc est quod sequitur cucurrit ergo, et venit ad simonem petrum, et ad alium discipulum quem diligebat iesus.

Augustinus in ioannem. ita se commemorare solet quod eum diligebat iesus, qui utique omnes, sed ipsum prae ceteris et familiarius diligebat. sequitur et dixit eis: tulerunt dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum.

Gregorius moralium. hoc autem dicens, totum pro parte insinuat; solum quippe corpus domini quaesitura venerat: et quasi totum dominum sublatum deplorat.

Augustinus. nonnulli autem codices graeci habent tulerunt dominum meum; quod videri dictum potest propensiore caritatis vel famulatus affectu. Sed hoc in pluribus codicibus quos in promptu habemus, non invenimus.

Chrysostomus. Evangelista vero non privavit mulierem hac laude, nec verecundum existimavit quod ab ea prius addicerent. Audientes ergo illi, cum multo studio monumento insistent.

Gregorius in evang.. Illi autem prae ceteris cucurrerunt, qui prae ceteris amaverunt, videlicet petrus et ioannes; unde sequitur exiit ergo petrus et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum.

Theophylactus. Sed si quaeras quomodo astantibus custodibus venerunt ad monumentum, rudis questio: quoniam postquam dominus resurrexit, et una cum terraemotu affuit angelus in sepulchro, recesserunt custodes, annuntiantes pharisaeis.

Augustinus. Cum autem iam dixisset venerunt ad monumentum, regressus est, ut narraret quomodo venerunt, atque ait currebant autem duo simul: et ille alius discipulus praecucurrit citius petro, et venit prior ad monumentum, ubi ostendit quod ipse prior venerit, sed tamquam de alio cuncta narrat.

Chrysostomus in ioannem. Veniens autem considerat linteamina posita; unde sequitur et cum se inclinasset, vidit posita linteamina. nihil tamen ipse plus perscrutatur, sed desistit; et hoc est quod subditur non tamen introivit. Petrus vero ut fervidus introiens universa inspexit diligenter, et amplius vidit; unde sequitur venit ergo simon petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita, et sudarium quod fuerat super caput eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum: quod erat resurrectionis signum. Neque enim, si quidem eum transtulissent, corpus eius denudassent; neque si furati essent, huius rei fuissent solliciti, ut levarent sudarium et involverent et

ponerent in unum locum seorsum a linteaminibus, sed simpliciter ut se habebat suscepissent corpus. Ideo enim loannes praemiserat quoniam sepultus est cum myrrha, quae conglutinat corpori linteamina, ut non decipiari ab his qui dicunt eum furto sublatum esse. Non enim ita insensatus esset qui furaretur, ut circa rem superfluum tantum studium consumeret. post petrum autem et loannes introivit; unde sequitur tunc ergo introivit et ille discipulus qui venerat primus ad monumentum, et vidit et credidit.

Augustinus in loannem. Nonnulli putant hoc loannem credidisse quod iesus resurrexerit; sed quod sequitur, hoc non indicat. Vidit ergo inane monumentum, et credidit quod dixerat mulier; nam sequitur nondum enim sciebant scripturam quia oportebat eum a mortuis resurgere. Non ergo eum credidit resurrexisse quem nesciebat oportere resurgere. Quando autem ab ipso domino audiebant, quamvis apertissime diceretur, consuetudine tamen audiendi ab illo parabolae, non intelligebant, et aliquid aliud eum significare credebant.

Gregorius in evang.. Haec autem tam subtilis evangelistae descriptio a mysteriis vacare credenda non est. Per loannem iuniorem synagoga, per senioremem vero petrum ecclesia gentium designatur: quia etsi ad Dei cultum est prior synagoga quam ecclesia gentium, ad usum tamen saeculi prior est multitudo gentium quam synagoga. Cucurrerunt autem simul, quia ab ortu sui tempore usque ad occasum pari et communi via, etsi non pari et communi sensu, gentilitas cum synagoga decucurrit. venit synagoga prior ad monumentum, sed minime intravit: quia legis quidem mandata percepit, prophetias de incarnatione ac passione dominica audivit; sed credere in mortuum noluit; venit autem simon petrus, et introivit in monumentum: quia secuta posterior ecclesia gentium, Christum iesum et cognovit carne mortuum, et viventem credidit Deum. Sudarium autem capitis domini cum linteaminibus non invenitur: quia caput Christi deus, et divinitatis incomprehensibilia sacramenta ab infirmitatis nostrae cognitione disiuncta sunt, eiusque potentia creaturae transcendit naturam. Non solum autem separatim, sed involutum inveniri dicitur: quia lintei quo involvitur, nec initium nec finis aspicitur. Celsitudo autem divinitatis nec coepit esse nec desinit. Bene autem additur in unum locum: quia in scissura mentium deus non est: et illi eius gratiam habere merentur qui se ab invicem per sectarum scandala non dividunt. sed quia solet per sudarium laborantium sudor detergi, potest et sudarii nomine intelligi labor Dei. Sudarium ergo quod super caput eius fuerat, seorsum invenitur, quia ipsa redemptoris nostri passio longe a nostra passione disiuncta est: quoniam ipse sine culpa pertulit quod nos cum culpa toleramus; ipse sponte morti succumbere voluit, ad quam nos venimus invitati. Postquam autem intravit petrus, ingressus est et loannes: quia in fine mundi ad redemptoris fidem etiam iudaea colligetur.

Theophylactus. Vel aliter. Intellige petrum activum et promptum; loannem vero contemplativum et docilem rerum divinarum habuisse peritiam. Plerumque autem praevenit contemplativus notitia et docilitate; sed activus instantia fervoris et sedulitate praecedat illius acumen, et prius inspicit divinum mysterium.

IOANNES 20,10-18

14010 (*Jn 20,10-18*)

Gregorius in evang.. Maria autem magdalene, quae fuerat in civitate peccatrix, amando veritatem laverat lacrymis maculas criminis, cuius mentem magna vis amoris accenderat, quae a monumento domini, etiam discipulis recedentibus, non recedebat; dicitur enim abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos.

Augustinus in loannem. Idest, ubi habitabant, et unde ad monumentum cucurrerant. viris autem redeuntibus, infirmiore sexum in eodem loco fortior figebat affectus; unde sequitur maria autem stabat ad monumentum foris plorans.

Augustinus de cons. Evang.. Idest, ante illum saxei sepulchri locum; sed tamen intra illud spatium quo iam ingressae fuerant: hortus quippe illic erat.

Chrysostomus in loannem. ne mireris autem quod maria amare flebat ad sepulchrum, petrus vero nihil tale passus est: compassibile enim est muliebre genus et natura flebile.

Augustinus in loannem. Oculi igitur qui dominum quaesierant et non invenerant, lacrymis vacabant, amplius dolentes, quod fuerat ablatus de monumento quam quod fuerat occisus in ligno: quoniam magistri tanti, cuius vita subtracta fuerat, nec memoria remanebat.

Augustinus de cons. Evang.. Viderat autem cum aliis mulieribus angelum sedentem a dextris super lapidem revolutum a monumento, ad cuius verba cum fleret, prospexit in monumentum.

Chrysostomus. magnum enim ad mitigationem est monumentum apparens. Vide denique eam, ut plus requiesceret, et inclinantem se, et volentem locum videre ubi iacuit corpus; unde sequitur dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum.

Gregorius in evang.. Amanti enim semel aspexisse non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis.

Augustinus in Ioannem. Nimium enim dolebat, nec suis nec discipulorum oculis facile putabat esse credendum: an potius divino instinctu in animo eius effectum est ut prospiceret? **Gregorius.** quaesivit enim corpus, et minime invenit; perseveravit ut quaereret: unde et contingit ut inveniret, actumque est ut desideria dilata crescerent, et crescentia caperent quod invenissent. Sancta enim desideria dilatione crescunt; si autem dilatione deficiunt, desideria non fuerunt. Ita itaque, quae sic amat, quae se ad monumentum quod prospexerat, iterum inclinat: videamus quo fructu vis amoris in ea ingeminat opus inquisitionis; sequitur enim et vidit duos angelos in albis sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus iesu.

Chrysostomus. quia enim non erat excelsa mulieris mens ut ex sudariis perciperet resurrectionem, angelos videt in laeto habitu, ut et ipsa a passione mitigetur.

Augustinus. quid est autem quod unus ad caput, et alter ad pedes sedebat? an, quoniam qui graece angeli dicuntur, latine sunt nuntii, isto modo Christi evangelium, velut a capite usque ad pedes, ab initio usque in finem signabant esse nuntiandum? **Gregorius.** Vel ad caput sedet angelus cum per apostolos praedicatur, quia in principio erat verbum; et quasi ad pedes sedet, cum dicitur: verbum caro factum est. Possumus etiam per duos angelos duo testamenta agnoscere, quae dum pari sensu incarnatum et mortuum ac resurrexisse dominum nuntiant quasi testamentum prius ad caput et testamentum posterius ad pedes sedet.

Chrysostomus. Angeli autem apparentes nihil de resurrectione dicunt; sed paulatim in eum qui de resurrectione est intrant sermonem. Quia enim mulier ultra consuetudinem praeclarum habitum viderat, ne turbetur, audivit compassionis vocem; unde sequitur dicunt ei illi: mulier, quid ploras? angeli lacrymas prohibebant, et futurum quodammodo gaudium nuntiabant: ita enim dixerunt quid ploras? ac si dicerent: plorare noli.

Gregorius. Ipsa enim sacra eloquia, quae nos in lacrymas amoris excitant, easdem lacrymas consolantur, dum nobis redemptoris nostri speciem reprimunt.

Augustinus. At illa eos putans interrogasse nescientes, causas prodit lacrymarum; unde sequitur dicit eis: quia tulerunt dominum meum. Dominum suum vocat domini sui corpus exanime, a toto partem significans; sicut omnes confitemur iesum Christum filium Dei sepultum, cum sola eius sepulta sit caro. sequitur et nescio ubi posuerunt. Haec erat causa maioris doloris, quia nesciebat quo iret ad consolandum dolorem.

Chrysostomus in Ioannem. Nondum autem de resurrectione aliquid noverat, sed adhuc translationem imaginabatur.

Augustinus de cons. Evang.. Hic intelligendi sunt surrexisse angeli, ut etiam stantes viderentur, sicut lucas eos visos esse commemorat.

Augustinus in Ioannem. sed hora iam venerat qua id quod nuntiatum quodammodo fuerat ab angelis flere prohibentibus, gaudium succederet flentibus; unde sequitur haec cum dixisset, conversa est retrorsum.

Chrysostomus. sed quare ad angelos loquens, et nondum ab eis aliquid audiens, convertitur retrorsum? mihi videtur quod haec ea dicente, Christus post eam apparuit, et angeli considerantes dominatorem, et figura et inspectione et motu confestim ostenderunt quoniam dominum viderunt; et hoc est quod mulierem converti retrorsum fecit.

Gregorius. Notandum etiam quod maria, quae adhuc de domini resurrectione dubitabat, conversa retrorsum est ut videret iesum, quia videlicet per eandem dubitationem suam quasi tergum in domini faciem miserat, quem resurrexisse minime credebat. Sed quia amabat et dubitabat, videbat et non agnoscebat eum; unde sequitur et vidit iesum stantem, et non sciebat quia iesus esset.

Chrysostomus. angelis enim ut dominator apparuit, mulieri vero non ita, ne eam ex prima visione stupefaceret: non enim oportebat eam repente ad excelsa reducere, sed paulatim. sequitur dicit ei iesus:

mulier, quid ploras? quem quaeris? **Gregorius.** interrogatur doloris causa, ut augeatur desiderium; quatenus cum nominaret quem quaereret, in amorem eius ardentius aestuaret.

Chrysostomus. Et quia in communi figura apparuit, aestimavit eum hortulanum esse; unde sequitur illa aestimans quia hortulanus esset, dicit ei: domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam; hoc est: si propter timorem iudaeorum levasti eum, dicito mihi, et ego eum accipiam.

Theophylactus. Timebat enim ne iudaei etiam in corpus saevirent exanime; et ideo volebat in alio loco incognito illud transponere.

Gregorius. Forsitan autem nec errando haec mulier erravit, quae iesum hortulanum credidit. An non ei spiritualiter hortulanus erat, qui in eius pectore per amoris sui vim semina virtutum virentia plantabat? sed quid est quod viso eo quem hortulanum credidit, cui necdum dixerat quem quaerebat, ait: domine, si tu sustulisti eum? sed vis amoris hoc agere solet in animo, ut quem ipse semper cogitat, nullum alium credat ignorare. Postquam autem eam dominus communi vocabulo appellavit ex sexu, et agnitus non est, vocat ex nomine; unde sequitur dicit ei iesus: maria; ac si dicat: recognosce eum a quo recognosceris. Maria ergo, quia vocatur ex nomine, recognoscit auctorem: quia et ipse erat qui quaerebatur exterius, et ipse qui eam interius, ut quaereret, docebat; unde sequitur conversa illa dicit ei: rabboni (quod dicitur magister).

Chrysostomus in loannem. sicut enim iudaeis quandoque immanifestus erat et praesens; ita et loquens cum volebat, seipsum notum faciebat. Qualiter autem conversam dicit, cum Christus ad eam loqueretur? mihi videtur quod dicente ea ubi posuisti eum, conversa est ad angelos, ut interrogaret cur stupefacti essent. deinde Christus vocans eam, convertit eam ad seipsum, et per vocem manifestum seipsum fecit.

Augustinus in loannem. vel quia prius conversa corpore, quod non erat putavit, nunc corde conversa quod erat agnovit. Nemo autem calumnietur mulierem, quod hortulanum dixerit dominum, et iesum magistrum: ibi enim honorabat hominem a quo beneficium postulabat; hic recolebat doctorem, a quo discernere humana et divina discebat. aliter ergo dominum dixit: sustulerunt dominum meum; aliter autem: domine, si tu sustulisti eum.

Gregorius. Iam vero ab evangelista non subditur quid mulier fecit, sed ex eo innuitur quod audivit; sequitur enim dicit ei iesus: noli me tangere: in his namque verbis ostenditur, quod maria amplecti voluit eius vestigia quem recognovit. sed cur tangi non debeat, ratio quoque additur cum subiungitur nondum enim ascendi ad patrem meum.

Augustinus. sed si stans in terra non tangitur, sedens in caelo quomodo ab homine tangetur? qui certe antequam ascenderet, discipulis suis se obtulit tangendum, dicens: palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, ut lucas testatur. quis autem tam sit absurdus ut dicat, eum a discipulis quidem, antequam ascendisset ad patrem, se voluisse tangi, a mulieribus autem noluisse, nisi cum ascendisset ad patrem? sed leguntur etiam feminae post resurrectionem, antequam ad patrem ascenderet, tetigisse iesum, in quibus erat etiam ipsa maria magdalena, narrante matthaeo. Aut ergo hoc sic dictum est ut in illa femina figuraretur ecclesia de gentibus, quae in Christum non credidit nisi cum ascendisset ad patrem; aut sic in se credi voluit iesus, hoc est sic se spiritualiter tangi, quod ipse et pater unum sunt. Eius quippe intimis sensibus quodammodo ascendit ad patrem qui sic in eo profecerit ut patri agnoscat aequalem. Quomodo autem haec non carnaliter adhuc in eum credebat quem sicut hominem fiebat? **Augustinus** de trin.. Tactus autem tamquam finem facit notionis; ideoque nolebat in eo esse finem intenti cordis in se, ut hoc quod videbatur tantummodo putaretur.

Chrysostomus. vel aliter. Volebat haec mulier adhuc cum Christo esse, sicut et ante passionem; et prae gaudio nihil magnum excogitabat; quamvis caro Christi multo melior facta fuerit resurgendo. Ab hac ergo intelligentia eam abducens, dixit noli me tangere, ut cum multa reverentia ei loquatur: unde nec discipulis apparet de reliquo cum eis conversans, ut reverentius ei attendant. dicens autem nondum enim ascendi, ostendit quoniam illuc properat et festinat. Eum autem qui illuc debet abire, et non ultra cum hominibus conversari, non oportebat cum eadem videre mente qua et ante; et hoc manifestat consequenter dicens vade autem ad fratres meos; et dic eis: ascendo ad patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum. **Hilarius** de trin.. Inter ceteras impietates suas etiam hoc dicto domini uti solent haeretici, ut per id quod pater eius pater eorum est, et deus eius, deus eorum est, in natura Dei non sit. Sed in forma Dei manens formam servi assumpsit: et cum hoc ad homines in servi forma Christus iesus loquatur, non ambigitur quin pater sibi ut ceteris sit ex ea parte qua homo est, et deus sibi ut cunctis sit ex ea natura qua servus est. Denique hunc eumdem sermonem coepit dicens vade ad fratres meos. Fratres autem ex carne sunt Deo; ceterum unigenitus deus in unigeniti exceptione sine fratribus est.

Augustinus in loannem. Vel aliter. Non ait: patrem nostrum, sed patrem meum et patrem vestrum. Aliter

ergo meum, aliter vestrum; natura meum, gratia vestrum. neque dixit: Deum nostrum, sed Deum meum, sub quo ego homo, et Deum vestrum, inter quos et ipsum mediator sum.

Augustinus de cons. Evang.. tunc ergo egressa est a monumento, hoc est ab illo loco ubi erat horti spatium ante lapidem effossum, et cum illa aliae quas secundum Marcum invaserat tremor et pavor, et nemini, scilicet aliorum, quidquam dicebant; unde et hic dicitur venit maria magdalene annuntians discipulis: quia vidi dominum, et haec dixit mihi.

Gregorius. Ecce humani generis culpa ibi absconditur unde processit: quia enim in paradiso mulier viro propinavit mortem, a sepulchro mulier viris annuntiavit vitam; et dicta sui vivificatoris narrat quae mortiferi serpentis verba narraverat.

Augustinus. Dum autem cum aliis veniret, tunc secundum matthaeum occurrit illis iesus dicens: avete. Sic ergo colligamus angelorum colloctionem bis numero eas habuisse venientes ad monumentum, et etiam ipsius domini: semel scilicet quando maria hortulanum putavit; et iterum cum eis occurrit in via, ut eas repetitione firmaret: et sic venit maria magdalene annuntians discipulis, non solum ipsa, sed et aliae quas lucas commemorat.

Beda. Mystice autem maria, quae interpretatur domina, illuminata, illuminatrix, seu stella maris, significat ecclesiam, quae magdalena, idest turrensis dicitur: nam magdalon graece, latine turris dicitur, propter illud quod dicitur in psalmo 60, 4: factus est mihi turris fortitudinis. In eo autem quod haec mulier discipulis Christum resurrexisse nuntiavit, omnes monentur, maxime quibus est commissum praedicandi officium, ut si quid ei caelitus revelatum fuit, studiose proximis propinent.

IOANNES 20,19-25

14019 (Jn 20,19-25)

Chrysostomus in Ioannem. audientes discipuli quod maria annuntiavit, consequens erat ut aut discrediderent, aut credentes dolerent, quoniam eos non reputavit dignos sua visione. Haec igitur recogitantes neque per unam diem dimisit pertransire; sed ex eo quod sciebant iam suscitatum esse, videre sitientibus et timidis existentibus, cum sero factum esset, ipsis astitit; unde dicitur cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausae ubi erant discipuli congregati propter metum iudaeorum.

Beda. In hoc infirmitas apostolorum monstratur, qui foribus clausis intus congregati resident propter timorem iudaeorum, quorum metu fuerant prius dispersi. Venit iesus, et stetit in medio. Ideo autem sero apparuit, quia consequens erat tunc maxime eos timidos esse.

Theophylactus. Vel quia praestolabatur ut omnes convenirent. Ostiis vero clausis, ut ostendat quia eodem modo resurrexit adiacente lapide super monumentum.

Augustinus. Nonnulli autem de hac re ita moventur, ut pene periclitentur afferentes contra miracula divina, praeiudicia ratiocinationum suarum; sic enim disputant: si corpus erat, si hoc surrexit de sepulchro quod pependit in ligno, quomodo per ostia clausa intrare potuit? si comprehendis modum, non est miraculum; ubi deficit ratio, ibi est fidei aedificatio.

Augustinus in Ioannem. moli quidem corporis, ubi divinitas erat, ostia clausa non obstiterunt: ille quippe non eis apertis intrare potuit quo nascente virginitas matris inviolata permansit.

Chrysostomus. Sed mirabile est qualiter phantasma eum non aestimarunt. Sed hoc fuit quia mulier praeveniens, in eis multam fidem operata est. Sed et ipse per visum manifestum se eis ostendit, et voce eorum fluctuantem mentem firmavit; unde sequitur et dixit eis: pax vobis; idest, ne tumultuemini: in quo etiam commemorat verbum quod ante crucem dixerat: pacem meam do vobis; et rursus: in me pacem habebitis.

Gregorius. Et quia ad illud corpus, quod videri poterat, fides intuentium dubitabat, ostendit eis protinus manus et latus; unde sequitur et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Clavi enim manus fixerant, lancea latus aperuerat: ibi ad dubitantium corda sananda vulnere sunt servata vestigia.

Chrysostomus in Ioannem. Et quia ante crucem eis dixerat: iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, hoc opere impletur; unde sequitur gavisi sunt discipuli viso domino.

Augustinus de civ. Dei. claritas, qua iusti fulgebunt sicut sol in regno patris sui, in Christi corpore, cum resurrexit, ab oculis discipulorum potius abscondita fuisse quam defuisse credenda est (non enim eam ferret humanus atque infirmus aspectus), quando ille a suis ita deberet attendi ut posset agnosci.

Chrysostomus. universa autem haec eos ad fidem certissimam inducebant. Quia vero praelium inexpugnabile habebant ad iudaeos, rursus eis pacem annuntiat; unde sequitur dixit eis ergo iterum: pax vobis.

Beda. Iteratio confirmatio est; sive ideo repetit, quia gemina est virtus caritatis; vel quia ipse est qui fecit utraque unum.

Chrysostomus. Simul quoque demonstrat crucis efficaciam, per quam solvit omnia tristitia, et contulit omnia bona; et hoc est pax. Mulieribus autem supra annuntiatum est gaudium, quia in tristitiis illud genus erat, et hanc suscepit maledictionem, dicente domino: in dolore paries. Quia ergo universa prohibentia sunt destructa, et directa sunt omnia, de reliquo subdit sicut misit me pater, et ego mitto vos.

Gregorius. Pater quidem filium misit, qui hunc pro redemptione generis humani incarnari constituit. itaque dicitur sicut misit me pater, et ego mitto vos; idest, ea caritate vos diligo, cum inter scandalum persecutorum mitto, qua me caritate pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit.

Augustinus in Ioannem. Aequalem autem patri filium novimus; sed hic verba mediatoris agnoscimus. Medium quippe se ostendit dicendo: ille me, et ego vos.

Chrysostomus. Sic igitur elevavit eorum animum et ab his quae facta sunt et a dignitate mittentis; et non adhuc deprecatio ad patrem fit, sed sua auctoritate dat eis virtutem; unde sequitur haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: accipite spiritum sanctum.

Augustinus de trin.. Flatus ergo ille corporeus substantia spiritus sancti non fuit, sed demonstratio per congruam significationem non tantum a patre, sed etiam a filio procedere spiritum sanctum. Quis enim dementissimus diceret alium fuisse spiritum quem sufflans dedit, et alium quem post ascensionem suam misit? **Gregorius** in evang.. Cur autem prius in terra discipulis datur, postmodum de caelo mittitur, nisi quod duo sunt praecepta caritatis, dilectio videlicet Dei et dilectio proximi? in terra datur spiritus, ut diligatur proximus; ex caelo datur spiritus, ut diligatur deus. Sicut ergo una est caritas et duo praecepta; ita unus est spiritus et duo data; prius a consistente domino in terra, postmodum datur ex caelo, quia proximi amore discitur qualiter perveniri debeat ad amorem Dei.

Chrysostomus. quidam autem dicunt quoniam non spiritum dedit, sed aptos eos ad susceptionem spiritus per insufflationem construxit. si enim angelum videns daniel excessum mentis passus est, quid ineffabilem illam gratiam suscipientes passi essent, nisi discipulos suos primitus instruxisset? nequaquam autem quis peccabit, dicens, tunc suscepisse eos quamdam potestatem spiritualis gratiae non ut mortuos suscitent et miracula faciant, sed ut dimittant peccata; unde sequitur quorum remisistis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt eis.

Augustinus in Ioannem. Ecclesiae caritas, quae per spiritum sanctum diffunditur in cordibus nostris, participum suorum peccata dimittit; eorum autem qui non sunt eius participes, tenet; ideo postquam dixit accipite spiritum sanctum, continuo de peccatorum remissione et retentione subiecit.

Gregorius. Sciendum vero est, quod hi qui prius spiritum sanctum habuerunt, ut et ipsi innocenter viverent, et in praedicatione quibusdam prodesse, idcirco hunc post resurrectionem domini patenter acceperunt, ut prodesse non paucis, sed pluribus possent. Libet ergo intueri, illi discipuli ad tanta onera humilitatis vocati, ad quantum culmen gloriae sint perducti. Ecce non solum de seipsis securi fiunt, sed etiam principatum superni iudicii sortiuntur, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam vero relaxent. horum nunc in ecclesia episcopi locum tenent, et solvendi ac ligandi auctoritatem suscipiunt qui gradum regiminis sortiuntur. grandis honor, sed grave pondus istius est honoris. Durum quippe est ut qui nescit tenere moderamina vitae suae, iudex fiat vitae alienae.

Chrysostomus in Ioannem. sacerdos enim etsi propriam bene dispensaverit vitam, aliorum vero non cum diligentia curam habuerit, cum perniciosus in gehennam vadit. Scientes igitur periculi magnitudinem, multam tribuite eis devotionem, etiam si non valde nobiles fuerint. Non autem iustum est ab his qui in principatu subiciuntur iudicari. Et si vita eorum fuerit valde detrectabilis, in nullo laederis in his quae sunt eis commissa a Deo: non enim sacerdos, sed neque angelus aut archangelus operari aliquid potest in his quae sunt data a Deo, sed pater et filius et spiritus sanctus omnia dispensant; sacerdos autem suam linguam et manum

tribuit: non enim iustum esset, propter alterius malitiam circa symbola nostrae salutis laedi eos qui ad fidem veniunt. omnibus autem discipulis congregatis, solus thomas deficiebat a dispersione quae iam facta erat; unde dicitur thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur didymus, non erat cum eis, quando venit iesus.

Alcuinus. Didymus graece, latine geminus vel dubius, propter dubium cor in credendo: thomas abyssus quia altitudinem divinitatis certa fide penetravit.

Gregorius. Non autem casu gestum est ut electus ille discipulus tunc deesset: egit namque miro modo superna clementia ut discipulus dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis infidelitas thomae ad fidem quam fides credentium discipulorum profuit: quia dum ille ad fidem palpando reducitur, nostra mens omni dubitatione postposita in fide solidatur.

Beda. Quaeri autem potest quare hic evangelista tunc thomam defuisse dicat, cum lucas scribat quod duo discipuli euntes in emmaus, reversi in ierusalem invenerunt undecim congregatos. sed datur intelligi quoddam fuisse intervallum, quo ad horam thomas egressus sit, et iesus veniens in medio eorum stetit.

Chrysostomus in ioannem. sicut autem simpliciter et qualitercumque credere, facilitatis est, ita multum investigare est crassissimae mentis: et propter hoc thomas accusatur: apostolis enim dicentibus, quoniam vidimus dominum, non credidit, non tantum illis discredens, quantum rem putans impossibilem esse; unde sequitur dixerunt ergo ei alii discipuli: vidimus dominum. Ille autem dixit eis: nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus eius, non credam. Aliis enim crassior existens, eam quae est per sensum crassissimum, scilicet tactum, quaerebat fidem, et neque oculis credebat: unde non suffecit ei dicere nisi videro, sed addidit et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus eius, non credam.

IOANNES 20,26-31

14026 (Jn 20,26-31)

Chrysostomus in ioannem. considera dominatoris clementiam: qualiter et pro una anima ostendit seipsum vulnera habentem, et accedit ut salvet unum. et nimirum discipuli annuntiantes, digni erant fide, et ipse promittens; sed tamen, quia solus thomas quaesivit, neque hoc eum privavit Christus. Non autem statim ei apparet, sed post dies octo, ut in medio a discipulis admonitus accendatur in maius desiderium, et fidelior fieret in futurum; unde dicitur et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, et thomas cum eis. venit iesus ianuis clausis, et stetit in medio, et dixit: pax vobis.

Augustinus. quaeris a me, et dicis: si per ostia clausa intravit, ubi est corporis modus? et ego respondeo: si super mare ambulavit, ubi est corporis pondus? sed fecit illud dominus tamquam dominus: numquid igitur, quia resurrexit, destitit esse dominus? **Chrysostomus.** stat itaque iesus et non expectat a thoma interrogari; sed ut ostendat quoniam cum loquebatur ad condiscipulos, aderat, eisdem verbis usus est. Et primo quidem increpat, vel impropere; unde sequitur deinde dicit thomae: infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum. Secundo autem erudit dicens et noli esse incredulus, sed fidelis. vide quoniam infidelitatis erat ambiguitas, antequam spiritum sanctum acciperent; postea autem non, sed firmi erant de reliquo. Dignum autem est quaerere qualiter corpus incorruptibile typos habebat clavorum. Sed ne tumultueris: condescensionis enim erat ut discerent quoniam ipse erat qui crucifixus fuerat.

Augustinus de symbolo. Posset autem, si vellet, de corpore suscitato et clarificato omnem maculam cuiuslibet cicatricis abstergere; sed sciebat quare cicatrices in suo corpore reservaret. sicut enim demonstravit thomae non credenti, nisi tangeret et videret, ita etiam inimicis suis vulnera demonstraturus est sua: non quod eis dicat sicut thomae: quia vidisti, credidisti, sed ut convincens eos veritas dicat: ecce hominem quem crucifixistis; videtis vulnera quae infixistis, agnoscitis latus quod pupugistis, quoniam per vos et propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.

Augustinus de civ. Dei. Nescio autem quomodo etiam sic afficimur amore martyrum beatorum, ut velimus in illo regno in eorum corporibus videre vulnerum cicatrices, quae pro Christi nomine pertulerunt; et fortasse videbimus; non enim deformitas in eis, sed dignitas erit; et quaedam quamvis in corpore, non corporis, sed virtutis pulchritudo fulgebit. Nec ideo tamen si aliqua martyribus amputata et ablata sunt membra; sine ipsis membris in resurrectione erunt mortuorum, quibus dictum est: capillus capitis vestri non peribit. Sed si hoc decebit in illo novo saeculo, ut indicia gloriosorum vulnerum in illa immortalis carne cernantur, ubi membra, ut praeciderentur, percussa vel secta sunt, ibi cicatrices, sed tamen eisdem membris redditus, non perditis,

apparebunt. quamvis igitur omnia quae acciderant corpori vitia, tunc non erunt, non sunt tamen appellanda vitia, sed virtutis indicia.

Gregorius in evang.. Palpandam autem carnem dominus praebuit, quam clausis ianuis introduxit: qua in re duo mira, et iuxta humanam rationem valde sibi contraria ostendit, dum post resurrectionem corpus suum incorruptibile, et tamen palpabile demonstravit. Nam et corrumpi necesse est quod palpatur, et palpari non potest quod non corrumpitur. Et incorruptibilem se ergo et palpabilem demonstravit, ut profecto post resurrectionem esse ostenderetur corpus suum et eiusdem naturae et alterius gloriae.

Gregorius moralium. corpus etiam nostrum in illa resurrectionis gloria erit quidem subtile per effectum spiritualis potentiae, sed palpabile per veritatem naturae: non autem sicut euty chius scripsit, impalpabile, et ventis aereque subtilius.

Augustinus in Ioannem. Videbat autem thomas tangebaturque hominem, et confitebatur Deum, quem non videbat neque tangebatur; per hoc quod videbat atque tangebatur, illud iam remota dubitatione credebatur; unde sequitur respondit thomas, et dixit ei: dominus meus et deus meus.

Theophylactus. qui prius infidelis fuerat, post lateris tactum, optimum se theologum ostendit: nam duplicem naturam unicamque hypostasim Christi edisseruit: dicendo enim dominus meus, humanam naturam; dicendo vero deus meus, divinam confessus est, et unum et eundem Deum et dominum. sequitur dicit ei iesus: quia vidisti me, credidisti.

Augustinus. Non ait: tetigisti me, sed vidisti me: quoniam generalis quodammodo est sensus visus: nam et per quatuor alios sensus nominari solet, velut cum dicimus: audi, et vide quam bene sonet; olfac, et vide quam bene oleat; gusta, et vide quam bene sapiat; tange, et vide quam bene caleat. Unde et hic dominus dicit infer digitum tuum huc, et vide manus meas. Quid aliud ait quam tange et vide? nec tamen ille oculos habebat in digito. Ergo sive intuendo, sive etiam tangendo, hoc ait: quia vidisti me, credidisti. Quamvis dici possit non ausum fuisse discipulum tangere, cum se offerret ille tangendum.

Gregorius in evang.. sed cum apostolus dicat: fides est substantia sperandarum rerum, argumentum non apparentium, profecto liquet quia quae apparent, iam fidem non habent, sed agnitionem. Dum ergo vidit thomas, dum palpavit, cur ei dicitur quia vidisti me, credidisti? sed aliud vidit, aliud credidit: hominem vidit et Deum confessus est. Laetificat autem valde quod sequitur: beati qui non viderunt et crediderunt: in qua sententia nos specialiter significati sumus, qui eum quem carne non vidimus, mente retinemus; si tamen fidem nostram operibus sequimur, ille enim vere credit qui exercet operando quod credit.

Augustinus. Praeteriti autem temporis usus est verbis, tamquam ille qui id quod erat futurum in sua noverat praedestinatione iam factum.

Chrysostomus in Ioannem. Cum ergo aliquis nunc dixerit: utinam in temporibus illis fuissem, et vidissem Christum miracula facientem; excogitet: beati qui non viderunt et crediderunt.

Theophylactus. Exprimit autem et hic discipulos qui nec plagas clavorum nec latus palpantes crediderunt.

Chrysostomus. Quia vero Ioannes pauciora aliis evangelistis dixerat, subiungit multa quidem et alia signa fecit iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. Sed nec alii omnia dixerunt, sed quae erant sufficientia attrahere ad fidem audientes. Mihi autem videtur hic dicere ea quae post resurrectionem sunt signa; et ideo dicit in conspectu discipulorum suorum, cum quibus solis post resurrectionem conversatus est. Deinde ut discas quoniam non solum discipulorum gratia signa fiebant, induxit haec autem scripta sunt, ut credatis quia iesus est Christus filius Dei: communiter ad humanam naturam loquens. Et ut ostendat quoniam non illi cui creditur, sed nobisipsis utile est credere, subdit et ut credentes vitam habeatis in nomine eius, idest per iesum; ipse autem est vita.

IOANNES 21,1-11

14101 (Jn 21,1-11)

Augustinus in Ioannem. quod immediate evangelista praemiserat, veluti huius libri indicat finem; sed narratur hic deinde quemadmodum se manifestaverit dominus ad mare tiberiadis; unde dicitur postea manifestavit se iesus iterum ad mare tiberiadis.

Chrysostomus in Ioannem. Dicit autem postea, quia non continue cum eis ambulabat, ut antea. Dicit etiam manifestavit se, quia non videretur nisi condescenderet: quia incorruptibile erat corpus. Loci autem meminit, ostendens quoniam plurimum timoris eis dominus abstulerat, ut de reliquo ipsi longe a domo procedant, non ultra in domo conclusi; sed in galilaeam ierant, periculum declinantes iudaicum.

Beda. More autem solito evangelista prius retulit causam, deinde quemadmodum res gesta sit enarrat; unde sequitur manifestavit autem sic.

Chrysostomus. quia vero neque dominus cum eis continue erat, neque spiritus datus erat, neque aliquid tunc erat eis commissum, neque aliquid habebant agere, artem piscatoriam tractabant; unde sequitur manifestavit autem sic: erant simul simon petrus, et thomas, qui dicitur didymus, et nathanael, qui erat a cana galilaeae, qui scilicet vocatus est a philippo, et filii **zeBedaei**, scilicet iacobus et ioannes, et alii ex discipulis eius duo. Dicit eis simon petrus: vado pescari.

Gregorius in evang.. quaeri potest cur petrus, qui piscator ante conversionem fuit, post conversionem ad piscationem rediit, cum veritas dicat: neque mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.

Augustinus. Quod si fecissent discipuli, defuncto iesu, priusquam resurrexisset a mortuis, putaremus eos illa quae animos eorum occupaverat desperatione fecisse. Nunc vero post eum sibi de sepulchro redditum vivum, post inspecta vulnerum loca, post acceptum eius insufflatione spiritum sanctum, subito fiunt sicut fuerant, non hominum, sed piscium piscatores. Respondendum est ergo, non eos fuisse prohibitos ex arte sua licita victum necessarium quaerere, sui apostolatus integritate servata, si quando unde viverent aliud non haberent. Si enim beatus paulus ea potestate, quam profecto cum ceteris evangelii praedicatoribus habebat, non cum ceteris uteretur, sed stipendio suo militaret, ne gentes a nomine Christi penitus alienas, doctrina eius quasi venalis offenderet, aliter educatus, artem quam non noverat didicit, ut dum suis manibus transigitur doctor, nullus gravaretur auditor, quanto magis beatus petrus, qui iam piscator fuerat, quod noverat fecit, si ad praesens illud tempus, aliud unde viveret non invenit. Sed respondebit quispiam: et cur non invenit, cum dominus promiserit dicens: quaerite primum regnum Dei et iustitiam eius, et haec omnia apponentur vobis? prorsus etiam dominus quod promisit implevit: nam quis alius pisces qui caperentur apposuit, qui non ob aliud credendus est eis ingessisse penuriam, qua cogerentur ire piscatum, nisi dispositum volens exhibere miraculum? **Gregorius.** Negotium ergo quod ante conversionem sine peccato extitit, hoc etiam post conversionem repetere culpa non fuit: unde post conversionem suam ad piscationem petrus rediit; matthaeus vero ad telonii negotium non resedit. sunt enim pleraque negotia quae sine peccatis exhiberi aut vix aut nullatenus possunt. quae ergo ad peccatum implicant, ad haec necesse est ut post conversionem animus non recurat.

Chrysostomus in Ioannem. alii autem discipuli sequebantur petrum; unde dicitur dicunt ei: venimus et nos tecum: colligati enim de reliquo sibi invicem erant. Simul volebant piscationem videre. sequitur et exierunt, et ascenderunt in navim. In nocte autem piscabantur, quia adhuc formidolosi erant.

Gregorius. facta est autem discipulis piscationis magna difficultas, ut veniente magistro fieret admirationis magna sublimitas; unde sequitur et illa nocte nihil prendiderunt.

Chrysostomus. Laborantibus autem et afflictis discipulis assistit iesus; unde sequitur mane facto stetit iesus in littore; non tamen cognoverunt discipuli quia iesus est. Non enim seipsum mox eis ostendit, sed voluit et allocutionem cum eis inire; et primo loquitur eis humanius; nam sequitur dicit eis iesus: pueri, numquid pulmentarium habetis? hoc autem dicit, quasi ab eis aliquid emere vellet. Ut autem timuerunt, eis signum ostendit, per quod cognoscerent; sequitur enim dixit eis: mittite in dexteram navigii rete, et invenietis. Multa autem consequenter facta sunt: quorum primum est, multos pisces esse comprehensos; unde sequitur miserunt ergo, et iam non valebant illud trahere prae multitudine piscium. Sed in Christi cognitione petrus et ioannes suos proprios modos ostenderunt. ioannes enim perspicacior erat; et ideo primo cognovit Christum; unde sequitur dicit ergo discipulus ille quem diligebat iesus, petro: dominus est.

Beda. Hoc indicio sicut saepe, ita et hic suam demonstrat personam. Cognovit autem primus dominum sive miraculo istius piscationis, sive sono praecognitae vocis, sive primae reminiscens piscationis.

Chrysostomus. Petrus autem ferventior erat, et ideo promptius venit ad Christum; sequitur enim simon petrus cum audisset quia dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus).

Beda. Dicitur autem petrus nudus fuisse ad comparationem ceterorum vestimentorum quibus uti solebat; sicut solemus dicere cum aliquem simplici vestimento videmus indutum: quare nudus incedis? sive potest

intelligi quod more piscatorum studio piscandi nudus inceserit.

Theophylactus. quod vero se praecinxit petrus, pudoris est signum; praecinxit autem se lineo amictu, quem phoenices et tyrii piscatores circumvolvunt sibi, cum nudi sunt, sive etiam ceteris indumentis apponunt.

Beda. eodem autem ardore quo et multa alia fecerat, venit ad iesum; unde sequitur et misit se in mare; alii autem discipuli navigio venerunt. Non tamen intelligendum est petrum super fluctus venisse, sed aut natando, aut pedibus propriis, quia erant prope terram; sequitur enim non longe enim erant a terra, sed quasi cubitis ducentis.

Glossa. Interpositio est; sequitur enim trahentes rete piscium: ut sit ordo litterae: alii discipuli navigio venerunt trahentes rete piscium: non longe enim etc..

Chrysostomus. Deinde aliud signum ponitur cum subditur ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem superpositum, et panem. non enim adhuc ex materia superposita operatur, sed ad id quod est mirabilius ducit signa, ostendens quoniam et ex subiecta materia ante crucem miracula faciebat propter quamdam dispensationem.

Augustinus in Ioannem. Non autem hic est intelligendum, et panem fuisse prunis superpositum; sed quasi diceret: viderunt prunas positas, et piscem superpositum prunis, et viderunt panem.

Chrysostomus. Ut autem ostenderet non esse phantasma quod factum est, iubet ex piscibus ab eis captis afferri; sequitur enim dicit eis iesus: afferte ex piscibus, quos prendidistis nunc. deinde et aliud signum fuit quod ex multitudine piscium rete non est scissum; unde sequitur ascendit simon petrus, et traxit rete ad terram plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus: et cum tanti essent, non est scissum rete.

Augustinus. Mystice autem in captura piscium commendavit ecclesiae sacramentum, qualis futura est in ultima resurrectione mortuorum. Et ad hoc commendandum valet quod tamquam finis est interpositus libri, quod esset etiam secuturae narrationis quasi prooemium. Quod autem septem discipuli fuerunt in illa piscatione, suo septenario numero finem significat temporis: universum quippe septem diebus volvitur tempus.

Theophylactus. cum autem nox erat, ante solis Christi praesentiam prophetae nihil ceperunt: quia etsi unam nationem israel corrigere conarentur, illa tamen frequenter in idololatriam labebatur.

Gregorius in evang.. quaeri autem potest cur discipulis in mare laborantibus, post resurrectionem suam in littore stetit qui ante resurrectionem suam coram discipulis in fluctibus maris ambulavit. Sed mare praesens saeculum significat, quod se causarum tumultibus et undis vitae corruptibilis illidit; per soliditatem autem littoris perpetuitas quietis aeternae figuratur. Quia igitur discipuli adhuc fluctibus mortalis vitae inerant, in mari laborabant; quia autem redemptor noster iam corruptionem carnis excesserat, post resurrectionem suam in littore stabat.

Augustinus. littus etiam finis est maris; et ideo finem significat saeculi. Sicut enim in hoc loco qualiter in fine saeculi futura sit, ita dominus alia piscatione significavit ecclesiam qualiter nunc sit: unde ibi iesus non stabat in littore, sed ascendens in unam navim, quae erat simonis, rogavit eum a terra reducere pusillum. In alia piscatione non mittuntur retia in dexteram, ne solos significant bonos; nec in sinistram, ne solos malos; sed indifferenter: laxate, inquit, retia vestra in capturam, ut permixtos intelligamus bonos et malos; hic autem mittite, inquit, in dexteram navigii rete, ut significaret eos qui stabant ad dexteram solos bonos. Illud fecit initio praedicationis suae, hoc post resurrectionem suam: hinc ostendens illam capturam piscium bonos et malos significare, quos nunc habet ecclesia; istam vero tantummodo bonos, quos habebit in aeternum, completa in fine huius saeculi resurrectione mortuorum. Illi autem qui pertinent ad resurrectionem vitae, id est ad dexteram, et inter Christiani nominis retia defiguntur, non nisi in littore, id est in fine saeculi, cum resurrexerint apparebunt; ideo non valuerunt sic trahere retia ut in navem refunderent quos ceperant pisces, sicut de aliis factum est. Habet autem istos dexteros ecclesia post finem vitae huius in somno pacis velut in profundo latentes, donec ad littus rete perveniat. Quod autem in prima piscatione duabus naviculis, hoc isto loco ducentis cubitis, tamquam centum et centum, existimo figuratum, propter utriusque generis electos, et circumcisionis et praepetii.

Beda. Vel per ducentos cubitos gemina caritatis virtus exprimitur: per dilectionem enim Dei et proximi Christo appropinquamus. piscis autem assus, est Christus passus: ipse latere dignatus est in aquis generis humani, capi voluit laqueo nostrae noctis; et qui nobis factus est piscis humanitate, extitit nobis panis, nos reficiens sua divinitate.

Gregorius. petro autem sancta ecclesia est commissa; ipsi specialiter dicitur: pasce oves meas. Quod ergo postmodum aperitur in voce, nunc significatur in opere. Ipse enim pisces ad soliditatem littoris pertrahit, quia stabilitatem aeternae patriae fidelibus ostendit. hoc egit verbis, hoc epistolis, hoc agit quotidie miraculorum signis. Sed cum rete magnis piscibus plenum dicitur, additur et quantis; et hoc est quod subditur plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus.

Augustinus. In alia piscatione numerus piscium non exprimitur, tamquam illud ibi fiat quod praedictum est per prophetam: annuntiavi, et locutus sum; multiplicati sunt super numerum; hic vero certus est numerus, cuius reddenda est ratio. Numerus enim qui legem significat decem est propter decalogum. cum autem accedit ad legem gratiae, idest ad litteram spiritus, quodammodo denario numero additur septenarius, septenario quippe numero significatur spiritus sanctus, ad quem sanctificatio proprie pertinet. Primum enim in lege sonuit sanctificatio in die septima. Isaias etiam propheta eum commendat opere, vel munere septenario. Cum itaque legis denario spiritus sanctus per septenarium numerum accedit, fiunt decem et septem, qui numerus ab uno usque ad seipsum, computatis omnibus crescens ad centum quinquaginta tres pervenit.

Gregorius. Ducamus etiam per trigonum decem et septem, veniunt quinquaginta unum. In quinquagesimo autem anno cunctus populus ab omni operatione quiescebat. Sed vera requies in unitate est: ubi enim scissura divisionis est, vera requies non est.

Augustinus. non ergo tantummodo centum quinquaginta tres sancti ad vitam resurrecturi significantur aeternam, sed omnes ad gratiam spiritus pertinentes hoc numero figurantur: qui etiam numerus ter habet quinquagenarium numerum, et insuper ipsa tria propter mysterium trinitatis. quinquagenarius autem multiplicatis septem per septem, et unius adiectione completur. Unus autem additur, ut eos significet esse unum. Non autem frustra dictum est quod erant magni. Cum enim dixisset dominus: non veni solvere legem, sed implere, daturus spiritum, utique per quem lex posset impleri, paucis verbis interpositis ait: qui fecerit et docuerit, magnus vocabitur in regno caelorum. In prima autem piscatione rete propter significanda schismata rumpebatur; hic vero, quoniam in illa summa pace sanctorum nulla erunt schismata, pertinuit ad evangelistam consequenter dicere et cum tanti essent, idest tam magni, non est scissum rete, tamquam illud respiceret ubi scissum est, et in illius mali comparatione commendaret hoc bonum.

IOANNES 21,12-14

14112 (Jn 21,12-14)

Augustinus in Ioannem. peracta piscatione dominus eos ad prandium vocat; unde dicitur dicit eis iesus: venite, prandete.

Chrysostomus in Ioannem. hic quidem non dicit quod comedit cum eis; sed lucas hoc dicit. Hoc autem fiebat, non ut natura indigente cibis de reliquo, sed condescensione ad demonstrationem resurrectionis facta.

Augustinus de civ. Dei. Corpora autem iustorum quae in resurrectione futura sunt, neque ligno vitae indigebunt, quo fiat ut nullo morbo, vel senectute inveterata moriantur, neque ullis aliis corporalibus nutrimentis, quibus esuriendi atque sitiendi qualiscumque molestia devitetur; quoniam certo et inviolabili munere immortalitatis induentur, ut non nisi velint, possibilitate, non necessitate vescantur: non enim potestas, sed egestas edendi et bibendi talibus corporibus auferetur; sicut et salvator noster post resurrectionem iam quidem in spiritali carne, sed tamen vera, cibum ac potum cum discipulis sumpsit, non alimenterum indigentia, sed ea qua et hoc poterat potestate. sequitur et nemo audebat discumbentium interrogare eum: tu quis es? scientes quia dominus est; ac si diceretur: **Augustinus** in Ioannem. Nemo audebat dubitare quod ipse esset: tanta enim erat evidentia veritatis ut eorum non solum negare, sed nec dubitare quidem ullus auderet: quoniam si quisquam dubitaret, utique interrogaret.

Chrysostomus. vel hoc dicit, quia de reliquo non similiter confidebant ei loqui ut prius; sed cum silentio et reverentia multa sedebant attendentes in eum: et formam quidem alteratam videntes, et multa admiratione plenam, valde stupefacti nolebant interrogare. sed formido in hoc quod sciebant quod dominus est, detinebat interrogationem; et solum comedebant quae eis dabat cum priori potestate. Hic autem non respicit in caelum, neque humana illa facit, ostendens quoniam condescensionis gratia fiebant; unde subditur et venit iesus, et accepit panem, et dabat eis: et pisces similiter.

Augustinus. Mystice autem piscis assus Christus est passus; ipse est et panis qui de caelo descendit; huic incorporatur ecclesia ad participandum beatitudinem sempiternam; propter hoc dictum est afferte de piscibus quos prendidistis nunc: ut omnes qui hanc spem gerimus, per illum septenarium numerum discipulorum, per quem potest in hoc loco nostra universitas intelligi figurata, tanto sacramento nos communicare nossemus, et eidem beatitudini sociari.

Gregorius. Per hoc etiam quod cum septem discipulis ultimum convivium celebrat, eos tantummodo qui septiformi gratia sancti spiritus pleni sunt, futuros secum in aeterna refectioe denuntiat; septem quoque diebus omne hoc tempus evolvitur, et saepe septenario numero perfectio designatur. Illi ergo ultimo convivio de praesentia veritatis epulantur qui nunc perfectionis studio terreno transcendunt.

Chrysostomus. Quia vero non continuo cum eis conversabatur, neque similiter ut prius, subdit evangelista dicens hoc iam tertio manifestatus est iesus discipulis suis cum resurrexisset a mortuis.

Augustinus. Quod non ad ipsas demonstrationes, sed ad dies referre debemus; idest, primo die cum resurrexisset, et post octo, quando thomas vidit et credidit, et hoc die quando hoc de piscibus fecit, et deinde quoties voluit, usque ad diem quadragesimum quo ascendit in caelum.

Augustinus de cons. Evang.. invenimus autem apud quatuor evangelistas decies commemoratum dominum visum esse post resurrectionem. Semel ad monumentum a mulieribus; iterum eisdem regredientibus a monumento in itinere; tertio petro; quarto duobus euntibus in castellum; quinto pluribus in ierusalem, ubi non erat thomas; sexto ubi vidit eum thomas; septimo ad mare tiberiadis; octavo omnibus undecim in monte galilaeae secundum matthaeum; nono, ut dicit marcus, novissime recumbentibus, quia iam non erant in terra cum illo convivaturi; decimo ipso die ascensionis, non iam in terra, sed elevatum in nube.

IOANNES 21,15-17

14115 (Jn 21,15-17)

Theophylactus. Finito prandio, commissionem ovium mundi petro commendat, non aliis; unde dicitur cum ergo prandissent, dicit simoni petro iesus: simon ioannis, diligis me plus his? **Augustinus** in ioannem. Sciens dominus interrogat: sciebat enim dominus quod non solum eum diligeret, verum etiam quod plus omnibus eum diligeret petrus.

Alcuinus. Dicitur autem simon ioannis, idest filius ioannis carnalis patris. Mystice autem simon obediens, ioannes gratia; et merito hoc nomine vocatur, idest obediens gratiae Dei, ut ostendatur, quod ardentiori eum caritate amplectitur, non meriti humani, sed divini esse muneris.

Augustinus in serm. Pass.. dum autem dominus moreretur, timuit et negavit; resurgens autem dominus amorem inseruit, timorem fugavit: nam quando negavit, mori timuit; resurgente domino quid timeret, in quo mortem mortuam reperiret? unde sequitur ait illi: etiam, domine, tu scis quia amo te. confitenti autem amorem suum, oves suas commendavit; unde sequitur dicit ei: pasce agnos meos: tamquam non esset ubi ostenderet petrus amorem suum in Christum, nisi esset pastor fidelis sub principe omnium pastorum.

Chrysostomus in ioannem. quod enim maxime omnium tribuit nobis eam quae desuper est benevolentiam, est proximorum procuratio. praeteriens autem dominus alios, petro de talibus loquitur: eximius enim apostolorum erat petrus et os discipulorum, et vertex collegii; unde et negatione deleta, committit ei praelationem fratrum. Et negationem quidem ei non exprobrat, sed dicit: si diligis me, praeside fratribus, et ferventem amorem quem per omnia demonstrasti, nunc ostende; et animam quam dixisti te esse positurum pro me, hanc da pro ovibus meis. sequitur dicit ei iterum: simon ioannis, diligis me? ait illi: etiam, domine, tu scis quia amo te.

Augustinus. merito dicitur petro diligis me? et respondet amo te, eique dicitur pasce agnos meos: ubi etiam demonstratur unum atque idem esse amorem et dilectionem: nam etiam dominus novissime non ait: diligis me, sed amas me. sequitur dicit ei tertio: simon ioannis, amas me? tertio, utrum petrus eum diligeret, dominus interrogat. Redditur enim negationi trinae trina confessio; ne minus amori lingua serviat quam timori; et plus vocis elucuisse videatur mors imminens quam vita praesens.

Chrysostomus. tertio etiam interrogat, et tertio iniungit eadem, ostendens quantum appetat praelationem

propriarum ovium, et quoniam hoc est maxime eius amoris signum.

Theophylactus. Ex tunc etiam inolevit consuetudo, ut ter confiteantur qui veniunt ad baptismum.

Chrysostomus. deinde tertio interrogatus conturbatus est; unde sequitur contristatus est petrus, quia dixit ei tertio: amas me? rursus formidans priora, ne forte aestimans se diligere, si non diligat, corripiatur, sicut et prius correptus est, multum se aestimans fortem; unde ad ipsum Christum refugit; unde sequitur et dicit ei: domine, tu omnia scis, idest ineffabilia cordis, praesentia et futura.

Augustinus de verbis dom.. Inde ergo contristatus est quod saepe interrogatus esset ab eo qui sciverat quod interrogabat, et donaverat quod audiebat. Veraciter ergo respondit, et de intimo cordis protulit amantis vocem, dicens tu scis quia amo te.

Augustinus in Ioannem. Non autem addit plus his; hoc enim respondit quod de seipso sciebat; non enim quantum ab alio quolibet diligeretur scire poterat qui cor alterius videre non poterat. sequitur dicit ei: pasce oves meas; quasi dicat: sit amoris officium pascere dominicum gregem, sicut fuit timoris indicium negare pastorem.

Theophylactus. Potest autem quis assignare differentiam inter agnos et oves: agni sunt qui introducuntur, oves vero perfecti.

Alcuinus. Pascere autem oves est credentes in Christo, ne a fide deficient, confortare, terrena subsidia, si necesse est, subditis providere, et exempla virtutum cum verbo praedicationis impendere, adversariis obsistere, errantes subditos corrigere.

Augustinus. Qui hoc autem animo pascunt oves Christi ut suas velint esse, non Christi, se convincuntur amare, non Christum, vel gloriandi vel dominandi vel acquirendi cupiditate, non obediendi et subveniendi et Deo placendi caritate. non ergo nos, sed ipsum amemus, et in pascendis ovibus eius ea quae sunt eius, non quae nostra sunt, quaeramus: quisquis enim seipsum, non Deum amat, non amat se: qui enim non potest vivere de se, moritur utique amando se: non ergo se amat qui ne vivat se amat. Cum vero ille diligitur de quo vivitur, non se diligendo magis se diligit, qui propterea non se diligit ut eum diligat de quo vivit.

Augustinus. extiterunt autem quidam servi infideles, qui diviserunt gregem Christi, et furtis suis peculia sibi fecerunt; et audis eos dicere: oves meae sunt illae: quid quaeris ad oves meas? non te inveniam ad oves meas. Si sic et nos dicamus meas, et illi dicant suas; perdidit Christus oves suas.

IOANNES 21,18-19

14118 (Jn 21,18-19)

Chrysostomus in Ioannem. cum dixisset petro dominus de amore quem habebat ad ipsum, praenuntiat ei martyrium quod pro ipso debebat sustinere; erudire nos volens quomodo eum amare oportet; unde dicit amen, amen, dico tibi: cum esses iunior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas. Meminit prioris vitae, quia in saecularibus iuvenis quidem utilis est, qui vero senuerit, inutilis. In divinis autem non ita est; sed cum supervenerit senectus, tunc virtus clarior, tunc virilitas industrior, in nullo ab aetate prohibita. quia ergo petrus semper volebat in periculis esse cum Christo, dicit ei: confide: ita implebo tuum desiderium, ut quae passus non es iuvenis existens, oporteat te pati senem; unde sequitur cum autem senueris: per quod ostenditur quod neque tunc iuvenis erat neque senex, sed vir perfectus.

Origenes super matth.. Et attende quod non facile invenitur quis ex eis qui apti fuerint ad hoc opus, ut cito transeat de hac vita; unde nunc petro dicitur cum senueris, extendes manus tuas.

Augustinus in Ioannem. Hoc est, crucifigeris. Ad hoc autem ut venias, alius te cinget, et ducet quo non vis. Prius dixit quod fieret, et deinde quomodo fieret: non enim crucifixus, sed crucifigendus quo nollet est ductus. Solutus quippe a corpore esse volebat cum Christo: sed si fieri posset, praeter mortis molestiam vitam concupiscebat aeternam; ad quam molestiam nolens venit sed volens eam vicit, et reliquit hunc infirmitatis affectum, quo nemo vult mori, usque adeo naturalem ut eum beato petro nec senectus auferre potuerit. Sed molestia quantacumque sit mortis, debet eam vincere vis amoris quo amatur ille qui, cum sit vita nostra, etiam mortem voluit ferre pro nobis. Nam si nulla esset mortis, vel parva molestia, non esset tam magna martyrii gloria.

Chrysostomus. dicit ergo quo non vis, propter naturalem compassionem animae, quae invita separatur a corpore, Deo hoc utiliter dispensante, ut non multi sibi mortem inferant violentam. Deinde erigens auditorem evangelista induxit hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum. Non dixit: moriturus esset, ut discas quoniam pati pro Christo, gloria est patientis et honor. Nisi autem certificaretur animus quia verus deus est, minime eius intuitu mortem toleraret: quo fit ut sanctorum mors divinae sit gloriae certitudo.

Augustinus. Hunc invenit exitum ille negator et amator, ut pro eius nomine perfecta dilectione moreretur cum quo se moriturum perversa festinatione promiserat. Hoc enim oportebat, ut prius Christus pro petri salute, deinde petrus pro Christi praedicatione moreretur.

IOANNES 21,20-23

14120 (Jn 21,20-23)

Augustinus in Ioannem. cum praenuntiasset dominus petro qua morte clarificaturus esset Deum, invitat eum ad sui sequelam; unde dicitur et cum hoc dixisset, dicit ei: sequere me. cur dicitur petro sequere me, nec dicitur ceteris qui simul aderant, qui eum sicut magistrum discipuli sequebantur? sed si ad passionem intelligendum est, numquid solus pro Christiana veritate passus est petrus? nonne ibi erat iacobus, qui ab herode manifestatur occisus? verum aliquis dixerit, quoniam non est iacobus crucifixus, merito dictum esse petro sequere me, qui non solum mortem, sed et mortem crucis sicut Christus expertus est.

Theophylactus. Audiens autem petrus quia mortem pro Christo passurus est, quaerit de Ioanne an moriatur; unde sequitur conversus petrus, vidit illum discipulum quem diligebat iesus sequentem, qui et recubuit in coena super pectus eius, et dixit: domine, quis est qui tradet te? **Augustinus.** Seipsum dicit discipulum quem diligebat iesus, quia ipsum prae ceteris et familiariter diligebat, ita ut in convivio super pectus suum discumbere faceret. Credo ut istius evangelii quod per eum fuerat praedicaturus, divinam excellentiam hoc modo altius commendaret. sunt qui senserint, et hi non contemptibiles sacri eloquii tractatores, a Christo Ioannem propterea plus amatum, quia ab ineunte pueritia castissimus vixerit. sequitur hunc ergo cum vidisset petrus, dixit iesu: domine, hic autem quid? Theophylactus. idest, numquid non morietur et ipse? ut quidam exponunt. sequitur dicit ei iesus: sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? **Augustinus.** et repetitum est tu me sequere, tamquam ille ideo non sequeretur, quoniam eum manere voluit donec veniat. quis facile aliud esse credat quam quod fratres crediderunt qui tunc erant? sequitur enim exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Sed hanc opinionem Ioannes ipse abstulit subdens et non dixit iesus: non moritur; sed: sic eum volo manere donec veniam; quid ad te? sed cui placet adhuc resistat et dicat, verum esse quod ait Ioannes, non dixisse dominum quod discipulus ille non moritur; sed hoc tamen significatum esse talibus verbis qualia eum dixisse narravit.

Theophylactus. Vel dicat: Christus non negavit Ioannem moriturum, nam quidquid oritur moritur; sed dixit volo eum manere, idest vivere usque ad mundi finem, et tunc pro me patietur martyrium; et ideo fatentur adhuc illum vivere, ab antiChristo vero debere occidi, et una cum elia praedicaturum nomen Christi. Sed et si assignetur eius sepulchrum, vivens quidem illud intravit, postea discessit.

Augustinus. vel forte aliquis in illo sepulchro eius, quod est apud ephesum, dormire potius eum quam mortuum iacere contendet: assumens argumentum, quod illic terra sensim scaturire, et quasi ebullire perhibetur; atque hoc eius anhelitu fieri pertinaciter asseverans. Sed cur eius discipulo quem prae ceteris diligebat, pro magno munere longum in corpore donaverit somnum, cum beatum petrum per ingentem martyrii gloriam ab onere corporis absolverit, eique concesserit quod paulus se concupiscere dixit: cupio dissolvi, et esse cum Christo? si autem vere ibi fit quod semper sparsit fama, aut ideo fit ut eo modo commendetur pretiosa eius mors, quoniam non eam commendat martyrium, aut propter aliquid aliud quod nos latet. Manet tamen quaestio cur dixerit dominus de homine morituro sic eum volo manere donec veniam. Illud etiam movet ad quaerendum, cur Ioannem plus dilexerit dominus, cum ipsum dominum plus dilexerit petrus. Quantum ipse sapio, meliorem qui plus diligit Christum, feliciorem vero quem plus diligit Christus, facile responderem, si iustitiam liberatoris nostri, quemadmodum defenderem providerem. aggrediar igitur de solvenda quaestione tam ingenti. Duas vitas sibi divinitus praedicatas novit ecclesia: quarum una est in fide, altera in specie. Ista significata est per apostolum petrum propter apostolatus sui primatum, illa per Ioannem; ideo huic dicitur sequere me, per imitationem scilicet perferendi temporalia mala; de illo vero dicitur sic eum volo manere donec veniam; quasi dicat: tu me sequere per imitationem perferendi temporalia mala; ille maneat donec sempiterna venio redditurus bona; quod apertius dici potest: perfecta me sequatur actio informata meae passionis exemplo; inchoata vero contemplatio maneat donec venio, perficienda cum venero: quod non sic intelligendum est, quasi dixerit remanere vel permanere, sed

expectare: quoniam quod per eum significatur, cum venerit Christus implebitur. in hac autem activa vita quanto magis Christum diligimus, tanto facilius liberamur a malo; at ipse nos minus diligit quales nos sumus, et hinc ideo liberat, ne semper tales simus; ibi vero amplius nos diligit, quoniam quod ei displiceat et quod a nobis auferat non habebimus. Amet ergo eum petrus, ut ab ista mortalitate liberemur; ametur ab eo ioannes, ut in illa immortalitate servemur. Cur ergo ioannes minus eum diligebat quam petrus, si eam vitam significabat in qua est multo amplius diligendus, nisi quia propterea dictum est volo eum manere, idest expectare, donec veniam; quando et ipsum amorem qui tunc multo amplior erit, nondum habemus, sed expectamus futurum, ut dum ipse venerit, habeamus. Hoc ergo per petrum significatum est plus amantem, sed minus amatum, quia minus nos amat Christus miseros quam beatos: veritatis autem contemplationem qualis tunc futura est, minus amamus, quia nunc nondum novimus nec habemus. Nemo tamen istos insignes apostolos separet: et in eo quod significabat petrus ambo erant, et in eo quod significabat ioannes ambo futuri erant.

Glossa. Vel aliter sic eum volo manere; idest, nolo eum per martyrium consummare, sed expectare eum in placidam absolutionem carnis suae, quando ego veniens recipiam eum in aeterna beatitudine.

Theophylactus. vel aliter totum hoc. Quando dicit dominus petro sequere me, cunctorum fidelium praelaturam ei instituit. Simul autem et sequi intelligas hic imitationem in cunctis et verbis et operibus. ostendit etiam affectionem ad ipsum: quia qui nobis astrictiores sunt, hos sequi nos volumus.

Chrysostomus in ioannem. si vero dixerit quis: qualiter igitur iacobus thronum assumpsit hierosolymorum? illud utique dicam, quoniam petrus orbis terrarum inthronizavit magistrum. sequitur conversus petrus vidit illum discipulum quem diligebat iesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus eius. non sine causa recolit illam accubationem, sed ut ostendat quantam petrus habebat fiduciam post negationem. Qui enim in coena non audebat interrogare, sed ioanni interrogationem commisit, huic et praepositura fratrum credita est, et non solum non committit alteri interrogare quae ad ipsum pertinent, sed de reliquo ipse pro aliis magistrum interrogat. Quia igitur magna ei praedixerat dominus, et orbem terrarum commiserat, et martyrium praenuntiaverat, et amorem protestatus est ampliorem; volens et ioannem communicatorem accipere dixit hic autem quid? quasi diceret: nonne eadem nobiscum veniet via? valde enim ioannem amabat petrus; et per evangelium ostenditur eorum colligatio, et in actibus apostolorum. Sic igitur nunc vicem reddit petrus ioanni. Aestimans autem eum velle interrogare de seipso, nec audere, ipse pro eo suscipit interrogationem. quia vero debebant orbis terrarum procurationem accipere, nec oportebat eos de reliquo sibi invicem esse coniunctos, quod esset damnum orbi terrarum, propterea dominus dicit secundum litteram graecam: si eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere; quasi dicat: opus tibi commissum attende et perfice, hunc vero si voluero manere hic, quid ad te? Theophylactus. Quod vero dicitur dum venero, quidam sic intellexerunt ac si diceret: quousque contra iudaeos, qui me crucifixerunt, veniam percutiens illos baculo romanorum. Aiunt enim, hunc apostolum usque ad vespasiani tempus, cum ierusalem capienda erat, in locis illis conversatum. Vel dicit dum venero, idest, dum hunc volens dirigam ad praedicandum, te namque nunc dirigo ad orbis pontificatum; et in hoc sequere me: ipse vero maneat hic donec et eum educam sicut te.

Chrysostomus. deinde evangelista discipulorum opinionem ponit et corrigit, ut supra dictum est.

IOANNES 21,24-25

14124 (Jn 21,24-25)

Chrysostomus in ioannem. quia ex multa certitudine scripsit ioannes, non refutat sui ipsius testimonium in medium ferre; unde dicit hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his. Consuetudo enim est, cum valde vera dicamus, nostrum testimonium non denegare, et multo magis ille qui spiritu sancto scribebat: unde et alii apostoli dicebant: nos sumus testes horum. sequitur et scripsit haec; quod ipse solus dicit, quia posterior ad scribendum venit Christo monente; unde et frequenter ostendit Christi ad se amorem, occulte insinuans causam ex qua ad scribendum processit, et fide dignum faciens hunc sermonem ex sua dignitate. sequitur et scimus quia verum est testimonium eius. Omnibus enim aderat, et neque cum crucifigeretur defuit et mater ei commissa est; quae sunt signa amoris, et quod cum certitudine sciat omnia. Et si aliqui non credant, inducantur ad credendum ex hoc quod subditur: sunt autem et alia multa quae fecit iesus. Unde manifestum est quod nequaquam scripsi ut Christo gratiam praestarem, cum tot existentibus non tot scripserim quot ceteri; sed horum plura reliqui, contumelias et convicia in medium proponens. Eum autem qui ad gloriam alterius scribit oportet e contrario, ea quae sunt exprobrabiliora tacere, quae vero sunt clara proponere.

Augustinus in ioannem. Quod autem subdit: quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum

capere posse eos qui scribendi sunt libros, non spatio locorum credendum est mundum capere non posse, sed capacitate legentium comprehendi non posse; quamvis salva rerum fide plerumque verba excedere videantur fidem: quod non fit quando aliquid quod erat obscurum vel dubium, exponitur, sed quando id quod apertum est vel augetur vel extenuatur; nec tamen a tramite significandae veritatis erratur: quoniam sic verba rem quae indicatur excedunt, ut voluntas loquentis nec fallentis appareat. hunc loquendi modum graeco nomine hyperbolem vocant, qui modus sicut in hoc loco, ita in nonnullis aliis divinis litteris invenitur.

Chrysostomus. Vel hoc referendum est ad eius potentiam qui faciebat virtutem: sicut enim nobis facile est loqui, ita et illi, et multo facilius, facere quae volebat: quia ipse est super omnia deus benedictus in saecula saeculorum. amen.